

Federici Bonauentrae De Partu Octimestr

1600










965.

J.xxix

16/b





FEDERICI BONAVENTVRAE VRBINATIS.

DE NATVRA PARTVS OCTOMESTRIS ADVERSVS VVLGATAM OPINIONEM LIBRI DECEM.

Opus Philosophis, Medicis, ac Iurisperitis æquè necessarium.

In quo absolutissima de humani partus natura cognitio traditur; nimirum de conceptione, articulatione, maturitate, de partuũ numero, pariendiq; terminis, ac temporibus; vtrum ante septimum mensem, ac post decimum, vndecimiq; initium partus naturaliter edi possit. De septimestri, nonomestri, decimestri, vndecimestriq; partu, deq; veris horum omnium causis plenissimè Aristotele duce disputatur.


Ac præter alia multa, vt, quantum valeat ratio ab Aegypti temperie, atq; à mensium cum diebus crisimis consensione ducta aduersus Octomestres, pernotescat; exquisita habetur Hippocraticæ, Aristotelicæ, Galenicęq; sententiæ de climatum temperamentis, ac de dierum crisimorum causa explicatio.

Quæstionum, uerborumq; adiecti sunt indices locupletissimi.

Item eiusdem Auctoris compendiosa de eodem Partu Disceptatio.

AD SERENISSIMVM FRANCISCVM MARIAM SECVNDVM VRBINI DVCEM SEXTVM.

Lucę Antonij Arcangeli



EX SVPERIORVM PERMISSV.

VRBINI Apud Bartholomęum, & Simonem Ragusios fratres. Anno Domini. 1600.

FEDERICI BONAVENTVRAE VRBINATIS.

DE NATVRA PARTVS OCTOMESTRIS ADVERSVS VVLGATAM OPINIONEM LIBRI DECEM.

Opus Philosophis, Medicis, ac Iurisperitis æque necessarium.


In quo absolutissima de humani partus natura cognitio traditur; nimirum de conceptione, articulatione, maturitate, de partuũ numero, pariendiq; terminis, ac temporibus; verum ante septimum mensem, ac post decimum, vndecimiq; initium partus naturaliter edi possit. De septimestri, nonomestri, decimestri, vndecimestriq; partu, deq; veris horum omnium causis plenissimè Aristotele duce disputatur.

Ubi præter alia multa, vt, quantum valeat ratio ab Aegypti temperie, atq; a mensium cum diebus crisimis consensione ducta aduersus Octomestres, peruestigatur; ex quibus habetur Hippocratica, Aristotelica, Galenicaq; sententia de climatum temperamentis, ac de dierum crisimorum causa explicatio.

Quæstionum, verborumq; adiecti sunt indices locupletissimi.

Item eiusdem Auctoris compendiosa de eodem Partu Epitome.

AD SERENISSIMVM FRANCISCVM MARIAM SECVNDVM VRBINI DVCEM SEXTVM.



EX SVPERIORVM PERMISSV.

VRBINI Apud Bartholomæum, & Simonem Ragusios fratres. Anno Domini. 1600.

SERENISSIMO PRINCIPI FRANCISCO MARIAE SECVNDO VRBINI DVCI SEXTO DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



FEDERICVS BONAVENTVRA FELICITATEM.



SCRIPTVM legimus, Princeps Serenissime, sapientes Viros ambigere, vter stultior sit, is ne qui stultè dicit, an qui stultè dicentem seriò refutare contendit; etenim non raro tàm insipienter ac ineptè dicta de naturæ operibus apud Auctores inuenimus, vt rectissimè proditum à Marco Tullio videatur, nil adeò absurdè dici, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum. Verùm sicuti leuissimum est Aristotelis etiam testimonio attendere quid quisq; effutiat, ac leuissimas quasq;, & à vero aberrantes opiniones confutare; sic & grauissimum, & immortali laude dignum, vbi aliquid occurrat, quod patronos habeat insignes, quorum auctoritas multos possit in errorem inducere; id totis viribus quasi radicem ingentium malorum ex animis hominum extrahere stirpitus, ac pro ipsa veritate tanquam pro aris, & focis decertare. qui sanè conatus eò magis laudandus est, si res ipsa, de qua agitur, non solùm ad contemplationē pertineat, mentisq; aciem acuat, vt pleręq; solent Philosophantium esse quęstiones, verùm etiam actiones respiciat, ac hominum vtilitatem; eiusq; cognitio illud potissimum moliatur, vt exploratum cuiq; posit esse, quid suum, aut quid alienum sit: tùm leges, ac iura veritatis ignoratione labefactata ad pristinam reuocet integritatem; ita enim videbitur vtriq; simul Philosophiæ parti pulchrè satisfactum, pręsertimq; excellentissimę virtutum, & cui splendor inest maximus, quæ iustitia est cæterarum domina & regina; de qua rectissimè illud vsurpare possumus

Nec tàm Hesperus, nec Lucifer mirandus est.

quo certè nil clarius, nil humano generi conducibilius euenire potest.

Horum è numero quæstionem eam esse, quæ ad octomestris partus naturam inuestigandam; probèq; assequendam spectat, nemo (vt arbitror) vocabit in dubium, qui modò habeat aliquid non solùm sapientiæ, sed etiam sanitatis. ipsius enim perspecta veritate, numq; octauo genitus sua natura vitæ compos sit, vel non; haud tantùm illius partis Philosophiæ naturalis, quæ circa hominis naturam versatur, precipuæ videlicet, ac præclarissimæ, pulcherrimam, & impeditissimam difficultatem habemus expeditam; verùm etiam pro ciuilis Philosophiæ parte, quæ ad leges condendas pertinet, summè necessariam conclusionem elicimus: qua cognita & firmata, non solùm mirificas hominum lites, & controuersias, quas oriri quotidie videmus, tolli necesse est, & aboleri; sed (quod præstantissimum iudicari debet) cuiq; quod verè suum est tribui, non alienum. cuius rei tantæ, haud scio an fructuosioris, contrarium lætalissimo iustitiæ, ac Reipublicę, humanęq; demum societatis vulnere eadem ignorata contingere oportet. His ego rationibus permotus, Princeps Serenissime, cùm insitum hac nostra tempestate, inueteratumq; in Iurisprofessorum Medicorumq; animis viderim, octomestres partus nullo pacto esse vitales; omniùm verò pręceptorem Aristotelem contrariam habuisse opinionem: cuius dogmata in ijs, quæ pertinent ad naturalem Philosophiam, tanquam sensu ac ratione nixa, totius Reipublicę literariæ consensu sine vlla controuersia recepiuntur; operępretium me facturum duxi, quin (dicam audacter) rem omnium vtilissimam, ac necessariam, si quantum conniti animo possem, & quantum labore contendere, tantum efficerē, vt hanc multis iam annis veritatem densissimis submersam tenebris ad clarissimum lumen reuocarē. Vt autem grauissimum laborem hunc, longèq; meis viribus imparem alacri subirem animo, nulla certè potior causa fuit, nulla acrior, vehementiorq; incitatio, quæ animum meum inflammaret, quàm quòd mecum ipse reputabam, me ingenti Dei Opt. Max. munere te regnante in hanc lucem venisse, tibiq; subiectum; qui præter cæteras virtutes tùm bellicas, tùm ciuiles, quarum hæreditas, omni patrimonio quantumuis magno præstantior, tibi à Maioribus tuis tradita est; quorum quidem optimorum, atq; inuictissimorum Heroum memoria nunquam ex animis hominum discedet; adeò iustitia, ac scientiarum omnium cognitione animum excoluisti (in his certè virtutibus non solùm illis parem te reddens, sed etiam longè superiorem) vt facilè veritatem, si qua est in hisce meis disceptationibus, acumine ingenij, perfectaq; eruditione cognoscere valeas, cognitam verò auctoritate, imperioq; tueri. vt his de causis, tametsi literarius omnis labor dignus est, vt Principibus viris nūcupetur, tamen hic certè meus, qualiscunq; sit, te vno Principe dignus esse videatur. Quare factum esse

Haud equidem sine mente reor, sine numine Diuùm.

vt ad grauissimæ huius quæstionis veritatem indagandam tua ætate excitaremur; cùm in te vno tria illa conspirauerint, quibus ipsa indigebat, vt ereptam recuperare posset dignitatem; summa, inquam, Philosophiæ cognitio, imperium summum, summaq; iustitia. ita enim tanquam literarum scientissimus, optimè noris, vtrum nos, an illi fuerint melius veritatem assecuti; tanquam Princeps, facilè poteris; tãquam iustissimus, promptè voles eius suscipere patrocinium. Nam, vt interim alias innumeras virtutes tuas, religionem maximam, prudentiam, temperantiam, castitatem, clementiam, liberalitatem, tantum in summa potestate modum rerum omnium, prętermittam; in quibus maximi fortasse alij viri tecum possent comparari; vt taceam insignia illa liberalitatis tuæ monimenta, quę obscuratura nulla nunquam est obliuio; quòd calamitosis ab hinc elapsis temporibus, in quibus Italia tota fame, incredibiliq; annonę caritate premebatur, non solùm singulari tua prudentia tãto occurrens incommodo populis tibi subiectis ita prospexisti, vt longè minori rei frumentariæ inopia vexarentur; sed, quod sine exemplo est, pecuniam maximam Ciuitatum locorumq; pauperibus iussisti erogandam; ijsdemq; Ciuitatibus, ac locis, quo tempore alieno ęre alij ferè omnes opprimebantur, maximam rursus ad frumentum emendum commodasti: hæc, inquam, omnia, & similia vt preteream, tanquam alio loco, si Deus annuerit, à nobis explicanda; tot enim tantaq; sunt, vt vnius epistolæ angustijs adstringi non patiantur: certè in iustitia, quæ inter has omnes mirificè effulget (sine enim me hoc impetrare à modestia tua, vt ea, quæ sentio, de te dicam) qui se præclarius exercuerit, exerceatq; videmus neminem. cuius quidem virtutis opera eximia, quæ a te geruntur, in suo cuiq; tribuendo, in societate coniunctionis humanæ munificè, & æquè tuenda, quotidie cernimus, in nobisq; metipsis vberrimo fructu experimur. Sed & de scientiarum omnium cognitione quid dicam (de imperio enim tanquam de re notissima nihil est quòd in præsentia loquar) quam Principi non aliter esse necessariam, diuinus ille aiebat Plato, quàm corpori animam; illud pulchrè addens, nihil pestilentius esse potestate, quam ignorantia comitetur: idem profectò me affirmare verissimè posse, certo scio; videlicet inter Principes viros, qui maiorem sit assecutus, esse neminem, vel extitisse; vt meritò hac maximè de causa in te vnum, ac tuum nomen hæc se tota conuertat ætas, te omnes boni, te literati omnes intueantur. vt enim quis virtutes tuas, pręstantissimasq; corporis, animiq; dotes non dicam exornare, sed nec ferè enarrare posit; tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his laudem esse ampliorem, quàm vnam hanc, quam ex optimarum artium studio consequeris. Ciuiles enim & bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easq; dethraere Ducibus, ac Principibus, ne propriæ sint eorum: & certè in armis militum virtus, locorum oppor-

tunitas,

tunitas, auxilia sociorum, in Republica rectè administranda eorum, qui à consilijs sunt, & magistratuum fides, ac prudentia multùm iuuant; at verò huius gloriæ (Princeps optimè) quam è scientiarum cognitione adipisceris, socium habes neminẽ; totum hoc, quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum est, inquam, tuum, cuius tu idem es & dux, & comes: nihilq; tibi ex ista laude miles, nihil magistratus decerpit. quæ quidem res tanta est, vt gloriæ, ac splendori tuo nulla vnquam allatura sit finem ætas, nulla vnquam de tuis laudibus tacitura. Hæc autem quæ de te prędico, vera esse, atq; ab omni assentatione aliena, qua in Principem virum nulla capitalior potest esse pestis, immo & longè maiora quàm prædico, regia illa Bibliotheca argumento esse potest, quam quotidie paras, verorum Principum vera supellex; nam ornamenta Ducum olim erant libri, & literę: exquò & Pisistrati, Xersis, & Seleuci, qui Nicanor dictus est, longèq; magis magni Alexandri in conquirendis libris studium celebratum est; ac ingens ille librorum numerus, & penè incredibilis ad septingenta, vt nonnullis placet, voluminum millia à Ptolemæis Regibus in Ægypto collectus, omnium gentium literis, & linguis decantatus est; parq; cura librorũ cogendorũ parem gloriam habuit Domitiani, Asinij Pollionis, qui primus Bibliothecas græcas simul, atq; latinas additis imaginibus construxit; item ex vetustioribus Æmilij Pauli, Luculli, ac Iulij Cæsaris, qui Marco Varroni negocium dedit Bibliothecas vtriusq; linguæ quàmmaximas posset, comparandi, dirigendi, publicandi. Verùm enimuero non solùm regia hæc, augustaq; librorum supellex te studijs in primis addictum esse ostendit, sed, quod longè magis est, doctissimi congressus, literarumq; colloquia hoc idem faciunt testatissimum; quę, vbi per maximarum rerum occupationes licet, recreandi animi causa cum ijs habes, quibus familiariter vteris; ad quorum numerum tu me quoq; ob maximam tuam benignitatem adscripsisti. qua in re, quòd de politicis sępe quęstionibus sermonem facias; quòd Veterum gesta ex historijs probè cognita habeas; hoc licèt magnum, cum quibusdam tamen alijs fortasse Principibus, sed maximè cum Maioribus tuis tibi commune esse dici posset; verùm quòd in Platonis, Aristotelis, aliorumq; scripta, in eorumq; latebras intimiores, ac recessus penetraueris; quòd de mathematicis, naturalibus, theologicis quibusq; difficillimis quęstionibus subtilissimè disseras in tanto munere, quod sustines, in tanta rerum gerendarum mole; quòd grauissima studia nunq̃; intermittas; hoc certè adeò magnum est, vt in eo cęteros non solùm omnes vincas, sed etiam & te ipsum. Verùm, vt vnde est orsa, in eodem terminetur oratio mea, accipies igitur Serenissime Princeps serena fronte huiusmodi opus (vt secundus etiam hic meus partus in tuo nomine appareat) tibi vni tot de causis debitum; & degustabis hoc genus exercitationum mearum, quibus vti soleo, cùm ex

rei fami-

rei familiaris impedimento ocij aliquid superest, ac laxamenti. quod quidem eo maiore studio elaboratum est, vt quà tuum solius, ac proprium esse videtur, quin etiam & quà tua voluntate, ac iussu confectum est, hac parte quoq; te dignum exeat in manus hominum. Cùm enim superioribus annis paruum quoddam meum Opusculũ totius huius disputationis compendium vidisses, contractioribus noctibus lucubratum, in quo maiorum hoc vigiliarum opus pollicebar; eo lecto, vt huic alteri extremam quàmcelerrimè manũ imponerem, plurimum es cohortatus. ad quod quidem peragendum industrię meę insignes stimuli, ac laboris extiterunt (tantam enim liberalitatem, ac humanitatem tacitus nullo modo prętererire possum) tua in me nonnullis ab hinc annis collata ornamenta, cùm Anemologiam meam iam impressam ad te mitterem. quam quidem non solum humaniter excepisti, sed & amplissima mihi stipendia decreuisti; & his omnibus ad benè de te sperandum literarum sectatoribus quasi signum aliquod sustulisti: permittens, ac adeò libens, vt domi meę viuam, totumq; (quantum in te est) diem in literis ponam, & ocio fruar tanto, quantum deserta in regione vix esset: vt quicunq; fructus, si modò vlli sunt, ex ingenio, operaq; mea à Philosophiæ studiosis percipiuntur, ij sanè tuæ liberalitati referri debeant accepti. cui quidem magno in Rempublicam literariam amoris tui argumento, vt omnibus fauoribus te eorum, qui se literis dedunt, conatus prosequi monstrares; hoc alterum regij animi tui dignum addidisti. cùm enim audires, me huius libri parare editionem, vt labores hosce nostros tibi probari testatum faceres, sumptus suppeditasti ad eos diuulgandos. qua quidẽ ex re tantum honoris, ac felicitatis gradum partum hunc meum de octomestri partu agentem apud hominum memoriam video esse assecutum; vt omen acceperim, pari fortuna fore imposterum, vt harum mearum lucubrationum ope ex gentium animis omnis excidat de octomestris partus infelicitate cogitatio: & pro qua certè re (Princeps Serenissime) sic tibi gratias ago, vt ad tua innumerabilia in me vnum merita maximus hoc tuo facto cumulus accesserit. in quo quidem eo pręsertim nomine Męcenates omnes, ac Principes superasti; quòd illi in benè de re literaria meritos sua beneficia contulerunt; tu verò nouo, atq; admirando humanitatis, ac liberalitatis exemplo cogere me, vt benè de literis merear, largitionibus, honoribusq; tuis voluisti. quod quidem non mediocriter me assecutũ esse hisce meis scriptis arbitrabor, si te aliquid in illis, quod veritati arrideat, audiam inuenire; sin minus, quòd pro ipsa inuenienda laborauerim, nemo me nisi iniuria reprehendet. Vale Princeps Serenissime & te ipsum tibi, nobis, literis, & huic seculo incolumem diutissimè serua.

FEDERICVS BONAVENTVRA LECTORI.





VPERIORIBVS *annis cùm Societas nostra Sanctissimi Crucifixi aliquos viros elegisset, quibus cuiusdam litis cum ea nuper contestatæ onus imponeret, meq; in eorum numerum cooptasset; quærens ego de litis statu, audiui, quod maximè rem, causamq; contineret, esse perdifficilem illam, & perobscuram quæstionem de natura Partus octomestris; asserentibus aduersarijs puerulum eum, de quo erat controuersia, octauo mense prodijsse; ex communi autem Iurisprofessorum opinione octauo mense genitum neq; naturalem partum esse, neq; vitalem: contra verò Nostris contendentibus, quòd eo mense infans ille venisset in lucem, pro certo non posse affirmari, tanquam id, quod in obscuro positum valde delitescat. Quamobrem ego pulcherrimæ dubitationis nouitate permotus, cùm viderem, ad Philosophum magis etiam quàm ad Medicum, ne dum ad Iurisprofessorem eius dissolutionem pertinere; veniretq; in mentem, magnum Philosophiæ parentem, ac præceptorem Aristotelem omnino contra Iurisprofessorum sententiam de hac quæstione statuisse; non leuiter eos demirari cœpi, quòd suis scriptis & profiterentur, & auderent, rei euentu (vt ipsi inquiunt) & ratione docti, eiusdemq; Aristotelis, Hippocratis, Galeni, Auicennæ, doctissimorumq; demum quorumcunq; hominum auctoritate persuasi, summa asserere consensione, octomestrem partum nullo pacto superstitem, sed abortum potius, & illegitimum esse iudicandum; cùm, si rem ipsam accuratè introspiciamus, atq; maximorum hominum verba, Aristotelis præsertim, ac Hippocratis, qui eorum tamen iudicio octomestres partus funditus sustulit; si naturales rationes: si quod verisimile est & quo omnes ferè duce natura vehimur, consideremus; ea potius opinio ad veritatẽ videatur esse propensior, quę octauo mense editos & naturales & vitales partus esse defendit. tametsi non me lateat, non solùm omnes Iurisprofessores, sed etiam plerosq; Medicorum in contrariam sententiam abijsse. quod quidem idcircò contigisse arbitror, quoniam, cùm huiusmodi dogma de octomestris partus infelicitate inueterasset & tanquam in venis, medullisq; Aponensis, Gentilis, Barbarorumq; Medicorum insedisset, infelicisq; illius seculi hominum, in quo puriores literæ conticuerunt; difficile fuit postea quemquam inuenire, qui iacenti veritati manus admoueret; cùm plerunq; hæc soleat esse ratio philosophandi, vt aliorum auctoritatibus astringi patiamur. Id ego cùm palàm dicerem, ac prædicarem,*

postea

pòstea amicorum suasu, atq; , vt quantum in me est, publico bono, ac Societatis, vt par erat, vtilitati, veritatiq; ipsi consuleretur, scribere etiam coactus sum; ab hac ipsa occasione non modò compulsus ad hanc philosophicam scriptionem, verùm etiam & lacessitus. Non sum tamen nescius, cùm, quę summo ingenio, exquisitaq; doctrina magnus Medicinæ parens Hippocrates, Philosophorumq; Princeps Aristoteles de octomestris partus felicitate tractauissent, ea monumentis mandare proposuerim; fore, vt hic noster labor in eam statim reprehensionem incurrat, quòd quasi noua quædam commouere videamur, quæ sustinere non possimus; cùm axioma sit hac nostra tempestate apud omnes ferè tùm Medicos, tùm Philosophos sine vlla dissensione receptum, octauo mense genitos vita non potiri: vt multi sint, qui audax negocium, & ferè impudens nos suscepisse, dicant, si contra tantorum hominum auctoritatem disputare velimus. quem enim non terreret tanta Auctorum consentiens, conspirans, continuataq; cognatio? quem non cogeret, ea, quæ ab illis dicuntur, comprobare; nisi vnius illis auctoritas Aristotelis opponeretur? Agè restitero Iurisprofessoribus, qui orbem totum se regere dicunt? sustinuero Medicos tàm præclaros viros, atq; in peripatetica Philosophia, Hippocrate, & Galeno satis superq; versatos, quorum plerosq; & admiror, & diligo? certè horum neminem pro ueritate reformidabo uno fultus Aristotele; cæteri tot uiri, & tanti repudiati à nobis, condemnatiq; discedent. quos quidem nemo credat malè me accipere, ac figere maledictis uoluisse, uerùm illis (magnam molestiam suscipiens, sed necessariam) existimaui resistendum esse, ne ueritas perturbaretur, ac Philosophia. ego enim si aut ostentatione aliqua adductus, aut studio certandi ad hanc rem disputandam me applicaui, non modò stultitiam meam, sed etiam mores, & naturam condemnandam puto; nam si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiam coercetur; ego de tanta re aut certare cum alijs pugnaciter, aut frustrari tum alios, tum me ipsum uelim? Cùm igitur ad ueritatem omnem aciem intenderim, in hac tractanda quęstione meas cogitationes direxi, non ad illam paruulam Cynosuram

Qua fidunt duce nocturna Phęnices in alto

ut ait Aratus; idest non ad minutos quosdam Philosophos, ad uulgiq; opinionem, uel ad nugas leuissimas Arabũ Astrologorum; sed ad Elicem, & clarissimos Septentriones, idest ad grauissimas, firmissimasq; rationes ex Peripatetica schola excerptas, atq; ad ipsum Aristotelem; quem deseri à me in ulla re ad Philosophiam naturalem pertinente, dum quidem spirare potero, nefas iudicaui. atq; operæprecium me facturum duxi, si ea literis mandarem, quæ nec satis erant nota his temporibus, & erant cognitione dignissima, ueritatiq; summè consentanea; nihil est enim, per Deum, optabilius ueritate, nihil præstantius, nihil homini melius, nihil homine dignius, nihil menti demum ueritatis luce dulcius; præsertim in re naturæ tàm graui, ac obscura, qua ignorata, perturbatio rerum humanarum sequitur, & magna confusio.

Præterea excelentium ingeniorum esse naturale quasi pabulum considerationem rerum obscuriorum; quarum è numero hanc esse vnam, primasq; ferè tenere, quæ circa octomestrem partum versatur, nemo est, qui ignoret; eriguntur præclara in huiusmodi contemplatione ingenia, elatiora fiunt, clariora despiciunt, cogitantiaq; abdita, & arcana, alia exigua, & minima contemnunt; indagatioq; ipsa rerum tùm maximarum, tùm etiam occultissimarum summam habet oblectationem; & si aliquid occurret, quod verisimile videatur, humanissimæ completur animus voluptate. Nitamur igitur octomestrem partum esse vitalem ex Aristotelis sententia, etenim de hoc omnis est controuersia; ipsiusq; naturam diligenter ex eo quæramus, qua cognita fortasse verebimur posthac temerè opinari. Aristotelis namq; ad id probandum rationes adeò claræ sunt, ac probabiles, vt qui ei hac in re non credit, non tàm errare quàm insanire dicendus sit. quò enim potius vtemur aut auctore, aut teste quàm Aristotele, ad quem vnum de naturæ quæstionibus & obscuris, & incertis nemo est, qui dubitet esse referendum? & ad quem Philosphi ferè omnes semper retulerunt? & quemadmodum ipse omnes ante illum Philosophos refellere non timuit; eorumq; vulgò receptas opiniones confutauit; non dubitans prò veritate contra omnium sententias disputare; ita & nos non timeamus ipsius nixi auctoritate eos redarguere, qui illum in hac grauissima quæstione deseruerunt. neq; enim noui aliquid reperimus, sed emendamus hac in parte eorum dicta, qui ab Aristotele desciscunt; vtinam prospero flatu ad optatos exitus perueharmur. Hæc autem etsi non probātur in vulgus, etsi me ea sentire scio, quæ multùm discrepant ab opinione populari, ut ob id admirabilia, & παράδοξα appareant; tentare tamen uolui, possent ne proferri in lucem, idest in forum, & ita dici, ut probarentur; eòq; scripsi libentius, quòd mihi ista paradoxa maximè uideantur esse peripatetica, longèq; uerissima. Sed & nos à uulgi sectatoribus fortasse irridebimur; at & ipsi illos uicissim eludemus; aliorum postea sit iudicium, illorumq; præsertim, qui ingenij acumine, ac doctrina præditi peripateticam Philosophiam possident, & profitentur; hi enim uerè iudicare possunt, ad quorum iudicium præsertim elaborauimus: quandoquidem hanc ueritatem nunquam illi uidebunt, qui eruditum Peripateticorum puluerem non attigerunt. Demum (licèt irrideat si quis uult) plus apud me tamen uera ratio ualebit quàm uulgi opinio; non enim tàm Auctores in disputando, quàm rationum momenta quærenda sunt. Quantum autem in hac uentilanda quæstione, ea quæ quasi ad hanc usq; diem inuoluta fuerunt, ex Hippocrate & Aristotele apperientes, iustitiæ, ac ueritati profuturi simus, quam pleriq; Medicorum, ac Iurisprofessores in profundo penitus demerserunt, non facilè dixerimus; certè qui hæc nostra legerit, citò percipiet, quotquot octauo genitos uel abortiuos, vel imperfectos, vel non vitales, vel non legittimos partus pronunciauerunt (fuerunt autem hi tot viri, ac tales, vt eorum concursum facilè sustinere nequeas) longissimè à veritatis via aberrasse; vt vera

humani

humani partus natura (vereor ne subarroganter faciam, si id dixerim, sed ita tamen dicere est necesse) ad hęc vsq; tempora ignorata videatur; quam nos maximis laboribus, perpetuis vigilijs ex Hippocratis, & Aristotelis scriptis elicere, alijsq; clarissimè explicare conati sumus. Nam & quid (bone Deus) hucusq; à tot Auctoribus, quorum placita libro primo, & secundo recensuimus, de partus humani causa, cur solus homo & multiplex tempus habeat pariendi, & partum multiplicem, disputatum est, quod veram, solidamq; peripateticę doctrinæ dignitatem retineant? Quid de septimestri partu habuimus, quod tutò recipi possit? asserentibus alijs contra Hippocratis, & Iurisconsultorum decreta citius etiam quàm diebus 182. partum hunc suam recipere maturitatem, vitalemq; nasci (quin etiam, & quod magis est, ante septimum mensem humanum partum naturaliter vitalem gigni) alijs verò longè tardius gestari oportere; alijs demum non exigui nominis viris perfectissimum esse partum, & ex maximè concocta, robustaq; gigni materia statuentibus, & pleraq; alia similia monstra effutientibus ab Hippocratis, Aristotelisq; doctrina mirandum in modum dissentanea. Partum verò decimestrem nõne grauissimi Auctores imperfectissimum esse monimentis mandauerunt? ac de terminis gestationis ipsius quàm varia, quàm infirma, quàm aliena ab Hippocrate, & Aristotele docuerunt? & de vndecimestri idem dico; vt quid tanti viri senserint, quid Iurisconsulti horum auctoritate decreuerint, omnino lateat; cùm alij vndecimestrem omnem respuant, alij recipiant, ac simul duodecimestrem, & vltrà; alij decimestrem tantùm Hippocratem admittere dicant; & de tempore gestationis illorum maxima sit inter omnes digladiatio; adeò ut summos inter se Imperatores, & leges cum legibus certare hac in re doctissimi Viri existimauerint: quæ omnia absurda ijs intellectis, quæ nos docuimus, facillimè tolluntur. De octomestri verò quid tandem dicam; nam octomestris partus gratia de alijs disseruimus. Nos primi veram ex Aristotele ipsius naturam venati sumus. Nos primi fortissimis Aristotelis rationibus vitalem ac naturalẽ partũ esse, illũ demonstrauimus. Nos primi Hippocratem ab hac sententia (si modò rectè intelligatur) ne transuersum quidem, vt aiunt, digitum discedere ostendimus. Nos primi, quæ sit octomestriũ imperfectio, quæ imperfectionis causa, ex Aristotele enarrauimus. Nos primi, & ægrotationem ipsam, quæ nam sit, quæ octauo mense fœtum ex Hippocratis sententia vexare solet, & ægrotationis causam ex eodem Hippocrate apperuimus. de qua quot quantaq; mira contra omnem rationem ex Astrologis alij finxerunt? quibus explicatis si qui amplius inueniantur, qui negent, octomestres partus esse vitales; hos ipsa eripere vel opera, vel ornamenta naturæ, omnibus posthac arbitror fore perspicuum; uel potius etiam totam naturam euertere funditus, ipsamq; orbare potestate. Iam uerò de climatum, regionumq; temperamentis, de animalium ad loca ordine, & consensione; vt, quibus locis vitales magis, vel minus partus oriantur, assequamur; & quid ipsa loca ad ortum, partum, vitam,

fecunditatem, ac similia conferant, perdiscamus; item de quadragenarijs ipsis, de periodis partus humani varijs, de hebdomadarum decadibus; quam habeant partus tempora cum diebus decretorijs consensionem, quam causæ similitudinem; cur septenis diebus, mensibus, & annis tanta vis insit in efformando, moderandoq; humano corpore; quare dies, menses, anniq; crisimi inueniantur, & clymaterici; demum de tunicis fœtum inuoluentibus, de conceptione ipsa, eiusq; natura, quo ordine fiat, quam periodum habeat; vnde gestationis tempus auspicandum; de his, inquam, omnibus grauissimis, obscurissimisq; rebus nemo ante nos, quòd viderim, ea attigit (absit verbo inuidia) quæ ex Hippocrate, *&* Aristotele *attulimus, & disputauimus. Ex horum autem ignoratione, quot sequantur iniuriæ, quot immærentes, innocentesq; lædantur, omnibus est notum: quæ sanè cuncta si tanquam nostra, si tanquam noua dare profiteremur, iurè, & meritò maxima essemus digni reprehensione, vt qui de tantis rebus imbecillissimo ingenio præditi ausi essemus iudicare; sed cùm vetera esse profiteamur, ac vetustate antiquissima; ex diligenti, sedula, perpetuaq; per dies ac noctes animaduersione* Hippocraticorum, Aristotelicorumq; *locorum excerpta; vt nil dixerimus, quod clara cogenteq; eorum auctoritate, & ratione non probauerimus; certè si non laudandus est conatus noster, non videtur saltem despiciendus, quòd libentissimo, & allacri ob publicam vtilitatem animo, tot labores vltrò subire, ac sustinere non recusauerimus. Vale amice lector, atq; in re tantis difficultatibus referta præclarè agi, tecum ipse reputa, si in illa pertractanda plerunq; verisimile quid sit à nobis inueniatur. Sed iam vela pandamus orationis.*



DECEM SEQVENTIVM LIBRORVM. Περιοχαί.

PRIMI LIBRI. Περιοχή.

VT quisq; , quid quoq; libro contineatur , sub vno aspectu positum facilè perspiciat ; singulis libris περιοχὰς , idest rerum summas præfigendas , conscribendasq; duximus . Continet itaq; primus Bartholi , Baldi , Pauli de Castro , vtriusq; Socini , Alciati , Tiraquelli , Menochij , demum Iurisprofessorum opiniones circa Octomestris partus infelicitatem .

LIBRI SECVNDI.

SEcundus liber Medicorum placita de eadem quæstione refert , Aponensis , Gentilis , Fracastorij, Musæ , Gorræi , Mercati , Vallesij, Lalamantij, Valeriolæ , Capiuaccei , Mercurialis . quorum etiam inter disputandum sententias varias recitat de causa partus humani , de varijs temporibus maturitatis, ac de alijs similibus quæstionibus ad hanc pulcherrimam tractationem pertinentibus . his enim prioribus duobus libris necessarium fuit horum omnium Auctorum sententias recensere ; ne Aduersariorum tela silentio dissimulata, vel neglecta, dare possent suspicioni locum, adeò illa à nobis firma existimari , & explorata , vt nulla occurreret via resistendi .

LIBRI TERTII.

TErtius liber à Principe inuestigandæ veritatis, Aristotele videlicet, veram Octomestris partus naturam haurire conatur . itaq; & causam ex eo affert humani partus ; item quare homini & multiplex tempus , & partus multiplex datus sit , ex eodem explicat . de septimestribus , nonomestribus , decimestribus , vndecimestribusq; quid sentiendum sit , quærit . octauo genitos vitales esse probat . quæ sit eorum imperfectio docet , quæ causa imperfectionis . item ostendit hoc non tollere, quin vitales, naturalesq; partus debeant existimari . atq; hæc omnia non superstitiosè, atq; aniliter, sed physica constantiq; ratione. obiter de articulatione, deq; varijs in mare , & fœmina articulationis temporibus ex eodem Aristotele, & ex Hippocrate plura disserit . Demum ostendit Auerroem hac in re cum suo Doctore consentire.

LIBRI QVARTI.

QVartus liber , vt Aduersariorum ratio illa , quòd octauo geniti ex Aristotelis sententia in Aegypto tantùm vitales oriantur , ab eis diù multùmq; defensa , funditus tollatur ; vt quid , & quomodo loca ad ortum , partum , vitam , fęcunditatem animalium conferant , item ad contrarias affectiones , pernotescat ; vt horum omnium vera, ac solida fundamenta iaciantur : de climatum , regionumq; temperamentis plenisimè differit ; ac primùm de tanta re Hippocratis veram sententiam , obscurisimis tamen verbis ab eo explicatam, ex libro de Aere , Aquis, & Locis longè clarius, & longè aliter quàm hucusq; factum sit , aperire conatur ; mox Aristotelem in eandem abijsse ostendit opinionem . item plura ex Plinio , Ptolemæo , Vitruuio, alijsq; primæ notæ Auctoribus affert de hac quæstione . illudq; præsertim ex Hippocrate, & Aristotele explicat magnis tenebris inuolutum , cur in quinto climate homines virtute præstantes, ingenioq; singulares oriantur . interim etiam obscurisimum Aristotelis locum ex septimo Politicorum de Vrbium situ enarrans .

LIBRI QVINTI.

QVintus liber iam his præmissis , an loca vt similia , vel vt contraria gignant , feruentq; animalia, quærit . Vtrum calidioribus , vel frigidioribus locis eorum vita sit robustior , ac diuturnior , accuratè definit ex Aristotelis sententia . De animalium ad quatuor elementa ordine , & iuxta elementorum numerum partitione nonnulla ex eodem differit . quibus positis, & explicatis, quæ causæ secundum Aristotelem octauo genitos in Aegypto vitales magis reddant ; item quòd non propte-

rea ex illius sententia dicendum sit hos partus locis nostris non esse vitales, plenissimè monstrat. Demum de Hippocratis, Aristotelis, Herodoti, Diodori Siculi circa res Aegyptiacas, partusq; præsertim octomestres experientia nonnulla disserit.

LIBRI SEXTI.

SExtus liber iam Hippocrati dicatus, primùm ipsius loca octomestribus aduersa percenset; mox fundamenta iacit Hippocraticæ opinionis. quoniam enim Hippocrates eandem esse causam & iudicationis morborum, & partus, scriptum reliquit; iisdemq; diebus, & mensibus ægritudines, conceptionem, partum, abortusq; iudicari scripsit; totus est liber sextus, vt veram dierum crisimorum causam inueniat; vt hanc ostendat cum diebus decretorijs temporis partus consensione; vt periodos explicet, quibus tanquam mensura vti naturam in partu maturando Hippocrates existimauit. quibus ignoratis frustra laboramus veram ipsius sententiam de humani partus natura, ac præsertim octomestris intelligere. demum totus est positus, vt aperiat ex Hippocrate, Aristotele, & Galeno, cur septimis quoq; die, mense, & anno tantas humanum corpus mutationes experiatur; obiter climatericorum annorum causam adiungens: pluraq; de quadragenarijs, quare tantam habeant in fœtibus iudicandis potestatem, disserit; probans huius consensionis ratione, & quantum est periodi meritò humanum partum metientis, octauum mensem partionem habere omninò naturalem. qui labor ea etiam de causa necessarius fuit, vt facilius suo loco videri à nobis posset, quantum illud Medicorum omnium argumentum habeat virium; quia crisimorum dierum, & mensium partum iudicantium eadem est natura, idcircò octauũ mensem diei octauo respondentẽ partionẽ non habere naturalem.

LIBRI SEPTIMI.

SEptimus liber septimestris, nonomestris, decimestris, ac vndecimestris partus plenissimè ex Hippocrate, & Aristotele naturam aperit. Oraculum illud Hippocraticum obscurissimum, tàm decimestres, quàm vndecimestres septem fieri quadragenarijs, quomodo verum sit, enarrat. mensis, & anni quantitatem, qua vsi sunt Hippocrates, & Aristoteles in dimetienda gestatione, explicat: atq; obiter hac supposita tantùm & recepta mensis, & anni quantitate veram haberi computationem tẽporis monstrat Noetici Diluuij apud Mosem. Tempus ipsum gestationis vnde auspicandum docet. De menstruis quid sint, quam ob causam mulieri fluant, qua mẽsis parte, quot diebus durare soleant; de conceptione quid sit, quæ periodus ipsius, qua mensis parte naturaliter fiat, an sine menstruis fieri possit, plura ex Hippocrate, Aristotele, Galeno disserit his temporibus noua omnino, & inaudita. Demũ de causis ocyoris, ac tardioris maturitatis partus pleraq; affert. abstrusissima Hippocratis loca quædam explicat; ac de vltimo maturitatis termino secundum eundẽ agit. Quæ omnia necessaria erant ad veram Hippocratis mentem circa octomestris partus naturam assequendam.

LIBRI OCTAVI.

OCtauus liber trium illorum quadragenariorum naturam diligenter inuestigat, in quibus fœtum maximum subire periculum, scribit Hippocrates. quæritq;, cur hanc ipsi habeant præ cæteris proprietatem; & tandem aperiens de octomestri partu Hippocratis sententiam, consilium ipsius in libellis de septimestri, & octomestri partu patefacit; octauiq; mensis naturam explicat, & variam iuxta Hippocratis dogmata sedem monstrat habere. interim obscurissimum illud enarrans, quo pacto octauo mensi dies modò ex septimo, modò ex nono accedant, modò ex anno. Aegrotatio octomestrium quæ sit, quam ob causam oriatur, monstrat, & quòd non sit omnibus octauo genitis communis; obiter de tunicis fœtum inuoluentibus pleraq; scitu necessaria docens. Demum octomestres partus, qui per se tales sint, vitalissimos esse ex Hippocrate conuincit; quibus constitutis testimonia libro sexto adducta explicat, nihilq; octomestribus probat officere. addens loca quædam, in quibus Hippocrates videtur octomestres recepisse; item & nonnulla ad Polybi Hippocratis discipuli

puli

puli comprobandam de octomestrium vita opinionem; ad eaq; confirmanda, quæ ex Aristotele tertio libro de octomestribus dicta fuere.

LIBRI NONI.

Nonus liber Iurisprofessoribus resistit; Iurisconsultorum mentem aperit in legibus condendis, quæ ad tempora humani partus spectant. quæ verè sint, quæ rarò contingentia à legibus reijciantur, explicat diligenter. Cur à Iureconsultis partuum numerus sit deffinitus, inuestigat. interim plura de superfetatione, de vera natura geminorum disputans, ac Diuum defendens Augustinum à Recentiorum quorundam calumnijs. Auctoritatibus, rationibusq;, quæ à Iurisprofessoribus afferri solent, satisfacit; obiter Diui Thomæ de octomestribus sententiam diligenter aperiens. Quid propriè apud ipsos Iurisperitos abortus significet, ostendit, tùm etiam apud Medicos, & Philosophos; quid immaturus, imperfectus partus, & illegitimus; rursus quid perfectus partus, integrum animal, viuus perfectè nascens, & totus viuus veniens ad orbem. nullam esse rationem monstrat, cur octauo geniti ab illis refellantur, cùm nequaquam abortus, sed perfecti, legitimi, naturales, ac vitales partus iuxta legum decreta dici debeant, quibus disputatis omnem tollere circa decimestre, ac vndecimestre tempus ex legibus, atq; ex Hadriani, Iustinianiq; decretis conatur contrarietatem.

LIBRI DECIMI.

Decimus liber ea omnia diluit, quæ ad necem probandam octomestrium à Medicis collecta fallere nos possent probabilitate magna: quæ,quantaq; sint, in quibus ab Aristotele desciscunt in hac tractanda quæstione, aperit. Auicennæ sententiam diligenter inuestigat de septimestribus, octomestribus, nonomestribus; de Galeni opinione non leues affert ex quibusdam ipsius dictis coniecturas. Demum rationem à Saturni maligno influxu ductam ex veræ Astrologiæ fundamentis, ex Ptolemæiq; auctoritate reijcit; Cœlestis causæ cum sublunari consensionem in maturando partu explicat, octomestresq; hac etiam ratione vitales esse concludit. Hæc potiora sunt, quæ his decem libris continentur; in quibus etiam plurimę alię quæstiones his cognatæ enodantur, scitu vtiles, ac periucundæ.



De Octomestris Partus Natura librum septimum Illustris D. D. Federici Bonauenturæ Vrbinatis, nihil contrarium Sanctę Matri Ecclesiæ, aut quid aduersus bonos mores, vel contra Principem aliquem continere fateor, ac me illum vidisse, ac legisse, & pro fidei veritate me ipsum subscripsi. Dat. Vrbini die 9. Nouembris. 1599.

Frater Augustinus de Romano Lector.

Nos Marcellus Padoanus Archiepiscopalis Vicarius Vrbini attenta suprascripta fide, ac etiam zelo religionis, & excellentia doctrinæ perIllustris D. Auctoris supradicti libri; licentiam damus, & impartimur librum eundem imprimendi non obstantibus quibuscunq; &c. Dat. ex Ædibus nostris die 9. Nouembris. 1599.

Marcellus Padoanus Vicarius Generalis.

Ego Frater Bonauentura Monsbarotius Or. Mi. Reg. Obs. Theologus Generalis iussu Reuerendissimi Archiepiscopi Vrbinatensis vidi primum 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. & 10. libros de Octomestris Partus Natura admodum Illustris D. D. Federici Bonauenturæ Vrbinatis, & his fidem facio, nihil in eis (meo iudicio) esse, vel contra Christianos mores, vel contra Chatholicam fidem. Dat. Fan. die 17. Septembris. 1599.

Idem qui supra mea manu.

Attenta suprascripta relatione, & certam notitiam habentes de integerrima bonitate, & eximia scientia perillustris D. Federici Bonauenturæ, qui libros supranominatos scripsit; vt à quolibet impressore huius Ciuitatis, & Diœcesis imprimantur licentiam damus, & impartimur, &c. In quorum fidem, & c. Dat. ex Ædibus nostris die 19. Septembris. 1599.

Marcellus Padoanus Generalis Vicarius Vrbini, & c.



AD FEDERICVM BONAVENTVRAM LIBRI AVCTOREM.

Thomæ de Federicis Epigramma.

QVamuis te nono nondum ferat anxia mense
Mater, age, egredere, nascere fauste puer,
Nec malè prudentum leges, nodosq; sophorum
Formides, qui te viuere posse negant.
Assertore trahes Federico ac vindice vitam,
Quem Stagyrita docet, Cous & ipse senex.
Iudicium vitæ nullus ferat aptius illo,
Aegris dat cuius viuere certa manus.

Nicolai Vespæ.

HIppocrates quicquid docuit, Pricepsq; Lycęi,
Vt tibi par nullus sit, Federice tenes;
Præproperos pueros mater quos fœdula mense
Edidit octauo, viuere posse probas.
Hoc vt Ius non iure neget; te Iudice, dicet
Redditæ opes mihi sunt reddita vita Puer.

Pauli Thunni Epigramma.

OBscuræ interpres legis negat esse Parentis
Hæredem octauo mense satam sobolem.
At contrà egregiè Federicus comprobat, ore
Hippocratis magni, docti & Aristotelis.
O sophiæ decus eximium: dat Legibus illa
Leges, & Iuris imperat imperio.

Hieronymi de Calecis Epigramma.

FOeminei soluit ventris Lucina dolores,
Bis quater vt Phœbe cornua plena tulit.
Contendunt pariter Medici, Iurisq; periti,
An soboli vitam Parca benigna dabit.
Hic ait, ille negat, dirimis tu tanta sequester
Prœlia, Pæonij dux Federice chori,
Sic Medicina tibi, & Iuris prudentia debet,
Et gemina es dignus cingere fronde comas.

Vincentij Rapæ Epigramma.

NAscente puero lucem Natura tueri
Si dedit æthercam posse benigna Parens:
Bis quater implerit postquam sua cornua Phœbe;
Cur lex hunc patrijs orbat iniqua bonis?
Indignum: at docti reserans arcana Lycæi,
Hippocratisq; senis, hoc Federice vetas.
Iam Genitoris opes adiens admittitur Hæres,
Et tibi fert grates pectore, & ore puer.
At nō fama minus volitat tua, per quę hominū lex
Naturæ iustis legibus obsequitur.

AD FEDERICVM BONAVENTVRAM contra vulgatam de Octomestri Partu sententiam disputantem.

QVod vulgus Federice fugis, terrisq; relictis
Insolitam Princeps tendis ad astra viam:
Quid mirer? vetus ista tuę palma addita laudi est,
Ingenio, studijs, moribus, ore, manu.

ΕΣ ΤΟ ΣΟΦΩΤΑΤΟΥ ΦΕΔΕΡΙΚΟΥ ΤΟΥ ΒΟΝΑΟΥΕΝΤΟΥΡΑ περὶ τοῦ ὀκταμηναίου τόκου βιβλίον,

ΤΙΤΟΥ ΤΟΥ ΚΟΡΝΕΟΥ.

Παρ φύσεως νυ λαβοῦσα Θέμις τὰς πρὶν πολε θεσμοὺς
τὰς δε γένειτηρεῖν ὤπασε τῶν μερόπων.
Οὓς μετέπειτα φρεσὶν ἐνι, καὶ ἐν σήθεσι κείνων
ὤλεσεν ἀδμολίη θᾶσσον ἀμερσίνοος.
Τουνεκεν ὀυλυμπόν δὲ θεῶν ἕδος ἔπλατο δαίμων.
τοῖοτε χολωσαμένη τοῖον ἔλεξεν ἔπος.
Μήποτε ὡς ὑμᾶς ἐπάνειμι, Ζεὺς πρὶν ἐσ ὑμᾶς
ἄνδρα τὰ τῆς φύσεως πάντ' ἐπιδειξόμενον
Ουρανόθεν καθίσῃ. οὗτος δ' ἐῷ ἔμφρονι θυμῷ
μοῦ 'ξ ὑμῶν ὤσῃ τὴν ἄφρον ἀντίπαλον.
Δὴ ῥάσυ πὰρ ζηνὸς ΦΕΔΕΡΙΚΕ τοδ' ἦρεο κῦδος
τοῦ ξελάσ' ἀφροσύνην, τὴν τε δίκην προφέρειν.
Εμπείροις αὐτῶν πισεύετε νῦν ἐνὶ τέχνῃ.
ἰατὴρ αὐτοῦ τοῦ νομικοῦ κρατέει.

ΑΛΛΟ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Ογδόῃ ἐν μήνῃ παῖδ', ὃν τέκε πότνια μήτηρ,
κληρονόμον πατέρος βάρθολος οὐκ ἐθέλει.
Γράμμασι τῷ Φεδερῖκε μέγας τοὐτοισιν ἀμιώεις,
δεικνύων ἐτύμως κλῆρον ἔχειν πατέρος.
Αμφίβολον, βλάπτει πότερα πλεῖν βάρθολος αὐτὸν,
ἢ γράψας, μᾶλλον τόνδε συ ὠφελέεις.

ΠΑΥΛΟΣ ΘΥΝΝΟΣ.

Τίπτε δ' ἐν ἀλλήλοις νομικοὶ ἐριδαίνετε; μὴ οὐ
τῶν ὀκτὼ μηνῶν γίνεται εὖ τοκετός;
Τοῦθ' ἵνα εἰδῆτ', οὐχ ὑμῶν βίβλους ἀνάγνωτε,
τὴν ΦΕΔΕΡΙΚΟΥ ἀλλ' ἄρ δέλτον ὁρᾶτε μόνην.
Κεῖνος ἀριστοτέλους διδαχῆς ἐξ ἱπποκράτους τε,
τὸν τοκετὸν πιθανῶς ζώσιμον ἔμμεν' ἔχει.

ΔΟΜΙΝΙΚΟΥ ΑΓΚΑΙΑΝΟΥ.

Εξῆν παντὶ τὸ πρὶν περὶ ὀκτὼ μῆνας ἔχοντος
τοῦ τόκου, ἣν γνώμην ἤθελε, θυμῷ ἔχειν.
Εξῆν τόνδε λέγειν ἢ μὲν νεκρὸν, ἢ δὲ βιωτὸν,
τοῦτο γὰρ ἐν λογίοις ἦν πάνυ ἀμφίβολον.
Νῦν δὲ ἐπεὶ δῆλον Φεδέρικος πᾶσιν ἔπραξεν,
πείθεσθ', οὐκ ἔστιν νεκρὸς ὅδ', ἀλλὰ βιῶν.
Οὐδ' ἀγανακτεῖτε γνώμῃ τοῦ ἀνδρὸς ἕπεσθαι,
πᾶν γὰρ ὃ ὅς φησιν, πᾶς σοφὸς ἄν τόγε φῇ.

CATHALOGVS AVCTORVM, QVI IN HOC OPERE CITANTVR, QVORVMQVE LOCA, & opiniones, vel explicantur vel confutantur.

Gadaldinus

G

Gadaldinus.
Galenus.
Gallus Aquilius Iurisconsultus.
Geminus.
Gentilis.
Georgius Trapezuntius.
Glaucias.
Glossæ in leg.
Gorræus.
Gulielmus Budæus.

H

Hadrianus Imperator.
Haly Abas.
Harpalus.
Henricus de Gandauo.
Henricus Stephanus damnat. auct.
Henricus Rantzouius.
Heraclides.
Herodotus.
Herophilus.
Hesichius.
Hesiodus.
Hieronymus Fracastorius.
Hieronymus Capiuacceus.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Cardanus.
B. Hieronymus.
Hippocrates.
Hippon Metapontinus.
Holoander.
Homerus.
Horatius.
Horatius Eugenius.
Hugo.

I

Iacobus Cuiacius.
Iacobus Zabarella.
Iacobus Rueffus.
Iacobus Menochius.
Iacobus Concennatius.
Iacobus Foroliuiensis.
Ianus Cornarius damnat. auct.
Ioachimus Camerarius damnat. auct.
Ioachimus Perionius.
Ioannes Regiomontanus.
D. Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Costæus.
Ioannes Baptista Pius.
Ioannes Lalamantius.
Ioannes Picus Mirandula.
Ioannes Leo Apher.
Ioannes Fernelius.
Ioannes Manardus.
Ioannes Baptista Rasarius.
Ioannes Valuerdes.
Ioannes Bodinus damnat. auct.
Ioannes Iandunus.
Ioannes Argenterius.
Ioannes Botherus.
Iosephus.
Iulianus Iurisconsult.
Iulius Cæsar Scaliger.
Iulius Pollux.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Firmicus.
Iustinianus Imperator.

L

Lapridius.
Laurentius Valla.
Leonardus Aretinus.
Leonicus.
Leuinius Lemnius.
Longinus Platonicus.
Lucius Bellantius.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Molina.
Ludouicus Septalius.
Ludouicus Strebeus.
Ludouicus Buccaferrea.

M

Macrobius.
Marcus Tullius.
Marcus Antonius Zimara.
Marius Salomonius.
Marsilius Ficinus.
Marsilius Cagnatus.
Martianus Rota.
Mascardus.
Massurius.
Matthæus Curtius.
Matthæus Afflictus.
Michael Scotus.
Modestinus.
Mondragonensis.
Montanus.

N

Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Calaber.
Nonius Marcellus.
Nouellæ Constitutiones.

O

Olimpiodorus.
Origenes.
Ouidius.

P

Pallada Poet.
Panetius.
Parisius.
Paulus Iurisconsult.
Paulus de Castro.
Paulus Aegineta.
D. Paulus Apostolus.
Perotus.
Petrus Aponensis.
Petrus in Sententias.

Petrus

INDEX
DISPVTATIONVM ET RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN SINGVLIS HVIVS OPERIS LIBRIS TRACTANTVR, QVI ET CAPITVM FERE ESSE POTEST.

Numerus prior paginam, secundus columnam indicat.

IN PRIMO LIBRO.

IN SECVNDO LIBRO.

IN TERTIO LIBRO.

IN QVARTO LIBRO.

57 Dispu-

IN SEXTO LIBRO.

IN SEPTIMO LIBRO.

108 Quòd

160 Quo-

IN OCTAVO LIBRO.

IN NONO LIBRO.

44 Alia

IN DECIMO LIBRO.

FINIS.

INDEX
ALPHABETICVS RERVM ET VERBORVM MAGIS INSIGNIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam indicat.

A

dum

B

non

Debilitas

D

Decime-

E

F

H

Hebdoma-

Homo

I

L

M

Nascuntur

N

Nono-

O

Octome-

Originalis

consul-

Q

Qua-

R

Regionem

S

T

V

Vnde-

FINIS.

INDEX GRAECARVM DICTIONVM, QVÆ IN HOC OPERE SPARSIM LEGVNTVR; ITEM EARVM, QVAE INTER DISPVTANDVM citra enodationem relictæ sunt, interpretatio.

Numerus prior paginam; secundus columnam indicat.

A

ἔκπλω-

ΤΕΛΟΣ.

CORRIGENDA, ET ADDENDA.

Prior numerus paginam, ſecundus columnam, tertius lineam indicat; in lineiſq; numerandis, non eas tantùm, quę ſcriptę ſunt, ſed etiam illas, quę ſunt vacuę, numerato.

Pag.	Col.	Lin.			
8.	2.	39.	*quoq;*	*leg.*	*quaq;*
13.	2.	47.	παραιούμενον		περαιούμενον
16.	1.	38.	*& ob id decretorius*		*& ob id non decretorius*
17.	1.	47.	*octuageſimo die*		*octuageſimo ſecundo die*
27.	1.	13.	*nonnulli*		*nulli*
31.	1.	32.	*in ſanguinis*		*cum ſanguinis*
44.	1.	29.	*fiendam*		*faciendam*
50.	2.	22.	ἐκθρωσμὸν		ἐκτρωσμὸν
56.	2.	23.	*ideſt generatur*		*ideſt generantur*
57.	1.	37.	*huius capitis*		*ſecundi capitis*
71.	1.	23.	*quia poſſet*		*quia poſſent*
75.	1.	28.	*infixis*		*infiſſis*
82.	1.	30.	*in margine adde*		*Prob. 16.*
85.	1.	16.	*hanc tota*		*hanc totam*
86.	2.	23.	*pro interogatiuo ?*		*pone ſemicirculum cum puncto ſic ;*
89.	2.	41.	*magnaq; ex parte ſingulos*		*magnaq; ex parte ; vel ſingulos*
103.	1.	36.	*nonomeſtre*		*nonomeſtrem*
105.	1.	49.	*complurimum*		*vt plurimum*
123.	1.	53.	*in margine adde*		*cap. 4.*
131.	1.	48.	ἀλίσχεσθαι		ἁλίσκεσθαι
132.	2.	48.	49. γόνημα, & γόνημος		γόνιμα. & γόνιμος. *& ſic alibi*
137.	2.	13.	*indigeat*		*indigeant*
140.	1.	49.	*deſcendat*		*deſcendant*
150.	1.	44.	*priorem*		*poſteriorem*
155.	2.	21.	*malè indigeſtam*		*malè digeſtam*
158.	2.	33.	ψυκρότητα		ψυχρότητα
159.	1.	37.	διαταχέως		διαταχέων
162.	1.	13.	*in marg. pro cap. 9.*		*cap. 29.*
170.	1.	42.	*non poſſit*		*non poſſint*
203.	2.	55.	*hoc vocet*		*hos vocet*
204.	1.	48.	*contraditionis*		*contradictionis*
212.	1.	4.	*redigerunt*		*redegerunt* (reijcienda
213.	1.	39.	*Item oſtenditur & c.*		*Hęc omnia verba in titulū ſequētis capitis 36. ſunt*
218.	1.	28.	*gignatur*		*gignantur*
239.	1.	50.	ἡσιχίαν		ἡσυχίαν
241.	1.	1.	ψυκροῦ		ψυχροῦ
253.	2.	52.	*maior ſalubritatis*		*maioris ſalubritatis*
256.	2.	17.	τὸ ἤδη		τὸ ἡδύ
258.	1.	9.	*latitudinem*		*latitudine*
270.	1.	4.	*aut proprius*		*aut propius*
281.	1.	6.	ἐπὶ τοῦτον		ἐπὶ τούτων
285.	1.	23.	*circa lunam*		*apud lunam*
310.	1.	45.	*hominis tenuiora*		*hominum tenuiora*
324.	1.	50.	*efficientis*		*efficiens*
327.	2.	5.	*efficienti*		*efficiente*
387.	2.	44.	ἑβδόματι, καὶ εισιν		ἑβδοματικαὶ εἰσὶν
391.	2.	44.	*vndecimi diebus*		*vndecim diebus*
405.	1.	7.	*tolluntur dubitationes.*		*tolluntur rationes.*
414.	1.	44.	*octauageſimo*		*octuageſimo*
414.	2.	46.	*in teritum*		*in tertium*

Pag.	Col.	Lin.		
415.	2.	7.	*in margine adde*	*part. 7.*
416.	1.	57.	ἐφυβοι	ἐφηβοι
416.	2.	8.	ὕβην	ἥβην
418.	1.	22.	*inubeant*	*inubeant*
421.	1.	44.	*coõmunes*	*communes*
426.	1.	53.	*in homine etiam*	*in homine ferè etiam*
427.	2.	56.	*videant isti*	*videantur isti*
431.	1.	22.	*Ephimero*	*Ephemero, & sic vbiq;*
432.	1.	22.	*iudicandi*	*iudicandis*
432.	2.	28.	*graduum* 180.	*graduum.* 120.
440.	1.	34.	*nosta*	*nostra*
446.	1.	20.	*pari benè indicet*	*impari benè iudicet*
446.	1.	37.	*post illa, pręter naturam. hęc omnia adijcienda.* Secundo modo & rarius: & si ad malum iudicarent, esset pręter naturam.	
472.	1.	1.	*intelligendum*	*intelligendam*
475.	1.	42.	*maiore*	*maiorem*
477.	2.	46.	ἀδρυνούμενον	ἁδρὸν
535.	2.	57.	*vt Cornarium*	*adde*, damnatum alioqui auctorem.
561.	1.	16.	*in margine adde*	*cap.* 1.
597.	1.	28.	ἤκρυον	*legit Aldus* ἔκρυσις
597.	1.	29.	ἔκρωμος	*legit Aldus* ἔκτρωμα
607.	1.	36.	*desiniere*	*definire*
630.	2.	36.	κατέσῃ	καταστῇ
633.	2.	47.	*superest post conceptionem*	*antecedit conceptionem*
651.	1.	1.	*absolutam*	*absolutum*
653.	1.	18.	*non*	*nostra*
668.	2.	46.	*diuina*	*diuini*
673.	2.	36.	*postq;*	*postquam*
691.	2.	29.	*omnia*	*omnes*
697.	2.	22.	*post vocem obseruatione, hęc omnia adijcienda.* Atq; quod de mense septimo dicimus, de quadragenario quinto dictum ex Hippocratis sententia intelligatur.	
698.	1.	13.	*in memoria*	*in memoriam*
698.	2.	37.	*post vocem illam, diruptione, hęc adijcienda.* mensis septimus & quintus quadragenarius eadem die finem habent.	
703.	1.	29.	φυλαυτια	φιλαύτια
704.	2.	10.	*statuêre*	*statuere*
707.	1.	7.	*Post verbum, iudicentur, hę omnia adijcienda.* Cùm autem hoc ex proximis mensibus incrementum octauo conueniat primò ac per se, antecedentibus mensibus non conueniat, sequentibus verò conueniat octaui ratione; meritò Hipp. hanc tribuit soli octauo conditionem.	
722.	1.	11.	*fœtus partus*	*fœtus partes*
732.	2.	6.	*membranam*	*membraneam*
732.	2.	36.	*instans*	*instar*
736.	1.	24.	ὠλλαντοειδὴς	ἀλλαντοειδὴς
744.	1.	20.	*octauo*	*septimo*
751.	1.	16.	γόνος	γονός
753.	1.	36.	*in marg. pro cap.* 117.	*cap.* 17.
759.	2.	49.	*octomestris*	*octomestri*
772.	1.	12.	*post illa, quatuor mensibus, pone punctum sic. in quatuor mensibus. similiter etiam. & c.*	
773.	1.	21.	*minores septimestres*	*maiores septimestres*
794.	2.	11.	συλλήψιες	συλλήψεις
813.	1.	7.	Plinij Socini	Plinij Solini
818.	1.	2.	*quarto Historiarum*	*septimo Historiarum*
830.	1.	43.	*mulieri*	*mulieris*
834.	1.	11.	*& si*	*etsi*

859.	2.	5.	*esse*	*fuisse*
861.	1.	10.	*dubitatio*	*disputatio*
888.	1.	14.	*& si*	*etsi*
918.	2.	30.	ἀμφισβητοῦν	ἀμφισβητεῖν
927.	2.	22.	*nam tempus*	*iam tempus*
934.	2.	22.	ἐκτεξὴν	ἔκτεξιν

ADMONITIO AD LECTOREM.

Cęteros, qui aderunt, errores tàm ad gręcam quàm ad latinam orthographiam, & prosodiam pertinentes; pręsertim interpunctionum, litterarumq; maiorum pro minoribus, minorum pro maioribus, accentuum, spirituum (in quibus sępe est peccatum) diphtongorum; demum vniuscuiuq; litterulę, quoquomodo immutatę, vel pretermissę; qui nec legentem retardare, nec sensum alterare possunt; ęque lector facilè emendabis: si autem grauiores, tùm in verbis, tùm etiam in rebus ipsis errores deprehendes, quos non animaduerterimus; candidè nobis imperti, & homines nos esse cogita. Vale, nostrisq; laboribus felices successus precare.

FEDERICI BONAVENTVRAE VRBINATIS DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA ADVERSVS VVLGATAM OPINIONEM.

LIBER PRIMVS.

Bartholi, Baldi, & Pauli de Castro opinio de partu octomestri recitatur. quæ sint tempora partus naturalia secundum Bartholum. obiter pulcherrima quæstio ex eodem. Item de anno luctus quædam, & cur institutus. Cap. I.



QVAERENTIBVS nobis de aliorum sententia octomestris partus naturam, ordiendum videtur à Proceribus Iurisprofessorum; quorũ de ipsius infelicitate ita clara iudicia, & certa sunt, vt si optio illis detur, & ab eis aliquis requirat, contenti ne sint suis rationibus, an postulent melius ad eius perniciem aliquid, & firmius, non videam quid quærant amplius. Vt autem facilius ea, quę ab illis de octaui mensis natura disseruntur, assequamur; in medium proferemus, quæ solent ipsi circa pariendi tempora mulieri à natura præfinita disputare. qua in re admonendi mihi lectores sunt, me ea tantùm ex eorum scriptis esse allaturum, quę vel naturalis rationis aliquid habent, vel philosophorum, medicorumq; auctoritate fulta sustinentur: cætera legum professoribus relicturum esse, quæ iuris sunt propria. Porrò inter hos primus meritò sese mihi Bartholus offert, qui adeò reliquos auctoritate antecellit, vt eius verba vim legis habere videantur: ac ipse quidem auctor cum antiquis illis sit Iureconsultis comparandus. Bartholus igitur in l. GALLVS in principio, etsi nominatim octauum mensem (quòd viderim) nõ refellat tanquam illegitimum, ac minimè vitalem: attamen, quoniam septimum tãtum, nonum, & decimum veluti naturales videtur recensere, creditur propterea octauum ipsum reiecisse; adeò vt Alciatus in l. QVI MORTVI eum in testem adducat ad necem octomestribus infligẽdam. quærens enim Bartholus ibi, vtrum aliquis per duos dies post decem menses natus, dicatur legitimus partus; & inquiens hoc videri controuersum; cùm Glossa vna partum hunc de nonnullorum medicorum sententia tanquam legitimum recipiat, idemq; alibi statuat; alia verò Glossa in l. SEPTIMO MENSE contrarium decernere videatur: vt motam dissoluat quæstionem, præmittit, tempus perfectum partus triplex esse; ac primum quidem tempus septem esse mensium, partumq; eo tempore editum legitimũ esse, vt patet ex dicta l. SEPTIMO MENSE, & ex l. INTESTATO. Secundum tempus perfectum nouem esse mensium, in quo inquit omnes consentire. Tertium tempus decem esse mensium. quod etiam notat cõmuniter esse receptum, licèt Glossa dissentiat. His positis adiungit, Cynum, dum scriberet super l. SEPTIMO MENSE, Gentilem medicum consuluisse, à quo responsum accepit, etiam paucis diebus post decem menses partum posse legitimum exoriri: licèt adderet in duodecimo, atq; in decimotertio mense mulierem parere posse, sed omnino rarò; quod tamen iura nequaquam admittere inquit Bartholus, id vocans admirabile. Cæterum his ita constitutis, patet primum de ipsius sententia ad propositam quæstionem esse ex Gentilis autoritate respondẽdum, partum illum, qui exacto mense decimo, post duos dies in lucem venit, omnino legitimum arbitrandũ esse. Deinde apparet nõ leui coniectura, cùm inclusio vnius esse alterius exclusio videatur, octauum mẽsem, de eiusdem Bartholi opinione, inter perfecta partus tẽpora nõ esse recẽsendũ: cùm ipse reliquos enumerans, mẽses hunc prętermittens, tanquam imperfectum tempus eum iudicare videatur. atq; hæc de tempore humani partus secundum Bartholum. cuius tamen quæstionem pulcherrimam, & dignissimã scitu nolumus præterire: quærit .n. ipse eo loco, si mulier mortuo viro cum alio post duos dies congrediatur, & pariat legitimo tempore, cuiusnam partum esse dicendum sit; an primi viri, an secundi, cùm alterutri esse posse videatur. cui quæstioni occurrit, inquiens nonnullos respondere, distinguendum esse in cuius domo puer nascatur:

ff. de liber. & posth.

ff. de Verb. signif.

In Aut. de Rest. & ea quę parit. in vnd. men. ff. de stat. hom.

ff. de suis & legit.

ſcatur: alios, ſtandum eſſe matris teſtimonio, vt leges decernunt: horum tamen reſponſionem eſſe nullam, quoniam mater falli poſsit, vt in alijs legibus definitum inuenitur. alios demum dixiſſe, primò eſſe inſpiciendum, cui aſsimiletur: quòd ſi nulla intercedat ſimilitudo, in cuius domo natus ſit, eſſe videndum. quorum etiam placitum refellit Bartholus, quia ſimilitudo non probet ſufficienter; cùm ex mulieris cogitatione, vt ipſe docet, conceptionis tempore ſimilitudo ipſa contrahatur; vt ob id poſsit contingere alteri partum eſſe ſimilem, cuius nõ ſit filius; vt ex l. QVAE RET ALIQVIS, & ex l. NON SVNT LIBERI elicitur. quibus reiectis reſpondet ipſe, prius inſpicienda eſſe conceptionis ſigna, quæ ſi appareant, antequam altero viro iungatur mulier, ad priorem virum pertinere partum, non eſſe dubitandum; ſi non appareant, ſtandum eſſe conſuetudini mulieris in quanto tempore conſueuit parere; argumento l. NON OMNES. quòd ſi id non conſtet, tùm rem eſſe committendã medicis, vel obſtetricibus tanquam in arte peritis, vt leges decernunt: ex qualitate enim perſonæ poſſe medico perſuaderi. demumq; ſi id nequeat haberi, recurrendum eſſe ad illud, quod frequentius accidit. Hæc Bartholus: ex cuius diſputatione manifeſtum eſt, quàm rectè, quàm prudenter cautum fuerit l. SI QVA EX FOEMINIS, mulieres mortuos viros decẽ menſibus lugere, & interim viduas manere: rectiſsimè enim fuit id inſtitutum, vt Baldus aliquando dicebat, ne, quia puer geſtatur in vtero decem menſibus, oriretur dubitatio circa partum; proindeq; ne naſceretur ſobolis confuſio: vt meritò id tempus à morte prioris viri ad ſecundas nuptias ſtatutum fuerit. quibus omnibus ex Tiraquello in l. SI VNQVAM textum in l. LIBERORVM addere poſſumus. Verùm hæc obiter dicta ſint, quæ ad diſputationem noſtram aliquid facere, licèt videantur aliena, ſuo loco demonſtrabimus. Sequitur Baldi opinio explicanda, qui in l. EA QVIDEM octomeſtres partus neceſſariò interire protulit; vt inter omnes Iuriſprofeſſores maximus octomeſtrium hoſtis eſſe videatur: ita enim ſcripſit loco illo. „Notorium naturæ procedit in his, quæ diſpoſita ſunt ſecundum naturam; vtputa quòd omnes debemus mori, vt C. De contrahen. & commit. ſtip. l. non moriturum: & quòd ſi aliquis viuit, ergo nõ fuit natus in octauo menſe; quia impoſsibile eſt ſic natum viuere ſecundum medicos: & iſtud tale notorium in ſuo genere eſt neceſſarium notorium, nec aliquo modo poteſt ignorari: quia circa ea, quæ iuris, ſeu inſtitutionis naturalis ſunt, non cadit ignorantia.„ Hæc Baldus: apud quem, vt videmus, non minus notum, certum, ac neceſſarium eſt octauo menſe ad orbem viuum deuolutum breui interire oportere; aut qui viuit diutius, non fuiſſe octauo menſe editum, quàm certum eſt, ac neceſſarium mortales cunctos diẽ ſuum eſſe obituros. eandemq; ſententiam tenuit Baldus Socino Iuniore referẽte in Reſponſis. neq; ab horum opinione Paulus de Caſtro videtur receſsiſſe, dum in l. VXORIS ABORTV legitimos menſes ſeptimum tantum, nonum, ac decimum agnoſcit; ac partum in illis editum, vitalem eſſe, legitimum, atq;, vt ipſe loquitur, ſecundum curſum naturalem: vt octauum omnino hic auctor recipere nõ videatur, ea quidem permotus ratione, quòd partus in illo editus, tametſi viuus naſcatur, viuere nequeat; partus verò qui naturaliter viuere non poteſt, licèt viuus edatur, cenſeri debeat abortiuus, vt ipſe ſtatuit. quod quidem axioma, partum videlicet, qui viuere nequeat, etſi viuus naſcatur, abortiuum eſſe appellandum: puerumq; ſic natum, pro non nato habendum, primus hic auctor videtur inter Iuriſprofeſſores enunciaſſe, vt nonnulli recentiores adnotarunt. Sed de Bartholo, Baldo, ac Paulo de Caſtro ſatis, nũc alios audiamus.

ff. de ſtat. hom. — §. à Barbaris ff. de Re mil. — l. 1. §. 1. ff. de ventre inſpicien. — Auth. 2. C. de ſecund. nuptijs. — l. Conſenſu. C. de Rep. — C. de reuoc. donat. verb. ſuſcep. liber. num. 210. — §. 1. ff. de his qui no: infa. ibi pręter. — C. Si Mancip. — Conſ. 113. & 278. — C. de poſth. hæred. inſt.

Socini Senioris de menſibus partui dedicatis ſententia explicatur. quis ſit perfectus, & legitimus partus ſecundum illum; quis abortiuus. obiter an octogenarij filius ſpurius ſuccedat. pulchra ex eodem diſtinctio de naturæ operibus. Cap. 2.

SOcinus Senior vir omnium inter Iuriſprofeſſores, quos ego viderim, in hac materia acutiſsimus; in l. CVM AVVS quærens ſi quis relicta vxore pręgnante deceſſerit, quæ in quinto, vel ſexto menſe peperit filium viuum, qui tamen ſecundum naturam viuere non poterat, & ſic ſtatim poſt mortuus eſt; an talis filius deficere faciat conditionem fideicõmiſsi; nonnulla differit de perfecto, ac legitimo partu accuratè animaduertenda. ac primum notat ex l. SEPTIMO MENSE ante menſem ſeptimum non dici partum perfectũ; ideoq; infantem eo tempore editum iuris diſ-

ff. de condi tio. et demõſtratio. nu 110. — ff. de ſtatu hom.

positione dici abortiuum; argumento l. Vxoris Abortv. vbi quod dicitur in abortiuo, idem videtur asserendum in eo, qui viuere nequit: sequitur enim, si ille, qui viuere non potest, abortiuus partus censendus est, genitum ante septimū mensem esse abortiuum, quia viuere non possit. ex quibus concludit non facere sic in lucem editum; deficere conditionem, quia abortiuus l. Ex Facto id non operatur. Quòd si quis obijciat ex l. Qvod Dicitvr, vbi habetur licèt posthumus non sit natus integrum animal, si tamen nascatur cum spiritu, præteritum rumpere testamentum; quem locum Angelus explicans, inquit intelligi non integrum, quando nō habet omnia membra rectè formata, fortè propter tempus, quia non est adhuc septē mensium; respondet breuiter Socinus totum id intelligendum esse, habere locum, quando, vt ipse loquitur, est perfectus homo, ita quòd debito tempore steterit in vtero. quibus ita constitutis sic demum

C. de Posth. hæred. inst.

§. si quis autem ff. ad Treb.

ff. de liber. & posth.

„ concludit; Et pro ista parte iterum consului adducendo textum in dicta l. Vxoris abortu: vbi partus abortiuus habetur, ac si non esset natus. Sed talis partus licèt viuus nascitur, dicitur abortiuus: vt ostendit mihi doctissimus medicus hoc de Sententia Galeni super 3. Aphorismorum c. 13. & super 5. comm. 37. & c. in hoc standum est eis in dicta l. sept. mens. Confirmabam, quia talis partus non dicitur perfectus. casus est in dic. l. sept. mens. Sed textus in d. l. penultima requirit, quòd perfectè nascatur, ad hoc, vt statim moriendo rumpat. Item & talis partus imperfectus dicitur abortiuus, vt dicit summus Mathematicus Iulius Firmicus in 6. Matheseos, & referunt Glosatores Bononienses super Suetoniū, in vita Octauij, in cap. de reformatione Senatus. Postremò adducebam ea, quæ habetur in l. si mulierem. ff. ad l. cor. de sic. & in l. Diuus ff. de extraord. crim. in c. sicut ex literarū extra de hom. & in cap. aliquando cum seq. xxxij. q. ij. & c. consului ij. q. v. in quibus habetur, quòd tenetur de homicidio, qui fecit, quòd mulier faciat abortum, & ipsa etiam tenetur, si operam dederit, vt abortum faceret, & patrem liberis priuaret. Vnde pondero, quòd iura non distinguunt, si eijciendo partum, nascatur viuus, vel non; & tamen clarum est, quòd aliquando eijciunt partum viuum, qui tamen viuere non potest, vt experientia docet, quæ est rerum magistra: vt in c. quam sit de elec. libro vi. & tamen dicunt simpliciter quòd tenentur de morte, & appellant partum abortiuum. Præterea pondero tex. in d. l. Diuus loquendo de partu abortiuo, qui dicit quòd patrem liberis priuauit; priuasse autem dicitur, siue nascatur mortuus, siue viuus, qui tamen viuere non potest: & hanc opinionem, secundum quam bis consului, tutiorem puto. Hæc Socinus; ex quibus omnibus habemus, partum abortiuum de huius viri sententia, siue viuus edatur, siue non, testamentum non rumpere, ac haberi pro non nato; abortiuum verò esse partum imperfectum; partum demum imperfectum illum esse appellandum, qui ante mensem septimum prodierit in lucem. Neq; est illud alterum prætereundum, quod ipse loco illo animaduertit; nempe l. Septimo Mense, & l. Qvod Dicitvr de Alexandri sententia loqui, vt verbis ipsius vtar, „ quoad effectum cognoscendi, an quis sit „ natus ex iustis nuptijs, & non quoad effec- „ tum rumpendi testamentum; atq; eodem „ sensu accipiendum esse textum in l. Intestato. hæc igitur de genitis ante septimum mensem Socinus. Tertio autem volumine consiliorum nonnulla, licèt aliud agens, affert, quæ ad dissoluendam hanc quæstionem, ad Iurisq; peritorum tutandam opinionem mirum in modum conducere vidētur: querens enim ibi hic auctor, an spurius dictus filius octogenarij senis habeatur pro filio, si probatur matrem alijs se commiscuisse; respondet se à physicis accepisse, licèt possibile sit in nostris regionibus, concurrente qualitate complexionis, virum octogenarium generare; nihilominus secundum communiter accidentia, arbitrandum esse, virum hunc generare non posse, Medicis verò standum tanquam peritis, in arte decernere l. Septimo Mense. & l. Qvod Semel. quibus ita constitutis, addit in materia successionis, si dubitatur, an aliquis sit ex aliquo; necesse esse, quòd potuerit naturaliter generari secundum communiter accidentia, & non sufficere, ad hoc, vt illi succedat, quòd potuerit ex illo concipi naturaliter secundum possibiliter accidentia; atque sic inquit Socinus se scripsisse in l. Gallvs ad intelligentiam l. Intestato, & textus Authenticæ, de Restitutione & ea quæ parit, & c. quo loco testatur rursus se vidisse consilium quoddam insignis physici Gētilis de Fulgineo, ibi relatū per Doctores, in quo Gentilis docebat de Hippocratis mente, partum nō posse transgredi mēses de-

ff. de statu hom.

ff. de liber. & posth.

§. fin. ff. de suis, & legit. in uerbo iusto tēpore.

Cons. 65.

ff. de statu hom.

C. de re milit. lib. xij. et in C. proposuisti vbi latè extra de prob. cū sim.

ff. de liber. & posth.

ff. de suis, & legit.

ses decem; Aristotelem verò, & Auicennam esse arbitratos mulierem mense vndecimo, duodecimo, & decimotertio parere posse; verùm opinionem hanc non procedere secundum communiter accidentia, licèt possibile sit ad menses vsq; illos partum proferri, ac gestari. vnde notat Socinus, Legislatorem Hippocratis opinionem sequi in materia successionum, vt patet in dict. l. INTESTATO; cùm iura statuant post menses decem, ac dies duos editum, legitimum non dici in successione: quoniam leges, vt plurimum ad ea, quæ frequenter accidunt, aptantur, vt l. NAM AD EA scriptum legimus; licèt possibile sit in duodecimo etiam mense hominem edi; quod enim frequentius euenit legem spectare: proinde Bartholum in l. GALLVS in casu illo, in quo natus potest cuilibet viro attribui, statuere, in eiusmodi re dubia attendi oportere quod frequentius euenit.

ff. de leg.

Quid ex superiori Socini disputatione de octomestri partu concludendum. Obiter Parisii de octauo genitis sententia. Cap. 3.

Hæc Socinus; ex cuius disputatione duo maximi momenti sunt nobis eliciendà. Primum, regiones, ac illarum positum ad cœlum, & temperaturam esse inspiciendam in his rebus iudicandis. Secundum, non satis esse, quòd res possit à natura fieri, vt à lege admittatur. quibus positis, oritur ratio, quæ ferè videtur vim habere demonstratiuam aduersus octomestres: dicere enim poterint Iurisprofessores, esto quòd concedamus octomestres partus gigni aliquando, rarenterq; vitales nostris locis, tamen quia naturaliter tales nascuntur in nostro tractu non secundum communiter accidentia, sed secundum possibiliter accidentia, idcirco meritò repudiantur. cum enim adeò magna sit naturæ potestas, vt mira posse videatur, (tàm lógè à consuetis operibus interdum discedit, ac nouis producendis studet) poterit fortasse euenire, vt mulier quædam ex viro ob temperamenti robur octomestrem concipiat, qui non solum viuus edatur in lucem, sed etiam adolescat; verùm quia id rarissimè factũ videbitur à natura, habetur ac si ab ea factum non fuisset; octomestres verò omnes, vel non posse vitales edi, vel omninò raro, id & Medicis, & Philosophis est receptissimũ. quamobrem nil etiam probabunt aduersus Iurisprofessores, qui aliquando vitalem posse naturaliter edi octomestrem demonstrabunt, nisi & hoc alterum etiam ostendant, eos vt plurimum à natura produci, quod videtur inopinabile. Verùm hæc infra suo loco, in quo ea omnia, quæ ex ditissimo Iuris penu adducimus, ventillanda erunt. Illud tantum obiter impræsentia non est prætereundum, quod diximus, octomestrem partum secundum possibiliter (vt isti vocant) accidentia, vitalem gigni; hocquoq; non obscuros Iurisprofessores nulla esse ratione concessuros; nam & Parisius in Responsis, Baldi secutus, & Pauli de Castro, vt ipse inquit, auctoritatem, statuit octauo mense editum, & duobus etiam diebus de nono, nullatenus posse naturaliter esse superstitem; idcircoq; esse compertissimum eo tẽpore genitum breui esse interiturum; atq; in hanc eandem opinionem nonnullos abiisse medicos testificatur, quorum nomina recenset; quos & rationibus, & auctoritatibus ait ostendisse, tempore immaturo editos, octauo videlicet mense, in nostris regionibus non posse superuiuere: Et licèt Aristoteles dicat octomestres in Aegypto, & in Græcia esse vitales; his tamen in locis contrarium nos omnino experiri. Vnde concludit Parisius, si quis immaturo tempore in lucem prodierit, ante septimum videlicet mensem, vel octauo, licèt viuus ad orbem fuerit deuolutus, ac vocem emiserit, quia tamen fieri non potest vt diutius viuat, haberi per l. SEPTIMO MENSE à contrario sensu, ac si natus non fuisset; cum paria esse videantur, non nasci viuum, vel nasci, & viuere non posse. E contra verò si legitimo tempore edatur partus, vt septimo, nono, vel decimo mense; tametsi debilis sit, & ob aliquod accidens viuere non posse appareat, pro nato omnino esse reputandum, nec accidens illud spectandum esse; quòd, quantum est in naturæ potestate, viuere potuisset. Verùm ad Socinum redeuntes, superest, vt alterum locum ipsius consideremus, in quo eadem penè affert. Scribit auctor hic super l. GALLVS ex illo contextu haberi, legitimum esse partum, qui infra decem menses à morte patris in lucem edatur; ex quo & subdit à cõtrario sensu, si nascatur post decem menses, illegitimum partum esse arbitrandũ; ex hisq; omnibus credi posse Glosam finalem super l. GALLVS perperam sensisse, dum voluit decem mensibus & duobus diebus genitum, nihilominus tanquam legitimum partum esse recipiẽdum.

Cons. 65. num. 6. & sequent.

ff. de stat. hom.

ff. de liber. & posth.

quan-

quanquàm commemorans Socinus citato loco Gentilis disputationem, duas in ea probatas esse conclusiones dicit, & receptas; quarum altera est, de Hippocratis sententia partum transgredi non posse decem menses (de qua re supra locuti sumus) altera de Gentilis opinione, mensium decem terminum apud Hippocratē non esse exactè accipiendum; verùm dicendum esse, partum quoq; illum ad decimum mensem pertinere, qui paucis diebus ante, aut post, in lucem venerit; idq; pluribus rationibus probasse Gentilem. Ex his omnibus concludit Socinus satis clarè haberi, Glosæ, & Bartholi opinionem naturalem esse; nēpè duobus diebus post decem menses genitum, nihilominus esse partum decimestrem. quæ verò ex Autentica de Restitutione, & ea quæ parit obijci possent; quo in loco apertè definitur, post decem menses editum, legitimo tempore non esse in
„ orbem deuolutum, ita elidit. Et respon-
„ sio patet ad tex. in Autent. de restit. & ea
„ quæ parit §. fin. nempè verum esse quòd
„ possibiliter posit nasci postea, sed secun-
„ dum communiter accidentia non esse veri-
„ simile; & ideo textum illum loqui per ver-
„ ba significantia legem frequentatam. Sed de Seniore hactenus, nunc Iuniorem audiamus.

Socini Iunioris opinio proponitur enarranda. tres ex eo asseruntur pro partu octomestri rationes. Cap. 4.

SOcinus Iunior in secunda parte Consiliorum quærens an cæsareus octomestris matri succedat, ita progreditur. Primum rationes affert pro affirmatiua parte, quam tamen ipse à vero dissentaneam arbitratur; deinde triplici conclusione respondet ad quæstionem. Prima ratio est. Octomestris ex vtero extractus totus, & viuus in orbem deuolutus ad nullum declinans monstrum, vel prodigium, licèt statim decessisset, Imperatoris Iustiniani decreto patris rupsisset testamentum; igitur & matri succedere debet; vt in dicta lege probat Baldus propriè sermonem habens de genitis octauo mense. Quòd si quis obijciat octomestres partus rarissimè viuere, ideo non esse vt legitimos recipiendos; respondet ex l. SI MAIOR. casus raros, & quasi ad miraculum declinantes in iure quoq; considerari: proinde neq; cæsareum hunc octomestrem, neq; alios esse refellendos, quia eorum nonnulli, licèt rarissimè, aliquando tamen superuixisse reperti sunt. nam & à simili quinquagenaria mulier, immò & sexagenaria l. SANCIMVS, licèt rarò, & quasi per miraculum paritura, nubere potest. atq; hoc quidem admittit lex, illud respiciens, quod euenire potest, quanquam rarissimè: quæ tametsi ea, quæ rarò contingunt, videatur contemnere, vt Celso placuit libro decimoseptimo Digestorum, quoniam in his, quæ rarò fiunt, miraculum dicitur, & de miraculosis non curat lex, vt inquit Baldus in l. IVRA CONSTITVI, nihilominus si casus veniant, sunt aliquo modo per iuris regulam terminandi. Secunda ratio. Quarto, vel sexto mense genitus infans, quibus temporibus editus omnium consensione non valet superuiuere, matri succedere potest, licèt illicò decesserit, vt Angeli & nonnullorum aliorum sententia fuit; igitur & multo magis cæsareus octomestris, cùm possint secundum aliquos octauo geniti esse vitales, etsi difficulter. Tertia ratio. Primus, & breuissimus terminus partus sex mensium est, ac diei vnius; vltimus ac longissimus est decem mensium; Glosa enim in l. SEPTIMO MENSE sic habet. ergo in sex mensibus „ & vno die potest nasci, & vsq; ad decimum „ mensem finitum. quæ verba videntur velle toto intermedio tempore, & sic octauo mense, posse edi partum perfectum, & vitalem; idemq; sentit Glosa in verbo, perfecto, in Autentica de restitutione, & ea quæ parit, &c. dum statuit vterum non longiori tempore quàm decem mensium, ac duorum dierum spatio ferri posse, diutiusq; quàm menses sex debere gestari; igitur octauo mense geniti legitimi erunt partus.

Tres Socini conclusiones aduersus partum octomestrem explicatur. quæ sit causa infelicitatis octomestrium ex eodem. Cap. 5.

HIs ita constitutis, tribus, vt dicebamus, conclusionibus respondet ad quæstionem. Prima est. licèt aliqui ex naturalibus, aut philosophis senserint, genitum octauo mēse posse superuiuere, quamuis rarissimè; vt Auerroes quarto de Generat. Animalium, Sanctus Thomas in Opusculo de Fato, & alij, ac inter hos Aegydius Romanus in libro de Formatione fœtus; contrariam tamen opinionem veriorem esse; nempè octomestrem partum non posse naturaliter esse superstitem: probatq; Socinus conclusionem hanc triplici

Marginalia: Conf. 35. — C. de posth. hæred. instit. l. quod certatum est. — C. de legi. hæred. cum sim. allegat. per Glos. in l. ex his ff. de legi. — C. de nupt. — ff. de legi. l. Nam ad ea. — ff de leg. — ff. de stat. hom. — §. fin. — Cap. 28. — Cap. 16.

plici ratione. Prima est. Sicuti apud Iurisprofessores, si qua sit disputatio, & controuersia, illa opinio tenenda est, quæ à pluribus, & illustribus pro vera recepta videtur, iuxta c. 1. & fin. & c. ita & in quæstione, an octomestris partus naturaliter viuere possit, negatiua opinio sectanda est, quoniam plures, & illustres magis auctores eam secuti sunt. plures autem, & probatiores in hãc sententiam abijsse probat Socinus Gellij auctoritate dicentis tertio Noctium Atticarum, hominem rarenter septimo mense gigni, octauo nunquam. Secunda ratio. Lex in partus tempore decernendo, Hippocratis summi Medicinæ parentis auctoritatem sequitur; atqui Hippocrates, vt communis opinio est, sensit octauo mense genitos nullo modo esse superstites. Tertia ratio. Eadem hæc opinio, quòd octomestres non sint vitales, videtur in specie per Iurisprofessores esse recepta; vt patet ex ijs, quæ de Bartholi, Baldi, Pauli de Castro, & aliorum sententia superius attulimus; igitur, & citra vllam dubitationem sequenda est. quibus rationibus receptis, sequitur octomestrem partum matri nullatenus succedere posse. Secunda conclusio, quam ponit Socinus, talis est. Octauo mense genitus viuere naturaliter potest, sed tamen rarissimè, & quasi per miraculum; ex quo etiam sequitur, octauo mẽse editum matri nõ succedere ob plures, (vt ipse inquit) rationes. ego tamen vnicam ex eo recitabo, tanquam huic disputationi consentaneam. Lex dicens partum viuum ad orbem deuolutum, qui naturaliter viuere potest, rumpere testamentum ac succedere, licèt statim è vita discedat, intelligenda est de his, vt. Socini verbis vtar, qui à communiter accidentibus, & vt in pluribus naturaliter viuere poterant; enimuerò huiusmodi talibus, licèt paulò post moriantur, præsumitur mortem ex aliquo accidenti, non naturaliter contigisse, cùm secundùm naturam, ac vt plurimum viuere potuissent; quemadmodum in septimo, vel nono mense editis contingere videmus. non potest autem lex de his intelligi, qui rarissimè, & quasi per miraculum viuere possent, vt plurimum verò nequeunt esse superstites; vt in his euenit, qui quinto, sexto, vel octauo mense in lucem prodeunt. his enim mensibus si quis oriatur, ac statim intereat, naturaliter quidem, non ex aliquo accidenti, obijsse creditur diem suum; eò quòd naturaliter viuere non poterat, cùm frequentius huiusmodi tales moriantur: atq; hoc sensu accipienda esse verba Pomponij libro vigesimoquinto ad Sabinum, & Celsi libro decimoseptimo Digestorũ; nimirum vt dicamus, iura in sui perscriptione aptanda esse ad ea, quæ facilè, & frequenter accidunt, non ad ea, quæ rarò eueniunt, & ita sensisse Iurisprofessores testatur Socinus. Cõcludẽdũ autem ex his, cùm octauo mense geniti frequentius, & magis communiter non viuant, ac proinde naturaliter non sint superstites, cæsareum illum octomestrem matri non succedere. Tertia conclusio propriè ad quæstionem pertinet, quæ tractatur à Socino; nam, etsi statuamus aduersus primam conclusionem octauo mense genitos aliquando viuere naturaliter posse; & aduersus secundam hos partus (ea spectantes, quæ esse possent licèt rarò) succedere debere; nihilominus, quia hæc si vera essent, locum duntaxat haberent in illis octomestribus, qui (vt cum Socino loquamur) per se, & propria virtute, proprijsq. viribus nascuntur; dicendum videtur, octauo mense ex vtero execto extractum nullo modo matri succedere, quia eiusmodi talis non per se, & proprijs viribus natus sit, sed potius violenter extractus. in qua firmanda conclusione illud maximè notandum est, quod Socinus addit, etiam ex illis octomestribus, qui proprijs viribus nascuntur, plures ea naturæ lege oriri, vt statim intereant, nec possint superuiuere; licèt de his tantum veritatem habeat, quod nonnulli inquiunt, aliquos octauo mense editos, tametsi rarò, posse esse superstites; verbaq; Socini talia sunt. Dico enim quòd omnia ista præsupposita, vbi essent vera, procederent, & intelligi deberent solum, & duntaxat, quando quis in octauo mense per se, & propria virtute nasceretur; & sic quando mulier prægnans in tali tempore à dolore partus per se inducta pareret, & ita puer ille quasi proprijs viribus matris ventrem exiret; nam tunc admitti potest quòd aliquando viuere possit, licèt rarissimè; quia etiam tunc vt in pluribus nascerentur non victuri: & in tali casu procedit, quod pleriq; sentiunt, octomestrem scilicet posse nasci victurum, licèt rarò, & c. Hæc ille; cuius etiam verba alia operęprecium est recensere, quibus causam à Iurisprofessoribus ex philosophorum, ac Medicorum scholis acceptam refert, quare octomestres non sint vitales; ita enim non multò post loquitur. Probatur etiam prædicta consideratio; nã cur

ff. de leg. l. iura cõst. et l. nã ad ea.

cur natus in octauo mense nunquam, vel rarissimè viuat, ratio magis communiter per naturales allegatur, quia in eo mense non est illi virtus, qua nasci possit, & nutriri; eò quòd illo mense solet curari existens in vtero à languore, & turbatione sibi accidentibus, & ad naturales vires restitui, quas amisit, dum in septimo mēse exire (prout omnes faciunt) tentauit, & propter virtutis debilitatem egredi non potuit; prout ex intentione Hippocratis in lib. de Defectibus scribit Haly Abas vij. Theoricæ cap. 34. Modò hoc posito dico, quòd licèt difficillimum, & quàm rarissimum sit, tamen possibile est, quòd aliquis fortior cæteris citius curetur, & vires acquirat, & ita iterum in octauo mense propria virtute tentans exitum, egrediatur in vita perseueraturus: & ita verificari potest quod quidam naturales sentiunt, scilicet octomestrem partum viuere posse, licèt rarò. non autem potest illud verificari, vel procedere in casu nostro, vel simili, quoniam non sua virtute veluti curatus, & refectus, sed violenter dicitur in lucem venisse, antequam vires eius essent idoneæ, vt victurus nasceretur: cùm vt in pluribus, & à communiter accidentibus totus ille octauus mēsis sit necessarius ad illā refectionē, & nulla virtus eius in nascendo appareat, propter quam contrarium præsumi possit. cùm igitur possibilitas illa, vt scilicet octomestris victurus nascatur, videatur fūdari in propria virtute, quam ipse exitum naturaliter faciens ostendit, &c. Hæc Socinus; ex quibus perspicuum est, posse de illius opinione, quemadmodum superius dicebamus, per se octauo mense genitum superuiuere quidem, sed tamen rarissimè; cùm vt plurimum per se etiam in lucem prodeuntes pereant.

Trium rationum, quæ supra allatæ sunt, ex Socino, dissolutio. Alciati de octomestri partu opinio. item de septimestri, decimestri, & vndecimestri. Quid de controuersia D. Adriani et Iustiniani circa partum vndecimestrē idem senserit. Cap. 6.

PORrò autem de conclusionibus satis; superest nunc initio allatas de eiusdem sententia labefactare argumentationes. Ad primam igitur sic ipse respondet; non satis esse, vt partus viuus oriatur, sed omnino oportere, vt legitimo tempore veniat in lucem, idest in quo vt plurimum natus solet superuiuere. quod verò obijciebatur, legem, ea quæ rarò eueniunt, aliquando considerare, triplici responsione elidit. Primum enim, vt ipse inquit, casus potest esse talis licèt rarissimè contingens, vt ei lex iam in alijs generaliter facta aptari possit, non quòd noua fiat: & ita loquitur de Socini sententia, & procedit l. SI MAIOR, & l. EA QVAE RARO, & sensit Bartholus in l. IVRA CONSTITVI. atq; hoc modo licèt rarissimum sit, quòd sexagenaria pariat, si tamen parit, iura ad partum aptantur, & lex illum recipit tanquam legitimum: ex quo concludit Socinus, si natus octauo mense viueret, licèt, vt ipse inquit, hoc esset quid rarissimum, & contra communiter accidentia, tamen non esse respuendum, sed tanquam legitimum recipiendum; si verò intereat, contrarium ob dictas causas sentiendum esse. Secundò, quanquam ius interdum disponendo respiciat id, quod esse potest etiam rarò, est tamen dubium, vt dixit Glossa in l. EX HIS an ita sit futurum; attamen nisi casus postea eueniat, reuocat lex, quod iam disposuerat, vt l. ANTIQVI. habetur, & l. ETSI RESTITVATVR. vnde licèt octomestrem, qui superuiuat, lex admitteret; si moriatur, eum meritò tanquā illegitimum censet, ac refellit. Tertiò, legislatori duo possunt occurrere, quorum alterum, vt plurimum, alterum rarò euenire solet; quo casu in condenda lege, nulli dubium est, inquit Socinus, illud, quod frequēter contingit, esse respiciendum; atq; hunc verum esse, & proprium intellectum dictæ l. IVRA CONSTITVI de nonnullorum sententia idem statuit; quamobrem cùm nascitur octomestris, quia vt plurimum naturaliter viuere nequit, dicendum est, partum hunc non esse legitimum. Ad secundam respondet, quinto, ac sexto mense viuum editum, nec rumpere testamentum, nec matri succedere posse, quia non satis sit viuum nasci, sed oporteat eo tempore nasci, quo naturaliter viuere quis possit; propterea Angelum, Corneum, & alios malè hac in re sensisse. Ad tertiam, si Glossæ illæ sentiunt octauo mense posse partum perfectè nasci, omnino hallucinari, quas tamen ita Socinus interpretatur. Sed ego credo, inquit, quòd non ita voluerint d. Glossæ, sed tamen habuerunt respectum, & voluerunt demonstrare, quando breuiori tempore, & longiori quis nasci possit, & perfectè; sed ex eo non est inferendum, quòd quoli-

C. de legi. hæred.
ff. de Reg. Iuris.
ff. de leg.
ff. si pars hæred. pet. §. fi. ff. de iudi.

bet

„ bet medio tempore posit perfectè nasci, „ & detur legitimum tempus pariendi; cùm „ contrarium & à naturalibus, & à doctori- „ bus nostris magis communiter determine- „ tur de nato in octauo mense per prædicta. Verùm hactenus de hoc viro, iam enim tempus est vt Alciatum audiamus. ipse igitur in l. QVI MORTVI, eum, qui octauo mense nascitur, secundum naturam itidem viuere non posse, idq; medicinæ auctoribus esse receptissimum, sensisse videtur; monens hoc in tractatu ex cursu lunæ considerandos esse menses, non autem habito respectu anni, quem Cæsar ordinauit; neq; enim de eo Hippocratem, cæterosq; antiquissimos medicos diuinare potuisse. Eandemq; repetit sententiam in Responsionibus, accipiens veluti notum, ac probatum ex l. VXORIS ABORTV, partum abortiuum haberi pro non nato, nec admitti ad sucessionem; Baldiq; auctoritate abortiuum dici partum, quando est natus tempore, quo secundum naturam viuere non „ potest; & addit puta ante septimum men- „ sem, vel octauo iuxta sententiam Hippocratis l. SEPTIMO MENSE. vnde in tali casu, licèt videatur viuus esse natus infans, tamen quia secundum naturam viuere non potest, habetur ac si natus non esset. Quòd si quis ex l. QVOD CERTATVM EST arguat, perfectum illum dici partum, qui integrum nascatur animal, & cum spiritu; ita vt etiam ante septimum editus, dummodo talis sit, partus perfectus dici debeat; respondet ipse textum illum esse factū ad tollendam dubitationem veterum, qui dubitabant, quando infans non ediderat vocē, propterea presupponere habilitatem in cæteris iuxta regulam l. QVI TESTA. nec esse credibile tali generalitate esse derogatum dispositioni l. VXORIS ABORTV: idemq; de alijs illis verbis, cum spiritu, esse sentiendum; nempè presuppositis cæteris habilibus; videlicet, vt ipse subdit, quòd non sit abortiuus, sed editus septimo, vel nono mense. ex quibus verbis elicere possumus de Alciati sententia reliquos partus præter eos, qui mense septimo, vel nono eduntur in lucem, esse abortiuos; ac mensem septimum, & nonum tantùm tempora esse homini pariendi naturalia. atq; hæc de mense septimo, octauo, & nono Alciatus. De mense verò decimo, & vndecimo pulchram habemus illius disputationem libro tertio Paradoxorū „ his verbis explicatam. Cùm mulier quæ- „ dam post viri mortem vndecimo mense pe- „ risset, & defuncti viri hæreditatem filio, „ tanquam legitimo, dari peteret; ad Prin- „ cipis Iustiniani auditorium res omnis de- „ lata est; qui aduersus partum pronuncia- „ uit: quoniam indubitatum existimaret, „ & impossibile, vndecim menses vterū mu- „ lierem gerere. quamobrem lata lege san- „ xit, vt quæ hoc tempore pareret, eas subi- „ ret pęnas, quibus iure veteri afficiebatur, „ si qua intra annum luctus nupsisset. Quod „ profectò iniustè non dicam, sed summo ri- „ gore statutum existimauerim; cùm tàm „ grauissimus ex græcis auctor Aristoteles, „ & Diocles Charistus philosophus, quàm „ apud nos M. Varro hoc tempore gestari fi- „ lios posse prodiderint. Quin & Aulus Gel- „ lius libro tertio refert fœminam honestis „ moribus, & non ambigua pudicitia, cùm „ vndecimo mense post mariti mortem pepe- „ risset, diù cum scriptis hæredibus litigasse. „ Diuumq; Adrianum causa cognita decre- „ uisse, in vndecimo quoq; mense iustum par- „ tum edi posse. quod sic statuere Adria- „ nus requisitis veterum philosophorum, & „ medicorum sententijs, testatus est; vt „ quàm rectè Iustinianus aduersus Aristote- „ lis, atq; aliorum opinionem, & contra „ quàm Adrianus Cæsar decreuerat, ipse „ pronunciauerit, vix intueri posis. Quod „ cùm factum sit, non ne Andreæ Siculi ex „ his enunciatum quoddam confutatur? is „ in consilio sexto tradidit, si plures propo- „ nantur doctorum opiniones, quę testamē- „ tum inualidum reddant, & vnius tantùm „ sententia pro testamento sit, eam cæteris „ præualidam obseruari debere propter fa- „ uorem, qui in vltimis voluntatibus verse- „ tur. Nam si trium philosophorum in sua „ quoq; arte auctoritas, vniusq; Imperatoris „ constitutio pręiudicium nullum fecit, quo- „ minus mulier ea condemnaretur, cur non „ idem esse prædicto casu asserendum est? „ Nam & hîc legitimæ prolis fauor, & pro- „ bitatis præsumptio nō minus iudicem mo- „ uere potuit, quàm substituendi testamen- „ ti vtilitas moueat. Sed & me non latet ex „ recentioribus quosdam alia ratione Siculi „ sententiam reprobasse. „

ff. de verb. signif. — *Tom. 3. lib. 9. Resp. 25.* — *C. de posth. hæred. instit.* — *ff. de stat. hom.* — *ff. de Testa. C. 1. extra de ætate & qual. lib. 6. cum similibus.* — *Cap. 7.* — *ff. in auth. de resti. et ea quæ parit. § fin.* — *in C. scriptum est.* — *arg. no. in l. 1. si cer. pet.*

Affertur vberius ex Tiraquello Iurisprofessorum opinio de natura partus octomestris; nempè quòd sit intempestiuus, illegitimus, imperfectus, & abortiuus. Cap. 7.

SEd vt plenissimè tota hæc quæstio à nobis pertractetur, in medium illa proferenda

ferenda sunt ad partum octomestrem pertinentia, quæ à Tiraquello Iurisprofessore luculētissimo in tractatu in l. SI VNQVAM. in vnum congesta fuere, ex omnibus ferè auctoribus collecta. is enim tenens natiuitate liberorum reuocari donationem, declarat id tamen locum habere, dummodo fœtus natus post donationem sit tempestiuus, & vitalis, idest, vt ipse explicat, natus legitimo tempore, vt secundum naturam viuere possit; septimo nimirum mense de medicorum opinione, quibus Iurisconsulti assentiuntur, de eorundem auctoritate l. SEPTIMO MENSE id statuentes; aut mense nono, quod ait Tiraquellus cōmuni hominum huius temporis sententia esse frequentissimum; vel alijs mensibus; de quibus mox se dicturum promittit: quæ cùm dixisset, ita subdit. Quòd si nascatur ante septimum mensem, vel etiam in octauo, ideoq; vitalis esse non possit & philosophorum, & medicorum testimonio, vt postea dicemus, & è nostris asserit Baldus & c. is certè non reuocat donationem, quemadmodum nec rumpit testamentum, per tex. in l. quod certatum est, quæ est iij. C. de posth. hære. instit. in illis verbis, si viuus perfectè natus est. Nam perfectè natus non dicetur, qui ita intempestiuè, atq; immaturè natus est, vt viuere non possit per d. l. septimo, in verbo perfectum partum. Hæc ille; ex quibus latissimè, patet octomestrem partum de illius opinione viuum perfectè nullo modo exoriri, ideoq; intempestiuum, & immaturum, ac proinde minimè superstitem esse censendū quod etiam mox ipse præter alias multas auctoritates, ea vna adstruit, quæ pluri ni videtur facienda, ex Decisionibus Neapolitanis Matth. Affl. excerpta; in qua habetur octauo mense genitum, perinde ac natus non fuisset existimari; atq; ita in sacro Neapolitano Consilio fuisse decisum. opinionemq; hanc, addit Tiraquellus, comprobari posse Pauli Iurisconsulti auctoritate; qui lib. 4. Sententiarum scribit, matres tàm ingenuas, quàm libertinas ciues romanas, vt ius liberorum consecutę videantur, ter & quater peperisse sufficere, dummodo viuos, & pleni temporis pariant. ex quo infert Tiraquellus Baldi auctoritate fieri non posse per rerum naturam, vt abortiuus hæres esse possit; quemadmodum etiam lege alia expressum habetur; quo loco scribitur vxoris abortu non tolli testamentum mariti. Cæterum, quoniam videbat Tiraquellus ex his sequi, octomestrem partum abortum esse quendā de illius opinione; propterea statim definiens abortiuum facere, & abortire nil esse aliud quàm immaturum, atq; intempestiuum partum, licèt viuum, edere; ac proinde abortum esse de Festi Pompeij auctoritate intempestiuè ortum; probat mox Gellij verbis ex libro tertio Noctium Atticarum in medium adductis, octomestrem partum abortum dici, cùm ita scripserit A. Gellius eo loco. Memini ego Romæ accuratè hoc, atq; solicitè quæsitum, negotio non rei tunc paruę postulante, an octauo mense infans ex vtero viuus editus, & statim mortuus, ius trium liberorū suppleuisset, cùm abortio quibusdam non partus videretur mensis octaui intempestiuitas. quod totum vt magis comprobet Tiraquellus, conatur ostendere id ipsum Sabinum veterem, ac illustrem Hippocratis interpretem sensisse. is enim Gellio referente, cùm librum de Alimento explicaret, siue liber hic fuerit Hippocratis, siue, vt Galenus censet, Thessali, aut Herophili, verba illa enarrans. ἐστὶ δὲ, καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις. nempè, est autem & non est partus octomestris, ita scripsit: ἔστι μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, οὐκ ἔστι δὲ ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα, καὶ ἔστιν οὖν φαντασία μὲν παραυτίκα ὄντα, δυνάμει δὲ οὐκ ἔστι. quę verba sic translata affert Tiraquellus. Apparent quidem veluti animalia post abortum, sed nequaquam sunt, quippè quæ statim vita excedant; itaq; esse quidem tantisper imaginātur, sed potentia non sunt; quæ cùm attulisset, ipse sic postea subdit. Vides igitur, inquit, hìc primùm ἔκτρωσιν, id est abortum, de eo dici, qui intempestiuè, videlicet octauo mense (de eo enim loquitur) etiam viuus nascitur. Vides inquam eum nō esse inter liberos, ac ne inter animalia quidem adnumerandum, qui ita natus est; vt qui nihil sit, cùm mox vita excedat, licèt primùm aliquid esse videatur, quia viuus nascitur; ex quo illud Hippocratis veluti enigma quoddam, est, & nō est octimestris partus. quam sententiam multorum suę familiæ testimonijs comprobare nititur, ostendens partum illum verè dici abortiuū oportere, qui intempestiuè, nec suo tempore, quamuis viuus, natus sit; vt verius fœminam partum hunc eiecisse, abegisseq;, quàm peperisse sit dicendū: cùm ipsę leges, ei, quod dicimus parere, abortum facere opponant; eò quòd, vt scripsit Paulus quarto Sententiarum abor-sus & abactus venter partum efficere non

C. de reuoc. donat. uerbo suscepit libero.

ff. de stat. hom.

Decis. 236.

tit. de intes. sucessione.

in l. cū ppo-nas column. vlt. C. de hæred. instit.

iij. C. de post. hæred. inst.

Cap. 16.

l. 1. §. vlt. ff. de vent. in poss. mitt. tit. 8.

videtur: vt meritò octauo genitus, licèt
viuus, quia intempestiuus sit, ac immatu-
rus, nec viuere possit, abortus dici debe-
at; proindeq; inter partus adscribi neque-
at, ac si natus non fuerit; quia abortus
partui, ac nato opponatur: cùm nemo
propriè, & verè nasci dici possit, nisi pa-
riatur; pari verò dici nequeat, si imperfe-
ctus, intempestiuusq; existens, & non vi-
talis, naturam referat abortionis. atq;
hinc elucet quo nixi Iurisprofessores fun-
damento octomestrem partum pro abortu,
ac non nato haberi scripserint.

Quid propriè sit abortus secundum Tiraquellum.
Veterum placita de vitali, & non vitali
partus tempore è Tiraquello relata
recitantur, Cap. 8.

HAec fatus mox, vt omnem tollat am-
biguitatem, admonet lectorem, prę-
citatam Hippocratis sententiam in libro
de Alimento non ita legi, vt Gellius refert;
vulgatam enim lectionem, quam nunc præ
manibus habemus, ita habere, ἐς ἐκπλωσιν σμ,
οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι, idest ad exclusionem, siue
elapsum quadraginta, & ducenti, non est,
& est: quæ tamen verba inquit eandem vim
habere; nisi quòd ea dilucidius Sabinus
adscripsit; cùm quadraginta & ducenti di-
es faciant octies triginta, idest octo men-
ses. quibus ita constitutis, concludens
partum eum dici propriè abortum, qui in-
tempestiuè, nec suo tempore, quamuis vi-
uus, natus sit; proindeq; octomestrem ab-
ortum esse: postea lectores docere aggre-
ditur, quæ antiqui naturæ interpretes scri-
pserint de vitali, aut non vitali partus tē-
pore; quodue tempus maturum, ac tem-
pestiuum partui censuerunt: vt maximo-
rum hominum testimonijs suam magis cō-
probet opinionem; partum videlicet octo-
mestrem abortionem esse quandam; ideoq;
vita potiri nequaquam posse. ac primum ex
Plutarcho libro quinto de Placitis philo- **Cap. 18.**
sophorum hęc refert. Empedocles, inquit,
existimabat, cùm primum genus hominum
è terra enatum est, tantum longitudine
temporis diem fuisse propter solis segni-
tiem, quanta nunc decem sit mensium di-
es. Procedente deinde tempore, tantum
fuisse, quanta nunc septem mensium: pro-
pterea decimestres infantes, ac septime-
stres natales. Itaq; natura nimirum com-
parante, vno partum adolescere die, quā
prima poneretur nocte. Timęus non de-
cem menses, sed nouem esse existimat.
Verùm quoniam & ante conceptus men-
strua sisterentur, propterea decem exsti-
matos. sic quoq; septimestres videri, qui
septimestres non sunt; quippè cùm à con-
ceptu quoq; vulua nonnunquam menstru-
is affluat. ignorari enim & post concep-
tum purgationum numerum. Polybus, &
Diocles Empirici, vel octauum mensem a-
gnouere genitalem, etsi languidiorem
quodammodo, quoniam permulti ex infir-
mitate perierint; ferè tamen octomestres
non pauci in viros euaserint. Aristoteles
verò, Hippocratesq; putant, si vulua men-
sibus expleatur septem, tùm deniq; erum-
pere infantes, vitalesq; nasci: quòd si e-
rumpant, nec tamen aiantur vmbilico lan-
guente (id quod accidere solet si dolente
vulua concrementum partus fiat) tunc in-
fantem tabescere: sin verò nouem menses
in vtero manserit, tùm demum numeris
omnibus suis consumatum esse. Polybus
centum & octoginta duos dies dimidia-
tumq; natales efficere, quod semestre tem-
pus esse, quanto tempore sol ab vno solsti-
tio, ad alterum perueniat: septimestres
verò ideo dici, quandoquidem sexti men-
sis dies in septimo implent. Enimuerò
mathematici octo omnis geniturę menses
dissociabiles esse aiunt, septem verò fęde-
rabiles. Dissociata autem disiunctaq; si-
gna sunt, si stellas, quas οἰκοδεσπότας, idest
domicilij dominas vocant, maleficas nactæ
sunt Nam si quà harum vitæ viuendiq; in-
stituti auspicatum sit, infortunatos, non
perennaturosq; portendit. Abiuncta au-
tem signa, nulloq; mutui conspectus cō-
mercio vincta, numero sunt octo, veluti
Aries ad Scorpionem abiunctus, & Tau-
rus ad Sagittarium, Gemini ad Capricor-
num, ad Aquarium Cancer, ad Pisces Leo.
Deniq; abiuncta Virgo ad Arietem; quare
& septimestres vitales, & decimestres esse;
contrà octimestres enecari propter mun-
di dissidentiam. His adductis recenset
Tiraquellus ex Astrologorum monimentis
rationem, cur octomestres partus non sint
vitales; cùm enim de illorum sententia in-
fantibus, prius quàm edantur in lucem,
planetæ præficiantur; & ita quidem, vt Sa-
turnus primum mensem sibi adsciscat, ac
subinde reliqui Errones, qui ordine se-
quuntur, suos menses moderentur; sequi-
tur vt octaui mensis imperium ad Saturnū
redeat, qui cùm sit frigidus & siccus, his
maleficis qualitatibus, plurimum vitæ ad-
uersantibus partum octomestrem reddit
infelicissimum. Post Plutarchum verba re-
fert

fert Censorini, ita libro de Die Natali ad Cerellium scribentis. Superest dicere de temporibus, quibus partus soleant esse ad nascendum maturi. Qui locus eò mihi cura maiore tractandus est, quòd quędam necesse est de Astrologia, Musicaq; & Arithmetica attingere. Iam primum quoto post conceptionem mense infantes edi soleant, frequenter agitatum inter veteres nondum conuenit. Hippon Metapontinus à septimo ad decimum mensem nasci posse existimauit; nam septimo partum iam esse, eò quòd in omnibus numeris septenarius plurimum posśit. Siquidem septimis formentur dentes mensibus, additisq; alteris recti consistere incipiamus, & post septimum cadant annum. xiiij. autem pubescere soleamus. Sed hanc à septem mensibus incipientem maturitatem vsq; ad decimũ perductã. Ideo quòd in alijs omnibus hęc eadem natura est, vt vij. mensibus, annisuè tres, aut menses, aut anni ad consumationem accedant. Nam dentes vij. mensium infanti nasci, & maximè decimo perfici mense, vij. anno primos eorum excidere, decimo vltimos: post xiiij. annum nonnullos. Sed omnes intra septimum decimum annum pubescere. Huic opinioni in parte aliqui repugnant, alij in parte consentiunt. Nam vij. mense parere mulierem posse plurimi affirmant: vt Theano Pythagoricus, Aristoteles peripateticus, Diocles, Euenus, Straton, Empedocles, Epigenes: multiq; præterea, quorum omnium consensus Euriphonem Gnidum non deterret, id ipsum intrepidè pernegantem. Contra eum fermè omnes Epicarmum secuti, octauo mense nasci negauerunt. Diocles tamen Caristius, & Aristoteles Stagirites aliter sentiunt. vndecimo autem & decimo mense tùm Chaldęi plurimi, & idem supra nominatus Aristoteles, edi posse partum putauerunt. Neq; Epigenes Bizantius nono fieri posse contendit. Nec Hippocrates Cous decimo. Cæterum vndecimum mensem Aristoteles solus recipit, cæteri vniuersi improbarunt. Sed nunc Chaldęorum &c. Hæc Censorinus; qui mox subdit rationes Chaldęorum, cur mense septimo, nono, & decimo tantùm posse nasci homines arbitrantur; quas, quia sunt longiusculæ, nos Tiraquellum imitantes, omittimus. In summa tamen Chaldęi mensibus illis, referente Censorino, partus vitales edi crediderunt, quoniam sol tùm mutuum habeat conspectum cum loco cõceptionis, nempè cum mense septimo oppositum conspectum, cum nono trigonum, cum decimo tetragonum. Sexto autem mense, ac octauo non vitales, quia tunc conceptionis particulam, aut inualido lumine, imbecilloq; conspectu videat, aut etiam nec conspiciat: vnde sic concludit. At si intra hoc spacium maturescere vterus non potuerit, octauo mense non editur: ab octauo enim signo, vt à sexto, ineficax visus, & mox. Itaq; secundũ rationem hanc ἑπτάμηνοι nascuntur κατὰ διάμετρον, ἐννεάμηνοι autem κατὰ τρίγωνον, δεκάμηνοι vero κατὰ τετράγωνον. Hæc ille; de cuius sententiæ veritate nono lib. cognoscemus.

De partu maiori & minori Pythagoræ ex Varrone sententia. eiusdem de septimestri ab Hippocrate dissensio. Macrobij opinio de eodem, & ab Hippocrate discrimen. ex Plinio, D. Ambrosio, & A. Gellio de partus humani temporibus quædam.

Cap. 9.

HIs positis addit postea Tiraquellus, eundem Censorinum Pythagoræ de hac eadem re afferre ex Varrone opinionẽ in libro, cui titulus est Tubero, seu de Origine Humana; qua octauum mensem à legitimo partus tempore penitus exclusum videre possumus. aiebat enim ipse partus omnino generaliter duos esse; alterum minorem, quem vocant septimestrem, qui decimo, & ducentesimo die post conceptionem exeat ex vtero; alterum maiorem, decimestrem, qui edatur ducentesimo septuagesimo quarto: hos verò partus suis ac proprijs dierum numeris conformari Pythagoram voluisse: atq; eos numeros, qui in vno quoq; partu aliquid ferunt mutationis, dum aut semen in sanguinem, aut sanguis in carnem, aut caro in hominis figuram conuertitur, inter se collatos rationem habere eam, quam voces habent, quæ in Musica σύμφωνοι vocantur. de qua re plura Censorinus disseruit. Pythagoricæq; sententiæ notat Tiraquellus Paulũ assentiri, libro Sententiarum quarto scribentem, septimo mense natum matri prodesse: siquidem ratio Pythagorici numeri, vt inquit Paulus, hoc videtur admittere, vt aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur. quod idem Laertius in Pythagoræ vita tradit, scribens Pythagoram censuisse iuxta rationem harmoniæ intra septimum, aut nonum, aut decimum vt plurimum menses, consumatum, atq; perfectum infantem gigni. ex qui-

Cap. 8.

quibus colligit Tiraquellus Pythagoram de septimo mense omnibus numeris perfecto intellexisse, cùm decem & ducenti dies septem menses conficiant integros; quamuis Polybus, vt ex Plutarco claret, de septimo mense intelligat incepto ex duobus tantùm diebus, & vno dimidiato: cum quo notat Tiraquellus Hippocratem consentire in libro de Septimestri Partu, vbi sic scribit ipso referente. Partus quidem septimestres centum, & octoginta duobus diebus eduntur, & fiunt, particula diei addita; ex quo & illud habemus Vlpiani Iurisconsulti in l. INTESTATO. De eo verò qui centesimo octuagesimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, & Diuus Pius Pontificibus rescripsit iusto tempore videri natum. quo sensu alterum illud Paulli in l. SEPTIMO MENSE interpretandum esse notat Tiraquellus, vbi sic scribitur. Septimo mense nasci perfectum partum iam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, & ideo credendum est, eum, qui ex iustis nuptijs septimo mése natus est, iustum filium esse. Post eiusmodi auctores adducit Macrobium, quem ab Hippocrate, & alijs enarratis dissentire scribit; cum Pythagora verò consentire; cùm velit mense septimo, atq; completo partum edi. Macrobij verba allata à Tiraquello talia sunt libro primo de somno Scipionis. Humano partui frequentiorem vsum nouem mensium certo numerorum modulamine natura constituit, sed ratio sub asciti senarij numeri multiplicationem procedens, etiam septem menses compulit vsurpari, quam breuiter absolutèq; duos esse primos omnium numerorum cubos, idest, à pari octo, ab impari viginti septem, & esse imparem marem, parem fœminam superius expressimus. Horum vterq; si per senarium numerum multiplicetur, efficiunt dierum numerum, qui septem mensibus explicantur. Coeant enim numeri, mas ille, qui memoratur, & fęmina; octo scilicet & viginti septem; pariunt ex se quinq; & triginta. Hæc sexies multiplicata creant decem & ducentos, qui numerus dierum mensem septimum claudit. ita est ergo natura fæcundus hic numerus, vt primam humani partus perfectionem, quasi arbiter quidam maturitatis absoluat. Hippocratem tamen præferédum esse scribit Tiraquellus, vt qui, vel Macrobio teste eodem libro, tàm fallere, quàm falli nesciat. Post Macrobium Plinij testimonium adducit libro septimo Naturalis Historiæ ita scribentis: Homo toto anno, & incerto gignitur spatio. Alius septimo mense, alius octauo, & vsq; ad initia decimi, vndecimiq;. Ante septimum mensem haud vnquam vitalis est. Septimo non nisi pridie posteroue plenilunij die, aut interlunio concepti nascuntur. Translatitium in Aegypto est, & octauo gigni. Iam quidem, & in Italia tales partus esse vitales contra priscorum opiniones; variant hæc pluribus modis. Vestilia C. Hercidij, ac postea Pomponij, atq; Orphiti clarissimorum ciuium coniux, ex his quatuor partus enixa, Sempronium septimo mense genuit, Suillum Ruffum vndecimo, Corbulonem septimo, vtrunq; consulem, & postea Cęsoniam Caij principis coniugem octauo. Et paulò post. Massurius auctor est l. Papyrium prætorem secundo hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cùm mater partum xiiij mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certũ tempus pariendi statutum videretur. Sequitur post Plinium D. Ambrosius ab eo in medio positus, cuius hæc sunt verba, quæ ex cap. x. v. Hexameron excerpsit Tiraquellus. Omnes, inquit, animantes præscripta habent pariendi tẽpora, homo solus indiscreta, atq; confusa & mox. Varro autẽ scribit matrem illius, qui primus dictus est Graccus, duodecim menses filium gestauisse: quare, quòd legitimum partionis tempus supergressa sit, cùmq; diutius, quàm sit grauidarum mulierum mos, gesserit partum, Graccum à gestando nominarunt. Post D. Ambrosium, & adducta verba Auli Gellij totam de re hac disputationem ex libro tertio Noctium Atticarum ad verbum refert, quam (cùm liber sit vulgatissimus & præ omnium manibus habeatur) consultò prætereo, infra suo loco disputaturus, vtrum ex ea colligatur, vt censuit Tiraquellus, partum octomestrem non superuiuere.

§. vlt. ff. de suis & leg. hær.

ff. de stat. hom.

Cap. 5.

Cap. 16.

Hippocratis loca plura à Tiraquello relata adducuntur. insignis ab eodem in Hippocrate notata contradictio. Quòd partus post decimum mensem genitus à Iureconsultis non admittatur ex eodem. Cap. 10.

POst allata Auli Gellij verba boni imperatoris more Tiraquellus fortioribus copijs pugnam redintegrat, atq; magnum Hippocratem accersit ad belli societatem; primumq; ipsius locum ex libello de Car-

nibus, seu de Principijs, ut alijs placet, in medium adducit, vbi de vi, ac potestate numeri septenarij in homine sermonem habens, ita loquitur senex sapientissimus. Puerulus si mense septimo in lucem edatur, legitimè natus est, & viuit; habetq; rationem, & numerum verè & exactè ad septimanas respondentem: mense autem octauo nullus vnquam vixit. Sed nono, decimoq; mense si nascatur, & viuit, & verum numerum ad septimanas respondentem habet. quo in loco tam clarè videtur dicere Hippocrates fœtus octauo mense editos non esse superstites, vt octomestris partus hostes auctoritatem nullam hac ipsa, ad eos enecandos, clariorem afferre posse videantur; sicuti neq; auctorem adducunt Hippocrate probatiorem. Loca alia D. Senis sumuntur à Tiraquello ex libro de Octomestri Partu, ex primo de Diæta, & ex libro de Pueri Natura, quorum sensa his verbis ipse exprimit. Idem, inquit, in libro περὶ ὀκταμήνου, idest de octimestri partu, negat octimestrem partum posse viuere; nec decimestrem quoq; nisi septem quadragenarijs dierum nascatur. Nam prima quadragenaria perfectissima est: cùm verò plures accedunt, pereunt. nam qui multa pauculo tempore sumunt, plurimum laborare coguntur, ex quibus mortes fiunt. Et quibusdam interiectis, tradit decimestres, & vndecimestres partus septem quadragenarijs edi, septimestres autem anni dimidio. Ex quibus videtur Hippocrates admittere, partum ad vndecimum mensem posse protendi: quanquam ipse in libro περὶ διαίτης, idest de Ratione Victus primo, scribit eodem tempore non ornari omnia, sed quædam citius, quædam tardius, prout quæq; ignem, nutrimentumq; nacta sunt: quædam tribus & quadraginta diebus, quatuor mensibus quædam. sic genitabilia fiunt, quæ citius perfectè, septem mensibus: quæ tardius perfectè, nouem in lucem prodeunt. Sed in libro περὶ φύσεως παιδίου, idest de Natura Pueri siue Fœtus, non admittit partũ vndecimi mensis; rationem adferens, quoniam nutrimentum, inquit, & incrementum, quod de matre descendit, puero iam satis non est, cùm decem menses transiuerunt, partusq; creuit; qui de sanguine id, quod dulcissimum est, trahit, lactisq; simul aliquãtũ haurit: quę cùm minus sint quàm opus est, partusq; iam validus est, & robustus, qui plus nutrimenti quàm adsit, cupit, ꝓpterea sese agitat, hymenasq; & mẽbranas disrumpit, & in lucem prodit: ideoq; si quæ plus quàm decẽ menses sibi gestasse videtur (nã & hoc, inquit, sępius audiuimus) falsæ sunt, eo.s. modo, quem inibi declarat. Et hanc sententiam secutus est Vlpianus in d. l. intestato §. vi. ff. de suis, & legit. hære. vbi hæc verba adscribuntur. Post decem menses mortis natus non admittetur ad legitimam hæreditatem. Secutiq; etiam videntur Gallus Aquilius, & Sceuola, cùm hanc institutionis formulam adscribunt in l. Gallus in princ. ff. de libe. & posth. Si quis mihi ex filio nepos, neptisq; post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus morietur, natus, nataue erit; hæredes sunto. & Tullius in Topicis in loco à similitudine ex Curiana causa; si filius, inquit, natus esset in decem mensibus. Quę quidem formula nihil omnino abest ab ea, quam & supra ex Varrone in Satyra testamento attulimus. & ea sanè verba, scilicet si quis mihi filius vnus, pluresuè in decem mensibus gignuntur, &c. idem significant, ac si diceretur, si intra decem menses natus erit. quibus verbis vtitur l. vlt. in prin. ff. de fideicom. liber. & l. vlt. C. de posth. hæred. instit. Nam in, & intra, eiusdem sunt significationis, vt nihil intersit, dicas in calendis, an intra calendas, vt videre licet apud Gellium libro xij. c. xiij. Hæc Tiraquellus; quibus disputatis addit Iustinianum Imperatorem opinionem hanc Hippocratis, quòd partus ad vndecimum mensem nõ possit differri, fuisse secutũ in Authentica de Restitutione, & ea quæ in vndecimo mense parit: qui nuncupatim eo loco reijcit à successione partum vndecimestrem; nempè eum, qui vndecimo post mortem mariti mense, natus est; nec eum legitimum existimat, impossibile ratus tanto tempore mulierem ventrem ferre. Si tamen supra decimum mensem sint duo dies in vndecimo, partum legitimum arbitrandum esse ex Acursij sententia, monet Tiraquellus: notans præterea Iustiniani verba græca κατὰ τὸν ἐνδέκατον μῆνα παρασούμενον ἔτεκεν. cautè esse accipienda, cùm alij ea transferant. Vndecimo mense perfecto peperit: Holoander verò sub finem vndecimi mensis peperit. cùm tamen, vt censuit Tiraquellus, possint interpretari ad verbum, iuxtà, vel propè, vel circa vndecimum mensem perfectum; siue etiam post vndecimum mensem perfectum; vt proinde ambiguum sit in textu Iustiniani, vtrum intelligatur post mensem, vel propè mensem comple-

in §. vlt.

completum mulierem peperisse; cùm præpositio *κατὰ* accusatiuo iuncta, vt dicit Tiraquellus, vtranq; recipere possit significationem.

Poetarum de temporibus humani partus opiniones ex Tiraquello. Cap. 11.

HIs ita explicatis ad Poetarum transit testimonia afferenda; qui omnes puerum decem mensibus gestari videntur voluisse. Nam & Ouidius primo Fastorum ita cecinit.

Quod satis est, vtero matris dũ prodeat infans.
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Additq;, quod ad hunc locum pertinet, vt idem animaduertit.

Per totidem menses à funere coniugis vxor.
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Erat enim annus apud Romanos decem mensium Romuli decreto; totidemq; mensibus ex lege maritos mortuos fœminæ lugebant, interimq; viduæ manebant; quod totum sic confirmat Tiraquellus. „ Quod tradit, inquit, Plutarchus in Antonio, & „ patet etiam ex l. si qua ex fœminis. quæ est „ 11. c. de secun. nup. quo in loco tamen „ duo menses additi sunt. Idq; fiebat, ne, „ quia, vt dicit Bald. in d. l. ij. puer gestabatur „ in vtero x. mensibus, ideo orietur „ dubitatio circa partum l. consensu. C. de „ repub. proindeq; ne inde nasceretur sobo„ lis confusio. de qua re supra diximus nonnulla. Addit postea Plautum, qui decimum iridem mensem vtero portando præfiniuit. nam & in Amphitryone ita scripsit.

Cap. 1.

Alter decimo post mense nascetur puer.
Quàm seminatus, alter mense septimo.

Et alibi sæpè; ex quibus constat hunc ipsum decem mensium terminum arbitratum fuisse ceteris esse frequentiorem; quòd sensisse etiam Aristotelem inferius se ostensurum promittit Tiraquellus; notans interea his Terentium suffragari in Adelphis. carmine illo.

Virgo ex eo
Cõpressu grauida facta est, mensis hic decimus est.

Demum Virgilium Eglog. 4.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Quòd si græcos quæramus, Theocritum profert in medium Idyllio trigesimo primo, cuius carmina sunt.

Ηρακλέα δεκάμηνον ἐόντα ποχ᾽ ἁ Μιδεᾶτις.
Αλκμήνα καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἴφικλῆα, idest.

Herculem decimestrẽ existentẽ quõdã Mideatis.
Alcmena, & nocte minorem Iphiclum.

Præterea Aristophanem in Cercalibus.

Δεκάμηνας αὐτ᾽ ἐγώ ἠνίσχον, idest.

Decem menses ipsam ego gestaui

Deinde Euripidem in Electra.

Δεκάτη σελήνη παιδὸς ὡς νομίζεται, idest.

Decima luna pueri, vt receptus mos est.

Quanquam neq; Idyllio trigesimo primo, sed vigesimo quinto Theocriti carmina reperio. neq; inter vulgatas Euripidis Tragedias video Electram recenseri. Demum Homerum in Mercurij hymno, qui scribit, Mercurium ipsum decimo mense editum fuisse: & carmina hæc sunt.

Τῇ δ᾽ ἤδη δέκατος μεὶς οὐρανῷ ἐστήρικτο.
εἰς τὲ φόως ἄγαγεν, idest.

Huic iam decimus mensis in cęlum transactus est.
Inq; lucem duxit.

Quanquam in Homeri opinione varietatem aliquam notari posse animaduertit, cùm Odysseæ xi. scribat, Neptunnum dixisse puellæ à se recens compressæ.

Χαῖρε γυνὰι φιλότητι, περιπλομένου δ᾽ ἐνιαυτοῦ.
Τέξεις ἀγλαὰ τέκν᾽, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ.
Αθανάτων, idest.

Gaude mulier amore, circumuoluto autem anno.
Paries pulchros liberos; quandoquidem non vani concubitus
Immortalium.

quibus ad duodecimum vsq; mensem proferri posse partum velle videtur; quin etiam & Iliadis 19. scribit Euristheum septimo mense editum fuisse; sed ita tamen, vt eum, quemadmodum Tiraquellus notat, ηλιτόμηνον vocet, idest abortiuum, & intempestiuè natum. Carmina hæc sunt.

ὁ δ᾽ ἕβδομος ἑστήκει μείς.
ἐκ δ᾽ ἄγαγε πρὸ φόως δὲ, καὶ ἠλιτόμηνον ἐόντα, i. *bicq; septimus erat mensis*

Duxitq; in lucem & immaturum existentem.

Ex eodem decimestre spatium Sacrarum litterarum auctoritate comprobatur. Item multorum aliorum de temporibus humani partus, ac præsertim de octauo mense sentẽtiæ, à Tiraquello relatę recitantur. Cap. 12.

VErùm hoc idem, scilicet frequentius esse tẽpus decimestre, ex sacris quoq; litteris haberi addit Tiraquellus; cùm Sapient. septimo ita scribatur. In ventre „ matris figuratus sum caro, decem mensi„ um tempore coagulatus sum in sanguine. „ quanquam & de nono etiam mense habetur mentio lib. 2. Machabeorum, vbi ita alloquitur mater filium suum minimum. Fili mi miserere mei, quæ te in vtero no„ uem mensibus portaui. Quibus allatis re„ dit

Cap. 7.

» dit postea hic auctor ad Aristotelis discutiendam opinionem, quam his verbis explicat. Sed quoniam superius sæpè de Aristotelis sententia ex alijs scriptoribus locuti sumus, operæprecium nobis visum est, vt & quæ ipse scripserit proferamus. Is libro Problematũ x. c. 41. solus, inquit, homo ex omnium animantium genere varia generationis tempora obtinet. Nam & septimo, & octauo, & decimo mense in lucem venire potest. Cæteris tempus vnũ perficiendi sine mora statutum est. Quo in loco Petrus Aponensis illius interpres doctior quidem quàm elegantior scribit, illum omisisse nonum mẽsem veluti notissimum, & omnium frequentissimum. Sed & inibi rationem naturalem adducit, quare octimestris partus nõ sit vitalis ex Auicenna xxi. tertij. quam, quia nondum adscripsimus, huc ponere volumus. Nam embryon mense septimo ex vtero egressum affectat, quia eius membra iam sunt completa, nec illi satis est ex sanguine, qui ad illum nutriendum per secundinam defluit; nec satis quoq; aëris: ideo plurimum ad egressum colluctatur, atq; ob id fatigatum redditur imbecillius. Igitur si nec dum refectis viribus octauo mense rursum eundem conatum petat, oblæsum frequentius moritur: quam & ipsam rationem posuit Albertus Magnus libro de Animalibus x. tracta. 2. c. 4. subdit autem Apon. & aliam rationem astronomicam, quam nos superius retulimus. Sed redeamus ad Aristotelem: qui & in lib. de Natura Animalium 7. c. 4. Homini, inquit, multiplex pariendi tempus datum est. Nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo: nonnullæ etiam vndecimum tangunt; fœtus, qui maturius quàm septimo mense prodeat, nullo modo vitalis est. Qui septimo, vitalis quidem hic primus existit, sed magna ex parte imbecillior; quare cunabulis ex lana cum obuoluunt, & fasciis alligant: & paulò post. Qui autem mense octauo nascuntur, viuere atq; adolescere in terra Aegypto possunt; & quibusdam alijs locis, vbi mulieres fertiliores sunt, multosq; simul & ferunt facilè, & pariunt, etiam si monstrosi sint. Sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi perpauci seruantur; vnde fit, vt, si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui conceptus initium latuisse. Et paulò inferius. simili modo & qui diuturniores quàm vndecimo mense nasci putantur; latet enim mulieres conceptus initium, si, cùm ante inflatus fuerit vterus, vt sæpè accidit, post coierint, atq; conceperint: hoc enim principium esse sui conceptus existimant, quod simile indicium attulit. Idem præterea lib. de Generatione Animalium quarto c. item quarto. Cęteris, inquit, animalibus vnum est tempus ferendi vteri, homini plura sunt: quippe cùm & septimo mense, & decimo nascatur, atq; etiam inter septimum & decimum. Qui enim mense octauo nascuntur, etsi minus, viuere tamen possunt. Quòd si de Platonis sententia Tiraquellum interroges; respondet ipse, hunc philosophum v. de Republica nullum aliud legitimum pariendi tempus agnoscere, præterquàm decimum, & septimum. Nec tamen finem facit hic auctor, sed Auicennę quoq; refert opinionem ex Fen vigesimaprima Tertij, & ex nono libro de Animalibus, quem Aristotelis appellat simiam, eademq; scribere ait; nisi quòd nono de Animalibus testificetur, mulierem quandam post decimum quartum mensem puerum peperisse, illiq; dentes statim enatos fuisse. Deinde Alexandri Aphrodisei explicat sententiam ex secundo libro Problematum, si modo Alexander est illorum librorum auctor, quod negat Theodorus vir eruditissimus. Is octomestres infantes nullo pacto viuere posse notatum reliquit; septimo, & decimo genitos esse vitales; quærens enim cur partus, qui septimo mense in lucem venerint, possint esse superstites, qui octauo, non possint; respondet id propterea contingere, quoniam septenarius natura perfectus numerus est, vt Pythagoras & Musicæ, Arithmeticæq; professores testificantur; octonarius verò imperfectus; qua ratione & monstra videmus etiam non viuere, eò quòd secundum naturæ prouidentiam genita non fuerint, sed imperfectionem contrahant, vel materiæ superabundantia, vel inordinatione; nullum enim imperfectum aut tempore, aut ortu & formatione à natura produci: ideoq; si quid tale erumpat, permanere non posse. Cur autem septimo mense nasci possint infantes, talem affert rationem Alexander; cùm enim vis formatrix in vtero validissima est, & vtilem sanguinem, ac sibi proportione respondentem inuenerit, celeriter opus suum perficit; igitur mense septimo: neq; enim tempore ocyore potest humanum corpus conformari. quòd si contrarium eueniat, decimestres oriuntur, enimuerò à virtute imbe-

Tract. 2. cap. 1.

Prob. 48.

imbecilla, ac sanguinem inueniente in vtero, neq; vtilem omnino, neq; sibi proportione respondentem, necesse est conformationem effici multò tardiorem: siquidem hoc sensu Alexandri verba accipere videtur Tiraquellus ita scribens. eduntur autem septimestres ob validissimam vim in vulua informatricem; quam is græcè δύναμιν διαπλαστικὴν dicit, quæ vtilem, moderatumq; sanguinem comperiens, fętum celerius explicat: sed si è contrario est, decimestres exeant necesse est. Quòd verò septenarius numerus & denarius perfecti sint, probat Alexander naturæ opera percurrens, quæ huiusmodi numeris absoluuntur; siquidem orbem terrarum septem insignibus stellis regendum nouimus; hominem septimo mense dentire incipere; anno septimo dentes permutare; bis septimo pubescere incipere; ter septimo firmam aggredi ætatem: præterea morbos numero septenario iudicari; lunam per septenariū suas accipere formas, & configurationes; menses septenis diebus constare; vocales septem esse; vt magno cum natura, arctissimoq; societatis vinculo numerus hic septimus teneatur. quod idem de denario dici debet, cùm hic numerus auctore Aristotele ortum omnem, ac interitum rerum complectatur; omnisq; numerus ex denario oriatur per repetitionem. Huic sententiæ, vt notat Tiraquellus, videtur Galenus eadem ratione permotus subscribere, in libello ei adscripto de Medicis Finitionibus; dum ait, septimestres ideo partus viuere, octomestres verò non, quoniam numerus octo par sit, atq; coniunctus, & ob id decretorius. Post hos Asclepiadem medicum profert Tiraquellus in medium, qui scribit Naxias mulieres, quæ scilicet eam Insulam, quæ Naxos inter Ciclades dicitur, inhabitant, solas octauo mense parere solitas, fętusq; illos vitales esse, Iunonis tamen munere. Deinde Sorani Ephesij & medici, & philosophi, vt ipse inquit, celebratissimi verba affert, Isagogæ cap. 17. in hanc sententiam scribentis. Rationem & perfectam hominis formam, siue figuram hominis infans in vtero accipit trigesimo, & quadragesimo die. Hos autem numeros, vt partus edatur, septies multiplicare oportet. Ita ergo quicunq; in vtero materno in trigesimo die septimo in se nascitur, ergo septies duplices fiunt dies ccx. qui faciunt menses septem. Si quis autem die quadragesimo figuram hominis acceperit, nono mense intrante decimo nascitur, hoc est septies quadrageni dies 280. qui faciunt menses nouem & dies decem. Ita ergo septimo, aut decimo mense qui nati fuerint, vitales erunt: qui autem non impleuerit numerum, legitimus partus non est. Quibus omnibus, quod pertinet ad septimestrem, adijcit Philonis Iudei auctoritatem, quem in libro Antiquitatum scripsisse inquit, Deum præcepisse Sarræ, vt ea citius restituens Isaac, quem conceperat, eum redderet ipsi domino mense septimo: & propterea mulieris omnis, quæ parit septimo mense, filium viuere. cuius tamen Philonis auctoritas altera circunfertur de partu octomestri, quam mirum est Tiraquellum prætermisisse; verba ipsius hæc sunt libello de Mundo γίνεται γὰρ τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα, τῶν ὀκταμηνιαίων ὡς ἐπίπαν ζωογονεῖσθαι μὴ δυναμένων. quę ita Lalamantius super librum de Septimestri Partu interpretatur. Septimestres vitales, & prolifici nascuntur; cùm octimestres, vt plurimum ne viui quidem gigni possint. Sigismundus verò Gelenius sic. Fiunt enim septimestres partus vitales, cùm octimestres omnino impossibile sit viuere. His Marcum Tullium adiungit Tiraquellus 2. lib. de Natura Deorum asserentem Dianam, quæ & ipsa Lucina est, adhiberi ad partus; quòd ij maturescunt aut septem nonnunquam, aut plerunq; nouem lunæ cursibus; qui, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. Demum his addit ex Arabū Schola Abrahamum quendam, & Haly Abatem, ac Aponensem; cuius iam opinionem supra indicauimus, abundèq; explicabimus sequenti libro; cōcludens de hac eadem quæstione inter Iurisprofessores Socinum in Responsis, Alciat. lib. Paradoxorum tertio esse legendos. Hæc sunt quæ apud Tiraquellum citato loco inuenimus; ex cuius verbis superius à nobis allatis perspicuum est, hunc virum septimum, nonum, & decimum mensem admittere, partumq; in his tantùm mēsibus editū, posse esse superstitem arbitrari, decimoq; præsertim; octauum verò, vndecimum, duodecimum, decimumtertium & vltra, sed octauum potissimum respuere. Verùm hactenus de Tiraquello; superest nunc, vt nonnullorum aliorum sententias afferamus, qui inter Iurisprofessores hac ætate adeò excelluerunt, vt primi eis meritò honores tribuantur; ita enim ex ditissimo Iurisperitorum penu potiora attulisse crediderimus.

Schol. 6.

Diff. 49.

Cōs. 65. sup. pposit. quęst. coll. 1. li. iij. Cap. 3.

Iacobi

Iacobi Menochij opinio de partu septimestri, & octomestri: item quòd fetus octauo editus intempestiuus, immaturus, imperfectus, & abortiuus censeri debeat.
Cap. 13.

IAcobus igitur Menochius summæ hac tempestate auctoritatis, vt ex suis scriptis colligere licet, præsertimq; ex 2. libro de Arbitrarijs Iudicum; septimum, nonum, & decimum mẽsem, tanquàm tempora pariendi congruentissima, citra omnem controuersiam recipit; vt potè in quibus & partus sit naturalis, & viuere infans diutius possit; octauum omnino respuit; de vndecimo dubius tandem est. quòd enim septimestris partus tanquàm vitalis recipiendus sit, id, inquit, lex ipsa testatissimum facit; quæ de Hippocratis sententia, quem doctissimum virum appellat, septimo mẽse nasci hominem posse statuit, vt l. SEPTIMO MENSE. patet euidenter. Id ipsum comprobat præterea Aristotelis auctoritate ex septimo de Historia Animalium, ex Plutarcho libro quinto de Placitis Philosophorum, ex Plinio libro septimo Naturalis Historiæ, ex Gellio libro tertio Noctium Atticarum, ex Cælio libro vigesimosecundo Lectionum Antiquarum; demum ex ipsomet Hippocrate libello de Septimestri Partu; quæ loca iam superius retulimus. hos enim omnes maximè eruditionis viros partum, qui septimo mense prodeat in lucem, vitalem esse miro consensu affirmare. addit tamen intelligendum esse de Hippocratis opinione, libello de Septimestri Partu, hominem septimo mẽse ineunte non solum confecto nasci posse; idcircoq; Macrobium non esse recipiendum primo libro de Somnio Scipionis asserentem aduersus hanc sententiam, partus septimestres vitales non esse, nisi mense septimo expleto promantur in lucem: hoc idemq; tanquàm Hippocraticum dogma tradere Vlpianum in l. INTESTATO. quo loco Iurisconsultus ait, natum centesimo octuagesimo die iusto tempore esse natum. quod sanè tempus sex mensium est, vt claret, ac duorum dierum; vel, si de lunaribus mensibus cum nonnullis intelligamus, mẽsium sex, & dierum quinq; . Quoniam autem videbat Aristotelem septimo de Historia Animalium. & quarto de Animalium ortu, dicere, idipsumq; Plinium confirmare libro vndecimo Naturalis Historiæ, nonnullos sæpè eorum, qui mense septimo nascuntur, præ sua imperfectione, ne meatus quidem integros aut aurium, aut narium adhuc habere, sed post accrescentes recipere, huiusmodiq; partus magna ex parte esse imbecillos; respondet non ob id censendum esse septimo mense editos vitales non esse; cùm ijdem auctores eos, nihilominus vitales esse affirment. Eandem sententiam tenet hic auctor lib. sexto de Præsumptionibus, vbi inquit præsumptionem esse ab ipsa natura, mulierem parere suo tempore, nempè vel septimo, vel, vt est magis regulare, nono mense: & infra docens non esse bonam coniecturam ad probandum partum esse immaturum, quòd mulier decesserit in puerperio, ita scribit. Constat enim omnium sentẽtia, partus septimestres vitales esse, sicuti scripsi in Commentarijs de Arbitrarijs Iudicum. lib. 2. cas. 89 n. 35. & tamen scribit Hippocrates de Septimestri Partu, sæpè mulieres parientes septimo mẽse perire vnà cum ipso fœtu. Hippocratis verba hæc sunt. Multæ verò mulieres etiã febricitant his contingentibus; quædam etiam pereunt vnà cum fœtibus; verùm omnes in breui ex hoc contaminantur: quod etiam, quatenus pertinet ad fœtus imbecillitatem, repetit tertia parte Consiliorum; scribens non esse hanc vrgentem præsumptionem, cum sæpissimè contingat partus etiã maturos esse admodum debiles, & tenues, quales illi sunt, qui septimo mense nascuntur, qui tamen sine controuersia vitales iudicantur: ad quorum quidem probandam imbecillitatem præter Aristotelis, Hippocratisq; allatas auctoritates, alia rursus eiusdem Hippocratis verba ex libello de Septimestri Partu adiungit, quæ talia sunt. Neq; enim crassitudinem habent, quã perfectissimi habent; & labores non diu antè tolerauerunt, vt tenues euaserint. atq; hæc de septimestri partu. De octomestri statuit ex communi sententia vitalẽ non esse arbitrandum: ita enim Gellium lib. tertio Noctium Atticarum definire; clarius Plutarchum lib. quinto de Placitis Philosophorum; Cælium lib. vigesimosecundo Lectionum Antiquarum; Aristotelẽ septimo de Historia Animalium: Aristotelem tamen citato loco memoriæ prodere in Aegypto, ac alijs nonnullis in locis eiusmodi partus vitales esse; & Plinium lib. septimo Naturalis Historiæ testificari hos partus in Italia esse superstites, ac vita frui; veruntamen ex recepta magis opinione minimè vitales arbitrari; propterea si fingatur casus, virum iamdiu abfuisse, & domũ reuersum, ibi per triduum mansisse, postmodum rece-

Marginal notes: ff. de stat. hom. — Cap. 4. — Cap. 18. — Cap. 5. — Cap. 16. — ff. de suis, & legit. — Cap. 4. — Præsũp. 52. n. 4. — n. 9. et 10. — Cõsil. 284. — Cap. 16. — Cap. 18. — Cap. 14. — Cap. 4. — Cap. 5.

recessisse iterum, si mulier intra octauum mensem pariat, & viuat filius, hunc à marito conceptum, vel genitum non credi. addit tamen magnam in hoc casu Iudici diligentiam esse adhibendam, vt philosophos consulat, & medicos. idemq; testatur libro sexto de Præsumptionibus, quo loco differentiam partus immaturi, & imperfecti tradit; atq; illius hæc est oratio. Est & illud hic obseruandum, atq; annotandum; partum dici aliquando immaturũ, aliquando imperfectum, etsi vnum pro altero sumi solet. Est partus immaturus, cùm intempestiuè editus est ante septimum mensem, vel octauo mense, qui vitalis non præsumitur, vt disserui lib. secundo de Arbitrarijs Iudicum casu 89. De partu immaturo, & intempestiuo res clara est, cùm apparet testimonio obstetricum, & peritorum in arte, vel etiam attestatione ipsius matris partum esse editum, vel ante cęptum septimum mensem, vel in octauo, vel simili, qui ex communi Physicorum schola viuere non potest. Hęc ille; qui mox subdit vix esse, vt aliquod extare possit signum immaturi partus ex persona matris, quàm illud, quod vel ante cæptum septimum mensem, vel octauo ipsa partum emiserit. quin etiam eiusdem operis libro quarto hoc idem antea confirmauerat his verbis. Declaratur octauo; & locum non habet hæc præsumptio in filio posthumo nato in quinto, sexto, vel octauo mense; atq; ita quãdo partus vitalis non est, & qui statim decessit: non enim hic filius dici debet positus in conditione ad exclusionem substituti. ita in specie docuit Socinus in d.l. cùm auus. n. 110. qui dicit se ita respondisse in causa lucẽsis, sicuti verè respondit in cons. 275. in fi. lib. 2. & idẽ senserunt Bal. & Alexander in l. 3. C. de posth. hęr. inst. est ratio, quia partus iste vitalis non est l. septimo mẽse ff. de sta. ho. & scripsi in li. 2. de Arbitrarijs Iudicũ casu 89. n. 36. & cõsequenter æquiparatur partui abortiuo l. Vxoris abortu. C. de po. hær. inst. & egregiè scripsit Gellius lib. 3. c. 16. & mox, & partũ immaturũ, & intẽpestiuũ dici abortũ quẽdã affirmarũt ex nr̃is multi, & c. atq; hæc Menoc. de octomestri.

Præs. 52. n. 6. & 7.

Præs. 89. n. 111.

Eiusdẽ Menochii opinio de partu nonomestri, decimestri, et vndecimestri. Item ipsius de insigni illa D. Hadriani, et Iustiniani circa vndecimestrẽ partum dissensione iudicium. Cap. 14.

De nonomestri verò partu nulla, inquit, ratione ipsum uocari in dubium posse, quin legitimus sit, cùm & naturalis maximè, & vitalis communi omnium consensione censeatur. De decimestri ait, statuendum esse ex Hippocratis opinione lib. de Septimestri Partu, & lib. de Natura Fœtus, hunc vitalem esse, fœtumq; in eo mense editum viuere posse, ac fieri superstitem; atq; hãc opinionem Iurisconsultos secutos esse, vt perspicuum est in l. Intestato. ac Decem viros præterea in legibus duodecim tabularum referente Gellio 3. Noctiũ Atticarum. id tamen totum Menochius intelligendum esse monet non de decem mẽsibus exactè expletis, cùm nil intersit, si partus per aliquod modicum tempus, nempè vel duobus, vel tribus diebus ante, aut post decem menses serius, aut ocyus edatur, quemadmodum de Gentilis physici sententia Socinus illustris iurisprofessor in l. Gallvs. in principio de liberis, & posthumis retulit: idipsumq; egregiè probare Aristotelem, dum libro septimo de Historia Animalium ita scribit; & nonnullæ etiã vndecimum tangunt; cui Plinius lib. septimo Naturalis Historię his verbis subscribit. Alius septimo mense, alius octauo, & vsq; ad initium decimi, vndecimiq;. huiusq; rei optimam attulisse rationem Marium Salomonium in l. Gallvs; nempè quia natura, etsi agat, & perfectè agat, plerunq; tamen non potest tàm repentè, quin aliquid differat. quibus ita de decimestri partu constitutis, addit, apud Athenienses tamen obseruatum fuisse, vt infans, post decem menses editus in lucem, tanquam illegitimus repudiaretur; cuius rei testem adhibet Plutarchum in Alcibiadis vita referentem Agidem Regem Leotychidem filium esse suum negauisse, quia post decem menses editus fuisset ab vxore. Quòd si quęramus, vnde nam menses isti decem sint inchoandi, an scilicet à die mortis viri, vel à die cõceptionis, (de qua re non exiguam inquit esse inter iurisprofessores controuersiam) respondet à conceptionis die mẽses eiusmodi esse enumerandos de Hippocratis opinione, cuius auctoritatem leges sequi videntur; atq; ita esse legem Gallvs, & legẽ Intestato. interpretandas: ipsum nanq; Hippocratem tempus hoc decem mensium non ad casus particulares retulisse, hoc est ad mortem testatorum, & virorum, sed ad tempus conceptionis. Hinc colligit Menochius Diui Hadriani decretum, quod refert Gellius lib. tertio Noctium Atticarum, scilicet in vndecimo quoq; mense partum edi posse, longè fuisse ab Hip-

§. ult. ff. de suis, & legit.

Cap. 16.

Cap. 4.

Cap. 5.

In princ. n. 44.

Cap. 16.

Hippocratis mente alienum duplici de causa; tùm quia Hippocrates censuit (vt Menochius arbitratus est) vndecimo mense nasci hominem non posse, sed multò antea; tùm quia D. Hadrianus menses decem à die mortis testatoris enumerat, non ab ipso tempore conceptionis. atq; hæc de decimestri partu. Demum de vndecimestri dicit, apud medicos, & philosophos varias fuisse opiniones. Plinium enim libro septimo Naturalis Historiæ scriptum reliquisse Vestiliam. C. Herdicij vxorem vndecim menses Suillum Ruffum in vtero gestasse, quanquam id fortasse intelligi potest de vndecim mensibus cęptis, nondum expletis; præterea Lucium Papyrium Prætorem, (quod sanè maius videri debet) bonorum possessionem dedisse partui tredecim mensium; cui rei videtur Auicenna consentire, scribens nono libro de Animalibus, se à quodam, atq; eo quidem auctore luculento accepisse, mulierem quandam menses quatuordecim gessisse vterum, ac editum infantem dentes statim ferè emisisse; hoc idemq; vt superius etiam visum est, D. Hadrianum requisitis veterum philosophorum & medicorum sententijs statuisse; qua tamen in re falli plurimum inquit Menochius Alciatum, dum libro tertio Peradoxorum opinionem hãc Aristoteli libro septimo de Historia Animalium attribuit; cùm senserit philosophus partum vndecimestrem mensis tantùm huius initium attingere posse, non ad finem vsq; in vtero gestari; siquidem dixit aliquos etiam vndecimum mensem tangere. Alteram opinionem, quòd scilicet mulier vltra decimum mensem vterum ferre nequeat, inquit Menochius Hippocratem libro de Natura Pueri fuisse secutum; idemq; Censorinum de die Natali ad Cerellium censuisse; Varronem præterea, Gellio citato loco referente; qui Rerum Diuinarum decimoquarto protulit, antiquos Romanos non recepisse huiusmodi quasi monstruosas raritates, sed nono mense, aut decimo, neq; præter hos alio partionem mulieris secundum naturam fieri existimasse. demum Iustinianum adijcit idem sentientem in Authent. de Restitut. & ea quæ parit in vndecimo mense; quo loco, etsi legatur ex Holoandri conuersione, sub finem vndecimi mensis peperit; ex aliorum verò interpretatione. vndecimo mense perfecto peperit; admonet tamen varietatem hanc nullius esse ponderis: cùm idem valeat ad partum illegitimum detegendum, siue infans vndecimo mense perfecto, siue sub ipsius finem in lucem veniat; cùm vtroq; modo terminum ab Hippocrate statutum excedat. de qua demum differentia inter hosce Imperatores ita statuit Menochius. Et dum Iustinianus cõputat vndecim menses à die mortis viri, verè ab Hadriano iam relato dissentit; qui, vt animaduertit Alciatus libro tertio Paradoxorum cap. septimo, vndecim menses à die mortis viri mulierem partum ferre posse sensit: quanquam Perrotus in d. l. GALLVS in principio num. 12. Alciatũ repræhendat, & male: inquit enim Iustinianum sic statuisse de vndecimo mense perfecto, Hadrianum de imperfecto; & ob id credendum esse, quòd non aliter statuisset Hadrianus quàm Iustinianus simili causa proposita. Ego credo quòd ita Hadrianus statuisset, sed vice versa non credo, quòd Iustinianus idem, quòd Hadrianus de vndecimo mense imperfecto à die mortis viri constituisset, cùm is terminus decem menses, & duos dies excedit; nisi is casus Hadriani fuisset quòd decem menses essent. & duo dies, & vir fuisset incolumis ea die, qua deinde est mortuus. Verùm satis de Menochio, nunc pauca quædam ex Bursatto, & Mascardo adijciamus, vt tandem finem dogmatibus Iurisperitorum recensendis, atq; proinde primo susceptæ disputationis libro imponamus.

Cap. 5. — . ff. de & le — 16. — Cap. 7. — Cap. 4.

Cur octauo mense geniti non sint vitales secundum Bursattum. Mascardi opinio de natis ante septimum, & octauo mense; & cur partus abortiui censeri debeant. obiter Cyni, & Michaelis Scoti de octomestribus sentẽtia. Cap. 15.

BVrsattus in Respõsionibus hanc de octomestris partus natura sententiam profert. licèt secundum communem opinionem natus etiam viuus in octauo, vel sexto mense, qui naturaliter viuere non potest ea naturali ratione, quòd septimo mense infans ad partum moueatur, quòd constet omnibus suis septem numeris, animo scilicet, corpore, sanguine, ingenio, desiderio, cupiditate, & humore, quibus humanum constat corpus, mensibus singulis ingeneratis: & si satis virium habeat ad partum, prodeat, sin minus in alium se locum ventris transmouens in eo maneat per duos inquam menses reliquos, donec reconualuerit satis: vnde quia in motu debilitatur, si sequenti octauo mense ad partũ pro-

Conf. 63. n. 18.

procedat viuere nequeat, vt doctè disserit Iacobus Concennatius lib. 2. cap. 9. n. 5. Hæc Bursattus. Mascardus verò tertio de Probationibus volumine de editis ante mensem septimum, & partu imperfecto statuit sic. Natus ante septimum mensem censetur, & præsumitur iuris dispositione abortiuus. & fundamentum ratioq; est, quia partus quinque, aut sex mensium, & ante septimum editus non est perfectus, nec perfectè editus; cùm secundum naturam, & sententiam doctissimi viri Hippocratis à iure receptam septimo tantùm mense posse nasci perfectum partum fuerit à Legislatoribus comprobatum in l. septimo mense; vt non ante possit dici perfectus, sed abortiuus à contrario sensu illius legis. & mox. ante septimum mensem dicitur potius mater partum eiecisse quàm emisisse, argum. l. si seruum alienum §. si mulier & l. quintus. & paulò post. Et quamuis infans nascatur viuus, tamen quia secundum naturam viuere non potest, habetur ac si natus non fuisset. vnde quando partus natus est viuus, tempore tamen immaturo, adeò vt secundum communem cursum naturalem breui moriturus sit, & viuere non possit; isto casu habetur pro non nato, & pro mortuo, & pro abortiuo. Hæc illæ; cuius verba etiam illa animaduertenda sunt, quibus inquit Aristotelem septimo de Historia Animalium asserere partum ante septimum mensem non articulari, neq; organizari, vixq; in septimo id ei contingere. De octomestri verò partu hæc scribit. Partus, licèt viuus editus octauo mense, habendus

Conclus. 1146.

est pro abortiuo, vt Cynus in l. septimo mense. paria enim sunt, vt dicunt Doctores, non nasci viuum, vel viuum nasci & viuere non posse. & mox. Quòd octauo mense natus viuere non possit vltra octauum diem testatur Michael Scotus in lib. Physionom. cap. 10. Idem roboratur auctoritate Aristotelis lib. septimo de Natura Animalium cap. 4. vbi inquit, octauo mense nati non viuunt nisi in Aegypto, & adhuc raro. Hæc igitur sunt, quæ ex Iurisperitorum fontibus tanquam potiora haurire potui; quæ compendio collecta in auctoritatesq; digesta & rationes, quibus permoti octomestres enecant, & arcent à successione, habes benigne lector in mea Cōpendiaria Disputatione. Superest modo, vt secundo libro manus admouens, quorundam medicorum afferam sententias, (nam & omnes recensere longum esset nimis, ac morosum) qui iurisprofessoribus videntur fauere: sunt autem hi inter paulò vetustiores Conciliator, ac Gentilis magni ambo Auicennæ sectatores; inter recentiores verò Fracastorius sui seculi medicorum facilè princeps, ac vterq; Frāciscus Valeriola & Valesius, ante illosq; Gorreus, Musa, & Ludouicus Mercatus in Galeni familia tùm ob summam eruditionem, tùm ob stili elegantiam maximè illustres; quibus Hieronymum Capiuacceum, & Hieronymum Mercurialem ætatis nostræ ornamenta adijciam; non dubitans eadem sæpè repetere in horum recitandis opinionibus, vt facilius appareat, in quibus fuerit illorum summa consensio.

Cap. 7.

FINIS PRIMI LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA.

LIBER SECVNDVS.

Cur octauo mense geniti intereant secundum Aponensem; quomodo Aristotelis, & Auicennæ auctoritates, quæ contrarium dicere videntur, interpretandæ sint secundum eundem. Cap. I.

IVRISPROFESSORVM placita de mensibus humano partui præfinitis, præsertimq; de partu octomestri primo libro (nisi fallor) abundè exposuimus; hic modo secundus dedicatur totus dogmatibus medicorum exquirendis, in quorum ipsi auctoritate delitescunt. Iuris enim professores, vt ex superiori disputatione perspicuum est; in probanda octomestris partus infelicitate medicorum testimonijs potissimum nituntur; atq; horum, quos primum legerunt, sententia capti, de hac difficillima quæstione iudicant; ad ipsorumq; opinionem quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhærescunt. ac nescio quomodo (quod deplorandũ omnino est) errare malunt, eamq; sententiam, quam adamauerunt, pugnacissimè defendere, quàm sine pertinacia quid constantissimè dicatur, exquirere. Ordiemur autem à Petro Aponensi, & Gentili, qui videntur ferè primi de octomestrium morte aperto ore sententiam pronunciasse. Aponensis igitur Differentia quadragesimanona totus est, vt longa disputatione diligenter ostendat, octauo mense genitos non esse superstites: ac de more primùm affert rationes contrarias huic positioni; deinde respondet ad quęstionem; mox allatas dissoluit argumentationes: nos eodem ordine progrediamur. Prima argumentatio est. Aristoteles nono Historiarum, quarto de Generatione Animalium, decima sectione Problematũ: item Auicenna nono de Natura Animalium, & Fen. 21. tertij videntur dicere partus octauo mense edi, & viuere posse; igitur octomestris partus est vitalis. Secunda. si de quo minus, ergo & de quo magis: atqui viuit septimestris, qui minus viuere debet; ergo & magis octomestris. maior axioma est ab omnibus concessum; minor ex eo probatur euidenter, quòd fœtum illum, qui diutius in vtero permanet, vitalem magis esse oportet: roboratur enim magis, ac perficitur, quò longiori tempore in vtero commoratur. Tertia. tempus motus fœminæ tardius est circiter dies sex quàm maris, vt scribunt; cùm igitur tempus partus triplum sit temporis motus de Hippocratis sententia, si fęmella nono mense nascitur vt plurimum, mas in octauo orietur. Quarta. natura nihil agit frustra, sed octomestres ea producit, & maturos quidem illos ac perfectos; igitur octomestres partus sunt vitales: cur enim in eis gignendis, & conformandis tantopere natura laborat, quos mox scit perituros? Quinta. qui nascitur, creditur mori propter frigiditatem perimentem; quare Genethliaci ponunt natũ sub Saturni potestate periclitari; sed ponamus nonomestrem oriri vigente gelu, octomestrem æstu dominante, igitur tunc superstes esse debet. Hæ sunt meo quidem iudicio rationes potiores; quibus explicatis, præmittit Conciliator, vt respondeat ad quæstionem, cùm de mensibus loquimur, lunares menses esse intelligendos, qui constant diebus 29. cum semisse, licèt nihil referat, vel certè parum, si etiam solares intelligamus; cùm nouem lunares menses diebus tantùm quatuor cum semisse solaribus sint maiores. Item accipit partum esse triplicem; vnum omnino naturalem, qualis est, qui mense nono editur, & dies circiter decem; alium omnino præter naturam, vt qui mense fit octauo; tertium, qui naturam mediam sortitur, atq; hunc quidem triplicem esse statuit. cùm enim longius ferendi vteri tempus vsq; ad decimumquartum se mẽsem extendat, vt videtur velle Conciliator; vel partus hic in dimidio tempore perficietur, qualis est, qui septimo mense maturat; vel ad tempus magis naturale declinabit, & sic decimo mense nascetur; aut demum ad oppositum, & sic vndecimo, vel decimoquarto orietur. His positis respondet postea dupliciter ad quæstionem: ac primùm inquit, auctores, quòd pertinet ad partum octomestrem, varios

Tract. 2. Cap. 1.

rios esse, ac sibi aduersari: Alexandrum nanq; Aphrodisiensem credidisse, ac nonnullos alios in Arabum familia non obscuros partum octauo mense editum vitalem non esse. è contra verò Aristotelem Historiarum septimo,& sectione decima Problematum memoriæ prodidisse, partum hunc in Aegypto viuere, & adolescere, & quibusdam alijs in locis, vbi mulieres sunt fertiliores: atq; sententiæ Aristotelicæ subscribere Auicennam Fen. 21. tertij cap. de Generatione Embryonis, & nono de Animalibus. Deinde, vt omnem tollat contradictionem, respondet secundo partus octomestres vt plurimum quidem, ac vniuersaliter non esse superstites, particulariter verò, & raro viuere posse, tanquam monstrosum quoddam, rarenterq; in natura locum habens. Quòd verò generaliter octauo mense editi nequeant vita potiri, id triplici ratione comprobari inquit Cõciliator; quarum prior ex philosophiæ, & medicinæ fontibus sumitur; secunda ex Arithmetica, naturaq;, & occulta quadam potestate numerorum; tertia & postrema ex monimentis astrologicis. item & sensuum præterea fide cognosci; cùm omnibus ferè in locis longa periclitatione obseruatum sit eos non viuere; dixeritq; citato loco Aristoteles in Græciæ regionibus multos octomestres interire, nec nisi perpaucos seruari. Primæ rationis vis, quam longa disputatione explicat Conciliator, (expositis antea formationis temporibus) in eo posita est, quòd fœtus, qui validi sunt sua natura, septimo mense egredi conantur: hi si exeant, vitæ compotes fiunt, si non possunt excludi, sed eorum editus in octauũ mẽsem prorogetur, ex priori labore debiles facti, meritò tùm moriuntur, quia laborem alterum partus ferre nequeunt; cùm alioqui, si ad nonum vsq; mensem in vtero maneant, vitales tunc nascantur, quoniam suas vires recuperauerint. Quòd si quis obijciat octomestrem magis vitalem septimestri esse oportere, quia septimo mense editus fatigatus plurimum motu, & calcitratione, læsusq; partus laboribus egrediatur; item ad aërem perueniat, qui non parum ei aduersatur; vt tot simul conspirantibus in maximo vitæ discrimine esse debeat: octomestris verò è contra diutius in vtero permanens, ac diebus aliquot à labore feriatus, validior in lucem edi videatur; respondet ipse, fœtus post septimum mensem ægrotare, ac malam quandã affectionem contrahere, qua dierum quadraginta spatio cuiusdam acutæ ægritudinis instar affligantur: qui sanè quadraginta dies si à fine septimi mensis numerentur, cùm desinant in nonum, propterea, si his confectis diebus nascantur, partus vitales esse: intra quadragenariã hanc dierũ natos, ac proinde octauo mense, omnino perire. quòd si quis rursus vrgeat, crisim omnem magis esse salubrem quàm mortalem, nisi pestilens omnino morbus fuerit, partum verò esse quasi crisim quandam, ac propterea vt plurimum vitalem esse oportere, ideoq; non septimo, aut nono tantùm mense editum, sed octauo quoq; vitæ compotem fieri debere; ita diluit dubitationem hanc Conciliator. » Dicendum, quòd viuere non poterit, quia læsus prius, » læditur, & in partu; noceturq; non minus » ab extrinsecis cunctis occurrentibus: est e- » tiam pestilens & monstruosus, quare non » poterit permanere in vita. hæc ille; ex quibus satis colligere licet, quàm male fuerit in partus octomestres animatus. Secunda ratio ex natura numerorum pendet: quoniam enim septenarius numerus, item nonus, ac decimus perfecti sunt, quòd pluribus probat Cõciliator tùm ex Pythagoræ, tùm ex aliorum auctoritate; sextus verò, ac octauus,& duodecimus imperfecti; ideo octomestres periclitantur, cæteri incolumes fiunt. Tertia ratio genethliacis, atq; astrologicis fundamentis nititur: volunt enim Astrologi singulos Errones singulis partus mensibus dominari, ita vt Saturnus in primum à conceptione mensem imperium teneat; in secundum Iupiter; atq; hoc pacto gradatim deorsum versus vnusquisq; suum moderetur. quoniam igitur iuxta hanc distributionẽ septimus mensis à Luna gubernatur, octaui dominium redit ad Saturnum; cuius sideris malignitate octomestris confectus emoritur. His allatis rationibus, ita rursus de hoc partu statuit Aponensis. Itaq; ex his tribus, inquit, con- » uincitur natum octimestrem totaliter, & » ferè semper non viuere. » Quoniam autem dixerat superius raro hos fœtus,& quibusdam in locis vitales esse; idcirco alterum hoc aggreditur declarãdũ: dicitq; calidioribus in locis, non tamẽ calore excedentibus, sed temperatis, vt in Aegypto, atq; vbi mulieres sunt fertiliores, octomestres superuiuere, quia enarratæ causæ in illis locum non habent. deficit nanq; prima, quã prima ponebat ratio, propter fœtus robur & magnitudinem; vnde imbecillitas illa, quæ fœtui post septimum mensem euenit,

non

non tanta est, vt si octauo edatur, partum enecet. deficit secunda, iam secunda explicata ratione, eadem de causa. demum tertia posita in tertia ratione nullas habet vires, quoniam insitus calor robustissimus, & perfectissimus, quem fœtus ex vtroq; parente mutuatur; item calor regionis, occultę Saturni malignitati facillimè resistũt, frigiditatemq; ipsius, & siccitatem, qualitates nimirum maximè vitæ aduersantes, irritas reddunt. in reliquis verò regionibus præter Aegyptum concludit Aponensis octomestres non viuere: si verò aliqui interdum editi videantur, ac mansisse superstites, dicendum potius esse, mulierem sui conceptus initium latuisse. His positis, argumentationes initio adductas ita diluit; inquiens, ad primam ex ijs, quæ disputata sunt, solutionem innotescere; nimirum si diuinare liceat, Aristotelis, & Auicennæ auctoritates non de octomestri eo partu intelligendas esse, qui raro viuit, tanquam monstrosum quoddam; sed de eo, qui nascitur in Aegypto. Ad secundam, ex superioribus esse manifestum, octomestrem non magis esse septimestri superstitẽ, immò & multò minus; cùm non omnis mora augmentum fœtui præbeat, ac robur, & perfectionem, sed, vt verbis vtamur Conciliatoris, mora determinata cum dispositionibus debitis ostensis, ad illud operantibus. Tertiam tollit ex eo, quòd, licèt conformatio, & motus in mare ocyus appareat, & perficiatur, potest tamen fieri retardatio, & æqualitas in tempore partus. Ad quartam respondet, erratum esse naturæ partum octomestrem. Demum quintam ita labefactat. Ad aliud dicendum, quòd non solum quis propter qualitates primas peremptiuè in ipsum agentes excessum deperit, verùm etiam propter debilitatem, & impotentiam in octauo mense; cùm oritur impotentiæ occurrenti & languor: neq; Saturni perimit frigiditate cum siccitate solum: verùm etiam nominis virtute quadam sibi occulta insita, vt ostensum differ. 10. quæ absq; medij operatur immutatione. Hæc præcipua sunt, quę apud Conciliatorem inueni; nunc Gentilis audiendus.

Causæ interitus octomestriũ secundũ Gẽtilem. obiter ex eodem quando fœtus animal fit rationale. cur octauo mense editos perire censuerit Auicenna de Gentilis opinione. Cap. 2.

Tract. 1. Cap. 2.

GEntilis in Commentarijs super tertio Fen. de Embryonis Generatione, putans Auicennam octomestribus vitam omnino denegare, de ipsius sententia, quam & ipse recipit, hosce partus minimè fieri vitæ compotes ijsdem de causis statuit, atq; eius hæc est oratio. Quare natus in septimo mense viuat, & in octauo non; redditur causa ab Auicenna hic, & Halya: quia fœtus semper incipit moueri ad exitum, quando fœtus est completus, & deficit sibi nutrimentum in septimo mense: ideo si nõ exit, debilitatur propter motũ; & ideo resumitur per totum mẽsem octauum vt plurimum; & ideo debet ire vsq; ad nonum mensem. Secunda causa est astronomica: quia in primo mense dominatur Saturnus embryoni, in secundo mense Iupiter, in tertio Mars, in quarto Sol, & tunc est animal rationale: postea Venus, postea Mercurius, postea Luna, & tunc si nascatur, viuit, & completus est cursus. si transit, & venit ad octauum, regnat Saturnus, qui sua frigiditate, & siccitate, quæ sunt qualitates vitæ contrariæ, interficit fœtum. Sed in nono regnat Iupiter, qui dat vitam, & est benignus, & ideo tunc viuit. in decimo etiam viuit, & regnat Mars. Hæc ille; qui rursus Tractatu secundo, quo loco ex professo Auicenna quæstionem hanc explicare aggreditur, testatur, ipsum Auicennã voluisse octomestres non esse vitales; atq; id hac ratione probasse. Octomestris partus vel maturius editur, quàm tempus expostulet suæ conformationis, & perfectionis; aut serius. vtro modo res eueniat, viuere non debet. Si enim ocyus; cùm nil ante suæ perfectionis tempus ortum viuere queat, iure labitur ad interitum. si verò serius; quoniam id magnæ imbecillitatis est argumentum, meritò etiam vita non potitur. id ipsum enim, inquit Gentilis, euenit in partu, quod in natura debili, si humorem critica die non expellat. si enim natura crisim moueat in die critica, nec eam ob suam perficiat imbecillitatem, sed in aliam differat diem, moritur ęger: ita & in partu contingit. Hæc sunt, quæ in huius viri monimentis inuenire potui. non me tamen præterit, iurisprofessores scriptis mandasse, Cynũ super lege SEPTIMO MENSE scribentem Gentilis de octomestri partu disputationem recitare, in qua ipse multis conatur rationibus ostendere, octauo mense genitos vitales non esse. Verùm ego Cynum hunc, à me frustra per omnia ferè Italiæ loca conquisitum, nunquam inuenire potui; cùm enim Venetijs, Patauij, Perusijq; scripserim; responderunt

Cap. 1.

ff. de statu hom.

runt omnes, Cynum, vel legem illam non enarrasse, vel non inueniri; vt mirum sit, quosdam inter iurisprofessores non obscuros litteris mãdasse, se disputationem hanc Gentilis apud Cynum legisse: sed non semel (proh dolor) nobis contigit, cùm citata loca à iurisprofessoribus plurima quæreremus, postquam ea inuenerimus, ne verbum quidem vllum de re proposita in illis reperijsse.

Infelicitatis octomestrium causa ex Hieronymo Fracastorio. Item Antonij Musæ Brasauoli de eadem re opinio, nouaq; ipsius sententia de temporibus formationis, motus, & partus. Cap. 3.

NVnc Barbarorum sententia exposita ad Galenicæ sectæ professores transeamus. Hieronymus Fracastorius in Tractatu de Sympathia rerum, & Antipathia octomestrem partum non viuere ipse quoq; sentit: huiusq; infelicitatis hanc reddit rationem; quòd quemadmodum in genere tritici est quoddam semen, quod tribus mensibus generat, vnde & trimestre vocāt, alij setanium appellant; quoddam verò, quod mensibus nouem; ita & in genere humani seminis quoddam est, quod septem mensibus parit; quoddam, quod nouem. Partum igitur, qui editur octauo mense, esse quidem non posse ex eo semine, quod septem mensibus gignit, quare ex eo esse, quod nouem mensibus solet maturum producere: igitur cùm ante nonum mensem editus sit, indicare immaturum esse, & vi aliqua eiectum; talem autem vtpotè immaturum, & præcocem moriturum enatum esse: cuius signum est, quòd certis regionibus, vt in Aegypto, octomestres partus etiam viuere ferunt; quòd bonitate regionis defectui immaturitatis satisfiat. Cur autem duo tantùm sint humani seminis genera, & alterum septem, alterum nouem mensibus partum edat; eādem habere quæstionem, cur & in genere tritici duo similiter seminis genera sint. causam in vniuersum esse analogiam talem agentis ad talem materiam; neminem enim esse, qui quærat, cur tanta flamma tantum roboris absumat in hora vna. Hæc Fracastorius. Verùm & Musæ opinio prætereunda non est, qui in octomestres aliquanto benignior, si non omnibus octomestribus, saltem ijs, qui octaui mensis initio nascuntur, vitam concedere videtur. Is quarto secto Aphorismorum primùm nonnulla scribit de formationis tempore non spernenda: inquit enim si fœtus femella sit, longius spatium formationis fieri in diebus quadraginta duobus; si mas, longius spatium esse triginta duorum dierum: & si tertio mēse moueatur (quod est spatium 90. dierum) hoc spatium in tres partes esse diuidēdum; & cùm tertia pars sint 30. dies, fœtum hunc in triginta dierum spatio fuisse conformatum. ex quibus satis claret, virum hunc facere triplum tempus à conceptione ad motum, & triplum rursus à motu ad partum; quod etiam his verbis clarius significauit. Nam cùm infans conformatus est, si totum hoc tempus à conceptu ad cōformationem multiplicando triplices, statim id tempus habebis, quo moueri cępit. Si deinde totum tempus à principio conceptionis vsq; ad motum triplicando multiplices, in fine huius spatij temporis in lucem erumpit. Vnde qui in triginta diebus conformatus est, in nonaginta diebus mouetur. Si deinde nonaginta dies triplicabis, fient ducenti septuaginta dies, qui sunt nouem integri menses. Si in vigintiquinq; diebus conformatus sit, in septuaginta quinq; moueri cępit, in ducentis vigintiquinq; nascitur, qui sunt septem menses, & semis. At si in viginti tribus diebus conformatus sit, in sexaginta nouem diebus mouetur, & in septem mensibus nascitur. Hanc igitur regulam obseruato, quæ non fallit; quando in septuaginta quinq; diebus, vel 69. vel circa mulier infantem moueri sentit, iudica hanc septimo mense parituram. Hæc ille; in cuius verbis illud etiam animaduersione eget, quod inquit, breuiori tempore, quàm diebus 30. fœtum conformari posse; qua in re an ab Hippocrate, & Aristotele dissideat, suo loco videbimus; præterquàmquòd duplum esse, nō triplum conformationis tempus, scilicet à conceptu ad motum, Auicenna, ac reliqui omnes tradidere. interea tamen notandum est, octauo mense apud ipsum partum edi vitalem; vt de illo patet, quem vigintiquinq; diebus conformari posse scribit, quem medio octauo mēse nasci inquit. His sic explicatis, subdit multos ex his, qui septimo mense nascuntur, perire; causamq; ab Hippocrate libello de Septimestri Partu traditam esse; item famam increbuisse infantes omnes, qui octauo mense nascũtur, periclitari, atq; ita in libello de Octomestri Partu iudicasse Hippocratem; huiusq; rei causam Astronomos in Saturnum retulisse; Naturales verò in conatum, quem septimo

cap. 11.

Aphoris. 1.

Tract. 1. Cap. 2.

timo mense facit infans, vt exeat: agitatum enim propterea debiliorem effici, proindeq;, si octauo mense nascatur, quia motus ille, & illa imbecillitas nondum correcta sunt, obire: huicq; rationi alios aliam addidisse, nimirum dierum quadragenarias in octauo mense non esse perfectas, sed in septimo, & nono perfectas esse. quibus sic constitutis aliam Musa de suo addẽs rationem ita subdit. Nos hoc tantùm addemus, simpliciter verum non esse, octomestres occumbere, & decimestres, vt dicit Hippocrates, licèt excedant septimam quadragenariam. Nam Illustrissimi Ducis nostri Herculis secundi primogenitus decimestris in lucem erupit, tamen non obiit. Sed de his alias vbertim agemus, simul & Plinij verba de octimestri partu adducentes. Nunc id solum addemus, nos aliam causam assignare, cur in septimo viuãt, in octauo non viuant infantes; quæ hæc est. Statutos esse à natura terminos generationis septimum, & nonum mensem: illi, qui citius animantur, citius perficiuntur, & septimo mense perfecti exeunt, & viuunt, hi, si sexto mense erumpant, viuere non possunt, quia imperfecti. Illi, qui tardius animantur, tardius perficiuntur, & hoc est nono mense, vel supra nonum: hiq; non sunt perfecti in octauo, ideo si in octauo prodeant, moriuntur. Illi ergo, qui in septimo habebant perfectionem, viuunt, si in septimo gignantur; immò & si in principio octaui. Octauo autem mense nullus perfectus est, sed nono. Ideo nonus, & septimus superuiuentes faciunt, alij minimè. Hæc Musa; qui apertè fatetur, octomestres interire, licèt non omnes occumbere velit; cùm octaui mẽsis initio edi posse vitæ omnino compotes fateatur.

Gorrei opinio de Mensibus humano partui dedicatis. Cur solus homo multiplex habeat tempus pariendi ex eodem. Eiusdem pulchra, & elegans disputatio de Solis, ac Lunæ viribus in hæc inferiora.
Cap. 4.

SEd iam Gorrei Parisiensis Medici, ac viri eruditissimi sententiam afferamus; quam in Annotationibus suis super Hippocratis lib. de Natura Pueri habemus luculenter ab eo explicatam, tametsi postea Def. Med. lib. 19. quæcunq; ipse de temporibus humani partus, ac de octauo genitis citato loco eleganter disseruit, posita fuerint. Is ergo auctor sic primùm generaliter de humano partu statuit, simul & causam adducens, cur multiplex pariendi tempus fuerit homini à natura impartitũ. Partus, inquit, actio est partim quidem vteri, partim verò ipsius fœtus. Vteri quidem, quoniam ille offensus grauitate iam multùm adaucti fœtus, & excrementorum redundantia, atq; ob eam causam distentus, vi propria expultrice fœtum in lucem eijcit. Fœtus verò, tùm quia auctior satis alimenti à matre non accipiat, tùm quòd partionis tempore plus calidi natiui habens, magis quoq; refrigerari postulet. Quamobrem cùm nõ sufficiat spiritus maternus, quem illa per arterias subministrat, ad exitum concitatur. Id autem non vno, certo, statoq; tempore contingit; nam multis septimo mense, plurimis nono, vel decimo fœtus in lucem editur; cùm tamen sint stata in alijs animalibus pariendi tempora: homo autem solus non vno, & incerto gignitur spatio. Cuius quidem varietatis causam aliqui ad vim imaginatiuam, quæ homini perquàm varia est, retulere; alij ad motum fœtus primum, qui fit in vtero; alij verò ad formationem, quæ infantibus quibusdam celerius, quibusdã tardius perficitur. Nam prout celerius, vel tardius fœtus conformatus est, etiam tempestiuius, aut serius mouetur; ac demum tempore bis tanto, à quo moueri cępit, accedente, vt auctor est Auicenna, in lucem venit. Et de his quidem tribus mensibus, scilicet septimo, nono, & decimo inter medicos omnes, philosophosq; conuenit. An verò alijs mensibus nasci possint, magna est cõtrouersia. De sexto quidem mense nemo vnquàm scripsit, visum à se fœtum, qui in illo natus diù superstes vixerit; siquidem illi omnes abortiui sunt, ac paulò post pereunt. De septimo nemo vnquàm dubitauit, quin frugifera in eo partio contingeret, Sempronij, Corbulonisq; exemplo, vti refert Plinius, vtriusq; Consulis; quos Vestilia mater septimo mense genuit. De octauo melior Auctorum pars scripsit vitalem in eo fœtum non nasci, quamuis ab Aristotele scriptum aliter esse videatur. Hęc Gorreus; simul etiam Plinij, Cęcilij, & Varronis auctoritate Aristotelis comprobans de octauo mense sententiam. qui postea ex Virgilio, Homeroq; & alijs, de humani partus temporibus pleraq; in mediũ adducens, quæ etiam primo libro notauimus ex Tiraquello, Astrologorum, Arithmeticorumq; explicat mox opinionem, cur septimo, nono, & decimo mense vitalis

partus egredi posſit, nequaquam octauo. Quæ quidem omnia partim libro primo attulimus, partim in hoc ſecundo Ludouici Mercati adducentes ſententiam afferemus, vt vel hi huius viri laboribus, vel ipſe horum lucubrationibus ſua ſcripta ornaſſe videantur. Non eſt tamen prætereundum Gorrei iudicium de opinione Arithmeticorum, qui octauum menſem ob octonarij numeri naturam, & proprietatem cenſuerunt refellendum. Sed quæſo, inquit, cur tàm malè, & ſiniſtrè de octonario ſentiunt, & loquuntur? cur eum imperfecti inſimulant, cùm ijſdem ipſis auctoribus ſolidum ex eo corpus, & verè perfectum componatur? ergo ſingulariter quoq; plenus, perfectuſq; iure dicetur propter corporeæ ſoliditatis effectum. Eſt enim ille de his, vt ipſi dicunt, quæ nec generantur, nec generant, ſcilicet ex monade & ſeptem conſtitutus; aut ex eo, quod tùm generatur, tùm generat, nempè quaternario duplato conſiſtit. Quin etiam octonarium Pythagorici iuſtitiam vocauerunt, quia primus omnium ita ſoluitur in numeros pariter pares, hoc eſt in bis quaterna, vt nihilominus in numeros æquè pariter pares diuiſio quoq; ipſa ſoluatur in bis bina. Eodem etiam modo contexitur, ideſt bis bina bis octo componunt. quare cùm & contextio ipſius pari æqualitate procedat, & reſolutio æqualiter redeat vſq; ad monadem, meritò propter æqualem diuiſionem iuſtitiæ nomen accepit. Qui ergo tàm iuſtus eſt, non conuenit profectò fœtui iniquum eſſe. Sed ad ipſam etiam Cęli harmoniam continendam, firmandamq; hunc numerum magis aptum eſſe non dubium eſt; cùm ſphęræ ipſę octo ſint, quæ in Cœlo mouentur. Hęc quidem ſunt à me adducta: quò docerē, ex numeri paritate non rectè imperfectum demonſtrari, & ineptum ad vitam fœtus tuendam, atq; conſeruandam. Qua in re non exiſtimo me à Galeni ſententia diſcedere, qui paritatem, atq; imparitatem à vi criticorum dierum ſimiliter reijcit, atq; excludit. Hæc eruditè admodum Gorreus, qui etiam & non multò poſt Galeni eiuſdem auctoritate traditam hanc à Pythagoricis numeris virtutem plurimum irridet; aliorumq; poſthabitis ſententijs, rectiſsimè addens non decere quæſtionem hanc de partu tàm multiplicem, tàmq; ambiguam, & altis ſubmerſam tenebris iſtis auctoribus, rationibuſq; explicare, & definire, immò ex intima philoſophia, & probatiſsimorum philoſophorum ſcriptis eruendam eius ſolutionem eſſe, quę tamen habita fuit ſemper difficillima; ſic tandem ex propria ſententia grauiſsimè de ea decernit: cuius nos diſputationem totam non grauabimur hîc adſcribere, cùm nullus fuerit (ni hallucinamur) qui in hac tractanda difficultate firmiora iecerit fundamenta, philoſophiæq; peripateticæ magis conſentanea; tametſi, vt liberè proferam quod ſentio, quæ poſtmodum ſuper illa fabricatus eſt, plurimum nutare videantur, vt fauente Deo in ipſius ventilanda opinione planum fiet decimo libro. Sic ergo doctiſsimus Gorreus ſcribit. Rectè, vt mihi quidem videtur, philoſophi omnes hunc orbem inferiorem à ſuperioribus corporibus moueri, dirigiq; ſtatuerunt; & cunctas, quæ hîc contingunt, mutationes à cęleſtibus pendere. In quibus, cùm nihil ſit, quod non maiori, quàm hæc terrena, facultate polleat; præcipuè tamen duorum nobilium ſiderum ſolis, atq; lunæ, vim, potentiamq; experimur: illius quidem per ſe, & primariò, huius verò quatenus à ſole aſpicitur, & illuceſcit. Eius nanq; vel acceſsio, vel receſsio, vt diuerſas ſuſtinet mutationes, ſic varia in noſtro orbe operatur; ſuntq; eius opera tantò, quàm reliquorum planetarum magis conſpicua, quantò huic orbi vicinior eſt. Quamobrem cùm illa ſingulis illuſtretur menſibus, & cùm ſole cōgrediatur, quæ maxima illi mutatio eſt, quùmq; plena multum à ſe ipſa cum ſole congrediente diuerſa ſit, non eſt dubium, quin & maximè hic orbis noſter pro lunæ in ipſum imperio immutetur. Ac rurſum cùm inter extremas illas lunæ mutationes, aliæ quædam mediæ intercedant, ſcilicet tùm, quùm διχότομος, tùm cùm ἀμφίκυρτος, certū quoq; eſt mutationes his etiam duobus temporibus, quamuis minores, magiſq; obſcuras, contingere. Apparet igitur quatuor eſſe lunę mutationis momenta, & ea ſeptimo quoq; die euenire. Nam & poſt ſeptem à prima apparitione dies διχότομος, hoc eſt per medium ſecta: & ſeptem poſtea diebus orbe pleno viſitur, quod die contingit decimoquarto. Si verò quemadmodum aucta eſt, ita diminui intelligas, duas pariter habebis ſeptimanas: quarum prior die vigeſimo ſecundum Hippocratem, & Galenum, vt voluit Archigenes vigeſimo & primo, poſterior autem vigeſimoſeptimo concludetur. Sed quùm dixerimus vim omnem lunæ à ſole proficiſci, nemo certè dubitabit, quin inſignes etiam ab eo mutationes pendeant, præſertim quùm quatuor

tuor anni tempora ab eo fieri videamus. Ambo igitur, & sol, & luna vires magnas obtinent, easq; in corpora inferiora exerunt, non in morbos tantùm. Absurdum enim esset in hos quidem aliquid posse, in cæteris autem viribus destitui. Immò verò & haberi possunt ex ijs præsagia non modo in ægrotis, sed etiam in sanis, quemadmodum scripsit Galenus ab Aegyptijs Astronomis se verissimè comperijsse. Itaq; in ipsum etiam fœtum, quem mensium quoq; certis spatijs Hippocrates scribit iudicari. Quamuis autem nonnulli inconueniens videri potest, rem eandem à duobus illis sideribus affici, attamen Hippocrates, & Galenus existimarunt in illis quidem mutationibus, quæ breues sunt, & paucis diebus definiri solent, negocium omne ad lunam deferri: in alijs verò, quæ non nisi longo iudicari possunt tempore, & perfici, ad solis cursum maximè attendendum. Eam nanq; ob causam acutos morbos, qui breues esse consueuerunt, decem & quatuor diebus iudicium subire statuunt: quartanas autem febres non diebus quidem, sed mensibus sex iudicari. Rerum enim circuitus, qui diebus aliquot concludi possunt, septimani sunt, & lunæ modo circumaguntur: sed qui mensibus, illi ad solem referuntur, eandemq;, quàm septimanæ, rationem sortiuntur. Quùm enim à mensis principio vsq; ad pleniluniũ quatuordecim prope dies sint, qui lunaris circuitus dimidium complent; ita ab hyeme ad æstatem, quæ sunt duæ anni totius extremæ mutationes, sex menses sunt anni dimidium. Quin etiam à plenilunio vsq; ad occultationem tempus, sex alijs mensibus respondet, qui sunt ab æstate ad hyemem. Quòd si etiam vtrunq; diuidas, lunæ quidem cursum per septimanas diuides, quibus eas, quas ante recensui, mutationes efficit: solis verò iter in quatuor anni tempora secabis, quorum singula singulis cum lunæ septimanis proportione respondebunt. Quo quidem modo sicut dies septima, quæ pars quarta est totius mensis lunaris, morbos, exempli gratia, acutos iudicat: sic anni temporis mutatio diuturnos affectus discutit, adeò vt hyeme genitum ver dissoluat; in vere excitatum æstas; in æstate autumnus, in autumno verò ortum hyems.

Cur secundum Gorreum fœtus humanus tertio mense mutationem experiatur. Cur nihilominus ante septimum maturus non prodeat. Quare dimidia anni pars primum sit pariendi tempus. Cap. 5.

HAec Gorreus cùm generaliter pronunciasset, sic postea sequitur multiplicis temporis humani partus causam docẽs. His in istum modum definitis facile est videre, quid de partu dici oporteat. Est enim partus crisis quædam, cuius eodem planè modo inire rationem cõuenit, quo & morborum, & sanitatis. Sic nanq; visum est Hippocrati ad hunc modum libello de Septimestri Partu scribẽti. Mulieribus autẽ, & fœtuum conceptus, & abortiones, & partus eodem tempore iudicantur, quo & morbi, & sanitas, & mors cunctis animalibus. Sed omnium istorum alia quidem diebus, alia mensibus, alia dierum quadragenarijs, alia verò annuo spatio euenire videntur. Hæc Hippocrates. Itaq; si partus non tàm diebus, quàm certis mensibus geri solet, perspicuum est in tempore ipsius definiendo solis cursum maximè obseruandum esse, sed lunam tamẽ interim non negligendam. Ergo iam de ipso partu videamus, quo vel dierum, vel mensium circuitu legitimo absolui possit. Sed melius fortasse fuerit de mensibus ex ipsis diebus ratiocinari, quoniam quibusdam fortè magis sunt cogniti. ex diebus primus septenarius decernendi vim habet maximam. illi diximus antea tempus vnum anni, hoc est menses tres respondere. Ex quo aliquis fortasse inferat tribus etiam mensibus vim, & facultatem esse ducendi partus legitimam, atq; naturalem. Nec ego quidem dubito. Immutatur enim manifestè fœtus eiusmodi spatio: quòdq; post tres menses ille excitetur, moueaturq;, ab illa certè mutatione, quam sol trimestri spatio sustinet, euenire magna ex parte existimandum est. Quòd si quæras, cur ergo fœtum in lucem non edit, perinde ac septimus dies morbum iudicat, & soluit? Respondebo, & septimum illum plerunq; diem non soluere morbos, etiam si magna illi sit eam in rem propensio. siquidem vt ad crisim optimam, & perfectam præter diem decretorium accedere etiam oportet humoris iam concocti facilitatem, atq; virium robur: sic in edendo partu præter legitimum tempus adesse oportet fœtus ipsius dispositionem, firmitatemq;, quæ trimestri tantùm interuallo vel omnium sententia in fœtu

esse non potest. Rursus quemadmodum alij à septimo ad decimumquartum dies nullã habent ad iudicandos morbos auctoritatem, sic quartus, quintusq; mensis, qui diebus illis similes sunt, ad fœtum promendum nullas vires possident. Quamobrem si qua occasione illis mensibus prodeat, violenta proculdubio censenda est, non aliter, quàm diebus non decretorijs excretiones symptomaticę, nō criticæ proueniunt. Quod nam ergo est primum illud pariendi tempus, in quo & dies legitima, & fœtus etiam dispositio concurrunt? Audi Hippocratē ipsum tibi enumerantē, & designantem. Sic enim libello de Octimestri Partu scripsit. Septimestres dimidia anni parte nascuntur. Item initio libelli de Partu Septimestri. septimestres nascuntur centesimo octogesimo secundo die, & aliqua insuper particula. Habet enim tunc fœtus perfectionem, tantumq; roboris, quantum expedit ad tolerandas partionis molestias, & vitam postea salubriter degēdam; præsertim si ex valentiore semine procreatus est. Præterea & tempus illud vehementem obtinet in decernendo facultatem. Quippe simile est diei quarto & decimo: quorum hic vt est mensis lunaris dimidium, ita illud totius anni. Nanq; annus integer trecentis sexaginta quinq; diebus, & sex horis componitur: quos si in duas partes diuiseris, habebis centum octoginta duos dies, & horas quindecim, quas Hippocrates per προσόντος μορίου manifestò videtur significasse. Porrò illi dies sex tantùm menses solares absoluunt. Cur ergo qui hoc dierum spatio editur in lucem, septimo mense natus dicitur? facilis sanè responsio est. neq; enim veteres illi medici, nec astrologi mensem alium, quàm lunarem nuncupabant, nec ipsum annum vniuersum ex alijs mensibus, quàm lunaribus constituebant, qui omnes certè solaribus sunt minores. Dicitur autem mensis solaris spatium illud temporis, quo sol in vnoquoq; signo Zodiaci circunfertur: quæ quoniam sunt duodecim, menses quoq; totidem in anno numerantur. Menses verò lunares triplices statuuntur, omnes temporis duratione differentes: inter quos ille maximus est, qui latinis dicitur Ciuilis. Constat autem ex diebus viginti nouem, & horis propemodum tredecim. Tot enim dies medij sunt inter vnum, & alterum lunæ cum sole congressum. Ex quibus mensibus si annum, quemadmodum olim Palestini, constituas; centum illi, & octoginta duo dies in septimum mensem incident. Nanq; centum septuaginta, & septem dies, sex eiusmodi menses componunt, & quinq;, qui supersunt, reliqui cum aliquot horis iam septimi mensis erunt. Proinde qui septimum intra mensem natus erit, iure poterit septimestris appellari. Ac multò magis, si mensem, qui propriè lunaris dicitur, intelligas. Is autem definitur Lunæ à Zodiaci puncto in idem punctum profectione, & reditu: in quam viam luna viginti, & septem dies cum horis octo insumit: ex quibus mensibus si annum conficias, centesimus ille, octogesimusq; secundus dies erit septimi mensis decimus octauus. Quòd si tertiam mensis lunaris differentiam, quæ fit à primo exemptis trib9 diebus coniunctionis lunæ, accipias; iam propemodum absolutos ex 182. diebus septem menses comperies. Continet enim ille sex, & viginti dies, & horas duodecim. In sex autem eiusmodi menses dies tantùm centum quinquaginta nouem absumuntur. Sic ex illo superiori dierum aceruo viginti, & tres dies supersunt, qui septimum ferè mensem concludunt. Ex his igitur perspicuum est, quòd, quum septimo mense editus in lucem fœtus dicitur, de lunę mensibus, non autem solis, intelligendū sit. Siquidem septimus, atq; octauus solares ad partum sunt infelices. Quamobrem nil hîc contra Hippocratem dixisse videor, reijciens septimum solis mensem extra τοκίμους menses, quamuis ab illo scriptū sit in libro περὶ Σαρκῶν vitam hominis dierum septenario constare, & legitimum partum esse septem mensium, propterea quòd ex tribus hebdomadarum decadibus confletur, quarum decadū singulæ septuaginta dies continent. Est autem dierum numerus decem, & ducentorum. Hoc enim de mēsibus lunaribus intelligit, quos ciuiles ante diximus appellari; quorum septem ad eum numerum dierum perueniunt, exceptis tribus cum dimidio: quod parum certè refert. Neq; enim tàm exactè dies, mensesq; numerari præcepit Hippocrates, vt parum vltra, citraq; partio non possit optima contingere. Nanq; libello περὶ Τροφῆς, posteaquàm fœtus conformationis, partionisq; tempora distinxit, subiungit γίνεται, idest fiunt verò hæc, & diebus pluribus, & paucioribus; nec multò tamen pluribus, aut paucioribus. Verùm, opinor, libuit potius Hippocrati numerum illum trium decadum hebdomadarum adscribere, quàm illum

» illum tribus ferè diebus cum dimidio minorem, quòd eo loco docere vellet æuum hominis ἑπταήμερον esse.

Rursus ex Gorreo cur septimus mensis primum sit pariendi tempus. item quare octauo editus infans non sit vitalis, nono verò solari, ac decimo lunari prodiens vitalis. Declaratur mens Hippocratis in nonnullis. Adhuc de alijs mensibus quid sentiendum secundum Correum. Cap. 6.

HAec itaq; Gorreus; qui de multiplici lunarium mensium varietate multa postea disputans, cur septimo primùm vitalis puer exeat, octauo verò non; item quare decimo lunari mense, & nono solari vitæ compos in lucem fœtus prodeat, ita statuit: simul etiam Hippocraticum illud oraculum explicans altissimis quidem submersum tenebris; quo modo tàm decimestres, quàm vndecimestres septem fieri dicantur quadragenarijs. Scribit ergo Gorreus in hanc sententiam. Quanquam quid opus est mutationes lunæ, quæ per septimanas fiunt, expectare, si illæ adsint, quæ initio cuiuscunq; mensis eueniunt? præsertim cùm septimanæ ipsæ ex numeri ratione nulla polleant facultate, sed duntaxat quatenus tanto dierum interuallo mutationes magnæ excitantur. Nec verò velim inficiari præter solem à luna quoq; mutationes accedere; sed si illæ quidem paucis aliquot diebus oriantur, considerandos censeo dierum circuitus septimanos. sin autem secundum menses incidant, frustra dico eos obseruari. Nam & secundi, tertij, quarti, quinti, sextiq; mensis initio tanta fit in luna mutatio, quanta potest tùm in fine septimi, tùm singulis mensium septimanis prouenire. Verùm si ab ea sola mutationes illæ in fœtu fiant, minus habent virtutis. Quòd si simul eodéq; tempore mutatio tàm in luna, quàm in sole contigerit, hæc quidem est aliarum omnium efficacissima. Contingit autem tùm septimo, tùm octauo, tùm nono mense lunari; sed τοκιμὸς quidem est in septimo atq; frugifera, quoniam ab ea non longe absit solis mutatio, quę centesimo octogesimo secundo die contingit. Non est autem octauo, nonoq; mense lunari tanta, vt fœtum deijcere possit, & proferre in lucem: aut si tanta illi commotio, accidat vt prodeat, & nascatur, admodum imbecillũ necessario putare oportet, qui tàm leuem lunæ mutationem sustinere non potuerit, & idcirco minimè vitalem esse. Est autem illa imbecillitas vel natiua fœtui, vel ex aliquo accidente (quæ multorum fuit opinio) contracta. Aiunt enim, & rectè quidem, embryon septimo mense ab vteri cõceptabulis exitum affectare, ac in id colluctari plurimum; (tunc enim, vt ostendimus, eodem ferè tempore sol, & luna mutationem subeunt) verùm conatu aliquando excidere, atq; interim fatigatum effici imbecillius. Quòd si nec dum refectis viribus octauo rursum eundem petat conatum (nanq; ad hoc mutatio, quæ lunæ singulis mensibus accidit, irritare potest) oblæsum frequentius intermori. Ac de octauo quidem mense genitis sic scripsit Hippocrates libello de Alimento. Ad partum ducenti quadraginta dies, non est, & est. Quibus verbis tàm obscuris, præcisis, atq; aduersis indicat, eum, qui natus est mense octauo (nam 240. dies menses octo conficiunt) aliquo quidem modo esse, atq; natum videri, sed reuera non esse, quoniam paulò post intereat. Superest iam nobis expendendus inter lunares quidem decimus, ex solaribus verò nonus mensis, quo partus emergunt frequentissimi, & maximè vitales. In quo quidem, quod pertinet ad solem, multum ipse & aërem, & hominum corpora immutat dimensis iam nouem Zodiaci signis: quod verò ad lunam spectat, ipsa q̃dẽ eodẽ illo die, quo sol tres Zodiaci quartas confecit, & ad reliquam properat, vehementer immutatur, & orbe suo iam decies confecto, vndecimum aggreditur. Quod facilè intelliges, si supputes dies, quibus tùm decimus lunaris, tùm nonus solaris constituuntur. Nam quum certum sit dimidium anni 182. diebus, & horis pręterea 15. cõstare, si numeri istius dimidiam partem adiungas, scilicet 91. dies, consurgent 273. cum aliquot horis, ex quibus nouem menses solares constantur. Similiter si 27. cum tertia diei parte, quod spatium verè est lunaris mensis, quo luna Zodiacum dimetitur, decies multiplices, reperies totidem dies, & horas octo. Coeunt igitur inq; diem vnum conueniunt decem lunæ menses, qui vulgò peragrationis dicuntur, & nouem solares: eamq; ob rem illo ipso die corpora hæc inferiora, præsertim quæ aliquo modo affecta sunt, à tàm insignibus maiorum istorum, principumq; planetarum mutationibus vehementer cõmoueri necesse est. Accedit verò vna infantis

fantis robur iam hoc tempore magnum: & naturale quoddam ex vtero prodeundi desiderium; ad hæc vteri muliebris mole, & pondere iam grauati irritamentum: quibus omnibus efficitur partionem isto tempore facilem esse, & salutarem. Quæ cùm ita se habeant, neminem latere potest, Hippocratem in libello de Natura Pueri scribentem decimo mense fœtum affectare exitum, & membranas, quibus concluditur, disrumpere; de mense illo lunari, qui cum nono solari coincidit, intellexisse: & Virgilium ad eundem modum, quùm dicit matri decem menses longa tulisse fastidia. Sic enim libello de Octimestri Partu scriptũ est ab Hippocrate. Qui decimo, & vndecimo mense eduntur partus, ex septies quadragenis eodem modo constituuntur. Continent autem illæ ducentos octoginta dies, qui septem modo diebus ducentos septuaginta tres excedunt. Qui, quoniam non longe absunt à decimo mense, & iam pars sunt vndecimi, idcirco eum terminum pariendi tàm decimo, quàm vndecimo mẽsi communem esse dixit. Quòd si solarem mensem intellexisset, non est dubium, quin maiorem numerum dierum, ex quibus tàm decimus, quàm vndecimus cõstaret, quùm vndecimus ipse participaret, fuerit additurus. Essent enim proculdubio alij quadraginta adiungendi. Huic nanq; numero quadragenario magnas vires in corporibus hominum assignat; proptereaquòd bis viginti eum componant, & magnam facultatem decernendi semper vigesimo tribuerit. Quanquam sic ab eodem Hippocrate libello de Carnibus scriptum animaduertimus. Nouem verò mensibus, & diebus decem nascitur partus, atq; vitalis est, quippe qui legitimum hebdomadarũ numerum sit consecutus. Nanq; quatuor decades hebdomadarũ dies sunt 280. quo loco obiter hoc monere possum, videri mihi deprauatè scriptum esse ἑβδομήκοντα pro ὀγδοήκοντα. Ecce autem secundum hanc supputationem nouimestres sunt, qui antea eodem planè dierum numero decimestres, atq; etiam vndecimestres erant. Cuius quidem diuersitatis causam ad diuersos lunæ menses referre oportet. Nanq; hoc loco, quem è libello περὶ Σαρκῶν postremo annotaui, menses, qui proprie ciuiles appellantur, intellexit, qui ab vno lunæ cum sole congressu ad alterum vsq; perdurant, constantq; paulò minus, quàm tricenis diebus. Quòd si lunares proprie dictos intelligas, quod Hippocrates fecisse videtur eo loco, quem paulò ante citaui ex libello περὶ Ὀκταμήνου, non est dubium, quin is, qui supputare velit, reperiat, ex ducẽtis illis, & octoginta diebus decem integros menses constitui, & septem præterea alios superesse, qui vndecimi mẽsis partem aliquam capiant. Quòd si rationem quæras, & mireris mensium lunarium numero potius, quàm solarium definita esse pariendi tempora; desines protinus mirari, percõctariq; si aduertas antiquos, Græcos præsertim, annum totum ad rationem lunæ subduxisse, & alios menses non habuisse, quàm lunares, nondum, scilicet reducto in eam formam anno, quæ nunc vsui nobis est. Hæc quidem igitur Gorreus de septimo, octauo, nono, decimoq; mense, atq; etiam vndecimo elegantissimè, & doctè disputauit; cuius etiam verba alia ad octauum, nonum, & decimum pertinentia non sunt prætereunda, quibus Varronis refert de Parcarum nominibus à mensibus inditis pariendi sententiam. Præterea, inquit, nono mense, & decimo natos viuere nemo vnquàm negauit, immò mensibus istis partiones sunt frequentissimę. Eamq; ob rem Varro duabus Parcis ab his duobus mensibus inditum esse nomen prodidit. Parca enim, inquit, immutata vna littera à partu nominata est. Sunt autem tres Morta, Nona, Decima: quarũ quidem prior sic dicta est; quòd qui octauo nascuntur, non diu postea moriantur. Posteriores autem duæ à partus tempestiui tempore nomen accepere. De alijs verò mẽsibus, qui sequuntur, scilicet de duodecimo, decimotertio, & decimoquarto sic Gorreus. Cęterum de alijs, qui sequuntur, pleriq; dubitant, vtrum in eos partus differri possit. de quo sic mihi sentiendũ videtur. Diximus antea, vt ad crisim morborum præter diem decretorium concurrere oportet humoris aptitudinem, & virium robur; sic ad partum præter legitima illa pariendi tempora etiam pueri vires, & matris, vteriq; consentire debere. Nam si fœtus debilis est, & nec tentet quidem exitum, nec interim vlla offensione vterus irritetur, etiam in vndecimum, vel duodecimum fortè differri fœtura poterit. Verùm id rarissimum prorsus est, vt qui iam habet 273. dies tanta laboret imbecillitate, vt egressum non affectet. Quod tamen si aliquando contigerit, non est dubium, quin ille parum materni alimenti insumat (cuius tamen penuriam parturitioni præbere causam scribit Hippocrates) & illi

» illi abundè vel in duodecimum vsq; mensem sufficiat. Qua de causa nec commouebitur, nec membranas suas tentabit rumpere, quasi plus alimenti efflagitans. sed hoc, vt dixi, rarissimum est, magisq; monstrificum, ac proinde Iustiniani Imperatoris decretum de ea, quæ parit in vndecimo mense, consultissimum mihi videtur esse, & æquissimum.

Ludouici Mercati opinio proponitur enarranda. Quid sit conceptio, quid efformatio, & quotuplex secundum illum. Cap. 7.

GOrrei placita retulimus, nunc Ludouicum Mercatum audiamus doctissimum hominem, qui vnus fusissimè rem hanc totam, & subtilissimè præ cæteris magna cum laude mihi videtur pertractasse. agam tamen quàmbreuissimè potero, eundem ordinem tenens, quo & ipse vsus est: atq; de conceptione, de formatione ipsa, deq; formationis temporibus; de partu, & de partus temporibus eius placita referam; non quidem omnia, sed quæ magis ad susceptum negocium facere videntur, atq; inter hæc potiora; ipsiusmet etiam verba adducens. Vir igitur hic eruditissimus libro tertio de Mulierum Affectionibus de conceptu agens, ex Galeno libro de Semine conceptionem definit, attracti ab vtero seminis commistionem in sanguinis menstrui puriori parte; in quam locellorum calor natiuus ita agit, quòd viuificato seminis genitalis calore demum fœtus generatio sequatur. quod etiam infra his verbis repetit. Quibus medijs, quę in hoc opere necessaria existunt, ab vtroq; parente semen prolificum in vterum excidit; quod equidem, si vterus vndiq; complectatur ita auidè, vt internè vterus adeò astringatur, quòd ne minimum quidem seminis, aut sanguinis menstrui exire permittat, conceptus eo tempore dici meretur. Quippè simul ac genituram intra se vterus traxerit, in vniuersum alueum se supra semina duo colligens, ac vndiq; ea cōprehendens, ita contrahit, vt nulla penitus, siue multum, siue parum seminis iaculatum fuerit, vacuitas relinquatur. Cùm verò seminalia hæc recrementa in vtero constiterint, atq; etiam intra septenas horas post eiaculationem in effusionem relapsa neutiquam fuerint, si vteri calore cōseruentur, regantur q;, concepisse fœminam credendum est. Porrò conceptionem hanc à comprehensione dictam ex eodem Galeno notat; quoniam mulieribus prægnantibus futuris intus remanet semen, eoq; attracto tàm auidè sese vterus colligit, vt seminis, vel sanguinis menstrui egredi permittat nihil: ex quo & primum opus vteri à proprio calore effici concludit. Conceptionis tempora ex Hippocrate libello de Septimestri Partu esse colligit, aut in ipsis interlunijs, aut ante plenilunium, aut decrescente luna; quòd verò in interlunijs concipiant mulieres, rarissimè quidem fieri dicit; idq; in illis præcipuè, quibus accidit vel in ipso mensium fluentium impetu semen masculinum retineri; propterea quòd parcissimè purgari sint natæ. Item decrescente luna, quod tempus existit frigidius, & humidius, quò minorem facit abundantiam excrementorum coctorum, minus fœminas concipere; itaq; relinqui, vt pleræq; mulieres circa plenilunium, & vltra concipiant; nimirum post menstruas purgationes: idq; significasse Hippocratem libro de Natura Pueri, cùm dixit. Oportet igitur mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio contingit. » His de conceptione ipsa ita cognitis, postea quid à conceptu fiat aggreditur auctor explicandum; nimirum adducit in examen hac in parte ipsam efformationem; de qua tàm multa & subtiliter, & accuratè ab eo disputata silentio præteriens, nempè vtrum menstruum fęminæ vegetatiuam habeat, quod membrum prius oriatur, an planta primo sit Embryon, quid sit formatrix virtus, quo tempore vegetatiua, & sensitiua fœtui innascatur, & rationalis, vtrū formatiua in membris præcipuis corrupto semine maneat saltem formaliter, vt ipse ex D. Thoma docere profitetur; quæ omnia in Disputationibus de Monstrifici fœtus formatione fusissimè à nobis ventilanda erunt; dicam tantùm quadruplicem ipsum facere formationem, & quadruplex tempus formationis: quorum primum sex, aut septem dierum expleri spatio asserit; quibus diebus genituram conceptionem proprie vult appellari, ac rudem quandam vitalium principiorum sortiri delineationem, iecinoris, scilicet cordis, & cerebri; ita vt iecur primo efformetur, & mox cor, tandem cerebrum. secundum nouem, aut quindecim, aut intermediorum dierum internallo iuxta maiorem, aut minorem facultatis formatricis efficaciam; quod tempus conterere naturam in carnificatione incipienda voluit; & membra colores, mollitiem, duritiemq; adipisci. atq; tunc non

Cap. 6.

non amplius genituram, sed fœtum vocitari. Tertium dixit esse, in quo tria illa principia exquisitè fiunt perceptibilia, & eorum euidentior est formatio; reliquorum autem membrorũ descriptio tantùm, aut delineatio; quin etiam & partium ventris, brachiorum, & crurium distinctio longè obscurior. atq; hoc tempus ramificationem appellasse scribit Hippocratem. Quartum, ac postremum, quo non solum interiora membra delineata perfectè, ac conspicuè sunt, sed tunc brachia distinctè, absolutèq; cernuntur clariora naturæ opera: atq; per id temporis non amplius fœtũ, sed infantem id, quod in vtero gestatur, dicendum esse de Hippocratis sententia voluit. de qua quidem tota quæstione sic
» paulò post ipse statuit. Ad institutum igi» tur rediens, totum formationis tempus
» hac lege partiri oportet. Sex enim soles
» spumificationi dicare auctores constat,
» quatuor lineationi, octo lineationis reple» tioni, quatuor & decem carnificationi,
» tredecim efformationi quoq; attribuunt.
» Quibus proculdubio quadraginta quinq;
» dierum numerus constat: quem esse maio» rem formationis terminum omnes ferè as» seuerant; sicuti minorem triginta dierum,
» vel trigintaquinq; spatio constare: quoniã
» soles sex spumificationis, duo lineationis,
» quatuor lineationis repletionis, nouem
» carnificationis, totidem formationis sunt;
» neq; his pauciores esse possunt. Quod qui» dem computationis genus de maris ge» neratione subaudiendum est: secus quidem
» res se habet de fœminæ conceptu, & for» matione; quippè quæ longioribus tempo» rum impendijs absoluatur. Decem nanq;
» dierum spatium (licèt non desint, qui pau» cioribus formari referant) vltra masculi
» spatia ad sui efformationem expostulant.
quæ omnia sic breuiter, & eleganter libro
» quarto postea complexus est. Dictum est,
» inquit, præcedenti libro quatuor tempo» ribus partitam esse vniuersam formandi fe» tus perfectionem: quorum primum septẽ
» dierum spatio circunscribitur genituram
» appellatam effingens; secundum carnis, &
» osseæ substantię molem preparans esse con» stat, licèt integram delineationem ante tri» ginta dies non adipiscatur; tertium qui» dem principia viuentis effingit, ac effor» mat; quartum verò, & vltimum perfectio» nem omnium membrorum præmissa deli» neatione præstat, præstaturum deinceps in» fantis nomen. atq; hæc de conceptione,
» & formatione.

Quomodo ex motu, motusq; tempore partus tempora cognoscantur secundum Mercatum. Subtilis eiusdem hac de re disputatio, & quorundam Hippocratis verborum sexti Epidemicon interpretatio.

Cap. 8.

DE partu autem libro quarto egregiè multa, ac subtiliter disputans, illud primùm tanquàm summoperè ad prædictum dogma necessarium præmittit, vt quis parturitionis tempus adamussim callere possit, motus, & labores infantis in vtero expendat, satis prius oportere; quod iuxta prædictas mutationes metiri quoq; tempus partus opus sit: idq; totum de Hippocratis mente profitetur asserere libro sexto Epidem. sic dicentis. Dolores per circuitus fiunt, qui autem in septuaginta mouetur, is triplicato numero perficitur; qui verò nonaginta, is etiam triplicato numero absoluitur. qua sententia, inquit auctor, videtur complexum fuisse duo tantùm pariendi statuta tempora, nimirum septimum, & nonum mensem. nam qui septuaginta diebus mouentur, septimo mense in lucem prodeunt; qui verò nonaginta, nono. atq; hinc arrepta occasione duo circa hoc Hippocratis oraculum sibi expendenda proponit. Primum, quales sint termini motus infantis in vtero, & quid ex illis ad partum prædicere liceat. Secundum, an sint tantùm hi duo pariendi termini. dubitationemq; primam ita diluit; eius enim totam hac in parte disputationem, tanquã negocio nostro maximè consentaneam, ad uerbum huc transcribere placuit, ne doctis viris desit materia speculationis. Existi» mo, inquit, Hippocratem voluisse dicere,
» terminum partus esse indagãdum ex prin» cipio motus infantis; ita vt qui septuagin» ta mouetur, vel nonaginta, triplicato nu» mero absoluatur; quia potissima ratio pa» riendi, & tempus ex labore, ac molestia
» motibus infantis illata perficitur, instar re» liquarum naturæ actionum. Nunquam.n.
» ipsa expulsionem aggreditur eius, quod cõ» ficit, donec ex toto perfecerit. Præterea
» minimum subit natura laborem in confe» ctione humorum, donec in perfectione cõ» sistat, & sese ad expulsionem preparet. E» xemplo est crisis in morbis, quam antea
» motus, & labores quidam designarũt.
» Sic profectò in infantis exortu labores, &
» dolores per circuitus fiunt, puero ipso me» diante motu designãte sui exitus terminũ.
» nam hi sunt labores, quos licet ex Hippo-

cap. 8.

Part. 7. tex. 29.

cratis

" cratis mente intelligere; & hi sunt motus, " nimirum cùm infans primo se posse moueri " percipit, & facto motu laborem, & dolo- " rem infert, præsagium quidem futuri ex- " ortus. ex quo quidem tempore computa- " tionis initium ad partum sumit Hippocra- " tes, quem etiam doctiores sequuntur. " Subit autem in examen hac in parte, si sta- " tutum tempus formationis fœtus contine- " ri Hippocrates dixit ad summum quadra- " ginta & duobus diebus, quorsum compu- " tationis principium ad partum à septuage- " simo in septimestribus partubus, & à no- " nagesimo in nonimestribus sumat? siqui- " dem à quadragesimo secundo ad summum " fœtus moueri possunt. Nonne statutum " habet natura tempus, ac determinatum " huic operi, in quo motus moribus corre- " spondere tenentur, & actiones actionibus, " ita vt neq; natura, neq; fœtus vsquam ab " opere cessent? Quorsum item totum illud " tempus à quadragesimo secundo die ad se- " ptuagesimum, aut nonagesimũ otiosè per- " git ipsa, ita, vt nullam præstet computan- " di motus rationem, neq; vllum huius ope- " ris indicium? Cui sanè dubitationi, quam " maximi esse momenti scio, vnico verbo sa- " tisfaciam, in memoriam reuocans naturam " in morbis triplex ad sua munera exequen- " da obtinere tempus: vnum quidem, in quo " aliquod indicat aggredi opus; aliud in quo " monstrat perficere inceptum; reliquum " verò, quo vtriusq; operis perfectionem " monstrat. Quod pulchrè dixerat Hippo- " crates 2. Aphor. 24. Septenorum quartus " est index. Qua sententia constat ex tem- " poribus quædam nil manifestum efficere, " licèt omnino natura ab opere non subsistat; " quædam indicare; quædam verò iudicare. " Quod pari fermè ratione in fętu efforman- " do, ac propellendo naturam obuersare cõ- " perimus. Nam vitalem esse fœtum quadrá- " gesimo secundo die indicat, septuagesimo " motum editurum: intermedio autem tem- " pore fœtum perficit natura, vt motui sta- " tuto tempore designato sufficiat. Non .n. " mox vt viuit, mouere se ipsum valet, sal- " tem vt dolores & labores inferre possit. " Præterquamquòd motus in fœtu duplex " cognoscitur, alter vitæ manifestatiuus, qui " quadraginta & duobus diebus effulget: al- " ter verò præsagus, & index partus, quẽ se- " ptuaginta, aut nonaginta diebus euenire " refert Hippocrates prædicta sententia. " Quapropter partum consideramus veluti " quendam morbum, eumq; longissimum, ex " sorte nimirum eorum, qui dierum hebdo-

madarum, & mensium numero iudicantur. " Pro cuius rei probatione expressum Hip- " pocratis testimonium libro de Septimestri " Partu, quo hæc verba refert. Mulieribus " fœtuum conceptus, & abortiones, & " partus eodem modo iudicantur, quo & " morbi, & sanitas, & mors cunctis homi- " nibus. Sed omnium istorum alia quidem " diebus; alia mensibus, alia dierum qua- " dragenarijs, alia verò annuo spatio eueni- " re videntur. Cùm ergo partus morbus sit " longissimus, certè in eius tempore defi- " niendo eandem sequi oportebit compu- " tandi rationem, quam in alijs morbis lon- " gis dierum, hebdomadarum, & mensium " numero obseruamus. Itaq; quemadmo- " dum quartum diem septimi indicem esse " testatur Hippocrates, vndecimum decimi- " quarti, decimumseptimum vigesimi; ita " prorsus in partu quadragesimum nonage- " simi, centesimum, & vigesimum centesimi " octuagesimi, ducentesimum ducentesimi " septuagesimi indicem itidem esse experi- " mento deprehendimus. Habent enim in- " ter se hi numeri quandam similitudinis a- " nalogiam; ita vt quam ratione habet quar- " tus ad septimum, eandem habeat quadra- " gesimus ad nonagesimum. Quare sicuti " decimusquartus dies ex duplicato septena- " rio consurgit, & dimidium circuitus luna- " ris explet; ita centesimus octuagesimus di- " es ex duplicato nonagesimo cõsurgit, eum- " q; centesimus, & vigesimus ita indicat, vt " vndecimus decimumquartum. Deniq; vt " vigesimus dies finem ferè facit trium parti- " um lunaris circuitus, eumq; indicat deci- " musseptimus, ita ducentesimus septuage- " simus, qui terminus est partus naturalis " quàm legitimus, finisq; est & terminus tri- " um partiũ anni, eum procul dubio indicat " ducentesimus. Qui sanè termini sunt om- " nes, quibus fœtum designantem sui exor- " tus tempus in vtero moueri comperimus: " & fęminæ ipsæ apertissimè eos obseruant " edoctæ laboribus, & doloribus, quos per " certos quosdam circuitus sibi designatos " persentiunt. Sic apud ipsas vulgariter fer- " tur dolores illos fieri, quia est principium " mensis: nos autem colligimus esse motus " partuum designatores. Ex quibus euiden- " ter constat naturam in fœtus formatione, " motu, & partu proportionem & mensuram " semper seruare (dummodo aliunde non im- " pediatur) plus minusuè, quod insinuauerat " dictum illud Hippocratis, est, & non est. "

Quæ fuerit Mercati opinio de causis humani partus. Homo quare inter cętera animalia secundum illum diuersa habeat tempora pariendi. Variæ auctorum sententię de mensibus partui præfinitis ex eodem. Cap. 9.

DE secunda verò dubitatione, nempe de partus tempore, præfatus auctor naturalis partus triplices esse causas; vnam, cùm calor cordis adeò crescit, vt amplius sine ventilatione & refrigerio inspirato aëre infans viuere non possit; alteram, alimẽti inopiam; tertiam vteri, & loci, in quo continetur, angustiam; tria sibi expendenda proponit: primo quid Astrologi sentiant, secundo quid Arithmetici, vltimo quid in bona philosophia, & Hippocratis doctrina tenendum sit. Quod ad Astrologos pertinet, vulgatam illam mensium pro planetarum numero distributionem recenset, ex qua concludunt septimo mense, nono, & decimo ob Lunæ, Iouis & Martis imperium infantes edi posse vitales; octauo ob Saturni dominium nullo modo superstites. Ex Arithmetica schola primo communissimam illam affert rationem, supra etiam à nobis iurisprofessorum decreta pertractantibus allatam; quòd numerus impar perfectus, & masculinus sit; par imperfectus, & fœminæ congeneus; ex quo inferunt septimum mensem, & nonum vitales partus dare posse; octauum verò minimè. Quòd si decimum dicas ex numero pari cõstare, & tamen partum decimestrem esse vitalem; respondent denarium esse numerorum omnium perfectissimum, & complementum, ac perfectionem reliquorum; atq; ex paribus solum esse perfectum; ob idq; partum in eo editum esse superstitem. Deinde aliam ex Gorreo adducit, quam longe esse inquit priore præstantiorem; quòd in nouem, & septem mensibus duntaxat per naturalem coniunctionem masculi numeri & fœminæ, numeri dierum proueniunt, qui nouem, & septem mensibus continentur: in mense verò octauo nulla sit masculi cum fœmina coniunctio; ex quo & illis mensibus fœtus vitales eduntur; in octauo autem, quia copulatio sit præter naturam, partus vitales non existunt. Id totum auctor ex triangulo scaleno probat, vt quisq; apud ipsum videre potest, vberiusq; apud Gorreum in Medicis Definitionibus; quod nos breuitatis gratia prætermittimus. Quid verò ex vera philosophia & Hippocratis mente de partus temporibus sentiendum sit disputaturus, meritò in dubiũ vocari posse inquit, cur diuinus senex verbis ex sexto Epidem: supra citatis duos tantùm naturalis partus terminos septimũ videlicet, & nonum videatur statuisse; cùm experimento compertum habeamus, alijs quoq; temporibus vitales partus fœminas edere; præterquàmquòd Hippocrates (forsitan sui oblitus) decimo mense frequenter fieri partum dixerit, alij verò auctores alios non paucos pariendi statuerint terminos; vt probè nonnulli dixerint, cùm in cœteris animantibus statuta sint pariendi tempora, solum hominem non vno, sed incerto gigni spatio. cuius varietatis causas tres Mercatus affert ex aliorum opinione; nimirum imaginatiuam, quæ homini per quàm varia est, & motum fœtus primum, qui fit in vtero, & formationem, quæ infantibus quibusdam celerius, quibusdam tardius perficitur: ad cuius formationis pensum motus fit, & exitus. quartam ex animi sententia, quam his verbis explicat. » Non .n. huiusmodi varietas prodit, quòd » homini desit pariendi certa lex & ratio, sed » quòd eam anteuertat, aut remoretur quo- » dammodo natura ipsa iuxta varietatem co- » piæ, aut defectus alimenti, vel roboris, aut » imbecillitatis fœtus. Verùm hęc causa, iudicio nostro, non valet partum protrahere per plures dies, sed, vt Hippocrati visum est, non per multò plures, neq; pauciores. quam etiam infra de nonomestri partu disputans, præmittensq; actiones naturales determinatas esse iuxta vires pasßi & agentis, & quia hæ vires variæ in singulis repeRiuntur, ob id suum cuiq; ad actionem cõstitutũ esse agẽdi terminum, his verbis postea repetit. » Cuius sanè rei potißima ratio » est varia, & inordinata in mulieribus viuẽ- » di ratio & forma, ita vt naturam adeò tur- » bet, quòd fœtus maturitatem, & virium » robur eadem diuersitate paret. Quò fit vt » partus diuersis temporibus iuxta primi a- » xiomatis rationem varij quoq; fiant. Quod » procul dubio in brutis nunquam conspici- » mus ob vniformem viuendi modum, & ali- » mentorum vnitatem. Itaq; ex hac vitę va- » rietate duo in partubus mulierum accide- » re scimus: vnum quidem, quòd varijs tem- » poribus iuxta varium robur ab alimẽti va- » rietate acquisitum, variè etiam fœtus ad » maturitatem perueniant: aliud autem, » quòd, licèt diuersis temporibus, & prædi- » cta varietate id accidat, sunt tamen aliqua » statuta, & certa, in quibus iustè poßint, & » innoxiè fœtus in lucem prodire; quod si in cę-

" in cæteris accidat, periculosum, & aborti-
" uum est. Porrò autem ficuti de his quidem tribus mensibus, vt notat auctor, septimo nimirum, & nono, & decimo facilè inter medicos, & philosophos conuenit; ita an etiam alijs nasci vitales possint, scriptores tanta sunt in varietate constituti, vt eorum molestum sit, vt ipse inquit, annumerare sententias, cùm de his summa ipsorum dissensione certetur. Etenim Aristoteles (ipso Mercato referente) ante septimum vitalem partum edi non posse scripsit; sed & sunt, qui quinto mense, sunt qui citius fœtus vitales editos affirment. fertur quoq; haud paucas fœminas vltra nonum, & decimum mensem peperisse. refert Plinius septimo Nat. Hist. mulierem quandam vndecimo edidisse partum. Aulus Gellius Varronis auctoritate, & diui Hadriani decreto idipsum confirmauit. Homerus duodecimo mense Neptunum prodijsse scribit. idem Plinius mulierem quandam partũ tredecim mensibus tulisse testatur. E contra multi hæc omnia tanquam ab omni naturæ ratione aliena reijciunt; nam Vlpianus, vt supra etiam visum est, post decem menses natum ad legitimam hæreditatem non admittit. Iustinianus Imperator partum vndecimestrem illegitimum declarat; vt nil mirum sit, (quemadmodum concludit auctor) vt inter auctores non constat vnica de partus tempore sententia, ita quoq; neq; vnicam nos reperire apud Hippocratem; qui libro de Natura Pueri refert, in decem mensibus non in pluribus fœtum nasci; eas enim, quæ longius tempus gestare visæ sunt, deceptas fuisse. Sed contra libro de Septimestri, & Octomestri Partu in vndecimum vsq; mẽsem proferri posse scribit; cuius hæc sunt verba. Porrò mulieribus de partubus fidem derogare non oportet: dicunt enim omnia, & semper dicunt, & semper proferunt: neq; enim aut opere, aut sermone persuasæ sunt, sed ex eo, quod cognouerunt accidisse in corporibus suis. Quæ verò iudicio prædictæ sunt, & victoriam de hac sententia pronunciant; semper dicunt ac testantur nasci septimestres, & octimestres, & nonomestres, & decimestres, & vndecimestres: ac subdit libro de Octimestri Partu. Cęterum decimestres, & vndecimestres partus ex septem quadragenarijs eo modo fiunt. Et paulò inferius: Ex his igitur omnibus necessarium est plerasq; mulieres circa plenilunium, & vltrà in ventre concipere, vt ducenti, & octuaginta dies sæpè vndecimum mensem comprehendere videantur: tot enim dies septé quadragenarios constituunt. cui etiam dogmati animaduertit auctor adstipulari Aristotelis sententiam libro septimo de Historia Animalium; vt nil mirum sit, si his sententijs Iurisconsulti, & reliqui percelebres viri innitentes, aliquando decreuerint vndecimum legitimum esse partum, aliquando verò secus.

Cap. 5. Cap. 4.

Pugnantium Hippocratis locorum ex Mercato interpretatio. eiusdem cum Gorreo consensio de Solis ac Lunæ viribus in hæc inferiora, ac præsertim in partus maturitatem. Cap. 10.

HIs ita explicatis, antequam ad veriorem sententiam accedat auctor, ab Hippocratis dictis pugnantiam tollendam esse proponit, quæ videtur maximum scrupulum inferre. atq; primùm certum, & legitimum gestationis terminum decimum esse mensem statuens, ita pręfatur. Ex doctissimorum igitur decreto iudico iustum, & maximè secundum naturam grauidationis limitem decimum mensem; neq; vltrà illud tempus ob alimenti penuriam, & loci angustiam consistere fœtus in vtero posse, nisi fortè ad duos vel tres dies vltrà decimum mensem partus se extendat: nam totos vndecim menses consistere in vtero fœtum naturę ratio nõ admittit. & hoc est, quod intelligunt Hippocrates lib. de Octimestri Partu, Aristoteles septimo de Historia Animalium cap. 4. quasdam nimirum mulieres vndecimum attingere, hoc est vndecimi mensis paucos dies insumere; idq; esse quàm rarissimum. Quod Gellius lib. 3. Noctium Atticarum cap. 16. ex Varronis decreto retulit; has quasi monstrosas raritates Veteres Romanos non recepisse: sed nono mense, aut decimo, neq; prærer hos alias partiones mulieris secundum naturam existimasse. Postea sumens rursus varietatem hanc temporũ in humano partu non ideo prodire, quòd homini desit pariendi certa lex, & ratio, sed quòd eam anteuertat, aut remoretur quodammodo natura ipsa, vt supra ex eo diximus, iuxta varietatem copiæ, aut defectus alimenti, vel roboris, aut imbecillitatis fœtus; addit tamen, causam hanc suo iudicio non posse partum protrahere per plures dies, sed, vt Hippocrati visum est, non per multo plures, neq; pauciores; propterea varietatem hanc non ducere partum ad vndecimum mensem, nisi alia accedat causa, quæ ma-

maiorem in computatione varietatem effi-
ciat: quam ipse ex varia principij grauida-
tionis computatione suboriri arbitratur,
dicens esse difficile noscere, nunquid à mẽ-
struis facienda sit grauidationis computa-
tio, an potius ab ipso conceptu: huiusq;
dubij principium præstitisse Hippocratem
2. Popul. illud tamen citra enodationem
relinquisse: cui cùm satisfacere studuisset
Valentinus, respondens ab vtroq; tempo-
re esse faciendam; nec tamen satis expli-
cuerit, à quo nam potius, aut saltem quan-
do ab alterutro; ita illud ipse dissoluit.
Cùm tamen notum sit (inquit) apud philo-
sophos tempus durationis rerum esse men-
suram; constat ab eo tempore subducen-
dum esse calculum, à quo res ipsa consiste-
re incipit. quæ cùm à die conceptionis il-
lud verè obtineat; ex eo procul dubio com-
putatio grauidationis extat nobis ineun-
da: à menstruis verò non, nisi cùm neuti-
quam constiterit de die conceptionis, cui
fidem attribuere possimus. Itaq; prodit
huius rei difficultas & ex alimento, & ex
fœtus robore, & ex vario computationis
principio, & tandem ex Hippocrate, qui
lib. de Alimento refert fieri partus diebus
pluribus, aut paucioribus, quasi non vni-
cum statuens tempus formationis. Quæ
procul dubio omnia coegerunt priscos il-
los sapientissimos varia, diuersaq; partus
tempora præfinire. Referam tantùm hac
in parte cui magis innitẽdum sit, ad veram
computationem eliciendam; vt si fieri pos-
sit, vna tantùm ex Hippocratis & aliorum
mente subsit computandi ratio. Quæ cùm
Mercatus disputasset, eleganter plura po-
stea de cælestium corporum viribus in hæc
inferiora commemorans, accipiensq; om-
nes, quæ hîc contingunt, mutationes, à
cælestibus dependere; Soleq; præsertim &
Luna, vt quæ corpora sint longe efficacio-
res, & manifestiores vires habentia: item
lunam in mense quatuor cum sole septimo
quoq; die mutationes efficere, quæ qua-
tuor anni temporibus à sole suo motu de-
scriptis respondeant; statuit deinde ex Ga-
leni & Hippocratis mente in illis mutatio-
nibus, quæ breues sunt, & paucis diebus
fieri solent, negocium omne ad lunam esse
referendum; in alijs verò, quæ non nisi
longo tempore iudicari possunt, & perfici,
ad Solis cursum maximè esse attẽdendum:
vt propterea acuti morbi quatuordecim
dierum iudicium subire dicantur, quarta-
næ verò febres non diebus, sed mensibus
sex exactis iudicari, septimo ineunte. qua
in re notat insuper auctor, sicuti lunæ cur-
sus per septimanas diuersas quatuor efficit
mutationes; ita & cursus anni partem quar-
tam & mutationem, sic lunaribus motibus
respondere, vt sicut dies septima, quæ pars
est quarta totius mensis lunaris, acutos
morbos iudicat, sic anni temporis mutatio
diuturnos affectus discutiat; adeò vt hye-
me genitum ver soluat, in vere excitatum
æstas; & de reliquis eodem modo. quibus
acceptis ita postea subdit. Partus procul
dubio erit crisis quædam, vt superius dictũ
est, vt Hippocrates protulit, qui mulieri-
bus, inquit, & fœtuum conceptus, & abor-
tiones, & partus eodem tempore iudican-
tur, quo morbi, & sanitas, & mors cun-
ctis mortalibus. Sed omnium istorum alia
quidem diebus, alia mensibus, alia dierum
quadragenarijs, alia verò annuo spatio e-
uenire videntur. Ex quibus conspicuum
fit in tempore partus definiendo Solis, &
Lunæ simul cursum maximè obseruandum
esse, sed Solis præcipuè: quod quidem, vt
optimè fieri possit, per dies numerationẽ
efficere opus est. siquidem vniuersam er-
randi occasionem habitam esse apud anti-
quos arbitror ex diuersa mensium, & anno-
rum computatione, vt paulò inferius mon-
strabo. Constat igitur ex Hippocrate par-
tum legitimum esse, qui ducentis & octua-
ginta diebus integratur ad summum; vel
ducentis & decem: ac vt Hippocrates ipse
censet paulò plus, aut minus. Ex quibus
procul dubio primus septenarius decernẽ-
di vim habet, cui menses anni tres respon-
dent: non quòd menses tres vitales partus
edere possint; nam ad id non solum prære-
quiritur legitimum tempus, sed etiam fœ-
tus ipsius firmitas, atq; robur, quæ sanè
eo tempore fœtui inesse nequeunt. Præte-
rea quemadmodum alij à septimo ad deci-
mum quartum diem nullam habent, aut le-
uissimam ad iudicandos morbos auctorita-
tem; sic quartus, quintusq; mensis sunt
ad fœtum promouendum inepti. Quam-
obrem si qua occasione illis mensibus pro-
deat, violenta procul dubio censenda est
fœtus emissio; haud secus quàm diebus
non decretorijs vacuationes symptomati-
cæ: etiam si quinto mense robustus existat
fœtus, & aliquando prodijsse constet, &
vixisse: quod magis ratione proprij robo-
ris, quàm legitimi temporis fuisse arbi-
tror. quinimmo credendum est, si extra
debitum tempus exierit, fœtum futurum
valetudinarium, & maximè morbosum, ac
debilem. Sed qua nam ratione singulis
mensi-

Part. 4.

" mensibus, quos iudiciarios ad partum esse
" scimus, res se habeat, atq; cœlestis vis cui-
" q; adscribenda sit, facta sigillatim de vno-
" quoq; mentione iam audies. Hæc ille; quæ
" omnia ex Gorreo excerpta esse, & cum illo
" Mercatum conspirasse in causis tradendis
" humani partus, satis patet. superest modo,
" vt, quæ ipse de singulis mensibus disseruit,
" quàm breuissimè fieri poterit, percurram.

De septimestri partu Ludouici Mercati opinio. **Cur** *tàm minor quàm maior septimestris vitales edantur. difficilium quorundam Hippocratis locorum ad septimestres pertinentium ex Mercato interpretatio.*

Cap. 11.

DE septimestribus igitur ita vir doctissimus statuit. hos partus duplici de causa edi; aut ex occasione, quæ debitum tempus anteuertat, fœtu existente robusto; aut ex naturæ decreto. Qui occasione eduntur in lucem, horum multos perire inquit; aliquos tamen viuere posse, si robusti exeant, licèt valetudinarios & pomiliones. Qui agente natura prodeunt, viuere omnes quantùm est partus ratione. Cæterum cùm septimestres duplices apud Hippocratem reperiantur, minores, & maiores; de minori, quem Hippocrates nasci centesimo octuagesimo secundo die, & reliqua insuper particula libello de Septimestri Partu scripsit; statuit auctor tanto
" tempore editum ideo viuere, quia habet
" tunc procul dubio fœtus perfectionem;
" tantùmq; roboris, quantùm expedit ad
" partus molestias sustinendas: addens, si
" vitam salubriter degere debet, ex robu-
" storum patrum semine progenitum, & in
" plenilunij, aut nouilunij die conceptum
" esse teste Plinio oportere; demum debere
" primi septimiq; mensis plus dimidio cape-
" re. De maiori autem septimestri, quem
" libello de Carnibus ducentis, & decē die-
" bus in lucem prodire scripsit Hippocrates;
" hunc vitalem esse inquit auctor, quia par-
" tus hic nonomestri æquiparatur quatenus
" ad rationem, & tempus: in ratione, quia
" robustissimo & vegeto calore preditos esse
" septimestres pueros naturaliter in lucem e-
" ditos constare dicit (quanquam, & id de
" septimestri omni, videlicet de minori quo-
" q; videtur pronunciasse) vnde & ita scri-
" bit. Qui sanè ob eandem causam sangui-
" nem ocyus exhaurientes, ac deuorantes,
" penuria alimenti, coguntur carceres abrū-
" pere; & externum auxilium petere. Se-
" cundo quia crassiores facti capi ab angu-
" stia vteri non possunt: quibus simul iunctis
" cogitur natura partum emittere salubrem,
" & robustum. In tempore (atq; hoc pro-
" prium est maioris septimestris) quoniam hebdomadum decade trina, vt ad finem libelli de Carnibus docuit Hippocrates, editur in lucem, sicuti nonomestres quaterna, seu septem quadragenarijs. His ita disputatis, dubitat postea ex Hippocratis varijs dictis arrepta occasione. Etenim ipse libello de Septimestri Partu prodidit septimestrem centum octuaginta diebus cum dimidio, & octaua parte fieri; hoc tamen modo, vt primi mensis, & in quem conceptio cadit, non minus quàm dies quindecim sumantur, septimiq; non plures quàm viginti. euenit enim hac ratione (cùm de mensibus lunaribus loquatur Hippocrates, qui diebus 29. cum dimidio constant, vt eius verba initio Opusculi de Septimestri Partu ostendunt) septimestres diebus 182. cùm semisse in lucem edi; quoniam si diebus quindecim primi mensis, dies 147. cùm dimidio, qui menses quinq; intermedios conficiunt, & integrant, & insuper dies viginti septimi mensis adijciamus, dies 182. cum semisse efficiantur, quos, vt septimestres vita potiantur, necessarios esse voluit Hippocrates. Item libro de Carnibus ducentos, & decem dies oportere septimestres obtinere pronunciauit. Præterea libello de Septimestri Partu quadragenarium sextum, qui circa octauum mensem voluitur, repudiauit; ea quidem de causa (vt Mercatus putat) qua in quinto, & septimo quadragenario genitos fœtus approbauit. quintus enim, & septimus quadragenarius diebus quinto, & septimo respondent, qui decernendi habent potestatem; & quintus quadragenarius septimestribus, septimus nonomestribus, & decimestribus respondent; vnde partus hi naturales sunt: sextus verò cum die sexto, nimirum tiranni regis ęmulo, & malignitate donato, proportionem habet. Verùm hęc Hippocratis oracula, vt ipse inquit, non leuem dubitandi ansam præstant; nam quinq; quadragenarij ducentos dies conficiunt, qui neutro dierum numero septimestribus dicato respondent. Insuper magna differentia est inter primum, & postremum numerum ab Hippocrate septimestribus impartitum; nam primos 182. diebus cum semisse prodire voluit; postremos diebus 210. quamobrem, cùm posterius interuallum diebus viginti septem cum di-

midio alterum superet, tàm magna differentia videtur ratione carere. Præterea dies 210. in sextum quadragenarium incidunt; enimuerò quadragenarij quinq; dies ducentos liquidò conficiunt: quare dies decem de sexto quadragenario capiunt. at sextum quadragenarium iamdiù Hippocrates taxauit, in eoq; vitalem minimè edi fœtum voluit. Demùm turbat hanc septimestrium rationem, quòd dimidium anni lunaris, quem menses lunares metiuntur (de quibus intelligere Hippocratem censet auctor) ex cẽtum & septuaginta septem constat diebus; cùm tamen idem solaris anni dimidium accipere videatur; qui dierum quinq; spatio & quadrante maior existit. Has dubitationes vt tollat auctor, præmittit ex Galeno in Commentario de Septimestri Partu, septimestres, quod minimum est, 182. diebus cum dimidio nasci ex Hippocratis decreto; quòd verò maximum, nunquam vltrà ducentos, & quatuor dies vtero gestari: in medio autem inter hos duos limites temporis spatio celerius, aut tardius maximam septimestriũ edi partem; prout calida constitutione tẽporis, vteri calido temperamento, & victus ratione calida citius maturescit fœtus; aut à contrarijs causis tardius suam adipiscitur maturitatem: quasi spatiosam partus septimestris latitudinem nobis insinuet duobus terminis conclusam, intra quos serius ac citius liceat illis vitales prodire. Rursus ex eodem Galeno sumit, neq; minori spatio, quàm in dimidio anno solari gigni posse vitales septimestres; neq; in minori, quàm in dimidij septimi mensis spatio, si perfecti sint orituri: quippè in dimidio anno lunari fieri nequit, vt sit perfectus septimestris; quòd intra sex menses ea ratione gigneretur, ac vitalis non esset. His positis respondet ad primam, nullam esse ob varios assignatos limites in Hippocratis oratione contrarietatem; quoniam 182. dies cum dimidio breuissimum terminum continent; ducenti verò & decem longissimum; qui terminus æquiparatur diebus 204. nec tamen putatur sextum quadragenarium attingere, vt infra ipse dicit. quintus verò quadragenarius, qui 200. dies compræhendit, intra hos terminos incidit, inter quos septimestres quocunq; die nascantur, vitæ compotes fiunt. Ad secundam, dies illos vigintiseptem totam spatiosam partus septimestris latitudinem continere, breuissimo, & longissimo termino conclusam; propterea nullum esse absurdum. Tertiæ sic ipse satisfacit. Rursus tres decadas septimanarum, vt de Hippocratis mente libro de Carnibus retulimus (quod erat aliud dubium) ducentos decemq; dies habent; in eisq; quatenus sexti quadragenarij minimum capiunt, absolui poterit septimestris partus; quare ducentos, & quatuor dies attinget circiter (quod experimenta Galeni testantur) nil amplius, aut rarissimè. Hæc ille; ex quibus patet ducentos, & decem dies in partem adeò exiguam sexti quadragenarij secundum illum terminare, vt non possint vllam septimestribus noxam afferre. quamobrem partus editus diebus 204. putabitur natus diebus 210; qui tamen terminus in sextum quadragenarium incidit, & in eo nihilominus vitales edi septimestres Galenus voluit. Ad quartam demum ac postremam dicit, licèt de mensibus lunaribus intelligat Hippocrates; cùm tamen asseruit dimidio anno nasci septimestres, de solari anno intellexisse, qui septem menses lunares continet quadamtenus; ita enim sex mensibus gignerentur vitales septimestres, si dimidio anno lunari oriri possent, quod experimento aduersatur. Quibus labefactatis rationibus, sic postmodum rectam computandi in septimestribus rationem ex Galeno, & ex Hippocrate aperit. Sed vt computatio optimè fiat, expendendum est ex Hippocratis, & Galeni decreto, in septimestris partus ratione primi mensis & septimi plus dimidio fore computandum, vt illorum vis queat elucescere, & in tàm breui tempore fœtum consumere. Qua profectò de causa in ea computatione sufficerent quindecim dies primi & septimi mensis, si dimidium anni solaris, aut septimi mensis, vt dictum est, attingerent. Sed quia minimè attingunt septem menses, sed intra sex mansisse intelliguntur; oportuit aut primi, aut septimi plures quàm quindecim accipere: aut si primi mensis quindecim duntaxat dies numerati fuerint, viginti sint capiendi ipsius septimi, quod minimum est; vt dinumeratio ipsa de septimo mense aliquot dies, quinq; scilicet, accipiat. Quam porrò computandi rationem alijs partubus minimè esse necessariam censet Hippocrates, vt libro de Octimestri Partu ad finẽ ostendit. Nam cùm nonum, aut decimum fœtus attingere debeat, & maturationes eius in his multo tempore efficiantur: sufficit si aliquantulum temporis ex primo postremoq; mensibus desumatur. Sic genitos

post

» post plenilunium (vt loco nuper citato in-
» quit Hippocrates) necessariò ad mensem
» vndecimũ durare est opus. quod quidem
» neutiquam fieri potest, nisi per paucissi-
» mos dies; etiam si de primo mense paucis-
» simos quoq; sumpseris. At in computa-
» tione septimestrium quindecim cœpti fue-
» runt dies de primo mense, quinq; verò se-
» quentium cẽtum quadraginta septem cum
» semisse supersunt: ex quibus constat desi-
» derari ad propositum numerum viginti,
» non plures; & resultant ex omnibus centũ
» octuaginta duo cum semisse: dimidium
» nimirum anni solaris. Quod sanè tempus
» vehementem obtinuit in decernẽdo facul-
» tatem: quippe est diei decimoquarto assi-
» milis; quorum vt is est mensis lunaris dimi-
» dium, ita illud totius anni: quod maximam
» habere vim & absolutissimam dictum est
» paulò superius de viribus Lunæ, & Solis lo-
» quentes. Quòd autem Aristoteles septimo
» de Historia Animalium dicat, mares magis
» quàm fœminas fieri septimestres: & has qui-
» dẽ decimestres; non omnino improbandũ
» est; quia ratione non caret, licèt contra-
» rium contigisse constet. Hæc ille; in cu-
ius oratione notandum est quod postremò
ait, tanquam suo loco postea expendẽdum,
Aristotelem septimo Historiarum tradidis-
se, mares magis quàm fœminas fieri septi-
mestres. Quod verò de computatione tẽ-
poris partus septimestris minoris inquit,
docens primi mensis & septimi plus dimi-
dio fore accipiendum, si vitales esse de-
bent, libro septimo discutietur. quod e-
tiã sic infra cõfirmauit de nonomestri par-
» tu sermonem habens. Dictum superius est
» in partu septimestri primi mensis & septi-
» mi plus dimidio fore computandum, vt il-
» lorum vis queat elucere, vt in tàm breui
» tempore fœtus consumari possit. At in re-
» liquis mensibus non opus est de primo &
» postremo plus dimidio accipere; cùm con-
» stet apertissimè de primo fore capiendos
» perquàm paucos, si ad decimum, & magis
» si ad vndecimum peruenire debeat fœtus.
» Quò fit vt Hippocrates dixerit libro de O-
» ctimestri Partu genitos post plenilunium
» necessariò ad mensem vndecimum durare:
de qua etiam re, vt septimo libro videbimus
plura Valesius lib. secundo Controuersia-
rum disputauit, docens cur septimestres
partus neq; citra 182. dies cum semisse, ne-
q; vltra 204. vitales fieri possint.

Cap. 11.

Mercati sententia de octomestri partu. Rationes quatuor cur vitalis esse non possit. quare in Aegypto viuere queat. Cap. 12.

DE octomestribus verò ita sentit, vt ne-
mo illis inimicior esse videatur; nam
primùm inquit, octauo mense natos non
esse vitales, omnes ferè auctores mille ra-
tionibus probare; vt propterea dixerit li-
bello de Alimento Hippocrates. Ad par- »
tum ducenti & quadraginta dies, est, & »
non est. quibus verbis tàm obscuris, ac »
præcisis dicit esse octauo editum, quia ali-
quid modò sit, & natus videatur; non esse,
quia mox diem suum sit obiturus. Hinc
notat eundem Hippocratem libello de Se-
ptimestri, & Octomestri Partu millies pro-
tulisse, & reliquisse stabilitum, testimonijs
etiam ab ipsis mulieribus petitis, nullum
huiusmodi fętum vixisse; eandem q; senten-
tiam libello de Carnibus his verbis confir-
masse. Septimestris puer ratione fit, & vi- »
uit: rationemq; habet & numerum inte- »
grum ad hebdomadas: octimestris verò ge- »
neratus nulla ratione viuit, eiusdemq; fu- »
isse Galenum 6. Popul. part. 7. tex. 27. qui »
ita scripsit. De octauo certum est non edi »
in ipso vitales partus. Quibus adductis te- »
stimonijs, rationibus manus admouet; pro- «
ponens sibi inuestigandum, cur in Aegy- «
pto octauo mense nati, Aristotele atq; Aui- «
cenna teste, vitales esse possint; in vniuer- «
sum tamen mortales pronuncientur. Ad «
postremi capitis probationem quatuor ad-
ducit Mercatus rationes, quarum prima
hæc est: quoniam constat ex tempore non
esse vitales. probatur id quadragenario-
rum computatione; sextus enim quadra-
genarius octauum mensem ambit, qui fœ-
tui est infelicissimus; ac de eo millies pro-
tulit Hippocrates, qui in eo nascuntur
morti fore proximos; quòd illis tunc ęgro-
tare contingit, vnde addit Mercatus idem
de sexto quadragenario, ac de die sexto iu-
dicium facere scriptores, quem omnino
infidelem, & omnium malorum concilia-
torem esse prædicant. Cur autem sextus
quadragenarius tot mala fętui afferat, &
cur fœtus tunc ægrotet, queuè sit ægro-
tatio ista; neq; ab hoc auctore, neq; ab alio
vllo adhuc satis inuenio explicatum. Se-
cunda ratio; quia, si per id temporis na-
scatur puerulus, augentur mala, & cala-
mitates: ipsi enim adhuc ægrotanti tran-
smutationes, & afflictiones partus, ac post
partum superueniunt: nimirum ipsa fœtus
incommoda versio ob imbecillitatem, &

pere-

peregrinæ aliæ mutationes, quas ab aëre, victus noua specie, & vestimentis insolitis mutuatur; vnde cùm tot ærumnas perpeti non possit ac sustinere, statim emoritur. atq; hæ rationes ex vi, & efficacia temporis pendent. Tertia ratio probat ex propria etiam natura vitales non esse. Similis namq; dicitur esse huiusmodi partus morbo cuiuis, in quo, cùm octonarius neq; index sit, neq; decretorius, fit, vt si quando accidat, difficulter, aut perniciosè iudicet. Quarta eodem tendit; omnes enim qui numerorum rationem calculo adipiscuntur, vt ipse inquit, octauum imperfectum & materiam appellant, ac fœminam; ex quo, cùm eo tempore minimè fœtus perfecti sint, vitales etiam existere nequeunt. Quòd si in aliqua regione viuunt (id enim est quod secundo loco inquirendum proposuerat) hoc ob cœli, & corporum temperaturam accidere inquit; atq; ob mulierum robur: in vniuersum tamen verũ non esse octomestres vitales fieri; quod vltimo probasse Hippocratem argumento à nonomestribus partubus sumpto addit; quos frequentissimè graciles edi scripsit ex perpessis ab octauo mense laboribus; ex quo & ita concludit. Ac si quando contigisse constet octomestrem viuere; id quidẽ censeo potius fieri, quòd matrem deceperit computationis principium, quàm quòd verum sit. & superius dixerat in eandem sententiam. Sed & nostra tempestate vix reperias imperitissimam quanq; fœminam, quæ non detestetur partus octauo mense editos. vt hinc facilè pateat virum hunc infestissimum fuisse octomestribus, & inimicissimum.

De nonomestri, ac decimestri partu Mercati opinio. quo sensu dictum sit ab Hippocrate secundum Mercatum post plenilunium conceptos ad vndecimum vsq; gestari, ac tam decimestres, quàm vndecimestres sæpè fieri quadragenarijs. Cap. 13.

DE partu verò nonomestri disputaturus, præmittit, licèt quarto, quinto, septimo, nono, decimo, & vndecimo mense mulieres parere multi scripserint, experimentum tamen frequentissimũ probare, nonum & decimum mensem in communi hominum natura legitimos magis esse pariendi terminos, ac vltimo septimum; tanquam menses ex natura & iudicandi ratione efficacissimos, & maximè potentes: in reliquis verò mensibus, quantumuis ad iudicandum videantur idonei, fœtus perpetuo valetudinarios nasci; quòd vnam tantùm causam partus legitimam nanciscãtur; nimirum mensem iudicatorium, integram verò maturitatem nondum. Experimento tamen eodem comperiri in nono, & decimo viuidiores & maximè salubres esse partus temporis, ac naturæ perfectione, ac ratione maturitatis: ita vt ex Mercati sententia nonus, & decimus mensis termini sint partus perfectiores, ac naturæ humanæ consentanei magis; quorum vt veram doceat computationem, accipit ex Hippocrate tanquam axioma libello de Alimento, & libro de Carnibus sine vlla dubitatione positum, dies grauidationis non excedere quatuor decadas, quæ constant ex ducentis & octuaginta diebus; qui dierũ numerus constituit nouem menses solares & decem dies; atq; ex communi ferè omnium sententia concludit hoc esse frequentius pariendi tempus; quòd in ipso fœtus maturiores existant, & numerus perfectior. cuius sanè partus efficaciam illud insuper ostendere ait, quòd fœtus nullo alio tempore commodius possit vel exire, vel solidiore cibo vti quàm præhabito; cùm tunc ei neq; alimentum satisfaciat, neq; aër ventilationi dicatus, neq; vteri angustia. item, cùm tres necessariò concurrant causæ ad legitimum partum; tempus scilicet statutum, vterus, & fœtus ipse; nullo in partu æquè omnia comperiantur quàm in nonomestri. quoniam vterus, mole pòdereuè grauatus vi sua expultrice ad propellendum fœtum eo maximè tempore insurgit; fœtus ob loci angustiam, & aëris, atq; alimenti defectum, exitum affectans valde sese agitat, & facilius membranas dirumpit; tempus demum ob exactum ad hebdomadas numerum est perfectissimum. Quibus in hunc modum expositis, quoniã Hippocrates obscura decreta in partubus enumerandis videtur protulisse; & potissimum illud maximè difficile libello de Partu Octomestri; post plenilunium conceptos ad vndecimum vsq; mensem prorogari, & gestari; item tàm decimestres, quàm vndecimestres ex decem quadragenarijs constare: idcirco dubitationem hanc cæteris fortasse omnibus, quæ in hac disputatione negocium facessunt, difficiliorem (vt tanquam strenuus miles nullũ periculum perhorescere visus sit) aggreditur dissoluendam. Videtur nanq; Hippocrates non semel affirmasse, vt superius etiam monstratum

tum est, dies grauidationis, nempè à cõceptu ad partum, quod tempus Varro secundo libro de Re Rustica fœturam vocat, ad summum non esse plures quàm ducentos octuaginta; atq; hunc limitem non excedere. quòd si verum est, quomodo possit ad vndecimum mẽsem partus prorogari videtur explicatu difficillimum: cùm præsertim libello de Natura Pueri probare nitatur plus quàm decem menses mulierem vterum ferre non posse. Ipse igitur Mercatus, vt breui se ab hoc nodo expediat, inquit, Hippocratem aliquando computasse partus tempus per menses solares; aliquando verò considerasse menses lunares, qui in triplici differentia reperiuntur: cùm lunaris ciuilis appellatus 29. dierum spatio cum semisse definitus inueniatur apud auctores, & propriè lunaris dictus diebus constans 27. & hor. 8. demum & illuminationis mensis dierum 26. cum semisse: quo modo si partus tempus computemus, mirũ non erit, si ad vndecimum mensem, quin etiam & ad duodecimum illum peruenire posse dicamus. Secundo namq; modo mensem accipientes, nouem mẽses continebũt dies 246. vnde ad integritatem ducentorum, & octuaginta dierum desunt dies triginta quatuor, qui decimum mensem integrum, & principium vndecimi constituunt. quamobrem partus 280. dierum, qui solarium mensium ratione vix decimum attingebat, hoc calculo in vndecimi initium cadit. Quòd si tertiam mensis lunaris differentiam accipias, reperies nouem menses continere dies ducentos & triginta octo, & horas quasdam; proinde deesse ad integritatem dierum 280. dies quadraginta duos; qui etiam ex solaribus ferè vndecimum constituunt. Itaq; Hippocratem, cùm dixit, partum ad vndecimum proferri, de lunari mense secundo, & tertio modo accepto intellexisse; eademq; ratione Aristotelem, & Plinium asseruisse ad vndecimum vsq; mensem partum posse peruenire. Quòd si quis miretur, & rationem quærat, cur mensibus lunaribus potius quàm solaribus definita sit apud antiquos pariendi ratio; respondet, antiquos, Græcosq; maximè annum totum ad rationem Lunæ subduxisse; & alios menses non habuisse quàm lunares. Demum si eum roges, quid de alijs mensibus post vndecimum sentiat; idem, quod de eis, qui septimum antecedunt, supra asseruerat, decernit, ita scribens. " De alijs verò, qui sequuntur, ple- " riq; dubicant vtrum ad eos vsq; differri " posit partus. De qua sanè re sentiendum " puto, aliquando vel ex alimenti vbertate, " quo fœtus gaudet ad integram perfectionem adipiscendam, vel ex matris labore, " aut impotentia, in plures dies posse partũ " extendi. Verùm id quàm rarissimum est, " & monstrosum. Verùm hactenus de Ludouici Mercati opinione; cuius disputationem totam duximus diligentissimè esse afferendam: cùm nemo (vnum tantùm Gorreum excipio) nostro quidem iudicio, siue veteres quæras, siue recentiores, rem hanc vberius, accuratiusq;, aut doctius tractauerit; nemo loca Hippocratis obscura, & controuersa acutius tetigerit.

Ioannis Lalamantij Hedui Medici sententia de partu octomestri, & eius infelicitate. qui verus, & naturalis terminus pariendi secundum illum. Cap. 14.

IOannes Lalamantius Heduus Medicus eruditus in Commentarijs super libellũ Hippocratis de Hominis Aetate defendit de omnium sententia, nedum de Hippocratis opinione, octomestres nullo pacto vitales esse; huiusq; rei testes Mathematicos, seu Chaldeos potissimũ adducit, qui octauo mense prodeuntem ideo viuere posse negant, quòd dicant, decursis, septem mensium spatio, planetarum septem dominijs, ad Saturnum tardam, difficilem, minimè benignam stellam regnandi iterum vices redire; qui suis qualitatibus vitæ nostræ principijs aduersis puerum tùm fortè editum, aut perimit, aut ita congelat, vt diù superstes esse nullo modo posit. quæ ratio vsurpatissima est ab omnibus, nec semel superius à nobis recitata. Item affert Aulum Gellium, Plinium, & Galenum ex Philosophi Historia & Medicis finitionibus; ex neotericis Fracastorium; quorum loca iam superius à nobis allata sunt: vt non sit opus inutiliter hìc ea repetere. Quin etiam distichon illud Palladæ, quod habetur libro primo Epigrammaton his verbis.

Schol. 20.

Γραμματικοῦ θυγατὴρ ἔτεκεν φιλότητι μιγεῖσα
Παιδίον ἀρσενικὸν, θηλυκὸν, οὐδέτερον, idest.
Masculeam sobolem muliebrẽ tunc quoq; neutrã,
Mixta viro peperit filia Grammatici.

huc tendere ex Ioannis Baptistæ Pij sentẽtia scribit; qui voluit Palladam ad Grammatici præcepta simul & partum filiæ eius alludere: quæ gemellos masculum & fœmellam, ac etiam neutrum (quot scilicet genera esse grammaticus ex arte discipulos do-

cebat) ediderat, per neutrum, gemellos illos fuisse octomestres, denotasse Palladam putans; quòd tales, neutri, idest neq; mares, neq; fęmellæ, vt neq; etiam viui, neq; mortui sint; quia scilicet immaturi, & præcoces statim morituri nati sint. Præterea ipsos in medium profert Arithmeticos in paris vel imparis numeri virtutem, demum & suos medicos, in dies decretorios causam hanc reijcientes; vt in summa rationes, quibus fiat, vt octomestres parum diù viuant, ex ea, quisq; elicere, quam profitetur, arte, studuisse videatur. Porrò aiunt Medici, Lalamantio referente, vt in acutis motum Lunæ & dierum periodos insequentibus, neq; sextus, neq; octauus dies, nisi forte ad malum decernunt; ita in ratione partus (quem morbũ esse longũ, & motum Solis, mensiumq; circuitus insequi volũt) neq; sextum, neq; octauum menses itidem decernere; septimum verò, & nonum partum habere naturalem: quo fit vt fętus octauo prodiens, ideo parum diù victurus nascatur, quòd vel temerario naturæ motu nonum mensem præuertat; vel quòd, cùm septimo exitum magno cum labore sese iactando & calcitrando, sed frustra, affectarit, debilitatus, & imbecilla reddita facultate retentrice, foras prodeat. Sed & illud prætereundum non est, quod ipse Lalamantius à veritate coactus fatetur; Aristotelem scilicet octauum mensem pariendi tempus esse naturalem asseruisse: quod cùm plurimum eius placitis videret aduersari, addit suspicari aliquem posse, Aristotelis „ locum esse deprauatum. Lalamantij ora„ tio ita habet. Aristoteles septimũ, octauũ, „ & decimum (si modo sanus est apud eum „ locus) τοκιμὸς facit, idest ad pariendum „ naturales. Quòd si ab eo quæras, qui tandem menses naturales magis sint, sic ipse „ respondet. Pleriq; duos tantùm nonum, „ & decimum: vnde à latinis duabus Parcis „ nomen inditum, alteri nona, à noni mensis „ partu; alteri decima, ab enixu decimi, vt „ Gellius etiam notat lib. 3. cap. 16. Nos in „ his Commentarijs, quos scripsimus in Ga„ leni libros De Diebus decretorijs, pro a„ xiomate posuimus, ac abũdè probauimus, „ nonum mensem solarem, quem latè patere „ ibi postulauimus, statum esse & præfixum „ pariendi mulieribus tempus. Et qui antè „ hunc nascantur, abortiuos esse, qui post „ hunc, monstrosos esse & pronũciauimus, & „ ratione auctoritateq; comprobauimus.

Valeriolæ opinio enarratur; at primùm cur cæteris animantibus vnum pariendi tempus sit à natura præfinitum secundum illum, homini tantùm multiplex. Cap. 15.

FRanciscus Valeriola libro tertio Enarrationum Medicinalium, vbi hac tota de re, propositoq; argumento fusissimè quæstionem instituit; nullum octomestrem vitalem esse de Hippocratis sententia ostẽdere profitetur: quod vt explicatius probet, tria sibi proponit inquirenda. Primũ est, cur, cùm cæteris sit animantibus cunctis tempus pariendi à natura præstitutũ, certas statas, ac constitutas suis finibus vices habens, nullum sit tamen certum mulieribus à natura datum. Secundum, cur septimestres, octomestresq; non raro à natura edantur; & qua ratione dies, mensesq; gestationis sint computandi. Tertium ac postremum, cur septimo mẽse nati vitales sint, octauo verò minimè. Tria hæc nos cum ipso Valeriola quàm breuissimè percurremus. Quod pertinet ad primum; animantibus reliquis vnum pariendi tempus statutum esse tùm ex Aristotele septimo de Historia Animalium probat, tùm ex Plinio libro septimo Naturalis Historiæ; huius verò euentus causam triplicẽ Valeriola affert; primamq; esse inquit, quòd cæteris animantibus cunctis suus inest stato tempore ad generandum appetitus, homini verò contra accidit, qui nullum habet certum ad concumbendum designatũ tempus; sed toto anno, vt Plinius ait, & incerto gignitur spatio. Sequitur enim ex hoc necessariò, vt quibus vnum coeundi tempus datum est, vnum etiam & pariendi sit ordinatum; cuius verò generationis initia tàm incerta, inordinataq; sunt, & ipsa quoq; tùm gestatio, tùm editio non vnius sit modi, sed incerta ipsa, & inconstans, ac nullis temporum statis finibus cohærcita. Secundam dicit esse, propterea quòd nos ipsi perfectos ordinatosq; naturæ motus in fœtu formando, atq; in vtero conseruando plurimum labefactamus, atq; peruertimus crebro concubitu: idcircò enim inter Pœnos Medicos pręstantissimos Rhasim & Auicennam vtero gerentem à concubitu omnino arcendam, si conceptum seruare velit, doctissimè consuluisse. Terriam causam, quæ non minimum partus tempus variare soleat, esse vult, quòd toto gestationis tempore mulieres non cauta victus ratione vtuntur; nec incommoda ea „ sæpenumero vitant, quorum occasione maturare

Enarr. 7.

Cap. 5.

turare partus solet. efficitur enim vt pro horum ratione, quæ prægnanti incautè eueniunt, infans alio, atq; alio tempore edatur. nimius enim motus, frequens concubitus, ciborum acrium, & aperientium creber vsus, rixa, mæror, tristitia, ira, curæ, ad hæc innumeri morbi, præsertim qui acuti sunt, & naturæ ordinem peruertere, & partum accelerare quàm maximè possunt: atq; hanc causam esse inquit Valeriola cur pariendi nullum sit statum fixũq; in homine tempus, prout hæc, quæ enumerauimus, omnia in septimum, octauum, ac nonum gestationis mensem incidere possunt, laboresq; grauidæ mulieri inferre. quanquam hi labores non solum prædictis mensibus, sed & alijs quoq; contingere solent, vt de Hippocratis sententia notat ex sexto Epidemicon Valeriola, quo loco ita scribitur, ἐπὶ πλείονα δὲ χρόνον οἱ πόνοι τρίτῳ, πέμπτῳ, ἑβδόμῳ, ἐνάτῳ μηνὶ, τετάρτῳ, ἕκτῳ ὀγδόῳ. quod est. Vt plurimum labores tertio, quinto, septimo, nono; quarto, sexto, & octauo mensibus fiunt. intellexit enim hîc de Valeriolę sententia Diuinus Senex laboris nomine quicquid infra tempus gestationis acciderit; siue id in fœtus conformatione, siue illius motu, siue abortu, seu perfectione, & editione fiat: voluitq; eos constituto tempore fieri; nempe tertio, quinto, septimo nono, quarto, sexto, & octauo mensibus; coniungens tertium, quintum, septimum, & nonum tanquam impares, in quibus labores contingunt: quartum, sextum, & octauum tanquam pares.

Cur septimestres; octomestresq; non raro edantur partus secundum Valeriolam. quare septimo mense non antea fœtus humanus maturescat. Plinij error insignis secundum eundem.

Cap. 16.

DE secundo capite, cur septimestres, octomestresq; non raro prodeant partus, & quanam ratione dies in gestatione sint intelligendi, ita statuit Valeriola. Primum quòd septimestres edantur partus, & octomestres, id minimè vocari in dubiũ posse ait, tanquam non solum summorum virorum testatissima fide receptum, Hippocratis, Galeni, Aristotelis, Alexandri Aphrodisiensis, sed & experientia duce cõprobatum: quod vt clarius ostendat, testimonia affert Hippocratis ex libello de Carnibus, & de Partu Septimestri, Galeni ex libello de Septimestri Partu, Aristotelis ex septimo de Animalium Historia; Alexandri ex Probl. secunda sectione, Plutarchi ex quinto de Placitis philosophorum: quæ loca cùm partim à nobis superius adducta sint, partim inferius expendi debeant, hic rursus non duximus apponenda, ne nimia verborum mole inanis excresceret oratio. Cur verò septimestres nascantur, causam esse testatur auctor de Hippocratis mente, quòd per id temporis & maturescere fœtus, & robore augescere incipiat, magisq;, quàm alijs perfici temporibus: vt pelliculis, in quibus cõclusus in aluo manet, à fortissimo fœtu violatis, atq; laxatis (non secus ac in semine spicarum membranæ plenissimo, ac validissimo fœtu distentæ laxari coguntur antequam fructus perfectè maturescat) partum violento quodam motu contingat accelerari. expleta enim per id temporis vulua, eaq; fœtu iam propè maturo distenta, laxari incipere, membranasq; dirumpi, vnde erumpere fœtum sit necesse. expleri verò septimo mense vterum vel ob locellorum angustiam, qui fœtum grandiorem continere præ angustia non possunt, vnde emergere vi naturæ infans cogitur; vel ob fœtus celerem, violentumq; motum, quo, calcitratu nimio violenter membranas laxans, atq; disrumpens viam sibi ad exitum facit; vel tandem maturitatis perfectione, cùm alios alijs celerius perfici contingat; primum verò perfectionis limitem, quo vitalis edi infans possit, septimum esse mensem Aristotelis etiam testimonio. Cur verò talia puero septimo mense, quàm alijs potius contingant, septenarij numeri in naturæ iudicijs, & arcanis ipsius motibus præcellenti dignitati, ac viribus attribuendum esse de Hippocratis sententia. nam & morborum iudicia septenarijs diebus, si acuti fuerint, perfici solent, vt idem testatur Hippocrates, & puerorum dentitio eodem annorum curriculo expleri. necessitatem autem naturæ, quapropter in septem hæc singula dispensentur, alio se loco demonstraturum Hippocratem polliceri. quibus ita constitutis concludens Valeriola hanc summam, ac naturæ consentientem esse rationem existimandam, cur septimestres sæpènumero infantes in lucem prodeant; statim Plinij refellit rationem, ineptam esse appellans, operibusq; naturæ non congruentem; quòd septimo tantùm ij nascatnur, qui aut pridie posteroùe plenilunij die,

Prob. 48.

aut interlunio concepti sint; cur enim ij dies potius quàm alij, in quibus concipi fœtus possunt, præstare id valeant, nullam esse inquit Valeriola rationem: propterea arbitrandum esse, non interlunio, aut postridie plenilunij gigni infantem, editionis in lucem septimo mense, vt Plinius censet, sed vuluæ expletionem, & partus per id temporis consumationem, atq; perfectionem, membranarumq; diruptionem esse causam: præsertim cùm neq; Hippocrates, neq; Galenus, qui exactissimè editis libellis de Septimestri Partu tractauerunt, Plinianam hanc rationem vllo pacto indicauerint. De octomestri verò partu eandem esse rationem inquit Valeriola; qui enim eo temporis spatio consumati, perfectiq; sunt, vuluæq; ita fœtu turgidæ, vt ferre onus in longius tempus minimè possint; efficitur vt calcitratu diruptis membranis prodeat in lucem infans. Qua autem ratione, & dies in gestatione, & menses intelligendi sint; ipse post multa rem hac Hippocratis expedit auctoritate, qui dum libro de Alimento scribit triginta soles fœtum formare, septuaginta mouere, decem, & ducentos perficere, satis apertè ostendit, Solis non Lunæ circuitibus supputationem esse fiendam.

Quare septimestres vitales sint, octomestres verò non sint vitales secundum Valeriolam.
Cap. 17.

DEmum tertium caput, qua scilicet de causa septimestres vitales sint, octomestres minimè, ita definit Valeriola. Vitalem ob id septimestrem esse fœtū Hippocratem voluisse, quia ratio, & tempus, quo enutritus in vtero fuit, probè constet; vt omnium particeps sit fœtus, quorum etiam perfectissimi participes esse solent; cùm & per id temporis principium nanciscantur perfectionis, & robur, & deniq; vuluæ expleantur. id ipsumq; sensisse Aristotelem testatur Valeriola, vbi septimo de Historia Animalium partum temporius quàm septimo mense prodeuntem nullo pacto vitalem esse decreuit. quod etiam vt magis comprobet, Alexandri, & Plutarchi testimonia affert, multa de septimi, atq; octaui numeri natura afferentium, quæ nos breuitatis gratia consultò omittimus; concludens tandem numeri septenarij, & octonarij naturæ, & proprietati non mathematicos solum, sed Hippocratem quoq; ipsum huius rei euentum adscripsisse; quòd scilicet septenarius mirabilē quādam à natura perfectionem nactus sit. Quod verò attinet ad octomestrē, censuisse diuinum Senem libro ad id dicato, propterea octomestres superstites minimè esse, quòd fieri nequeat, vt duas sibi inuicem succedentes afflictiones pueri ferre possint; contingit enim eos consequenter affligi tùm ea, quæ in vtero fit, afflictione, tùm ea, quæ in partu accedit. quapropter octomestrem nullum vitalem esse arbitrari Hippocratem inquit Valeriola; qui rursum de hac tota quæstione ita statuit. Cùm enim fœtus (ait) sæpè mense septimo exitum sibi paret, in eoq; plurimum colluctetur, ac non raro conatu excidat; fit vt, si nondum refectis viribus octauo rursum eundem petat conatum, imbecillum fatigatumq; egredi, oblæsumq; frequentius intermori cogatur. Quippè cùm octaui mensis gestatio vel eiusdem Hippocratis sententia onerosa, molesta, ac perdifficilis sit; tùm matris ratione grauiter ob pueri intus conditi perturbatos motus affectæ; tùm vteri incōmodius se habentis, ac quodammodo ingestabile onus respuentis; si se tùm temporis partio ostentet, dupliciter inde fœtum lędi: & à proprio, quo se imbecillius præcipitat, exeundi motu: & à matris, vteriq;, in quo continetur, affectu. Vnde ipsum graui imbecillitate vrgeri consequens quidem est, tandemq; consecutione fermè necessaria interire. Nisi tamen alicubi aut ob matris robur, temperiem probam, succulentumq; habitum, aut ob regionis fertilitatem, vitales esse contingat: quod in Hispania accidere Auicenna, & in Aegypto Aristoteles prodidere. Hæc ille; cuius etiam verba alia operæpræcium duxi in medium afferre, quibus causam aperit, cur partus vxoris suæ (quæ res Valeriolæ scribendi illa dedit occasionem) nulla præcedente externa causa, sed solius naturæ ductu egredi octauo mense maturasset; cur vè vitalis non extiterit: quanquam intra id tempus nil incommodi ei accidisset; cùm tamen ab Hippocrate dictum sit Epidem: sexto, quibus nil intra constitutum tempus accidit, ijs singulis, quæ pariunt, vitalia esse: hæc enim non parum ad Valeriolæ mentem aperiendam mihi conducere videntur. Sic igitur ipse ad disputationis finem scribit. His itaq; ad rem explicandam necessarijs prælibatis, haud quaquam difficile cognitu erit, cur qui editus est infans, vitalis non fuerit, etsi nihil mali intra gestationis tempus matri ac-

Cap. 4.

» tri accidit. quòd (inquam) ducentis, &
» vigintiquinq; diebus à conceptu genitus
» sit, neq; numerum haberet ad Hippocratis
» hebdomadas probè respondentem: qui se-
» ptimestrem ducentis ac decem diebus in
» lucem proferri, nonimestrem verò & de-
» cem dierum, ducentis & octoginta. Quæ
» ego ad propositæ rei explicationem satis-
» facere posse sum arbitratus; si id tantùm
» addidero, aliam etiam quàm hactenus tra-
» dita sit, varij hominum partus causam as-
» signari posse, nempe genitalis seminis na-
» turam aliam atq; aliam. Nam, vt in semi-
» ne, quod terræ iacitur, est aliquod, quod
» trimatu proueniat, (vnde trimestre triti-
» cum rei rusticæ scriptores vocant) aliud,
» quod in annum fructum, maturitatemq;
» suam proferat: sic esse inter hominum se-
» mina, aliud, quod serius, aliud, quod tem-
» porius proueniat: vnde aliquos septimo
» mense, alios octauo, plerosq; nono, atq;
» decimo prouenire cernas: quod Plinius in
» Vestilia Herdicij, Pomponij, ac postremo
» Orfiti coniuge spectasse videtur. quùm ex
» tàm multis viris fœtum alium octauo, aliũ
» septimo, alium vndecimo mense genuisse
» testetur. Nec dubito quin pro ratione
» temperamenti hominis, ætatis, victus edu-
» cationis, cœli, ac regionis, ipsaq; mulie-
» rum semen excipientium, locellorumq;
» varietate, alio atq; alio tempore tùm fœ-
» tum in vtero formari, tùm gestari, tùm in
» lucem edi contingat. Quod luculentissi-
» mè diuinus Hippocrates in Epidemijs li-
» bro 6. ita expressit. Labores in circuiti-
» bus; quicquid in septuaginta mouetur, in
» triplicitate perficitur; quicquid in nona-
» ginta mouetur, in triplicitate perficitur.
Verùm satis de Valeriola, ex cuius verbis illud potissimum notare oportet, causam infelicitatis octomestris partus de Hippocratis sententia eam præsertim esse, quòd dum prodit, numerum nõ habet ad hebdomadas probè respondentem, necdum refectus ex labore & motu, quem in septimo edidit, in lucem venit. Sed iam doctissimi Valesij sententiam afferamus.

Francisci Valesii opinio. quòd octomestres triplici de causa ex Hippocratis sententia non superuiuant. cur humanus partus dierum quadragenarijs iudicetur ex eodem.
Cap. 18.

Cap. 10. FRanciscus Valesius vir eruditissimus Controuersiarum libro secundo possint ne octomestres vitales edi, an non, non esse, scribit, quòd vertatur in dubium; cùm longo experimento comperta res sit, &, vt inquit Hippocrates libello de Septimestri Partu, mulieribus de partu fidem derogare non oporteat; quarum illæ, quæ iudicio præditę sunt, semper dicunt ac testãtur, nasci septimestres, & octomestres, & nonomestres, & decimestres, & vndecimestres; & ex his octomestres non superesse. Qua verò ex causa id contingat, multiplices esse inquit Valesius rationes ab Hippocratis libris, qui primus omnium inuenitur diffusè de hac re tractasse, desumptas. Prima ratio ex conceptione pendet, & conformatione: cùm enim tres sint mutationes pręcipuæ & insignes magis, quæ fœtibus, dum vtero geruntur, certis quibusdam temporibus contingunt; nempe figuratio, motus, & partus: horum temporum, quibus tria hæc absoluuntur, talis ad se inuicem est proportio, vt tempus motus duplum sit temporis figurationis; & tempus partus triplum temporis motus. efficitur enim ex hoc, cùm tempus partus pendeat à tempore figurationis, figurationis verò tempus ac terminus simplex non sit, sed varius, vt tàm multi sint termini partus humani; ac alij septimo, alij nono, aut decimo, aut vndecimo nascantur mense, alij duodecimo. quin &, quod multò magis mirandum, quatuordecimo etiam vt Fen 21. Tertij testatur Auicenna. Porrò autem termini figurationis, vt ex Hippocrate libello de Alimento notat Valesius, sunt nunc dies 30. nunc 35. nunc 40. nunc 50. quo loco eam, quam diximus, proportionem obseruat Hippocrates. nam eos, qui triginta quinq; figurantur, septuaginta moueri, & ducentis & decem edi tradidit: quamobrem ex his terminis licet colligere partus naturalis terminum esse septimum mensem, qui constat ducentis & decem diebus; & nonnunquam completur ducentis septuaginta diebus, qui terminus fit ex quadraginta quinq; bis sumptis, atq; constituentibus nonaginta ad motum, ex illisq; rursum ter sumptis, ad exitum. Potest verò etiam in principio septimi mensis edi, quando scilicet solis triginta diebus figuratur fœtus: mouetur enim sexaginta diebus, & editur centum & octuaginta; quod est anni dimidium, & principium septimi. atq; etiam in vndecimo editur, qui configuratur quinquaginta: mouetur siquidem centum, & editur tercentis. atq; ita aut citius, aut tardius, prout citò, aut tardè configuratur. tamen vt Valesius

inquit, nullus octauo mense editur: nam
qui quadragesimo figuratur, (figurantur
autem paucissimi) hic bis centum, & qua-
draginta editur, qui quatuor iam dies ex
nono mense desumpsit. constãt enim sin-
guli menses ex viginti nouem diebus cum
dimidio. Verùm quoniam rationem hanc,
qua sola barbari medici vtuntur, plurimum
claudicare Valesius opinatus est, propte-
rea quòd formari possint trigesimo quin-
to & vltrà, ex quò & octo mensibus in lu-
cem eduntur, idcircò & alias rationes his
censet hic auctor superaddendas: quarum
omnium commodissimam eam, qua vsus
est Hippocrates libello de Septimestri Par-
tu, esse inquit, quam etiam ipse ita expli-
cat. Partus terminatur quemadmodum &
morbi: nam quemadmodum ad morborum
iudicationes sunt quidam dies, in quibus
insignis est vis; alij imbecilles, alij praui
in iudicando; ita & ad ipsos partus. Dictũ
autẽ est à Galeno breues morbos per qua-
terniones; longiores aliquantulum per se-
ptimanas; lõgos verò per decimos primùm,
deinde & per vigesimos dies iudicari. Ita-
que quò longior est affectus, eò per lon-
giora interualla recipit mutationes. Præ-
gnatio autem est plerisq; morbis longi-
or; quare vt illi per septimanas, ita præ-
gnatio per quadragenarios recipit muta-
tiones. Est verò hoc non ratione solùm,
sed & experimento inuentum. Quãta enim
vis sit quadragenariorum dierum ad fętus,
inde cognosces, quòd mulieres experimẽ-
to obseruauerunt primis quadraginta die-
bus plurimas fieri abortiones, & quæ hos
euadunt, raro abortire. Recens natus in-
fans, etsi titilletur, ante quadragesimum
diem non ridet: nisi fortè ille, qui ad finẽ
decimi, aut vndecimo mense editur: ratio-
nem mox apponemus. Cùm ergo hæc ita
se habeant, illius quoq; oportet meminis-
se, quod Galenus primo de Diebus Decre-
torijs docet, nempè septimo maximam es-
se in iudicando vim, quinto etiam satis ma-
gnam, sextum autem esse infelicissimum.
ergo siquis rectè supputet, inueniet quin-
tum quadragenarium respondere septimo
mẽsi, septimum nono, & decimi principio:
sextum totum octauũ mensem compręhen-
dere; quare in hoc nihil potest feliciter cõ-
tingere. Moriuntur enim omnes, quia se-
ptimo mense fœtus incipit conuerti in
vulua ad exitum. Nonnulli igitur, qui eo
tempore firmiores sunt, non solùm con-
uertuntur, sed & vno impetu exeunt: qui
verò id non possunt assequi, laborant mor-
bo ex defatigatione, quæ ex conuersione
accidit; qui morbus durat diebus quadra-
ginta. Si igitur illis quadraginta diebus
(quibus totus octauus mensis continetur)
prodierint, moriuntur nouo labore par-
tus adueniente pristinæ ægrotationi: si ve-
rò toto illo quadragenario quieuerint in-
terius, sanantur; & postmodum sani pro-
deunt, possuntq; melius exitus laborem
sustinere; atq; eò melius, quò longius ab-
sunt ab infelici illo quadragenario. Atq;
proinde diximus paulò superius, eos, qui
ad finem decimi, aut in vndecimo eduntur,
firmiores prodire, & minus extra labora-
re, atq; citius ridere. Hæc ille; qui mox
aliam ex Hippocratis monimentis adfert
his verbis rationem. His, inquit, rationi-
bus addit Hippocrates aliam, quam ex na-
turali cuiusq; rei conformatione, rhytmo-
q; desumit; quam licet cuiq; appellare pro-
portionem efficientis, ad id quod accipit,
& patitur. omnibus enim rebus tàm ani-
mantibus, quàm arbustis, cæterisq; satis
constitutus est quidam ortus terminus à
natura: atq; hic non perpetuò idem, sed
aliquando breuior pro cœli, terræq; beni-
gnitate: aliquando tardior, quoniam hæc
desunt. Sunt igitur hominibus ad ortum
constituti hi termini, vltrà neq; citra quos
non eduntur; nonus scilicet mensis natura-
lis, ac frequens terminus; septimus ijs,
qui quasi benigniori cœlo, & terra gene-
rantur. Huic rationi videtur maximè cõ-
sonum esse, quòd Aristoteles de Historia
Animaliũ in quadam Græciæ parte octo-
mestres nonnunquam viuere memorię pro-
didit. Hæc Valesius; quibus disputatis,
concludit, fuisse sufficienter, & ex ratio-
ne dierum iudicantium, & ex proportio-
ne temporis conformationis cum reliquis
temporibus, & ex his, quæ frequenter
eueniunt de sententia Hippocratis mon-
stratum, octomestres non viuere; id ta-
men neq; esse omnino impossibile docu-
isse Aristotelem: vt iam de re difficili,
quam experimento cognoscimus, inquit
Valesius, & rationem nouit euidenter
solus ipse Deus, hæc dixisse sufficiat.
Verùm prætereundum non est, quod idem
auctor notat, ex allatis rationibus secun-
dam, & tertiam multò esse probabiliores;
quoniam ex maris & fœminæ natura clarũ
sit, non seruari illam figurationis ad motũ,
& motus ad partum (quemadmodum prima
ratio ponebat) proportionem: cùm enim
neutris vnicus constitutus sit terminus cõ-
formationis, ac muliebre corpus, cùm sit
hu-

humidius, & excrementi magis redundans, ta dius actione caloris elaboretur, & recipiat distinctam figuram, & nunquam ante quadragesimum; viri verò trigesimo, aut trigesimo quinto; si in partu enarrata proportio seruaretur, perpetuo viri septimestres, & fœminæ nonomestres, aut decimestres ederentur. Atq; eandem sententiam, quòd scilicet proportio hæc perpetuo non obseruetur, repetit politissimus hic auctor in Commentarijs super libello Hippocratis de Alimento, & confirmat; idipsumq; sensisse Hippocratem conatur ostendere, verba illa obscurissima ipsius explicans; ἐς ἑπτάτωσιν σμ' οὐκ ἔστι καὶ ἔστι. hoc est ad elapsum ducentos quadraginta, non est, & est. quo loco quasi Circeo poculo immutatus, ex ingenti octomestrium hoste amicior factus, tempera sententiam, eosq; de Hippocratis mente, si non vbiq;, saltem alicubi viuere posse concedit.

Variæ ex Valesio auctorum sententiæ. qua ratione auctores componendi, qui modo nouem, modo decem mensibus partum gestari scribunt. Item plura alia ex eodem ad hanc questionem pertinentia.

Cap. 19.

EAndem opinionem repetitam ab eodem hoc auctore inuenimus in Commentarijs super secundo Epidemion. *Sect. 3.* quo loco scribens de temporibus naturalis partus dubitata esse multa, & à Iureconsultis, & à Medicis; nimirum de vndecimestri an possit esse vitalis; ac multò magis de duodecimestri, & de octomestri, & de minori septimestri: item septimo, & decimo mense edi posse vitales concedere omnes; nonum maximè esse omnium naturalem experientia esse confirmatum; vndecimo mēse posse superuiuere negasse quosdam Iureconsultos, tamen hac de re consultum Hadrianum considerata causa, posse, decreuisse; idq; meritò, quoniam Hippocrates etiam dicit pluries; vltrà vndecimum mensem produci posse partum, neminem dixisse præter Auicennam: hæc inquam cùm dixisset, ita de octomestri concludit. Octomestris adeò non putatur posse esse vitalis, vt si quis videatur octauo mense natus viuere, putetur mulier conceptionis tempus ignorasse. Ante septimum mensem, aut ante centum octoginta duos dies posse aliquem edi vitalem negat Hippocrates. ergo vix quippiam est in rebus naturalibus, quod omnino impossibile, aut necessarium esse affirmem. Horum causas referunt in numerorum naturas, qui sectantur Pythagoricam philosophiam. Astrologi in stellas errantes. Hippocrates libro de Octomestri Partu insinuat tres causas, quas nos libro secundo Controuersiarum vno capite complexi sumus; primam ex proportione temporum prægnationis, quòd scilicet tempus motus sit duplum tempore configurationis, & tempus partus triplum tempore motus. Secundam, quæ ex numero quadragenariorum, quòd quadragenarij dies magnam vim habeant in affectibus fœtuum, incidat verò septimus quadragenarius in nonum mensem, & quintus in septimum. Tertiam, quæ refert hos euentus in proportionem causæ factricis, & materiæ, & in experimentum. Dictum est mihi loco citato primam causam non satis esse idoneam (quanquam proportionem illam temporũ fœtationis teneri sæpè dicat Hippocrates, vel hoc loco statim) post hanc verò secundam esse commodiorem; tertiam omnium maximè carere calumnia.

Hæc Valesius de genitis octauo mēse; quòd si eum interroges, cur septimestres fœtus edantur vitales, respondet ipse, quarto præsertim Epidemicon, magnā esse (quemadmodum etiam supra ex eodem vidimus) vim septimi in rerum natura, non solùm in diebus, sed in mensibus, atq; adeò in quadragenarijs; proinde cùm sint quidam menses partui decretorij, vt acutis morbis dies, septimo feliciter partum edi. Quoniam autem, vt Hippocrates, & Galenus visi sunt asserere, & alij obseruauerunt, septimestres & inneunte septimo, & finiente in lucem veniunt; primusq; partus terminus, vt ijdem tradidere, est centum & octoginta duo dies, & quindecim horæ cũ vigesima quarta horæ parte; vltimus ducenti & quatuor dies; atq; ante illum terminum nullus ad maturitatem peruenit; qui verò hunc vltimum transcendunt, non exeunt vitales, nisi quadraginta dies in vtero quiescant, atq; tùm demum prodeant refectis viribus nono mense: huius rei causam Valesius conatur secundo Controuersiarum afferre; *Cap. 11.* quare ad locum illum impræsentia lectorem amandamus, septimo libro fusius de re hac dicturi: illud interea notantes hos partus edi Valesium tradidisse primo, aut vltimo termino, aut inter hos alio, prout concepti fuerint aut in plenilunio, aut interlunio, aut medio tēpore. Sed neq; illud prætereundum est, quod doctissimus vir secundo Epidemion *Sect. 3.* notat,

" notat, Græcorum menses fuisse triginta dierum, propterea nouem tales menses habere ducentos ac septuaginta dies, ac proinde incidere in decem lunares; ita vt cōmunis partus quodammodo nouem mensium sit, quodammodo decem: qua ratione facilè auctorum verba componi posse inquit, nunc nouem, nunc decem mensibus fieri partum asserentium. Eandemq; retinet Valesius sententiam in Sacra Philosophia, sacrarum literarum loca illa conciliāns, in quorum altero nouem, in altero decem partus gestari scribitur. Quòd verò sit exactè hic finis 270. dierum, causam esse asserit proportionem facientis ad materiam; causam nullam cęlestem se scire inquiens, quæ huic fini admodum quadret, nisi fortasse id faciat aspectus tetragonus Solis, quem ferè illo die habere incipit cum puncto, quo facta fuerit conceptio; quia percurrerit tres partes integri circuli. quo etiam in loco Aristotelem refellit, quòd fœminas decimestres magis, mares magis septimestres nasci scripserit; atq; eius hæc est oratio. Quare quòd Aristoteles septimo de Historia Animalium mares magis quàm fęminas fieri septimestres, fœminas magis decimestres dicit, non admodum probo. Nam præterquàmquòd fœminas vidi septimestres, tamen neq; ratio admodum est pro illa sententia. Nam etsi tardius recipiant figuras & motus, nō crescunt tardius, sed, vt dictum nuper est, etiam citius, & proinde incidunt & marium, & fœminarum editus in eadem tempora. Quanquam in Sacra Philosophia hac de re pariter Aristotelem redarguens, fœminam sæpius in vndecimum mensem incidere, quàm marem ipsum scripsisse dicat; addens axioma illud Hippocratis. Quod citius discretum & motū est, augetur rursus segnius, & in longius tempus. Aristotelem interpretari de eo incremento, quod mares & fœminæ recipiunt editi iam in lucem vsq; ad consistendi ætatem; cùm de eo etiam incremento intelligi debeat, quod intra vterum recipiunt, postquam moueri cæperint, vsq; dum exeunt. Quando verò computatio incipere debeat, scribit hic auctor secundo Epidemicon citato loco, tempus id à conceptionis die, si modo is agnosci possit, esse inchoandum; cuius conceptionis notas ex Hippocrate refert: quòd si ignoretur, à menstruis, non quidem ab ijs, quæ vltimo fluxerunt, sed ab eo die, quo primum defecerunt, computandum esse tempus de Hippocratis mente statuit. Si igitur his signis, inquit, agnoscere possumus diem conceptionis, ab illo incipere deberet computatio; sin minus, à menstruis, non quidem ab ijs, quæ vltimò fluxerunt, sed ab eo die, quo primùm defecerunt, cùm expectarentur. Nam à die conceptionis procedent dies 270. perrarum autem sit diem conceptionis esse ipsummet diem, quo fluxerunt, siue primum, siue vltimum quo fluxerunt intelligas. Si ergo computatio fiat à menstruis fluentibus, semper videbitur produci partus vltrà nouem menses græcos, eritq; computatio incerta, atq; non raro peccabitur in victu, putante muliere se iam ingressam nonum, cùm nondum egressa octauum mensem sit. Si autem fiat computatio à menstruis deficientibus, semper attinget nonum mensem, & nunquam excedet. Nam pariet 270. die, exceptis tot, quot pręcesserunt à die conceptionis vsq; ad diē deficientium menstruorum. Si igitur conceperit recens expurgata, pariet in initio noni; si cùm iamiam menstrua imminerent, in fine; si inter hæc, medio mense: semper tamen intra nonum græcum, & vltrà 270. nunquam producetur, si modo partus cōmunis sit. Sed nec illud omittendum, Valesium censuisse, partum in septimo exitū tentare, quem nono facit; ita vt labor, ęgritudoq;, quam in vtero contrahit, vt suprà etiam ex eo notauimus, ex nulla alia causa oriatur. Nam quarto Epidemion ita scripsit. Velut ergo in prægnatione motus, qui nono mense plerunq; perficitur, septimo tentatur, ita in morbis acutis & c. quod etiam apertissimè secundo Controuersiarū affirmauit. Ex quò & super secundo Epidemion fętum non posse vitalem exire scribit, nisi ex labore septimi mensis, idest ex motu isto quadraginta dies quiescat. Item notandum, partus celerioris, vel tardioris causam nō solùm maturationem ipsam, vel perfectionem, sed & cum reliquis consentienté, aliméti inopiam, respirationisq; indigentiam esse voluisse. quod verbis illis apertè indicauit. Duplex .n. ratio esse potest, qua partus producatur; aut quòd ob amplitudinem viarū matris & fętus, & naturam alimento abundantem, tardius sentiat fętus alimenti penuriam, & respirationis indigentiam; aut quòd ob debilitatem tardius veniat ad perfectionem. Hęc sunt saltem potiora, quæ apud Valesium reperi. nunc ad alios sermonem conuertamus.

Cap. 83. — Cap. 18. — Part. 64. — Cap. 10. Sect. 3.

Hieronymi Capiuaccei sententia. Quare homini multiplex fuerit pariendi tempus à natura præfinitum. Vera causa ex Hippocrate cur octomestres nõ sint vitales; qui sint quadragenarij fœtibus noxij ex eodem; & qua de causa. Cap. 20.

Longa quidem oratione, sed necessaria, nonnullorum melioris notæ Medicorum sententias de octomestris partus natura explicauimus, vt nil, quod Iurisperitis fauere posſit, prætermissum à nobis videatur: impræsentia, vt finem tandem faciamus, duo ætate nostra Medicæ Artis lumina illis adijcienda sunt, Hieronymus nimirum Capiuacceus, & Hieronymus Mercurialis, qui in eandem opinionem videntur abijsse. quanquam enim nil Capiuaccei impressum circunferatur, ex quo, quid ipse senserit, elicere potuerim: fuere tamen nonnulli, qui scripta de re hac quædam ipsius collegerunt, dum illum medicinam Patauij publicè profitentem audirent; ex quibus, quid vir hic eruditissimus senserit de huiusmodi difficillima, & obscurissima quæstione, non fuit mihi omnino difficile percipere. Ipse igitur docẽs hominem parere octauo mense posse, quia varia sint tempora à natura mulieri constituta; pariendi varia verò esse constituta, quia solus homo inter cuncta animalia diuersa vtatur victus ratione, reliqua autem eadem; quo fit vt, cùm mulier diuerso victu vtatur, diuersimodè etiam alimentum fœtui suppeditetur; ac proinde diuerso quoq; tempore fœtus ad debitam magnitudinem perueniat; & ex consequenti diuersis temporibus edatur in lucem: hæc inquam præfatus, de octomestri statuit, partum hunc vitalem esse non posse; non quia, vt nonnulli arbitrati sunt, duos labores ferre nequeat, sed alia omnino de causa. dicebant enim isti, fœtum in octauo mense moueri, in nono egredi; vnde si octauo mense moueatur, & egrediatur, fieri non posse, vt duos labores eodem mense sustineat, ac propterea periclitari: quam sanè rationem plurimum inquit Capiuacceus claudicare, propterea quòd dicere aliquis posſit, fœtum septimo egredi, qui eodem septimo moueatur; idcircòq; verum non esse, vt duos labores ferre nequeat. quòd si pernegent contumacius, non moueri in septimo, sed potius sexto; iam pari ratione posſit affirmari, qui octauo egrediuntur, motum in septimo fecisse. vnde rationem aliam ex Galeni verbis difficillimis, & ex Hippocrate libello de Octomestri Partu sumptam ipse affert; scribens dicere Hippocratẽ gestationis tempore tria esse quadragenaria, in quibus fœtus maximè laborat; propterea in his tribus quadragenarijs maximum ipsum periculum subire abortionis. Primum quadragenarium esse inquit in primo mense conceptionis; ideoq; scriptum reliquisse Hippocratem, intra quadraginta dies à conceptu facilè, & sæpè mulierem abortire. Secundum quadragenarium esse septimo confecto mense, ac dum vertitur octauus, in quo itidem maximè fœtus laborat; ac vsq; adeò, vt gignatur interdum mutilatus, & monstrosus. Tertium quadragenarium esse, cùm infans editur in lucem; tot enim diebus plurimum infestari. Quibus ita cognitis, facilè reddi posse rationem inquit Capiuacceus, cur octomestris necessariò pereat. cùm enim octauo mense, in quo vis secundi quadragenarij viget, fœtus sit maximè debilis; si tũc edat, euenit, vt labores partus nequeat prę imbecillitate sustinere; quamobrẽ mortuus plerunq; venit in lucem. quòd si etiam viuus prodeat, ac vitalis, iam tertij quadragenarij vi, & malignitate omnino obruitur, ac facillimè debilis admodum existens superatur; vnde emoritur necessariò, cùm nullo modo posſit & labores partus, & secundi, tertijq; quadragenarij noxam perferre. Nec tamen ob id censendum esse inquit auctor, inter Hippocratem, & Aristotelem vllam esse dissensionem; etsi Aristoteles septimo de Historia Animaliũ videatur asserere octomestres esse vitales; ꝑpterea quòd Philosophus non dicat vniuersaliter octomestres omnes superuiuere, sed eos tantùm, qui in Aegypto nascuntur; quo loco, cùm mulieres sint fertiliores, posſunt infantes naturæ robore secundi, & tertij quadragenarij sustinere malignitatem. Eandem expressit sententiam Capiuacceus in sua disputatione de Formatione Fœtus: quo tamen loco addit etiam locis nostris, si mulier maximè fertilis extiterit, videlicet fœtum ita robustum efficiat, vt noxam secundi quadragenarij perferre valeat, tunc partum ab huiusmodi muliere editum, licèt octomestris fuerit, viuere posse. Quòd si ex ipso scisciteris, cur hi quadragenarij periculosi sint; respondet, in primo quadragenario, qui mensem primum comprænhendit, naturam maximè laborare secundum alteratricem virtutem, ac for-

formatricem; idcircò per id temporis periculum fœtui imminere. In tertio, fœtum mutationem experiri ingentem loci, ambientis videlicet, & alimenti ratione; vt hac de causa quadragenarius hic meritò periculosus censeatur. In secundo, qui in mensem octauum incurrit, fœtum roborari; quo in munere natura occupata secundum hunc quadragenarium periculosum reddit: ita vt nullo modo feliciter in eo partus prodire posit. Qua in re illud non est leuiter percurrendum, quod adiungit Capiuacceus, in fœtu septimestri secundum quadragenarium sextum esse mensem, in nonomestri octauum: & si contingat, vt partus sit futurus in decimo mense, secundum quadragenarium esse in nono; nimirum quia in mense, qui partum præcedit, fœtus roboretur. Hæc igitur Capiuacceus; de quorum omnium veritate suo loco cognoscemus.

Hieronymi Mercurialis opinio aperitur. Cur homo secundum illum multiplex habeat pariendi tempus. quare octauo mense geniti partus non viuant. Quid sit abortus propriè, et an octomestris dici abortus queat; qui've sint labores, quos in vtero patitur. Cap. 21.

Hieronymus Mercurialis, qui vnus linguarum cognitionem cum rerum scientia mirabiliter videtur coniunxisse, vnde & ipsum vnum ætas nostra meritò admiratur, & colit; libro secundo de Morbis Muliebribus, vbi de vitijs tractat, quæ in partu contingunt intempestiuo; statuens primùm, si partus non fit debito tempore, id contingere, quia antecedat, ac citius edatur, & maturius quàm conueniat; huiusmodiq; vitium abortū esse nuncupandum, quoniam nunquam dici posit abortus, si excedat tempus pariendi (sicuti si verum esset quod dicit Auicenna, ac Petrus Apponensis, quandoq; decimoquarto mense mulierem peperisse, nunquam abortus appellaretur) cùm abortus sit fœtus imperfecti emisi ante tempus; mox in eam incidit quæstionem, vt quænam sint non debita partus tempora, quæ debita, peruestiget. dicitq; Aristotelem septimo de Historia Animalium, & ante ipsum etiam Hippocratem libello de Septimestri, & Octomestri Partu fuisse in hac sententia, quòd tempus pariendi sit septimus mensis, octauus, nonus, & decimus. Aristotelemq; qui omnia considerauit, addidisse sententiæ Hippocratis, vni homini data esse à natura pariendi varia tempora; bruta verò hoc non habere, quia quodlibet genus brutorum constitutum aliquod habet tempus, nec vllum aliud præterea: vnde canis semper quarto mense; equa nono, aut decimo; elephas semper secundo anno partum edunt. solus homo plura tempora habet, cuius rei causam, inquit Mercurialis, se à nullo inuenisse explicatam; ipsum tamen credere, naturam solicitam propagationis humanæ, & conseruationis fœtus humani, voluisse hominem non vnum tempus habere; vt scilicet, vel si maturius, vel si tardius exiret, viuere posset. His positis addit, cùm hæc tempora homini sint constituta, sequi, vt quotiescunq; oritur infans ante septimum mensem, ortus ille sit ante debitum tempus; & eiusmodi ortum dictum esse ab Atticis ἀμφλώσιν, siue ἀμβλωσιν; ab Hippocrate autem, vt Galenus notat, ἐκθρωσμὸν, & ἀποφθορὰν; à latinis verò omnibus modo aborsum, modo abortum. Quibus in hunc modum constitutis, quærit hac occasione an octomestris partus debeat vocari abortus: atq; media quadam via incedens, ac non abortum quidem, sed tamen illegitimum partum esse octomestrē statuens, ita respondet ad quæstionem; totam nanq; illius disputationē huc appingere in re tàm graui est necessarium. Ex vna parte videtur quòd sic, quia, vt memini, Aristoteles locis citatis, & Hippocrates libro de Octimestri Partu, (siue suus fuerit, siue Polybi, nam Clemens Alexandrinus 6. Stromaton citat hunc tanquam Polybi non Hippocratis) dixerunt octimestrem partum non esse vitalem. immò etiam grauidæ periclitantur hoc mense, vt hac ratione non videatur esse partus legitimus, sed potius abortus, siue aborsus. Ex alia parte est auctor Aristoteles locis citatis, vbi numerat octauum mensem inter tempora constituta à natura pariendi in hominibus. Accedit quòd idem scribit viuere in Aegypto octimestres partus; Auicenna idem de Hispania affirmauit. Pro solutione sum huius sententiæ, quòd octimestris nequaquam debeat dici aborsus, neq; partus legitimus. Et propterea veteres omnes videntur quodam peculiari titulo appellasse hunc partū octimestrem. non est dicendus aborsus, quia hic est propriè imperfectus fœtus, iam verò octimestris est totus consumatus. non est etiam legitimus partus; quia ex centum, qui ita nascuntur, vix vnus, aut alter superstes viuit,

Cap. 1.

Cap. 4.

» viuit, præsertim in nostris regionibus. » Est itaq; partus non legitimus: atq; hoc » est oraculū illud, siue ænigma, quod Hip- » pocrates reliquit in libro de Alimento sub » ijs verbis: est & non est octimestris gene- » ratio; de quo plura in quarto Variarū Lec- » tionum nostrarum. Dices cur fętus viuunt » septimo mense, octauo viuere non possunt? » Præterea quæ est ratio, cur in Aegypto vi- » uant octimestres partus? Astrologi vt red- » derēt huius rei rationem, dixerunt quemli- » bet mensem conceptionis gubernari à pro- » prio quodam planeta, octauum gubernari à » Saturno; qui, quoniam frigidius & siccus » Planeta est, frigiditas verò & siccitas inimi- » ca est vitæ, hinc dicunt partus natos sub » hoc mense, non esse vitales. Sed Picus Mi- » randula tertio contra Astrologos refutauit » hanc opinionem, & rectè, quia imaginariū » hoc est, quòd menses deputati sint singulo » Planetæ: quia cùm maximè & infinito mo- » do varient mēses, ita vt reperiatur vna gra- » uida in septimo, altera in octauo, & quarto, » est veluti confusio dicere, quòd huiusmodi » mulieri in hoc mense hic Planeta, & illi al- » ter præsideat. Polybus, siue Hippocrates » lib. de Septimestri Partu attulit aliā ratio- » nem, & meliorem; scilicet quòd partus in » vtero semper octauo mense laborat, non ad- » modum valet: vnde si eo tempore, quo la- » borat, exeat in lucem, atq; experiatur hanc » mutationem, procul dubio succumbit, & » moritur: quia, cùm sit naturaliter infirmus » eo tempore, permutetur ad aërem, & locū » valde diuersum, ab eo, in quo erat, procul » dubio non potest sustinere huiusmodi per- » turbationes. Quo modo verò laboret in v- » tero octauo mense explicat Auicenna 21. » tertij tractat. de Abortu, & Albertus Ma- » gnus decimo de Animalibus tract. 2. cap. » vltimo, qui omnes quasi explicantes Hip- » pocratis sententiam dixerunt, idcircò labo- » rare fętum in vtero octauo mense, quia sep- » timo mense, cùm fętus sit grandior, & con- » sumatior, opus habet multo nutrimento, & » multo aëre, quę omnia cùm sibi desint, quę- » rit exitum, & incipit moueri. Quòd si exe- » at eo tempore, superstes viuit, quia iam cō- » sumatus est; si non exeat, sed retineatur in » vtero, ob labores, quos sustinet septimo » mense, dum nitebatur exire, in octauo de- » bilis est languidus, infirmus; ita vt neces- » sarium sit ipsum adhuc in vtero permanere, » vsq; in nonum mensem, vt recreetur & refi- ciatur: quoniam in nono mense, cùm post- » modum sit refectus, & languorem omnem » & infirmitatem deposuerit, dum egreditur, » egreditur valens, & incolumis, & propte- » rea vitalis est. Qua de re Picus Mirandula, » loco citato maximè errauit, qui existimauit » sententiam Hippocratis, & Auicennę diuer- » sam esse; tradidit tanquam diuersas, cùm tū » non sint diuersæ; sed Auicenna & Albertus » explicauerunt sententiam Hippocratis. »

Cur porrò in Aegypto, & Hispania octime- » stres partus sint vitales, Aristoteles attulit » rationem vnam, scilicet fertilitatem mu- » lierum, & facilitatem pariendi; inquit .n. » quòd cùm istæ mulieres facilè pariant, sint » robustæ, robusti quoq; sunt eo tempore fę- » tus; eò quòd dum exeunt, non ita offendun- » tur à loco sibi assueto. Sed addatur & al- » tera ratio, quia aër Aegypti calidus est, aër » verò calidus magis est similis loco vteri, in » quo permanebat fœtus; & propterea licèt » fętus octauo mense exeat imbecillis eo in » loco, non tamen ita offenditur in cęlo sibi » assueto, quia non multum est dissimile à lo- » co pristino. Itaq; abortus propriè dicitur » partus omnis, qui exit ante septimum mē- » sem; vnde manifestum est errasse Concilia- » torem, qui dicit quandoq; visum esse fętum » in sexto mense vixisse. Est enim, vt dicit A- » ristoteles, quia sæpè errat mulier in nume- » randis mensibus conceptus, vt accipiat sex- » tum pro septimo. Verum quidem est quòd » interdum exeat fętus decimo mense, & pre- » sertim fęminę, quoniam ex Hippocratis lo- » cis citatis, & Aristotelis fœminæ tardius in » vtero perficiuntur, viri verò celerius ob ca- » liditatem. extra vterum verò fęminę citius » perficiuntur nō solùm secundū corpus, sed » etiam secundum animam; eò quòd fiunt ci- » tius prudentiores quàm viri. Quanquam » Aristoteles, qui locum hunc Hippocratis » accipit, dicat solùm perfici citius fœminas » extra vterū quoad corpus solùm; quod di- » xit, quoniam loquitur de omnibus animali- » bus, non solùm de homine. Hæc ille; sed » quia hæc ad doctissimi huius viri, & aliorū opiniones afferēdas satis sunt, hactenus mo- do. nunc tertius disputationis propositę li- ber aggrediēdus nobis est, Aristotelicę dis- quirendę sentētię dedicatus: in cuius trac- tationē eò acrius nobis est incūbendū, quò contra receptam vulgò de octomestri partu opinionem, demonstrare profitemur, partū hunc de Aristotelis mente esse vitalem.

Cap. 6.

Cap. 1.

FINIS SECVNDI LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA.

LIBER TERTIVS.

Aristotelicæ opinionis fundamenta iaciuntur. Natura hominis partus respectu consideratur. Cap. 1.



QVAE philosopho mens fuerit in hac grauissima quæstione de natura partus octomestris, an sua sententia vitalis sit partus, & naturalis, cùm nullo modo cognosci possit, nisi & antea naturam hominis circa pariendi tempus, & partum ipsum probè ex eodem cognitam habeamus: operepræcium erit, quin etiam & necessarium, vt paulò altius ordientes hac de re primùm ipsius opinionem aperiamus. Inter multa, quæ diuinus philosophus de natura hominis in luculentis illis de Historia Animalium libris colligit, & tanquam magis animaduertenda notat; ea sunt, & maximè digna scitu, & abstrusissima, quæ ad illius ortum pertinent, & conformationem. Enimuero licèt homo, vt ipse docet primo eiusdẽ operis, sit animaliũ maximè omniũ necessariò homini notus, vt propterea ab eo tùm in exterioribus, tùm in interioribus partibus explicãdis duxerit Arist. ordiendũ; tñ quod pertinet ad generationis negociũ, tantùm res hæc in ipso difficultatis habet, & obscuritatis, vt nouissimè hac de causa, quemadmodum quinto Historiarum idem monet, de eo tractandum fuerit loco illo. Et sane quis est, qui omnipotentis Dei summam non admiretur sapientiam, dum seminis humani, & menstruorum naturam, fœtus conformationem, animationem, ac huiusmodi alia contemplatur? Verùm inter omnia, quæ circa corporis humani fabricam, & perfectionem animaduerti solent, duo præsertim illa ad parturitionem pertinentia plurimum subit admirari; tanquam habentia causas in abditissimis naturæ arcanis collocatas, ob idq; maximè inter auctores controuersas, & plenas dissensionis: videlicet hominem, qui in cunctis ferè alijs peculiarem quandam naturã nactus nil habet cum cæteris animalibus commune, in partu tamen, vt bellissimè notat Aristoteles sic ἐπαμφοτερίζειν, idest cũ generibus cunctis sic ambigere, vt cum omnibus conueniens & vniparum sit animal, pauciparum, ac multiparum, & multiplex præterea habeat tempus pariendi.

Cap. 6.

Cap. 1.

Proinde Aristoteles libro septimo de Animalium Historia, quem totum tractationi huic de hominis generatione dicat, duo hæc veluti clara, & sensuum fide comprobata ponit, vt tantarum rerum causas postmodum suo loco inquirat; cuncta scilicet alia animalia perfectionem partus vno modo efficere, nimirum quia vnicum partus tempus sit vniuersis præfinitum; solum verò hominem multa pariendi tempora esse nactum, cùm & septimestres, & octomestres, & nonomestres edat mulier, quin etiam & decimestres, & vndecimestres: præterea, cùm alia singulos pariant, alia plures, humanum genus esse in ancipiti, ac vniparum animal, & pauciparum, & multiparum euadere. Esse .n. Aristotelis morem, & consilium in Historiarum libris omnia colligere circa naturam Animalium, quæ vel ipse apud alios auctores inuenit, vel experientia didicit, vt falsa respuat, vera admittat, moxq; de illorum veritate cognoscat suo loco, causasq; inueniat; id tàm est notũ alumnis non solũ eius, sed ijs etiam, qui vel leuiter in eius lectione versati sunt, quàm quod notissimum. Porrò autem iure & meritò hasce ambas quæstiones proponit simul Aristoteles pertractandas; ita nanq; altera ab altera pendet, vt alterius causa altera esse videatur: quemadmodum ex quarto de Ortu Animal., quo in loco causa huius rei inuestigatur, planũ infra faciemus. Aristotelis igitur opinionẽ explicaturi, antea necessarium est ipsius verba, quibus rem septimo Historiarum proponit, ponderare: ita enim facilius mentem ipsius assequemur. Itaq; de multiplici, ac enormi tempore pariendi, & prima quęstione ita scribit Philosophus citato loco interprete Theodoro. Sed cùm cętera animalia omnia singulari, ac simplici modo partum suum perficiant (vnum enim pariendi tempus statum omnibus est) homini vni multiplex datum est: nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest,

Cap. 4.

Cap. 4.

» potest, & quod plurimum decimo; non- » nullæ etiam vndecimum tangunt. Hæc Aristoteles; quo loco notare est, cùm dupliciter intelligi possit vno modo animalia partum perficere; vel quia vno tantùm anni tempore, non sæpius anno coeunt, concipiunt, & pariunt; quo sensu idem dixit sexto de Animalium Historia, quæ non vno tempore, sed sæpius anno coeunt, vt ea, quæ cum homine degunt, verbi gratia canes, sues, vt minus efferentur facere coitus copiam; vel quia certo mensium spatio generetur fœtus, & maturescat; siquidem sues exempli gratia menses quatuor, canes menses duos vterum gestant, boues decem, equæ duodecim; quæ tempora nunquam in eiusmodi animalibus euariant; Aristotelem posteriori sensu verba protulisse, licèt vtroq; modo multiplex non vnum pariendi tempus homini sit statutum: siquidem ipsemet se ipsum explicans, ac multiplicitatem hanc ad mensium referens incertitudinem, dicit non vno modo maturitatem partus, ac perfectionem hominem absoluere, quia & septimo mense, & octauo, & nono, quin etiam & decimo edatur in lucem, ac vndecimo. Plinius vtranq; varietatem libro septimo Naturalis Historię mirificè complexus est, ac eleganter, dum ita scriberet. Cæteris animanti- » bus statum & pariendi, & partus gerendi » tempus est. Homo toto anno, & incerto » gignitur spatio; alius septimo, alius octa- » uo, & vsq; ad initia decimi, vndecimiq;, » verbis enim illis, toto anno, primam pariendi varietatem, alteris illis, incerto spatio, secundam explicauit.

Cap. 18. *Cap. 5.*

Qui menses gestationi limites imponant secundum Aristotelem. Cap. 2.

HAec igitur Aristoteles; quoniam autem videbat diuinus vir potuisse aliquem dubitare, intra hanc partus humani incertitudinem alios fortasse terminos, ac menses alios præter eos, quos ipse enumerauerat, posse comprehendi; atq; quinto, aut sexto etiam mense, quin etiam & vltrà vndecimum gestari partum posse; item omnia enarrata ab eo tempora esse pariter homini in partu naturalia; propterea, vt se magis in re obscura explicet, has duas quæstiones pulcherrimas dissoluens, statim quis sic terminus docet, quem vltrà citraq; humanus partus nequeat efferri; & qui ex enumeratis mensibus magis censeri debeant naturales. ac primùm, quod pertinet ad terminum fœtus maturescendi breuiorem, statuit ante septimum mensem haud vnquã partum vitalem esse, nec vllo in loco: quod spectat ad terminum longiorem, nullum diuturniorem vndecimi mensis initio nasci. ita enim scribit de breuiore limite interprete Theodoro. Fœtus, » qui maturius quàm septimo mense prode- » at, nullo pacto vitalis est. qui septimo, vi- » talis primùm hic quidem existit. quam sententiam videtur habuisse libello de Carnib⁹, seu de Principijs Hippocrates, & libello de Partu Septimestri; Galenus apertissimè in Commentarijs super ipsum: scribens ante centesimum & octogesimum secundum diem, & quindecim horas mulierem nullam partum edere vitalem; qui terminus in septimi mensis initiũ cadit. quod sanè dierum interuallum septimestris spatij nomine rationi videtur consentaneum Aristotelem quoq; intellexisse. Diximus autem supra ante septimum editos nullo in loco edi vitales ex Aristotelis sententia, quoniam id fortasse satis perspicuè græca ipsius oratio videtur indicare, tametsi à Theodoro non exprimatur. Enimuero græcè sic loquitur Aristoteles οὐδὲν οὐδαμῆ » δύναται ζῆν. vbi equidem non dubito, ad- » uerbium οὐδαμῆ regionum, lociq; respice- » re differentiam, vt non semel solet apud græcos auctores; tametsi neq; etiam id vetus Interpres considerauit sic transferens Aristotelis orationem. Quæcunq; quidem » igitur fiunt prius septẽ mẽsibus, nullate- » nus nihil possunt viuere. qua in re longe » magis lapsus videtur Trapezuntius ita habens. Quicunq; igitur ante septimum mẽ- » sem eduntur, viuere nequeunt. Hoc autem » non sine magna causa de genitis ante septimum ab Aristotele pronunciatur; cùm enim locorũ differentiæ partus aliquos magis, vel minus vitales reddant, vt octomestrium exemplo mox ipse ostensurus erat; iure & meritò adiungere hoc philosophus voluit, vt doceret nullum esse locum, quantumlibet suo temperamẽto faueat vitę partus, in quo geniti ante septimum viuere possint; nimirum quia sua natura oriuntur non vitales: sicuti & è contra, generaliter vitales esse eos pronuncians, nullum esse locum demonstrauit, quantumlibet suo tẽperamento vitæ partus aduersum, qui minus vitales illos reddere valeat. atq; hæc de breuiore termino partus Aristoteles de longiore verò sic statuit. Simili modo & » qui diuturniores quàm vndecimo mense » nasci videntur, latere putantur. Etenim » conceptio-

conceptionis horum initium mulieres latet. Nam & sic concludit mea sententia Aristoteles, licèt aliter Theodoro visum fuerit, quemadmodum planius etiam infra dicam. At his verbis longiorem humani partus limitem vndecimum mensem statuere Aristotelem, ita vt hoc ipso diuturniorem nolit reperiri, satis est conspicuum: quo loco vndecimi mensis nomine non vndecimum totum, quasi toto hoc mense gestari partum posse Aristoteles concedat; sed vndecimi initium ex superioribus oportet intelligere: cùm huius tantùm mensis principium non mensem totum, supra gestationi humani partus philosophus dicauerit; vt sententia sit, qui diuturniores quàm vndecimi initio edi videntur, conceptionis horum tempus omnino latere. Atq; hæc de humani partus terminis tùm breuioribus, tùm longioribus, & de priori quæstione Aristoteles.

Quòd Aristoteles omnes, quos enunciauit, menses tanquam partui naturales enumerauit. Item nonnulla de Theodori consilio in Aristotele interpretando. Cap. 3.

De quæstione verò altera, vtrum enumerati menses æquè secundum naturam cuncti dici debeant, primùm illud admonere oportet, tanquam maximè huic disputationi nostræ necessarium, menses omnes, qui ab Aristotele referuntur, sic ab eo referri, vt tempora pariendi naturalia esse velit. quod eò magis confitebimur, si Aristotelis verba, quæ supra latina ex Theodoro attulimus, græca intueamur; siquidem hoc iam tertium est, in quo cum Theodoro non planè consentio: cui tametsi vni primus honor in hoc interpretandi munere omnium consensu debeatur; vt odiosum, & impudens litteratis viris videri possit, me quidem hominem vix intra proprios parietes agnitum, à tanto viro dissentire, quoniam tamen quantum iudicium ac labor placet ipsius, tantùm & mihi, & alijs displicet audacia; cùm pleraq; interdum addit de suo latè, vel relinquit, aut non adeò exactè interpretatur, quemadmodum peripatetica lanx requirit; idcircò coacti fuimus veritati consulentes in re tàm graui, ac difficili accomodatiorem plerunq; græco contextui interpretationẽ inuestigare: omnino enim peripatetica tùm veritas tùm seueritas respuunt orationis lenocinia, nec sine magno periculo affectantur diuerticula. quin etiam nec vel vnum verbum additur sine totius sensus ruina, aut relinquitur, vel si dubium est, ac anceps, in certam trahitur sententiam, vt à doctis viris animaduersum esse video. Nam, vt ait Galenus, summa interpretis fides est, vt explicet, non quid ipse sentiat, sed quid auctor, quem suscipit interpretandum. At latinus, qui græca ignorarit, si ei Aristotelis auctoritate vtendum sit, falsò nõ semel imponet aliquid illi ex Theodoro; qui in præfatione ad Xystum quartum Pont. Max., quanquam munus esse interpretis dicit non suo arbitratu rem disponere, mandareq; elocutioni, sed totidẽ ferè verbis sensus alienos accomodatè exprimere; cùm tamen paulò post affirmat, in his libris interpretandis studium sibi certandi fuisse cum Aristotele, iam quas antea arctissimas promulgauit leges, se nõ esse omnino seruaturum satis docuit. Vt autem id tutius ageremus, vt doctis viris, & græcarũ litterarum studiosis ostenderemus, aliquando non sine magna causa à tanto nos interprete discedere; in plerisq; locis Theodori conuersionem non solum cũ græco contextu, sed etiam cum veteri trãslatione, & cum Trapezuntij interpretatione conferre voluimus, qui Græcus pariter homo ante illum hunc laborem suscepit; & si non pari elegantia, certè in plerisq; maiori fide Aristotelis mẽtem latinis auribus aperuit: vt ex hac crebra, diligentiq; collatione, quemadmodum ex attritu lapidũ ignis, veritatis lumen collucesceret. quem profectò Trapezuntij librum, cùm impressus non sit, Serenissimi Ducis nostri humanitate manuscriptum ex Feltria Bibliotheca habuimus; quam Inuictissimus Imperator Federicus Dux Vrbini secundus, qui nõ minori studio libros quærere, quàm eis vti sciuit, simul cum regia Aula, magnificè consulens & suæ, & posteritati, & hominum communi vtilitati, in ea ipsa Aula, quasi in fulgenti auro gemmam clarissimã, Vrbini condidit; & qua hac nostra tempestate dignus tanti Herois hæres Franciscus Maria fruitur, in bellica re, alijsq; virtutibus certè nõ obscurior, sed in scientiarum cognitione longe clarior. Quòd si ab vtrisq; nos in nonnullis dissentientes in orationis cursu lector animaduerterit, nostrumq; iudicium iuxta ingenioli nostri tenuitatem aduersus tantos viros è media etiam Græcia oriundos de grecis verbis interpretandis ingenuè, & candidè proferre; non quæso succenseat, sed illud potius cogitet, interdum magna Dominum à sapientibus abscon-

abſcondere, atq; paruulis ea reuelare: prę-terquàm quòd exacta philoſophię cognitio in rebus philoſophicis interpretandis eſt neceſſaria, quam Trapezuntium, & Gazam tanquam humaniores litteras profitentes non habuiſſe, nemo eſt, qui ignoret; quare nos tantorum hominum non deterruit auctoritas, à quibus vinci tàm pulchrum eſt, quàm illos vincere glorioſum.

Fuſius probatur, Ariſtotelem omnes, quos enumerauit menſes tanquam partui naturales enumeraſſe. Cap. 4.

VErùm hæc longius digreſſi diximus, vt lectores intelligerent, nos neq; calumniandi cauſa, neq; ambitione permotos, ſed amore ductos veritatis, quin etiã & conſtrictos, liberum in præſenti diſputatione iudicium de Ariſtotelicorum verborum conuerſione interponere. Nunc ad propoſitum redeamus. Omnes igitur enumeratos menſes tanquam pariendi tempora naturalia Ariſtotelem hoc loco percenſere, clarius haberi ex græca oratione, quàm ex verſione Theodori dicebamus; hoc omnes in ſe continere numeros veritatis docendum eſt. Ariſtoteles hac de re græcè ſic loquitur, " ἀνθρώπῳ δὲ πολλοὶ μόνῳ " τῶν ζῴων, ideſt ὥρισαι, ſiquidem hoc ver- " bum ex ſuperiori oratione ſubaudiendum eſt. At id ſic Theodorus interpretatur. " Homini vni multiplex datum eſt. qua quidem interpretatione vim magnam illius verbi ὥρισαι, ac latentem energiam, quod propriè ſonat definitum, nequaquam nobis explicauit; cùm longe plus ſit apud " Ariſtotelem definire, quàm dare: qui non " ſemel docuit, quod præter naturam eſt in- " definitum eſſe, quod verò ſecundum na- " turam definitum; omneq; indefinitum, inęquale, & inordinatum à materia ortum habere; omne definitum, & ordinatum à natura, ac forma: quamobrem & ſemper cum materia coniungit ἀοριςίαν, ideſt indefinitionem; quod pleriſq; in locis apud ipſum inuenies, ſed præſertim ad finem quarti libri de Ortu Animalium. Itaq; Ariſtotelicę orationis mens eſt, plura homini tempora eſſe definita pariendi, definita inquam à natura, cuius munus eſt, ac proprium definire; quia ſcilicet naturæ, ac formæ ſuæ ratione id illi congruat. At huiuſmodi definita tempora philoſophus enumerans, ſeptimum, nonum, ac decimum recenſet, quin etiam & octauum; quare & neceſſariò cunctos hoſce menſes enumerat tanquã pariendi tempora naturalia; & quod hinc ſequitur neceſſariò, contra multorum opinionem octauum menſem terminum omnino partui humano facit naturalem; quia ſcilicet ſit à natura homini definitus ad partus editionem. Nam & hæc cauſa eſt, cur ſine vlla cautione menſem hunc philoſophus in ſerie collocet aliorum menſium naturalium, ſeptimi ſcilicet, noni, & decimi; de quibus nemo vnquam dubitauit, quin partionem habeant naturalem; hæc cauſa eſt, cur octauum adnumeret ad illam probandam propoſitionem, quam ſubiecerat, ſoli homini multa partus tempora eſſe præfinita; quam cùm poſuiſſet, ſtatim addidit interprete Theodoro. Nam & ſepti- " mo menſe, & octauo, & nono parere po- " teſt, & quod plurimum decimo, nonnullæ " etiam vndecimum tangunt. quo loco ſuo " more laſciuit vir eruditiſsimus, addens de " ſuo, poteſt; quod verbum nobis cum iuriſprofeſſoribus agentibus tàm eſt fugiendum, quàm quod maximè: ſtatim enim " dicerent adiectum à philoſopho eſſe pro- " pter octauum menſem; qui cùm infeli- " cem, & rariſsimam habeat partionem, & " quæ vix raro viuere queat, idcircò philoſophum, vt id ſignificaret, dixiſſe hominem non abſolutè parere eo menſe, ſed parere poſſe; quia ſcilicet id poſsit aliquando, ſed raro, ac præter naturam. nec ſanè omnino ſine ratione id dicerent; nam potentia contraria actui eſt, & deſignare quandam videtur imperfectionem. Verùm Ariſtoteles nõ inquit hominem octauo poſſe parere, ſed, γίνονται, quod eſt oriuntur, " naſcuntur; quamobrem actum non potentiam deſignat, & intrepidè pronunciat octauo hominem, non quidem poſſe naſci, ſed naſci omnino: ex quo, & Trapezuntij interpretatio longe Ariſtotelico contextui congruentior, qui ſic locum interpretatus eſt. Nam & ſeptem, & octo, & nouem menſium " gignuntur, & decem vt plurimum. cui & " vetus aſſentitur Interpres ita habens. Ete- " nim ſeptem menſium, & octo menſium, & " nouem menſium fiunt, & decem menſium " ſecundum plurimũ. quibus, vt perſpicuũ " eſt, rationem Ariſtoteles profitetur aperire, cur dictum ab eo ſit, ſoli homini multa eſſe partus tempora præfinita; quare ſi octauus menſis tempus neq; præfinitum eſſet, neq; naturale, incaſſum philoſophus eum ad probandam propoſitionem illam enumeraret; cùm ex eo, niſi menſis ſit partus naturalis, nullo pacto ratiocinari poſſimus, ac probare, multa homini præfinita eſſe tempora pariendi.

Supe-

Superiora plenius confirmantur. Cap. 5.

IAm verò hoc totum & hac etiam altera colligi ratione apertissimè autumo; philosophus enim inter initia huius libri palàm testatus est, se in ipso ea aggredi explicanda, quæ homini contingunt secundum propriã, peculiaremq; illius naturam circa generationem tùm in vtero, tùm extra vterum vsq; ad senectutem; siquidem sic græcè scriptum reliquit: περὶ δ' ἀνθρώπου γενέσεως τῆς τε πρώτης ἐν τῷ θήλει, καὶ τῆς ὕστερον, μέχρι γήρως, ὅσα συμβαίνει διὰ τὴν φύσιν τὴν οἰκείαν, τον δ' ἔχει τὸν τρόπον. quæ verba sic ego interpretor paululum dissentiens à Theodoro. Circa hominis autem generationem tùm primam, quæ in fœmina fit, tùm posteriorem vsq; ad senectutem, quæ ex propria ipsius natura eueniunt, hoc modo se habẽt. quæ in eandem sententiam sic transtulit perspicuè Trapezuntius. De generatione autem hominis tàm prima, quæ in vtero, quàm posteriore vsq; ad senectam, hoc modo se habent, quæcunq; propter naturam propriam homini accidunt. quod totum hoc ordine exequitur philosophus, vt primùm tempora aperiat, in quibus semen & menstrua mares, ac fœminæ habere incipiant; tùm de mutationibus agit, quæ illorum corporibus eueniunt aduentus seminis, ac menstruorum ratione; postea explicat qualitates, & conditiones seminis, ac menstruorum, vt prolifica esse valeant; deinde de conceptione ipsa, quod nam tempus ad eam videatur opportunius, ac de articulatione, gestationeq; differit, plerasq; interea pulcherrimas ad hæc capita pertinentes quæstiones explicans; quibus disputatis opportunè de partu, ac de vario pariendi tempore homini præfinito, & de vario partuum numero tractationem aggreditur. de quibus quidem omnibus tanquam de his, quæ in generatione homini secundum propriam ipsius naturam eueniant, sermonem philosophum habere, quemadmodum initio libri testatus est, meridiano sole clarius apparet. Cæterum explicans quęstionem hanc, quę ad multiplex pariendi tempus spectat, vt illius comprobet veritatem, vt varietatem hanc temporum ostendat, inter alios menses octauum recenset; itaq; & de partu octomestri tanquam de aliquo, quod secundum propriam hominis naturam in generatione ipsius contingat, vel, vt placuit Trapezuntio, propter propriam naturam illi accidat, omnino loquitur; & octauum mensem tanquam tempus partui humano naturale agnoscit, & secundum propriam hominis naturam illi conueniens; cæteroqui, si aliter sensisset, si mensem octauum omnino præter naturam esse censuisset, partumq; in eo editum nullo pacto esse vitalem; vel certè ipsum in vitalium mensium serie nõ collocasset, vel aliquam addidisset cautionem; quod quidem hoc loco cùm non faciat, sed simpliciter & absolutè inter vitales menses octauum recenseat, ac simpliciter & absolutè in eo gigni hominem affirmet, confitendum omnino est, aut mensem hunc Aristoteli vitalem esse ac naturalem, aut ipsum insigniter errasse, aut alios errare voluisse, cùm sic loqueretur.

Adhuc quæ superius posita sunt, vberius comprobantur. Cap. 6.

POrrò autem ex hoc etiam altero idem demonstratur; vtitur enim Aristoteles verbo γίνονται, idest generatur, quod sonat apud ipsum, fœtum vitalem in lucem edi & perfectum, ac mense tempestiuo; quemadmodum videre est ad finem capitis superioris, vbi inquit de sexu muliebri; καὶ δεκάμηνα γίνεται μᾶλλον τῶν ἀρρένων· ὅταν δὲ γένηται, &c. idest & decimestres gignuntur magis quàm mares, & cùm genitæ fuerint. Et plerisq; alijs in locis, quæ breuitati consulens prætereo; vt etiam & verbum, generari, apud latinos, quod D. Ambrosij auctoritas facit testatissimum ex Epistola ad Siricium Papam, vbi sic loquitur. De via peruersitatis produntur dicere Virgo concepit, sed non Virgo generauit; quæ potuit ergo Virgo concipere, potuit Virgo generare; cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur. quo loco, vt patet, generare est partum edere: vt iam si inquit hîc Aristoteles octomestres γίνεσθαι, idest gigni, intelligat necessariò sic oriri, vt verũ partũ designent, ac valeant superuiuere. cuius verbi vim, atq; vsũ cùm apud philosophũ nõnulli nõ perceperint, aliud esse fętũ nasci, aliud viuere, idest nasci vitalẽ falsò ꝓdiderũt. Sed video aduersarios esse responsuros, Aristotelem, quod ad octauum mensem pertinet, & cautionem addidisse, & se ipsum omnino explicasse; cùm paulò post adiungere videatur, vt communis sententia est, octano genitos in Aegypto tantùm viuere, in Græcia perpaucos seruari, & monstrifici aliquid in se habere: vt nullo pacto vitalem, ac naturalem mensem hunc ipse agnoscat.

Cęte-

Cæterum hoc desipientium esse hominum, & dicere, & opinari, illi facilè concedent, qui viderint Aristotelem primo loco, vbi menses partui humano naturales enumerauit, inter eosq; octauum recensuit, nullam addidisse cautionem: deinde, quæ de octauo subiungit, non ideo subiungere, vt mensem hunc esse probet non naturalem; quod quidem si faceret, turpiter à se ipso discederet, & à verbis superioribus dissentiret, quibus contrarium, vt probauimus, asseruit. verùm quia consilium erat illius demonstrare, non omnes ab eo enumeratos menses pariter homini ad partum esse naturales, sed alterum magis, alterum minus, quemadmodum & ipsa ratio docet, & comprobat experientia; idcirco illa omnia de octauo rectissimè addidit, vt doceret, quem gradum hic mensis in eorum serie possideret, quos tanquam partui naturales enumerauit; quod etiam de septimo fecit, & vndecimo. Hæc autem quàm longe inter se differant (quod maximè lectores animaduertere cupio) nempè probare velle mensem hunc nullo pacto naturalem esse; vel naturalem quidem esse, sed tamen minus quàm alium aliquem, nemo est qui non videat. quod sanè philosophi consilium cùm octomestrium hostes non attigerint, nulli mirum videri debet, si ab ipsius mente longissimè aberrauerint. de qua re infra suo loco, & quinto libro plura disputabimus. quare dicendum sine vlla dubitatione, ijs quæ de octauo subiungit Aristoteles, illud sibi proponere discutiendum, ad aliam pertinens quæstionē huius capitis initio propositam; an omnes videlicet enumerati ab eo menses censendi sint pariter homini in partu naturales: quòd quidem cùm sequenti disputatione explicatum a nobis fuerit ipsum pulchrè præstitisse, & causas suis locis aperuisse, clarum (arbitror) erit, falsò istos opinari, Aristotelem è mensium naturalium serie octauum, his quæ de ipso subiungit, exemisse.

Quis ex quinq; enumeratis mensibus secundum Aristotelem sit naturalis magis, quis minus proponitur indagandum. notatur Hippocratis, & Aristotelis dissensio circa partum septimestrem.

Cap. 7.

CVm igitur quinq; ad humanum partum menses idoneos, ac naturales philosophus citato loco enumerasset, septimum videlicet, octauum, nonum, decimum, & vndecimum; atq; ante septimum mensem nullos, nec vllo loco vitales nasci dixisset; post vndecimi initiū nullos: vt gradus horū mensium doceat, & quisnam magis, quis minus sit secundum naturam, item vt probet apertius quod dixerat enumeratis mēsibus partum edi; statim ab eo qui primo vitalis est incipiens, à septimo videlicet, sic dicit. Qui septimo vitalis quidem hic primus exit, sed magna ex parte infirmior, quamobrem cunabulis ex lana eum obuoluunt, & fascijs alligant. Meatus etiam nōnulli infissi, vt aurium, aut narium sæpenumerò generantur: sed accrescenti articulantur infanti, & multi horum viuunt. Hæc quidem Aristoteles de septimo genitis, quæ licèt aliquantulum à Theodoro diuersa sint, cum græco tamen contextu omnino consentiunt; in quo sicuti illa non leguntur, & demum suam formam recipiunt; ita & altera illa, & pleriq; de his septimo natis viuere, atq; adolescere possunt, longe aliter leguntur scripta: cùm non dicat Aristoteles posse hos viuere; quasi ægrè, ac difficulter viuere eos censeat, sed omnino viuere affirmet; breuiter, & perspicuè sic loquens. καὶ βιοῦσι πολλὰ καὶ τῶν τοιούτων. idest vt nos conuertimus, & multi horum viuunt. quod tamen alicui mirū videri non debet, cùm ipse Theodorus, vt supra admonuimus, in his libris interpretandis non tàm verbum è verbo exprimere, quàm cum ipso Aristotele certare sibi proposuerit. Fatalis igitur huius viri lapsus, quo illud, quòd iam vt factum philosophus ponit, ipse tanquam futurum repræsentat, & pro actu potestatem vsurpat, idest perpetua verbi, potest, aut, possunt, additio, vbi græcum exemplar non consentit, est omnino expungenda: semper enim ferè labor cum potestate coniunctus est, & imperfectio; ex quo, & paulò supra philosophus de illis loquens, quos ante septimum non vitales oriri scripsit, hoc verbo vsus est: dixit enim οὐδὲν οὐδαμῆ δύναται ζῆν: & paulò infra de illis, qui monstrifici aliquid habent; δύναται ζῆν: voluit enim dicere, ante septimum non posse viuere, etiā si difficillimè id eos posse illis concedamus: qui verò monstrosi aliquid continent, posse viuere cum difficultate. vnde & hoc loco oculatior Trapezuntius, qui sic verba transtulit. Multi enim huiusmodi viuunt; atq; ante illum vetus Interpres. Et viuunt multa talium. Verùm ex his habemus Aristotelis esse sententiam, septime-

ſtres partus vbiq; locorum, quoniam nullum excipit, eſſe vitales, ſed tamen ſua natura imbecillos, & imperfectos. habemus rurſus pleroſq; ex his viuere ipſum velle; ita vt plures ſeruari, pauciores perire ſentiat. quod totum quarto de Animalium Ortu confirmatum videmus; quo loco hos partus imperfectos apertè nominauit; affirmans itidem ex illis plures fieri ſuperſtites. quam ſententiam Auerroes ſuper quarto de Animalium Ortu ſecutus eſt, qui dicens ſeptimo, & nono genitos viuere, ſeptimumq; cum nono ſic coniungens, ſeptimeſtrium plures ſuperuiuere demōſtrauit. qua in re ab Hippocrate philoſophus diſſentit, qui in Opuſculo de Septimeſtri Partu, vt ſeptimo libro planum erit, pauciores viuere pro maxima verò parte perire autumauit. Non me tamen præterit aliquem fortaſſe dicere poſſe, philoſophum multos quidem ex ſeptimeſtribus ſuperuiuere aſſeruiſſe, ſed non propterea tamen dixiſſe plures eſſe ſuperſtites, pauciores intermori; adeò vt nulla inter ipſum, & Hippocratem hac in re videatur eſſe diſſenſio: eò quòd Hippocrates ſcripſerit pauciores ſupereſſe, hos ipſos cum multis cōparans, quos periclitari arbitrabatur; Ariſtoteles verò dixerit eſſe multos, quia in ſemetipſis illos conſiderauit nulla facta comparatione; cùm alioqui hi multi, eorum, qui pereunt reſpectu, pauci dici poſſint: ſed priorem interpretationem ad Ariſtotelicam diſputationem longe magis quadrare, nemini dubium eſſe debet; cùm ſatis ſit perſpicuum, Ariſtotelem ſeptimeſtres cum octomeſtrib⁹ cōparare, qui in Græcia oriuntur, ex illiſq; plures ſeruari, interire pauciores velle; ex his è contra pauciores fieri ſuperſtites, morte plures deleri.

Cap. 6.

Propoſita ſuperiori capite quæſtio adhuc ventillatur. Proponuntur Ariſtotelis verba enarranda de octomeſtribus. Cap. 8.

HAec cùm de ſeptimeſtribus docuiſſet, de nono, ac decimo tanquam de menſibus, in quibus nulla cadit dubitatio, nil aliud addit; putans ſatis eſſe, quod in horum menſium enumeratione de decimo pronunciauerat (decimi nomine noni finem etiam intelligens) ſæpiſsimè videlicet in eo partum edi; cùm ſatis euidens & clarum ſit, mulieres frequentius nono, & decimo parere, quàm ſeptimo, octauo, vel vndecimo: ex quo & tertio Noctium Atticarum Gellius notatum reliquit, ſæpius nono, & decimo menſe hominem gigni; ac Macrobius ante illum primo libro de Somno Scipionis, humano partui frequentiorem vſum nouem menſium certo numerorum modulamine naturam conſtituiſſe: quod Galenus etiam 3. de Naturalibus facultatibus confirmauit. Similiter & de vndecimo, præterquamquòd in ipſa menſium enumeratione dixerat nonnullas tantùm mulieres, non omnes, non partem maiorem vndecimum appræhendere; quibus valde raros huiuſmodi partus eſſe docuit, nec omnibus mulieribus communes; repetit rurſus nullo modo menſem hunc, ipſius videlicet initium, vt ſupra expoſuimus, in geſtatione mulieres pertranſire; & ſi ſecus illis videatur, omnino hallucinari; errorisq; cauſam aperit. de qua re pauca quædam infra ſubijciam. notandumq; eſt nullum, quod pertinet ad partum vndecimeſtrem, de locorum differentijs verbum haberi; quaſi voluerit Ariſtoteles, vbiq; poſſe hos partus æqualiter generari. De octauo autem, & octomeſtri, ita ſcripſit.

Cap. 16.

Cap. 3.

τὰ δ' ὀκτάμηνα, περὶ μὲν Αἴγυπτον, καὶ ἐν ἐνίοις τόποις, ὅπου εὔεκφοροι αἱ γυναῖκες, καὶ φέρουσί τε πολλὰ ῥαδίως, καὶ τίκτουσι, καὶ γεννώμενα δύναται ζῆν, κἂν τερατώδη γένηται. ἐνταῦθα μὲν οὖν ζῆ τὰ ὀκτάμηνα, καὶ ἐκτρέφεται. græca enim rurſus appingere verba inuitus cogor, cùm in illorum interpretatione non parum à Theodoro diſſentiam, qui ſic ipſa interpretatus eſt. Qui autem menſe octauo naſcuntur, viuere, ac adoleſcere in terra Aegypto poſſunt; & quibuſdam alijs in locis, vbi mulieres fertiliores ſunt; multoſq; ſimul facilè & ferunt, & pariunt, etiam ſi monſtroſi ſint. Hæc ille; cuius primùm in eo non probo verſionem, quòd verba illa, ἐνταῦθα μὲν οὖν ζῆ τὰ ὀκτάμηνα, καὶ ἐκτρέφεται, fatali illa tranſtulerit adiectione. Qui autem menſe octauo naſcuntur, viuere, ac adoleſcere in terra Aegypto poſſunt. Siquidem non videntur hæc mihi philoſophi mentem prorſus explicare: neq; enim dicit Ariſtoteles viuere poſſe in Aegypto octomeſtres, & poſſe adoleſcere, quaſi viuant difficulter, vel plurimi ſtatim moriantur, cùm eduntur in lucem, aut antequam adoleſcant; ſeruētur pauciores: ſed inquit abſolutè viuere, & adoleſcere in Aegypto octomeſtres; ꝙ ſonat, omnes loco illo omnino octauo genitos viuere, & quantum eſt menſis huius reſpectu ad ſenectutis annos peruenire; ſicuti ferè & apud nos decimeſtres, ac nonomeſtres, pariq; facilitate. nā dicit ἐκτρέφεται,

idest ad exactos annos vita potiuntur: sonat enim idem ἐκτρέφεσθαι de annis in eis, qui in lucem iam prodiere, quod de mensibus plerunq; dicit apud Aristotelem in eis, qui gestantur; quemadmodum & verbum ἐκφέρεσθαι. quod quidem est, vt etiam eruditissimus Budeus aliquando animaduertit, fœtum à muliere ad exactos menses gestari, ac maturum edi. notandumq; philosophum de industria, vt omnem tolleret dubitationem, quasi verbum illud, ζῆν, explicaret, addidisse hoc alterum, ἐκτρέφεται. voluit enim ostendere, non sic esse accipiendum partus octomestres in Aegypto viuere, quasi parum viuant, & mox nati moriantur; sed ita viuere, vt adolescant, & ad senectutis annos perueniant. Verba autem alia, quæ sequuntur, καὶ ἐν ἐνίοις τόποις, idest & in nonnullis locis &c. adijcit philosophus, vt doceat mea sententia, quæ conditiones, & causæ octomestres viuere in terra Aegypto faciunt, & adolescere; easdem & vbiq; locorum, vbi vigeant, eos vitales reddere. Nec miretur aliquis Aristotelem, dum historiam texit, causas subijcere, vt hoc loco factum ab eo videmus; in quo causas adducit, cur in Aegypto, locisq; similibus viuant octomestres; enimuerò hoc in Historijs factitatum ab eo in plerisq; alijs locis accuratus lector inueniet. quibus etiam in libris multarum rerũ causas attulit, quarum in alijs, in quibus causas ipsas inuestigare professus est, dicere prætermisit; multarum etiam vtrobiq; easdem retulit. quod cur factum ab eo sit, alio commodiori in loco explicabitur.

Quæ causæ in Aegypto octomestres vitales reddant secundum Aristotelem. Vera Aristotelicorum verborum interpretatio affertur. Cap. 9.

IAm verò secundo loco in harum causarum explicatione toto cœlo à Theodoro dissentio. Inquit enim Aristoteles locis illis, vbi mulieres εὐεκφόροι sunt, idest vt ego interpretor, ad exactos menses vterum commodè perferunt; item φέρουσί τε πολλὰ ῥᾳδίως, καὶ τίκτουσι, idest facilè multos gerunt, ac pariunt; demum tertio, καὶ γεννώμενα δύναται ζῆν, κἂν τερατώδη γένηται, idest & qui geniti, sunt viuere possunt, licèt monstrosi gignantur; sanè in ijs nasci, & viuere, & adolescere octomestres. Ex quibus verbis triplicem causam elicimus vitæ octomestrium in Aegypto, locisq; similibus; quarum prima, & secunda pendent à muliere; tertia a fœtu ipso; omnes tamen à loci positu, ac temperatione. Prima causa est, vt, quæ vterum gestant, sint εὐεκφόροι, idest non quidem (vt Theodorus interpretatur) fertiliores; cùm fertile dicatur in plantis à Theophrasto libro quarto de causis Plantarum πολύκαρπον, idest fructiferum, in animalibus ab Aristotele quarto de Ortu Animalium πολύγονον, & πολύτοκον, idest prolificum, & multiparum; quare conditio hæc videtur potius sequentibus verbis explicata: sed voce hac εὐεκφόροι mira græcæ linguæ felicitate significat Aristoteles, partus octomestres eo loco esse superstites, vbi mulieres ad exactos mẽses vterum perferre solent; idq; & commodè, & facilè efficiunt, ita vt nil incommodi in gestatione patiantur; idest vbi non abortiunt vnquam, vel rarissimè. est enim Aristoteli ἐκφέρειν, vt supra Budei auctoritate dicebamus, fusiusq; infra dicemus, idem quod ad exactum tempus, ac definitum fœtum gestare; item & commodè gestare, quod est maximè propriè εὐεκφέρειν, ita vt sonet non solùm suo tempore promere, & temporis ratione maturum parere, sed omni ex parte vitalem; idemq; dicat quod perficere fœtum iam in vtero conceptum, perfectumq; & victurum in lucem edere; quod vt Aristoteles indicaret, omnemq; causam, quantum est gestationis ratione, perfecti, ac vitalis partus amplecteretur, particulam, εὖ, acutè addidit, quemadmodum infra, & quinto libro clarius explicabimus. Secunda causa his verbis aperitur. καὶ φέρουσί τε πολλὰ ῥᾳδίως, καὶ τίκτουσι, idest & gerunt multos facilè, & pariunt. si enim locus aliquis sit, vt Aegyptus, in quo mulieres concipiant multos, facilèq; ferant, & pariedant facilitate, certè ibi octomestres omnes, non minus ferè quàm nono, vel decimo mense nati, vitales erunt. At hoc apertissimum est ad exitus infantis facilitatem partus tempore pertinere, ita vt minimè laboriosum, ac difficilem partum locis illis esse velit Aristoteles; siquidem dicit, & pariunt, scilicet facilè. item apertissimum est spectare ad fæcunditatem; etenim inquit, & gerunt multos, idest concipiũt, ac gestant: itaq; meritò supra aduersus Theodorum dicebamus fertilitatis conditionem his verbis explicari, non superioribus. si enim idem est, vt ego reor, mulieres fertiliores esse, quod plures facilè, idest sæpè, & sine difficultate concipere, ac ferre; non potest in priori loco vox εὐεκφόροι

Cap. 16.

Cap. 4.

dicere fertilitatem; ita enim nouam conditionem sequentibus verbis non doceret Aristoteles, & frustra adderet verba posteriora, primamq; repeteret. In Aegypto autem fertiliores esse mulieres docet infra clarissimè philosophus, scribens eo loco sæpè geminos eas concipere, & parere, vt paucipari non secus ferè quàm vnipari animalis naturam omnino induant; cùm alioqui vt plurimum, & locis plurimis vniparæ existentes singulos pariant. scribit enim sic. Nam quod plurimum, & locis plurimis agitur, mulieres singulos singulæ pariunt; sed sæpè, & locis plerisq; geminos etiam; vt in terra quoq; Aegypto fieri certum est. Quam sententiam quarto de Ortu Animalium his verbis repetit. Quocirca homini minus; singularem enim, perfectumq; parit. Nam & homini locis, quibus mulieres præfecundæ sunt, magis id euenit, vt in terra Aegypti.

Tertia explicatur ex Aristotele causa vitæ octomestrium in Aegypto. Cap. 10.

TErtiam causam verba illa explicant. ϗ γεννώμενα δύναται ζῆν, κἂν τερατώδη γένηται. idest, & qui geniti sunt viuere possunt, licèt monstrosi gignantur. quo rursus in loco cogor à Theodoro dissentire: ipse enim omnia illa, ϗ γεννώμενα δύναται ζῆν, relinquens, postrema tantùm interpretans, ita conuertit Aristotelis orationem. Etiam si monstrosi sint. Cæterum aliud omnino est mea certè sententia, & longe quidem diuersum, mulieres & ferre, & parere facilè monstrosos partus, quod ex Theodori conuersione inquit Aristoteles: aliud quos monstrosos ediderint, fieri vitæ compotes posse. Præterea alterum est, quod in conuersione Theodori negocium facessit; Aristoteles enim, vt ipse vult, dicit mulieres multos facilè ferre, & parere, etiam si fuerint monstrosi; ex qua sanè oratione sequitur, mulieres multos & ferre facilè, & parere monstrosos: verùm iamdiù idem docuit secundo Naturalis Auscultationis, & quarto de Animalium Ortu monstra præter naturam esse, ac naturæ peccata, & raro in ea propterea fieri; quare falsum erit plures monstrosos facilè mulierem concipere, gestare, & parere posse, si monstrum in propria accipiamus significatione. Erit igitur sententia locis illis viuere octomestres, in quibus geniti partus, etiam si monstrosi aliquid habeant, ac præter naturam, viuere possunt. quæ verba tertiam, vt dicebamus, causam continent, quæ in fœtu consideratur non in muliere. Itaq; Theodorus tertiam quoq; causam cum secunda cófundit, vt quod his verbis voluerit Aristoteles minimè videatur perspexisse; cùm eo modo accepta, quo ipse transtulit, non exiguas habeant difficultates. Georgius Trapezuntius sic locum hunc interpretatur. Octo verò mensium in Aegypto quidem, & in quibusdam alijs locis, vbi benè parturiunt mulieres, facilè multi efferentur, pariunturq;, & nati, etiam si prodigiosi sint, viuere possunt. Verùm quæ differentia sit inter benè parturire, & facilè parere, fateor me non intelligere. itaq; videtur Trapezuntius primam causam cum secunda confundere: vt prætercam integram sententiam ipsum relinquere, in qua philosophus dicit, locis illis viuere, & adolescere octomestres. Explicatæ igitur iam causæ sunt, cur in Aegypto, locisq; similibus octomestres partus vita potiantur; quas sic verè, & perspicuè docet superioribus verbis nostra setétia Aristoteles. Octomestres autem circa Aegyptum, ac locis illis, in quibus mulieres ad exactos menses commodè vterum perferunt; & plures facilè gestant, ac pariunt; & qui geniti sunt, viuere possunt, tametsi monstrosi gignantur; his inquam locis octomestres viuunt, & adolescunt. cuius profectò loci sententiam vetus quoq; Interpres videtur mihi attigisse, sic illum transferens. Quæ autem octo mensium, circa Aegyptum quidem, & in quibusdam locis, vbi benè efferentes mulieres, & ferunt multa, & facilè pariunt, & genita possunt viuere, quanuis monstrosa fiant, & hìc quidem viuunt quæ octo mensium & enutriuntur.

Octomestres partus in Græcia esse vitales, licèt perpaucos de Aristotelis sententia. Vulgi error detegitur ex eodem. Albertus Magnus, & Suessanus refelluntur. Cap. 11.

POrrò autem causis expositis, quæ in terra Aegypto, vel locis alijs similem temperiem nactis octomestres partus vitales reddunt, ita statim subdit philosophus ex Theodori interpretatione. Sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi perpauci seruantur. Vnde fit, vt, si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui conceptus initium latuisse. Mallem ego, etsi minus eleganter, longe tamen clarius sic ad verbum. In lo-

» In locis autem circa Græciam valdè pauci
» seruantur, plures verò pereunt: & ob opi-
» nionem, si quis incolumis euadat, arbi-
» trantur non esse octomestrem, sed mulie-
» res, cùm antea conceperint, sui conceptus
» initium latere. quem scopum Trapezun-
» tium quoq; habuisse video, qui sic verba
» interpretatur. In Græcia verò, locisq; Gre-
» ciæ vicinis admodum pauci seruantur, sed
» multi pereunt. & propter opinionem, si
» aliquis seruatus fuerit, non octo natum
» mensium putant, sed errasse in conceptione
» matres arbitrantur. à quo etiam nec vetus
discessit Interpres, philosophi verba ita
» conuertens. In locis autem circa Græciam
» pauca omnino saluantur. plurima autem
» pereunt; & propter suspicionem, si salue-
» tur aliquid, putant non octo mensium esse
» genitum, sed latere ipsas mulieres conci-
» pientes prius. Hæc Aristoteles; quibus
de ingenti Vulgi errore nos cómonefacit;
qui, vt ipse loquitur, διὰ τὴν ὑπόληψιν (quæ
vox cum totius sententiæ ruina à Theodo-
ro prætermissa est, pulchrè verò à Trape-
zuntio animaduersa) idest ob insitam, per-
uagatam, inueteratamq; in eorum animis
opinionem, quòd octomestres vitæ com-
potes fieri nequeant; etiam si aliqui octauo
mense nascantur, & adolescant, non tunc
natos esse arbitrantur, sed mulierem antea
concepisse, ac sui conceptus initium late-
re; ita vt nonomestrem esse partum credāt,
qui seruatur, non editum octauo mense.
quamobrem audiendus non est Albertus a-
lioqui Magnus, dum in sua paraphrasi sic
» locum hunc Aristotelis interpretatur. Cō-
» tingit etiam quòd aliquis creditur nasci, &
» saluari in octauo mense, quod in veritate
» non est verum; sed propter malitiam regi-
» minis, & computationis mulieris impre-
» gnatæ opinatur, quòd sit filius octo men-
» sium, & transit nouem mensium, eò quòd
» ante cōcepit quàm dixerat. mulieres .n. nō
» benè custodiunt, & obseruant tempora pri-
» mæ impregnationis. Et multò minus Su-
essanus, qui in suis Commentarijs inquit
hìc philosophum græcarum mulierum er-
rorem circa partum enarrare, ac dicere
muliebre fuisse erratum, si octauo mense
editus in Græcia vixisse dicebatur. Aristo-
teles enim, vt vidimus, oppositum omni-
no scribit; partus scilicet illos verè esse oc-
tomestres, sed nonomestres tamen falsò
vulgi existimari opinione; qui rei natura
plerunq; non perspecta, multa leuiter cre-
dit, ac enunciat. quod etiam vel ex eo a-
pertissimè elicitur, quòd Aristoteles ma-
nifestè dicit octomestres partus in Græcia
seruari: inquit enim σώζεται, idest seruan- »
tur. at certum est seruari non posse, nisi a-
dolescant, & viuant, & ad senectutis an-
nos perueniāt; quare addit, falsò omnino
de illorum conceptione dubitari; & subdit
propter opinionem, si aliquis seruetur, e-
xistimari antea esse conceptum. itaq; &
de illis loquitur, quos seruari dixerat; nec
dubitat illos esse octomestres, sed de vulgi
errore nos admonet. Nam & hanc veram «
esse mentem præceptoris, quæ paulò infra «
in eodem proposito de vndecimestri partu «
ab eo disseruntur, faciunt etiam testatissi- «
mum; quo loco vulgi opinionem (secus
quàm in octomestribus fecerat) quia verā
crederet, prorsus confirmauit; quod Victor
Trincauellius Consiliorum libro primo, dū *Cons. 34.*
ageret de partu vndecimestri, haud satis vi-
detur animaduertisse; scribēs philosophum
hoc loco idem, quod & de octomestribus
proferre; neq; negare vltrà vndecimū pos-
se partum extendi; quod tamen longissi-
mè à vero est alienum. etenim cùm di-
xisset, simili modo (ac scilicet in octo-
mestribus dictum est euenire) qui diu-
turniores quàm vndecimo mense nasci vi-
dentur, mulieres putari sui conceptus
initium latere, ita subdit, hanc ipsam con-
firmans, contra quàm de octomestribus fe-
cerat, recipiensq; credulitatem. καὶ γὰρ τού- »
των ἡ τῆς συλλήψεως ἀρχὴ λανθάνει τὰς γυναῖκας. »
idest (vt clarius quàm Theodorus fe- »
cit, philosophi mentem aperiamus) e- »
tenim horum (scilicet, qui diuturniores »
vndecimo oriri videntur) conceptionis »
initium mulieres latet. quæ verba, vt le- »
gentibus fit perspicuum, Theodorus gene-
raliter retulit ad cuiusq; partus cōceptio-
nis incertitudinem, cùm tamen de vndeci-
mestrium conceptione tantùm sermonem
in illis habeat Aristoteles. qui de hoc alte-
ro, cur scilicet lateat interdum mulieres
tempus conceptionis, sequentibus verbis
locutus est ita scribens, vt ego interpre-
tor. Sæpè enim, cùm antea inflatus esset »
vterus, postea coeuntes, & concipientes, »
illud putant principium esse conceptionis, »
quod simile indicium attulit. Quod totum »
accepit ab Hippocrate Aristoteles libello
de Natura Pueri, licèt de illis mulieribus
videatur Hippocrates sermonem habuisse,
quæ longius, quàm decem mensibus vterum
gestare sibi persuadent.

Adhuc

Adhuc verba Aristotelis quædam explicantur ad octomestres, qui in Græcia nascuntur, pertinentia. Cap. 12.

SEd & hoc alterum in Aristotelis verbis prætereundum non est, acutè admodum conspectum à Trapezuntio; videlicet ex ipsius sententia non in ipsa tantùm Græcia locum habere, quòd octauo geniti viuant, tametsi pauciores, sed in vicinis „ quoq; regionibus. siquidem inquit philo„ sophus. ἐν δὲ τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις. quod „ est, vt pulchrè Trapezuntius expresit. „ In ipsa Græcia, & locis Græciæ vicinis. At loca Grçciç proxima intelligit mea quidem sententia, quæ in eodem tractu, ac in eodem climate sunt collocata; sicuti & cùm dicit Aristoteles loca, quę circa Vrsam sunt, totum illum tractum intelligit, quem septimum clima, & vltrà comprehendit. enimuerò hanc propinquitatem respectu distantiæ, quam Græcia habet ab Aegypto, philosophus metitur, inter quæ loca integrum clima interiacet; cuius quidem ratione Italia, ac aliæ pleræq; finitimæ prouinciæ, tametsi insigni interuallo distantes, Græciæ proximæ possunt appellari; nimirum quia in eodem sint climate constitutæ. Quare his verbis plus dabit philosophus octomestribus, quàm aduersarij fortasse arbitrentur; viuere enim eos nostris locis, ac plerisq; alijs testificabitur. quod fortasse doctissimus vir Trincauellius considerans Consiliorum libro primo memoriæ prodidit, philosophum hoc loco scribere, octauo genitos in Græcia, & Italia aliquando vixisse, deprehensos esse; quod certè nulla alia ratione colligere potuit, cùm Aristoteles Italiam nõ exprimat, nisi quia non solùm Græciam, sed finitimas etiam regiones, & loca videtur recensere. Quod verò inquit ex octauo genitis nonnisi perpaucos in his locis seruari, multos interire, id propterea contingere censendum est, quia contrariæ causæ in illis locum habent; enimuero si quibus locis, aut omnes octomestres, aut plurimi seruantur, ijs & mulieres ad exactos menses commodè vterum ferre necesse est; & plures facilè concipere, gestare, & parere; & qui eduntur partus, etsi monstrosi aliquid habeant, nihilominus viuere posse; rationi consentaneum est, vt, quibus locis perpauci fiunt superstites, in illis mulieres incommodè ad exactos menses vterum ferant; item plurimos nequeant concipere, & parere, vel difficulter; demum si quid monstrosum, ac præter naturam ediderint, id non sit vitale. Hæc cùm dixisset Aristote„ les, sic subdit. Infestantur maximè mulie„ res mense quarto, octauoq; & si vel quar„ to, vel octauo fœtus perierit, ipsæ quoq; „ magna ex parte intereunt: itaq; fit ne so„ lùm mense octauo nati non viuant, sed eti„ am ipsis emortuis periculum, quæ pati„ unt, subeant. cuius sententiæ Plinius tanquam paraphrastes, atq; interpres, sic illam libro septimo Naturalis Historię exposuit. In quo mensium (inquit) numero genitis „ intra quadragesimum diem maximus la„ bor. Grauidis autem quarto, & octauo „ mense; lętalesq; in ijs abortus. quibus „ verbis alteram octaui mensis conditionem aperit Aristoteles, licèt tamen non sit illi peculiaris, sed cum quarto mense communis: videlicet in eo mulieres maximè laborare. quod enim Theodorus dixit, infestantur, habet græcum exemplar, πονοῦσι, quod verbum mirificè, quos passim vocant labores octomestres, nobis exprimit, de quibus plura Hippocrates disseruit. Cur autem hæc verba addiderit, & quæ sit horum causa laborum, intelligi non potest, nisi & antea altera illa Aristotelis intelligantur, initio eiusdem capitis ab eo posita, quibus docuit, cùm semen vterus conceperit, statim se contrahere, donec ad septimum mẽsem ventum sit, octauoq; iam adaperiri, atq; dehiscere, ac partum, si vitalis est, descendere; quæ commodius infra explicabuntur, vbi causæ illarum quæstionum, quæ initio huius libri positæ sunt, explicatæ fuerint: videlicet cur solus homo & enorme pariendi tempus habeat, & enormem partum.

Cons. 34.

Cap. 5.

Tollitur ex Aristotelis verbis contradictio quædam. Item qui menses secundum illum partui naturales magis. Cap. 13.

ILlud potius impræsentia admonere oportet, non propterea asserere Aristotelem verbis illis. Itaq; fit ne solum men„ se octauo nati non viuant & c. octomestres „ partus viuere non posse, ac non esse vitales; quod ex diametro cum superioribus pugnaret, quibus vitam illis impertitus est: sed sunt verba ad paulò superiora referenda. dixerat autem superius mulieres octauo mense laborare, & si per id tempus abortiant, & fœtum corrumpant, ipsas quoq; plerunq; periclitari; vnde cùm subdit. Itaq; fit, ne solùm mense octauo non „ viuant. intelligit sine vlla dubitatione de „ illis,

illis, quos sub conditione posuerat perire octauo mense: non enim absolutè, ac simpliciter asseruit in octauo emori, sed dixit, si emoriantur. quare non sequitur ob id affirmasse Aristotelem octomestres omnes interire. addidit autem hæc, vt naturam abortionis octauo contingentis explicaret, quæ talis est, vt non solùm fœtui mortem, sed periculum necis matri afferat. Hæc igitur Aristoteles de mense octauo, & octomestribus; quæ ab eo addita esse non vt hunc mensem partumq; reijceret, sed quẽadmodum supra monebamus, vt explicaret quem gradum in mensium naturalium, quos enumerauerat, serie possideret, iam satis arbitror esse manifestum. Hæc demũ de omnibus mensibus, ac de partubus, qui in illis fiunt, citato septimi Historiarum loco scriptum reliquit; ex quibus pro hac ipsa dissoluenda quæstione, an omnes ab ipso enumerati menses secundum illũ partui humano sint æquè naturales, ad quam superius diximus ipsum animum intendere, hæc tandem habemus. Primùm decimum mensem, ac proinde partum decimestrem cæteris esse prẹferendum; moxq; nonum, ac nonomestrem, quia in illis crebriores partus fiant; ideoq; non omnes pariter esse homini ad partum naturales. quo loco decimi mensis nomine potissimum initium decimi, ac septem quadragenarios, dies scilicet 280. ex Hippocrate oportet mea sententia intelligere. Siquidem id tempus reliquis omnibus perfectione antecellere & censuit Hippocrates, & ratio ipsa suadet, vt inferius, septimoq; libro vberius demonstrabimus; demumq; indicasse licèt obscurè Aristotelem infra planum faciemus. Habemus rursum secundo loco septimestres esse collocandos, vt qui longè recedant à perfectione decimestrium, ideoq; imperfecti partus dici mereantur; sed tamen reliquis anteponendos esse, quia & vbiq; locorum æquè viuere, & mulieribus omnibus esse communes, & plures ex illis incolumes euadere, videtur Aristoteles indicasse; quæ omnia de octomestribus, & de vndecimestribus negauit. Vtrũ autem tertio loco octomestres, an vndecimestres ponendi sint, non continuò claret. nam ex vna parte videtur Aristoteles octomestres præferre, cùm velit omnibus mulieribus pariter hos partus esse communes, licèt non omnibus locis: ex alia vndecimestres, quia nullam de locis addens cautionem, nil adijciens an plures, vel pauciores superuiuant, omnibus æquè locis facere illos communes videatur, tametsi non omnibus mulieribus, omnesq; pariter vitales. Mihi tamen videtur philosophus ob causas, quas infra adducam, octomestres anteponere; quare quartus, ac postremus locus vndecimestrib⁹, & fortasse ijs, qui senescente decimo in lucem veniunt; tertius verò octomestribus dandus erit; quos minus quàm septimestres videtur facere naturales, quia non vbiq; locorum, vt septimestres, æquè facilè viuere indicat; nec plures illorum seruari, sed nonnullis in locis, quemadmodum in Græcia pauciores. inquit enim de octomestribus philosophus, qui in Græcia oriuntur. ὀλίγα πάμπαν σώζεται. idest seruantur valde pauci. quod quidem antea, vt superius monuimus, generaliter de septimestribus Hippocrates pronunciauerat, dicens in opusculo de Septimestri Partu. καὶ τὰ μὲν πλεῖστα τουτέων ἀπόλλυνται. idest & plurimi ex his pereunt. quo loco, vt patet, superlatiuo πλεῖστα, quod Hippocrates septimestribus impartit, Aristotelica illa respondẽt ὀλίγα πάμπαν, ab eo de octomestribus prolata; vt tàm clarũ sit quàm quod clarissimum, quo in gradu Hippocrates septimestres collocauit, in eo octomestres Aristotelem posuisse: quod tanquam maximi momenti maximè hoc loco cupio animaduerti; cùm ex hoc sequatur, si Iurisprofessores septimestres recipiunt, quorum plurimos perire, valde paucos seruari dixit Hippocrates, necessariò eos, & admittere octomestres oportere, quibus ab Aristotele eędem conditiones tribuuntur; ac si reijciunt, nulla certè illos reijcere ratione: ne dicam interea longè meliores philosophum conditiones octomestribus impertiri, cùm scribat in Aegypto, locisq; similibus sine vlla difficultate hos partus vita potiri; ita vt plures locis illis superstites fieri voluerit, quod de septimestribus Hippocrates non dixit.

Cap. 3.

Duodecim grauissimæ ex Aristotele proponuntur dubitationes suis locis dissoluendæ. Cap. 14.

HOrum autem omnium causæ, quæ subtilissimè Aristoteles disseruit, cur scilicet hi tantùm menses septimus videlicet, octauus, nonus, decimus, vndecimusq; recenseantur. Qua de causa ante septimum humanus partus naturaliter egredi vitalis nequeat, septimo primùm queat, vndecimi initium non possit pertransire.

Quare

Quare septimestres imperfecti, imbecillesq; partus dicendi sint, & plerunq; inarticulati oriantur, ac nihilominus plures ex illis superuiuant. Qua ratione omnes hi enumerati menses, proindeq; octauus, in naturalium mensium serie collocentur, hoc tamen ordine, vt septimus octauum superet, octauus vndecimum; ita vt alter altero vitalis magis, ac naturalis dici debeat. Cur mulieres quasdam, nō plures, non omnes vndecimum attingere dicit Aristoteles. Quid causæ sit, quòd locorum differentiam in octauo tantùm, ac in partu octomestri philosophus consideret. Cur tres illæ causæ in Aegypto, similibusq; regionibus locum habeant, octomestresq; ibi vitales reddant. Quid, & quomodo locus conferat ad vitam partui impertiendam. Quid sit quod dicit Aristoteles, octauo genitos monstrifici aliquid in se continere, & qua de causa. Quare perpauci in Græcia superuiuant, & an causæ illæ, quæ octomestres in Aegypto vitales reddunt, in ea locum habeant. Quid de regionibus nostris sentiendum. Postremo an hęc omnia, quòd scilicet perpauci octomestres in Græcia seruentur, plures pereant, quòd monstrifici habeant aliquid, & reliquæ conditiones, quæ octauo genitos in Aegypto vitales efficiunt, partum hunc locis nostris minus vitalem reddant, vel potius simpliciter non vitalem, ita vt abortio quædam, vt multorum fuit opinio, octauo genitus cēsendus videatur; has inquam omnes pulcherrimas simul, ac difficillimas dubitationes, quæ ex Aristotelis verbis eliciuntur, à nullo, quòd viderim, ad hanc vsq; diem ventilatas, partim in hoc libro, partim in sequentibus dissoluemus; cùm nequeant commodè labefactari, nisi antea ex quarto de Animalium Ortu illorum duorum causas, quæ horum omnium sunt fundamenta, didicerimus: cur scilicet vnus homo inter omnia animalia enorme pariendi tempus habeat, ac partum enormem; & cūcta insuper illa assecuti fuerimus, quę eo loco de mensibus partui humano dedicatis subtiliter philosophus disseruit; quæ in presenti libro à nobis tractabūtur. item nisi antea cognitum habeamus, quid loca ipsa ad partum, & vitam, huiusmodiq; alia conferant; quare animalium aliqua nonnullis in regionibus non oriantur, vel minora, ac vitæ breuioris, in alijs maiora, pulchriora, diuturniora; adeò vt horum omnium causis intellectis, quæ sit inter Aegyptum, ac Græciam, quod ad hanc rem spectat, differentia nobis pernotescat; quæ sanè omnia, cùm longiorem requirant indagationem, duobus sequentibus libris ventilabimus: in quibus septem posteriores dubitationes, quarum solutio ab his pendet fundamentis, diluemus.

Explicantur philosophi verba ad enormem hominis partum spectantia. Cap. 15.

PRimum igitur caput vt exequamur, cùm de priori quæstione, quæ ad enorme pariendi tempus in homine spectat, ac de duabus alijs ad illam pertinentibus, videlicet qui menses humanum partum terminent, quos vltrà citraq; ipse gestari nequeat, & an menses omnes, in quibus partus eduntur, homini pariter sint naturales; & si non sunt, qui naturales magis, qui minus censeri debeant, satis videamur Aristotelis verba septimo Historiarum posita explicasse; superest vt alia verba suscipiamus ex eodem loco enarranda, quæ posteriorem continent de enormi partu quæstionem. dicebamus nanq; superius alteram sine altera cognosci non posse, vt meritò de ambabus simul eodem loco sermonem habuerit Aristoteles. His igitur ipse verbis non multò post eam proponit.

» τὸ δέ δὴ πλῆθος τῶν τόκων τῆς τελειώσεως, παρὰ
» τἄλλα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ταύτην ἔχει τὴν διαφο-
» ρὰν· κὴ τῶν μὲν, μονοτόκων ὄντων, τῶν δὲ πολυ-
» τόκων, ἐπαμφοτερίζει τὸ γένος τὸ τῶν ἀνθρώπων·
» τὸ μὲν γὰρ πλεῖσον, κὴ παρὰ τοῖς πλείσοις, ἕν
» τίκτουσιν αἱ γυναῖκες· πολλάκις δὲ κὴ πολλαχοῦ
» δίδυμα, οἷον περὶ Αἴγυπτον. Quæ sic Theo-
» dorus transtulit. Ita multiplex perficien-
» di tempus, pariendiq; diuersum homini
» datum est, & cùm alia singulos pariant, a-
» lia plures, genus humanum in ancipiti est.
» Nam quòd plurimum & locis plurimis a-
» gitur, mulieres singulos singulæ pariunt.
» Sed sæpè & locis plerisq; geminos etiam,
» vt in terra quoq; Aegypto fieri certum est.

quo loco videre est maximi alioqui hominis erratum maximum; Theodorus nanq; prima Aristotelis verba ad priorem refert quæstionem, quæ ad enorme tempus pariendi spectat, non ad numerum partus enormem; vnde Suessanus viri permotus auctoritate dicit in Commentarijs epilogum ipsa continere; cùm tamen ad hanc alteram pertineant, vt græci exemplaris fides testatissimum facit: sed vir eruditissimus deceptus (arbitror) illarum vocum, τό δέ. δὴ πλῆθος τῶν τόκων τῆς τελειώσεως. incertitudine, ac obscuritate; & præsertim dictione illa

τελειώ-

τελειώσεως adductus, cùm de perfectione adhuc loqui Aristotelem videret, arbitratus est de multiplici perficiendi partus tempore esse sermonem. qua in re Trapezuntius quoq; lapsus est, ita locum hunc conuertens. Tempus igitur perfectionis partuum hanc differentiam in hominibus præter cætera animalia habet. Verum (ni hallucinor) sententia est τὸ πλῆθος τελειώσεως τῶν τόκων, idest vt ego ad verbum interpretor, multitudinem perfectionis partuum, & quod in idem redit, partus multiplicitatem, siue (vt magis rem obscuram explicem) quod pertinet ad partus singularis, vel multiplicis rationem, hominem præter alia cuncta animalia hanc nactum esse differentiam, vt, cùm illorum aliqua vnipara sint, aliqua verò multipara, humanum genus ambigat cum omnibus generibus, ac vniparum esse videatur, simul & multiparum, sed tamen, quod sæpissimè agitur, ac locis plurimis, vniparum; multiparum verò sæpè tantùm, ac plerisq; locis. ex qua Aristotelis oratione clarum est humanam speciem non solùm inæquale tempus habere pariendi, vt scilicet incertis, varijsq; mensibus edere partum possit; ac modò septimo, interdum octauo, sæpenumero nono pariat, ac decimo, interdumq; vndecimo; sed etiam & partum ipsum habere inæqualem; cùm aliquando vnum; aliquando plures parere valeat.

Aliorum opinio de causa partus affertur, & refellitur. Quando lac vtile mulieribus detur, & quam ob causam. Theodori error insignis. Cap. 16.

CAeterum explicata Aristotelis oratione superest iam, vt, quod proposueramus exequamur, docentes de Philosophi mente qua de causa inter cuncta animalia solus homo inæqualem partum habeat, & inæquale tempus pariendi. Qua in re pertractanda paulò altius nobis ordiendum est, priusq; vera partus causa aperienda: hoc enim vt definiamus nostra maximè referre infra demonstrabimus. Partus alius naturalis est, alius innaturalis. Partus naturalis est, vt definiunt quidam, fętus perfecti à matrice emissio; vel vt alijs placet, geniti in vtero infantis, atq; iam perfecti editio. Partus causam barbari Medici Barbarum secuti triplicem assignant; vt videre est apud Conciliatorem, & apud Nicolaum Florentinum Auicennæ sectatores: nempè ex fœtu; ex puerpera ipsa, & parente; tertio ex cœlo. Ex fœtu causam duplicem dicunt emanare; cùm enim ipsi alimentum deficit, quod libello de Natura Pueri notatum reliquit Hippocrates, exitum tentat; item cùm maiori eget caloris naturalis euentatione; quam causam addidisse inquiunt Auicennam. Ex parente vnicam docent, quam Galenus tertio de Naturalibus Facultatibus tangit; cùm enim vterus distendi amplius non tolerat, quod offendit properat abijcere, quod cùm ex naturæ commodo contingit, id genus partus nominatur. Tertiam causam ex cœlo, astrorum influxum esse dicũt, Solis præsertim & Lunæ: quam de Nicolai sententia ad finem quarti de Ortu Animalium tetigit Aristoteles. Alij fœtus grauitatem addiderunt, asserentes, cùm nimio ipsius pondere vterus grauatur, tunc partum fieri. Sunt tamen multi præsertim inter recentiores, qui alimenti inopiam, & vteri angustiam, vel solas, vel potissimas partus causas esse opinantur; vt propterea in his duabus causis refellendis maiori sit nobis studio incumbendum: idq; ex Hippocrate profitentur accipere; inter quos Valeriolam primo Locorum Communium esse video, qui scribit tùm maximè partum fieri, cùm puero & alimenti, & loci inopia oppresso motus validus accidit; quo manibus, & pedibus calcitrante pelliculam quãdam internam rumpi contingit, rupta autem vna, etiam alias debiliorem vim habere; & rumpi primùm quidem illi contiguas, & cohęrentes, postea extremam; cùm autem ruptæ fuerint pelliculæ, tunc fœtum à vinculis exolui, & agitatum foras procedere. ruptis autem membranis ichores prodire multos, & cruenta multa, doloresq; tùm validos parturientes diuexare, dum rumpuntur vincula, & fortiter calcitrat fœtus, viam sibi, & aditum valido motu parans; atq; hanc esse ait naturalis partus rationem. Cæterum hi omnes eo pręsertim nomine veniunt refellendi, quòd primam partus causam, & palmarem videantur despexisse; quemadmodum ex ipsamet allata definitione patet, quam recipiunt. si enim partus est perfecti fœtus editio, iam claret parturiendi causam ipsam esse fœtus perfectionem; vt videlicet fœtus, quia suam adeptus iam sit maturitatem, & suum finem, exitum tentet; non eò quòd nutrimentum ipsi deficiat. quam profectò causam summus Præceptor quarto de Animalium Ortu non minus verè affert, quàm eleganter, vbi quærit, quæ anima-

Diff. 49.

Cap. 13.

Cap. 18.

Cap. 8.

animalia lac habeant, & quam ob causam à natura datum sit, vt propterea ipsius verba sint nobis diligenter expendenda. Scribit igitur lac fieri ijs fœminis, quæ animal intra se generant, vtile verò partus tantùm tempore, propterea quòd natura id alimenti externi gratia animalibus parauerit, „ ὥστ' ἐλλείπειν αὐτὸ ἐν τῷ χρόνῳ, vt ille inquit, „ τούτῳ οὐθὲν, οὐθ' ὑπερβάλλειν οὐθέν. quo loco „ longè aliter sonat mens orationis, quàm „ expresserit Theodorus dicens sic. Vt nec „ deesset tempore debito, neque vltrà id tẽ„ pus superesset. siquidem quo pacto habere potest veritatem, lac vltrà tempus pariendi debitum superesse? quando ipsa sensuum fide experiamur, per totos nutritionis annos lactantibus perdurare; immò etiam, & tempore diuturniori, & quousq; lactare non desinant, si alium etiam infantem nutriendum accipiant; vt ob id mendacij cõdemnandus esset Aristoteles, si hæc affirmaret: præsertim cùm Historiarũ septimo seruari lac mulieribus, donec concipiant, memoriæ mandauerit. qua in re Suessanus viri seductus auctoritate non parum peccat, dum scribit, tunc vltrà id tempus lac abundare, cùm plus durat, quàm sit necessarium animali, quod ex illo nutritur; cùm tamen satis constet Aristotelem de partus tempore, non de nutritionis termino sermonem habere. Itaq; sententia est, eo consilio naturam partus tempore, non antea, vel postea, lac vtile mulieribus suppeditare, ne desit fœtui alimentum tempore necessario, aut non necessario abundet. si enim ante partum datum esset, frustra quidẽ datum esset, cùm externo non egeant alimento tunc infantes in vtero adhuc delitescentes; si verò post partum, periret omnino alimenti inopia. quamobrem verba „ illa οὐθ' ὑπερβάλλειν οὐθέν. contrarium sensum omnino admittunt mea sententia ab eo, quem Theodorus vir alioqui eruditissimus expressit; cùm tàm falsò vltrà tempus pariendi debitũ lac dicatur superesse, eò quòd tunc ob nutritionem infantis maximè sit necessarium, quàm verè citra id tempus & superesse, & abundare, si daretur à natura, posset affirmari. Hunc ad scopulum Trapezuntius, vt cuiq; sua laus tribuatur, suam nauem non affixit, cùm sic huiusmodi „ verba transtulerit. Vt in hoc tempore nec „ deficiat, nec abundet. nec ante illum vetus „ Interpres, qui ita habet. Vt neq; deficiat „ ipsum in tempore hoc nihil, neq; excedat „ nihil.

Cap. 11.

Vera partus humani causa affertur ex Aristotele, & Hippocrate. Cap. 17.

STatuens igitur hæc Aristoteles (redeundum est enim ad propositum) ac propterea addens cæteris animalibus, quoniam " tempus simplex ferendi vteri, partusq; il" lis datum est, lactis concoctionem ad tem" pus illud accedere; hominibus verò necesse esse, quoniam plura sunt tempora, primo adesse tempore; proptereaq; lac mulierum, cùm ante septimum mensem inutile sit, vtile iam septimo reddi mense, quia id sit primum fœtus maturescendi, ac pariendi tempus, ac terminus primus hominibus à natura præfinitus: cùm inquam hæc dixisset, quæ ad finalem explicandam causam pertinebant, sic demum loquitur. Cau„ sa etiam necessitatis propria concoctio la„ ctis temporibus vltimis habetur: principio „ .n. decessio huiuscemodi excrementi absu„ mitur in fœtus generationem. Omnibus „ autem alimento est quod dulcissimum, & „ coctissimum sit: itaq; sublata hac faculta„ te reliquum salsum, maleq; sapidum esse „ necesse est. Sed cùm fœtus magis, magisq; „ perficiatur, plus excrementi superest: mi„ nus enim absumitur, idq; dulcius est, cùm „ non æquè detrahatur, quod benè concoc„ tum sit. non enim insuper ad fœtus in„ formationem consumitur, sed ad incremẽ„ tum exiguum, quasi iam fętus constet a„ deptus finem suum; est enim & conceptus „ perfectio quædam: quamobrem exit, per„ mutatq; generationem, vt qui iam sua re„ ceperit, nec præterea accipit, quod suum „ non est; quo tempore lac vtile datur. Hæc „ ille; quibus perspicuè ponit, maturitatem fœtus, & perfectionem causam esse partus editionis; siquidem scribit. ἔστι γάρ τις καὶ „ κυήματος τελείωσις· διόπερ ἐξέρχεται, καὶ μεταβάλλει „ τὴν γένεσιν. quorum verborum sensus est, „ habere fœtum quatenus fœtus est propriã perfectionem; quam cùm receperit, tùm in lucem prodire, & permutare generationem, quia suam adeptus sit maturitatem. quo loco illud maximoperè cupio legentes animaduertere, philosophi esse sentẽtiam, idcircò vltimis temporibus, demum partus tempore lac vtile dari, quia huius excrementi decessio tunc longè magis in muliere abundet, ac perfectius: inquit enim apertissimè citatis verbis. Sed cùm magis „ magisq; perficiatur, plus excrementi supe„ rest; minus enim absumitur. cuius rei „ causa est, quia non insuper ad fœtus informationem absumitur, sed tantùm ad exi-

guum

guum incrementum, ideoq; quod dulcius concoctiusq; est, relinquitur. quandoquidem si hoc est verum, tantùm abest, vt cùm tempus aduenit pariendi, deficere possit fœtui alimentum in vtero existenti, vt longè abundantius tunc illi ministretur; quare non alimoniæ inopia, sed ipsa omnino maturitas vera partus causa erit arbitranda. quam profectò eandem, si quis accuratè animaduertat, philosophus paulò infra agnouit (tametsi aliter alicui videri possit) vbi docet, contrariam quoq; causam concoctionis lactis posse assignari; quod infra clarius elucebit. Hoc verò totum ab Hippocrate præceptore sumpsit Aristoteles; ipse enim libello de Natura Pueri non quidē alimenti inopiam, vt falsò isti diuino Seni imponunt, sed perpetuò fœtus perfectionem partus causam agnoscit. nam vbi ea dicit, quæ superius attulimus ex Valeriola; nempè partus tempore puero se mouēte, & manibus, ac pedibus calcitrante, pelliculas rumpi; causam hanc potissimum exprimit ita scribens. Quando verò mulieri partus appropinquat, tunc puero se mouente, & manibus & pedibus calcitrante, pelliculam quandam internam rumpi contingit. Cæterum quid quæso aliud hoc loco est mulieri partū appropinquare, quàm fœtum iam maturum esse, ac propterea pariendi tempus imminere? quod quidem satis apertè paulò infra significauit Hippocrates opponens, quod dixit partum appropinquare, alteri illi, ante præfinitum tempus puerum prodire, verbis illis. Quū autem in vteris est, validus se sustentat vsq; ad pellicularum rupturam ad decimum vsq; mensem, quando partus matri iam instat. Si verò violentam affectionem perpetiatur puer, etiam ante præfinitum tempus ruptis pelliculis prodit. Quamobrem causa motus infantis, & calcitratus maturitas ipsa erit, ac perfectio, proindeq; partus, nō quidem inopia alimenti. quin potius, si diuini Senis verba ponderemus, tantùm abest, vt hæc ipsa possit esse vera partus causa, vt, si locum habeat sine maturitate, naturalem potius partum, tempusq; à natura præfinitum impediat: ex quò & ipse Hippocrates alimenti inopiam cum violēta affectione coniungere videtur, volens partum, si ambo hæc patiatur, ante præfinitum tempus in lucem prodire. Nam post verba illa, quæ supra adduximus, ita statim subdit. Quin & si alimentum à matre ante puero defecerit, etiam sic partus matri ante aduenit, & ante decimum mensem puer prodit. enimuero aduerbio πρόσθεν, idest ante, subaudienda sunt ex superioribus, præfinitum tempus, vt Hippocraticæ disputationis series demonstrat. Eandemq; sententiam in opusculo de Alimento secutus est, vbi pariendi tempora enumerans, partum ipsum, quem exitum, & exclusionem dixit, τελειότητα, idest perfectionem, & maturitatem appellauit; sanè vt doceret, hanc ipsam perfectionem partus esse causam.

Superiora plenius ex Hippocrate, & Aristotele confirmantur. Cap. 18.

SEd & hoc alterum ex eodem addere non vereor, quod ex libello de Natura Pueri elicio, vbi Hippocrates probare nititur mulieres non diutius, quàm decem mensibus vterum gestare; videlicet alimenti ipsius inopiæ causam, & quod parcius euadat nutrimentum, nullam esse aliam, quàm hanc ipsam fetus perfectionem. Siquidem ita loquitur Senex sapientissimus. Alimentum, & augmentum, quod à matre descēdit, non amplius sufficiens est puero, vbi decem menses præterierint, & fœtus auctus fuerit. At hîc nonne inquit Hippocrates, cùm fœtus auctus fuerit, quod à matre prouenit, non amplius esse satis? vt iam inopiæ causa sit fœtus ipsius auctio, & maturitas. Item mox subdit sic. Quum autem hæc ipsa rariora & pauciora sint, & puer plenus, ac maturus existat, copiosius alimentum desiderans, calcitrat; ac pelliculas rumpens, initium partus matri inducit. Sed nonne & hoc quoq; in loco ait, cùm maturus puer est, rarius esse alimentum? quod totum paulò post his verbis expressit. Quæ verò menses paucos demittunt, hæ etiam pueris postremo tempore, vbi iam maturi fuerint, alimentum rarius exhibentes, ipsos calcitrare faciunt, & vt ante decimum prodire festinent. Luce enim meridiana clarius est Hippocratem hoc loco affirmare, & cùm fœtus maturus est, parcius fieri alimentum, etiam illis, qui ante decimum eduntur; & ipsam maturitatem partus esse causam: vt si vel ipse inferius, cùm de pulli ortu agit, vel Galenus alibi, quemadmodum quinto Sect. Aphorismorum, dicunt deficiente alimento puerum prodire, quasi partus causam alimenti inopiam esse velint; omnes hæ auctoritates intelligendæ sint, quòd desinat alimentum infantibus, veluti ex Hippocrate probauimus, cùm iam sunt maturi, & eò

Cap. 8.

Aph. 37.

quòd sint maturi, antea nunquam, si partus sit naturalis, & vitæ compos; vt demum inopiæ causa, ac proinde partus, ipsa sit maturitas, nec aliud aliquid: ipsa verò inopia alimenti accidens quoddam, & consequens necessariò veram partus causam, ac tempus pariendi. Nam & hoc est, quod quarto de Animal. Ortu docebat Aristoteles, temporibus congruenter præscriptam esse generationem animalium; propterea quòd, cùm præ magnitudine non satis prętera fœtui est alimentum, quod per vmbilicum ministratur, lac verò vtile ad alendũ euadit, item per vmbilicum alimentum nõ subit, tùm se venæ ipsæ comprimant, circa quas tunica est, quæ vmbilicus vocatur, ac his de causis foris prodeat infans. videmus enim hic præceptorem sui memorem dicere infanti διὰ τὸ μέγεθος alimoniam non esse satis, videlicet quia iam auctus, & plenus suam nactus sit perfectionem. quod totum à præceptore Hippocrate desumpsit, qui in opusculo de Octomestri Partu explicatissima sentẽtia eadem prorsus docens, maturitatem veram esse partus causam his verbis demonstrauit. Vt autem fructus eorum, quæ nascuntur è terra, cùm maturitatem sunt assecuti, secernuntur, ac decidunt ea parte, qua pediculo arbori inhærent; sic etiam pueris maturis, ac perfectis vmbilicus quidem conniuet, ac clauditur: reliqua verò aperiuntur, vt & ingredientia suscipiant, & exortus habeant secundum naturam, quibus necesse est viuentes vti. Hæc ille; quibus certè non video quomodo nobis apertius significare potuerit, nullam aliam esse partus causam, quàm maturitatem; cùm non secus ac fructus ex pediculo, quo arbori adhęrent, decidunt, quia maturi sunt, sic & fœtus ex vtero excludi uelit. quo ex loco quod supra dicebamus, maximè esse veritati consentaneum discere possumus; videlicet maturitatem ipsam causam esse, vt fœtui alimentum deficiat. siquidem causa est, vt vmbilicus claudatur, & conniueat: inquit enim Hippocrates maturo puero vmbilicũ conniuere; at conniuente vmbilico parcius necessariò alimentum subministratur. Nam & propterea Aristoteles, cùm dixisset ob magnitudinem non esse fœtui satis alimentum, quod per vmbilicum transit, idest, vt nos interpretati sumus, ob adeptã maturitatem, & perfectionem, vt doceret Hippocrati consentiens hoc euenire, quia vmbilico iam conniuente alimento aditus non amplius pateat per illum, statim subdidit, eas venas sese comprimere, circa quas tunica est, quæ vocatur vmbilicus; vt nemo mentis compos in dubium vocare queat, veram partus causam de horum sententia ipsam esse maturitatem. quod diuinè etiam Hippocrates initio libelli de Septimestri Partu significauit, dicens mense septimo infantes propterea vitales edi, quia principium perfectionis nanciscantur, & maturitatis: qui locus illustrissimus est ad probandum diruptionis membranarum, ac motus omnis infantis, & calcitratus causam perfectionem esse ipsius, aliud præterea nihil; cùm manifestè dicat Hippocrates, vt planius libro septimo demonstrabimus, in perfectione magis quàm alijs temporibus robore fętum vigere, vt vehementer tũc propterea se mouens pelliculas defringat: vt diruptionis membranarum causam, proindeq; partus, ipsam velit esse perfectionem.

(Cap. 8.)

Demonstratur Stoicos, & Galenum in eandem sententiam abijsse. Probatur angustiam vteri non esse partus causam. Cap. 19.

IAm verò hoc idem xv. de Vsu Part. secundo de Symptomatum Causis, & tertio de Naturalibus Facultatibus Galenus innuit, in absolutionem fœtus partus causam referens. Quam profectò veritatem Stoici etiam acutè mihi videntur conspexisse, cùm infantem, qui in vtero est (vt Plutarchus libro quinto de Placitis Philosoph. refert) ventris esse partem non animal asseuerantes, vt fructus, qui partes sunt arboris, simulatq; maturuere, defluunt, sic & fœtum ipsum, cùm suam adeptus fuerit maturitatem, in lucem prodire existimarunt. Galeni autem verba (vt id omnino ipsum sensisse quisq; videat) primo loco ita habent, videlicet decimoquinto de Vsu Partium. Partus autem fit, cùm fœtus ita iam est perfectus, vt per os nutriri posit. quibus in verbis, vt constat, nullam aliam præterquàm perfectionem, ac maturitatem partus causam agnoscit, non alimoniæ defectum, non vteri angustiam. Secundo loco sic, videlicet libro secundo de Symptomatum Causis. Siquidem monstratum est, vteros nullo alio modo ad fœtum edendum se comparare, quàm per expultricis facultatis actionem. Quippè qui tùm fœtus grauitatem, tùm sui distentionem nouem mensibus pertulerunt, atq; ita ad vnguem toto hoc tempore conniuente ore fuerunt, vt ne styli quidem mucronem recipe-

(Cap. 7. Cap. 3. Cap. 3. Cap. 25. Cap. 7. Cap. 3.)

reciperet; ij abſoluto in ipſis fœtu ad eius expulſionem ſe parant. Hæc ille; quo loco neq; grauitatem fœtus, neq; vteri diſtentionem cauſam eſſe partus perſpicuè docet, ſed ipſam tantùm maturitatem: cùm hæc omnia naturæ decreto (ſi partus naturalis eſt) vterus patiatur, donec fœtus ſuam recipiat perfectionem. Habet enim græcum exemplar pro eo, quod inquit latinus Interpres, abſoluto in ipſis fœtu, τελειουμένων ἐν αὐταῖς τῶν κυουμένων, vbi toties a nobis expoſitam τελείωσιν potes agnoſcere. quare, qui euentationis maioris cauſantur indigentiam, aut anguſtiam vteri, aut alimenti defectum, aut grauitatem, aut eiuſdem vteri diſtentionem, aut demum aliud aliquid præter ipſam maturitatem, volentes, cùm adeò magna diſtentio eſt, vt maior eſſe nequeat, aut cùm pondus grauat, aut cùm alimenti conuenientis diminutio accedit, item cùm ſummum incrementum fœtus in relatione ad capacitatem vteri receperit; demum cùm maiori eget euentatione, tunc partum fieri, Galeni dogmata relinquunt, Hippocratis, Ariſtotelisq; decreta; & abortionum cauſas, item cauſas præter naturam pro cauſis partus, & ſecundum naturam nobis ſubijciunt. Nam, vt de alijs nunc taceam, ſi anguſtia vteri partum cauſat, igitur hæc ſemper locum habere debet; at ſenſuum fide experimur, eaſdem mulieres fœtus ijſdem menſibus modo grandiores parere, modo corpore minores, & quæ priori partu grandiores, corpulentioreſq; pepererunt, ſecundo partu edere longè exiguiores, idemq; efficere menſibus diuerſis; vt quæ primo partu nonomeſtrem corpulentiorem edidit, mox ſecundo ſeptimeſtrem tenuem gignere comperiatur. quid igitur dicemus? an vterum, qui antea capacior erat, factũ eſſe anguſtiorem? hoc enim ſi quis dicat, deſipere certè videbitur. Item ſi fœtus in vtero exiſtens, grandior adhuc fieret, ſed anguſtia vteri impeditur; igitur debitam magnitudinem, ac maturitatem nequit recipere; igitur ante perfectionem oritur, & ſic præter naturam: ſi non fieret grandior, anguſtia vteri incaſſum ponitur; cùm nil ad partus editionem celeriorem operetur. præterquàmquòd cauſa, quæ abortum facit, ac partum præter naturam, non poteſt eſſe cauſa partus naturalis; ſicuti & quę cauſa eſt partus naturalis, non poteſt eſſe cauſa abortus, & partus præter naturam. At enimuero vteri anguſtia vel perſpicuè monente Hippocrate in opuſculo de Superfętatione abortum cauſat, fœtuſq; deperditionem, igitur nullo modo cauſa eſſe poteſt partus naturalis. Hippocratis autem verba hæc ſunt, & maximè notanda; vtpote quæ huiuſmodi cauſam penitus reijciant. Mulier quando concipit quidem, perdit autem fętus bimeſtres exactè in eodem tempore, & neq; prius, neq; poſterius. atq; hoc bis teruè, ac etiam pluries perpeſſa fuerit: immò ſi etiam trimeſtres, aut quadrimeſtres, ſiue vetuſtiores perdiderit iuxta eundem modum; talibus vteri (puero augeſcente, & bimeſtre, aut trimeſtre, aut quantumcunq; tempus tranſgrediente, ſi quando etiam alias augeſcit) in maiorem amplitudinem non porriguntur: ita vt non amplius ſufficiant capiendo fœtui; ſed propterea perditur eodem tempore. Huic Cucumerarium medicamẽtum in vterum dare oportet, ipſumq; diſtendere, ac inflare pharmacis appoſititijs hiſce.

Adducta ſuperiori capite Hippocratis verba enarrantur. tertia item ex Galeno aſſertur auctoritas. Cap. 20.

HAec ille; at quid poteſt ad hoc commentum explodendum efficacius adduci? neq; enim trimeſtres, quadrimeſtreſq; tantùm, ſed etiam vetuſtiores fœtus anguſtiam vteri perdere docet Hippocrates; ſanè vt oſtendat id in ſeptimeſtri, octomeſtri, nonomeſtri habere locum poſſe. Nam & hoc eſt, quod ſubdit, quantumcunq; tempus fœtu tranſgrediente contingere deperditionem, ſi modo fœtus augmentum debitum nequaquam adeptus, amplius adhuc augeri debeat, ſed præ anguſtia vteri non poſsit: ſiquidem hoc verba illa ſonãt. ἤν ποτὲ ἂν ἄλλοτε μὴν αὐξάνεται, quod eſt longè clarius mea ſententia, ſi interim alio tẽpore augeretur; alio inquam tempore, quod ſequitur, in quo ob vteri anguſtiam augeri prohibetur. ex quo & medicamentis iubet diſtendi vterum, reddiq; capaciorem: nempè quia, vt ex Galeno mox oſtendam ea quidem arte à natura fabricatus eſt, ſi naturalem ſeruet diſpoſitionem, vt pro fœtus augmento diſtendi poſsit; vt iam paulò ſupra à nobis adducta ratio vim habeat demonſtrationis, videlicet vteri anguſtiam, ſi naturam ſuam ipſe retineat, nil ad partum operari, quia vel partus tempore debitum nactus ſit fœtus augmentum, vel non; ſi iam illud recepit, anguſtia vteri illum non cogat in lucem exire, ſi augmentum debitum non eſt

adeptus

adeptus, sed quantum in se est erat adepturus, sed impediatur præ vteri angustia, hic non fit partus, sed, vt hoc loco inquit Hippocrates, deperditio: vt mirum sit nonnullos doctos viros hunc Hippocratis locum adducere, vt probent de illius sententia angustiam vteri, naturalem immò & primariam esse partus causam; qui, cùm viderent de abortu, ac partu præter naturam in eo Hippocratem disserere, dixerunt hæc omnia ad naturalem partum referri debere. cùm tamen contrariorum contrariæ causæ sint, ideoq; luce meridiana clarius appareat, quæ causæ abortum, ac partum præter naturam faciunt, easdem naturalem partum causare non posse. Præterquàmquòd si hæc causa locum haberet, partus eodem exactè tempore semper prodiret in lucem, dicente Hippocrate, quæ mulier eodem tempore exactè fœtum perdit, idq; pluries illi euenit, huic vterum in maiorē amplitudinem non distendi; quòd nec isti volunt, nec verum esse deprehenditur. cùm vna eademq; mulier non solùm varijs eiusdem mensis diebus, sed varijs mensibus partum edat. At enimuero hac de re nimis multa; hanc.n. quam isti ponunt naturalis partus causam, pluribus in calce libelli de Genitura ab Hippocrate reijci, facilè quisq; videre poterit: quo loco exemplo à cucumeribus sumpto angustiam vteri partum reddere debilem, tenuem, ęgrotum, violentum, demum qui sapiat naturā abortionis, cùm augeri prohibeatur, perspicuè ostendit. Quòd autem neq; initio libelli de Septimestri Partu, vbi spicarum exemplo membranas defringentium docet diuinus Senex partum septimestrem quasi vi quadam in lucem venire, vteri angustiā partus causam agnoscat, vt isti putant, septimo libro commodius ostendetur: vbi de septimestri agemus, eiusq; verba explicabimus. Interim hoc non prætermittamus, ad ea comprobanda, quæ disseruimus, vteri angustiam Aristoteli quoq; causam esse partus præter naturam; cùm, vt decima Problem. Sectione ipse docet, angustia loci, & vteri causa sit, vt nana statura homines proueniant, sicuti & alimenti inopia, quòd membris puerilibus oriantur. quo loco hanc potissimum causam perfectioni, ac maturitati philosophus opponit, quòd certè eam ipsam penitus refellit: siquidem inquit. At verò qui ob alimenti inopiam perfici non potuerunt & c. At è contra ipsa maturitas nunquam potest esse causa abortus, vel partus præter naturam; quare

Prob. 14.

& vera, & sola causa partus naturalis existimanda est. quòd totum & tertio loco, videlicet libro tertio de Naturalib⁹ Facultatibus (qui locus superest nobis legentium oculis subijciendus) apertissimis verbis Galenus docuit, nullam aliam quàm maturitatem ipsam partus causam agnoscens. Neq; enim (inquit) temerè, aut sine ratione condidit vterum natura ad complectendum, retinendumq; fœtum sufficientem; sed idcirco, vt quod gestatur, ad debitam perueniret magnitudinē. Ergo vbi completum est, cuius gratia retentiua potestate vterus est vsus, vtiq; hâc inhibet, ac cessare facit; propultrice, quæ hactenus quieuerat, loco eius assumpta.

Cap. 3.

Locus ex Galeno supra allatus explicatur. Item causa ab vteri angustia pendens plenius confutatur. Cap. 21.

HAec medicæ artis post Hippocratem meritò princeps; quibus apertè indicat, fœtum naturæ lege tandiù in vtero contineri, quandiù ad debitam, quæ illi quatenus fœtus est naturaliter congruit, magnitudinem peruenerit, quod & in illo simul dicit perfectionem, complementum, ac maturitatem. Nam & hoc est quod dicit συμπεπληρωμένον tunc esse fœtum, idest completum, ac perfectum; hoc est quod paulò infra eodem loco addit, si improsperè aliquid contingat, vterum desperata fœtus τελειώσει, idest perfectione non amplius expectare nouem mensium temporis moram, sed ipsum fœtum abijcere; vt iam commentum omnino arbitrandū sit, quod pleriq; volunt, angustiam vteri partus esse causam; cùm id naturæ legibus, & consilio admonente Galeno penitus repugnet; quæ vterum ea arte fabricauit, vt posset fœtum, donec debitum acceperit augmentum, debitamq; perfectionem, continere. ex quo & eadem mulier, quæ vnum concipit, & parit fœtum, illumq; interdum per exiguum, vt vix vteri tumor vllus in ea appareat, si mox tergeminos, & quatuorgeminos concipiat, & pariat, mirum dictu videtur, quantum vteri moles, eiusq; capacitas in illa excrescat; vt audiendi non sint, qui dicunt, fœtum, si habeat spatium, capacitatemq; idoneam, in qua maneat, non deficiente illi alimento, tandiù ibi manere, quandiù potest; ac tandiù posse, quandiù tota impleatur vteri cauitas. Hoc enim vbi contigerit, quia adauctus ita sit puer, vt amplius nequeat vtero contineri;

tineri, tunc calcitrando cogi mutare locum. quod certè falsum esse Dorotheæ mulieris multiplici sobole grauidæ effigies apud Pareum libro vigesimoquarto, ac historia fidem facit. cui aliquando ob fœtuum multitudinem adeò vterus intumuit, vt aluum, quæ in genua procumbebat, lata, & magna fascia ex ceruicibus nodata fulcire cogeretur; quod perspicuè docet pro fœtuum mole, ac magnitudine vterum sua natura posse distendi. quamobrem mihi è contra consentaneum videtur, quantacunq; sit capacitas vteri, fœtum, cùm iam pro sui temperamenti ratione maturus est, quoniam ipsa maturitas sit partus causa, natura duce, ac magistra exitum petere, nec vllo modo expectare, vt totam impleat, si qua superest, vteri capacitatem. Ex quò & Galenus libro decimo quarto de Vsu Partium naturam matrices in perfectis animalibus non solùm magnas, sed maximas effecisse notat; videlicet quia posset aliquando maiorem, aliquando minorem fœtus molem, & magnitudinem commodè continere, atq; pro eius quantitate distendi, & contrahi vbi opus fuerit: quod vel in ipso conceptus initio satis elucet, quo tempore, vt nonnulli docuerunt grauissimę auctoritatis viri, ita se matrix contrahit, vt semen, & exiguum conceptum vndequaq; cōplectatur, & tāgat, nullāq; penitus relinquat vacuitatē, sese postea in dies pro fœtus augmento distendens, donec debitam receperit magnitudinem: quæ quidem magnitudo sui temperamenti ratione illi exoritur, & cum ipsa maturitate, quatenus fœtus est, finem habet; quoniam fœtus finis est, & propria perfectio, vt supra ex Aristotele docuimus, egregièq; in Cōmentarijs super quarto de Animalium Ortu Ioannes Gramaticus demonstrauit. cùm alioqui omne animal quantitatis ratione imperfectum, eodem secundo de Animalium Ortu admonente, oriatur. Quæ profectò maturitas cùm certis necessariò, ac definitis temporibus fœtui humano ex Aristotelis decreto adueniat, vt mox infra suo loco planum faciam, certosq; habeat, ac præfinitos limites, quibus nec breuiores, nec longiores naturaliter habere queat; septimi videlicet mensis principium, & vndecimi, quod perspicuè sensisse philosophum supra demonstrauimus; hinc illorum alterum dogma ruit, quòd homini certum nascendi, pariendiq; tempus non existat, quia certum non sit tempus, in quo alimentum deficere, vteriq; capacitas impleri possit. Quare cum natura iniquius agunt, qui pro vteri capacitate augeri fœtum dicunt; cū potius è contra, vt supra dicebamus, ipse vterus, vt Galenus acutè admonuit, ea sit ratione fabricatus, nisi aliquid præter naturam illi contingat, vt pro fœtus magnitudine & incremento augeri valeat. ex quò si etiam esset capacissimus, fieriq; adhuc capacior in dies posset, nihilominus, quia fœtus sua est perfectio, & magnitudo, ideoq; habet suum definitum quatenus est fœtus incrementum, cùm illud receperit, exire amat in lucem, ac tentat; tametsi vteri ratione posset maior, auctiorq; fieri. Sicut enim natura est, quæ diuidit semina in partu multiplici, & certa pars certam partem subit; sic eadem prudentissima (quemadmodum latius infra dicemus) fœtui incrementum definit, non vteri spatium; illiq; maturitatem impartit, ac stimulos admouet, vt exeat, cùm est maturus. & sanè quod secundo de Anima de vera nutritionis, & incrementi causa disserens Aristoteles Veteribus objiciebat, verissimè istis objici potest. Ita enim data immensa vteri capacitate, & copia alimenti, fœtus in infinitum secundum istos crescere posset, & augeri. atqui Aristoteli
» τῶν φύσει συνεστώτων πέρας ἐστὶ καὶ λόγος μεγέθους
» καὶ αὐξήσεως· ταῦτα δὲ ψυχῆς ἀλλ' οὐ πυρός, καὶ
» λόγου μᾶλλον ἢ ὕλης. idest, omnium natura
» constantium terminus statutus est, & ratio magnitudinis, & auctionis: hæc autem
» animæ sunt, & non ignis, & rationis potius, quàm materiæ. quo loco rectè post terminum philosophus addit rationem: non solùm enim terminus est incrementi, sed termini ratio, & causa in natura; à rei pendens forma, temperamento, & specifica proprietate: ex quò & id meritò opus esse dicitur animæ, ac formæ, & rationis, non materiæ. Quare fœtus, quatenus fœtus est, habebit terminum incrementi, dum in vtero existit, & termini rationem; idq; animæ opus erit, formæ, temperamenti, & rationis, non quidem vteri intercapedinis, materiæ, & alimenti, alteriusq; rei ab extrinseco aduenientis: sicuti enim est fœtus propria perfectio, quæ illi, vt docet Aristoteles, quatenus est fœtus, conuenit; ita & propria est magnitudo, quæ itidem, quatenus fœtus est, eidem congruit.

Cap. 3. Cap. 4. Cap. 1. Tex. 41.

Superiora plenius comprobantur. Cap. 22.

QVantum igitur potest naturaliter augeri fœtus in vtero? citò dico, vsq; ad maturitatem: cùm enim hanc receperit, non amplius in vtero crescit, sed statim exit, vt extra debitum, quod illi conuenit, non vt fœtus est, sed vt tale est animal, capiat incrementum. & sanè mirum quomodo nonnulli rectissimè philosophantes, cùm scripserint nascendi causam ipsam esse maturitatem, illoq; tempore debere nasci fœtum, in quo suam perfectionem, ac maturitatem adeptus est; addiderint postea contra Præceptoris mentem, maturitatem hanc fœtum vago tempore adipisci: eiuscemodi verò tempus esse, quando fœtus ita auctus est, vt amplius in vtero contineri non posit, illiq; accõmodatum, & sufficiens ex matre deficiat alimentum. Si enim vagum tempus intelligunt, nullum esse certum partui terminum, vltrà, & citra quem gestari queat, ab Aristotele longissimè dissentiunt; vt supra abundè fuit demonstratum, pleniusq; infra demonstrabitur: præterquàmquòd falsum erit, naturę operationes omnes determinatis fieri periodis, ac numeris; naturamq; solere certis diebus, ordinatisq; temporibus perfungi suis muneribus, vt ipsi volunt, ac re- « ctissimè volunt. partus enim humanus nõ « solùm naturæ iudicium est, & operatio, sed « inter eius iudicia, & operationes princi- « pem locum obtinet; vt absurdum sit, si cer- « to ordine, ac tempore carere illum assera- « mus. Deinde (vt hanc rem diutius vrgeamus) aut volunt duo illa, vteri scilicet impletionem, defectumq; alimenti esse maturitatis causas; aut signa; aut effectus; aut demum aliquid, quod tanquam accidens maturitatem consequatur. si primum volunt, ergo fœtus ab extrinsecis rebus, scilicet ab vtero, eiusq; intercapedine, ab alimento, à re demum accidentali, non à propria, intrinsecaq; natura, ac naturæ temperamento recipit maturitatem, & magnitudinis augumentiq; finem, quo nihil absurdius. si secundum, nihil docent; quia causas partus ipsi quærunt, & afferre profitentur, non signa: præterquàmquòd signa esse nequeunt, quia signum signato notius esse debet; at quando fœtus vteri impleuerit capacitatem, vel defecerit illi alimentum, nemo valeat diuinare. Si tertium, & quartum, eædem locum habeant difficultates; cùm & partus causas assignare sit necesse, quia causæ partus inuestigantur; & non sit necessarium, cùm fœtus maturus est, vterum amplius distendi non posse, vt supra diximus, infraq; dicemus; & Præceptore teste, vt superius suo loco vidimus, fœtui, cùm est maturus, nõ deficiat in vtero alimentum: quod quidem dogma Galenus quoq; libro decimoquarto de Vsu Partium præclarè confirmauit; volens, cùm fœtus iam perficitur, tunc mammas intumescere, & lac vtile generari, & abundare; quia scilicet, vt ex Aristotele docuimus, minus tunc menstrui sanguinis à fœtu iam perfecto attrahatur. ex quò & Galenus lac ex superfluo sanguine, qui in venis vteri remanet, generari docet; pulchrè addens, si alimentum, quæq; illa causa fuerit, parcius fiat, naturæ operum ordinem confundi, & perturbari, abortumq; contingere, vel fœtus imbecillitatem. qui locus hanc ab alimenti defectu sumptam naturalis partus causam plenissimè redarguit. Galeni autem in vulgatis codicibus hæc est oratio. Ita igitur lac ,, menstruo germanum esse ait Hippocrates. ,, Proinde cùm vitium aliquod fœtui ipsi ac- ,, ciderit eiusmodi, vt non amplius alimen- ,, tum, quod satis sit, attrahere queat. aut ,, cùm in mulieris corpore delictum eiusmo- ,, di contigerit, vt non satis sanguinis sup- ,, peditare ei amplius posit, eo casu operum ,, naturæ ordo confunditur, ac perturbatur. ,, & quæ sequuntur; vt mirum sit, si aliquando naturalis partus causam alimenti defectum esse Galenus posse existimauit, nos hac de re non admonuisse, abortus causam id ipsum esse docens.

Cap. 4. & 8.

Dubitationes nonnullæ afferuntur, ac diluuntur. Galeni mens clarius explicatur. Cap. 23.

VErùm obiecerit aliquis. partus Galeno admonente est opus expultricis: expultrix non excitatur, nisi irritetur ab aliquo noxio, aliter cum electione operaretur: at à maturitate non videtur irritari posse; ergo ab alimoniæ inopia, vteri angustia, alijsq; similibus matrem, fœtum, demum vterum affligentibus debet irritari. quæ quidem irritamenta & afflictiones cùm non videatur maturitas causare posse, neq; etiam videtur esse partus posse causa. Respondeo, expultricem esse vteri, ac parentis facultatem; cùm verò fœtus maturus est, quia tunc vtero, ac matri inutile pondus fit, ac præter naturam; item quia tunc calcitrat, quia vult exire, propterea

his duobus tanquam noxiis irritari expultricem, non quidem operari electione. Respuit enim pondus illud natura, & matrix perfecto fœtu, quia, cùm diutius in ea commoratur, hoc est præter naturam, ideoq; matricem lędit; item ex calcitratu vterus lęsionem sentiens suscitat expultricem: at calcitratus, horumq; omnium causa ipsa est maturitas: quare dubitatio nulla. Quòd verò maturo fœtu expultrix excitetur, adeò vt maturitas ipsa huius rei videatur esse causa, Galenus non obscurè innuit libro tertio de Naturalibus Facult. his verbis, quæ etiam supra adduximus.

Cap. 3.

» Ergo vbi id completum est, cuius gratia » retentiua potestate vterus est vsus; vtiq; » hanc inhibet, ac cessare facit, propultrice, » quæ hactenus quieuerat, loco eius assum» pta. Hic enim, vt videmus, Galenus asserit vterum expultricem assumere completo fœtu & absoluto; & quia completus sit & absolutus. Prętereo paulò infra eodem libro Galenum satis perspicuè ea enumerare, quæ partus tempore propultricem in vtero excitant, nec vllum habere verbum de alimenti inopia: præterquamquòd, hęc si locum haberet, non quidem expultricem vteri, sed fœtus potius attractricem excitaret. Galeni verba hæc sunt. Pari modo

Cap. 12.

» & vteri: hi nanq; vbi vel distendi amplius » non tolerant, vel etiam qualitate humoris » in se effusi morderi, quod offendit, abijce» re properant: & mox longè clarius. Com» munis autem omnibus his affectibus ipsa » est offensio; atq; huius ipsius triplex est » causa: aut moles nimia, aut pondus ali» quod, aut morsus. Moles, vbi amplius » distendi vterus non tolerat; pondus cùm » supra vires eius sit, quod continet; morsus » vbi vel humores, qui prius in membranis » continebantur, his ruptis in ipsum vterum » sunt effusi, & c. Hæc ille; quo loco nullam habemus de alimenti defectu mentionem, quòd irritamenti vllius sit causa. Sed obijcies rursus, saltem ex hoc loco partus causam ab vteri angustia ductam valde comprobari, dicente Galeno, cùm vterus distendi amplius non tolerat, expultricem excitari, & ex consequenti partum fieri, item & reijci maturitatem, cùm inter partus, quæ hoc loco enumerantur, causas non recenseatur, nec debeat recenseri, quia vterum ipsum nequeat offendere, nisi autem fiat offensio, ad excludendum fœtum vterus non moueatur. Respondeo, huic dubitationi superioribus verbis paulò supra à nobis allatis iampridem Galenum satisfecisse. Si enim vterus, vbi illud completum perfectumq; est, quod continebat, cuius gratia retentiua potestate vsus erat, expultricem assumit; iam certè eam assumit (quod & supra dicebamus ipsum existimasse) quia ad perfectionem fœtus peruenit: quare & cur distendi amplius non toleret, hæc eadem erit causa secundum illum assignanda, nisi cum semetipso atrociter pugnare cum dicere velimus. Completo enim, ac perfecto fœtu nō amat amplius vterus distendi; quin potius quia maturo fœtu iam totum id, vt Galenus acutissimè innuit, in contrarium transiuit affectum, proindeq; gestatio illi est deinceps præter naturam, vterus magistra natura, ac duce fœtum ipsum tanquam ἄχθος ἀλλότριον, id est tāquam alienum onus, vt Galenus perbellè inquit, abijcere amat. Hinc ipso etiam pondere mirificè læditur, quo plurimum antea delectabatur. iam enim ligamenta maturo fœtu flacescūnt, vt fructuum exemplo docebat Hippocrates; vt nequeat vterus amplius pondus sustinere: & cùm ex calcitratu defringantur membranæ, proindeq; humores diffundantur, mordetur etiam humorum qualitate: vt his de causis iure expultricem assumat. Quare nil ex his habent aduersarij, quo suam positionem tueantur; cùm horum omnium causa sit ipsa maturitas, scilicet & molis nimiæ, quod euenit, cùm vterus distendi amplius non tolerat, & ponderis & morsus, qui ab effusis prouenit humoribus, ideoq; & sufficiens causa sit offensionis. Qua in re & illud cōsiderandum, quòd distendi vterus non tolerat, non quia non possit amplius distendi, vt Trincauellius Consiliorum libro primo videtur existimasse, sed quia maturo fœtu iam functus suo munere onus illi factum alienum gestare respuit, ac tumorem, molemq; illi propterea nimiā dimittere amat. ex quo & rectè Galenus dicit nō quidem vterum nō posse distendi, sed μηκέτι φέρειν, quod est propriè non tolerare, sed respuere amplius distendi. Quòd verò calcitratus causa sit ipsa maturitas, idem Trincauellius loco memorato satis clarè ex Galeno notauit, docens præcipuam de ipsius sententia causam, cur fœtus valentius moueatur, ipsam esse fœtus absolutionem. Atq; hac quidem in re aurea illa Galeni sententia ob oculos habenda est, eodem libro ab eo diuinè explicata; videlicet ex gestatione ipsa licere nobis naturæ artem intelligere, quæ singulis corporis partibus & instrumentis non so-

Cons. 34.

lùm vtilium actionum facultates inseruit, verùm etiam quietis & actionis tempus opportunum præuidit, & definiuit. Quamobrem quòd maturo fœtu vterus expultricem assumat, quòdq; ipsa expultrix assurgat, id non erit ex electione, sed ex naturæ ordine motionis, quietisq; tempora huius facultatis decernentis. Postremò cùm vterus admonente Galeno, vt supra vidimus, vbi id completum est, ac maturum; cuius gratia retentiua potestate vsus fuit; propultricem assumat; propultrix verò his tribus excitetur: manifestum est hæc tria; molem scilicet nimiam, pondus, & morsum symptomata esse maturitatem consequentia, & concausas potius, quàm proprias causas partus; & immediatas. quod sanè idem Galenus memorato libro satis indicauit, non solùm partus naturalis, sed abortus esse causas docens, si non προσηκόντως, idest, non vt conuenit naturæ ordini locum habeant; nam & sic ego vocem hanc interpretor: ex quò & Galenus eam opponit τῷ βιαίως; idest illi, quod violenter euenit, ac præter naturam. Hoc enim, quia contrariorum contrariæ causæ sunt, vt supra monebamus, esse non posset, si propriæ, ac immediatæ essent causæ partus naturalis; eò quòd abortus partui sit contrarius, ideoq; necessariò à contraria causa ortum ducat: quare rectissimè Galenus adiungit tunc tria illa esse abortus causas, cùm non vt conuenit locum habent. Non enim locum habent vt conuenit, si partu adhuc immaturo locum habent; cùm naturæ requirat ordo, vt, cùm fœtus maturus est, tunc moles nimia, pondus, & morsus locum habeant, & hac ipsa de causa locum habeant. qua certè aurea sententia nos Galenus admonet, hæc tria, quantum in ipsis est, neq; abortus causas esse, nisi à re præter naturam causentur, neq; etiam partus naturalis, nisi ab ipsa natura causam habeant: vt iam de illius mente aliud aliquid præter hæc tria, à quo ipsa pendeant, in partu & abortu propriæ, ac primariæ causæ subeat rationem: quod in ipso partu nil esse aliud posse, quàm ipsam maturitatem, satis superiora demonstrarunt; in abortu multiplex, incertum, inconstans, & penè infinitum esse posse palàm est: cùm innumera sint, quæ abortum causare valeant, tanquam ea, quæ eueniant præter naturam. Sed hactenus monstratum sit, alias præter maturitatem inuectas à recentioribus partus causas nullam habere veritatis notam. Neq; enim philosophum tàm languidum, tàm eneruatum reperiri posse autumo, tàm omnia ad aliorum potius placita, quàm ad ipsam rationem referentem; qui, si hæc nostra considerauerit, istorum opinionem probare possit. quàm magnum autem sit, quantiq; nostra referat, maturitatem veram esse partus causam ostendisse, inferius suo loco demonstrabimus.

Quæ de vera partus humani causa ex Aristotele dicta sunt, vocantur in dubium. Cap. 24.

VErùm aduersus ea, quæ dicta sunt de vera partus causa ex Aristotele; non leues oriuntur ex eiusdem dictis dubitationes: siquidem quærens ipse libro quarto de Animalium Ortu, quare viuiparorum alia perfectum, alia imperfectum animal pariant; huius rei causam esse inquit, quòd illorum alia vnipara sunt, vel paucipara, alia multipara. cùm enim vnum, & pauca facilè possint enutriri; quæ vnipara, pauciparaq; sunt, fœtum intra se, donec perfectam, absolutamq; receperit articulationem, continere possunt; at verò multipara, quia multos intra se gerant, partus adhuc recentes alere queunt, auctos iam, adeptosq; magnitudinem, nequeunt; propterea imperfectos, inarticulatosq; eijcere potius coguntur ob alimenti inopiam, quàm verè pariant; ex quò & sic Aristoteles concludit. Sed cùm corpus ad nutriendum non sufficiat, partum emittunt. at hìc apertissimè philosophus concedit alimenti defectum parturiendi esse causam; quod tamen à nobis superiori capite negatum fuit, quin potius hinc elicimus hanc potiorem esse causam, quàm perfectionem, & maturitatem; cùm hi partus ante adeptam articulationem, ac maturitatem oriri comperiantur. Hinc addit solam inter multipara suem partus perfectos edere, & vsq; in finem enutrire propter sui corporis probam, copiosamq; alimoniam. Hoc idemq; eodem loco paulò infra videtur verbis apertissimis Aristoteles concludere; id de septimestribus etiam, quod maximi momenti est, docens habere veritatem; scribit enim sic, vt ego interpretor aliquantulum dissentiens à Theodoro. Omnino præueniunt hi partus generationem perfectam, quia nutriri nequeunt; eduntur verò imperfecti, quoniam generationem perfectã præueniunt; quod in pueris etiam patet, qui mense septimo nascũtur: quia enim im-

Cap. 6.

» perfecti ſunt, ſæpenumero ne meatus quidem integros adhuc habent, vt aurium, aut narium, ſed poſt accreſcentes recipiunt, multiq; ex his vitæ compotes euadunt. Hæc ille; quibus clariſsimè docet hos imperfectos partus, qui cæci, & inarticulati interdum oriuntur, vt Leones, Vrſi, Catuli, ac fœtus interdum ſeptimeſtres, ideo oriri imperfectos, quia perfectionem præueniant; præuenire verò perfectionem, quia deficiat illis alimentum: ita vt hanc ipſam alimoniæ inopiam veram agnoſcat partus cauſam; immò, & quod longè magis eſt, videatur innuere cunctos ſeptimeſtres partus, non ſolùm eos, qui inarticulati ſunt, eadem de cauſa oriri. quod græca oratio clarius oſtendit, quæ ſic habet.
» διὰ γὰρ τὸ ἀτελῆ εἶναι, πολλάκις ἔνια αὐτῶν &c.
» quod eſt. quia enim imperfecti ſunt, ſæpenumero nonnulli ipſorum meatibus nõ integris oriuntur. itaq; non eos tantùm ſeptimeſtres, qui meatibus non articulatis gignuntur, eſſe imperfectos affirmat, ſed omnes dicit eſſe partus imperfectos, quod etiam ſupra monebamus; & quia imperfecti ſunt, eorum propterea nonnullos, tanquam imperfectionis huius participes magis, meatibus infixis in lucẽ venire. Verùm imperfectionis cauſam inquit eſſe Ariſtoteles, quia præueniant perfectam generationem, ſic enim ſcribit apertè. ἀτελῆ δὲ γίνεται διὰ τὸ προτερεῖν, videlicet τῆς τελειογονίας. quod eſt, imperfecti verò oriuntur, quia præueniunt generationem perfectam, præuenire verò ob inopiam alimenti: quare ſeptimeſtres imperfecti erunt, quia præueniunt, præuenient tandem, quia deficiat illis alimentum: itaq; alimoniæ inopia, non maturitas ipſa, contra quàm ſupra definiebamus, partus erit cauſa in ſeptimeſtribus. Præterea de eo, quod diximus, cùm lac vtile datur, redundare fętui in vtero alimentũ, dubitatio eſt: etenim idem ipſe Ariſtoteles ſic infra loquitur. Concoctionis autẽ cauſam non ſolùm, quam modò diximus, accipere licet, ſed contrariã etiam; nam & vt fętus maiuſculus iã factus plus aſſumat cibi, minuſq; ob eam rem per id tẽpus ſuperſit, ratio probabilis eſt. quod autem minus eſt, concoqui celerius poteſt. Itaq; ſi contraria cauſa locum poteſt habere, ſuperiora nullam habent firmitudinem: ſi minus ſupereſt tunc alimenti, fœtus ob illius inopiã exitum tentabit. Pulchræ quidem difficultates, & quæ non parum negocium faceſſunt; quas tamen ſic ego puto diluendas.

Quæ ſuperiori capite allatæ ſunt dubitationes diſſoluuntur. omnis ex Ariſtotelis dictis tollitur contradictio. Cap. 25.

DIcimus igitur primùm quia natura, vt veriſsima ſententia eſt Ariſtotelis Politicorum primo tanto præceptore digna, non in corruptis, ac imperfectis conſideranda eſt, ſed omnino in perfectis: item quia, vt idem ſæpè docet, ſed apertiſsimè libro tertio de Animalium Partibus, & primo libro de Animalium Ortu, natura ipſa contemplãda eſt reſpectu plurium, & quod magna ex parte fit, hoc maximè eſt ſecundum naturam; propterea eam partus verã cauſam, & naturalem cenſendam eſſe, quę in perfectis, pluribuſq; animalibus locum habet, ac vt plurimum. quare cùm perfectiora, pluraq; maiora ſcilicet ac vnipara, & paucipara, perfectos partus edant; edant verò perfectos, quia generationem perfectam, ac maturitatem non præueniunt, nec antequã ſuum finem partus adepti ſint, ab illis eduntur in lucem; non præueniunt autem, quoniam illis non deeſt alimentum: cenſendum eſt, non quidẽ alimenti defectum, ſed maturitatem ipſam veram eſſe partus cauſam, & naturalem; quæ in huiuſmodi talibus locum habet. quæ enim imperfectiores partus edunt, videntur ad id coacta alimoniæ inopia illos edere; vt præter naturam id illis ferè contingere videatur. quod idem & de ſeptimeſtribus in humana ſpecie locum habet: ſunt enim partus ſatis imperfecti habita nonomeſtrium, ac decimeſtrium ratione; vnde ex illis vera, naturaliſq; partus cauſa minimè eſt petenda. Secundo dicimus fœtus perfectionem, ac maturitatem dupliciter conſiderari; vel ſui ipſius, ac propriæ naturæ reſpectu; vel aliorum ratione, quo quidem pacto perfectiorem partum cum imperfectiore comparamus. quod ſanè poſtremum dupliciter adhuc accipere contingit. nam perfectum partum cum imperfecto conferre poſſumus vel in illis animalibus, quæ inter ſe ſpecie differunt; quod feciſſe Ariſtotelem conſtat citato quarti de Ortu Animalium loco, dum cauſam inueſtigaret, cur viuiparorum alia perfectum, alia imperfectum partum edunt: vel in illis, quæ eiuſdem ſpeciei ſunt; quod quidem in ſolo homine locum habet propter eam temporis latitudinem, quam in partu matureſcendo vnus ipſe à natura obtinuit; quomodo ſeptimeſtres, ac octomeſtres cũ nonomeſtribus, ac decimeſtribus comparamus.

Cap. 3. *Cap. 2.* *Cap. 19.* *Cap. 6.*

ramus: quod fuisse Aristotelis consilium non dubito, cùm loco adducto de septimestribus loqueretur. His positis, quid respondendum, satis patet. Si enim in fœtu perfectionem propriæ ipsius naturæ ratione consideremus, satis constat nullum fœtum, si naturaliter nascitur, in lucem exire, ant quam propriam, ac suæ naturæ congruentem perfectionem, ac maturitatem nactus fuerit; quod infra etiam plenius demonstrabimus. enimuero, vt eodem quarto de Animalium Ortu docuit Præceptor, nasci nullum nisi suo tempore animal potest; quod non solùm de specie differentibus, sed de eiusdem speciei indiuiduis, immò & de partubus, qui ijsdem mensibus maturescunt, habet veritatem. ex quò, & eiusdem operis secundo absolutè pronunciatum ab eo videmus, hanc ipsam fœtus propriam considerante perfectionem, animalia omnia viuipara prolem perfectam qualitate reddere, quantitate verò nullum omnino animal perfectè progenerare; cùm omnia, postquam nata sunt, incrementum recipiant. item animalium alia partū perficere, forasq; mittere sibi simile, vt ea quæ animal edunt in lucem; alia nondum articulatum, explanatumq; ac suam formam adeptum parere; horumq; sanguinea ouū, exanguia vermem emittere: quibus viuipara omnia partum perfectum proferre, ac maturum, constantissimè posuit: quæ quidem è diametro pugnarent & inter se, & cū superioribus, nisi alia, & alia ratione in fœtu perfectionem considerare possemus. Quòd si in fœtu maturitatem, ac perfectionem aliorum respectu, quæ perfectiora sunt, accipiamus; tunc verissimè dicimus illorum aliquos perfectam in ortu præcurrere maturitatem. quod acutissimè contuens philosophus notatum reliquit hos partus, τελειογονίαν, dixeris generationē, maturitatemq; perfectam præuenire: nimirum quia non omnem penitus perfectionem præueniant, non propriam, non quæ ad vitam facit, sed perfectissimam, & absolutam, quæ etiam omnium partium comprehendit articulationem; qualem perfectissimos partus habere cernimus. vt hinc triplicem dari videas in fœtuū natura perfectionem, siue dixerim veriùs gradus triplices perfectionis: ac primam sanè esse, quam fœtus vitam generaliter respicere patet; cuius scilicet ratione vel vitalis primùm fœtus in lucē exit, quod septimestrium est propriū; vel certè ad vitā perfectius participandam disponitur, quod nonomestribus, ac decimestribus præsertim conuenit. alteram, quæ super primam addens, absolutissimam dicit in fœtu perfectioné; tertiam, quæ absolutam partium designat articulationem. hoc enim ita esse, triplicemq; hunc dari perfectionis gradum vel ipsa natura duce ac magistra admonemur; quæ hos ipsos gradus vel separans, vel coniungens pro fœtuum temperamento, diuersisq; temporibus tribuens, illorum differentiam patefacit. Nam primam perfectionem septimestribus inesse videmus, & mense septimo accedere; quos tamé, & secunda semper carere perfectione, & interdum tertia est manifestum; vt in illis patet septimestribus, qui aurium, nariumq; inarticulatis meatibus oriuntur. Hinc prioris huius perfectionis respectu septimestres partus perfecti appellantur; quod fecisse Aristotelem liquidò constat quarto libro de Animaliū Ortu, vbi de lacte agens, dari illud ea de causa vtile mense septimo decernit, quia huiusmodi mense fœtus primò perfectionem adipiscatur, ideòq; vitalis nasci possit, sic enim scripsit. quasi iam fœtus constet adeptus finem suum: est enim & conceptus perfectio. quamobrem exit, permutatq; generationem. quæ verba tametsi alios etiam fœtus respiciant, tamen ad maturescentes septimo potissimum esse referenda, hisq; omnino affirmari septimestres partus esse perfectos, nemo est, qui nō videat; quod & ante illum fecit Hippocrates in opusculo de Partu Septimestri, hos ipsos partus dicens principium habere perfectionis; diuinè principium perfectionis affirmans eos habere, non absolutam perfectionem, quia primam tantùm habeant non secundam, interdum etiam tertia careant; vt tantorum præceptorum auctoritate permoti l. SEPTIMO MENSE Iureconsulti decreuisse septimo mense nasci perfectum partum rectissimè videantur. Quòd si secundam perfectionem consideremus, qua priuantur, quin etiam & tertiam, qua interdum carent; iam hos ipsos septimestres imperfectos partus appellari palàm est; quod in præsenti loco fecit Aristoteles, ipsos dicens esse imperfectos, & generationem perfectam, ac maturitatem præuenire; atq; ante illum clarissimus Vates Homerus in Iliade, septimo mense genitum, ἠλιτόμηνον, idest imperfectum appellans, & immaturum. Item octomestres partus primam & tertiam perfectionem habere palàm est (vtrum autem primam mense septimo, octauus liber inuestigabit) vitales

Cap. 3. Cap. 4. Cap. 1. Cap. 8. ff. de stat. hom. Lib. 19.

les enim & articulati oriuntur: quanquam & primam imperfectiori participant modo quàm septimestres, vt sequens disputatio demonstrabit: secunda verò eos perfectione penitus carere satis constat. Postremo cuncti hi tres perfectionis gradus in nonomestribus, ac decimestribus coniunguntur; cùm non solùm vitales, & perfectè articulati, sed reliquis perfectiores oriantur, primam recipiẽtes perfectionem mense septimo, reliquas duas cùm plenè sunt maturi. Cæterum dubitare contingit quænam harum perfectionum naturalis partus sit causa, & quod in idem redit causa vitæ; cùm nullus fœtus nisi partu editus naturali viuere posit. si enim prior, ergo omnes partus mense septimo oriri debent, & vitales oriri; si posteriores duæ, ergo septimo mense fœtus vitales oriri nequeunt; vt ex his adæquata partus causa colligi non posit. sic enim Flaminius Palma conciuis meus, artissimoq; mihi necessitudinis vinculo cōiūctus, cuius opera acriq; iudicio, dum hæc scriberem, non raro vsus sum, aduersus hæc nostra, cùm ea legeret amicitiæ gratia, acutè dubitabat: vir in arte medica, & philosophia insignis, tùm etiam morum probitate conspicuus. cui sanè dubitationi sic censemus ocurrendum, vt dicamus non quidem perfectionem omnem, proindeq; non singulas harũ perfectionum, sed quę plenam absolutamq; dicit in ipso fœtu maturitatem, naturalis, ac vitalis partus esse causam; nam & iam supra vberrimè monstratum fuit, maturitatem ipsam partus causam esse. quæ sanè plena maturitas cùm pro fœtuum differat temperamento; singulisq; fœtibus pro cuiusq; temperamento à natura tribuatur, suisq; ac præfinitis temporibus tribuatur; idcircò eam cuiq; perfectionem, quæ absolutam dicit maturitatem, partus horam afferre; idcircò perfectionem ipsam, sed quæ cuiq; tamen fœtui absolutam dicit maturitatem, adæquatam esse partus causam; idcircò septimestrem septimo vitalem nasci partum, ac naturalem, neq; alias expectare perfectiones; quia prima perfectio vel absolutam dicit in ipso maturitatem, vel certè cum ea coincidit. è cõtra verò nonomestrem, tametsi hanc habuerit, alias necessariò expectare, cùm suæ naturæ ac temperamenti ratione, nisi & alteræ accedant, nec plenè maturus, nec naturaliter vitalis exire queat; & de reliquis partubus idem est iudicium. Sed vt ad propositam redeamus difficultatem, & quid si diceremus ob imperfectionem ipsam, nõ quidem ob alimenti inopiam septimestribus contingere (quod etiam & in multiparorum animalium partubus locum habere potest) vt maturitatem perfectam præueniant? nam & Aristoteles tertio de Animalium Ortu ob eandem causam vermem ante perfectæ maturitatis tẽpus edi, ideoq; mox oui accipere formam scribit. τούτου δ᾽ αἴτιον (inquit) ὅτι ἡ φύσις ὥσπερανεὶ πρὸ ὥρας ᾠοτοκεῖ διὰ τὴν ἀτέλειαν τὴν αὐτῆς, ὡς ὄντος τοῦ σκώληκος ἔτι ἐν αὐξήσει ᾠοῦ μαλακοῦ: quo loco vetus primùm Interpres, deinde Theodorus lapsi sunt; vetus enim Interpres sic transtulit. Huius autem causa, quia natura velut vtiq; si ante horam ouificat propter imperfectionem ipsius; tanquam existente verme adhuc in augmento oui mollis. Theodorus verò sic. Cuius rei causa est, quòd natura præ sua imperfectione, quasi maturans antequam tempestiuum sit, ouum pariat; tanquam hic vermis ad incrementum oui mollis adhuc pergat. Sed certè philosophus causam allaturus cur insecta vermiculum pariant, qui postea augeatur, ouiq; formam accipiat, non dicit id propterea contingere, quia natura horum animalium vermem tanquam existentem adhuc in augmento oui mollis, quasi ouum ante tempus ob suam imperfectionem edere cogitur, vt veteri placuit Interpreti; ac longè minus, quia maturius ob suam imperfectionem antea vermem edit, quasi ouum intempestiuum, quàm ad incrementum pergat oui mollis, vt voluit Theodorus: sed inquit vermem, cùm ortus fuerit, postea augeri, ouiq; formam emulari, quia natura ob suam imperfectionem, vermem, qui naturam sapit oui, quasi ouum intempestiuum parit; dixerisq; quasi molle ouum, quod adhuc sit in incremento, augeriq; indigeat; quale ouum est quod nõ suam adhuc adeptum perfectionem, intra auem continetur; vt non sit mirum si & post ortum augeatur, & si formam oui accipiat. oua enim piscium imitatur, quæ imperfecta ędunture, forisq; recipiunt incrementum; item cartilagineorum oua, quæ sua natura mollia existunt: vt iam editus vermis Aristoteli nil ferè aliud esse videatur, quàm molle ouum adhuc desiderãs incrementum; vel certè huic ouo maximè similis. quare Trapezuntius summa laude dignus, qui philosophi mentem, sic locum transferens, est optimè assecutus. Cuius rei causa, est quia natura propter imperfectionem suam quasi ante tempus ouum efficit;

Cap. 9.

cit; quasi vermis sit ouum molle quod adhuc crescat. At enimuero modo certè non valde dissimili dicere possumus naturam ob eam, quam habet septimestrium respectu imperfectionem, septimestres ipsos ante tempus perfectæ maturitatis parere, ideoq; plerunq; in aliqua sui parte incrementum desiderantes, quasi molle ouum, quod adhuc sit in augmento; vt nil sit mirum si inarticulati meatus accrescenti infanti articulantur. qui tamen partus suæ naturæ ratione perfecti ac maturi sunt, non secus ac vermis ab insectis animalibus editus, quatenus talis, sine vlla dubitatione est maturus. quæ enim imbecilliora sunt ac imperfectiora, vt quarto de Animalium Ortu docet Aristoteles, citius ad finem maturitatemq; deueniunt; quare & septimestres natura imbecilles citius propriam recipiunt maturitatem. Patet igitur, vt ad nostra redeamus, eos partus, qui imperfecti ad alios comparati nasci videntur, non antea nasci, quàm propriam receperint perfectionem, & ideo nasci, quia illam receperunt, quod superiori capite posuimus; propterea; nil hęc omnia nostro dogmati officere. Sed quid? nonne alimenti inopia dicitur nihilominus in multiparis partus esse causa? respondeo Aristotelem asserere, hos partus præuenire maturitatem perfectam, quia alimentum desit matri ad nutritionē; quod quidem mea sententia non est reddere partus causam, sed potius rationem, cur maturitatem perfectam nō expectent. cùm enim prudens natura videret huiusmodi animalibus sua natura non tantam adesse alimenti copiam, vt absolutam maturitatem fœtus recipere in vtero possent, propriam illis maturitatem antea impertita est, vt vitales prodire in lucem possent; quare alimenti defectus non erit causa partus, sed tantùm causa erit, ne in longius tempus partus differatur, & ne fœtus perfectissimam maturitatem assequatur: quod tamen huiusmodi animalibus non præter naturā, sed per naturam sic agi censendum est, quia eorum corpus sic à principio naturaliter sit constitutum. Quod autem postremo loco adducebatur, cùm lac datur vtile, alimentum deesse Aristotelem indicare; omnino abhorret à veritate. etenim philosophus dicit posteriori recepta causa minus superesse ex fœtus nutritione, ideoq; facilius coqui posse. at satis nobis est ad veritatem positionis nostræ ostendendā, quòd supersit, licèt minus: si enim superest adhuc aliquid ex nutritione, ergo fœtui deesse nequit, quod nos & volumus, & supra monebamus.

Cap. 6.

Quam ob causam homo inter cætera animalia secundum Aristotelem enormem partum habeat, idest multiparum sit animal, pauciparum, & vniparum proponitur indagandum.

Obiter ex eodem de causis multiplicis partus in animalibus.

Cap. 26.

Vera exposita humani partus causa, iam locus est, vt eorum, quæ supra ex septimo Historiarum in medio posuimus, causas ex Aristotele inquiramus; & quare multiplicem partum, ac enorme, varians, ac multiplex pariendi tempus solus homo habeat, videamus. præstabimus autem id commodè, si Aristotelis verba explicare, veramq; ipsius mentem attingere conabimur eo in loco, vbi eorum, quæ septimo de Animalium Historia de his duabus quæstionibus posuit, causas ipse profitetur afferre; qui absq; vlla dubitatione habetur quarto de Animalium Ortu, vbi multiplicis, ac singularis partus causa in animalibus aperitur. enimuero quæcunq; philosophus ibi de homine disserit, ijs respondent, quæ hac de re septimo Histor. de eodem enarrauit: ac tractatio illa de causis, illorum effectuum causas aperit, qui pro veris septimo Hist. recepti sunt; hominem scilicet inter cūcta animalia solum & multiplicem partum, & multiplex tempus habere pariendi; septimoq;, octauo, nono, ac decimo maturum parere, ac vitalem. Incipiemus autem ab ea quæstione, quæ enormis in homine partus causam quærit, vt quæ naturæ ordine sit prior. Philosophus igitur quarto de Ortu Animaliū proponens illam quæstionem, cur alia animalia pariant multa, alia vnum; idq; non exiguam circa rem hanc inquiens habere admirationem, quòd quæ maxima inter animalia sunt, ea singulos pariant, vt Elephas, Camelus, Equus, & reliquę solipedes, quæ partim maiora cæteris sunt, partim longè magnitudine superant: Canis verò, Lupus, & reliqua multifida longè minora, omnia pariunt multa, atq; etiam parua eiusdem generis, vt mures: cùm ratio potius probabilis esse videatur, vt maiora animalia plura generare, plusq; afferre seminis debeant. cùm hanc inquam proposuisset quæstionem, respondet id ipsum, quod mirari facit, causæ esse ne admiremur: facere enim magnitudinem, ne multa

Cap. 4.

Cap. 4.

pari-

pariant, eò quòd cibus in ijs absumatur in corporis incrementum; minoribus verò natura demendo de magnitudine, augeat in excremento seminali exuperantiam: proptereà magnitudinem, & paruitudinem corporis causam habere partus amplioris, & paucioris. licet enim pro corporis magnitudine plus seminis insit genitalis grādiori, tamen multa effici pauca in eodem possunt, vt perbellè inquit Aristoteles, multa verò magna efficibile difficile. at magnorum animalium fœtus magni sunt, vt idem eodem libro infra docet, ex quò fit, vt Elephantorum fœtus magnitudine vituli gestetur. Porrò autem quæstionis huius maximè mirū esse dicit philosophus, quòd in ijs, quæ pariunt multa, plerunq; vno initu animalia id genus impleri cernuntur, & plura edere: dubitare enim aliquis posset, quare formatrix virtus non vnum efficit animal incrementi maioris ex materia illa, sed plura; sicuti videmus coagulum in lacte non certa quantitate ad cogendum describi, sed quò plus lactis plus coaguli subierit, eò plus colostri concrescere. quod enim ad hoc nonnulli dicunt, semen trahi à locis vteri, atq; ob eam rem multa generari pro numero locorum, & acetabulorum, quæ vnum non sunt, hoc plurimum abhorrere à veritate ait Aristoteles; cùm sæpè in eodem loco vteri gemini consistant (quod ante illum Hippocrates in opusculo de Superfœtatione memoriæ tradidit, scribens mulierem, quæ gemellos gestat, habere vtrosq; in eadem secunda) & in genere multiparo, cùm plenus fœtuum vterus fuerit, deinceps alium ab alio iacere visum sit. quamobrē aliter ipse ad quæstionem respondet, inquiens, quòd quemadmodum, cùm perficiuntur, & augescunt animalia, vniuscuiusq; magnitudo & ad maius, & ad minus præscripta est; vnde nec maiora, nec minora euadere possunt, quod etiam septimo Politicorum confirmauit; ita seminalis materia, ex qua gignuntur, indefinita non est nec in plus, nec in minus, vt ex quantalibet possint generari; propterea ob eam, quam attulimus causam, quæ plus secernunt excrementi, quàm satis sit ad vnius animalis originem, ijs fieri non posse, vt ex eo toto vnum gignatur animal; sed tot numero gigni necessariò, quot magnitudinibus debitis fuerint præscripta; enimuero maris semen, aut facultas in eo contenta, quemadmodum diuinè docet Aristoteles, non plus quicquam, aut minus constituit, quàm à natura sancitum est: si enim abundantius fuerit maris semen, aut plures contineat facultates, nihilo maius efficiet, sed potius contrarium agens, exsiccando corrumpet. neq; enim ignis quò plus fuerit, eò magis calefacit aquam, sed certus caloris terminus est, vltra quem si ignem augeas, nihilo reddes aquam calidiorem, sed facies, vt magis euaporetur, demumq; exsiccetur, & euanescat. Cùm igitur & fœminæ excrementum, & maris semen moderationem, & proportionem quandam certam inter se requirant, naturæ propterea fieri decreto, vt multipara animalia statim emittant, quod sibi conueniat; videlicet marem tantum, quod diuisum possit plura animalia constituere, fœminam tantum, vt possit ex eo plura constitui. Siquidem, vt egregiè docet Præceptor, „ ὥρισαι δύναμις καὶ τοῦ πάσχοντος, καὶ τῆς θερμότητος τῆς ποιοῦσης. „ idest præscripta, certaq; est virtus patientis, & caliditatis formatricis; neq; ex quālibet conceptus inchoatur, sed si aut parum, aut multum admodum sit, gigni non poterit. Lactis verò illud exemplum, vt ipse docet, simile non est; seminis enim calor non modò efficit quantum, sed etiam quale quid; at succi, & coaguli calor quantum duntaxat constituit.

Cap. 5.

Cap. 4.

Vera causa, cur enormem partum solus homo habeat, ex Aristotele affertur. fundamenta explicantur Aristotelicæ sententiæ.

Cap. 27.

IAm verò causa subtilissimè allata, cur vnipara alia sint, alia multipara; item cur vno initu plura constituantur; statim aggreditur Aristoteles discutiendum, quāobrem homo videatur ἐπαμφοτερίζειν, idest cum omnibus generibus ambigere, atq; vt iampridē septimo Historiarum notauerat, & multiparum esse animal, & vniparum. Inquit ergo philosophus, pulcherrimam hāc dissoluens quæstionem, ob sui corporis humiditatem, & caliditatem multiparum animal hominem esse. cùm enim seminis natura humida sit, & calida, quemadmodum abundè monstratum ab eo est secundo eiusdem operis (atq; hīc seminis nomine menstrua quoq; oportet intelligere) meritò euenit, quin etiam & necessariò, vt homo maximè humidum corpus, & calidū habēs, plurimum etiam seminis habeat; quod primo etiam de Animalium Ortu ab eo videmus animaduersum. siquidē seminis natura talis est, vt inquit Aristoteles: vnde & mul-

Cap. 4.

Cap. 2.

Cap. 20.

multiparum hac ratione animal oportet ipsum esse; quando multa gignere sit necesse, quę semine abundat. Nam & hoc est, quod ipse tàm crebro inculcat, sed præsertim septimo Historiarum, plurimũ omnium animalium hominem seminis emittere comparatione magnitudinis suæ, quod & de muliere etiam intelligẽdum est veritatem habere: quæ, vt idem docet, inter omnes fœminas plurimum sanguinis menstrui habet. fęminis enim purgatio menstruorum seminis exitus est, cùm menstrua non nisi semen sint inconcoctum, vt pulchrè idem quarto de Animalium Ortu admonet. Rursum è contra magnitudinis ratione pauciparum esse, & vniparum animal hominem oportet: dictum nanq; est superius de illius sententia magnitudinem corporis causam habere partus paucioris. Aristotelis verba hæc sunt iuxta Theodori conuersionem, ne cui ex meo sensu deprompta, non ex Aristotelicis disputationibus hæc videantur. Homo cum omnibus generibus ambigit: nam & vniparum, & pauciparum, & multiparum interdum est. sed maximè sua natura vniparum est. Humore profectò, caloreq; corporis multiparum est: seminis enim natura humida, & calida est; sed suæ magnitudinis ratione pauciparum, atq; vniparum est. Hæc philosophus pulchrè admodum, ac diuinè; quæ omnia firmissima apud ipsũ habent fundamenta, atq; adeò sensui explorata, vt ferè manu tangi videantur; calorem nanq; & humorem simul cum magnitudine philosophus homini impartit, quoniam hęc duo habet suæ substantiæ, ac naturæ ratione. Necesse nanq; fuit hominem & magnitudine excellere, & calore simul, ac humore propter nobilissimam formam, cuius est particeps; cùm enim & partes, & corpus totum instrumentum sit, & gratia animæ à natura fabricatum, vt idem primo libro de Partibus Animalium apertè docuit; nobilissimæ verò animæ plurimus, ac sincerissimus calor debeatur: quandoquidem prout nobilitate, ignobilitate ue animæ inter se differunt (quemadmodum secundo de Animalium Ortu scriptum video) ita & natura huius caloris differt: homo, qui nobilissimam formam, & animam nactus est, sincerissimi caloris plurimum necessariò debuit habere. Nam & propterea solus animalium omnium erectus est, vt quarto de Partibus docemur: cùm enim eius natura, atq; substantia diuina sit, tantum caloris ipsius anima adepta est, vt pondus possit sustinere. atq; tanta vis est caloris huius, vt pro illius mensura efficiatur, quemadmodum ibi scribit Aristoteles, cùm minus remaneat, qui efferat, plus autem terrenæ portionis supersit, vt corpus animalis tùm minoris magnitudinis, tùm etiam multipes formetur, demum expes, prostratumq; in terram præ inopia caloris proueniat; sensimq; procedendo ita degeneret, vt principium vitale, caputq; infra habeat; ad postremumq; immobile fiat, & sensu vacuum, plantaq; fit vice mutata, vt superiora infra, inferiora supra habeat.

Cap. 2. Cap. 5. Cap. 1. Cap. 3. Cap. 10.

Fusius Aristotelicæ opinionis ratio aperitur. Cap. 28.

PORrò autem si caloris plurimum, ac sincerissimum pro nobilitate suæ formæ habere hominẽ necesse est, humoris etiam plurimum, ac sincerissimum habere illum necessarium fuit; est enim humor caloris pabulum, vt passim scholæ clamant, atq; vt idem secundo de Ortu Animalium docuit, ea animalia perfectiora sunt, quæ calidiora existunt & humidiora. At hoc posito plurimum seminis habere debuit, cùm eadem seminis sit temperatio, ac natura, atq; ab his causis ortum ducat. Quæ autem semine abundant animalia, necessariò fœcunda sunt, ac multipara; itaq; rectissimè ab Aristotele dictum est, hominem humoris, & caloris ratione multiparum animal esse. Verùm quod animal caloris plurimum habet, necessariò etiam magnum existit, quæ clarissima præceptoris sententia est, tùm paulò supra loco memorato, tùm secundo de Animalium Ortu explicata, quo loco sic eleganter scriptũ legimus. Cuius rei causa est, quòd quæ nobiliora sunt, eadem sua natura magnitudinem sibi expostulant; quod non nisi calore animali fieri potest: quod enim maius est, id à facultate ampliore moueri necesse est. mouere autem calor potest. Quamobrem in vniuersum propè dixerim maiora, quæ sanguinem habent, quàm ea, quæ non habent; & incedentia, quàm stabilia. maiora, quæ semen genitale propter calorem, ac magnitudinem emittunt. quod & iampridem tertio de Animalium Partibus sic fuerat perbellè explicatum. Accedit ad hæc, vt magnitudo corporis eorum (ouipara intelligit) propè omnium minor viuiparis sit. Calor enim est, quod vim obtinet augendi; sanguinis autem copia caloris indicium est. Corpora etiam melius erigit. quamobrem homo cæteris erectior omnibus

Cap. 1. Cap. 1. Cap. 6.

» bus est, & viuipara reliquis quadrupedi-
» bus erectiora incedunt. Demum & antea
in Opusculo de Respiratione his verbis. Cap. 13.
» Causa habendi quidem quòd honorabilio-
» ra animalium plurem assecuta sunt calidi-
» tatem: simul enim necesse est & animam
» assecuta esse nobiliorem. honorabiliora e-
» nim hæc quàm natura plantarum. quapro-
» pter & maximè habentia pulmonem san-
» guineum, & calidum, & maiora magnitu-
» dinibus. Et quod purissimo, & plurimo
» vsum sanguine animalium erectissimum est
» homo. & sursum ad totius sursum habet
» solum, propterea quòd talem habet hanc
» particulam. Hæc Aristoteles; quæ latissi-
mè probant, hæc omnia, calorem pluri-
mum, corpus honorabilius, simulq; & cor-
poris ipsius magnitudinem, & ob dictas
causas humiditatem, demum honorabilio-
rem animam, & formam, ac præstantiorem;
& è cõuerso honorabiliorem animam, cor-
pus magnum, & honorabilius, & calidius,
humidiusq; se mutuo consequi. Cæterum
si homo suæ temperationis ratione magni-
tudinem expostulat, igitur & meritò pau-
ciparum, ac vniparum animal esse debet;
cùm magnitudinis ratione ob causas supra
allatas habeant animalia, vt paucipara, &
vnipara existant. quare & rectissimè Ari-
stoteles hominem vniparum, ac paucipa-
rum animal propter corporis sui magnitu-
dinem esse definiuit. His autem positis
sequi necessariò hominem insitum sua na-
tura habere, vt multiparum, pauciparum,
vniparumq; animal existat, ideoq; non so-
lùm vnum, sed duos etiam & plures mulier
vno partu eniti naturaliter valeat, idq; to-
tum illi suæ substantiæ, ac temperaturæ
ratione congruere, adeò vt tria illa homi-
ni naturalia existimanda sint, nemo arbi-
tror vocabit in dubium, qui cuncta hæc
animo versabitur: vt diuinum Aristotelis
ingenium admirari oporteat, qui hæc om-
nia in homine considerauit, illiusq; esse
propria verissimis, pulcherrimisq; ratio-
nibus ab intima ipsius natura excerptis de-
monstrauit. At enimuerò cùm iam causa
de philosophi mente allata sit, cur enor-
mem partum, & varium homo habeat sua
natura; ac proinde ex duabus disputatio-
nis huius initio propositis quæstionibus,
prior soluta sit; superest modò altera diri-
menda, atq; de eiusdem opinione decer-
nenda, quamobrem enorme etiam tempus
habeat pariendi. qua in re eò maior adhi-
benda nobis erit diligentia, quòd erudi-
tissimi ætatis nostræ viri, vt secundo libro
patuit, monimentis mandauere, se apud
nullum auctorem quæstionis huius nodum
inuenisse dissolutum. vnde Aristotelis ver-
ba afferenda sunt, & accuratè postmodum
ponderanda; præsertim cùm & simul quæ-
stionem hanc de partu octomestri, cuius
gratia negocium totum à nobis susceptum
est, aperiant, ac definiant.

Cur homini multiplex pariendi tempus sit à natura præfinitum ex Aristotelis sententia; item de causa longioris, & breuioris partus. Cap. 29.

ARistoteles quarto de Animalium Ortu Cap. 4.
causam quærens, cur homini multi-
plex pariendi tempus sit à natura præfini-
tum, post adducta superiori disputatione
verba, statim ita loquitur interprete Theo-
doro. Hinc tempus etiam vteri ferendi e- »
norme vnum hoc animal sortitum est. Cæ- »
teris enim vnum est tempus, homini verò »
plura sunt: quippè cùm & septimo mense, »
& decimo nascatur; atq; etiam inter septi- »
mum & decimum positis. qui enim octa- »
uo mense nascuntur, etsi minus, tamen »
viuere possunt. cuius rei causa accipi ex »
ijs, quæ modò explicauimus, potest. Di- »
xi de his in Problematibus. Hæc ille; ex »
quibus patet nullam aliam secundū ipsum
causam esse, quamobrem homo multiplex
pariendi tempus nactus fuerit, nisi hanc,
quòd sit sua natura & multiparum animal,
& pauciparum, & vniparum: siquidem hoc
posito, alterum hoc philosophus deducit.
inquit enim. Hinc tempus, & c. Et græcè »
διὰ δὲ τοῦτο, & c. quod est propter hanc »
causam, quæ scilicet modò est exposita. at
nulla alia vel fingentibus exposita occur-
rit, nisi hæc quòd homo multiparum sit,
pauciparum, vniparumq; animal. enimue-
rò qua vniparum est, nono, & decimo men-
se parit; & ratio est, quoniam vnipara ma-
iora sunt, ob id enim, vt diximus, sunt
vnipara: at maiora longiori egent tempo-
re, vt maturescant, & perficiantur. proin-
de Aristoteles infra eodem libro notatum Cap. 10.
reliquit, tempora ferendi vteri pro magni-
tudine animalium, quæ generantur, de-
scripta esse; maioraq; tempore diuturnio-
ri in vtero gestari. haud enim, vt ipse in-
quit, tempore breui constitutiones perfici
magnas vel animalium, vel quorumuis alio-
rum ferè facile est: quapropter equi, vt
idem notat, & quæ his cognata sunt ani-
malia, quanquam minus temporis viuunt,
vt etiam Problematum Sectione decima Prob. 11.
L dictum

dictum est, diutissimè vterum ferunt; alia nanq; annum, alia quod plurimum menses denos grauida exigunt: quod sanè postremum ferendi vteri tempus non equo tantùm cognatis animalibus, sed homini quoq; commune esse eadem Sectione notatum inuenimus. Hac eadem de causa elephantorũ etiam vterus diutinus est, vt adiungit Aristoteles; biennio nãq; gestatur propter magnitudinis exuperãtiã. Nec aliquẽ turbet, quòd in priori memoratæ Problematũ Sectionis loco Aristoteles videatur in aliud, quàm in ipsam animalium magnitudinem causam referre partus longioris, ita scribens. Sed non vniuersaliter id est. equus enim vt tardius maximè quàm homo parit, sic viuere minus potest: cuius rei causam vuluæ, seu vteri durities habet. Quo modo enim ager sitiens haud citò suas stirpes enutrit, sic durior vulua equarum in formando, nutriendoq; suo fœtu remoratur. Nam primùm illud considerare oportet, in Problem. philosophum non tàm veras, quàm populares, & vulgatas sequi opiniones, non tàm suas exprimere, quàm aliorum. Sunt enim hi libri encyclij non acroamatici: ex quò & quæ in illis habentur, plerunq; dissident ab ijs, quæ in grauioribus libris ab eo definiuntur: vt nil sit etiam mirum si paulò post eadem Sectione numerosi partus causam in vteri locos referat; quod tamen libro quarto de Animalium Ortu penitus reiecit. Nam sic eo loco scripsit. An quòd alia vuluas, siue vteros continent multos, totidemq; loculamenta? At libro quarto de Animalium Ortu sic, vbi iam suam sententiam aperiebat. Semen igitur trahi à locis vteri, atq; ob eam rem multa generari pro numero locorum, & accetabulorum, quæ vnum non sunt, opinari nihil rationis est. Vt si ex eis, quæ in Problematis habentur, de philosophi vera sententia sit iudicandum, & grauiora ipsius dogmata pessundatum iri, & totã ipsius doctrinam conturbari sit necesse. Deinde & hoc alterum diligenter animaduertendum, verbis illis non causam vniuersalem breuioris gestationis, & longioris, quæ omnibus animalibus sit communis, explicari, sed tantùm quæ in equo hominis respectu locum habeat; in quo, tametsi magnitudo præcipuas habeat vires, vt hanc propterea solã quarto de Animalium Ortu hominem etiam & equum considerans philosophus attulerit: placuit tamen ei hoc loco non tàm exactè, quàm populariter disserenti, siccitatẽ, duritiemq; vteri afferre; vt quæ concausa etiam esse possit, & aliquo pacto simul cum magnitudine ad gestationem protrahendam in equo concurrere: sicuti & vteri loci concausa etiam partus numerosi esse possunt. cùm alioqui alia multa animalia diutius homine vterum gerant, in quibus durities vuluæ, & siccitas locum non habet. Sed ad institutum redeamus. Rursum qua multiparum animal homo est, breuiori tempore debet vterũ gestare; ideoq; septimo: videmus enim multipara breuiori vterum perferre. qua verò pauciparum est, ac medio se modo habet, tempore intermedio, proindeq; octauo. Itaq; de Aristotelis sententia, vt multa in paucis concludamus, ac nobilem tandem quæstionem hanc dissoluamus, insitum ideo habet homo à natura, vt incertis, ac pluribus mensibus pariat, quia naturaliter multiparum est animal, pauciparum, & vniparum: quoniam enim varia sunt tempora multipari, paucipari, ac vnipari partus (nam multipara breuiori tempore vterum ferunt, diutius vnipara, paucipara medio modo) idcircò hominem, qui cum omnibus ambigit, multiplex & varium pariẽdi tempus oportuit habere. rectè nanq; natura statutum est, cùm non vnum his animalibus tempus sit pariendi, vt quod animal cum illis omnibus ambigeret, & hac in parte in natura consentiret, in temporibus etiam ferendi vteri conueniret; & sicut illa breuiori, & longiori tempore partum edunt, ita & homini longius, breuiusq; esset tempus pariendi. quare & quatenus multiparum est, septimo mense partum edit, vt paulò supra dicebamus, tempore videlicet breuiori; quatenus vniparum nono & decimo, tempore scilicet diuturniori: nam & cùm decimum dico, nonum etiam Aristotelis more intelligo; qui idcircò fortasse nonum decima Problem. sectione prætermisit, decimum tantùm commemorans; demũ quatenus pauciparum mense octauo: videtur enim sic ferè multipari generis naturam induere, ab vniparo declinans. duo nanq; multa sunt, vt decimo Metaph. scriptum legimus, ideoq; necesse est, vt quatenus tale breuiori tempore vterum gerat. Sed aduersus hæc, quæ dicta sunt, & Aristotelis auctoritate definita, quòd solus inter animalia homo multiplex habeat tempus pariendi, hisq; de causis habeat, non leuis quædam oritur difficultas: idem nanq; Aristoteles libro sexto Historiarum canis texẽs historiam perspicuè dicit, canum alios

Prob. 64. *Cap. 4.* *Cap. 10.* *Prob. 40. & 64.* *Tex. 20.* *Cap. 20.*

vterum parte sexta anni, idest dies 60. alios parte quinta, idest dies 72. demum alios quarta parte vterum ferre, idest menses tres, ac dies nonaginta. Itaq; prorsus falsum solum hominem multiplex tempus habere pariendi. Sed facilis omnino est responsio; capitis nanq; initio sic philosophus orditur disputationẽ. " Canum autem " multa sunt genera. quod acutè contuens Scaliger Exercitatione ducẽtesima secũda contra Cardanum pulchrè notatũ reliquit, in ipso caninæ speciei ambitu multas diuersissimas ideas comprehendi, tàmq; diuersas, vt plus distet à Catello Melitæo Britannicus Canis, aut Leporarius, quàm à Ceraste Vipera; adeò vt interdum ne canis quidem videatur esse canis. Itaq; cùm singulis generibus suum cuiq; tempus gestandi à natura tributum sit, & alio laconicum genus, alio genus aliud, demum alio tertium genus tempore vterum ferat, & singula genera perpetuò eodem; non propterea sequitur vllum aliud animal præter hominem hanc habere proprietatem; cùm non vnum reperiatur genus animalium, sicuti & vnum hominum genus reperitur, quod hac sit proprietate donatum. Qua autem ratione canum, qui in vna specie collocantur, plura tamen genera hoc loco faciat Aristoteles, & quo modo id habeat veritatem, aliàs dabitur occasio differendi: nunc enim ad allatam ex Aristotele insignis huius in homine proprietatis causam magis, ac magis comprobandam est nobis redeundum.

Aliorũ opiniones de causa enormis temporis partus recensentur, ac refelluntur. nonnulla, quæ obyci possent, adducuntur. Cap. 30.

ELegans igitur hæc est, & vera causa, cur enorme tempus partus solus homo habeat, atq; ex intimis naturæ penetralibus eruta, demum Aristotelis ingenio digna; cum qua, si alias, quas cæteri commenti sunt, conferamus, statim omnes nullius esse ponderis appareat. Causabantur nonnulli, vt secundo libro vidimus, naturæ solicitudinem; at minima, vt liberè dicam quod sentio, naturæ solicitudo erga humani generis propagationem, atq; prouidentia, benignitateq; ipsius prorsus indigna, quod attinet ad septimestres fœtus, si Hippocrati fidem adhibemus, quòd vitales interdum eos producat, maximam verò eorum partem perire sinat; ex multis enim pauci seruantur septimestres, vt ipsi placet. item quòd ad vndecimum vsq; (vt interea octomestres prætermittamus) rarissimè partum permittat prorogari; quo fit, vt qui his mensibus in lucem veniunt, parum omnino, aut nihil possint humanum genus propagare. Quòd si dicamus hos etiam partus vt plurimum seruari; cur & hi ijdem non potuissent nono mense à muliere produci? nihilominus enim propagationi consultum videretur. itaq; vana, aut saltem non necessaria hæc prouisio. at natura nihil facit frustra, nihil superuacaneum. Prætereo nos efficientem causam, ac materialem quærere, cur humana species hac sit præ cæteris proprietate donata; quam verò isti à propagatione ducunt, ad finem pertinere: de qua quidem verius illud fortasse diceretur, quoniam melius est esse, quàm non esse, & viuere, quàm non viuere, vt secundo de Ortu Animalium ex Aristotele elicimus; natura verò vbi potest, semper melius agit; ideo septimestres, & octomestres eam producere, tametsi partus sint imperfectiores, & minus nonomestribus vitales, vt quoquomodo potest, quod melius est, assequatur. Quam verò nonnulli alij afferunt, asserentes, diuersum victum, quo vtuntur mulieres, multiplicis huius temporis esse causam: cùm enim diuersum fœtui alimentum suppeditetur, diuerso tempore videtur oportere ipsum maturescere; hæc minorem habet meo quidem iudicio firmitatem. Nam primùm videmus maximam mulierum partem, tametsi non eadem victus ratione vtãtur, sed diuersis alantur cibis, vt plurimũ tamen ijsdem temporibus vterum gestare; deinde videmus etiam si ijsdem nutriantur, vt de infimo genere natis mulieribus dicere oportet; quarum victus ratio eadem est ferè, vel parum diuersa; nihilominus multiplex hoc pariendi tempus eas retinere; ac vel septimo, vel octauo, vel nono partum edere. tandem cernimus vnam & eandem mulierem, etsi eodem vtatur victu, non ijsdem tamen mensibus partum perficere. vt prætercam brutorum pleraq; specie inter se diuersa, varium maturitatis tempus esse nacta, licèt ijsdem ferè, vel parum certè diuersis nutriantur; alia verò inter ea esse, quæ tametsi diuersis vtantur alimentis, idẽ tamen pariendi tempus habent. Sed & altera hæc ratio hanc mirificè vexat opinionem; etenim tàm varium, tàm multiplex, tàm incertum, ac pro locorum etiam ratione tàm diuersum, quàm victus est varietas, & alimoniæ, eosdem semper menses

Cap. 1.

non potest sibi definire, sed & ante septimum, & post vndecimum necesse esset partum maturum naturaliter efficere. at hæc temporis latitudo certa homini est, ac præfinita, neq; potest septimum præuenire naturaliter, neq; decimum ferè transire, quãtiscunq; varijs cibis nutriatur; itaq; certam habeat causam est necessarium. Verùm obiecerit aliquis, & tempestatem, aerisq; temperiem, & loca, & hanc ipsam alimenti varietatem plurimum posse ipsomet teste Aristotele in animalium generatione: ita vt facilè varia reddere valeant tempora ipsa maturitatis; cùm, quod ad auium tempus spectat, Aristotelis sententia sit sexto libro Historiarum, aues excludere celerius incubantes æstate, quàm hyeme; ideo æstate gallinas duodeuigesimo die fœtum excludere; hyeme aliquando vigesimoquinto: cùm tamen communissimus, ac frequentior terminus sit dies vigesimus; cuius rei causam tertio de Animalium Ortu in dierum teporem ab eo relatam video; quia formatio concoctio sit quædam, concoctio verò fit quidam calor, proindeq; iuuetur dierum tepore, & ideo celerius ad finem perueniat. quod idem & in reliquis animalibus, ac etiam in homine locũ habere posse, videtur consentaneum; & satis clarè ostendit, celerius, ac diutius ambientis ratione, quàm statutum sit tempus, & consuetum, partum posse maturitatem adipisci. Quod verò ad loca pertinet, ac nutrimentum, idem ipse scribit Aristoteles & decima sectione Problem. & sexto, septimoq; Historiarum in Magnesia, & Apulia oues ob cęli clementiam, ac teporem, ob pabuliq; vbertatẽ bis in anno parere, quin etiam & eandẽ ob causam geminos edere; in Aegypto columbas duodecies parere; mulieres sæpè geminos. & eodem sexto libro paulò supra de piscibus loquens, eisdem piscibus non eisdem locis degentibus, nec coeundi, ferendiuè tempus esse idem, nec fœtificandi, aut proficiendi. & libro quinto de suibus sermonem habens, non omnibus locis eandem in coeundo ætatis esse rationem; ac paulò supra teporem, ac pabuli vbertatem efficere, vt nonnulla animalia sæpius coeant. demum libro quarto de Ortu Animalium regionem aliam ab alia alimenti, cibiq; ratione in generatione, sterilitateq; , & maris, fœminæq; procreatione plurimum differre; adeò vt diuersis regionibus contraria penè contingant. quæ omnia loci, ac nutrimenti ratione varium, ac multiplex partus tempus reddi posse, ac partum multiplicem, probare videntur; proindeq; causam ab alimoniæ varietate sumptam probabilem reddunt. quò etiam & illud spectat, quod quinto de Animalium Ortu habemus, animalia magis esse colore varia, quæ vario magis cibo vescuntur; vt non videatur præter rationem, si ciborum diuersitas alteram speciem ab altera, quin etiam & alterum indiuiduum ab altero, vt bouum exemplo docet Aristoteles, colorẽ differre facit, hanc eandem causam mulierem vnam ab altera, in alijs quoq; accidentibus, ac proinde in gestatione diuersam reddere posse.

Cap. 2. 3. — Cap. 2. — Prob. 46. — Cap. 4. 19. — Cap. 4. — Cap. 17. — Cap. 14. — Cap. 8. — Cap. 2. — Cap. 6.

Superius allatæ dubitationes dissoluuntur. aliorum nonnullorum opinio de causa enormis temporis partus reijcitur. Cap. 31.

SEd hæc facillimè refelluntur, cùm nihil superioribus officiant; enimuero ambientis teporis, ac alimoniæ ratione (siue huius rei causa locus sit, ac regio, & terræ qualitas, ipsiusq; ad cœlum positus; siue tempestas) posse aliquantulum fortasse cõformationem reddi celeriorem, nos quoq; cõfitemur; vt nil sit mirum si ambientis tepor per aliquot dies ocyorem reddat pulli exclusionem: quod & in partu quoq; humano locum habere posse omnino non repugno; vt scilicet exempli gratia septimestris, octomestris, nonomestris, vel decimestris, citius fortasse, aut serius per nonnullos propterea dies oriri valeant: verùm quòd hæc causa per insigne dierum interuallum vnius etiam & eiusdem mensis partum possit varium reddere, ac longè minus septimestrem natura octomestrem, vel nonomestrem, & è contra natura nonomestrem septimestrem, vel octomestrem possit efficere; aut quòd partus terminos à natura constitutos breuiores reddere valeat, vel longiores; item quòd vniparum tantùm sua natura animal, pauciparum, vel multiparum possit efficere; non concedo. cuius rei & illud firmissimum argumentũ est, quòd & in illis quoq; regionibus, in quibus cœli tepor, & alimenti vbertas crebrius parere quædam animalia cogit, & plures parere, id in illis tantùm operatur, quæ paucipari, ac multipari naturam habent, nec equum, bouem, camelum elephantem plura parere cogit: item gestationis tempus huiusmodi causa varium non reddit, vnde & in Magnesia oues, vbi in anno bis pariunt, ac geminos edunt, faciũt autem id, quoniã sua natura paucipare existunt,

ſtunt, eodem menſium interuallo, quo & apud nos, vterum ferunt; quod idem in humano partu locum habet. Nam in Aegypto, ac in alio quocunq; loco, in quo hæ cauſæ efficacius agant (de qua re ſequentibus libris quædam diſſeremus) ijſdem mẽſibus partus matureſcit, eandemq; ſeruat tùm in numero, tùm in tempore varietatem. quod enim Ioannes Leo Apher libro octauo narrat, oua, quæ ad Cairum in furnis excludũtur temperato igne calefactis, ſeptima die pullos edere, omnino fabulam eſſe arbitror; cùm tàm breui temporis interuallo pulli corpus formari nequeat; vt non immeritò Scaliger aduerſus Cardanũ, qui hanc tota pro vera venditat narrationem, dierum hunc numerum diſsimulauerit. Præterquàmquòd ex pullorum, auiumq;, vel alterius ſpeciei tempore articulationis, & geſtationis, de articulationis, & geſtationis humanæ tempore non poteſt iudicari, vt libro ſexto vberius monſtrabitur. Quæ verò de piſcibus afferrebantur, ac alia omnia; eadem lege veniunt intelligenda. neq; enim inquit Ariſtoteles aut pabulum, aut locum geſtationem piſcium reddere celeriorem (nã, vt toties ex quarto de Animalium Ortu diximus, nihil niſi ſuo tempore oritur) ſed tempora partus varia reddere, vt apertè Gracculorum exemplo ipſe docuit; qui, cùm alicubi autumno parere ſoleant, ob loci, ac pabuli varietatem nonnunquam tempore meſsis fœtum excludunt; nimirum quia antea etiam conceperunt, quàm cùm ad autumnum partũ differunt: vt meritò ſcripſerit philoſophus eiſdem piſcibus nec coeundi, nec ferendi, nec fętificandi diuerſis locis idẽ eſſe tempus. nam variato coitus tempore alia, quæ ſequuntur, varia reddi, geſtationẽ ſcilicet, ac fętificationem eſt neceſſe. Quæ verò poſtremo loco de varietate colorum ex cibis varijs orta obijciuntur, nullius ſunt momẽti. Ariſtoteles enim alimenta varia cõcauſas eſſe vult maioris varietatis, non tñ cauſas ſimpliciter, & cauſas varietatis; ſiquidem intelligit primùm τὸ ὅλῳ τῷ γένει ὑπάρχειν ἐν τῇ φύσει τὸ μὴ μίαν ἔχειν χρόαν, vt pulchrè ſupra dixerat, ideſt in talium totius generis natura ineſſe, ne vnum habeant colorem. nam & propterea dixit tranſire toticolora multò magis, quàm vnicolora tùm in colorem ſui generis ſimplicem, vt ex albis nigra, ex nigris alba reddantur, tùm in mixtum ex ijs: propterea addidit potiſſimum mutari, quæ natura ſunt toticolora, genere autem verſicolora ob aquarum potum, quas maximè alimenti ſubire rationem eiuſdem operis libro quarto docuerat. quare cùm inquit & cibos cauſas eſſe mutationis, & cibos varios maioris motuum, & excrementorum varietatis, ex quibus maior pilorum oritur varietas, ſine dubio intelligit in ijs animalibus id locum habere, in quorum natura ineſt, vt talem pati queant mutationem. ex quò & non ſimpliciter varios efficere motus ſcribit ciborum varietatem, ſed magis varios; nimirum quia cauſa ipſa varietatis prima in natura inſit animalis: vt iam pręcipuam cauſam in naturam ipſam referre philoſophus videatur. Cùm ergo obijcimus alimentorum varietatem geſtationis tempus varium poſſe efficere, reſpondemus varietatem quandam maiorem, vel minorem cauſare poſſe, quæ tamen naturales terminos non prætergrediatur, ſed non ſimpliciter ipſam varietatem; quam neceſſe eſt ab ipſa natura hominis ortum ducere, non ab externo aliquo ingrediente. quare ciborum varietas, vtpotè quæ à natura ipſa & agendi efficaciam, & in agendo moderationem ſuſcipiat, leges imponere geſtationi non poterit, nec ab ipſa natura impoſitas tollere, niſi aliquid monſtroſum contingat, & præter naturam. Itaq; cùm nec locorum diſtantia, variaq; temperies, nec varietas alimoniæ, neq; vbertas, maturitatis tempus alterare valeat, vt non ratione ſolùm, ſed & ſenſuum fide experimur, concludendum eſt nullam harum cauſarum locum habere poſſe. idemq; iudicium eſt de alijs cauſis à Gorreo, & Mercato allatis, quemadmodum libro decimo clarius patebit; videlicet de imaginatione, de formatione, ac motu: quæ omnia cùm perquàm varia in homine ſint, varium propterea partus tempus reddere dicunt. Nam & imaginatio non ſolùm magis varia in homine eſt aliarum reſpectu ſpecierum, ſed in ijſdem indiuiduis magnam recipit varietatẽ; quare affectionis huius, quæ ſpeciei propria eſt, ac in omnibus indiuiduis eadem, non poteſt eſſe cauſa. ab ijs enim, quæ ſpeciei propria ſunt, non huius, vel illius indiuidui, cauſa videtur eſſe ducẽda. quę ratio eorum etiam reijcit ſententiam, qui complexionum cauſantur varietatem; quæ vel ſola, vel longè maior etiam cernitur in humanæ ſpeciei indiuiduis: vt prætercam, ſi cuti altera eſt ſpeciei, maturitatiſq; complexio, altera ſexus, vt libro ſeptimo monſtrabimus, ſic & alteram eſſe complexionẽ indiuidui, alteram ſpeciei, ac maturitatis: &

Excr. 23.

Cap. 4.

Cap. 2.

tis: & ſicuti complexionum infinita eſt varietas, ita & pariendi tempus omnino incertum, ac varium eſſe debuiſſe; adeò vt etiam longè ante ſeptimum, & poſt decimum naturaliter homo naſci poſſet, quod à vero eſt prorſus alienum. Quanquam & hoc cōmentum vel ex eo pleniſsimè reijcitur, quòd ſic omnes, qui exempli gratia menſe nono oriuntur, mulieres omnes, quæ menſe eodem parturiunt, eiuſdem complexionis eſſe deberent, cùm tamen maximè complexionum varietate inter ſe differant. Quod verò ad formationem, ac motum pertinet, primùm dicere aliquis poſſet, ideo formationem, ac motum eſſe varia, quia tempora varia ſint, non è contra; deinde adhuc ſupereſt dubitandum, cur in ſolo homine & formatio, & motus hanc habeant varietatem; quare eadem locum habebit difficultas.

Aliorum quorundam confutatur ſententia de cauſa enormis temporis partus humani.

Cap. 32.

IAm verò quod ait Valeriola cæteris animalibus vnicum eſſe tempus ſtatutum pariendi, quia vno, ac ſtato tempore ad venerem concitantur; ſoli homini varium, quia varijs temporibus concumbendi deſiderio capiatur; hoc Ariſtotelis auctoritate facilè refellitur quinto de Animalium Hiſtoria hac de re ita ſcribentis. Homini maximè temporibus omnibus opportunus coitus eſt; atq; etiam plura alia pedeſtris generis, quæ cum homine viuunt, coitum nullo tempore aſpernantur; videlicet propter teporem, & pabuli vbertatem; quorum tempus etiam gerendi vteri breue eſt, vt, ſuis, vt canis, & volucrum, quæ ſæpius pariunt. quam profectò ſententiam decima Problematum ſectione confirmatam video. At hic manifeſtè Ariſtoteles alia etiam præter hominem animalia enumerat, quæ non vno, ac ſtato tempore, ſed varijs ad venerem concitantur, & tamen non varium, ac multiplex, ſed vnicum habent tempus pariendi, vt de ſue, & cane eſt manifeſtum. quo loco neq; hoc alterum tacitus prætereum, quod in ſuibus feris, & domeſticis contingit, omnino huius cauſæ falſitatem aperire: enimuero agreſtes ſues ſemel concumbunt, domeſtici ſæpè, vt adducta Problematum decima ſectione habemus, & tamen idem habent tempus geſtationis; quod Ariſtotelis eſt ſexti de Animalium Hiſtoria ſic loquentis. Numerus

Cap. 8.

Prob. 46.

Prob. 46.

Cap. 28.

partus, & tempus ferendi idem, atq; vrbanis. quare quòd varijs temporibus, aut vno, ſtatoq; ad venerem animal concitetur, nulla eſt cauſa, cur vnicum, ſeu multiplex pariendi tempus nanciſcatur. Nec firmiora ſunt, quæ Victor Trincauellius vir magnæ alioqui eruditionis libro primo Conſiliorum affert, vt hanc diſſoluat quæſtionem; volens quę ipſæ partus cauſæ ſunt, eas ipſas, cur ſolus homo enorme tempus habeat pariendi, eſſe cauſas; nimirum quia dictæ cauſæ plurimum euariare poſsint, nec eundem ſemper ſeruent modum, eandemq; rationem; vt propterea neceſſe ſit varijs temporibus humanum partum excludi. Enimuero cùm partus cauſas ipſe (quæ ab alijs allatæ ſunt in vnum colligens) pondus, molem nimiam, vteri anguſtiam, alimenti defectum, motum fœtus vehementiorem afferat; motus verò fœtus vehementioris ipſam fœtus maturitatem, & abſolutionem, quæ varijs temporibus euenit: quòd verò varijs accedat temporibus maturitas, ſexus differentiam, diuerſitatem complexionum, vterorum varia temperamenta, victus demum diuerſitatem cauſetur; hæ verò omnes cauſæ ſatis ex ſuperiori noſtra diſputatione reiectæ ſint; palàm eſt nullam harum cauſarum, neq; omnes ſimul, quòd varium homo habeat tempus pariendi, efficere poſſe. Quod verò idem ex Ariſtotele affert, vt varia vterorum temperamenta probet, equum homine diutius partum gerere ob vteri duritiem, quoniam ſicut ager ſiccus, ac ſitiens haud cito enutrit, ſic durior vulua equarum in formando, nutricandoq; ſuo fœtu remoratur; quòdq; aliquo modo in philoſopho inconſtantiam notare poſſet, qui, vt ſupra vidimus, longioris geſtationis cauſam in ipſam magnitudinem quarto de Animalium Ortu perſpicuè retulit: hoc quàm nihil ſit, iam ſupra vidimus. vt interim taceã, ſi vteri durities, ac ſiccitas cauſa eſt geſtationis longioris; in eadẽ muliere, quæ modò ſeptimo, modò decimo, vndecimoq; partum edit, vt Veſtiliæ exemplo apud Plinium ſatis patet, duritiem hãc modò adeſſe, modò abeſſe oportere; quo nihil leuius dici poteſt. Quare Trincauellium mihi non leniter mirari ſubit, quòd in tanta re definienda, & tàm graui riuulos ſit conſectatus, fontem ipſum relinquens; ſcilicet diſputationem libri quarti de Animalium Ortu, in qua tanquam in proprio loco ex propoſito hanc quæſtionem proponit Ariſtoteles, ac dirimit, & inter equum, & homi-

Conſ. 34.

Cap. 10.

& hominem, inter longioris breuiorisq; vitæ animalia similiter instituit comparationem. Quod verò idem ex Galeno asfert ad hanc dissoluendam quæstionem ex libro vndecimo de Vsu Partium, videlicet nullum animal homine differentes magis terminos in ortu suo habere, quia nullum animal negligentius se habet æquè dum concipit, & dum vtero gerit, neq; plures & maiores committit errores, qui & vteri, & fœtus corpus transmutare possint; id an sit Galeno dignum (si modò hæc ipse asseruit) doctis Viris relinquo iudicandum; cùm nil videatur absurdius, quàm rei naturalis, & quæ homini suæ naturæ, specificæq; proprietatis ratione conuenit, res accidentales & extrinsecas, casuq; euenientes pro causa subijcere. Demum hæc vna communis ratio aduersus has omnes causas ab alijs adductas vehementer pugnat; cùm enim hæc proprietas sit humanę speciei, omnibusq; indiuiduis congruens, vbiq; locorum in eis obseruata; vnde Albertus Magnus nono de Animalibus ita scribit. Est autem & hoc de proprijs accidentibus hominis, quòd fęminæ omnium aliorum animalium habent vnum determinatum terminum temporis, in quo pariunt, mulier autem sola habet terminos diuersos valde; sicuti nos in sequentibus ostendemus. tanquam propria affectio, non à quopiam externo dependere potest, sed ab ipsamet hominis natura, & à quodam intrinseco principio; quod diuinè con tuens Aristoteles non aliunde, quàm ex ipsius hominis natura, & substantiæ ratione tantæ rei causam afferendam esse existimauit. Nec me præterit causam ad alimoniæ differentiam pertinentem ante eos Albertum quoq; citato loco adduxisse hisce verbis. Causa autem, quia alia animalia similes propter cibi similitudinem habēt complexiones, & modos viuendi, & animæ accidentia. hæc autem omnia valde differentia, & dissimilia habet homo; & ideo etiam variantur omnia ea, quæ complexionem, & modum viuendi, & animæ accidentia consequuntur. Verùm hi animaduertere poterant eundem Albertum libro decimooctauo cecinisse palinodiam, atq; edoctum à Præceptore non aliter quàm nos impræsentia de re hac statuisse: ita enim scripsit loco illo verba enarrans Aristotelis. Homo autem est quasi intermedium animal inter duo genera: quorum vnum naturaliter generat multos filios, & aliud naturaliter vnum filium: eò quòd homo naturaliter generat vnum filium, sed propter superabundantiam caloris, & humoris aliquando generat filios duos, vel plures: sperma enim cùm sit calidum, & humidum multiplicatur ex calidis, & humidis, & hæc homini accidunt prę alijs animalibus. Et hęc est etiam causa, quòd tempus imprægnationis hominis incertum, & indeterminatum est plusquàm animalium aliorum. aliorum enim animalium tempora imprægnationis sunt determinata: tempora autem imprægnationis hominis sunt multa, & diuersa. atq; in eandem sententiam summus peripateticus Auerroes in sua Paraphrasi locutus est; cuius verbis, & auctoritate rem hanc concludere iuuat. Hinc est (inquit ipse) quòd tempus vteri ferendi ipsius est diuersum à cæteris animalibus propter diuersam complexionem hominis in caliditate, & humiditate; & est inæquale in hoc. nam aliquæ fœminæ septimo pariunt mense, sed plerunq; in nono, aliquando verò in octauo. Hæc ille; quo loco complexionem intelligit speciei, & maturitati congruentē, non propriam indiuiduorum. quamobrem mirum profectò est quo modo recentiores omnes medici in hac causa indaganda, vt satis ex superioribus est manifestum, tàm longè à scopo, & ab Aristotelis mente aberrauerint.

Tract. 1. Cap. 4.

Tract. 2. Cap. 2.

Soluuntur duæ priores dubitationes ex duodecim supra positis, videlicet cur quinq; tantùm menses Aristoteles enumerauerit. item cur noluerit ante septimum, ac post vndecimi initium partum naturaliter edi. Cap. 33.

IAm verò, vt eò redeat, vnde digressa est oratio, intellecta philosophi opinione, causisq; ex eo expositis, quare solus inter cuncta animalia homo & multiplicem partum habeat, & multiplex tempus pariendi; non erit fortasse difficile ex duodecim dubitationibus supra propositis quinq; priores labefactare (reliquas nanq; septem libro quinto dissoluemus) item & cunctas alias diluere, quæ circa humani partus tēpora oriri possent; ita vt nullus relinquatur amplius locus dubitandi. Erat prima, & secunda dubitatio, cur quinq; tantùm menses Histor. septimo libro enumerati sint, à septimo videlicet vsq; ad vndecimum; & cur septimo primò ex Aristotelis sententia non ante, naturaliter vitalis partus humanus exeat, & maturus, vndecimi initium non possit pertransire.

Ad

Ad hoc quid respondendum sit, philosophi superiori disputatione ante oculos posita, simulq; hominis natura ab eo diuinè explicata, facilè patet. Positum superius est, hominem seminis ratione multiparum esse animal, ob suam verò magnitudinem vniparum; insuper multipara breuius tempus, paucipara, & vnipara lõgius in gestatione sibi exposcere; adeò vt contraria in illo omnino conspirauerint. verùm hæ causæ simul iunctæ sicuti faciunt, vt homo diuersa habeat tempora fœtus maturescendi, ita & vt hæc ipsa tempora nec longissima habeat, nec breuissima, operantur. videntur enim se simul coeuntes vicissim quodammodo impedire, ac altera alterius vim remittere; ita vt magnitudo adiuncta calori, ac humori, seminisq; vbertati, non permittat, vt tempus huic temperamento congruens breuissimos limites recipiat; sicuti & hæc ipsa causa magnitudini commixta non sinit ipsam magnitudinem longissimos maturitatis terminos habere: at animalium illorum, quæ simpliciter multipara sunt, ac paucipara, & quæ vel nullam, vel minus habent contrariam causam adiunctam, tempus ferendi vteri quatuor, ac quinq; mensium interuallum æquare solet, ac sextum ferè etiam mensem attingere; vt suuium, quæ, licèt bisulcæ, inter multipara quarto de Animalium Ortu enumerantur, ouium, caprarumq; exemplo, quæ paucipara animalia sunt, sexto de Animalium Historia addiscere possumus: itaq; necessariò homini, qui, cùm non sit multiparum simpliciter animal, ob contrariæ causæ admixtionem debuit, etiam quã multiparum est, aliquanto longius gestationis tempus accipere, non potuit breuius tempus quàm septimus naturaliter congruere. præterquàmquòd & periodi cælestis ratio huic mẽsium termino adnexa est; vt rectissimè natura tàm insigne, ac nobile interuallum primum maturitatis terminũ tàm insignis, ac nobilis speciei esse decreuerit: qua de re libro sexto disputabitur. ac mensis septimi nomine initium quoq; ipsius oportet cum Hippocrate, vt supra monuimus, intelligere; qui à Iureconsultis receptus die 182. cum semisse maturum prodire partum posse, septimi scilicet mẽsis initio definiuit; cui & Galenus, & alij deinde omnes subscripserunt. Similiter cùm illorum animalium, quæ simpliciter vnipara sunt, nec vllam habent oppositam causam admixtam, tempus gestationis annuum ferè esse videatur; vt bouis, equi, asini, cameliq; exemplo sexto libro de Historia Animalium fit perspicuum; homini, quia non est absolutè vniparum animal, tàm longius tempus non potuit cõuenire; itaq; aliquanto breuius etiam quã vniparum necessariò nactus est; quale decimestre spatium esse videmus, & vndecimi mensis initium. Constat igitur mense ineunte septimo, non citius, aut tardius humanum partum primò vitalem edi, ac naturalem, quia magnitudo calori, & humori iuncta materiam breuiori spatio maturescere non patitur; humor, & calor magnitudini permixtus longius esse non permittit. si enim longius esset, causa ab humore, & calore pendens, nil posse videretur; vt meritò scripserit in sua Paraphrasi super quarto de Animalium Ortu Auerroes, septimestre spatium minus esse tempus, vt ipsius ore loquamur, in quo possit perfici figura hominis. quam sententiam Alexander Problem. libro secundo videtur sequi, Auicenna tertio Fen. vigesimaprima apertè recipit, ac post illum Albertus. Constat rursus vltrà vndecimi initium partum humanum non posse prorogari; quin potius ad hunc terminum vix, & raro peruenire; quia caloris, humorisq; temperatio magnitudini admixta in longius tempus proferri partum non admittit; ita vt magnitudo ipsa tardiorem reddat congruentem calori & humori maturationem; calor & humor celeriorem faciat magnitudinis propriam maturitatem; qui termini cũ tres intermedios menses comprehendant, iure quinque tantùm enarrati menses septimo de Historia Animalium ab Aristotele numerantur.

Cap. 4.

Ca. 18. 19.

Ca. 21. 22. 23. 26.

Prob. 42.

Nonnullorum reijcitur circa incertitudinem temporis humani partus opinio. Tres afferuntur dubitationes. Cap. 34.

HInc autem perspicuè haberi palàm est, eos omnes, qui vel ante septimum, vel ad vndecimi finem, vel duodecimo, decimotertio, & decimoquarto (quod Anicenna, & Conciliator tradiderunt) partum humanum naturaliter nasci opinantur, ab Aristotelis dogmatibus mirandum in modum dissentire; cùm hi omnes partus monstrosi, ac præter naturam sint dicendi: vt egregiè hallucinatus Cardanus videatur, cùm libro primo Contradicentium Medicorum scriptis mandauit, Aristotelem decimoquarto mense partum excludi voluisse; cuius oratio ita habet. At contra philosphus ait,

Tract. 3. contrad. 8.

Pueri

" Pueri nascuntur nono, & decimo, & vndecimo mense, quidam etiam decimoquarto. Nec minus illi peccant, qui ex philosophi sententia nullum certum esse homini pariendi, nascendiq; tempus probare nituntur; cùm, sicut ab initio septimi ad initium vsq; vndecimi maxima est homini, vt Aristoteli placuit, nascendi, pariendiq; incertitudo, ita & vltrà, citraq; hos limites maxima sit illi, vt firmissimis rationibus idem docuit, non nascendi, non pariendiq; certitudo; si modò naturæ ordinem, ac legem in ortu retinet. quorum certè ad id probandum triplex illa ratio, quam afferunt, fœtus scilicet temperamentum, vteri forma, & alimenti quantitas quantum roboris habeat, abundè superiora docuerunt. cùm satis clarum sit temperamẽtum ipsum, & hoc quidem speciei proprium, à quo quidem maturitas ipsa pendet, non autem indiuiduorum, vt ipsi videntur intelligere, quia varium in humana specie sit, latitudinem temporis quandam humano partui afferre, proindeq; incertitudinem; sed tamen, quia limites illi statuti sunt à natura in hac sua latitudine, vltrà, & citra quos nequeat aduenire; afferre pariter & certitudinem: ipsum verò vterum, & alimentum, nisi aliquid contingat præter naturam, neq; celeriorem, neq; tardiorem partum reddere posse; cùm partus tempus omnino à maturitate pendeat. vt iam, cùm dicunt, cur non sit homini statutum tempus pariendi à nullo esse explicatum, si secundo modo intelligunt, sciant id explicari nullo modo posse, quia naturæ lege sit omnino illi præfinitum: si primo modo, id præclarè, & diuinæ, vt reliqua, à Præceptore iam pridem fuisse explicatum. Hinc rursus apertissimè colligi, nihil eos docere, qui, cur terminus septimo breuior, diuturnior vndecimo nõ detur, analogiam agentis ad materiam causantur, satis est perspicuum: nam & adhuc relinquunt inquirendum, quare agens ad materiam hanc habeat analogiam; cuius tamen rei causam non modò quęrendam non esse clamant, sed etiam penè minantur (qua de re nonnulla dicemus sexto libro) affirmantes neminem in dubium vocare, nisi insanus sit, cur tantum ignis tantum roboris consumat in hora vna. quæ quidem analogiæ ratio, & causa his intellectis, quæ nos posuimus, facillimè percipitur. Sed tres oriuntur hoc loco aduersus ea, quæ dicta sunt, minimè dissimulandæ dubitationes. Primùm si homo multiparum natura est animal, vt Aristoteles citato capite quarti de Ortu Animalium disseruit; rursusq; eodem libro infra de superfętatione agens his verbis liquidò confirmauit. ὁμοίως δὲ διὰ τὸ τὸν ἄνθρωπον φύσει πολυτόκον εἶναι. quod est. " Similiter autem quia homo multiparum sit sua " natura animal. septimestre spatium non videtur illi quatenus multiparum animal rectè congruere; quandoquidem ea animalia, quæ simpliciter multipara sunt, sunt autem hæc, vt plurimum multifida, vt adducto loco idem docet, videlicet canis, lęna, lupa, vulpes, vrsa ac similia; omnia hæc non diutius vtero gerunt, quàm vnius mensis, aut duorum interuallo, quemadmodum sexto libro de Animalium Historia scriptum legimus. Quæ autem simpliciter natura paucipara sunt, quæ & bisulca esse videntur; vt oues, capræ, & reliqua, quartum, quintumq;, ad summum sextum mensem attingunt in gestatione; vt ex eodem sexto de Historia Animalium cunctis pernotescit. quare tempus septimestre tanquam his omnibus longius, secus quàm supra à nobis ex Aristotele definitum fuit, homini potius vt vniparum est animal conueniet. Secundo quod ex eodem philosopho diximus, solum inter omnia animalia hominem hac esse donatum proprietate, vt vniparum, pauciparum, multiparumq; sit animal, ideoq; tanquam contrarias causas admixtas habentem iam dictos pariendi terminos esse nactum, ipsomet teste videtur falsum; siquidem Aristoteles sexto libro de Historia Animalium de balena, & delphino loquens, & vnipara, & paucipara proprietate donata esse hæc animalia scribit: inquit enim. " Delphini singulos magna ex parte edunt, interdum tamen & binos. Balenæ vel binos compluri- " mum, magnaq; ex parte singulos procre- " ant. nec tamen propterea docet diuersa habere tempora pariendi, sed vnicum tantùm; cùm delphinum decem semper gestare menses afferat; nec mensem, terminumq; alium quà paucipara sunt, alium quà vnipara illis conuenire: vt nec fundamenta firmiter iacta, nec firma ratio esse videatur, quam ex eis supra attulimus; quòd videlicet solus homo hanc habeat proprietatem: item quòd ob harum causarum contrariarum admixtionem septimus, ac decimus termini sint pariendi homini à natura constituti. qui etiam locus hac altera de causa nos mirificè vexat. cùm enim balena miræ magnitudinis sit animal, vt Plinius quoq; libro nono Naturalis Historiæ

Cap. 5.

Cap. 6.

Cap. 12.

Cap. 3. 4.

storiæ testatur, mirum etiam videri omnino debet, & contra Pręceptoris axiomata, quòd binos gignere queat, & magna ex parte gignere. Iam enim supra ex Aristotele ostendimus magna animalia, ac longè minus maxima, qualem balenam esse ponunt, binos non posse naturæ lege procreare. ex quò & libro quarto de Animalium Ortu scriptum legimus, quæ inter animalia maxima sunt, ea singulos omnia parere, vt elephantem, camelum, equam; illisq; esse monstrosum, ac præter naturam, si geminos pariant. Vt prætercam, si illud verum est, quod notat Aristoteles, balenam scilicet vt plurimum duos parere, delphinum vt plurimum vnum; hac etiam de causa Aristotelicam mirificè nutare cõclusionem; cùm secus quàm ipse docuerit, balena longè maius delphino animal, plura; delphinus magnitudine longè minor, vnum vt plurimum pariat. quæ quidem omnes difficultates ex eo etiam confirmantur, quòd philosophus quarto libro de Animalium Ortu de sue sermonem habens, ita scribit. Hac igitur de causa & vnum parit, & duos, & quod plurimum multos: Si enim sus vnum, duos, multosq; parit, iam vniparum, pauciparum, multiparumq; animal censeri debet, nec tamen ob hanc causarum contrariarum comixtionem diuersa videmus illi tempora pariendi impartita, terminosq; varios simili, quam dicebamus, in homine ratione cõstitutos; quod & tertiam nobis, ne hoc alterum tacitus prætercam, ante oculos ponit difficultatem: si enim sus talis est sua natura, quo pacto inter simpliciter multipara potest ab Aristotele enumerari? siquidem memorato loco, & paulò supra multiparum simpliciter animal ipsam facit: dicit enim. Sola inter multipara sus parit perfectos. Et dũ causam inuestigaret, cur animalium alia vnipara, alia multipara sint, alia verò paucipara, idem confirmauit ita scribens. Bisulca pauca generant præterquàm sus. hęc enim inter multipara est enumeranda.

Cap. 4. / Cap. 6. / Cap. 4.

Prior soluitur dubitatio. Cap. 35.

VErùm illis, qui sic objiciunt, ita respondendum; facilis enim superioribus intellectis via occurrit resistendi. Dicimus igitur ad primam, veram causam ocyoris, diuturniorisq; gestationis iuxta Aristotelis dogmata corporis esse magnitudinem, & paruitatem, quemadmodum supra monebamus, quod sic ipse perspicuè & eleganter quarto de Animalium Ortu explicauit interprete Theodoro. Tempora ferendi vteri pro magnitudine animalium, quæ generantur, descripta sunt. vt proptereà sexto Historiarum de auibus agens affirmauerit, & oui generationem post coitum, & ex ouo rursus concocto pulli ortum non pari temporis spatio euenire omnibus; sed iuxta generantium magnitudinem differre: nimirum quia maiora diuturniore tempore, minora breuiore & ouum producant, & ex ouo pullum; id verò ita fiat, quoniam maiorum oua, & pulli maiora sunt, minorũ minora necessariò; cùm quòd gignitur generanti simile existat. Cur autem solus crocodilus fluuiatilis maximum videlicet animal minima origine nascatur, vt quinto Historiarũ notat Aristoteles, quod & ante illũ in Euterpe admonuit Herodotus: ouum .n. non maius quàm anseris parit, & fœtus inde excluditur proportione, sed tamen crescit ad septendecim cubita; dicetur aliò loco. Hoc posito, atq; recepto, quod etiam in superioribus iampridem ex Aristotele accepimus; cùm animalium alia maiora sint, alia minora, alia mediocria vt idem admonet; homo autem inter maiora collocetur; si quæ paulò supra disseruimus animo versabimur, in homine videlicet contrarias causas simul esse iunctas, quæ sese vicissim videantur impedire, facilis erit huius nodi dissolutio. cùm enim magnitudo, tanquam ea cuius ratione tempus gestationis definitur, plus possit in agendo; hæc in homine præualens non permittit, vt tempus, quod ei vt multiparum animal conuenit, breuius esse mense septimo possit. sunt enim duæ in homine causæ, quæ gestationem reddunt longiorem; paucipari scilicet ratio, ac vnipari: nam & paucipara diutius vterum sua natura gerunt quàm multipara; ex quò & oues, & capræ quintum attingunt mẽsem, vt sexto libro de Historia Animalium admonemur, ceruæ octo ferunt, quæ paucipara esse animalia dicuntur (quanquam ceruæ vnum vt plurimum pariunt, oues verò & capræ & ternos interdum, & quaternos etiam edunt) quod facilè illorum redarguit errorem, qui octauum mensem parturitioni inimicum omnino censent; si enim ita esset, non hominibus tantùm, sed cunctis alijs animalibus, proindeq; ceruis esset præter naturam. Cùm igitur objicimus, hominem quatenus multiparum animal breuiorem septimo gestationis terminum habere debuisse; patet objectionem

Cap. 16. / Cap. 2. 3. / Cap. 33. / Cap. 19. & 29.

esse nullam; quoniam id locum habeat, in his, quæ simpliciter sunt multipara, nec vllam habent contrariam causam admixtã, vt supra dicebamus. cùm adhuc resistimus septimestre spatium nulli multiparorum, vel pauciparorum animalium esse datum; hoc ex eodem fundamento labefactamus: tametsi enim id in simpliciter multiparis & pauciparis verum sit, & in quibus nulla est causæ contrariæ admixtio; in homine tamen, qui adiunctam habet contrariam causam, huiusmodi tempus longius idcircò esse oportuit, ideoq; & tempus, quod simpliciter multiparis conuenit, longè superare. nec vllum est absurdum, vt tempus illud, quod vnius respectu pauciparo congrueret, alterius respectu multiparo conueniat; sicut & mediocre animal maiori comparatum minoris induere naturam videtur. Vnde & septimestre spatium, quod tempori multiparorum simpliciter animalium comparatum, vniparorum, aut pauciparorum potius proprium esse videretur, iure & meritò homini (qui tãquam sua natura existens maximè vniparum animal, ac magnitudinis suę ratione pauciparum, atq; vniparum, vt supra ex Aristotele definiebamus, tempus vel longè diuturnius requirit) vt multipari animalis induit naturam dicitur conuenire; huic ipsi diuturniori tempori comparatum. Quod verò supra dicebatur, septem mensium interuallum ne dum pauciparis animalibus competere, nõ solùm multiparis, ceruarum exemplo falsum esse deprehenditur; quæ gestationem habent longiorem, & bisulca sunt animalia, & paucipari induunt rationem, tametsi vnipara magis esse videantur; quoniam & binos, vt sexto Historiarum dictum est, aliquando excludunt, & bisulca omnia monente quarto de Animalium Ortu Aristotele præter vnum suem sunt habenda in pauciparis. quæ etiam, cùm iam magnitudinis ratione vnipari animalis naturam plenius attingant, iure & vnum sæpissimè pariunt, vt sexto Historiarum notauit Aristoteles, & tempus ferendi vteri, etiam qua paucipara existunt animalia, diuturnius quàm capræ, & oues, quæ longè corpore minores sunt, sibi exposcunt. vt rectissimè homini, veluti qui ob suam magnitudinem non paucipari solùm, sed etiam vnipari animalis maximè, & perfectissimè naturam induit, vt supra dicebamus, hac ipsa ratione & gestationis tempus, quà etiam multiparum est, longè diuturnius conueniat, quàm animalibus illis, quæ simpliciter sunt multipara; proindeq; mensis septimus illi quatenus tali apprimè quadrare videatur.

Cap. 29. Cap. 4. Cap. 29.

Allata responsio confirmatur. item ad tollendam secundam dubitationem nonnulla præmittuntur. Cap. 36.

POrrò autem huius rei illustre habemus in partuum numero exemplum; qui sanè numerus in homine ob expositam causam longè minor est quàm in ijs, quæ multipara simpliciter existunt; siquidem Aristoteles libro septimo Historiarum de partuum numero agens, definire videtur, quinos tantùm vno coitu concipere naturaliter, & vno partu eniti mulierem posse; cùm alioqui quæ simpliciter multipara sunt, vt quinto, & sexto patet Historiarum decem, duodecim, ac fortasse plures concipere valeant, ac gestare. cùm enim dixisset, cùm alia animalia singulos pariant, alia plures, genus humanum esse in ancipiti; quodq; plurimum, & locis plurimis agitur, mulieres singulos parere, quanquam sæpè, & locis plerisq; geminos etiam edant, vt in terra Aegypto, ita subiungit. „ Pariunt etiam tres, & quatuor; & quidem „ locis nonnullis valde ita fit, quod dictum „ iam est. Sed quinq; complurimum nascun- „ tur: iam enim hoc pluribus euenisse con- „ spectum est. Huius nanq; rei causa ex his, quæ diximus, est manifesta; cùm enim homo non sit simpliciter animal multiparum, sed contrariam causam adiunctam habeat, immò etiam & magis; non potest suæ naturæ ratione plures quàm numero quinos concipere; eò quòd partus numerosior eorum sit proprius animalium, quæ multipara, & paucipara simpliciter existunt: vt hinc videas contrariæ causæ admixtionem, quantùm detrahit de partuum numero, tantùm addere necessariò tempori gestationis, quod homini, vt multiparum est animal, debet conuenire. Nec obstat, quod Aristoteles memorato sept. Hist. loco scribit, mulierem quandam duodecim numero fœtus per abortum eiecisse; cuius „ hæc sunt verba. Iam incidit, vt facta cor- „ ruptione duodecim superfetata puerperia „ egererentur. quandoquidem hoc loco de superfetatione sermonem philosophus habet; adeò vt duodecim illos fœtus non vno coitu, sed pluribus conceptos fuisse existimauerit. de qua quidem tota quæstione libro nono pluribus agemus. Secũdam difficultatem vt diluamus, illud in primis

Cap. 4.

animaduertendum, quod alibi diligentius (Deo dante) inuestigabimus, Aristotelem hasce vnipari, paucipari, multipariq; proprietates si nō solis fortasse pedestribus animalibus, certè maximè & primò illis impertiri: propterea libro quarto de Animalium Ortu in tota illa disputatione, in qua harū in animalibus proprietatum causas afferre profitetur, nullum de aquatilibus per singula genera habere verbum, nullam illorum mentionem, nisi quantùm generaliter hoc illis conuenire his verbis admonens. Non solùm autem in pedestribus, sed etiam in volatilibus, & nantibus magna paucipara sunt, parua multipara ob eandem causam. similiter autem, & plantarum, quæ maximę non sunt, plurimùm afferunt fructus. videtur significasse huiusmodi differentiā suo modo, & proportione potius quadam vt in plantis, quàm vniuocè in ipsis aquatilibus locum habere. cùm alioqui pedestrium ibi plura ab eo in singulis generibus recenseantur, vt in vniparo elephas, camelus, equus, ac reliquę solipedes; in pauciparo bisulca; in multiparo multifida, vt canis, leo, vrsus, lupus, vulpes, ac similia: aquatilium, nisi memoria me fallit, in dictis generib⁹ nullū. quæ etiam fortasse causa est, vt, cùm sexto libro Historiarum de aquatilium agit generatione, & partuum numero, nunquam natura vel μονοτόκα, vel διτόκα, vel πολυτόκα, ea esse dicat; secus quàm, cùm de terrestribus disserit, eum fecisse animaduertimus; vt præsertim in disputatione de asino, & camelo fit manifestum. Huius rei causam esse reor, quòd maris, aquarumq; animalia natura maiora, vegetiora, viuaciora, demùm infinitis partibus fæcundiora sunt quàm terræ; quod & decima Problematum Sectione, & libro tertio de Animalium Ortu pulchrè video explicatum: quo loco diuinè admodum docet Aristoteles (quod & nostram responsionem mirificè comprobat) quia longè vitalius sit humidum quàm siccum, aqua quàm terra, marinas plantas, quæ ostreæ sunt, nedum vita, sed etiam sensu ipso à natura esse donatas. Hinc quinto Historiarum scriptum legimus, pisces omnes celeri incremento perfici. Hinc tertio de Animalium Ortu oua eorum imperfecta esse, vt quæ foris augeantur, eademq; celeritate incrementum capere, eò quòd intus totum suum incrementum ob summam horum animalium fæcunditatem recipere nequeant; vt propterea ouorum multitudinem innumeram appellauerit Aristoteles; quorum etiam magnam partem sexto libro Historiarum interire memoriæ prodidit aut maris deuoratione, aut quia in humore pereant; addens si omnia seruarentur, fore, vt nimia cuiusq; generis esset copia: quæ sanè Præceptori tertio de Animalium Ortu finalis causa est tantæ piscium fęcunditatis. rependitur enim, & compensatur à natura ouorum interitus, vt ipse inquit, eorundem multitudine; eademq; fęcunditatis ratio in cetaceis, reliquisq; aquatilibus ob expositam causam locum habet.

Cap. 4.5.6. — Cap. 23. — Cap. 26. — Prob. 59. — Cap. 11. — Cap. 10. — Ca. 4.5. — Cap. 13. — Cap. 4.

Superiora plenius confirmantur, secunda, & tertia tollitur dubitatio. Cap. 37.

ITaq; cùm hęc aquatilium sit temperatio, hæc maris, ac loci sit natura, ex quo, & in quo gignuntur ac gignunt, nutriuntur ac nutriunt aquatilia; omnis autem tùm magnitudinis, tùm multiplicis, vel singularis partus causa ab animalis temperamēto ortum ducat, à loco, & alimento adiuuetur, vt decima Problematum, & libro quarto de Animalium Ortu quisq; bene oculatus elicere potest; nil profectò mirum si balenæ, & delphini, & vnum, & duo parere, & tametsi ingentia animalia sint, id sępè facere possunt; quod etiam de vitulo marino, magno itidem inter aquatilia animali, eodem loco pronūciat Aristoteles: vt iam quod de vnipari, paucipari, multipariq; differentia in superioribus ex ipso à nobis est disputatum, id vel eo non leuibus indicijs significante intelligendum sit in pedestribus, aut solùm, aut maximè habere veritatē, in aquatilibus suo modo, vt supra dicebamus. Hoc posito, & recepto fundamento, hoc alterum, quod ex eo sequitur, considerandum, si hæ differentiæ minus propriè in his animalibus locum habent, haud quaquam verè affirmari, sua natura multipara, vel paucipara ea esse simul, ac vnipara, tametsi non solùm duo, sed interdum vnum balenam parere dicat Aristoteles, delphinum non solùm vnum, sed duo aliquando: hoc enim nō ideo scribit, vt doceat sua natura hæc animalia paucipara simul esse, & vnipara; quod si voluisset, apertè, vt de homine fecit, explicasset; sed vt significet, licèt sua natura alterum pauciparum sit, scilicet balena, alterum vniparum, scilicet delphinus, aliquando tamen euenire posse ob diuersa accidentia, vt balena vnum, delphinus duo pariat: qua de re paulò infra de suę agentes nonnulla

Prob. 14. — Cap. 4.

nulla etiam dicemus. His igitur iactis fundamētis, patet difficultatem nullā esse; cùm enim hæ contrariæ causæ in his animalibus, vt in homine, vnà non conueniant; propterea neq; diuersa habent tempora pariendi, neq; menses, ac partus terminos ea ratione, quam in homine dicebamus, præfinitos. Nec propterea vllum est absurdum balenam maximum animal vniparam non esse, cùm id & suo modo illi congruat, vt superius declarauimus; & illud vniuersaliter in omnibus verum sit tùm plantis, tùm animalibus, quæ maiora sunt, fœcunda esse minus; quod Philosophus & loco memorato aquatilia exprimens admonuit, & primo eiusdem operis illustre nobis proferens de piscium fæcunditate testimonium, & eorum omnium, quæ modo dicebamus, causam explicans his verbis satis clarè significauit. „ Iam enim „ quæ oua pariunt diuersè pariunt: etenim „ alia imperfecta emittunt oua, vt pisces: „ foris enim piscium oua perficiuntur, & au„gentur; cuius rei causa est, quòd magna „ fœcunditas est; idq; munus eorum, vt stir„pium est. quòd si intra se fœtum perfice„rent, pauciora necessariò ederent; nunc „ vtero & tot continent, vt vulua vnum esse „ ouum in paruis quidem pisciculis videa„tur. sunt enim hi fęcundissimi, vt in cæte„ris quoq; tùm plantis, tùm animalibus e„uenit, quorum natura his proportionetur: „ in ijs enim magnitudinis incremētum ver„titur in seminis copiam. Hæc ille; quibus perspicuè docet pisces etiā, tametsi natura fęcundissimi sint, quò maiores extiterint (idemq; de cæteris aquatilibus est iudicium, quæ non ouum, sed animal intra se gignunt) eò minus esse fęcundos oportere; vt idcircò balenæ tanquam magnitudine insignes, ideoq; steriliores, ad summum binos tantùm parere valeant, quasi pro multiparis pauciparæ euaserint; sed binos tamen, quāuis corpore ingentes, quia tanquam humoris accolæ fertiliores pedestribus esse debuerunt, vt pro vniparis paucipari naturam videantur induisse: ex quò & mirus ipsius naturæ ordo in cunctis apparet, quæ rebus pro suo cuiq; captu munera dispensat. quam profectò veritatem Aristoteles suis omnino coloribus nobis pinxit loco quarti de Animaliū Ortu memorato, vbi ex aquatilium genere (balenam, vt reor, potissimum respiciens) maiora non quidem vnipara, sed paucipara esse dixit (quod de volatilibus quoq; similem ob causam pronunciauit) nimirum quia temperamenti, loci, & alimoniæ ratione pro vnipara natura pauciparam nanciscantur; scripsit enim. „ κὶ ἐν τοῖς πλωτοῖς τὰ μὲν μεγάλα, ὀλιγοτόκα, „ idest & in nantibus „ magna, paucipara existunt. quod Theodo„rus interpretans, & nantium magna parū „ fęcunda, videtur diuino philosophi artificio non exiguas tenebras offudisse. Quod verò de delphino objiciebatur, qui tametsi balena longè minor, solus fortasse videtur vnipari inter aquatilia rationem induere: quæ sanè difficultas vel ex eo augetur, quòd cùm agillimum sit, ac velocissimum animal, calidissimum simul & humidissimum esse oporteat; quoniam ceruarius lupus Aristoteli sexto libro Historiarum celeritate præstat, prosilitq; longius humiditatis ratione; ob quam etiam fortasse causam delphini proles velociter adolescit, vt eodem loco notatum video: quæ verò calidiora, humidioraq; sunt, prolifica esse necesse est: hæ inquam difficultates delphini natura animaduersa facilè dirimūtur. cùm.n., etsi agillimum quidem, & velocissimum inter cuncta & terrestria, & aquatilia sit animal, sit etiam & voracissimum simul, & ferè semper in motu ac labore; ex quò & de vtraq; re Aristoteles sic scribit octauo Historiarum. „ κὶ γὰρ ἡ τοῦ δελφῖνος ὀξύτης, κὶ δύναμις τοῦ φαγεῖν, δοκεῖ εἶναι θαυμαστή. „ quod est interprete Theodoro. „ quippè cùm delphini celeritas, & edendi „ facultas mira esse videatur. „ hinc fit, vt famelicus ferè semper existens, omne alimētum in sui corporis absumat nutritionem, vt paucum habere propterea semen sit necesse. Adde & siccioris fortasse temperamenti esse quàm balenam; quare & cùm magnus etiam corpore existat, quanquam sit aquatile, necessariò his de causis vnipari naturam debuit habere. quæ enim sicciora sunt, ac minus humida, & quæ alimento non abundant, necessariò etiam existunt minus fęcunda & prolifica; præsertim si ipsa accedat magnitudo. Itaq; & dubitatio nulla, & Aristotelis dogmata veritati summè consentanea, & quæ supra de limitum humani partus ratione disseruimus, omnino firma. Postremò quod de sue in hac secunda dubitatione opponebatur, superioribus receptis fundamentis vno verbo expedimus. Aristoteles enim dixit suem μονοτοκεῖν, & διτοκεῖν, his verbis vtens, non secus ac illum supra fecisse diximus, cùm de balena, ac delphino loqueretur, non pro eò, quod est vniparum, ac pauciparum natura esse animal, sed, vt non semel

Cap. 8.

Cap. 4.

Cap. 35.

Cap. 12.

Cap. 2.

ſemel conſueuit pro eo, quod ipſe dicere ſolet ἓν τίκτειν, ἢ δύο, ideſt vnum parere, ac duos. Itaq; non aſſeruit ſua natura eſſe ſuem animal vniparum ſimul, pauciparum, ac multiparum, ſed ſignificauit poſſe aliquando & vnum, & duos parere, licèt ſuæ naturæ ratione ſit multiparum, quod valde differt. Vnde & libro ſexto de Hiſtoria Animalium de vrſa ſermonem habens, quam inter multipara ſine vlla controuerſia ponit, & vnum, & duos parere illam quoq; memoriæ prodidit. cùm enim res naturales non raro euarient, præſertim quæ ad generationem pertinent, euenit vt hæc animalia interdum vnum, aut duos concipere, & geſtare poſsint; quod tamen illis non eſt ſecundum naturam, ſed quia vel ob cibi inopiam, vel ob temporis repugnantiam, vel aliqua alia de cauſa materia in generatione illis deficit: quæ ratio in balena quoq; & delphino locum habet; quorum alterum pauciparum natura exiſtens animal, ſi aliquo caſu materia illi deſit, vnũ gignit; alterum exiſtens vniparum, ſi ei fortè abundet, duo parit. Atq; hoc tertiam quoq; diluit dubitationem; cùm eodem ſenſu dixerit philoſophus ſuem vnum aliquando parere, ac duos, ideoq; illam inter ſimpliciter multipara enumerauerit; itaq; nulla eſt in eius dictis contrarietas. vt prætercam eo etiam ſenſu aſſeruiſſe Ariſtotelem ſolùm hominem eſſe multiparũ, pauciparum, vniparumq; animal, quia in ſolo homine horum effectuum cauſæ euidentius, efficacius, perfectiuſq; iungantur, ac locum habeant; vt harum affectionum & cauſarum vmbræ potius, ac veſtigia in alijs ineſſe animalibus videantur; quemadmodum etiam de cerua paulò ſupra dicebamus, quæ hanc ob cauſam non varium & multiplex, vt homo, ſed vnicum habet tempus pariendi.

Cap. 30.

Duæ aliæ ex duodecim ſupra allatis proponuntur ſoluendæ dubitationes, tertia ſcilicet, & quarta. Septimeſtris partus natura, ac temperatio ex aliorum opinione explicatur. Cap. 38.

ERant tertia, & quarta dubitatio, quare ſeptimo menſe geniti partus exiſtimari (quemadmodum diuinus admonet Præceptor) debeant imperfecti; eorumq; nonnulli infiſsis aurium, nariumq; meatibus, & inarticulatis oriuntur, ac nihilominus plures ex his ſuperſtites euadunt: item cur menſis ſeptimus, ac partus ſeptimeſtris præter nonum, ac decimum, partumq; decimeſtrem ſit reliquis perfectior; tertius locus octauo, & partui octomeſtri, quartus ac poſtremus vndecimo, vndecimeſtriq; debeatur; ita vt, etſi alius alio ſit magis naturalis, omnes tamen in menſium naturalium ſerie veniant collocandi; proindeq; octauus contra omnium ferè ſententiam naturalis, ac vitalis menſis cenſeri debeat. Has vt diſſoluamus, quæ, vt nemo non videt, ſummam negotij continent, neceſſe prius nobis eſt horum menſium, ac partuum naturam planius aperire; quod quidem obſcuriſsimum habet, ac difficillimum explicatum: quare enitendum efficiendumq;, vt aliquam huic rei lucem afferamus. atq; vt à menſe ſeptimo, ac partu ſeptimeſtri ordiamur; peruagata opinio eſt, eademq; vt multorum, ſic in primis nobilium, & illuſtrium auctorum firmata conſenſu, ſeptimeſtrem partum perfectiſsimũ eſſe, ac robuſtiſsimum, atq; ex maximè calida, ſiccaq;, & robuſta materia generari. quam ſententiam ſecundo Problematum libro Alexander videtur habuiſſe (nec tamen, vt arbitror, Aphrodiſienſis ille) dum ita ſcripſit. Naſci infantes menſe ſeptimo poſſunt, quoties vis formandi validiſsima eſt, & ſanguinem ſibi obtinet commodum; ſic enim ocyus rem perficere poteſt. Sed ſi è contrario eſt, decimo exeant neceſſe eſt. habet enim græcum exemplar, δύναμιν ἰσχυροτάτην, & αἷμα χρηστόν καὶ σύμμετρον. quæ verba ſignificant potentiſsimam eſſe virtutem, & ſanguinem optimè temperatum, ac diſpoſitum, virtutiq; robore reſpondentem. quo loco cùm adiungit Alexander, ſi è contrario ſit, decimeſtrem produci; partum hunc ex imbecilliſsima virtute gigni, & ex ſanguine maximè intemperato conformari, proindeq; partum eſſe imperfectiſsimum (quæ aliorum etiam fuit opinio) ſe oſtendit exiſtimare. Hinc Albertus hoc idem comprobans libro decimo de Animalibus, ſic nobis ſeptimeſtris partus naturã aperuiſſe viſus eſt. Terminum autem partus (inquit) iam diximus eſſe diuerſum. Et primus quidem eſt ſeptem menſes, & tunc natus eſt fortiſsimę virtutis in creatione, & formatione. Fortiſsima enim virtus ſpermatis fuit, cuius creatio fuit velox, & cuius feſtinauit motus, & qui velociter petant exitum natiuitatis. tamen ſic natus multoties moritur, quia licèt in principijs ſuæ generationis ſit fortis, tamen eſt curtum tempus ſuæ creationis, & non perfectam acquirit quantitatem. Quæ

Prob. 48.

Tract. vlt. Cap. 4.

Tract. 2. Cap. 1.

omnia ex Auicennæ fontibus magnus hausit Albertus, qui Fen vigesimaprima tertij eadem planè scripsit. atq; eius hæc est oratio. Et scias quòd mensis septimus est primus mensis, in quo parit ipsum. & est fœtus fortis creationis, & complexionis, cuius creatio velox fuit, & cuius motus festinauit, & cuius petitio ad exitum fuit velox. & multoties quidem moritur natus infra hoc spatium, quoniam tolerat motus vehementes in debilitate creationis huius. Natus nanq; licèt in radice sit fortis, tamen est proximi spatij in creatione. Hæc Auicenna; quæ vberius libro decimo explicabuntur. Quòd verò Auctores siccioris esse temperamenti materiam, ex qua formantur septistres, existimauerint; prȩterquàmquòd illud probat euidenter, quod calidissimam illam statuunt, & maximè concoctam, nec de humiditate verbum faciunt vllum, siccitas verò caloris videatur esse comes, & quod calidius concoctiusq; est, siccius esse oporteat; vnus etiam Valesius inter recentiores id apertè indicasse visus est, scribens secundo Epidemicon humidum difficile recipere figuram propriam, ideoq; conceptum humidiorem tardius recipere figuram, & animam; vt hac de causa muliebre corpus, quia humidius sit, tardius in vtero formari velit: qua de re infra quædam disseremus. sequitur enim ex his materiam fętus septimestris, quia celerrimæ sit configurationis, siccitatis plurimum necessariò habere.

Sect. 3.

Vera septimestris partus temperatio ex Aristotele aperitur. Cap. 39.

VErùm enimuero ego Præceptoris ore edoctus, ac magni peripatetici Auerrois auctoritate permotus, ipsa etiam ratione duce, longè aliter de septimestrium temperamento arbitror esse statuendũ. Dictum superius est, ex Aristoteleq; definitum, septimestre spatium, quia breuius sit interuallum, homini quatenus multiparũ est animal conuenire; multiparum verò esse animal hominem quatenus calore, & humore plurimum abundat, proindeq; & semine. at hoc posito fœtum septimestrem simile temperamẽtum retinere necesse est; videlicet non solùm valde calidum, sed (quod ad hanc vsq; diem non satis video à recentioribus fuisse animaduersum) valde quoq; humidum; quoniam hac de causa oriatur: itaq; materiam, ex qua gignitur, caloris plurimum, & humoris habere oportebit. quod acutissimè Auerroes considerans in sua Paraphrasi super quarto de Animaliũ Ortu, sic nobis veritatem hanc, septimestrisq; naturam doctè & perspicuè, ac omnino ad Præceptoris mentem suis coloribus pinxisse videtur. Quod in septimo (inquit) nascitur est multæ caliditatis, & humiditatis, & perficitur eius figura; nasciturq; hoc tempore, quod est minus tempus, in quo possit perfici figura hominis. Sed qui in nono nascitur, minorem habet caliditatem, & humiditatem, quàm nati in septimo; & ideo perficitur eius creatio in tempore longiori. Ac ratio quidem in promptu est; materia nanq;, vt celerius formetur, humidior non siccior esse debet; quoniam humidum, vt quarto Meteoron docemur, facilè alieno termino terminatᷓ: vt rectissimè scriptum in Opusculo de Fato à D. Thoma videatur, materiam, quatenus est humida, in membra figurari, omnemq; recipere formationem; qua de re plura infra aduersus Valesium, ipsius rationem dissoluentes. quod quidem Albertum non latuit libro nono de Animalibus, statuentem contra Valesij sententiam, humoris ratione fęminam vltimam perfectionem, ac formationem celerius recipere, quàm marem; cuius hæc sunt ipsissima verba. Et si intrauerit quartum mensem, vel tres compleuerit, tunc inuenitur fœmina formata; & postquam formata est, velociter completur ad vltimam formationem, in qua nascitur; quoniam humidũ, postquàm constare incipit, citius figuratur, & completur quàm siccum spissum. Itaq; rectissimè statuitur in breuissima articulatione, qualis est, quæ septimo mense finem habet, humoris plurimum necessariò materiam continere. Nec amabò turbet veritatem hanc ratio illa, quam supra tangebamus, quod concoctius calidiusq; est, siccius esse oportere, vt quarto Meteoron Præceptor quoq; admonuit, ex quò & materiam, de qua formantur septimestres, si magis concocta est, & calida magis, necessariò sicciorem esse oporteat, quàm ea sit, ex qua nonimestres oriuntur; proindeq; à ratione dissonum videatur, quod de eius ponebatur humiditate. Etenim respondemus, quod dicitur cõcoctum magis, siccum magis esse, comparatione sui ipsius esse intelligendum; digesta enim se ipsis indigestis & crassiora, & proinde sicciora esse dicuntur humido in concoctione consistentiam recipiente. quòd si cum alio fiat comparatio, aliter omnino videtur asserẽdum; cùm tem-

Tract. 1. Cap. 3.

Tex. 18.

temperamenti ratione aliud licèt concoctius alio humidius esse queat; quare materia ex qua formatur septimestris, licèt calidior concoctiorq; ea sit, ex qua formatur nonomestris, poterit tamen temperamenti ratione longè esse humidior, vt acutè Auerroes, significabat quia longè plures habeat gradus humoris. Prætereo quæ digesta magis sunt, teneritudinem quandam, ac mollitiē acquirere, vt formabiliora esse videantur; sicut & digesta minus duriora apparent (de qua re quarto Meteoron satis ab Interpretibus disputatur) item in minus digestis & cōcoctis humiditatem quasi inæqualiter sparsam, ac non vniformiter (vt loquuntur) & quasi latentem, & congelatam inueniri; quæ, cùm maior sit concoctio, calore discutitur, & vniformiter diffunditur; vt meritò tertio de Animalium Ortu lutei exemplo docuerit Aristoteles, quod calescit amplius, interdum humidum reddi; quibus de causis menstrua, ex quibus formantur septimestres, dici posse humidiora videntur, proindeq; ad celeriorem formationem, maturitatemq; adipiscendam aptiora. Itaq; nulla est difficultas.

Cap. 2.

Cur septimestris partus ab Aristotele imperfectus dictus sit; Auicenna, Albertus, ac alij pleriq; reijciuntur. Cap. 40.

CAeterum his positis receptisq; fundamentis, videlicet partum septimestrem humidi esse, & calidi temperamenti, calorisq; & humoris ratione oriri; item homini quā multiparum est animal competere; iam illorum omnium, quæ in tertia, & quarta quærebantur de mense septimo, ac septimestri partu dubitatione, causæ elucent: quoniam enim homo sua natura, & magnitudinis ratione vniparum maximè est animal, gestationi verò limitem naturaliter magnitudo imponit, quoniam pro magnitudinum varietate ferendi vteri termini varij statuuntur, & magnitudo causa ratioq; in homine est gestationis ac partus perfectioris; gestatio, quæ ab hac causa deficit, partū necessariò habebit imperfectiorem: talis autem est septimestris, quia non magnitudinis ratione, sed temperamenti potius homini congruit. itaq; rectissimè septimo Historiarum imbecilli, quarto de Animalium Ortu imperfecti septimestres partus ab Aristotele appellatur. quam veritatem aliquo pacto Auicenna & Albertus videntur attigisse, scribentes partum hunc non acquirere in tam breui temporis interuallo perfectam quantitatem, & proximi esse spatij in creatione, & in debilitate creationis motus tolerare vehementes; intellexerunt enim, vt reor, septimestres deficere à perfectione, & maturitate, quæ perfectissimi partus, nonomestris scilicet, ac decimestris est propria; non ab ea perfectione, & maturitate, quæ illis propriè conuenit; quam supra probauimus omnino eos habere, cùm oriuntur. Hinc quia perfectam generationem præueniunt, & imperfecti aliquid habent, nonnulli eorum inarticulatis aurium, nariumq; meatibus oriuntur; quod etiam loco memorato ex Aristotele à nobis explicatum fuit. propriam enim maturitatem temperamenti ratione, caloris scilicet, & humoris, adeò celeriter recipiunt, vt quarundam extremarum partium veluti aurium, vel narium absolutam articulationem interdum non expectent; quasi sicuti & perfectam, sic & propriam etiam ferè perfectionem præuenire posse videantur. vt prætercam (quod supra etiam tetigimus) septimestres naturæ lege à mulieribus gigni, quibus paucissima menstrua fluunt, vt latius septimus liber explicabit; vt ferè deesse illis aliquando materia posse ad perfectā omnium partium absolutionem videatur. Hoc autem totum si verum est, vt simillimum quidem vero debet iudicari; facilè quisq; norit, quàm falsò à plerisq; grauissimis viris definitum fuerit, partum septimestrem ex robustissima virtute formatrice, ex optimè temperatis menstruis conformari; demum, vt Auicenna, & Albertus loquuntur, fortissimæ virtutis esse, & creationis; enimuero hæ conditiones partui tantùm perfectissimo, decimestri videlicet, ac nonomestri videntur conuenire, proindeq; ad septimestrem nullatenus quadrare: decimestris nanq; est, qui, vt Hippocrates, & Aristoteles censuerunt, ex robustissima virtute, menstruisq; robustissimis, & optimè temperatis tanquam partus reliquis omnibus perfectior conformatur, vt etiam suo loco infra vberius dicemus. quare habito respectu temperamenti huius, contrarium potius de septimestri videtur statuendum; videlicet ex calidioribus, humidioribusq; principijs, quàm humanum ferat temperamentum si collineet, ipsum exoriri; quod acutissimè vidit Auerroes, scribens nonomestres caloris minus, & humoris habere, propterea; longiori tempore gestari: vt his de causis imperfectionis non parum habeant,

Cap. 4.
Cap. 6.

beant, & imbecillitatis; ideoq; iure & imbecilles, & imperfecti ab Aristotele dicãtur. quæ fortasse materiæ imbecillitas, vt celerius maturescant causa esse potest, quoniam minora, debilioraq; omnia Aristotele quarto de Ortu Animalium teste, vt in artis operibus, sic in naturæ citius ad finẽ perueniunt. quod etiam Theophrasto in calce primi de Plantarum Causis placuisse video, asserenti nonnulla ratione infirmitatis celerius germinare, ac fructificare. quamobrem qui ista dicunt, miris ambagibus ac tricis, vnde se extricare nequeant, sese irretiunt: quandoquidem si fœtus septimestris fortissimæ virtutis est, & creationis; si ex robustissima virtute, menstruisq; optimè temperatis conformatur; si fortissimus est in radice; quo modo proximi spatij esse dicitur? quo modo debilis creationis? quo modo multoties mori? quo modo nõ perfectam acquirere quantitatem? quæ, vt verum fatear, contradictionibus implicantur multis, & erroribus: tempus enim gestationis, vt alia nunc taceam, principiorum coeuntium robori, ac temperamento respondet, ab illoq; pendet; vnde non potest principijs ipsis aduersari: at hi septimestrem in principijs suæ generationis fortissimum ponunt; in tempore autem gestationis deficere dicunt.

Cap. 6.

Cap. 29.

Cur septimestrem Aristoteles post nonomestrem collocauerit, duxeritq; esse octomestri, & vndecimestri perfectiorem.

Cap. 41.

VErùm quanquam imperfectos partus hac de causa septimestres ex Aristotelis sententia statuamus, si tamen è contra proprij temperamenti ratione eos contemplemur, caloris scilicet respectu & humoris; non parum habere perfectionis comperiemus: vt rectissimè, nec sine magna ratione Aristoteles (contra quàm Hippocrates arbitratus sit, qui plures eorum perire scripsit, pauciores seruari, ac post illum Auicenna, & Albertus, qui multoties mori partum hunc memoriæ prodiderunt, quos deinde alij auctores sine controuersia secuti sunt) hos partus vt plurimum seruari monimentis mandauerit, periclitari pauciores; ac post decimestres tãquam reliquis perfectiores secundo loco collocauerit. quoniam enim ob causas superius ex Philosopho à nobis allatas ea est hominis natura, vt humoris plurimum & caloris maximè sit particeps; septimestris, qui ab hac causa pendet, valde homini videtur esse naturalis; quo fit vt maximè post nonomestres, ac decimestres vitalis idcircò exeat. Accedit quòd hæ qualitates maximè sunt vitales, vt non parum perfectionis propterea & roboris nanciscatur. enimuero, vt in opusculo de Longitudine & Breuitate Vitæ docet Aristoteles, oportet accipere tanquam scilicet sensu notum, quòd animal est natura humidum & calidũ, & ipsum viuere tale, senectus verò frigida & sicca, & quod mortuum tale; ex quò, vt idem secundo libro de Animalium Ortu admonet, ea animalia perfectiora censenda sunt, quæ natura calidiore, & humidiore, nec terrena constant; ac vis tanta ad vitam impertiendam humoris est, quemadmodum pulcherrimè ibi notat Aristoteles, vt aues, tametsi cartilagineis calidiores, quia tamen sicciorem naturam habent, ouum tantùm non solùm intra se, sed extra etiam edant; cartilaginea verò & ouum, & animal intra se pariant, quia humidiora; ex quò & sic philosophus concludit. Nam & aues, & cortice intecta calore suo perficiunt, sed præ siccitate ouum pariunt. Cartilaginea cùm minus ijs calida, magis humida sint, vtroq; participant; quippè quæ & ouum, & animal intra se pariunt, ouum quia frigida sunt; animal quia humida; humor enim viuificus est, siccitas longè à vita remota est. Hæc ille; quæ latissimè probant, septimestris partus temperamentum, quia ab humore potissimum pendeat, ad vitam potiendam aptissimum esse; vt meritò Aristoteles, quoniam homo, quemadmodum superius vidimus, suæ naturæ, ac substãtiæ ratione tanquam perfectissimum animal, caloris plurimum, & humoris participat, ideoq; & feminis, septimestrem verò hac de causa gignit, septimo editis secundum locum, secundumq; perfectionis gradum impertiatur; hosq; partus vt plurimum esse superstites affirmet. nam & homini partus idcircò valde sunt naturales, & qualitatibus constant maximè vitalibus. quæ quidem omnia intelligenda sunt ita septimestribus competere, vt tamen imperfectionem, quam illos supra diximus habere, ab eis non tollant. Quæ si vera sunt, alij viderint quàm rectè, quàm ad Aristotelis mentem Cardanus Contradicentium Medicorum libro primo ita scripserit de septimestribus, eos cum vndecimestribus ferè coniungens. Num ob id (inquit) cùm Decemuiri vndecimum mensem præfinierint edendo fœtui, vndecimestris partus

Cap. 3.

Cap. 1.

Tract. 3. contrad. 8.

N

partus naturaliſsimus (vt ita dicam) cenſeri debet? Nempè non, ſed vt rarior, velut & ſeptimeſtris. Qui verò decimo & nono, maximè ſecũdum conſuetudinem, & minima naturæ violentia prodire creduntur. At ſeptimeſtres ſolùm ob id frequentiores, ac magis naturales vndecimeſtribus exiſtimantur, quòd ſeptimeſtribus indicia immaturi fœtus adſunt; vndecimeſtribus autem diuturnioris moræ, quam in vtero contraxerint, nulla omnino ſigna adhærent. At primùm, vt interim taceam falſum eſſe, Decemuiros vndecimum partui dedicaſſe, quod nonus liber plenè demonſtrabit; ſeptimeſtres non ſunt in eadem ſerie cum vndecimeſtribus collocandi; ſunt enim partus longè perfectiores. deinde Cardani recepta ratione potius erunt vndecimeſtres anteponendi, eò quòd ſigna, quæ ſecum afferunt ſeptimeſtres immaturi fœtus, minus naturales partus neceſſariò eos oſtendunt; vt prætercam vndecimeſtribus etiam diuturnioris moræ ſigna adhærere, maiorem ſcilicet corporis magnitudinem; quæ ſanè mora nil ipſis obeſſe poteſt, dicente Cardano temporis prolixitatem nunquam per ſe eſſe impedimento vitæ, quod tamen & omnino falſum arbitramur, & ab Ariſtotele diſſentaneum; cùm & philoſopho mora diuturnior, vt in eo, qui vndecimi tranſit initium, & non vitalis, & non naturalis partus ſit cauſa; vt omnino perperam ab hoc auctore infra ſtatutũ videatur, ratione moræ tardiorem partum ocyore eſſe vitaliorem, & ſic vndecimeſtrẽ decimeſtri; cuius orationem ſequenti capite adducemus.

Cardani nonnulla reijciuntur. Cap. 42.

INquit igitur Cardanus. Circa quod ſciẽdum eſt, quòd temporis prolixitas nunquam per ſe eſt impedimento vitæ; ſed natura eam nõ patitur; breuitatem autem natura fert, ſed illa vitæ obeſt. Vnde quantum ſit ratione tẽporis, octomeſtris eſt vitalior ſeptimeſtri, & nonomeſtris octomeſtri, & decimeſtris nonomeſtri, & vndecimeſtris decimeſtri. Hæc ille; qua recepta ſententia duodecimo & vltrà natus eſſet reliquis vitalior. At non omnis Ariſtoteli mora, ſed debita, & ſpeciei congruens partum reddit vitalem magis; vt prætercam me nodos illos non intelligere. quid enim eſt quæſo prolixitatem vitam ferre, ſed non naturam? breuitatem naturam, ſed non vitam? at certè natura vitæ cauſa, & auctor; quare quod vni conuenit, alteri conueniat eſt neceſſe; quod vni aduerſatur, alteri aduerſari. Quanquam & paulò poſt in calce ferè diſputationis mutata ſententia ſeptimeſtrium duplicem faciens ſpeciem, tùm eorum, qui caſu eduntur, & violẽter, tùm eorum, qui ſpontanei ſunt; ipſos ſpontaneos ſeptimeſtres nedum vndecimeſtribus, ſed ipſis decimeſtribus, ac nonomeſtribus anteponit ita ſcribens. Eſt etiam conſiderandum quòd Ariſtoteles, cũ dixit ſeptimeſtrem fœtum eſſe magna ex parte infirmiorem, intelligit, quia maior illorum pars violenter, & caſu naſcitur: nã ſpontaneus ſeptimeſtris, vt diximus, validior eſt nonomeſtri, & decimeſtri; ſed hic rariſsimus eſt, vt docuimus rationibus ſuperioribus. Eſt autem differentia inter ſeptimeſtrem violenter natum, & abortiuum; nam abortiuus dicitur, qui natus eſt eo tẽpore, quo nullo modo viuere poteſt, vt trimeſtris, & quadrimeſtris; & talis habetur à lege ac ſi non naſceretur: natus autem violenter ſeptimo menſe, etſi parum viuat, abortus dici nequit, quia tempore ſuo natus eſt, in quo ſi ſponte natus eſſet, aut minore cũ violentia ſaltem, viuere potuiſſet. taleſq; mutant inſtrumenta ſucceſsionum plerunq;. Hæc Cardanus; quæ omnia erroris plena eſſe videntur, atq; ab Ariſtotelis, Hippocratiſq; dogmatibus, ac principijs, mirandum in modum diſſentanea; cùm ſatis ſuperq; oſtenſum ſit, nullum partum naturaliter oriri niſi maturum, neq; etiam ſeptimeſtrem; quod & ſenſiſſe Hippocratem libro ſeptimo monſtrabimus. vnde & ipſe Hippocrates hos fœtus initio opuſculi de Partu Septimeſtri tunc naſci memoriæ prodidit, quia & principium perfectionis, & maturitatem nanciſcantur. quòd ſi Ariſtoteles hos partus vocat imbecillos, & infirmiores, Hippocrates eos in ortu vim mẽbranis adferre dicit, ſimileq; euenire quid, ac cùm ſpicarum folliculi vi aliqua prius nonnunquam fatiſcunt, & hiant, quàm fructus perfectam maturitatem ſit aſſecutus; hæc omnia & de ſeptimeſtribus, qui iam maturi oriuntur, dicta ab illis eſſe, & iuſta de cauſa ſuis locis oſtendemus: vt non propterea dicendum ſit, hos partus violentia quadam, & cęco caſu naſci; quæ duo nulla poſſunt ratione naturæ opera comitari; ſed hac omnino de cauſa aſſerendum videatur, ſeptimeſtres omnes, ſi modò naturæ lege in lucem veniunt, Hippocrati & Ariſtoteli ſpontaneos exiſtere. Quare cùm maiorem illorum partem violenter, & caſu

nasci Cardanum video affirmare, similiaq; monstra, & ipsum & alios melioris notæ viros tùm de his, tùm de decimestribus effutire, non possum quin exclamen (quod & in præfatione iampridem admonui) veram ad hæc vsq; tempora humani partus naturam ab Hippocrate, & Aristotele diuinè explicatam ignorari; & qui verè apud illos septimestres sint, qui decimestres minimè intelligi. vt iam non ex his leuissimis fundamentis, quæ vel quouis imbecillo flatu eliduntur, sed ex firmissimis Aristotelis dictis, & rationibus de septimestrium natura, aliorumq; partuum respectu perfectione, imperfectioneuè sit iudicandum.

Nonomestris, ac decimestris partus cur septimestribus, & reliquis perfectior. Decimestris partus qui vocetur secundum Hippocratem, & Aristotelem. Cap. 43.

VErùm dubitabit aliquis, si partus septimestres tantum habent caloris, & humoris ratione perfectionis, quomodo nonomestres illis, ac decimestres erunt perfectiores? qui ab huiusmodi qualitatibus maximè vitalibus Auerrois etiam testimonio videntur deficere? facilis quidem responsio est ijs intellectis, quæ ex Aristotele collegimus. gestatio enim partus præcipuè à magnitudine pendet, non à caloris & humoris temperie; siquidem ipsius terminus pro magnitudine animalium definitur, vt supra ex Aristotele probauimus. vnde ea gestatio perfectior est, quæ magnitudini exactè respondet animalis. Verùm ea magnitudini respondebit, quæ longior extiterit; cuius rei causam iam supra attulimus: neq; enim tempore breui constitutiones perfici magnæ possunt animalium, vt ex Philosopho dicebamus; ex quò & magnitudinis ratione vniparum esse animal homo definitur, & sua natura maximè tale. Sic enim Aristoteles. Sed maximè sua natura vniparum est. & mox; sed suæ magnitudinis ratione pauciparum; atq; vniparũ est. Itaq; gestatio longior perfectior erit. At verò longior gestatio quarto de Animalium Ortu decimestri partui conuenit. Sic enim eo loco scriptum video. Quippè cùm & septimo mense, & decimo nascatur, atq; etiam inter septimum & decimum positis. igitur & gestatio decimestris erit perfectior. at perfectior gestatio perfectiorem partum dabit; itaq; & decimestris partus non solum reliquis perfectior, sed etiam & septimestri. Nec vllius momenti est, si dicamus nonomestres, ac decimestres caloris minus & humoris participare; enimuero tãtùm abest, vt propterea imperfectiores, ac vitales minus censeri debeant, vt vitales ob id magis sint dicendi; quoniam hæ qualitates tùm humanum partũ maximè vitalem reddunt, cùm reliqua adsunt maximè necessaria; gestatio scilicet magnitudini, quæ humanæ speciei propria est, conueniens; item cùm eam retinent commoderationem, quę magnitudini huic proportione respondet: quam profectò commoderationem cùm hæ qualitates in nonomestri, ac decimestri assequantur, idcircò hos partus, quos in eodem gradu collocamus, tametsi calorem & humorem minus participantes, iure septimestribus anteponimus. Nam & hoc est, quod supra asserebamus, septimo mẽse genitos ex calidioribus, humidioribusq; menstruis conformari, quàm humanæ speciei requirat temperamentum, si perfectum attingat: calor enim & humor septimestribus perfectionẽ afferunt, quoniam eam perfectionem, quę à magnitudine pendet, quæ propria decimestrium est, & absoluta partus perfectio est, nequeunt habere; vt prætercam ad generationem perfectam non excedente, sed commoderato calore opus esse, quemadmodum Theophrastus in calce primi de Plantarum causis grauissimè admonuit. Decimestris autem partus, ac gestationis nomine ea intelligenda est, quæ noni finé, decimiq; initium attingit; quanquam & totum decimum sine magno errore accipere possumus: adeò vt decimestris spatij nomine sic accepti nonum etiam mensem intelligamus: quia scilicet & noni finem, & decimi principium comprehendit; vnde vtriq; tempori est commune, & vtrunq; potest significare. hoc enim in loco, quia menses ipsos consideramus quatenus tria tempora constituunt, multiparę, paucíparæ, vniparęq; affectioni respondentia, nonum mensem latè patere postulamus; ac (tametsi alia ratione consideratus non parum vel Hippocrate, & Aristotele teste à decimo differat, vt mox infra dicturi sumus) pro eodem tamen impræsentia cum decimi initio accipimus; tempus tertium vniparę respondens affectioni simul constituere asserentes. quod & Hippocratem, Aristoteléq; fecisse sæpe admonuimus; quibus tamen placuit id tempus, quia in decimum desinit mensem, decimestre potius interuallum nominare, decimi nomine nonũ

Cap. 4.

etiam intelligentes; siquidem huiusmodi interuallum magnitudini hominis apprimè respondet: quod si longius fuerit, iam recedit à perfectione; quoniam nec magnitudo hominis tanta est, vt longius tempus requirat; nec potest etiam, vt supra diximus, multò longius admittere, nisi cum aliqua imperfectione ob contrariæ causæ admixtionem, & ob temperamentorum differentiam, quę in vno homine varia conspirarunt.

Quæ de perfectione spatij decimestris dicta sunt, plenius explicantur. Cap. 44.

HInc elucet cur diuinus Hippocrates plurimum laborauerit libello de Septimestri, & Octomestri Partu, vt doceret decimestrem partum maximè esse naturæ legibus consentaneum; quod ad finem libelli de Principijs confirmauit: item cur decimestre hoc spatium dierum esse 280. non plurium definiuerit; videlicet nouem mensium ac dierum præterea decem, atq; quadragenariorum septem, vt ipse solet appellare; quod libro septimo & octauo latius ex eodem explicabimus. id enim sibi ob oculos posuit, vt gestationis tempus magnitudini, ac temperamento hominis maximè respodens aperiret; quod ob expositas causas nec breuius, nec longius, si quod perfectissimum est assequatur, esse potest: quod quidem spatium libro septimo de Historia Animalium Aristoteles satis clarè, si quis accuratè introspiciat, & recepit, & nobis explicauit; *Cap. 3.* dum scriberet, fœminas quàm mares nasci magis decimestres; de cuius sententiæ veritate infra hoc eodem libro nõnulla disseremus scitu fortasse non iniucunda: perfectissimum enim tempus partui perfectissimo impartiuit, qualis est sine vlla dubitatione masculus: at hunc minus decimestrem gigni sua natura dixit. non potest autem minus esse decimestris, nisi decimi principium, vel circiter attingens; nam & sic fœminæ plures de hoc mense dies capientes decimestres magis vocati poterint; quod quidem interuallum cum tempore ab Hippocrate desinito planè consentit. Itaq; & hoc tempus longè cæteris omnibus perfectius esse existimauit, quod sanè acutissimè idem contuens Aristoteles eodem libro infra, vt supra etiam tetigimus,
„ δεκάμηνα τὸ πλεῖσον, sæpissimè videlicet de-
„ cimo hominem gigni memoriæ prodidit; sanè vt nos commonefaceret, decimum mensem reliquis esse in partu frequentiorem: quod enim freqentius fit, id maximè secundum naturam esse & libro primo de Animalium Ortu, *Cap. 15.* & alibi crebro philosophus admonuit, quod & perfectius quoq; venit existimandum; quoniam, vt idem tàm sæpè docet, natura semper in suis operibus obeundis quod optimum est non impedita moliatur. Atq; hoc est quod sacræ litteræ testificantur Sapientiæ septimo verbis illis. Et in ventre matris figuratus sum „
caro decem mensium tempore; quem lo- „
cum explicans Ropertus Olkot in D. Thomæ familia illustris refert, Rabanum in Glossa super verbis illis annotasse, qui nascuntur in decimo mense & perfectiores, & vitales magis quàm reliquos esse, tanquam perfectissimo tempore in lucem editos: addens verissimè Olkot per synegdochen decimum mensem ibi esse intelligendum; vt scilicet pars pro toto, & nouem completi, diesq; aliqui de decimo intelligantur: vnde & D. Augustini auctoritate 83. Quæstionum *Quæst. 56.* scribit D. N. Iesum Christum decimo mense natum esse, scilicet post nouẽ mẽses ac dies sex. quam sententiã idẽ auctor libro quarto de Trinitate *Cap. 5.* secutus est, atq; ante illum D. Chrysostomus, sic in sermone de sancti Ioannis Baptistæ natiuitate scribens. Quibus supple- „
tis nouem mẽsibus initiante decimo Chri- „
stus mundo natus est. qui & paulò supra „
Ioannem quoq; eodem mensium interuallo gestatum esse notatum reliquit. Tunc (in- „
quit) & Ioannes inspiratus est, & fecit ibi „
Maria cum Elisabet menses alios tres, & „
sic expletis nouem mensibus in mense deci- „
mo peperit Ioannem octauo Kalendas Iuli- „
as, qui est nonus mensis à Septembre, & „
quartus à Martio inchoationis anni. Quã- „
quam grauissimi non desunt viri, inter quos summum concionatorem Cornelium *Conc. prim. Dom. Quadrag.* esse video, qui existiment ad diem vsq; decimum mensis decimi, exactè scilicet quadraginta hebdomadas, ac septem quadragenarios, vel, quod in idem redit, dies 280. ipsum Dominũ in vtero stetisse; qui Theologorum omnium consensu, vt patet ex D. Thoma parte tertia Summæ, *Quæst. 46. art. 3.* fuit optimæ temperaturæ; vt temperatissimum corpus, & perfectissimum tempore perfectissimo in lucem prodijsse rationi fuerit consentaneum. licèt enim corpus Christi, *q. 33. ar. 2. ad 3.* vt idem ait, propter infinitam virtutem agentis fuerit perfectè in instanti dispositum, tamen, vt alio loco admonet, *Art. 1. ad 4.* eodem modo augeri debuit, quo & alia humana cor-

pora;

pora; vt meritò consueto tempore, quemadmodum & alia, steterit in vtero, & ex hisce varijs temporibus perfectissimo. atq; hoc est quod fictæ Veterum fabulæ declarant, in quibus Herculem, quem robustissimum fingunt, & optimè temperatum, decimo mense prodijsse reperimus; vt inter cæteros apud Theocritum in paruo Hercule legimus carminibus illis.

Ἡρακλέα δεκάμηνον ἐόντα πόχ᾽ ἁ Μιδεᾶτις.
Ἀλκμήνα, καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἴφικλῆα. id est

Herculem decimo prognatũ mense quõdam Mideatis
Alcmena, atq; vna iuniorem nocte Iphiclum.

Quã autẽ ratione spatium hoc decimestre cum cęlesti periodo consentiat, libro sexto inuestigabitur. Hinc Paulus Iureconsultus quarto sententiarum ab Hippocrate edoctus hoc ipso tempore partũ nasci maturiorem scripsit; atq; eius hæc est sententia. Septimo mense natus matri prodest. ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, vt aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur. neq; enim dixit pleno decimo, sed decimo tantùm, vt inter initia decimi, & sic die 280. (Hippocraticos quadragenarios, & hebdomadum decadas respiciens) partum editum cæteris esse maturiorem de Veterũ opinione demonstraret: quem partum propterea Varro in primo librorum, qui inscribitur Hebdomades, vel de Imaginibus, Gellio tertio Noctium Atticarum referente, in quibus septenarij potestatem celebrauit, iustissimo tempore gestatum videtur appellasse. Gellij verba ita habent, maxima quidem, mea sententia, animaduersione digna. Illam quoq; vim numeri huius obseruatam refert, quòd ante mensem septimum neq; masculus, neq; fęmina salubriter, ac secundum naturam nasci potest; quòd ij, qui iustissimè in vtero sunt, post ducentos septuaginta tres dies, postquam concepti sunt, quadragesima deniq; hebdomade ita nascuntur. Ex his enim duo maximi momenti colligimus; primum de Varronis etiam sententia (quod nos supra dicebamus) huiusmodi dierum 280. interuallũ à conceptione numerari; secundum & summè obseruandũ, eos, qui intra quadragesimam hebdomadam, eaq; currente oriuntur, & sic post diem 273. iustissimo tempore censeri natos; adeò vt non sit necesse die 280. & sic vltima quadragesimæ huius hebdomadis die eos in lucem exire; sed satis sit, si vltimæ huius hebdomadæ diem aliquem attingant. qua recepta interpretatione qui post diem 273. oriuntur, die 280. geniti dicentur, septemq; quadragenarijs. quod etiam Censorinus grauissimus auctor libello de Die Natali non obscurè videtur his verbis indicasse. Ii igitur dies quadraginta per septem illos initiales multiplicati, fiunt dies 280. idest hebdomades quadraginta; sed quoniam vltimæ illius hebdomadis primo die editur partus, sex dies decedunt, & 274. obseruantur. His enim die 274. genitum, quia in primam quadragesimæ hebdomadis diem incurrat, accipi ac si genitus fuisset die 280. perspicuè docet. de quo etiam spatio hæc subiungit. Qui numerus dierum ad tetragonum illum Chaldęorũ conspectum subtiliter congruit. Nam cùm signiferum orbem dies 365. & aliquot horis sol circumeat; quarta necesse est parte dépta, idest diebus 91. cum aliquot horis, tres quadras reliquis diebus 274. percurrat, vsq; dum perueniat ad id loci, vnde conceptionis initium quadratus aspiciat.

Cap. 10.

Difficilis quædam circa spatium decimestre adducitur dubitatio. Aliorum recitatur opinio. Cap. 45.

CÆterum his ita disputatis satis claret, cur septimestres imperfecti partus dici debeant, sed tamen reliquis, decimestribus exceptis, perfectiores; quare nonnulli eorum inarticulatis aurium, nariumq; meatibus oriuntur, item quam ob causam nonomestes, ac decimestres cæteris perfectione antecellant; secundo loco septimestres veniant collocandi; adhuc cur ex his plures fiant vitæ compotes: quæ omnia tertia, & quarta dubitatione quærebantur. quamobrem inuestigandum superest, vt hæ ipsæ dubitationes funditus sublatæ videantur, quare octauo mensi locus aliquis inter vitales, ac naturales menses debeatur; ita vt in illorũ serie veniat collocandus: & quare is locus tertius sit, adeò vt vndecimo veniat anteponendus. ita enim & manifestum simul erit; quid de octomestri partu sit pro veritate iuxta Aristotelis dogmata sentiendũ: quod sequenti disputatione tractabimus, vbi tamen antea difficillimam quandam circa ea, quæ dicta sunt de spatio decimestri dubitationem inpræsentia labefactauerimus, quæ & clarissima ingenia diù torsit, & hæc nostra ætate non parum torquet. positum nanq; est decimestre spatium ab Hippocrate, & Aristo-

Aristotele frequentius, ac naturale magis partus tempus sine vlla controuersia existimari. At hoc non exiguam habet dubitationem, cùm ipsa videatur experientia horum dictis mirificè aduersari: quotidie enim sensuum fide experimur, partus vt plurimum prodire nonomestres, decimi mensis dies decem, contra quàm sapientiæ humanæ magistri decreuerint, rarissimè hac nostra ætate attingere. Vnde communis opinio est, nonum mensem frequentiorem esse partus limitem, ac magis naturalem. Mercatus, qui vnus libro quarto dubitationem hanc aliquo pacto videtur acutè conspexisse; cùm notasset, vt secundo libro vidimus, Hippocratem sexto Popul. Morborum duo tantùm tempora pariendi exprimere, septimum videlicet, & nonum verbis illis. Dolores per circuitus fiunt; qui autem in septuaginta mouetur, trinumero perficitur, qui verò in nonaginta, is etiam triplicato numero absoluitur. cùm præterea accepisset, nonum mensem frequentius esse pariendi tempus, ac magis legitimum, sic scribens. Ita ducentesimus septuagesimus, qui terminus est partus naturalis quàm legitimus, &c. & infra. legitimum igitur tempus experimentum frequentissimum probauit in communi hominum natura esse nonum mensem, vel ad summum decimum, vt paulò inferius probabo; ac vltimo septimum. quo loco, vt videmus, nonum decimo præfert: sic hac ipsa permotus difficultate aduersus eundem Hippocratem videtur dubitasse. Iuxta optimam rationem addubitabit aliquis, cur Hippocrates non statuerit, nisi duos tantùm partus naturalis terminos, septimum quidem mensem, & nonum: siquidem experimento comperimus alijs temporibus vitales partus fœminas edere. Præterquàmquòd ipse Hippocrates (forsitan sui oblitus) decimo mense frequenter fieri partus dixerit. Hoc enim loco, vt videmus, doctissimus vir non solùm dubitat, cur Hippocrates Epidemicon sexto duos tantùm partus terminos expresserit, alios, ac præsertim decimum prætermiserit; sed & præsentem etiam attingit aliquo modo difficultatem, in dubium vocans quo modo verum sit, partum decimo frequenter edi, vt placuit Hippocrati; cùm nonum mensem crebriorem habere partionem videamus. Nodum hunc qua ipse postea dissoluat ratione non liquidò constat; videtur tamen mihi Gorreum aliqua ex parte imitans nonomestre spatium, & quod Hippocrates decimestre solet appellare, scilicet dierum 280. interuallum pro eodem sumere; adeò vt nonomestris partus terminum ad summum in diem vsq; 280. extendi velit. Nam & sic verba ipsius illa monstrant. Constat igitur ex Hippocrate partum legitimum esse, qui ducentis & octuaginta diebus integratur ad summum; vel ducentis & decem; ac, vt Hippocrates ipse censet, paulò plus aut minus. Cùm enim inter noni finem, ac initium decimi, scilicet inter dies 270. & dies 280. exigua sit differentia, Hippocrates verò docuerit & his diebus, & paulò pluribus, & paulò paucioribus partum edi; non videtur absonum à ratione, vt, qui partus intra hos limites in lucem exeunt, vel nonomestres, vel decimestres appellentur. cùm enim dierum 280. terminus non longè absit à fine nouem mensium, commodè potest communis tùm nonomestri tùm decimestri esse limes; non secus ac eadem de causa huiusmodi spatium nonomestri, decimestri, ac vndecimestri esse terminum, habita diuersorum mẽsium lunarium ratione, Gorreus censuit.

p. 7. s. 29.

Adhuc aliorum quorundam circa allatæ dubitationis solutionem affertur opinio. Cap. 46.

HInc Mercatus quæcunq; de nonomestri dicit, de decimestri etiam videtur pronunciare; quasi in nihilo hos partus inter se differre velit. quod præsertim ex verbis illis perspicuè patet. Sed experimento quoq; eodem cõperimus, in nono, & decimo commodiores, & maximè salubres esse partus temporis, & naturæ perfectione, ac ratione maturitatis: nouem enim menses cùm primo constent septenario, quod perfectissimè iudicat, perfectissimos edunt partus; sed vt vera computatio nouem, aut decem mensium magis elucescat, expendendum est constare ex libro de Alimento, & libro de Carnibus dies grauidationis non excedere quatuor decadas, quæ constant ex ducentis & octuaginta diebus ad summum; licèt non raro ante id tempus partus in lucem edi contingat. Constituit enim hic dierum numerus nouem menses solares, & decem dies; & ex communi ferè omnium sententia hoc est frequentius pariendi tempus; quòd in ipso fœtus maturiores existant, & numerus perfectior. Quod Macrobius libro primo in Somniũ apertissimis verbis protulerat. Humano partui (inquit) frequen-

Cap. 10.

" quentiorem vsum nouem mensium certo
" numerorum modulamine natura cõstituit.
Hæc ille; in qua sanè disputatione cernimus nonum mensem, ac decimum, prout terminum dierum 280. dicit, pari passu ambulare; vt quæcunq; decimi propria sunt, nonomestri spatio Mercatus impertiri videatur. nam & huc tendit, quod inquit septenario nonum constare, qui perfectissimè iudicat: quartam enim hebdomadum decadem, quæ decimestre claudit interuallum, ideoq; huius spatij proprium est, nisi fallor, intelligit. item quod dicit, ad summum partum ad diem 280. extendi, sed non raro ante excludi. adhuc hoc tempus frequentius esse, in ipsoq; fœtum esse maturiorem, ac numerum perfectiorem: quę omnia iam dicti spatij decimestris sunt propria. ex quò & Macrobij sententiam, quæ perspicuè de nono mense est, perinde accipit, vt consideranti patet, ac si de nouem mensium, ac dierum decem spatio ab eo dicta fuerit; vt iam clarissimum sit penes Mercatum noni mensis finem, ac diem 280. tempus idem designare: nimirum quoniam, vt supra ex eodem tetigimus, ac ipse etiam paulò infra clarius scribit, hic dierum numerus non prærequiritur ad legitimum partum exquisitus; quippè is potest fieri aut in pluribus, aut in paucioribus; vt partus die 270 genitus, perindè ac si die 280. in lucem exeat, existimari possit. Hæc est Mercati opinio, à qua Gorreum non longè dissentire supra dicebamus: quanquam ipse Gorreus, vt secundo libro patuit, nonomestre terminum dierum 273. esse ponit, scilicet nouem menses solares, cum quibus decem lunares congruere arbitratus est; volens Hippocratem, cùm decimestres dixit in lucem exire, de lunari decimo intellexisse; quem quidem terminum cùm septem tantùm diebus excedant dies illi 280., idcircò positos esse communem limitem nonomestris partus, ac decimestris, quin etiam & vndecimestris. vt hac de causa partũ dierum 280. in opusculo de Carnibus nonomestrẽ voluerit Hippocratem appellasse. Nec valde diuersa est Valesij opinio, nouem solares menses in decem lunares incidere asserentis, vt libro secundo aperuimus; ideoq; communem partus terminum modò nouem, modò decem mensium ab auctoribus dici contendentis. Sed neq; etiam prætereundum est, Cardanum quoq; Contradicentium Medicorum libro primo hanc eandem dubitationem tetigisse; qui cùm nonnulla Hippocratis dicta ex libro de Natura Pueri recitasset, sic concludit. Manifestum est "
quòd Hippocrates in hoc libro tria manife- "
stè docet. Primum quòd legitimum tem- "
pus, & maximè generale pariendi est men- "
sis decimus, non nonus, vt communiter "
creditur. At quo modo eam diluat, alij "
viderint: constat enim ipsum postea in disputationis cursu & decimum reijcere mẽsem, & nonum anteponere, vt suo loco animaduertemus. Hæc igitur ex alijs habemus, quæ in medium afferamus

Trac̃t. 3. contr. 8.

Enarratæ opiniones confutantur. nonnulla ad allatam dubitationem dissoluendam necessaria præmittuntur. Cap. 47.

VErùm ego, vt liberè dicam quod sentio, longè aliam Hippocrati in hac pulchra, ac perdifficili quæstione mentem esse reor; cùm horum interpretatio nullo modo ad ipsius verba quadrare videatur. siquidem ipse, quod spatiũ decimestre vocare solet, septem quadragenarijs, diebusq; 280. & quatuor hebdomadum decadibus confici ponit; quæ omnia de nonomestri nusquam scribit: quod simpliciter nonomestre Epidemicon secundo videtur appellasse, nouem menses diebus 270. constare docens. vt meritò in libro de Carnibus, quẽ partũ decimestrẽ solet appellare, scilicet quatuor hebdomadũ decadib⁹ genitũ, & septem quadragenarijs, & diebus 280. (quæ tria in idem coincidunt) non absolutè quidem partum nonomestrem vocauerit, sed nouem mensium, ac dierum decem, vt aduersus Gorreum decimo libro animaduertemus. Itaq; perpetuò à nonomestri distinguit decimestrem; quod præsertim ex libro de Septimestri Partu satis patet, vbi nonomestrem à decimestri semper seiungit. qua in re sectatorem habet Aristotelem, perspicuè post nonum, decimum quoq; septimo Historiarum enumerantem. Quare præter omnem est rationem dicere, quòd nono genitus mense apud Hippocratem, & Aristotelem partus sit die 280. procreatus, & decimestris; vt si ista admittamus, confundi omnia sit necesse, neq; amplius aliquid habeamus, in quo nonomestris à decimestri distingui à nobis possit; cùm tamen & auctores omnes passim distinguere illos constet, & ipse Mercatus eos aliquando distinxisse ab ipsa ductus veritate visus sit; longè perfectiores esse decimestres existimans verbis illis. At verò à de- "
cimo die noni ad decimum vsq; decimi "
men-

" mensis vitalis est; & benè valens; eòq; magis, quò propius ad decimum decimi mensis diem accesserit. Quod verò Gorreus inquit, decimestris spatij nomine Hippocratem decem lunares menses ac solares nouem intelligere, absurdissimum esse, ac Hippocraticis dogmatibus mirificè cōtrarium suo loco demonstrabimus, variam hanc Gorrei mensium acceptionem refutantes. quæ quidem interpretatio vel ex eo satis exploditur, quòd lunares decem menses exacti sunt, vt Gorreus docet, & expleti; at Hippocrates decimestris spatij nomine tempus mensium nouem, ac dierum decem, vt ipse perspicuè in opusculo de Carnibus explicuit, potissimum intellexit. itaq; non exactum decimum, sed eius potius initium in computatione adhibuit. in opusculo autem de Natura Pueri expletum decimum tricenariū Hippocratem intellexisse, cùm dixit non posse partum decimum pertransire, scilicet vt idem in opusculo de Alimento docuit, Soles trecentos, suo pariter loco aperiemus. Quod verò ad Cardanum pertinet (nam de Valesio infra, & libro decimo dicemus) decimestris partus naturam ab Hippocrate & Aristotele explicatam ipsum penitus ignorasse, septimo libro demonstrabimus. Quid igitur? an Hippocrates, & Aristoteles decimestri spatio humanum partum frequentius gigni scriptis mandantes ab ipsa experientia, quæ nos quotidie docet nono mēse fœtus pro maxima parte excludi, discesserunt? non equidem. Dicendum igitur mea sententia; quanquam sicuti & maiora fortasse temporibus illis humana erant corpora, ita & diutius gestari ea si quis diceret, non valde à veritate aberraret: ex quò & Aristoteles in Historijs, & libro primo de Animalium Ortu memorię prodidit primo quinquennio humanum corpus futuræ magnitudinis dimidium capere; quod temporibus nostris vix in trimatu habet veritatem. Vnde vetus querela est Plinio libro septimo Naturalis Historiæ referente, cui Solinus assentitur & Varro, vt est apud Gellium tertio Noctium Atticarum, cuncto mortalium generi minorem in dies staturam fieri; vt ante annos plusquam bis mille vates ille Homerus non cessauerit minora corpora mortalium quàm prisca conqueri; quod & futurum esse sacræ litteræ docuerunt. Dicendum inquam, si quibus mensibus in computando partus tempore Hippocrates, & Aristoteles vsi sint, animo versemur; quibus verò hac nostra ætate vtamur, omnem tolli difficultatem. si enim animaduertamus Iulianis mensibus gestationem hodie nos metiri; Hippocratem verò, & Aristotelem iuxta tricenûm mensium rationem, vt libro septimo monstrabimus ad calculum partus tempus reuocasse; facilè nodosissimam hanc quæstionem enodabimus. cùm enim menses Iuliani nouem expleti dies habeant, vel habere saltem possint, 275. & 276. luce meridiana clarius est dies 280., qui decimestre spatium Hippocrati, & Aristoteli conficiunt, cum nostro spatio nonomestri omnino coincidere; vt inter nostras, Hippocraticasq;, & Aristotelicas obseruationes nulla penitus intersit differentia; cùm, quod nobis Iulianis mensibus vtentibus nonomestre tempus est, illis tricenarios vsurpantibus sit decimestre, ac in decimi initium incurrat. quod eò magis verum esse cōperiemus, si ad memoriam reuocabimus quod paulò supra ex Varrone & Cēsorino à nobis fuit definitū; videlicet nō esse necesse partum, vt hoc spatio genitus dicatur, diem vltimum quadragesimæ hebdomadę attingere, sed satis esse, si in diem aliquem vltimæ huius hebdomadæ incurrat. Item si animo versemur & in his diebus, & in paulò pluribus, & in paulò paucioribus partum edi Hippocratem docuisse; vt dies 280. non raro ad 276., vel circiter, quin etiam & 274. contrahi queant. tametsi Hippocrates quadragenarios respiciens, & hebdomadum decadas, quorum duorum vim esse maximam in iudicandis fœtibus crebro obseruauit, vt perfectissimum limitem statueret, quem maximè natura affectat, dies 280. præsertim expressit. Quòd si non diffiteamur, non sic nostris temporibus exacto nono partum excludi, quin & aliquos de decimo dies capiat, & sæpè capiat; quod tamen à nobis, à nostrisq; mulieribus ignoratur, quia longè minori diligentia quàm in veteri illo eruditissimo seculo, in quo summus discendi ardor inualuit, & gestationis tempora, & alia omnia naturæ opera obseruantur; iam videbimus hac ætate ad diem 280. exactè partum vt plurimum excludi.

Cap. 18.

Cap. 16.

Cap. 5.

Cap. 10.

Esdr. lib. 4. c. 5.

Allata superius tollitur dubitatio. Aliorum quorundam reijcitur ad dictam dubitationem responsio. Cap. 48.

HIs igitur intellectis, quæ nos ipsa duce veritate in medio ponimus, nunc meridiano Sole clarius apparet, verissimè Hip-

Hippocratem affirmare potuisse, huiusmodi interuallum & frequentiorem esse, & naturalem magis pariendi limitem; iustaq; de causa Aristotelem in eandem sententiam septimo Historiarum scripsisse, quod plurimum decimo humanum partum in lucem prodire (quo loco absq; dubio decimi mensis nomine Hippocraticum spatiũ præsertim intellexit) nostrorumq; temporum experientiam in nihilo esse ab horum obseruatione dissentaneam; vt iam quotquot exactò nono mense Iuliano in lucem veniunt, quos & frequentiores esse, sed omnino robustiores, (si diligens adhibeatur periclitatio) ego non dubito, & septem quadragenarijs, & diebus 280. & quadragesima hebdomade, vt pulchrè Varro explicauit, prodire in lucem sint dicendi. Diximus quod plurimũ decimo humanum partum edi septimo Historiarum scriptum esse, hoc sensu cum doctissimo viro Theodoro in Aristotelis loco aduerbium illud τὸ πλεῖστον recipientes, illudq; tantùm cum decimo coniungentes; cùm alioqui, vt infra ostendemus, possit commodè alijs etiam antea enumeratis mensibus attribui: quod tamen non propterea tollit decimestre hoc spatium Aristotelem frequentius non iudicasse; cùm & paulò post fœminas magis fieri decimestres dicens, mares etiam, vt supra monuimus, nasci decimestres demõstrauerit; ideoq; huiusmodi tempus tanquam perfectiori partui conueniens frequentius in natura locum habere indicauerit; hoc idemq; quarto de Animaliũ Ortu, & sect. decima Problematũ, decimum mensem persertim partui dicans, significauerit.

Cap. 4.
Prob. 40.

Ac sanè responsionem hanc nostram longè esse probabiliorem quàm si cum Gorreo, ac Mercato limites mensium confundamus, vel nouas mensium lunarium species ab antiquis phiosophis, ac medicis nedum per somnium excogitatas, sine vlla necessitate introducamus, doctos viros facilè fassuros esse non despero. Non me tamen præterit esse nonnullos eruditissimos huius ætatis homines, qui vt hunc scopulum effugiant, vt contra nostram experientiam Philos. asserere fœtum decimo complurimum edi nõ cogantur fateri, ipsius verba ita interpretantur, vt aduerbium illud τὸ πλεῖστον non significare quidem eo loco sæpè, sed quod dicere solemus ad summum, omnino contendant; adeò vt sententia sit, partum humanum septimo, octauo, & nono in lucem exire, ad summum verò decimo; quanquam nonnullæ etiam mulieres, quod rarissimè euenit, vndecimum attingant. Verùm his primùm meo quidem iudicio vel vsitatus, vel certè vsitatior Aristotelis loquendi modus resistit; qui, quod dicimus ad summum non aduerbio τὸ πλεῖστον, sed hoc altero τὰ πλεῖστα ferè perpetuo videtur significasse. Nam & paulò infra eodem capite docere volẽs mulieres naturaliter ad summum quinq; numero fœtus concipere, non plures; dixit „ πλεῖστα δὲ τίκτεσαι πέντε τὸν ἀριθμόν. idest ad summum, seu „ vt Gaza interpretatur complurimũ quinq; „ nascuntur. È contra verò cùm sæpissimè „ vnum edere eas docere vellet, non quidem πλεῖστα vsus est, sed τὸ πλεῖστον; sic enim di- „ xit. τὸ μὲν γὰρ πλεῖστον καὶ παρὰ τοῖς πλεῖσταις ἓν „ τίκτουσιν αἱ γυναῖκες. idest interprete Theo- „ doro. Nam quod plurimum, & locis plu- „ rimis agitur, mulieres singulos singulæ pa- „ riunt.

Cap. 12.

Prętereà libro sexto de balenæ partu loquens, vt doceret ad summum duo ipsam edere, eadem loquendi formula vsus est. dixit enim ἡ δὲ φάλαινα, ἢ δύο τὰ πλεῖστα „ καὶ πλεονάκις, ἢ ἕν. idest balena vel binos ad „ summum, & vt plurimum, vel vnum pro- „ creat. Postremò, vt tandem finem faciam, „ eodem libro de partu canum sermonem habens, vt ostenderet ad summum duodecim „ canes parere dixit. δώδεκα τὰ πλεῖστα. idest „ ex Theodoro. Parit canis duodecim com- „ plurimum.

Cap. 20.

Sed nec tantùm Aristotelis loquendi vsus, qui, si rectè percipiatur, non parum facit ad illum intelligendum, hanc refellit interpretationem, sed etiam ipsa ratio; eo quòd & falsò, & incassum huiusmodi aduerbium hoc sensu acceptum decimo mensi additum videatur. Nam cùm Philosopho postremus terminus pariendi sit vndecimi initium, non decimus mensis; de vndecimo illi dicẽdum erat ad summum in eo partum excludi; quare & falsò decimo vox illa adiecta esset. quin etiam & si aciem intendamus, frustra additam fuisse comperiemus: cùm enim dicat Aristoteles nonnullas tantùm mulieres vndecimum attingere, sanè & necessariò dicit ad summũ humanum partum ad vndecimum protolli, itaq; incassum hoc idem de decimo pronũciatum videretur. Verùm aduersus ea, quę dicta sunt, difficilis quædam oritur dubitatio: de spatio nanq; decimestri, ac decimo mense huius capitis initio sermonem habentes, nonum, ac decimum pro eodem sumi asseruimus; idemq; voluisse Hippocratem notauimus, & Aristotelem; at paulò supra mutata sententia hos menses inter se differre, Hippocratemq;, & Aristotelem

eos distinxisse constanter affirmauimus; Mercatum propterea, & Gorreum reprehendentes, quòd pro eodem illos acceperint. At enimuero respondemus obiectionem esse nullam; quoniam, vt etiam supra tetigimus, vel iidem, vel diuersi alio, & alio modo cōsiderati dici debeant. si enim ipsos menses, proindeq; noni finem, ac decimi initium, quin etiam & ipsum totum decimum, prout vniparæ proprietati respondent, contemplemur; iam vnicum tēpus illos dicere, atq; idcircò pro eodem sumi asseueramus. si non amplius hoc modo; sed quatenus alter cum altero conferunt hos ipsos menses animo versemur; iam & singulos inter se distinctos esse natura, ab Hippocrateq; & Aristotele distingui affirmamus: quo quidem sensu decimi initio partum esse perfectiorem, & frequentiorem quàm nono ipsi asseruerunt; quare & difficultas nulla. Patet igitur, vt quæ longius diximus compendio colligamus, decimestre hoc spatium dierum scilicet 280. interuallum (in quo frequentius partum excludi cum Hippocrate, & Aristotele ponimus) clarissimis illis viris non fuisse idē quod nonomestre; neq; idem esse potuisse: quia apud illos nonomestre spatium diem 270. non pertranseat, nec vllo modo decimum mensem attingat; vt iusta de causa duo hæc tempora seiunxerint. Patet rursus, nobis, quibus maior est mensis quantitas, idem esse quod nonomestre; adeò vt nonomestres nostri partus nulli alij sint, quàm quos Hippocrates, & Aristoteles dicunt decimestres: vt meritò D. Augustinus menses nouem, ac dies circiter sex Dominum Nostrum Iesum Christum gestatum fuisse dicens, si Iulianos menses intellexit, exactè dierum 280. interuallum ob oculos nobis posuerit; cùm si menses Iulianos nouem diebus 275. constare dicamus, vt verè constant, tota summa in diem 280. incurrat. ex quò etiam pernotescit, cur Galenus nonum mensem pasim recipiat tanquam crebriorem limitem, ac perfectiorem, vt secundo de Symp. Cau. & tertio de Nat. Fac. liquet. ac ferè præceptoris oblitus aut nullam, aut raro de mense decimo faciat mentionem; quin potius illum aliquando minus perfectum, ac minus naturalem terminum existimare videatur, & in quo rarius partus venerit in lucem. cùm enim sua ętate Iulianus annus in vsu esset, ab eoq; receptus, vt ex Commentario primo primi Epidemicon satis constat, vidit acutè nonomestre spatium cum decimestri Hippocratico coincidere; quare meritò nonomestre spatium pro decimestri passim accepit. Cur autem secundo Epidemicon septimestre tantùm, ac nonomestre interuallum Hippocrates expresserit, quod Mercatus vocabat in dubium, non est nostrum diuinare; alia enim tempora non propterea ab illo excludi octauo libro demonstrabimus. nunc ad octomestrium naturam indagandam redeamus.

Cap. 3.
Cap. 3.

Quid de octauo mense, & octomestri partu senserit Aristoteles proponitur discutiendum; ipsius verba explicantur. Cap. 49.

ARistotelem septimo libro Historiarum octauum mensem tanquam naturalem, ac vitalem inter alios, quos enumerauit vitales, ac naturales menses, percensuisse; ita tamen vt tertium locum illi impertiri visus sit, superius pluribus ostendimus. Nunc igitur qua de causa id factum ab eo fuerit, cur octauum mensem naturale pariendi tempus, & octauo genitum partum vitalem esse existimauerit, ac naturalem; minus tamen vitalem, ac naturalem, minusq; perfectum, quàm eum, qui septimo mense in lucem venit, vt plenissimè quartę dubitationi satisfiat, iam venit disserendum. Vt autem à primo ordiamur, qua scilicet ratione permotus Aristoteles octauū mensem inter pariendi tempora naturalia enumerauerit; id facilè attingemus, si ea, quæ supra ex eodem disseruimus de causis, cur inęquale, & multiplex partus maturescendi tempus solus homo habeat, ad memoriam reuocabimus. Dictum est eo loco hominem sua natura multiparum, pauciparum, vniparumq; esse animal, & quia hæc animalia diuersis temporibus partum maturum edunt, propterea hominem, quoniam cum omnibus ambigit, diuersa partus edendi tempora necessariò esse nactum. Nam & hoc esse dicebamus, quod apertissimè significauit Aristoteles verbis illis iuxta Theodori conuersionem. Hinc tempus etiam vteri ferendi enorme vnum hoc animal sortitum est. habet enim græca oratio. διὰ δὲ τοῦτο τοὺς τῆς κυήσεως χρόνους, μόνῳ τῶν ζώων ἀνωμάλως εἶναι συμβέβηκε. quod est, si ad verbum exprimamus. Propter hanc autem causam gestationis tempora huic inter anima'ia soli inæqualia, variaq; esse contingit. quod etiam sua interpretatione Trapezuntius significauit, quæ ita habet. Et idcircò gestationis quoq; tempora soli animalium inæqualia esse accidit: his

his enim verbis causam se in superioribus explicuisse testatur Aristoteles, ob quam solus inter animalia homo inæqualia, variaq; habet tempora pariendi; at nulla alia causa ab eo posita vel fingentibus occurrit, vt ibi dicebamus, quàm quòd sua natura vniparum sit animal, pauciparum, ac multiparum; quare ex Præceptoris mente hæc & nulla alia causa erit, cur inæquale, enormeq; tempus pariendi soli homini contingat, quia sua natura multiparum, pauciparum, vniparumq; sit animal. Habet autem inter animalia solus inæqualia gestationis tempora, quia plura habet; cùm alioqui vnicum alijs existat. Nam & sic philosophus se explicans subiungit. τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις εἷς ἐστι ὁ χρόνος, τοῖς δ' ἀνθρώποις πλείους. idest cæteris enim vnum est tempus, homini verò plura. at plura gestationis tempora homini data esse, vel ex eo probat Aristoteles, quòd septimo, ac decimo mense, ac intermedijs temporibus partus veniant in lucē: sic enim sequitur. καὶ γὰρ ἑπτάμηνα, καὶ δεκάμηνα γεννῶνται, καὶ κατὰ τοὺς μεταξὺ χρόνους. quod est, vt ego ad verbum interpretor. Etenim & septimo, & decimo nascuntur, & secundum tempora intermedia. ac rectè quidem χρόνους inquit, tempora videlicet non tempus: duo enim tempora interiacent inter septimum ac decimum, & menses duo, octauus scilicet, ac nonus; quod vt significaret Aristoteles, idcircò tempora dixit, non tempus. Itaq; ex ipsius sententia à primo ad vltimum, vt clarissimè elucet, homo inæqualia habet tempora gestationis & incerta, quia plura habet; habet autem plura, quia septimo, decimo, ac intermedijs mensibus partum maturum edit; demum septimo, decimo, ac intermedijs mensibus maturum edit, quia sua natura multiparum, pauciparum, vniparumq; animal existit. quà enim multiparum breuiore tempore, septimo videlicet maturum edit; quà vniparum longiore, nempè decimo, & circa finem noni; quà pauciparum octauo, & noni principio.

Explicantur verba Philosophi ad partum octomestrem, & octauum mensem pertinentia. Cap. 50.

PORrò autem hæc omnia, vt videmus, ex Philosophi disputatione, atq; ex superius positis necessariò sequuntur, tametsi ab eo sigillatim, & clarè non videantur explicata; cui de more satis est fundamenta iacere, ac paucissimis verbis infinita penè docere, ipsamq; veritatem digito monstrare. Si enim homini quà multiparum, vniparum, pauciparumq; animal est, varia, ac plura gestationis tempora conueniunt; plura autem hæc tempora sunt septimus, ac decimus, & tempora intermedia; igitur & homini quatenus multiparum, pauciparum, vniparumq; est, septimus ac decimus, & quæ interiacent tempora conueniunt. At octauus interiacet, igitur & homini necessariò hac de causa conuenit. Cur autem septimus primo vitalis sit, non tangit Aristoteles, quia videbat facilè ex dictis colligi veritate intellecta; superius tamen nos ex eius fundamentis satis apertè videmur docuisse; sicuti nec disserit, cur post decimum, vndecimiq; initium gestatio naturaliter non proferatur; quia ex ijsdem fundamentis dissoluitur, vt supra ostendimus. Quoniam autem de ipso octauo videbat se superioribus verbis affirmasse, ipsum esse mensem ad gestandum naturalem, ac partum in eo genitum vitalem, cùm dixit & septimo, & decimo, & intermedijs temporibus humanum partum in lucem venire; quibus & octauo hominem gigni (quia inter septimum, ac decimum hic mensis interiaceat) satis apertè videbat se posuisse: quod tamen non exiguam habere controuersiam ipsum non latebat, quemadmodum etiam septimo de Historia Animalium notatum reliquit; idcircò, vt in re grauissima suam nobis mentem aperiret, vt naturale octauum mensem gestationis tempus, & octauo genitum vitalem partum se existimare confirmaret, & qua de causa sic arbitraretur demonstraret; ita subdit quasi dubitanti animo occurrens. καὶ γὰρ τὰ ὀκτώμηνα ζῇ μέν, ἧττον δέ· τὸ δ' αἴτιον ἐκ τῶν νῦν λεχθέντων συνίδοι τις ἄν· εἴρηται δὲ περὶ αὐτῶν ἐν τοῖς προβλήμασι. quod est ad verbum exprimentes. Etenim octomestres viuunt quidem, minus autem. causam verò ex his, quæ nunc dicta sunt, quis percipiet. dictum est autem de ipsis in Problematibus. Hæc ille; quibus duo maximi momenti ad naturam octaui mensis probè dignoscendam ponere videtur. Alterum est, quod facit ad primum ex duobus initio propositis caput dissoluendum; octauum videlicet mensem tempus esse gestationis naturale; quod satis clarè ponit Aristoteles, cùm dicit, octomestres viuunt. quibus octauo editos naturales, ac vitales esse partus, & octauum mensem naturale, ac vitale esse tempus omnino statuit. Alterum, quod secundū caput definit; scilicet oc-

Cap. 4.

taum mensem minus esse septimo, non tantùm nono, & decimo naturalem, ac vitalem; & partum in eo editum minus quàm septimestrem viuere; quod perspicuè docuit Aristoteles cùm addidit. minus autē. quæ verba cùm generaliter pronũciauerit, videtur omnium mensium respectu, ac partuum, quos supra enumerauit, & sic non solùm decimestrium, ac nonomestrium, sed etiam septimestrium ratione ea pronunciasse: ita vt septimum octauo, septimestrem octomestri anteponere, quemadmodum supra dicebamus, omnino videatur. quæ quidem duo & sensisse Philosophum, & iustissimis permotum, grauissimisq; de causis sensisse, facilè quisq; veritate cognita fatebitur. inquit enim ipse citatis verbis octomestres viuere, sed tamen minus; causam verò colligi ex his, quæ paulò supra disputauerat: quare & horum duorum causam ex superioribus voluit haberi; cur scilicet octomestres viuant; & cur minus viuant. at supra dixerat hominem esse multiparum, pauciparum, vniparumq; animal, ideoq; varijs temporibus, ac mensibus, septimo scilicet, decimo, ac temporibus intermedijs partũ edere; quare ex his cur octomestres viuant, ac minus viuant, causam elici oportere Philosophus iussit. quam profectò veritatem, quod ad primũ caput spectat, Suessanus acutè contuens in eandem sententiam hæc verba accepit; ac viuere idcircò octomestres dixit Aristotelem asseruisse, quia in partu homo non sit animal vniforme; propterea; possit non solùm nono, sed septimo, & octauo vitalem parere.

Quo sensu accipiendum quod scribit Aristoteles, se de octauo genitis in Problematibus dixisse. Cap. 51.

HOc quidem igitur & ita esse, & summam habere veritatem, sequenti disputatione ostendemus: vbi tamen antea hoc loco explicauerimus, quid sit quod Aristoteles subiungit, dictum de ipsis à se esse in Problematibus; siquidem sine vlla dubitatione de octomestribus intelligit, inquiens, περὶ αὐτῶν: quæ verba ad aliud nihil, quàm ad octomestres referri possunt. Voluit igitur mea sententia dicere, se in Problematis de ipsis octomestribus harum duarum quæstionum, cur viuant, ac minus viuant, causam explicasse: quod tametsi nusquam in eo libro reperitur, ac præsertim in decima sectione, non est vt miremur; cùm pleraq; Problemata temporum iniuria amissa sint, ac totum illud opus mutilum, lacerum, lacunosumq; appareat. Atq; sententiam hanc, quòd hoc Problema desit, aut saltem quæstio imperfectè, ac ieiunè tractata sit, doctissimos viros Cardanum Contradicentium Medicorum libro primo, Fridericum Sylburgium in sua Problematum editione, quam immortali cum laude, ac summa studiosorũ vtilitate adornauit, secutos esse video. nam Cardanus Aristotelis locum hunc adducens, ita scriptum reliquit. Quod tamen (scilicet Problema) non inuenitur apud nos, euo nobis quæ tradidit, magna ex parte subtrahente. Sylburgius verò sic in præfatione ad litteratissimũ virum, atq; de bonis artibus optimè meritum Hieronymum Mercurialem. Sic libro quarto de Generatione Animalium 289. 2. ait in Problematibus à se declaratum, διὰ τί τὰ ὀκτάμηνα ζῇ μὲν, ἧττον δέ; quæ quæstio ab Alexandro quidem disertè tractatur 313. 28. In Aristotelicis verò Problematis leuiter admodum attingitur 81. 28. Quanquam quod Sylburgius addit, Aristotelicam quæstionem disertè ab Alexandro tractari, in Problematis leuiter attingi, neutrum recipimus: eò quòd Alexander citato loco contrariam penitus & ponat, & edisserat quæstionem; videlicet octomestres nullo modo viuere, nullo modo esse vitales; & qua de causa: cùm è contra Philosophus octomestres viuere, & esse vitales, sed tamen minus quàm reliquos partus affirmet; horumq; duorum causam à se in Problem. dicat explicatam. item perspicuum sit, dici posse in ipsis Problematis iuxta sensum, quo Aristotelis verba accipiemus, vel nedum leuiter quæstionem hanc attingi, sed omnino nihil, quod ad eam pertineat explicandam, in ipsis disputatum inueniri; vel è contra plenè esse pertractatam. Nam si asseramus de causis cur octomestres viuant, ac minus viuant, in Problemat. à se dictum Aristotelem intelligere; constat hac de re nullum verbum in illis inueniri: si tantùm octomestres viuere, & esse vitales; patet id plenè in eo opere & pulchrè esse demonstratum; eò quòd si tantùm de ipsis octomestribus se in Problematis asseruisse, hos partus esse vitales, intellexit, Problema quadragesimũ-quartum sectionis decimæ significauit; in quo satis clarè hoc videtur affirmasse verbis illis, quæ ad verbum de græcis expressa ita sonant. An propterea quòd solus inter animalia homo multa habet tempora gene-

Tract. 3. contrad. 8.

» generationis? etenim septimestres, & o-
» ctomestres, & decimestres oriuntur: alijs
» verò animalibus vnum est tempus perfe-
» ctionis. At hic eo sensu videmus Aristotelem dicere, hominem plura habere tempora generationis, quo & reliqua animalia vnum. item quam in homine generationem dixit, mox perfectionem interpretari. itaq; sicuti & alijs animalibus tempus, quod vnicum habent, naturale est, ita & homini multa illa tempora naturalia existunt, & data sunt ad partus perfectionem: est enim perinde ac dixisset, hominem multa habere tempora ad perfectionem. Cæterum hæc tempora varia enumerans Aristoteles, octauum mensem recenset; quare existimat tempus id datum homini esse ad partus perfectionem, ac maturitatem; proindeq; octauo genitum naturalem, vitalemq; esse partum hoc loco decernit. Tria autem tempora ponit, quia multipari, paucipari, vnipariq; animalis naturam respicit; ac vndecimum ob causas, quas infra dicam, sicuti & quarto de Ortu Animalium prætermittit: neq; nonũ subticet, quia notus sit, vt nonnullis placet; neq; mensis hic librariorum vitio excidit, vt Aponensis in Commentarijs existimauit; sed decimi nomine nonum quoq; intelligit, quatenus decimus mensis septimum quadragenarium quoque Hippocrati significat; quo modo nonum mensem cum diebus decem decimus compræhendit.

Quare octauus mensis naturale sit gestationis tempus secundum Aristotelem. ipsius verba ex quarto de Ortu Animalium vberius enarrantur, Theodorusq; reijcitur. Cap. 52.

QVa de causa octauus mensis naturale gestationis tempus existimari debeat, proindeq; & partum in eo editum naturaliter viuere arbitrandum sit, quemadmodum verbis apertissimis citato quarti de Animalium Ortu loco scribit Aristoteles, sic ego ex superiori ipsius disputatione (quod & ipse fieri posse testatus est) facilè colligi autumo. Dictum est superius à Philosopho hominem sua natura multiparum, pauciparum, vniparumq; esse animal, & quoniam huiusmodi sua natura existit, idcircò inæqualibus, varijs, ac pluribus temporibus, septimo videlicet, ac decimo, & mensibus intermedijs partũ edere. Hoc posito nemo est qui non videat, nisi omnino rudis & imperitus, necessariò sequi octauum mensem tempus esse naturale, ac partum in eo genitum naturaliter vitalem; vt rectissimè huius rei causam ex superioribus posse accipi Philosophus tradiderit. quoniam enim octauus mensis inter septimum, decimumq; interiacet; homo autem ob allatam causam intermedijs temporibus maturum partum naturaliter gignere potest; iurè & meritò ab Aristotele proditum est octauo genitos viuere: ita vt & mensis hic naturalis, & partus in eo veniens in lucem vitalis debeat existimari. quod enim certam firmamq; habet causam naturalem, nõ potest nõ esse naturale: atqui octauus mensis, quòd tẽpus sit naturale gestationis, ac partus in eo genitus, quòd sit vitalis, certam habent, ac firmam causam naturalem; videlicet ipsius hominis multiplicem naturam, quæ ob expositam causam id fert, ac requirit, vt eo mense gestare partum, ac maturum parere valeat; itaq; rectissimè colligit Aristoteles ob ea, quæ posuit, octomestres viuere; siquidem dixit absolutè, ζῆν, sci- »
licet viuunt; non, vt fatali culpa conuertit
Theodorus, viuere possunt. quod quidem »
verbum respondet illis, quæ septimo Historiarum dicta sunt, octauo genitos in Aegypto ζῆν, & ἐκτρέφεσθαι, in Græciaq; σώζεσθαι, idest viuere, adolescere, ac seruari. quo loco, si quis mentis aciem intendat, videbit Aristotelem duo illa, & adolescere, & seruari addidisse, vt apertius explicaret, quid priori verbo, viuere, sibi vellet; ostenderetq; nil aliud se intellexisse, cùm viuere octomestres dixit, quàm adolescere eos, & seruari: vnde necessariò hic, vbi illorum omnium causas affert, quæ septimo dixerat Historiarum, videlicet hos partus viuere, atq; ad exactos annos nutriri, & seruari, non potest in alium sensum hoc verbum extorqueri. Rectè igitur concludit, non quidem, vt supra monebamus, viuere eos posse, vt falsò illi imponit Theodorus; quasi si viuunt, naturaliter non viuere, sed casu potius quodam, ac raro, vel magna cum difficultate illius verbi adiectione ostendere voluerit; sed absolutè viuere. Cuius quidem veritatis certissimum testem non solùm habeo græcum exemplar, sed ipsum quoq; Trapezuntium græcum pariter hominem, ac virum eruditissimum, qui hunc Aristotelis locum sic interpretatur. Nam & septem, »
& decem mensium, & interposito spatio, »
nascuntur: viuunt enim, quamuis minus, »

Cap. 4.

qui

» qui mense octauo nascuntur: & causam ex » his, quę modò diximus, quispiam profectò » conspexerit. Hæc ille; quibus non quidem posse viuere, sed omnino viuere octauo genitos Aristotelem asseruisse satis mõstrat. quod sanè idem ex veteri quoq; colligitur interpretatione, annis fortasse mille antea cofecta, quàm Gaza & Trapezuntius de his libris conuertendis cogitarent; sic enim & in ea hunc locum translatum inue-» nimus. Etenim quæ octo mensium, viuũt » quidem, minus autem. causam autem ex » nunc dictis considerauerit vtiq; quis. Cuius etiam testimonio non quidem posse viuere octauo genitos, sed omnino viuere affirmat Aristoteles. Hinc verò res ipsa loquitur, facilè nos admoneri, sine litterarum græcarum cognitione in Aristotelica philosophia sublimes veritatis fores, nisi natura mira quadam virtute & ducat, & patefaciat, aut non tangi à nobis vnquam, aut certè frustra pulsari. Absolutè autem ac simpliciter viuere octomestres Philosophus pronunciat, quoniam ob allatas rationes huic partui naturale esse censet, vt vita potiatur: quoniam enim tempora ferendi vteri, vt eundem locum diutius vrgeam, quemadmodum idem eodem quarto de Animalium Ortu infra admonet, nosq; supra explicuimus, pro magnitudine animalium descripta sunt; quæ autem maiora sunt, vnipara, quæ minora, multipara, quæ mediocria paucipara sua natura extant; rursum quæ maiora & vnipara sunt, diutius vterum gerunt; quæ minora & multipara tempore breuiori; quæ mediocria & paucipara tempore mediocri, vt suis locis supra tetigimus; iusta euenit ratione, si homo, quà multiparum animal est, septimo partum edit, quà vniparum circa noni finem, ac mense decimo; vt quà pauciparum, existit temporibus intermedijs, proindeq; octauo, atq; inter initia noni maturum parere, ac vitalem posit. enimuero sicuti mediocribus magnitudinibus, quod pertinet ad partuum numerum, medium natura dedit; statuens minora multos, maiora vnum, mediocria duos, vel tres gignere, & in lucem edere; nam hi numeri auctore libro tertio de Animalium Ortu Aristotele sunt inter vnum, & multa; quod eiusdem Aristotelis est sic » quarto libro differentis. Item plus semi-» nis genitalis esse quod maioris est anima-» lis, minus autem quod minoris necesse » est; at multa effici parua in eodem possunt. » multa magna effici difficile est: mediocribus verò magnitudinibus medium à natu-» ra datũ est. ita & homini qua ratione pau-» ciparum animal est, intermedium ad partus maturitatem, & mediocre tempus videtur eadem natura tribuisse. Quod quidem totum summè esse rationi consentaneum facilè confitebimur, si temperationem, naturamq; hominis diuinè ab Aristotele explicatam animo versabimur.

Cap. 10.

Cap. 1.

Cap. 4.

De varijs fœtuum temperamentis quædam magni momenti disputantur. Cap. 53.

Dictum à Philosopho est, à nobisq; supra explicatum, diuersa & contraria ferè temperamenta in homine coniungi; ita vt multiparum propterea, pauciparum, vniparumq; animal existat; diuersaq; habeat tempora fœtus maturescendi. Itaq; semen ac materia, ex qua formatur fętus, pro horum diuersorum temperamentorum ratione, quæ retinuerit, suam maturitatem diuersis temporibus necessariò adipiscetur. iampridem enim supra probatum est veram partus causam ipsam esse materiæ, ac seminis maturitatem, nec aliam vllam ex Aristotelis sententia: quod non solùm in specie diuersis locum habet, sed in eiusdem etiam speciei partubus, si latitudinem temporis aliquam nacti fuerint (vt in homine videmus) diuersosq; terminos maturescendi: nihil enim nasci nisi suo tempore potest, vt tàm sæpè ex Aristotele inculcauimus. quare septimestris, vel octomestris, vel nonomestris, ac decimestris fœtus mense septimo, octauo, nono, ac decimo orietur, quia materia talis erit sui temperamenti ratione, vt eo mense maturitatem nanciscatur. sicut enim non quodlibet, & vtcunq; sors tulit, ex quouis semine oritur; veluti pulchrè docet primo libro de Partibus Animalium Aristoteles, sed hoc ex hoc: neq; ex corpore quolibet semẽ quodlibet prodit; principium nanq; & efficiens rei, quæ gignitur, semen est: sunt hæc enim natura, & proinde ex hoc enascuntur; atq; etiam priusquam hoc, illud est, vnde semen expromitur. semẽ enim ipsum generatio est, finis verò substantia; vtrisq; autem his prius illud est, à quo proficiscitur: semen enim bifariam accipitur, videlicet ex quo, & cuius; nam & à quo decessit, eius semen est, vt equi; & eius, quod ex illo futurum est, vt muli. sicut inquam hæc ita se habent, sic & non ex quouis semine, & vtcunq; sors tulit, septimestris oritur, octomestris, vel nonomestris, ac de-

L. 4. de Ortu Animal. Cap. 4.

Cap. 1.

ac decimestris; sed hoc ex hoc pro temperamenti varietate, quam à natura hominis ipsum semen accipit, ex quo prodit, variè sic disposita ac affecta. quare semen ex quo formatur humanus partus (ac seminis nomine mēstrua, & virtutem formatricem intelligo) non solùm considerandum erit prout hominis semen est, ex quo discessit; sed etiam vt eius est, quod ex illo futurum est, vt septimestris, vel octomestris, vel nonomestris pro ipsius vario temperamento, atq; ad agentem virtutem proportione; de qua re plura libro septimo disputabimus. siquidem pro agentis virtutis ratione potissimum gestationis tempus definitur; cuius rei illustre prabet sexto de Animalium Historia Philosophus exemplum, docens tempus gerendi vteri, si equus cum asino coierit, maris norma euenire, idest quanto spatio temporis mas perficitur suo in genere, tanto etiam fœtum, quem ipse procreat, absolui. at verò magnitudine corporis, specie, & viribus magis fœminæ quàm mari simile, quod nascitur, euadere. ac sanè meo quidem iudicio rectissimè, formatrix nanq; facultas, quæ calor est, & in calore virtus, & quæ formandi, concoquendiq; munus obtinet, à mare prouenit, in eiusq; semine residet. Hoc autem varium materiæ, ex qua formantur fœtus, temperamentum in principio ac parte, quæ originem continet caloris naturalis, quæ à maris semine affertur, statim haberi est necessarium, videlicet in ipso corde; in quo hæc ipsa origo statim complantatur, & tanquam in tutissima arce collocatur; non secus ac in ista ipsa parte temperamentum est & causa, ob quam alterum fœmina, alterū mas oritur; cuius rei causa est, vt infra etiam dicemus, quòd partes nonnullæ principia sunt, cor autem maximè; principio autem vel exiguo mutato multa ex ijs, quæ sequuntur commutari, ac dimoueri necesse est, quemadmodum pulchrè primo, & quarto de Animaliū Ortu admonet Preceptor. quare pro materiæ, ac seminis temperamento corde temperationem recipiente, ac mutationem, fœtus, qui formatur, vel septimo, vel octauo, vel nono, ac decimo maturitatem adipiscetur. Sicuti enim non solùm perficiendi cuiusq; animalis certa est magnitudo, tùm ad maius, tùm verò ad minus, quem terminum non supragrediuntur, vt vel maiora, vel minora euadant; & sicut materia seminalis, ex qua consistunt animalia, non indefinita est magnitudinis ratione, nec in plus, nec in minus, vt ex quantalibet possint generari; sed præscripta, certaq; est facultas ac virtus patientis, & agentis, & certum quantum ex certo quanto fit, vt pulchrè quarto de Animalium Ortu docet Aristoteles; demum sicut perficiendi, augendiq; fœtus termini sunt à natura constituti; sic & eadem hæc seminalis materia, ex qua formantur, indefinita esse non potest variorum temporum respectu, quæ varios constituunt limites maturitatis; vt ex qualibet septimestris, octomestris, vel nonomestris possit generari; sed hac quoq; ratione præscripta, certaq; erit facultas agentis, & patientis; vt vnusquisq; fœtus ex propria materia generetur; ac non solùm certum quantum ex certo quanto, sed certum quale ex certo quali conformetur. quare octomestris ex materia, quæ octauo mense maturescere exposcat, generabitur; & ex materia tali generatus, erit omnino vitalis, ac naturalis; quia scilicet in lucem exeat maturus. iam enim longa disputatione superius docuimus maturitatem ipsam naturalis, ac vitalis partus veram esse causam; iam diximus nostra maximè propterea referre, vt quæ nam ista esset causa ex Aristotele statueremus; hoc enim posito & recepto nemo est qui non videat, si maturitas partus vitalis causa est ac naturalis, octauo genitos, si maturi exeunt, naturales ac vitales partus nasci oportere: vt idcircò summa diligentia cæteris reiectis, ex Hippocrate, & Aristotele probare veram partus causam ipsam esse maturitatem nobis necesse fuerit. prçterquàmquòd & si reliquas iam etiam confutatas reciperemus, scilicet alimenti defectum, vteri angustiam, caloris maiorem euentationem, pondus nimium, ac molem; quia hæ omnes non secus in octauo mense quàm in septimo, nono, ac decimo locum habere queunt, si partum facerent naturalem, octauo quoq; genitos partus nihilominus vitales, ac naturales efficerent; quāquam solam maturitatem partus esse causam cum Hippocrate, & Aristotele profitemur. Cuius profectò maturitatis tanta vis est apud Præceptorem, vt non solùm si non habeant eam septimestris, octomestris, & nonomestris, alio mense nascentes, siue ante maturitatis propriæ tempus oriantur, siue postquam aduenerit illis, diutius in vtero retineantur, vitales nullo pacto exire queant; sed (mirum profectò dictu) si vnius & eiusdem mensis partus illam exactè non assequatur, omnino interiturus in lucem exeat. quòd adeò clarè

libro

Cap. 23.

Cap. 2. 1.

Cap. 4.

[*Cap. 6.*] libro quarto de Aimalium Ortu docuit Ariſtoteles, vt nullus relinquatur locus dubitandi, cùm ſcripſit, mortis geminorum diſparis ſexus cauſam aperiens, ideo minus hos partus viuere; quia vel alterum cunctari contingat, vel alterum præuenire. cùm enim mas & fœmina, eodem alioqui menſe, puta nono, naſci valeant, ſed mas exempli gratia nono medio, quia citius matureſcat; fœmina verò, quia diutius, eodem nono ſeneſcente: vult hoc loco perſpicuè Philoſophus, ſi hi partus ad noni finem in lucem veniant, marem periclitari, quia poſt ſuæ maturitatis tempus ortus eſt: ſi medio nono naſcantur; interire fœminam, quia maturitatis ſuæ tempus anteuertat. atq; hoc eſt quod ſupra dicebamus, illud Ariſtotelis dictum, quòd nullũ animal niſi ſuo tempore naſcatur, in partubus etiam; qui ijſdem menſibus oriuntur, habere veritatem: vt iam longè magis quod ſuperius de illius ſententia innuebamus, clariuſq; infra dicturi ſumus, rationi videatur conſentaneum; ſeptimeſtrem videlicet interire ſi octauo menſe, octomeſtrem ſi ſeptimo, vel nono; nonomeſtrem ſi octauo, vel decimo; decimeſtrem ſi nono vel vndecimo in lucem veniant; cùm non ſolùm hi, ſed qui etiam non ſuis, ſtatutiſq; eiuſdem menſis diebus prodeunt, Ariſtotele teſte periclitentur. Non eſt tamen fortaſſe diffitendum aëris temperationem, alimenti qualitatem, ac ſimilia per nonnullos fortaſſe dies partum reddere variũ poſſe; quod ſuperiori diximus diſputatione, vbi has ab alijs inuectas enormis temporis cauſas reijceremus: per inſigne verò dierum interuallum poſſe, quemadmodum etiam ibi admonuimus, nullo modo concedendum; quod hic Ariſtotelis locus manifeſtè docet.

Quare octauo geniti vitales ſint ſecundum Ariſtotelem vberius explicatur. Cap. 54.

IAm verò & hoc eſt, vt ad noſtra redeamus, quod hoc loco licèt obſcurè ſignificat Ariſtoteles, dicens hominem ſeptimo ac decimo naſci, & temporibus intermedijs: diuerſa enim ſeminis, ex quo formatur humanus fœtus, temperamenta, diuerſaq; ob id tempora maturitatis illius nobis ob oculos ponere voluit; quibus poſitis rectiſsimè argumentatus eſt octauo genitos viuere; quia videlicet ſemen, ex quo fœtus formantur, varij humanæ naturæ temperamenti habita ratione, tale produci à muliere poſsit, vt non ſeptimo, ac decimo tantùm, ſed intermedijs temporibus, ac proinde octauo maturitatem valeat adipiſci. quod acutiſsimè Auerroes contuens, vt infra ſuo loco planum faciemus, dum Præceptoris hæc verba explicaret, apertiſsimè notatum reliquit, ſi fœtus octauo prodeuntis complexio, temperatioq; media fuerit inter ſeptimeſtrem ac nonomeſtrem, tunc huiuſmodi partum non ſecus ac ſeptimeſtrem & nonomeſtrem prodire vitalem. Quod etiam & illi fateantur neceſſe eſt, qui clariſsimam Philoſophi eſſe ſententiã animaduerterint, firmiſsimiſq; rationibus, quin etiam & ipſa ſenſuum fide comprobatam; præſertim quod pertinet ad ipſa animalia, naturas intermedias extremarum conditiones participare: quod de octauo genitis hoc loco idem ſatis apertè indicauit; colligens ex eo, quod dixerat, intermedijs temporibus, inter ſeptimum videlicet ac decimum poſitis, hominem naſci, octauo genitos vita potiri. voluit enim dicere octomeſtres partus, quoniam interiacent, ac tempore intermedio oriuntur, ſeptimeſtris, ac decimeſtris tanquã extremorum naturam participare, & conditiones; qui cùm vitales partus ſint, ac naturales, neceſſariò etiam octauo genitos tanquam intermedios vitales reddunt, ac naturales. enimuero natura, vt communis eſt, ac protrita, peruulgataq; philoſophorum propoſitio, non tranſit ab extremo ad extremum ſine medio, quod extremorum non ſit particeps; ex quò & adeò de inanimatis paulatim, ſenſimq; ad animata tranſit, quemadmodum pulchrè octauo libro de Animalium Hiſtoria ſcriptum legimus, [*Cap. 1.*] vt continuatione ipſa lateat eorũ confiniũ, ac medium vtriusnam ſit extremi. at maturũ vitalemq; parit ipſa ſeptimo, ruſuſq; maturũ ac vitalẽ nono & decimo; cur igit & non octauo, qui in medio eſt collocatus? etenim libro tertio de Partibus Animaliũ [*Cap. 1.*] clamat Præceptor in animantium, ac partiũ ipſorum productione mediũ particeps eſſe vtriuſq; extremi: & eiuſdem operis quarto [*Cap. 13.*] medium ipſum, & vtrunque extremum & neutrum participare. quamobrem octomeſtris partus veluti medius & extremi vtriuſq; & neutri erit particeps; ac neutri quidem quatenus diuerſam ab vtroque temperiem nactus eſt; tametſi & id alia ratione veritatem habeat, vt infra explicabimus. habet enim humoris, caloriſq; minus quàm ſeptimeſtris, pro quarum ratione qualitatum, vt Auerroi placuit, geſtatio breuiores limites acquirit; ſed magis ta-

men quàm nonomestres, ac decimestres; vnde celerius maturescit, quàm nonomestris, tardius, quàm septimestris. illius verò causæ, quæ à magnitudine pendet, minus, quàm nonomestris, ac decimestris particeps est; sed magis quàm septimestris. quare & citius maturitatem adipiscitur, quàm nonomestris, sed tardius tamen hac ipsa de causa, quàm septimestris, ob idq; tanquam diuersus in temperamento neutri extremi videtur esse particeps. Verùm quia aliquo modo eius causæ ratione, quæ à calore, & humore pendet, cum septimestri consentit; alterius verò respectu, quæ ad magnitudinem refertur, cum decimestri; idcirco & vtrunq; extremum rectissimè dicitur participare: quod quidem totum, vt superius animaduertimus, Aristoteles extrema, intermediaq; tempora ponens, & commemorans eleganter significauit. Verùm his ita disputatis, octomestrem partum ex Aristotelis sententia vitalem esse, ac naturalem, & qua de causa; itē quàm rectè ipse collegerit, hos partus viuere, causamq;, cur viuant, ex illis, quæ supra posuerat, haberi, omnibus arbitror esse compertissimū. quamobrem videndū superest, qua rursus de causa eosdem viuere minus pronunciauerit; idq; itidem colligi voluerit ex superioribus.

Qua de causa octauo genitos vitales minus esse, quàm septimestres, ac decimestres Aristoteles pronunciauerit. Cap. 55.

SI quæ superius de septimestris, ac decimestris fœtus temperamento ex Aristotelis, Auerroisq; sententia disseruimus, memoria repetamus, alterius quidē huius capitis facilis erit, & expedita dissolutio; adeò vt ex horum percensione, quænam sit imperfectio illa, & infelicitas, quam octomestribus omnes impartiunt; quæ causa infelicitatis liquidò constet. quod enim omnes, vel plures existimant, vt grauiter in opusculo de Diuinatione per somnium notat Aristoteles, tanquam ab experientia dictum præstat fidem. Positum superius fuit, hominem sua natura caloris, & humoris maximè esse participem; temperamenti verò huius ratione septimestres gignere, ideoq; maximè vitales. Positum præterea fuit, hominem sua natura magnitudinis ratione maximè esse vniparum animal, huiusq; rei causa nonomestre, ac decimestre spatium illi congruere, quod propterea sit reliquis perfectius. quoniā igitur à septimestriū temperamento octomestres deficiunt; item & à nonomestrium, ac decimestrium perfectione; iure, & meritò vitales minus, ac minus perfecti partus existimari debent; tanquam illi, qui ab eo, quod minus homini conuenit, minusq; naturæ illius insitum est, ortum ducant; ab illis verò, quæ humanæ speciei maximè congruunt, magisq; sunt intima, aliquantulum recedant; vt rectè superiori disputatione à nobis dictum, sit octauo genitos perfectionem primam, quæ ad vitam facit, imperfectiori modo participare, quàm septimestres, quod acutissimè contuens Aristoteles, cùm intermedio tempore nasci octomestres posuisset, ideoq; medium hoc temperamentum induere, minus illos viuere pronunciauit: intelligens, vt superius animaduertimus, non solùm decimestrium, nonomestriumq; respectu, sed etiā septimestriū ratione id habere in octomestri veritatē; in octomestri inquā per se, cū partus, vt infra dicturi sumus, per se, vel per accidēs talis à mensibus denominetur. vt iam perspicuum sit lōgè hæc nostra probabiliorem dare rationem, cur septimestres octomestribus sint perfectiores arbitrandi; quàm si cum Cardano ad numeros, numerorumq; virtutem, aliaq; huiusmodi leuissima cōmenta confugiamus. hic enim auctor Contradicentium Medicorum libro primo ita rem hanc videtur decreuisse. Et si quis dicat, quis magis vitalis est septimestris, an octomestris? dico, quòd septimestris: quia habet rationem numeri, & moræ, etsi in mora vincatur ab octomestri. Qua in re, quod ad hanc pertinet octomestris partus imperfectionem, illud maximè Philosophi consilium, ac mentem patefacit, quod libro octauo de Historia Animalium de huiusmodi intermedijs naturis ab eodem de his, quæ ancipitem vitam ducūt, agente, pulchrè video disputatum: quo loco cunctas ipse medias naturas & læsas, & peruersas videtur appellare; nimirum quia ab vtriusq; extremi perfectione cadere videantur. atq; eius hæc est oratio. Horum autem omnium natura quasi peruersa videtur; sicut marium nonnullorum natura fœminam refert, fœminarum marē: exiguis enim quibusdam partibus suis natura animalium immutata, plurimum in toto corpore differre videtur. quod latissimè in excisis patet: particula enim quadam oblæsa totum animal in fœminam vertitur. quapropter in prima etiam ortus constitutione minimæ magnitudinis quo-

Cap. 1.

Tract. 3. contr. 8.

Cap. 2.

» piam immutato, dummodo sit principale, » efficitur vt alterum mas, alterum fœmina » reddatur; atq; si omnino tollatur, neutrũ » prodeat. itaq; terrestre etiam & aquatile » esse modo vtroq; prædicto, parte animalis » exigua immutata, potest; vt alia terrestria, » alia aquatilia procreentur; & alia vitam » simplicem agant, alia ambiguam; propte- » rea quod generatione suæ constitutionis » materia tali participarint, qualem sibi in » cibo assumunt. Hæc ille; quæ si ad octo- mestrem accõmodabimus, huius partus naturam, & conditiones ad viuum videbimus penitus nobis explicare: sicut enim huiusmodi animalia mediam hanc induunt inter aquatilia, & terrestria naturam, amphybiaq; producuntur, quia in eorum prima constitutione τὸ ἀρχοειδὲς, vt vocat Aristoteles, mutatur, idest materia ipsa, ac semen, ex quo formantur, & quod obtinet in semine principij rationem, demumq; ipsum cor, quod primo in generatione actu erumpit: ex quò & illorum natura oblæsa quasi dicitur, ac peruersa, quia ab eo, quod simpliciter aquatile est, ac terrestre deficit; sic & octomestris partus mediam hanc naturam affectans, idcirco hoc mense oritur, quoniam semen ex quo effingitur, & quod principij in eo rationem obtinet, ipsumq; cor, in quo huiusmodi temperamentum diximus supra residere, mutationem patiens aliquam à septimestris, ac nonomestris recedit temperamento, proindeq; ab illorum perfectione; quod tanti momenti est, vt illum sua natura vitalem minus reddere valeat, quàm septimestrem, nonomestrem, ac decimestrem: vnde & hac de causa oblæsum quodammodo partum, ac peruersum facit illum Aristoteles, dum quarto de Animalium Ortu asserit, minus eum viuere, idest minus esse vitalem; ac septimo libro Historiarum monstrosi aliquid, & quod in idem redit, præter naturam aliquid, & imperfecti in se continere; si modò id tamen dicere ibi voluit Aristoteles: de qua re infra pluribus agemus. videtur .n. octauo genitus quasi esse læsus septimestris, ac nonomestris, perinde ac libro secundo de Animalium Ortu fęmina quasi mas lęsus à philosopho appellatur; deficit enim à perfectione septimestris, ac nonomestris; ideoq; hac etiam ratione (quod supra explicandum proposuimus) neutri esse particeps extremi dici potest, sicut & fœmina à maris perfectione plurimum recedit.

Cap. 4.

Cap. 4.

Cap. 3.

Vera octomestrium infelicitatis causa ex Aristotele aperitur. Quædam affertur verborum philosophi interpretatio. Cap. 56.

PORRÒ autem hæc vera est octomestris partus illa infelicitas, & imperfectio, de qua tàm crebro auctores loquuntur; hæc vera est infelicitatis, imperfectionisq; huius causa, firmum, certum, naturaleq; habens fundamentum; ab vno tantùm Aristotele (quòd viderim) diuinè explicata, à nemine ad hanc vsq; diem in eius scriptis intellecta, à nobis ex intima ipsius philosophia eruta, de qua quid sit, & quam habeat causam, cùm alij perquisiuerint, nec id ipsum expedire possent, quod differerent, attulerunt res commentitias; alijs in Saturni influxum, alijs in numerorum, quadragenariorum, hebdomadarumq; virtutem, ac proprietatem, alijs in motum ad exitum septimo factum, & ex motu cõtractam, ortamq; debilitatem, & ægritudinem, illam referentibus: quæ quidem omnia, vt nonus, decimusq; liber demonstrabit, admodum vniuersalibus, inanibusq; rationibus niti videntur, tanquàm non ductis ex proprijs principijs. Cæterum tametsi imperfectionem hanc octomestri inesse concedamus, non tamen facit hæc (atq; hoc quidem est, in quo omnes à veritatis via, atq; à Præceptoris disciplina errauerunt) vt octomestris partus simpliciter pręter naturam genitus, ac per se & sua natura non vitalis censeri debeat; vt aduersarij ex his, quæ diximus, suspicari fortasse possent; vel ex Aristotelis verbis colligere, quibus minus hos ipse partus viuere asserit, & monstrosi aliquid, vt alicui videri posset, continere: quandoquidem sicuti species illæ, quæ mediam naturam repræsentant, tametsi peruersæ dicantur, à natura tamen intentæ sunt, & omnino naturales; vt dissipientis esse hominis videatur contrarium affirmare: & sicut fœmineus sexus, quemadmodum acutè libro quarto de Animalium Ortu admonet præceptor, etsi læsio sit quædam, læsio tamen naturalis, ac detrimentum putandum est; & quãquam fœminam produci initium est primũ degenerandi, adeò vt hac ratione & monstrosi, & præter naturam aliquid in se habere dici possit, hoc tamen necessarium naturæ est, atq; degeneratio huiusmodi naturalis existimanda est; ita & fœtum octauo mense gigni, licèt id imperfectionis aliquid ob expositas causas habere videatur, naturale nihilominus sine vlla dubitatione,

Cap. 4.

vt apertissima est sententia Præceptoris, venit arbitrandum; ita vt fœtus hoc mense editus & naturalis, & vitalis partus censeri debeat; & monstrosum in eo dicat (si modò monstrosum septimo libro Historiarum octomestrem partum appellauit Aristoteles) non omnino, ac simpliciter aliquid præter naturam, sed minus perfectum tanquam à perfectissimo deficiens, ideoq; vere potius secundum naturam; quemadmodum latius infra explicabimus, simul etiam & demonstrantes nullam esse necessitatem, immò nec fortasse etiam probabilitatem, vt ex illo loco concludamus, Aristotelem octomestres partus dicere monstrosos. Nec illorum verborum metu. » Minus » autem. octomestrium quietæ vitæ status perturbatur; vt idcirco eos quasi præter naturam genitos, ac minimè vitales aspernari debeamus; quemadmodum quidam ex his Aristotelis verbis arrepta occasione & sibi fortasse, & alijs suadere possent; quorum rationem à nobis hoc loco sic intelliget lector expositam, vt ab ipsis, qui eam probant, non soleat accuratius explicari: verum enim inuenire volumus, non tanquã aduersarium aliquem conuincere. Dicere igitur fortasse possent qui octomestribus perniciem moliuntur, naturam, cum producit octomestrem, impediri accidente aliquo, quò minus fœtum ad nonum perducat mensem; idcirco de his signatè pronunciasse Aristotelem, minus eos viuere, nec tempus eorum vitæ præscripsisse; propterea; ex hoc loco colligi apertissimè, octauo genitos non esse vitales. Quod si dicamus, quia minus illos viuere Philosophus inquit, quod septimestrium, ac nonomestrium, decimestriumq; comparatione dixisse videtur, qui partus sine vlla cõtrouersia vitales existimantur, idcirco illos facere vitales; cùm magis, & minus non varient speciem; fortasse responderent, id nullius esse momenti; quoniam accidentalia, scilicet durationem, permanentiam, tempus, non speciem, seu naturam verbis illis Philosophus inquirit; ex quò & possent concludere, cùm aduerbium Minus sit comparatiuum, differentiam inter octomestres, ac reliquos partus indicare; ita vt sententia sit Aristotelis, alios fœtus viuere, hos verò minus, scilicet parum viuere; nimirum quia viui aliquando oriantur, sed vna, vel altera præterita die mox intereant. atq; hoc sensu Philosophi verba esse accipienda Auicennæ auctoritas suadere videtur, qui libro nono de Animalibus, hunc attingens locũ, vocem hanc, minus, videtur parum interpretari, sic inquiens. Et parum » viuit ille, qui nascitur in fine octo mensiũ. »

Cap. 5.

Enarrata reijcitur interpretatio. Cap. 57.

Verùm interpretationem hanc totam fictam esse pueriliter, si quis eam afferat, tùm ne efficere quidem quod vult, nemo est, qui non videat. Nam primùm tritissima græca vox occurrit ἧττον, qua vsus est Aristoteles; siquidem dixit ἧττον » δὲ. idest Minus autem. cui opponitur al- » tera μᾶλλον. quæ quidem voces respondent latinis nostris Magis, & Minus. quarum vsus in scholis ad comparationes significandas est frequentissimus; quare dicens Aristoteles, octauo genitos minus viuere, id aliorum partuum respectu, quos magis viuere censuit, de illis pronunciauit; videlicet septimestrium, nonomestrium, ac decimestrium ratione: nilq; aliud hoc loquendi modo significare voluit, quàm septimestres, nonomestres, ac decimestres magis viuere, videlicet magis esse, nasciq; vitales; octomestres autem minus viuere, idest minus esse, nasciq; vitales. At regula est ab Aristotele secundo Topic. Cap. 4. tradita, si aliquid magis, & minus dicitur, & simpliciter inesse: sic enim ibi scriptum legimus. Rursum si quid magis & minus » dicitur, & simpliciter inest; quod enim » bonum, vel album non est, neq; magis, & » minus bonum, vel album dicitur. quo loco » sic Alexander in Commentarijs, Rasario interprete. Vt enim hoc est magis, vel minus » dulce, quàm res aliqua, dulce etiam est, » simpliciter: si enim non esset simpliciter » dulce, profectò neq; magis, neq; minus a- » liqua re dulce diceretur. Itaq; si octome- » stris minus vitalis est, igitur & vitalis simpliciter ex Aristotelis sententia pronunciandus; quia quod viuit, licèt minus, viuit tamen, ac vitæ est particeps; non secus ac quod minus album, ac minus dulce est, dulce tamen est, & album, ac simpliciter album, & dulce, vt ex Præceptoris mente Alexander concludit. quod ipse cõsiderans viuere octauo genitos, idest simpliciter vitales esse antea posuit, quo certè loco naturaliter viuere, & vitales esse intellexit, tametsi hæc vox Naturale (quod nonnullis negotium facessit) in contextu expressa non habeatur. Enimuero quod causam habet naturalem, vt superius vidimus, naturale esse necesse est. at naturale esse homini Aristotelem affirmasse, vt mul-

tiparum, paucíparum, vniparumq; sit animal: id verò causam esse, vt diuersis hisce mensibus pariat, iampridem explicatum fuit: quare & naturale esse intellexit octauo genitis vt viuant, quoniam vita illis à causa oritur naturali. Præterea, quoniam hoc loco eorum causam affert, quæ septimo Historiarum de octomestribus disserat, vt supra etiam admonuimus, necessariò eodem sensu hoc verbo, Viuere, hic vti, quo & ibi vsus est: at viuere octauo genitos septimo Historiarum idem exposuit Aristoteles non sonare aliud, quàm hos partus adolescere, ac seruari: exponere autem sic non potuisset, nisi viuere illis esset naturale; itaq; cùm viuere eos dixit, naturaliter viuere, & vitales esse partus intellexit: quo nam igitur pacto, nisi delirantium somnia sequi velimus, ex hoc loco colligemus, ex eo, quod dictum est, octomestres minus viuere, hos partus non viuere, nec esse vitales? cùm potius, si, quæ suprà in medium adduximus, præsertim ex Topicis, vllam habent firmitatem, contrarium omnino concludatur; videlicet octauo genitos simpliciter viuere, esseq; vitales: quare hæc propositio, quam isti ex Aristotelis verbis elicerent, interpretantes octomestrē partum minus viuere, idest nō viuere, nec esse vitalem; ab hac altera, quā ipse philosophus clarissima oratione pronunciauit, videlicet octomestrem partum minus viuere, minusq; esse vitalem quàm septimestrem, ac decimestrem, tantùm differre videbitur, quantum affirmatio, & negatio, quantum verum, ac falsum, demum quantum album, & nigrum, ipsaq; cōtraria inter se differunt.

Cap. 4.

Altera allatæ interpretationis pars confutatur. Cap. 58.

NEc verò aduerbium illud Minus (quod est alterum caput interpretationis huius) ad tempus, durationemq; vitæ octomestrium referri potest, aut Parum, interpretari; quasi Aristotelis sententia fuerit minus octomestres viuere, quia parum diu viuant, ac diebus paucis: vel vt nonnullis placet, paucis etiam horis vita potiantur; quoniam, vt tota philosophi disputatio perspicuè admonet, nulla fit inter hos partus de longiore, vel breuiore vitæ eorum termino comparatio, sed tantùm illud ab Aristotele quæritur, cur mensibus illis gigni humani partus valeant, genitiq; vitales existant. quare & verbum illud, Viuunt, dicit in eis viuendi aptitudinem naturalē, ac potestatem; nec indiuiduorum vitam respicit diuturniorem, vel ocyorem, sed humanæ speciei propriam, essentialemq; passionem, ac naturalem proprietatem: quod videlicet varijs his mensibus maturum partum, ac vitalem gignere valeat, proindeq; octauo, quem inter illos recenset Aristoteles. quod etiam & illud probat euidenter (vt hanc alteram rationem tacitus non prætercam) quod ipse inquit, reliquis animalibus vnum esse tempus pariendi, homini verò plura; his enim plura hæc tempora (non secus ac supra de Problematum loco dicebamus) eadem lege data homini significat, qua & vnicum cæteris. at vnicum hoc tanquam naturale datum illis esse & ipse voluit, & per se clarum est, ac euidens; itaq; & plura illa tempora tanquam naturalia homini esse à natura impartita existimauit. Verùm tempora hæc plura enumerans Aristoteles inter illa octauum recensuit; igitur voluit naturale, vitaleq; tempus esse pariendi, tametsi minus esse vitale, ac naturale, quàm reliqua addiderit. Quare non sine magna ratione dictum à nobis in Disceptatione fuit, magis, & minus speciem non variare; octomestremq; partum, quia viuat, licèt minus, ex Aristotelis sententia in vitalium specie esse collocandum. si enim breue illud tempus, ac momentaneum Aristoteles respexisset, videretur hac in re totus penè è philosophorum choro auferendus, octauo genitos viuere affirmās, licèt minus: sicuti. n. vna hyrundo non facit ver, ita nec dies vnus, nec paucæ horæ, vt verè aliquis dicatur viuere, aut partus vitalis esse, possunt efficere; vnde quia parum pro nihilo reputatur, octauo genitos non quidem viuere, aut minus viuere, sed omnino non viuere Aristoteli erat affirmandum, si id sensisset. præterquàmquòd si hic est sensus Aristotelicæ orationis, vide quas plagas ipse contra se texit. locus nanq; hic quarti de Animalium Ortu alteri illi septimi Historiarum respondet, vt toties diximus; ac eorum, quæ ibi dicta sunt, causas reddit. at eo loco philosophus de octomestribus, qui in Græcia, ac locis vicinis oriuntur, sermonem habuit; item de illis, qui nascuntur in Aegypto, ac similibus regionibus; quorum priores seruari quidem, & adolescere, sed numero pauciores asseuerauit; alteros, scilicet natos in Aegypto, plures: itaq; si hoc loco parum viuere, idest ferè natos intermori octomestres affirma-

mendacissimè in Græcia, & in Aegypto, vicinisq;, & similibus locis septimo Historiarum hos partus asseruit ad senectutis annos peruenire. enimuero vel omnes viuere parum voluit, vel tantùm aliquos; nō quidem omnes potuit intelligere, cùm in Græcia, & in Aegypto, alijsq; locis quàmplurimos seruari asseruerit: qui enim parum viuunt, adolescere, ac seruari dici nequeunt. At si aliquos parum viuere intellexit, cur quo isti loco nascerentur, non aperuit? Postremò diligenter considerata Aristotelis oratione, hoc idem perspicuè elucet. Siquidem dicit. " καὶ γὰρ τὰ ὀκτάμηνα " ζῇ μὲν, ἧττον δέ. At hîc duo accuratè perpēdenda; nempè particula γάρ, & verbum illud ζῇ. Enimuero γάρ rationem reddit semper apud Præceptorem eorum, quæ superius posita fuerunt: quare & his verbis necessariò rationem adducet sententiæ superioris. At quid superius posuit Aristoteles? certè posuit homines gigni septimestres, ac decimestres, & temporibus intermedijs. Sed his verbis causam nequit adducere, cur homines septimo gignantur, & decimo: quare eius, quod superest, necessariò causam afferet; videlicet cur gignantur temporibus intermedijs. quia enim duo tempora intermedia sunt, videlicet, vt superius explicauimus, duo menses, octauus, & nonus, nonum philosophus relinquens, vt potè in quo nulla cadit dubitatio, de octauo hæc adiungit, de quo magnam sciebat esse dubitationem, inquiens octauo genitos viuere, vt ostendat, ac probet rectè superius dictum esse, mensibus inter septimum, ac decimum positis hominem gigni, quo loco verbum, γεννῶνται, nemo est qui non videat, nasci fœtum vitalē, ac naturaliter significare, adeò vt partus sit nō abortio infātis exclusio; cū de his, qui septimo, ac decimo nascuntur, à Philosopho enuncietur, quos vitales nasci, ac naturaliter nemo vnquam dubitauit; vt eodem sensu de his, qui intermedijs mensibus oriuntur, necessariò videatur ab eo pronunciatum, proindeq; de octauo; nisi ingēti ipsū vti equiuocatione paucis verbis dicere velimus, quod de tanto philosopho asserere est absurdissimum. Hinc perspicuum est, (quod & alterum erat nobis considerandum) verbum ζῇ idem penitus hoc loco sonare, quod superius verbum γεννῶνται, vel certè illius esse probationem; nam & illi respondet; cùm Philosophus, si quis accuratè animum intendat, sic re vera argumentetur. Homines gignuntur naturaliter septimo mense, ac decimo, & intermedijs mensibus: enimuero non solùm nono, sed etiam octauo, qui inter septimum, ac decimum pariter est positus, gignuntur naturaliter, sed minus tamē; cuius rei causam ex superiori disputatione facilè quis colliget. Hanc autem veram esse ipsius mētem, vel ex eo patet euidenter, quòd vt vox illa ἧττον perspicuè ostendit, comparationem philosophus instituit; at quòd viuant alij partus, nil supra dixit, sed tātum quòd generentur; dixit enim solùm, nasci homines septimestres, ac decimestres; quare cùm inquit, homines octomestres viuunt, sed minus, perinde est, ac si dixisset, homines nascuntur octomestres, sed minus; minus, inquam, quàm qui nascuntur septimestres, ac decimestres; nam de his locutus erat. at nasci septimestres, ac decimestres naturaliter intellexerat: quare & octomestres nasci naturaliter intelligit, proindeq; vitales, vt necessaria consecutione ex superioribus deducitur. Quamobrem verbum ζῇ, vel nasci naturaliter hominem octauo mense hoc loco significabit, vel certè necessariò, vt paulò supra dicebamus, huius probatio erit, quemadmodum effectus causam probat; nimirum quia Philosophus ex eo, quod geniti hoc mense viuāt, nullus verò partus viuere queat, qui non oriatur naturaliter, hoc alterum probare velit, temporibus intermedijs, proindeq; hoc eodem mense hos partus naturaliter generari: quod superioribus verbis videbatur posuisse. quare, vt dicebamus, nullo modo accidentalia, scilicet tempus vitæ longius, vel breuius huius partus, vel alterius significabit, sed naturalem, essentialemq; speciei proprietatem, de qua disserit Aristoteles, scilicet naturalem viuendi partus humani aptitudinem. Cæteroqui verba causam non continerent eius, quod supra positum fuit, hominem scilicet intermedijs temporibus generari, idest, vt toties exposuimus, vitalem oriri; quod tamen Aristotelis esse consilium, orationis series perspicuè monstrat. Vera igitur sententia est, octomestres partus natura esse vitales, ideoq; Aristotelem vniuersaliter pronunciasse hoc loco, & generaliter ipsos viuere. quoniam autem non omnibus locis æquè vitales sunt, vt septimo Historiarum explicauerat, minus addidisse; quin etiam & hac maximè de causa, quoniam vbiq; locorum minus sunt vitales, ob eam, quam ex propria natura habent imperfectionem; viuere quidem eos intelligens eo sensu, quo,

loco memorato interpretatus est, videlicet adoleſcere, & ſeruari. quæ duo (præclara quadam mentis agitatione præſagiens, nonnullos fore, qui in hac difficillima quæſtione ſuam violare orationem conarentur, & ad popularem auram interpretari) diuinè addidit; vt ſeſe clariſsimè explicans, nullum, quo ſeſe reciperent, octomeſtrium hoſtibus locum relinqueret.

Clarius ſuperiora explicantur. Vera Auicennæ mens declaratur. Cap. 59.

POrrò autem hinc cauſam habemus, cur Ariſtoteles loco ex quarto de Animalium Ortu adducto, vbi eorum cauſas, quæ de octomeſtribus dixerat ſeptimo Hiſtoriarum, affert, nullam tamen reddit, cur in Aegypto, locisq; ſimilibus viuant magis, in Græcia minus: id enim fecit, quoniam ibi octomeſtrium per ſe, ac ſimpliciter, & vniuerſaliter naturam conſiderauit, non locorum ratione; vnde & eos vitales eſſe, & minus reliquis vitales prodidit; quod, vt modò dicebamus, vbiq; locorum, tàm in Græcia, quàm in Aegypto habet veritatem, vt quintus liber clarius explicabit; præterquàmquòd & huius rei cauſam ſeptimo Hiſtoriarum aperuit. quare illud tãtùm ſupererat Ariſtoteli inueſtigandum, cur illæ cauſæ in Aegypto, contrariæ in Græcia locum habeant; quod quidem ad diſputationem illam non pertinebat, ſed ad eam potius, quæ ex locorum differentia breuioris ac longioris vitæ, robuſtioris & imbecillioris cauſas inquirit, ex qua dubitationis huius ſolutio eſt petenda. Quod verò ad Auicennæ pertinet auctoritatem, ſi quis ipſius verba accuratè conſideret, animumq; intendat, ipſum Ariſtotelis locum ſeptimi Hiſtoriarum explicare; ideoq; de mulierum circa conceptionis tempus deceptione habere mentionem; facilè videbit aduerbio, Parum, eo ſenſu eum fuiſſe vſum, quo & aduerbio, Minus, quarto de Animalium Ortu Ariſtoteles: cùm enim octomeſtres aliquam habeant imperfectioné, ideoq; non vbiq; locorum pari facilitate ſint vitales; ſed alicubi, vt in Græcia, ac locis noſtris pauciores ſeruari videantur, plures ſeſe perdere; parum idcirco eos viuere dixit Auicenna pro eo, quod dixit Ariſtoteles perpaucos ſeruari; ſicut & hac etiam de cauſa minus eos viuere philoſophus quarto de Animalium Ortu aſſeruit, quia non perinde ac ſeptimeſtres, & decimeſtres omnibus in locis eorum plurimi vita potiantur. atq; hoc ſenſu aduerbium, Minus, Albertus Magnus locum hunc Ariſtotelis explicans interpretatus eſt, ponés pro eo, quod minus viuere octauo genitos Philoſophus dicit, frequenter eos intermori, oppoſitam videlicet propoſitionem; neq; ab hac eadem interpretatione diſceſſit Sueſſanus; vt nullo modo poſsit, Minus, hoc loco, Parum, interpretari. Ariſtoteles enim ſeptimo Hiſtoriarum, vt paulò ſupra tangebamus, in Aegypto viuere ſine vlla exceptione octomeſtres (eorum plures ſeruari intelligens) in Græcia, locisq; ſimilibus perpaucos memoriæ prodidit, quos quidem omnes & adoleſcere, quantum eſt temporis, ac partus ratione, & ad ſenectutis annos poſſe peruenire intellexit, nullũ de ocyore, vel longiore vitæ illorum termino aliorum partuum reſpectu verbum fecit: quare & hoc loco nihil diſſeruit, an octomeſtribus breuior ſit vitæ terminus, quàm ſeptimo genitis, ac nono, nullamq; huius rei cauſam addidit; ſed cur viuant, adoleſcantq;, & cur minus viuant, proindeq; alicubi pauciores viuant, adoleſcãtq; cauſam attulit; quæ quidem & pulcherrima eſt, & Ariſtotelis ingenio digna: videlicet, vt multa tandem in paucis conferamus, quòd inſitum humanæ ſpeciei ſit, vt maturum parere octauo menſe poſsit, ac vitalem. quo poſito ſequitur, octauo genitum viuere, & adoleſcere, ac naturaliter vbiq; locorum eſſe vitalem. item quòd ſitum in eadem ſit, vt partum hunc minus vitalem, ac perfectum minus gignat, quàm reliquis temporibus editos. quo recepto ſequitur, minus viuere illum oportere, nec vbiq; locorum pari eſſe facilitate vitalem; ita vt alicubi octauo geniti crebrius periclitari videantur: de qua quidem re quinto libro fuſius pertractabimus.

Afferuntur grauiſsimorum auctorum teſtimonia quòd octauo geniti ſint vitales. Plutarchi locus explicatur. Cap. 60.

AT enimuero ſi id & cenſuit, & verbis apertiſsimis pronunciauit Ariſtoteles; quis, amabò, tàm impudens erit, ac proiectæ audaciæ, vt contra tanti Philoſophi auctoritatem octauo menſe editos ſuperſtites non eſſe, vel partus non naturales audeat affirmare? præſertim cùm naturalis ratio illi ſuffragetur, veluti ſupra explicatum fuit, & experientia ipſa grauiſsimorum teſtium auctoritate comprobata; de qua quidem hæc pauca in præſentia teſ-

timonia,

timonia, sed omni exceptione maiora affer-
re iuuat. Aristoteles in Aegypto, locisq; si-
milibus octomestres, vt vidimus, sine vlla
difficultate viuere septimo Historiarũ tra-
didit; in Græcia, ac proximis locis non om-
nes periclitari: quod etiam de regionibus
nostris dictum intelligi posse supra tetigi-
mus. quæ duo quàm magna sint, quantũq;
valeant ad probandum octauo genitos na-
turales partus esse, ac vitales, quinto libro
demonstrabimus. Auicenna, vt ferunt, in
" Hispania superstites euadere omnes nota-
" tum reliquit. Albertus Magnus in terra
" Adekil; quod quàm magnum sit, & quæ nã
" esse hęc regio possit, infra videbimus. Poly-
" bus, qui ætate Hippocratis vixit, & si Cle-
" menti Alexandrino credimus, auctor fuit
" libelli de Septimestri, & Octomestri partu,
item & grauissimus vir Diocles apud Plu-
tarchum libro quinto de Placitis Philoso-
phorum multos octomestres in viros eua-
» sisse prodiderant. qua de re Plutarchi
» hæc est oratio interprete Xylandro. Poly-
» bus, Diocles Empirici octauum mensem
» aptum partui agnoscunt, sed fœtum esse
» eum imbecilliorem, ideoq; multos perire;
» ac tametsi ferè in vniuersum nemo octauo
» mense natam prolem alendam censet, tamé
» multos sic natos in viros euasisse. quo ta-
men loco si græcam seriem perpendamus,
videbimus, Plutarchum ex illorum senten-
tia non solùm dicere, octauo mense fœtum
esse imbecillum, sed ipsum octauum men-
sem reliquis esse imbecilliorem, & ob hanc
ipsam imbecillitatem plures interire, quod
cur dictum sit, infra elucebit. item videbi-
mus non dicere, octauo mense natam pro-
lem esse alendam, neminem cẽsere, vt Xilan-
der explicuit, quasi portentum aliquod es-
se homines hunc partum crediderit; sed il-
lud tantùm, cõmunẽ esse sententiam, octa-
uo genitos non esse vitales, aliud præterea
nihil. quandoquidem Plutarchus quęrit,
an viuere naturaliter hi partus possint, atq;
huius rei gratia Veterum placita adducit;
non quærit, an partus, tametsi sua natura
vitalis existens, hominum superstitiosa opi-
nione ali non debeat: verbo nanq; τρέφειν
atticismum faciens pro passiuo vtitur; nec
vllum desiderat verbum oratio, vt nonnul-
li credunt, sed tota pendet ab illo primo
ἴσασι. vnde sententia est, vt quisq; gręca
contuens videbit, Polybum, & Dioclem
Empiricos octauum mensem vitalem co-
gnoscere, sed tamen aliquo modo imbecil-
liorem; eò quòd præ imbecillitate sępè
plures intereant; & tametsi vniuersaliter
nullus ferè sit, qui existimet octauo mense
genitos viuere, verè tamen eos contra cõ-
munem credulitatem obseruasse, horum
plures in viros euasisse: de cuius loci inter-
pretatione nonnulla etiam infra dicemus,
pleniusq; libro octauo. Hæc igitur illi;
qui pro veritate aduersus communem opi-
nionem stare non sunt veriti; docentes ip-
sa persuasi experientia, secus quàm vul-
gus arbitretur, mensem octauum vitalem
esse, & plures hoc mense genitos superui-
uere. quam profectò sententiam, vt pau-
lò infra Plutarchus admonet, Polybus vi-
detur confirmasse; dicens, octomestres tunc
non viuere, cùm in descensu læso vmbilico,
qui nutrimẽtum illis subministrat, neque-
unt amplius nutriri: nam & húc verum esse
Plutarchi verborum sensum & paulò infra,
& libro octauo demonstrabimus; vt si vm-
bilicũ non lędant, vitales illos omnino exi-
re arbitretur: quod quidẽ de quibus octo-
mestrib⁹ habeat veritatẽ, suo loco explica-
bimus. Hoc idem Hippon Metapontinus,
Euriphon Gnidius apud Cẽsorinũ de Die
Natali ad Cerelliũ opinati sunt. itẽ Plinius
libro septimo Naturalis Historię translati-
tium esse hos partus in Italia vitales nasci
cõtra priscorũ opiniones, apertè scripsit.
quibus plerosq; alios magni ponderis vi-
ros, qui idem suis scriptis prodiderunt,
adiungere possumus, quorum testimonia
in Disceptatione apposuimus; vt tantis
testibus nixa, certa, stabilisq; sententia
hæc existimanda sit, quæ octauo editos na-
turales partus, ac vitales esse defendit;
quos quidem, si aduersarij audire volunt,
errore maximo liberantur.

Cap. 4.

Cap. 18.

Cap. 5.

Quid de octauo mense cum vndecimo comparato sit sentiendum. cur vndecimus mensis quarto de Animalium Ortu fuerit ab Aristotele prætermissus. Cap. 61.

HIs igitur ita expositis; quod in quar-
ta dubitatione quærebatur, qua sci-
licet de causa in naturalium, vitaliumq;
mensium numero octauum Aristoteles re-
posuerit, primumq; locum nono, ac deci-
mo tribuerit, secundum septimo, tertium
octauo; ita vt partum hoc mense genitum
minus quàm septimestrem perfectionis ha-
bere arbitratus sit; abundè, opinor, expli-
catum fuit: quare superest, vt breuiter a-
periamus (quod etiam superius reliquimus
enucleandum) quid de eodem octauo cum
vndecimo comparato sentiendum videa-
tur; ita enim dubitationi huic quartæ ple-
nisimè

nissimè erit satisfactum. Hoc facilè expediemus, si ea meminerimus, quæ superius de gestationis limitibus, ipsiusq; hominis natura ex Aristotele disseruimus. Dictum à nobis est, longiorem gestationis limitem, quã mensem decimum, immò & quàm mensis decimi initium esse ferè homini præter naturam; quoniam caloris, & humoris temperamentum, cuius homo naturaliter est maximè particeps, diuturniorem decimo terminum esse non patitur; quò fit, vt vndecimestris partus iure cæteris imperfectior censeri debeat; quippe qui tanquam in medio non collocatus mensium vitaliũ, veluti octomestris, videlicet inter septimestrem, ac nonomestrem, decimestremq;, sed in extremo, à perfectione vtriusq; recedere videatur. enimuero vndecimestre hoc spatium non solùm humoris, calorisq; respectu longius tempus est, verùm etiam & magnitudinis ratione; cùm tàm longum tempus eorum esse proprium animalium videatur, quæ vnipara tantùm sunt, & magnitudine hominem superãt, & nullam habent caloris, humorisq; ratione contrariam causam admixtam, quemadmodum supra latius fuit explicatum; quò fit (quod etiam infra attingemus) vt ex Aristotelis sententia nonnullis tantùm mulieribus hi partus, non omnibus communes esse possint, & rarissimè gigni comperiantur; ita vt indiuidualem magis naturam sequi videãtur, quàm specificam: vt propterea & decima sectione Problematum, & quarto libro de Animalium Ortu Aristoteles (quod & maximi apud me momenti est, & firmissimum indicium est, octauum mensem vndecimo ipsum anteponere) in mensium enumeratione, qui partui humano dedicati sunt, illum omnino tacitus prætereat. quibus locis videmus septimum, & decimum, ac menses intermedios, octauum scilicet tantùm, ac nonum Philosophum recensuisse; & decimum, tanquam vltimum, ac longiorem terminum posuisse: nimirum quia eos solùm ibi menses enumerare consilium fuerit illius, qui magis sunt homini ad partum naturales, maximèq; ab eius temperamẽto pendent, ac natura, calore videlicet, ac humore, corporisq; congruenti magnitudine; demum ab ijs, quæ specificam naturam insequuntur. quæ res cùm de septimo, ac nono, decimoq; cum mense vndecimo comparatis nullam habeat dubitationem, nullã etiam de octauo his de causis habere debet, si eum cum vndecimo conferamus. Nam præterquàmquòd medius est inter tempora perfectiora, ac magis naturalia, vt supra fuit explicatum, & idcirco perfectionis eorum sit particeps; cùm ob id perfectioribus similior, ac proximior existat, quàm vndecimus, necessariò est etiam & melior, & perfectior, proindeq; naturalis magis, ac vitalis. vt enim tertio Topicorum docet Præceptor, quod ad bonum propius accedit, quodq; bono similius est, id & optabilius, & melius est. ex quò & hac via, & lege idem quarto Polit. de Reip. formis prestantioribus videtur iudicasse. De alijs autem, inquit, respublicis, quæ prima ponenda sit, & quæ deinceps potior sit, aut deterior, determinata optima, non erit difficile intueri: necesse est enim esse meliorẽ, quę proximè huic accedit; deteriorẽ verò, quæ plurimũ distat à medio. Itẽ & quę meliori similiora sunt, ea meliora; ex quò & Aiacem Vlissi anteponunt, quòd Achilli similior esset, veluti eodem loco admonemur; quod, vt egregiè Philosophus declarat, tùm locum habet, cùm, qua parte res optima est, similitudo accipitur.

Cap. 2.

Cap. 11.

Superiora plenius explicantur. Aristotelis verba quædam enarrantur. Cap. 62.

AT enimuero primùm octauus mensis septimo, octomestris septimestri proximior est, ac similior, quàm vndecimus, ac vndecimestris, tùm ratione temperamenti; ideoq; & qua parte est optimus septimestris, quia caloris aliquantum, & humoris est particeps, tametsi minus, vt superius diximus; tùm ratione interstitij, ac temporis, quia breuiorem gestationis limitem comprehendit. Deinde & nono, decimiq; initio (quod est tempus perfectissimum) ac partui nonomestri, decimestriq; in hũc sensum sumpto proximior, similiorq; est ijsdem de causis; siquidem homini conuenit, qua animal est pauciparum, ideoq; & magnitudinis ratione (quæ vna gestationi limites præfigit) quemadmodum nonus, ac decimus, quod Aristotelis est sic perspicuè loquentis quarto de Ortu Animalium. Sed suæ magnitudinis ratione pauciparum, atq; vniparum est. quæ ratio superius quoq; à nobis exposita fuit, & tanquam hausta è fonte naturæ octauum mensem omnino tempus naturale, nisi quis deprauatè iudicet, atq; corruptè, octomestrem partum omnino vitalem esse conuincit. atq; hoc est, quod paulò supra dicebamus, naturalem quidem rationem mirificè octauo mensi, & octomestribus fauere.

Cap. 4.

Verùm si magnitudinis ratione octauus homini conuenit, igitur nono, ac decimo temperamenti ratione, & qua parte optimi sunt, similior existit. quod idem interstitij, temporisq; respectu, si quis accuratè animaduertat, habet veritatem: neq; enim vltimus dies septimi quadragenarij capiendus est, sed potissimum quadragenarij septimi dimidium, ac postremi dies noni mensis, diesq; simul decem mensis decimi inspiciendi; quod temporis interuallum superius diximus esse perfectissimum; cui octauus absq; vlla dubitatione proximior est interstitij ratione. tametsi enim Aristoteles totum decimum sumere videatur, cui vndecimus est propinquior; tamen quoniam tempus, quod initium decimi transit, iam imperfectionis aliquid participat; ex quò & fœmineo fœtui videtur magis esse proprium, quemadmodum supra dictum fuit, & clarius infra ex eo probabimus; quod verò decimum exactum præterit, magnitudinis etiam ratione longius homini tempus censeri debet; vndecimus mensis, quanquam decimum statim sequitur, non potest optimo, tempori videlicet perfectissimo, dici proximior.

Cap. 4.

Postremò si quis accuratè Aristotelis hosce menses enumerantis orationem septimo de Historia Animalium consideret, quæ, si verbum è verbo exprimatur, ita habet. Etenim septimestres, & octomestres, & nonomestres oriuntur, & decimestres vt plurimum, nonnullæ autem attingunt vndecimum mensem; videbit aliquo pacto, quam supra docuimus veritatem ex ea micare. enimuero si grauissimi viri Gazæ interpretationem sequi non velimus, quæ & Auli Gellij, & Plinij fuisse videtur; qui omnes aduerbium illud, vt plurimum, decimo tantùm mensi, ac spatio decimestri adnectere videntur; ex quò & Theodorus illud decimo adiungens sic verba interpretatur. Et quod plurimum decimo. Gellius. & sæpenumero decimo. qua interpretatione cogunt Aristotelem dicere, fœtum vt plurimùm decimo excludi; quod quidem cùm de initio tantùm decimi veritatem habere Plinius acutè cerneret, et vsq; ad initia decimi, interpretatus est; eò quòd, vt non semel supra diximus, dicemusq; in sequentibus, frequens magis, ac naturale pariendi tempus ex Hippocratis, Aristotelisq; sententia dierum est 280. interuallum, quod in decimi initium incurrit; vnde haud verè affirmari potest vt plurimum decimo toto, scilicet ad illius finem humanum partum excludi: si inquam interpretationem hanc omittamus, dicere poterimus aduerbium illud, vt plurimum, de omnibus iam antea enumeratis mensibus, non de decimo tantùm Philosophum pronunciare; atq; huiusmodi aduerbium voci illi, nonnullæ, opponere, totamq; temporis latitudinem à septimo ad decimum ipsi vndecimi principio; adeò vt sententia sit, à septimi initio ad decimum vsq; exactum, & confectum vt plurimum mulieres parere; nonnullas verò, & quod in idē redit, raro vndecimum attingere: nimirū quia naturale magis, ac frequens mulieri tempus pariendi à septimo ad decimum vsq; esse videatur; ante septimum nullo modo, post decimum, & initio vndecimi raro partus excludatur. quo quidem pacto octauum mensem vndecimo anteponi, atq; naturale, ac frequens magis pariendi tempus à Philosopho iudicari, nemo est, qui non videat.

Adducta Aristotelicorum verborum interpretatio vberius comprobatur. item quinta soluitur dubitatio. Cap. 63.

POrrò huiusmodi interpretationem primùm verborum in græca oratione ordo valde probabilem reddit, in qua aduerbium τὸ πλεῖστον, non quidem decimo adiunctum cernimus, vt in sua interpretatione facit Theodorus, sed post omnium mensium illorum enumerationem videmus collocatum: siquidem non scripsit Aristoteles. καὶ γὰρ ἑπτάμηνα, & c. καὶ τὸ πλεῖστον δεκάμηνα; quod quidem si fecisset, à Theodoro expressum sensum omnino sequi cogeremur; sed scripsit. καὶ γὰρ ἑπτάμηνα, & c. καὶ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον. qua scribendi forma se hoc aduerbium de omnibus antea enumeratis mensibus pronunciasse monstrat. Deinde & iam nuper dicta ratio nō parum eam comprobat; videlicet quòd si aduerbium, vt plurimum, decimo tantùm tribuamus, falsum sit decimo toto, ad eiusq; medium, ac finem vt plurimum mulieres parere; cùm alioqui Aristoteles iuxta Theodori conuersionem totum decimum nullam addens cautionem tanquam partus terminum frequentiorem videatur recipere. quod quidem sicuti priori sensu, ac iuxta Gazæ interpretationem receptis verbis falsum est; ita & posteriori nullam habet difficultatem; cùm nemini dubium esse queat, verè affirmari vndecimi respectu mulieres vt plurimum decimo parere; idest

non solùm ipsius initio, sed etiam eodem senescente; sicuti & septimo, & nono, & octauo; eò quòd longè frequentiores sint hi menses pariendi limites quàm vndecimus; cuius initium vix raro & nonnullæ tantùm gestando attingere possunt. quod quidem, vt dicebamus, octauum vndecimo præstare clarissimè mõstrat. Sed pro quarta dubitatione hæc satis videantur, quæ, nemo est, qui non videat quintam etiam labefactare; in qua quærebamus, cur Aristoteles septimo libro de Historia Animalium non omnibus mulieribus commune esse dixerit, vt vndecimestres in lucem edant, sed nonnullis tantùm id visus sit impartire; siquidem scripsit. Nonnullæ etiã vndecimum tangunt. enimuero si eorum, quæ diximus, non simus obliti, facilè erit huius nodi solutionem elicere. Dictum est vndecimum mensem longè minus homini esse secundum naturam ad partum enitẽdum; adeò vt propterea ab indiuidui potius alicuius proprio, quàm à speciei temperamento dependere videatur; proindeq; rarissimè in natura locum habeat. quod enim speciei naturale est, id omnibus indiuiduis necessariò est commune, & è contra. Itaq; rectissimè Aristoteles nonnullarum tantùm mulierum esse proprium, vt vndecimo pariant, notatum reliquit, non omnium; nimirùm quarum particularis menstruorũ temperatio, ac natura id requirit, vt tàm longum in gestatione tempus sibi exposcat; siue id à frigiditate veniat illorum, siue à virtutis imbecillitate; de qua re nunc non laboro. atq; hæc etiam causa est, cur octauus mensis sit vndecimo anteponendus; quod enim omnibus indiuiduis commune est, ac sæpius in natura euenit, id longè magis esse speciei naturale, ipsiusq; naturam magis sequi, quàm quod nonnullis tantùm conuenit, nemo (arbitror) vocabit in dubium, qui habeat aliquid non solùm sapientiæ, sed etiam sanitatis. Quòd si locorum nullam tangens differentiam Aristoteles, nihq; adiungens an plures, vel pauciores superstites fiant, hos partus omnibus locis communes facere videtur, ac pro maiori parte vitales; id propterea contingere censendum est, quoniã, cùm tàm longum tempus in vtero permanserint, auctiores propterea facti, & grandiores, minus externi aeris læsionibus, ac partus laboribus reddantur obnoxij; vt, quanquam sua natura imperfectiores sint quàm octomestres, ac vitales minus, & naturales, nihilominus si gignantur (quod tamen rarissimè euenit) & facilius hæc de causa seruari possint, & vbiq; locorum, vt propterea nullam de his duabus conditionibus mentionem in huius partus natura explicanda putauerit Aristoteles sibi esse faciendam.

Cap. 4.

Cur rarius octauo mense gignantur infantes. Proponitur explicandum quo modo propriè intelligendum sit apud Aristotelem, partum octomestrem monstrifici aliquid in se habere. Cap. 64.

CAeterum octaui mensis, partusq; octomestris abundè natura exposita, iam & illud pernotescit, quare octauo geniti debeant esse rariores, nec adeò frequentes, vt septimestres, ac nonomestres: si enim quod plerunq; fit, illud est secundum naturam; quod præter id quod plurimum fit, euenit, id præter naturam, vt quarto de Animalium Ortu, & sæpissimè alibi, docet Aristoteles; id verò, quod præter id, quod plurimum fit, euenit, raro contingit; sanè quod magis naturale est, id frequentius euenire oportebit; quod minus naturale est, rarius, ac minus frequenter. Sed dictum est superius octauum mensem minus esse naturale pariendi tempus, quamobrem rarius, ac frequenter minus in eo partus eueniet. atq; hoc etiam est, quod Aristoteles septimo Historiarum de mense octauo præter iam expositam imperfectionem significauit, quando dixit (si modò id tamen voluit, de qua re infra agam) ijs locis octomestres esse vitales, vbi, qui eduntur monstrosi partus, viuere possunt. quibus verbis volunt omnes, octauum mensem in se mõstrosi aliquid cõtinere, ipsum indicasse. quo tamen loco (si id dixit) non verè mõstrifici aliquid habere eos intellexit, sed tantùm, quemadmodum quarto de Animalium Ortu idem explicuit, naturalis minus, proindeq; rari magis. neq; enim τὸ τερατῶδες, idest monstrosum, dicit semper apud Aristotelem læsum aliquid, & imperfectum simpliciter, turpeq; raro in natura contingens, vt solet maximè propria acceptum significatione; sed vel minus à natura intentum, vel rarius præterea contingens, ac minus frequenter. Sic nãq; videmus Philosophum memorato libro fœminam monstrum appellare, in qua mõstrosum dicit perfectum minus, & minus à natura intentum, non tamen raro eueniens: sic in disputatione cur gemini mas, & fœmina in genere hominum minus seruentur,

Cap. 8.

Cap. 4.

Cap. 4.

Cap. 4.

Cap. 6.

uentur, cùm in cæteris animalibus nihilo referat; geminorum partum hunc præter naturam vocat, proindeq; monstrosum his verbis. Hominibus enim hic concursus præter naturam est, cùm non pari tempore mas, & fœmina discernantur; sed aut marem cunctari, aut fœminam præuenire necesse est. quo loco præter naturam dicit non solùm minus à natura intẽtum, sed rarius etiam contingens; non turpe tamen aliquid, ac absolutè imperfectum, & monstrosum. Nam licèt essent gemini illi quauis pulchritudine pulchriores, nihilominus præter naturam aliquid, & monstrosi habere dicerentur. Quare dum hæc dico, dum octauum mensem monstrifici aliquid habere, ac minus esse naturalem Aristotelem eo loco dixisse vt cum aduersarijs liberaliter agã, concedo, in eoq; partũ rarius maturescere; nõ propterea in aduersã sententiã vel nolẽs abire cogor; ita vt si quod mõstrosum est, raro euenit; quod raro euenit, prętER naturã est; affirmare videar octomestrem partum præter naturam esse; ac proindè esse minimè vitalem, quod positio statuit aduersariorum, quodq; ex eo potissimum loco colligere profitentur: quandoquidem non ita est apud Præceptorem, si rem totam accuratè perpendamus. quod, vt promissa appareant; vt monstrosum in octomestri non dicere propriè aliquid prędter naturam ac simpliciter, eluceat; iam nobis hoc loco est latius explicandum, tanquam relictum in superiori disputatione, vt inferius expediremus. quo quidem exposito, vt omnis tollatur aduersarijs via resistendi, monstrabimus ex eo loco septimi Historiarum non solùm necessariò non colligi, vt communis credit opinio, sed neq; etiam probabiliter, octauo genitos partus Aristotelem dicere monstrosos; quod nobis esse faciendum similiter supra diximus. Primũ igitur hoc, vt exequamur, illud pro fundamẽto est nobis accipiendũ, quod præter naturam aliquam est, vt ita dicam, id præter omnem esse naturam censeri non debere: neq; id quod est præter naturam secundum quid (vt cum scholis loquamur) id absolutè, & simpliciter pręter naturã n esse dicendum. enimuero tripliciter apud Aristotelem naturam accipere oportet: quam ego distinctionem ex verbis ipsius obscurissimis collegi quarto de Animalium Ortu, eaq; ceu folli natatorio plerunq; vsus sum, quo solo innixus ex pręaltis multis, ac penè immensis suorum scriptorum gurgitibus, quibus suum insperfit ipse de more atramentum, emergere potui. Scribit igitur Philosophus citato loco in hanc sententiam ex Theodori interpretatione. Nam deesse aut superesse quidquam monstrosum est: monstrosum est enim res præter naturam: sed præter eam, quæ magna ex parte fit. nam præter eam, quæ semper & necessariò est, nihil fit. verum in rebus ijs, quæ magna quidem ex parte ita fiunt, sed aliter etiam possunt fieri, euenit, quod præter naturam consistat. Nam & inter eas ipsas, quibus accidit quidem præter hunc ordinem, sed nunquam quolibet modo, minus monstrum esse videtur: quoniam quod præter naturam fit, idem etiam secundum naturam quodammodo est, cùm naturam materiæ natura formæ non superat: quamobrem nec ea monstri nomine appellantur; neq; vbi fieri aliquid solet, vt in fructibus. Vitis enim quædam est, quam aliqui Capneam vocant, quæ cùm vuam albam soleat ferre, si nigram tulit, monstrum id esse non putant. quoniam sæpissimè id facere ea soleat. causa est quòd sua natura inter albam, & nigram est. itaq; non longe disceditur, nec præter naturam ferè: non enim in aliam naturam transitur.

Enarrantur Philosophi adducta verba.
Cap. 65.

HAec igitur Aristoteles; ex quibus videmus vno modo naturam ipsum accipere, quatenus vim eternam dicit, & ex necessitate operantem; quam primo Meteoron naturam corporum primi elementi appellauit: atq; circa hanc nullus error contingere potest, nullus transcursus; vnde, vt inquit Aristoteles, illud quod præter naturam dicimus, locum in ea minimè habet. Alio modo sonat natura apud ipsum (quam φύσιν ὡς ἐπιτοπολὺ vocat) vim vt plurimum rectè agentem, quam primo Meteoron ἀτακτοτέραν appellauit, idest vt Alexander Aphrodisiensis interpretatur, non æquè ordinatam, ac post eum Theophrastus in principio suæ Metaphysicæ, & libro secundo de Plantarum causis; cuius etiam in opusculo de Mundo mentio habetur. Est enim natura hæc rerum sublunarium, quæ sunt ortui, & interitui obnoxiæ, circa quam multiplex error interdum contingit; & in qua quod præter naturam dicimus locum habet omnino. quare rectè inquit hîc Aristoteles monstrum esse eorum aliquid, quæ sunt præter hanc na-

Cap. 1.
Cap. 22.
Cap. 2.

turam. Verùm quoniam hæc natura in multis habet latitudinem quandam, ideo duplicem hac de causa sortitur operandi modum; nam & id quod plurimum, ac sæpius efficit, producere potest; & id quod frequenter minus operatur, licèt sit ei cõsuetum, & illius producendi habeat potestatem. quos quidem naturæ duos operandi modos satis clarè videtur mihi Aristoteles primo libro de Animalium Ortu significasse, dum scriberet, quæ vt plurimum fiunt, ea maximè esse secundum naturam; quibus indicauit, quædam alia reperiri, quæ secundum naturam quidem sint, sed non tamen maximè, quoniam non fiant vt plurimum, sed rarius in ea locum habeant, ideoq; minus esse secundum naturam videantur. quæ quidem nemo est qui non videat ad hanc secundam operationem pertinere. Addi potest & operatio tertia non quidem ipsius propria, sed ab ea tamen proueniens, cùm à scopo natura aberrat. Quoniam igitur quæ ipsa facit, possunt se aliter habere, vnde & ab eis producendis deficere potest, & ad alia degenerare (enimuero nisi hoc esset, nõ daretur in ea τὸ παρὰ φύσιν, idest præter naturam) si huiusmodi hæc, ad quæ ipsa potest facere mutationem, determinata fuerint & consueta; itaut non in quodlibet, sed in rem quampiam determinatam fiat discessus, iam hæc non erunt omnino prȩter naturam appellanda, sed potius quodammodo secundum naturam: in huiusmodi enim talibus, vt acutissimè inquit Aristoteles, quod præter naturam est, euadit quodammodo secundum naturam. Nam & hoc est, quod ipse verbis illis obscurissimis docet. Nam & inter eas, quibus accidit quidem præter hunc ordinem & c. Si enim quæ aliter effici queunt (sunt autem hæc, quæ vt plurimum à natura hac sublunari aguntur) prȩter hunc ordinem fiant; atq; in aliud digrediantur, sed non tamen εἰς τὸ τυχόντως, vt inquit Aristoteles, idest veluti explicat egregiè Philoponus in Commentarijs, non in id quod interdum quidem sic, interdum verò aliter fit, sed in id quod eodem modo solet euenire; profectò huiusmodi talia in id quod minus monstrosum est, dicuntur discessisse; eò quòd in eis id, quod præter naturam est, efficitur secundum naturam.

Cap. 19.

Plenius allata Aristotelis verba explicantur: item alius quidam obscurus ipsius locus enarratur. Cap. 66.

HOc totum clarissimo Capneæ vitis exemplo pulchrè declarat Aristoteles; hæc enim vuas aut albas, aut colorem medium inter albas & nigras habentes, producere solet sua natura; quare si nigras producat, id monstrifici minus putatur habere: quia licèt rarius id agat, solet tamen præstare aliquando; & si albas non facit, non in quodlibet mutatur, sed in rem ipsam consuetam nigras producens, de quare elegantem Theophrasti disputationem quinto de Plantarum Causis legere conducit, quæ locum hunc Aristotelis plurimum illustrat. quapropter monstrum in ea hoc non putatur; sæpè enim id solet; sæpè, inquam, si ea respicias, quæ vel nũquam facit, vel rarissimè; raro fortasse si vel albas, vel medias colore vuas animo verseris; vnde mutatio erit εἰς τὸ εἰωθός, idest in rem solitam, & consuetam: at solitum monstrum non est, vt inquit Theophrastus. ex quo licet intelligere; quid velit Aristoteles breuitatis alioqui amantissimus, & qui necessarias potius interdũ voces ferè omittere solet, quam redundantes addere; dum ei, quod ὡς ἐπιτοπολὺ vocat, idest quod fit vt plurimum, etiam alterum hoc τὸ εἰωθός addit, idest consuetum; vt eodem capite verbis illis διὸ καὶ δοκεῖ τεράτωδη τὰ τοιαῦτ᾽ εἶναι μᾶλλον, ὅτι γίνεται παρὰ τὸ ὡς ἐπιτοπολὺ, καὶ τὸ εἰωθός. idest quamobrem & videntur huiusmodi hæc monstrosa esse magis, quia fiunt præter id quod plurimum agitur, & præter solitum. neq; enim idem omnino significant apud ipsum τὸ ὡς ἐπιτοπολὺ, & τὸ εἰωθός; dicamus nos clarioris doctrinæ gratia, quod plurimum fit, & quod est solitum; cùm, vt patet in Capnea vite, nigra vua solitum in ea sit, non tamen vt plurimum ab ea productum. quare hoc loco omne, quod fit vt plurimũ, erit & solitum, sed non è contra: dicit enim solitum apud subtilissimum, & accuratissimum Philosophum, quod fit naturaliter quidem, sed tamen raro magis, vel frequenter minus; vnde & præter naturam vocari poterit, si id, quod sæpius efficitur, spectemus; rursumq; secundum naturam, quia habet ordinem, & in illud ferè semper fit discessus, in producentisq; continetur potestate, quemadmodum vua nigra in Capnea vite. cuius rei causam dum affert Aristoteles, in hoc vno de reliquis

Cap. 3.

omnibus nos facit certiores; cùm enim, vt ipse inquit, vitis Capnea mediam quandam, & communem naturam habeat inter albam & nigram, non longè fit discessus, & transgresio, neq; in id quod propriè dicitur præter naturam, οὐ γὰρ εἰς ἄλλην φύσιν, idest non in aliam naturam, vt inquit diuinus vir; quoniam, vt adiungit Theophrastus, eadem natura est, quæ aliàs hoc modo, aliàs illo, sed tamen definito operatur; vnde nullum euenit absurdum. Hæc igitur Aristoteles; ex cuius eleganti disputatione quinq; elicimus, quæ ad quæstionem hanc dissoluendam, ad aliaq; pleraq; Philosophi ipsius loca intelligẽda plurimum cõducunt. Primum est triplicem, vt dicebamus, naturam ex eius sententia inueniri. primam eternam, secundam sublunarem, & hanc quidem duplicem, idest alteram quæ perfectißimum, alteram verò, quæ minus perfectum in operatione attingit. Secundum est, quadruplicem dari ipsius operationem; primam naturæ eternæ, tres alias sublunaris. Tertium est, res hasce sublunares duplicem sortiri differentiam, ac alias esse, quæ mediam hanc, communemq; naturam non habentes, cùm ab eo, quod plerunq; faciunt, discedunt, semper in quodlibet, non in solitum, mutantur, ideoq; in id quod est verè monstrosum: alias verò esse, quæ mediam hanc naturam nactæ non semper in quodlibet, sed in rem determinatam & solitam faciunt mutationem, licèt poßint etiam in quodlibet mutari. Quartum est, monstrum propriè dici, cùm in quodlibet fit mutatio; quod quidem etiam propriè est præter naturam, nec secundum naturam vnquam euadit, aut potest appellari. Quintum est, primam operationem, quam sæpius natura sublunaris efficit, perfectißimam esse, & ei omnino consentaneam; vtpotè in qua natura formæ materiæ naturam semper superet: secundam operationem, quam minus sæpè facit, sed tamen facere eam solet, minus esse perfectam; eò quia in ea materia è contra perpetuo formam vincat, aut si non vincat, à forma certè non vincatur, sed tamen naturaliter; nam & hoc est, quod inquit Aristoteles verbis illis. cùm naturam materiæ natura formæ non superat & c. tertiam demum imperfectißimam, in qua monstrum propriè locum habet; quia, quòd materia formam superet, in ea omnino sit præter naturam.

Octauum mensem & partum in eo editum quodammodo monstrosum, ac præter naturam dici posse secundum Aristotelem; propriè tamen, ac simpliciter nec monstrosum esse, nec præter naturam, sed secundum naturam.
Cap. 67.

IAm verò si hæc omnia ad ea accõmodabimus, quæ modò de octomestri partu ex Aristotele disserebamus, clarum erit, qua ratione octauus mensis partim naturalis, partim præter naturam dici poßit; & quo modo monstrifici aliquid habere. quoniam enim homo mediam naturam sortitus est inter multipara animalia, & vnipara; ex quò & non solùm septimo & decimo, sed octauo etiam naturaliter parere potest; licèt frequentius, ac vt plurimum septimo, nono, & decimo pariat; si tamen octauo partum edit, id propriè præter naturam dici nequit, idcircòq; nec verè monstrosum; cùm ad hoc habeat potestatem naturalem. cùm enim mediam sortitus sit naturam, nõ fit longius discessus; nimirum non in aliam naturam, vt de Capnea vite dicebat Aristoteles: fit enim mutatio in solitum, si non in id, quod crebrius efficitur; vnde quod præter naturam est, euadit in eo secundum naturam. quandoquidem si octauum mensem ad nonum, ac ad decimum conferamus, quin etiam & ad septimum, aliquo modo præter naturam dici poterit: rursum si hunc naturalem esse homini ob dictas causas animo versemur, atq; cum quinto, & sexto, vel duodecimo, vel etiam vndecimo comparemus, iam quod præter naturam in eo est, transit in id quod est secundum naturam; & vocari potest, quin etiam & debet, naturale, quoniam in ipsum non tanquam in quodlibet fit mutatio, sed si nono, aut decimo natura partum non edit, aut septimo, octauo pariet: ex quò & in eum tanquam in rem solitam mutatio efficitur. ille nanq; partus omnino esset præter naturam, qui vel quinto, vel sexto, vel duodecimo mense ederetur, aut etiam post vndecimi principium; cùm hoc neq; frequens homini sit, neq; consuetum, neq; in illius natura collocatum. Superat autem hac quoq; in re natura materiæ formæ naturam, vel certè à natura formę materię natura non superatur, quoniam agens virtus, & formatrix, quæ loco formæ est, si imperium obtineat, & materiam (quod pertinet ad partus perfectam maturationem) perfectè vincat, semper diebus 280, septimo

Cap. 4.

Tex. 28. & 30.

Prob. 30.

septimo videlicet quadragenario, ac ineunte decimo, vel paulò citius, ad noni scilicet finem partum conformatum, & maturum reddet; quoniam tempus id prę cæteris homini est naturalissimum; si non superet, sed potius à materia è contra superetur, aut septimo, aut octauo pro temperamenti ratione. Atq; hinc discere possumus, quo sensu dixerit aliquando Aristoteles, muli ortum ex equo, & asino partim esse naturalem, partim præter naturam; ac præter naturam quidem, quoniam effectus non omnino exprimit agentis similitudinem, sed materia formam superante oritur; ex quò & semper mulus matri similis nascitur, vt in disputationibus de Monstrifici fœtus formatione fusius à nobis explicabitur. Secundù naturam autem, quoniam, vt acutissimè septimo Metaphysicorum dictum est; genus quoddam propinquissimum commune equò & asino est, sicut & plerisq; alijs, & natura quædam media & communis, licet innominata; veluti in Capnea vite dicebat Theophrastus rationem esse varietatis, quia color illarũ vuarum, neq; niger sit, neq; candidus, sed communis ad vtrunq; colorem. Cuius quidem communis naturæ tàm sæpè mentio est in libris de Animalium Ortu, vt nullius rei magis: neq; enim omnia ita oportet quęrere sicuti ex homine homo, vt concinnè memorato transnaturalis Philosophiæ libro subdit Aristoteles; etenim mulier ex viro, vnde mulus ex non mulo: ex quò & muli ortus secundum naturam dici debet. Quin etiam & his rectè intellectis circa alias quamplurimas difficillimas quęstiones vera Aristotelis mens attingi poterit; hanc enim distinctionem qui apud ipsum non perceperint, in plurimis hærebunt: qua etiam recepta, vt ex superiori disputatione notum est, nil verè monstrifici, & propriè partum octomestrem in se habere satis est manifestum; sed Aristotelẽ monstrosum eum appellasse, vt minus perfectum, minusq; à natura intentum esse demonstraret, ac frequenter minus generari: ex quò & vt hanc doceret Philosophus veritatem, partũ hunc non monstrũ esse sept. Hist. (si modo id voluit) sed tantùm mõstrosi aliquid habere significauit. Non secus ac decima Quæstionum geminorum partũ in homine præter naturam, proindeq; monstrosum esse dixit; quin etiam &, quod magis est, vniuersaliter in cunctis Animalibus decreuisse visus est, præter naturam in geminis esse, si alterum mas, alterum fœmina gignatur: sic enim locutus est iuxta Theodori interpretationem. An quòd homini maximè partus geminatio contra suæ naturæ legem accidit? singulos enim parere sancitum est, tùm in geminis ipsis marem ac fœminam creari natura omnino recusat. cùm tamen, si quæ alibi Philosophus de hac eadem re docuit, animaduertamus, contrarium omnino statuendum videatur: videlicet geminos partus homini esse naturales; & huiusmodi concursum in alijs animalibus non esse præter naturam; & homini demum non esse sic præter naturam, vt aliquo modo fieri secundum naturã dici nõ posit. quandoquidẽ cùm libro quarto de Animalium Ortu homo non solùm vniparum animal, vt supra vidimus, sed etiam sua natura pauciparum, ac multiparum constituatur, partus geminatio nulla ratione simpliciter, ac propriè præter naturam illi esse potest; cùm quatenus pauciparum animal est, ac multiparum ei conueniat.

Tex. 28. & 30.

Prob. 30.

Cap. 4.

Aristotelis loca explicantur nonnulla. quæ superius dicta sunt plenius comprobantur.

Cap. 68.

Hinc & Aristoteles loco memorato de geminorũ partu loquens, atq; ijs animalibus, quæ vnipara tantùm sunt, propriè ac simpliciter præter naturam huiusmodi partum esse statuens, hominem excipit. Nam cùm dixisset. Ἐὰν δέ ποτε πλεῖον ἔλθῃ, διτοκεῖ τότε· διὸ καὶ δοκεῖ τερατώδη τὰ τοιαῦτ' εἶναι μᾶλλον, ὅτι γίνεται παρὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ τὸ εἰωθός. quæ verba & paulò supra adduximus, & hìc rursus afferre opportunũ iudicauimus; atq; è græcis versa ita sonant. Quòd si interdum plus accesserit, tunc gemini nascuntur. quare & videntur monstrosi huiusmodi partus esse magis; proptereaquòd fiunt præter id, quod vt plurimum euenit, & præter solitum. cùm hæc inquam dixisset, statim quasi ex horũ serie hominem exciperet, ita subdit. Homo cum omnibus generibus ambigit. nã & vniparum est, & multiparum, pauciparumq; interdum. Sequitur enim ex his, si homo pauciparum, multiparumq; est, partus geminationem nequaquam illi monstrosam, ac præter naturam esse posse, contra quàm adducto Problemate videatur definitum. Inquit autem Philosophus in ijs animalibus, quæ vnipara tantùm sunt, geminationem partus monstrosam esse magis, vt doceat, in his, quæ naturæ pro-

ducuntur operatione, magis, & minus monstrosum inueniri; vt monstret (quod & supra ex eodem hoc loco iam elicimus, & nunc clarius elicere volumus) quidquid fit non solùm præter id, quod plurimum euenit, sed etiam præter solitum, monstrosum magis esse existimandum; &, quod in idem redit verè ac propriè monstrosum, & præter naturam. Nam & hæc ratio est, quam hoc loco adducit, vt probet animalibus illis geminationẽ partus monstrosam esse magis; id enim ex eo concludit, quod illis non solùm euenit præter id, quod plurimum fit, sed etiam & præter solitum: quod .n. tantũ fit præter id, quod plurimũ euenit, monstrosum est minus, scilicet aliquo modo monstrosum, ac præter naturam; sed quod tamen secundum naturã dici debeat: quod verò adhuc præter solitum cõtingit, id monstrosum magis; idest propriè, ac verè monstrosum. vnde non sine magna causa hoc alterum, præter solitum, Philosophus adiungit: vt distinctionem iã supra à nobis explicatam his verbis suis omnino coloribus pinxisse nobis videatur: quod & hoc ipso geminorum partu, ne à proposito exemplo discedamus, fit perspicuum. humanæ enim speciei partus geminatio monstrosa quidem aliquo modo est, quia homo maximè est sua natura vniparũ animal, ac vt plurimum singularem parit; vnde huiusmodi partus geminatio illi euenit præter id, quod plurimum efficitur; sed tamen monstrosa minus, quia non est tantùm vniparum, sed pauciparum quoq; sua natura, & multiparum animal; vnde nõ fit præter solitum. ex quò & Historiarum septimo, quòd mulier vnũ enitatur, τὸ πλεῖστον, καὶ παρὰ τοῖς πλείστοις euenire inquit Aristoteles, idest sæpissimè & locis plurimis; quòd geminos, πολλάκις καὶ πολλαχοῦ, idest sępè & locis multis. quod in Aegypto præsertim contingere idem notat. quo loco, vt patet, duplicem rursus illam naturæ operationem, quæ intra limites naturales continetur, clarissimè nobis ob oculos ponit; videlicet tùm eam, quæ maximè est secundum rei naturam, & quam ideo sæpissimè fieri scribit; tùm eam, quæ ab hac recedit perfectione, ideoq; præter naturam aliquo modo vocari potest; quam non ita sæpè fieri decernit, qualem in humana specie geminationem partus esse voluit. At è contra illis animalibus, quæ tantùm vnipara sunt, partus geminatio monstrosa simpliciter est, quia neq; paucipara, neq; multipara sua natura existunt; quare & monstrosa magis, quia fit non solùm præter id, quod plurimum efficitur, sed etiam & præter solitum. quod quidem acutissimè contuens Aristoteles, hac ipsa de causa geminorum partum his animalibus monstrosum magis esse scripsit, idest propriè, simpliciter, ac verè monstrosum, & præter naturam. quod sanè etiam dixit, vt significaret alia inueniri vnipara animalia, quibus huiusmodi partus minus sit monstrosus; videlicet quæ non vnipara tantùm essent, de quibus etiam disputabat; vt homini, de quo particulariter iam iam erat sermonem aggressurus. nam & propterea comparationis aduerbio vsus est. quare nõ satis mea sententia Theodorus scopum attingit, sic enarrata Aristotelis verba è gręco vertens. Ex quò fit, vt hæc portenta potius iudicentur & c. primùm enim quòd monstrosum portentum dicat, non placuit Suessano. secundo quòd monstrosum magis, portentum potius interpretetur, ingentes sic pulcherrimæ iã dictæ distinctioni tenebras offundens, mihi non arridet.

Cap. 4.

Quod superius dictum est de geminorum partu, fusius enarratur. atq; illorum exemplo conuincitur octomestres partus esse vitales.

Cap. 69.

SImiliter, vt vnde discessimus eò sermonem referamus, sicuti nec partus geminationem propriè præter naturam, ac monstrosam homini esse dicere possumus, ita & neq; in hoc partu maris ac fœminæ concursum alijs animalibus. quod Aristotelis est hoc ipsum quarto de Animalium Ortu perspicuè asserentis: siquidem scripsit. At in cæteris id non præter naturam est. cuius rei ratio est, quòd mas & fœmina in brutis caloris & frigoris ratione non ita insigniter differunt, vt in humana specie: ex quò & in nonnullis, vt nono Historiarum scriptum legimus, fœminæ, tanquã ferè calidiores, suis maribus animosiores esse possunt; vt de panthera, & vrsa idem notat. Verùm quia generaliter in brutis quoq; mas ac fœmina temperamento differunt, aliquo modo horum concursus illis est pręter naturam. Postremò idem hic cõcursus neq; etiam homini erit propriè, ac simpliciter præter naturã, tametsi lõgè magis quã animalibus carentibus ratione; eò quòd, licèt vno coitu oriantur, non tamen ex vnica eademq; materia gignuntur; cùm, vt superius ex Aristotele vidimus, naturæ ordine ac decreto, cum plures conformantur

Cap. 6.

Cap. 1.

tur partus, quidquid eiaculatum est, diuiditur, & vnusquisq; fœtus ex propria materia procreatur. Vnde cùm in menstruis, ac genitura altera pars, altera concoctior, puriorq; existat, vt idem docuit secundo de Animalium Ortu Aristoteles, altera inconcoctior, ac magis excrementitia; non erit omnino homini præter naturam, vt vno partu gemini, sexuq; dispares generentur. quare dicentur hæc eatenus præter naturam euenire, ac monstrosi aliquid habere, quatenus ab eo, quod maximè est secundum naturam, & sæpissimè agitur, discedunt, à perfectissimaq; naturæ operatione. Vnde horum profectò omnium, videlicet tùm geminorum simpliciter, tùm eorum, qui disparis sexus gemini oriuntur, tùm ipsorum octomestrium, idem erit omnino iudicium; cũ in eadem serie collocentur: vt nil sit mirum si de ipsis quoq; octomestribus Philosophus dixerit, seruari minus hos partus, ac viuere; item si præter naturam, & monstrosi aliquid habere affirmauerit; si raro nasci, rarius superuiuere, ac pro miraculo pleriq; Auctores scripsisse videantur. Siquidem hæc omnia de geminis disparis præsertim sexus ab ijsdem affirmantur.

Cap. 4.

Nam & de geminis vniuersaliter Auicennæ illud Fen vigesima tertia primi legimus à plerisq; receptum, incolumitatem geminorum non esse plurimam; nimirum quia raro incolumes euadant, nec superuiuant. ac de geminis disparis sexus apud Aristotelem loco memorato hos partus minus seruari; ἧττον σώζεται habet græcum exemplar: sicuti & paulò supra quarto capite simili admodum locutione de octomestribus dixerat ἧττον ζῆν, idest minus eos viuere; quod eodem gradu hos partus ex Aristotelis sententia esse collocandos fidem facit; nisi quantum octomestrium conditio melior arbitranda est, vt mox aperiam. Item referente Apponensi legimus apud Auicennam, quando vna mulier simul parit masculum & fœminam, raro euadere matrẽ & creaturam. ac apud eundem Apponensem ex Apologis, factũ esse misericorditer magis propter multiplicationem speciei, quòd Protoplastus semper masculum, & fęminam simul ex Eua generauerit; quod tamen ex Sacris Eloquijs haud satis colligo. atq; apud Diuum Thomam in opusculo de Fato, rarissimè contingere, vt in hoc partu mas viuat, frequentissimèq; ambo mori. quin etiam & apud Plinium, qui libro septimo Naturalis Historiæ vtrunq; caput explicuit his verbis elegãter: Editis geminis raram esse aut puerperę, aut puerperio pręter quàm alteri vitam: si verò vtriusq; sexus editi sint gemini, rariorem vtrinq; salutem. quæ omnia de octomestribus quoq; vsurpari solent; vt mirum sit quomodo atrocitas ista quidem horum in octomestres tantùm irruperit, vt hos solos, quorum tamen idem ac par iudicium esse debuit, condemnare, ac reijcere voluerint, geminos absoluere; cùm meridiano Sole clarius sit, sicuti nemo nisi demens affirmaret, huiusmodi geminos, si nascantur, arcendos esse, atq; illegitimos, non naturales, non vitalesq; partus arbitrandos; ita & de octomestribus nullo modo id esse affirmãdum: pręsertim cùm Aristotelis receptis fundamentis partus octomestres longè magis secundum naturam homini, quàm disparis sexus gemini esse videantur; eò quod longè magis humanæ speciei præter naturam est, cõtrarias naturas, quales in ea marium sunt, ac fęminarum ob insignem caloris & frigoris differentiam, ex eodem semine, & menstruo vnico partu gigni simul, ac maturari; quod hominis naturæ nõ parum repugnat (quas tamen gigni, & superuiuere quotidie sẽsuum fide experimur, nosq; geminos adultos, ac ferè iam senes ex Nobili Thienum familia oriundos Ioannẽ Baptistã, qui & hodie viuit, ac Helisabet eius sororem vidimus, Diuusq; Augustinus libro quinto de Ciuitate Dei se nouisse testificatur, qui & viuerent, & ætate vigerent) quàm ex materia ad gignendum octomestrem naturaliter disposita ipsum conformari octomestrẽ; quod insitũ esse in natura hominis Aristotelis auctoritate superius ostẽdimus. Quòd si octomestribus rariorem esse salutem, quàm his partubus septimo Historiarum significat Aristoteles, dicens de illis valde paucos in Græcia seruari, de his non quidem valde paucos, sed paucos tantùm; hoc ea de causa ab eo dictum esse, quia per accidens eueniat, vt plures octauo prodeuntes pereant, facilè quisq; ex ijs colliget, quæ paulò infra hac de re sumus disputaturi. quæ quidem omnia si vera sunt, iam quid sequatur, vt taceam, conclusio ipsa loquitur: siquidem hæc vna ratio mea sententia adeò complicatos, ac ferè constrictos aduersarios tenet, vt eos in ipsa veritatis vrbe peregrinantes, errantesq; tanquam hospites, velint nolint, quasi domũ deducere videat; vt possint aliquando quæ, & vbi sit, agnoscere. si enim disparis sexus gemini recipiuntur, qui magis sunt præter

naturam

Tract. 1. Cap. 17.

Lib. 4. de Ortu Animal. ca. 6.

In Comm. super Sect. 10. p. 18.

Cap. 4.

Cap. 6.

Cap. 4.

naturam, cur & non octomestres? Sed profectò verissimè illud à D. Augustino dictũ video, vitam hanc nostram ita subiectam esse vanitati, vt approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Cęterũ quòd si mõstrosos Historiarum septimo vocauit Aristoteles partus octomestres, non propterea verè præter naturam, & non vitales eos esse voluit, satis, arbitror, probatum est; nunc monstrandum, quòd dicens Aristoteles in Aegypto, ac in regionibus illis superuiuere octomestres, in quibus geniti partus, etiam si monstrosi gignuntur, viuere queunt, simul etiam & idcirco videatur monstrosos appellare partus octomestres, opinari nihil est rationis. nam si quis rectè animaduertat, videbit non propterea eum dicere octauo genitos esse monstrosos, quia asserat hos partus viuere in Aegypto, ac in regionibus illis, in quibus geniti monstrosi partus viuunt; sed ratio est à minori ab eo ducta ad causam explicãdam, cur hi partus viuãt in Aegypto. enimuero si ibi monstrosi partus geniti viuunt, qui longè sunt octomestribus imperfectiores, & qui vniuersaliter nullibi locorum viuere naturaliter queunt: vnde Aristoteles quarto de Animalium Ortu notatum reliquit, si quod præter naturam est partibus viuendi principalibus accidat, monstra non viuere; Alexander in Opusculo de Fato ne quidem à principio permanere posse, in secundo libro Problematum nullo modo esse vitales; igitur & facilius ipsi octomestres, qui tametsi imperfecti sunt, non tamen sunt monstrosi, nec adeò imperfecti, & naturaliter vitales oriuntur, in Aegypto viuent. Si enim quod minus videtur inest, & id, quod magis videtur, inerit. Hanc autem veram esse hoc loco Præceptoris mentem, illi facilè fatebuntur, qui ad memoriam reuocabũt quarto de Animalium Ortu ab eo monstrorum causas aperiente scriptum esse, animalia illa, quæ plura pariunt, sæpius monstra generare, quæ pauciora, rarius; idcirco & hominem rarius, quia vt plurimum vniparum sit animal, gignatq; perfectum; crebrius tamen locis illis, in quibus multipari magis naturam induit, vt in Aegypto; in qua quidem regione, vt septimo Historiarum scriptum legimus, sæpè geminos mulieres pariunt, & plures. Aristotelis autem hæc est oratio.
» Sed enim ex toto potius causam in mate-
» ria, constituendisq; conceptibus esse cen-
» sendum est. quamobrem monstra eiusmodi

Tom. 3. in Enchir. Cap. 21.

Cap. 4.

Cap. 14.

Prob. 48.

Cap. 4.

raro admodum fiunt in ijs, quæ singulos »
pariunt, sed crebrius in ijs, quorum par- »
tus est numerosus. Et non multò post. »
Vnde apertum est causam horum in mate- »
ria esse, putare oportere; etenim vt in ijs, »
quæ plura pariunt, magis; sic in ijs, quæ »
pauciora, minus id accidit. quocirca ho- »
mini minus; singularem enim vt plurimũ »
parit, ac perfectum. Nam & homini lo- »
cis, quibus mulieres præfecundæ sunt, ma- »
gis id euenit, vt in terra Aegypto. Hæc »
ille; quibus, crebrius in Aegypto quàm in alijs regionibus ob mulierum fęcunditatem monstra gigni, perspicuè ponit; quæ cùm etiam, secus quàm in alijs eueniat locis, ibi viuant, vt memorato septimi Historiarum loco idem testatur Aristoteles, vel certè diutius viuant quàm locis alijs, idcirco, ad hæc animum intendens, pulchrè ac diuinè memoriæ prodidit, tanquã rationi summè consentaneum, in Aegypto octauo genitos viuere, vbi monstrosi partus longè imperfectiores viuere comperiuntur. quare nullo modo ex his colligere possumus, partus octomestres ab eo monstrosos appellari; qui, vt in eadem non esse serie cum monstrosis partubus octomestres ostenderet, de his absolutè dixit,
ἐνταῦθα μὲν οὖν ζῇ τὰ ὀκτάμηνα, καὶ ἐκτρέφεται. »
quod est. his inquam locis octomestres »
viuunt & adolescunt. quibus viuere abso- »
lutè, ac simpliciter eos significauit, atq; ad senectutis annos peruenire, vtpotè naturales partus, ac sua natura vitales: de illis verò, nempè de monstrosis, καὶ γεννώμενα »
δύναται ζῆν, κἂν τερατώδη γένηται. quod est, »
& qui geniti sunt, viuere possunt, tametsi »
monstrosi gignantur. quibus non quidem »
absolutè viuere, vt dixit de octomestribus, sed viuere posse eos affirmans, non quidem ex propria natura, sed omnino præter naturam, ob optimam scilicet loci temperiem, & cum difficultate viuere demõstrauit; quod & supra etiã admonuimus: ita vt sicuti præter naturã oriuntur, sic & viuant præter naturam. Hinc Theodori in illius loci conuersione, (quod & superius monebamus) insignis error; qui sic transferens Aristotelis orationem.
multosq; simul facilè & ferunt, & pariunt, »
etiam si monstrosi sint, omnia illa præter- »
misit; καὶ γεννώμενα δύναται ζῆν, quæ sonant. »
& qui geniti sunt viuere possunt, & in qui- »
bus, vt ex superioribus est manifestum, tota est posita vis Aristotelicæ sententiæ. ex quò & Aristotelem coegit, vt insigne scriberet mendacium, videlicet mulieres mul-

Cap. 4.

tos facilè ferre, & parere monstrosos in Aegypto; quod, vt supra vidimus, omnino est falsum: cùm tamen non hoc ipse dicat, sed tantùm qui gignuntur monstrosi partus, in Aegypto viuere posse, quod longè est diuersum.

Quo modo octauus mensis etiam per accidens alijs minus sit naturalis situs ratione. quot incommodis menses partui humano dedicati subijciantur, Primum incommodū explicatur. Cap. 70.

HIs ita constitutis, alterum illud clarius aperiendum superest, quod dicebamus in superiori disputatione, partus per se, ac per accidens tales à mensibus denominari posse; plurimi enim huius rei explicatio interest ad ea quæ tractamus, atq; ad mensis octaui naturam assequēdam. hoc nanq; cognito simul etiam & exploratum erit, octauum mēsem situs ratione per accidens quoq; non solùm per se minus esse vitalem, quàm septimum, ac nonum; ita vt nil sit mirum si plerunq; locis nostris octauo in lucem editi periclitentur. Abundè superius demonstratum est tria maximè tempora pariendi esse homini à natura præstituta, scilicet mensem septimum, octauum cum parte noni, item quod reliquū noni est cum ipso decimo; quasi prouida natura homini, quem vniparum animal, pauciparum, & multiparum fecit, tria tempora destinauerit his tribus proprietatibus proportione respondentia. omnis autem partus ab horum temporum vnoquoq; dupliciter potest accipere nomenclaturam; per se videlicet, & per accidens. octomestris nanq; partus exempli gratia per se talis dici debet, cùm non solùm editur octauo mense, sed ita genitus est, vt octauo mense promi deberet; nimirum ex materia tali conformatus, quæ sua natura maturesceret octauo mense, tùmq; suam reciperet perfectionem. ille verò partus per accidens octomestris dicendus est, qui nascitur quidem, quæq; illa causa fuerit, octauo mense, sed re vera vel septimo, vel nono nasci debuit; atq; ex materia tali cōpositus erat, quæ mensibus illis maturitatem naturaliter reciperet: & de reliquis duobus temporibus eadem est ratio. Præterea hoc alterum ex superioribus memoria est repetendum, inter hæc tria tempora naturalissimū esse tempus tertium, nonum scilicet mensem cum parte decimi; primum verò, scilicet mensem septimum, naturale etiam magis quàm secundum; idest octauum; adeò vt sæpissimè mulier partum edat in tertio, sæpius etiam in primo quàm in secundo. His ita expositis clarum est, quare situs ratione crebrioribus abortionibus, & periculis octauus mensis sit obnoxius; cùm enim reliqua duo tempora duplici incommodo subijciantur, quod etiam octauo commune est, ipse tamen octauus situs ratione non solùm hæc damna sentit grauiora; sed alterum illi incommodum imminet, & illud quidem maximum. Primum incommodum singulis tribus temporibus commune, est cùm fœtus in eis intempestiuus editur; intempestiuum autem nunc intelligo, siue properatus fuerit editus, siue tardior. nam exempli gratia potest octauo nasci, qui septimestris erat sua natura; vel nono, aut septimo, qui erat octomestris. verum tamen est (atq; hoc maximè venit considerandum) naturam, nisi maximis de causis, etiam si abortum permittat, insigni temporis interuallo partum vel ocyus, vel serius abijcere; vt qui decimestris natura est, septimo edatur in lucem, & è contra; sed frequentius euenit, vt qui natura septimestris est, aliqua de causa octauo promatur, & è contra; ac de reliquis eodem modo. Natura enim magnas non facit transgresiones, nisi mirificè coacta, & raro magis: quod enim magis præter naturam est, rarius in ea euenit, & difficilius: quare huiusmodi incommodum septimo ac nono maximè ex octauo imminet; ac noni nomine septimi quadragenarij finem de more intelligo: siquidem nonus hoc modo acceptus eadem hæc damna decimi respectu longè perpetitur leuiora; cùm circa decimi finem, ac vndecimi principiū rarissimus partus eueniat, septimus autem sexti ratione incommodū ferè nullum habet, vel exiguum, cùm non sit partui sextus præfinitus: facilius enim & frequentius continget, vt fœtus natura septimestris octauo exeat, quàm sexto mēse; nempe quia octauus sit partui naturalis, & minus sit id præter naturam: facilius enim quodammodo fit abortus, si in mense ad partum idoneo contingat, quia partus est, licèt immaturus; partus nanq; quatenus partus, & facilius, & frequentius in mense aliquo naturali, hoc est in tempore ad pariendum à natura præfinito, efficitur. atq; hæc etiam causa est, cur abortus plerunq;, & fœtuum corruptiones in nono contingant; experimur enim quotidie non paucos, qui nono mense nascuntur,

tur, vel in partu interire, vel paulò post periclitari. quod totum Hippocratis authoritate comprobatur Aph. primo quarti secti asserentis, vtero gerentes, si materia turgeat, medicandas esse quarto mense vsq; ad septimum, sed has minus, scilicet quæ in septimum mensem ingrediuntur, vt rectè Musa exponit; quoniam, vt nos addimus, mensis hic est partui præfinitus, tuncq; fœtus in motu est, vt infra explicabimus; vnde facilius potest mulier vi medicamenti abortire.

Secundum & tertium incommodum declarantur, locus quidam explicatur Aphorismorum: item aperitur cur pluribus incommodis octomestres subijciantur.

Cap. 71.

SEcundum incommodum est mensis ipsius proprium: potest enim fœtus licet tempestiuè editi abortus fieri, vt Hippocrates Aphor. tertio secto docet eleganter; quo loco inquit mulieres, quibus partus ad ver instat ob temporum statum, & malâ temperaturam eodem ipsomet verno tempore ἐκτιτρώσκειν, idest abortire; licèt alij dicant verbum hoc impropriè ibi ab Hippocrate vsurpari, alij propriè; de qua re nunc non laboro. delirantium tamen somnium est dicere, sententiam esse Aphorismi, mulieres, quibus in vere partus imminet, legitimum eius tempus non expectare, sed ante illud abortum facere: enimuero quod ad tempus spectat, nullam facit Hippocrates differentiam inter τόκον & ἐκτρῶσιν; idest inter partum, & abortum; cùm vtrunq; velit in vere contingere. Vnde mirabilis Hippocraticæ mentis explanator Aristoteles Problem. prima sectione dicit vernum partum in abortum degenerare; quod est vere quidem, atq; sic legitimo tempore edi infantem, sed mortuum, & corruptum ob causas tùm ab Aristotele problemate illo allatas, tùm ab Hippocrate libello de Aere, Aquis, & Locis antea positas: quod Galenus contuens in Commentarijs ἐκτιτρώσκειν exposuit ἀλίσχεσθαι, quod est perire; vnde vel iam pridem mortuos edi, vel in ipso partu emori scribit. Si enim ante legitimum tempus mulieres abortirent, ante ipsum ver; hyeme videlicet, abortus contingeret; si post, partus tẽpus proxima esset æstas, ver nequaquam. Atqui Hippocrates huiusmodi abortiones vere effici voluit; atq; ver legitimum, maturumq; esse tempus pariendi supposuit

Aph. 12.

Prob. 9.

mulieribus illis, de quibus in aphorismo mentio est, quod isti etiam fatentur. quamobrem vtrum scopum nonnulli in opusculo quodam de Septimestri Partu, quod ediderunt, assecuti sint, dicentes contra distinguere Hippocratem eo in loco abortum à partu, adeò vt quæ abortiunt non pariant, & quæ pariunt non abortiant, vt abortus sit intempestiuus partus, non satis mihi constat: certum nanq; est abortum ibi tempestiuum esse temporis ratione, & maturum, tanquam legitimo, & tempestiuo, ac suo tempore editum; cùm dicat diuinus Senex mulieribus illis tũc partum imminere; sed tamen quia fœtus mortuus editur, vt Aristoteles, & Galenus explicant, ideo ab ipso abortum appellari; partum verò dici illum, in quo viuus nascitur infans licèt imbecillus: de qua re nos plura si Deus annuerit tertio libro de Hippocratica Anni ratione disputabimus; & infra quædam libro nono. His itaque duobus incommodis enarrati menses affici poterint. Clarum igitur est septimum mensem, ac nonum, duplici tantùm scilicet propria, & communi, quæ illis proximi mensis ratione maximè imminet, incommoditate laborare, ac infestari. Cæterum octauus mensis situs ratione eadem hæc damna non solùm longè grauiora experitur, sed tertio omnium grauissimo solus subijcitur. Primùm cùm octomestris sit sua natura imbecillus tanquam intermedius, ideoq; reliquis imperfectior, facilius hoc ipso mense fœtus partus laboribus obrutus periclitatur, si hi vel ob incommodam gestationem, vel ob cœli inclementiam augeantur; itaq; quod proprium vocamus incommodum mensem octauum acriùs vrgebit. Secundo, quia non solùm à mense, qui sequitur, vt septimus, vel ab eo, qui antecedit, vt nonus, verùm, eò quòd medius est, ac interiacet inter tempora partui præfinita, ac maximè naturalia, ex ambobus periculum ei par incumbit; quod commune dicimus incommodũ magis in eo locum habet: potest enim faciliter & septimestris si remoretur, & nonomestris si properet, in octauo nasci; qui tamen tanquam nõ suo tempore editi, nullo pacto vitæ compotes fieri poterint. Hæc autem facilè contingere necesse est, vbi mulieres ob cęli temperaturam, & abortum facere, & ad exactos menses vterum non gestare solent, vel non commodè; siquidem his in locis facilius accidere poterit, vt vel mulier partum acceleret, vel re-

tardet, vel etiam mortuum tametsi suo tempore edat, aut mox interiturum. atq; hoc est quod mirabiliter septimo Historiarum docebat Aristoteles, quibus locis mulieres εὐενφόροι non sunt, idest ad exactos menses commodè vterum non ferunt, ijs octomestres plerunq; periclitari. Tertium incommodum octauo mensi additum situs ratione, quod illius proprium est, ei presertim euenit ob nonum mensem; cùm enim, vt superius dictum est, tempus hoc sit reliquis duobus magis naturale, ob idq; frequentius in eo mulieres pariant, si naturalem partus rationé animaduertamus. i. quomodo fiat partus nonomestris, si naturæ leges retinet, contemplemur, & quæ illum præcurrant; statim perspicuum erit, quid incommodi posit octauo mensi hinc accedere; locis præsertim illis, in quibus mulieres ad exactum tempus commodè vterum non ferunt: vt maxima de causa id pronunciasse Aristoteles videatur (quod tam crebro inculcamus) vbi id contingit, ibi octauo mense genitos plerunq; non superuiuere.

Cap. 4.

Aperitur naturalis ratio, & modus partus nonomestris. Enarrandus proponitur locus obscurissimus ex capite quarto septimi de Historia Animalium. Theodorus refellitur. Cap. 72.

NAturalis autem partus rationem, qui nono potissimum mése in lucem prodit, diuinè, vt mihi videtur, explicat septimo Historiarum Aristoteles ita scribens.

Cap. 4.

„ ὅταν δὲ συλλάβῃ ἡ ὑστέρα τὸ σπέρμα, εὐθὺς συμ-
„ μύει ταῖς πολλαῖς, μέχρι γεννῶνται ἑπτάμηνες·
„ τῷ δ' ὀγδόῳ χάσκουσι· καὶ τὸ ἔμβρυον, ἐὰν ᾖ γό-
„ νιμον, προκαταβαίνει τῷ ὀγδόῳ μηνί· τὰ δὲ μὴ
„ γόνιμα, ἀλλ' ἀπεπνιγμένα ὀκτάμηνα ἐν τοῖς τόκοις,
„ οὐκ ἐκφέρουσιν ὀκτάμηνα αἱ γυναῖκες, οὔτε προκα-
„ ταβαίνει κάτω τὰ ἔμβρυα τῷ ὀγδόῳ μηνί, οὔτε αἱ ὑ-
„ στέραι ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ χάσκουσιν· ἀλλὰ σημεῖον
„ ὅτι οὐ γόνιμον, ἐὰν γένηται, μὴ συμπεσόντων τῶν
„ εἰρημένων: græcam enim seriem hîc apponere opus fuit, quia Theodorus in sua interpretatione mirè recessit à fide græci exemplaris locum hunc ita conuertens.
„ Cùm semen conceperit vterus, statim se cō-
„ trahit, donec ad septimum mensem ventum
„ sit. Octauo iam adaperitur, atq; dehiscit,
„ & partus si viuit, descendit mense eodem;
„ sed si mortuus est, neq; ipse descendit, nec
„ vterus per id tempus dehiscit; idq; indiciū
„ facit, fetum haudquaquam esse vitalem. At primum dicit Aristoteles, εὐθὺς συμμύει ταῖς πολλαῖς: idest, statim multis mulieribus se contrahit vterus; itaq; quod de pluribus „ verè enunciat Præceptor, ad omnes falsò Theodorus indefinitè locutus videtur trāstulisse. neq; enim verum est omnibus mulieribus, quæ conceperint, vterum ad septimum vsq; mensem contractum permanere, octauo adaperiri, ac diebus nonnullis ante partum; sed illis tantùm, quæ nono mense pariunt; quare rectissimè ea voce πολλαῖς vsus est Aristoteles: frequentior nanq; partus nonomestris est, vt superius notauimus. illis verò, quibus ad septimum partus instat, vterus toto sexto mense cōtractus permanet, septimo autem, cùm hora partus imminet, adaperitur, non octauo. quibus imminet in octauo, toto septimo, octauoq; dehiscit, cùm mulieri est pariendum: non enim his partubus est necessarium, vt nonnullis diebus ante partionis tempus id vterus patiatur; de qua re in Hippocratis explicanda positione octauo libro abundè disputabimus, ac etiam nonnulla paulò infra, simulq; causam exponemus. Possunt etiam alteram Aristotelis verba commodissimam recipere interpretationem, quæ Gazæ conuersionem hanc nihilominus explodit: ipse enim quarto de Animalium Ortu, superfœtationis causas inquirens, dicit aucto iam fœtu, si coitus adhibeatur, superfœtare quidem mulieres, sed raro; quoniam vterus vt plurimum, idest plerisq; se comprimit, & contrahit mulieribus ad partum vsq;. cùm enim post susceptum semen vterus plurimis se comprimat, nec posit nouum recipere, meritò rarius contingit superfœtatio: nam paucis euenit mulieribus, vt vterus post conceptionem adaperiatur. Hoc igitur idem hoc loco exprimere Philosophum, cùm dicit multis statim se vterum contrahere, postquam semen vterus conceperit, quàmsimillimum vero mihi videtur: quod quidē cùm non contingat omnibus, ideo vocem πολλαῖς; idest multis, adiecit. quare non debuit eam Theodorus prætermittere. Deinde quod inquit Aristoteles, τὰ δὲ μὴ γόνιμα, conuertit ipse, sed si mortuus est; at μὴ γόνιμος non vitalem dicit, videlicet imbecillissimum, & mox interiturum; non tamen mortuum: si enim mortuum vox illa diceret, quid maiestate sua dignum doceret Aristoteles, scribens fœtum non descendere? hoc enim vel lippis, & tonsoribus notum est, mortuum fetum ex se non esse descensurum. Vnde & non solùm hoc absurdum videtur, sed quod Theodorus

Aph. 12.

Cap. 5.

Prob. 9.

mox infert, id indicium facere fœtum haudquaquam eſſe vitalem. quis enim eſt, qui non videat, mortuum fœtum non eſſe vitalem? quòd ſi cùm mortuus eſt, non deſcendit, neq; per id temporis vterus dehiſcit; iam quòd non deſcendat fœtus, neq; dehiſcat vterus, ſignum erit fętũ eſſe mortuum, non quidem eum non eſſe vitalem, vt concludit Theodorus. ſed, vt video, vox illa ἀπεπνιγμένα eum fefellit; quæ tamen non idem quod non vitale, vt infra videbimus, ſed non vitalis effectum hoc loco ſonat.

Adhuc propoſitus locus plenius enarratur. Albertus Magnus reijcitur. Cap. 73.

PRęterea omnia illa. ἀλλ' ἀπεπνιγμένα ὀκτάμηνα ἐν τοῖς τόκοις οὐκ ἐκφέρουσιν ὀκταμηναι αἱ γυναῖκες, omninò prætermittit; ſicuti & poſtrema altera illa. ἐὰν γένηται μὴ συμπεσόντων τῶν εἰρημένων: hæc tamen omnia in impræſsis codicibus paſsim habentur. quin etiam & eruditiſsimus Budeus, græcarumq; litterarum ſcientiſsimus in ſuis Commẽtarijs verba hæc Ariſtoteus citat, & tanquam germana agnoſcit, ſignificationem verbi ἐκφέρειν perquirens; vt nullo pacto dicendum videatur, locum corruptum eſſe, & deprauatum. Sed quid aliundè teſtimonia mendicamus. vetus Interpres cum græco exemplari in ſua verſione exactè cõſentit; ita enim habet. Cùm autem conceperit matrix ſperma, mox concluditur plurimis, quouſq; fiant ſeptem menſes; octauo autem hiat, & embryo ſi fuerit prolificus, prædeſcendit octauo menſe. quæ autem nõ prolifica, ſed ſubfocata octo mẽſium in partibus, quæ non efferunt octo menſium mulieres; neq; prædeſcendunt inferius embryones octauo mẽſe, neq; matrices hoc tempore hiant, ſed ſignum quòd non prolificum, ſi fiat non euenientibus dictis. Item Georgius Trapezuntius, cuius iam ſupra non ſemel mentio habita eſt, è media Græcia oriundus, eadem hæc ipſa legit; atq; ita, ſi non elegantius, certè longè fidelius interpretatur. Vterus autem illicò, cùm ſperma adhæſerit, concluditur in plurimis vſq; ad ſeptimum mẽſem; octauo autem menſe hiſcit, & embryo, ſi vitalis eſt, in octauo menſe prædeſcendit. Non victurus autem, ſed ſuffocandus in octomeſtri partu, non prædeſcendit in octauo menſe, nec vterus in hoc tempore hiſcit. Quare ſignum eſt non eſſe vitalem, ſi exeat, ſignis, quæ dicta ſunt, nõn concurrentibus. Hæc Trapezuntius; ac vtinam Ariſtotelis illa non prætermiſiſſet. οὐκ ἐκφέρουσιν ὀκτάμηναι αἱ γυναῖκες. longè enim propius ad rectam huius loci interpretationẽ acceſsiſſet. quanquam adeò obſcura ſunt verba, tantiſq; tenebris circunfuſa, vt niſi quis veram Hippocratis, & Ariſtotelis ſententiam de partus nonomeſtris modo, ac ratione aſſecutus fuerit, illa omnino corrupta eſſe iudicet; ideoq; excuſandi Trapezuntius, ac Theodorus videantur, ſi aliqua prætermiſerint, aliqua verò in alium ſenſum acceperint. Ita igitur ego verbum è verbo exprimens, vt facilius locum enodare valeam, relicto fuco in re abſtruſiſsima, Ariſtotelis interpretor orationem. Cùm autem vterus conceperit ſemen, ſtatim mulieribus multis comprimitur, quouſq; geſtando ad ſeptimum menſem peruenerint. Octauo autem aperitur, & embryon ſi vitale fuerit, octauo menſe deſcendit; quæ autem vitalia non ſunt, ſed ſuffocantur, octomeſtria in partubus, octomeſtres mulieres ad exactum, maturumq; tẽpus non perferunt. Quin etiam & embrya non deſcendunt octauo menſe, neq; vterus per id temporis aperitur, ſed ſignum eſt embryõ non eſſe vitale, ſi his non contingentibus in lucem veniat. Hæc vera eſt Philoſophi oratio; cuius tamen veram ſententiam Albertus Magnus libro nono de Animalibus non videtur attigiſſe, ſcribens Ariſtotelem aſſerere aliquando ipſo ſeptimo, & octauo menſe hæc contingere; cùm ſcilicet partus his menſibus ob inopiam alimenti, vel vteri anguſtiam venit in lucem: adeò vt de partus tempore hoc loco exiſtimet haberi ſermonem, ideoq; hæc ipſa nono etiam dicat euenire; quæ omnia à Philoſophi mẽte ſunt alieniſsima.

Tract. 1. Cap. 3.

Alberti autem hæc eſt oratio. Adhuc autem, inquit, quando matrix concepit ſemen, orificium eius conſtringitur ſubitò vſq; ad ſeptem menſes: & aliquando in ipſo menſe ſeptimo, aut in octauo incipit aperiri orificium ipſius, quando fœtus incipit deſcendere. Cùm enim embryo ex arctitudine vteri, qui iam nimis arctus eſt, aut etiam ex defectu nutrimenti, quod iam magnus effectus abundantius requirit, quàm miniſtretur ei per ſanguinem menſtruum: & his duabus de cauſis non amplius pati poterit ſuam remanſionem in vtero: propter quòd incipit deſcendere inferius ſeptimo, vel octauo, vel nono menſe: & in deſcenſu ſuo exprimuntur labia vuluæ, & fiſſuræ vuluæ incipiunt ſtare apertæ, & frequenter ſunt labia vuluæ humida: ſi autem quantitate, cui qui-

"quidem propter materni vteri necessitatem non patitur remanentiam, sed tamen habet quandam naturam remanendi; quæ quidem naturæ est immobilitas, & frigiditas, conceptus tunc stat, & non descendit inferius: & tunc orificium matricis non aperitur, nec incipit fissura vuluæ aperiri mense octauo, vel nono: neq; embryo reuolutione sua conatur descẽdere deorsum. Hoc enim significat, quod aut mortuus sit, aut adeò debilis, quòd in ipso non sit aliqua spes vitæ.

Adductis Aristotelis verbis de nonomestri, ac decimestri partu sermonem haberi demõstratur; Trapezuntij quædam, ac Theodori redarguuntur. Cap. 74.

HAec igitur Aristoteles; quæ cùm maximi momenti sint, & ferè totius nostri negotij summam contineant, diligenter sunt nobis ventillanda: ac primùm illud probandum est, quod paulò supra dicebamus, nonomestris potissimum, ac decimestris partus modum, ac rationem, non septimestris hoc loco explicari; quanquam & de octomestri quasi secundario sermo habeatur. Hoc autem sic facilè ostendimus. De septimestri, atq; de eo partu, qui etiam per abortum mense septimo in lucem venit, non esse sermonem, illud mõstrat euidenter, quod inquit Aristoteles, mulierem gestando ad octauum peruenire, hoc ipsoq; octauo mense illi vterum dehiscere, & fœtum descendere: quæ omnia in eo, qui mẽse septimo naturaliter oritur, & maturus, vel eijcitur abortione, locum habere nequeunt. Similiter de octomestri præcipuè non esse verba intelligenda, altera illa faciunt testatissimum, οὐκ ἐκφέρουσιν ὀκτάμηνα αἱ γυναῖκες: quibus Aristoteles inquit, mulieres fœtus illos, qui mense octauo in partu ipso pereunt, ac suffocantur, iamq; mortui, ac suffocati eduntur, ad exactum, ac maturum tempus non gestare; quæ quidem cùm doctissimi viri Trapezuntius, ac Theodorus, vt supra monuimus, in hoc loco interpretando prætermiserint, rem omnium maximam videntur prætermisisse. quanquam eò grauior Theodori culpa est, quò & præcedentia quoque reliquit. ὀκτάμηνα ἐν τοῖς τόκοις: quæ pulcherrimè, atq; omnino ad Præceptoris mentem, vt mihi videtur, Trapezuntius, in octomestri partu, interpretatus est. enimuero verbum, ἐκφέρειν, Aristoteli significat maturum parere temporis ratiõe, & iusto pro natura fœtus tempore illum gestare, vt supra maximi viri Gulielmi Budei auctoritate dicebamus; quod inter cætera, verba illa sexti capitis septimi libri Historiarum latissimè probant ab ipso Budeo allata; quibus Aristoteles docet esse quasdam mulieres, quæ vix concipere queant, sed cùm tamen conceperint, ἐκφέρειν; alias verò cõtra, quæ facilè concipiant, sed postquam conceperint, ἐκφέρειν non posse. quibus & alteram illam auctoritatem sexti libri addere possumus, vbi Philosophus inquit, in equarum quoq; genere contingere, vt aliæ omnino steriles sint, aliæ concipiant quidem, sed ἐκφέρειν nequeant. quin etiam & alteram libri septimi, vbi de superfœtatione agens Aristoteles dicit, si posterior conceptio priori proxima sit, quod superfœtatur mulierem ἐκφέρειν. quibus in locis sine vlla dubitatione ἐκφέρειν sonat ad exactum tempus fœtum gestare, ac temporis ratione maturum parere; vnde cùm huiusmodi verbum Theodorus edere, item seruare interpretatus sit, Trapezuntius efferre in lucem, ipsius vim minus videntur attigisse. Cùm igitur hoc ita sit, dicens Aristoteles, mulieres octomestres hos fętus, quos suffocatos, ac mortuos, vel certè morti quàmproximos octauo mense pariunt, ad exactum maturumq; tempus non perferre; perspicuè monstrat huiusmodi fœtus, de quibus loquitur, non esse sua natura, ac per se octomestres, neq; ex materia tali cõformatos, quæ octauo mense maturitatem reciperet; sed abortione potius eiectos, ac pręter tempus suę maturitatis in lucem venientes: quandoquidem, cùm etiam respectu tẽporis maturi fœtus alioqui mortui à mulieribus edantur, & abortus contingat, vt supra Hippocratis, Aristotelisq; auctoritate probauimus; si Philosophus de partu per se octomestri, vel præcipuè, vel tantùm loqueretur, non posset dicere hos fœtus, quos suffocatos hoc mense mulieres edunt, ad exactum tempus ab illis non gestari.

Cap. 22. Cap. 4.

Quòd Aristoteles adducto loco de octomestribus etiam habeat sermonem. Cap. 75.

VErùm quoniam apud Aristotelẽ ἐκφέρειν idem etiam quod εὐεκφέρειν sonat, vt superius allatæ auctoritates, ac præsertim illa de causis vitæ octomestrium in Aegypto supra à nobis explicata, satis probant; quod est non solùm vterum ad exactum tẽpus

pus gestare, sed intra gestationis tempus nil incommodi experiri, demum perfectũ, maturumq; parere, & vitalem: ita vt vtranq; abortionem huiusmodi vox tollat; videlicet tùm eam, quæ fit, cùm ob incommodam gestationem fœtus vel mortuus, vel mox obiturus, tametsi iusto tempore, in lucem veniat; tùm alteram, quæ euenit, cùm fœtus præter tempus suæ maturitatis, siue tardius id fit, siue ocyus, editur. Hinc præcitatis verbis, etsi præsertim de nonomestri partu sermo sit, de octomestri quoq; quasi secundariò haberi mentionem mihi persuadeo. quoniam enim fœtus, qui septimestris natura nõ est, vel octomestris, vel nonomestris per se esse potest; & hic vel vitalis, vel non vitalis: & si vitalis est, suis temporibus oritur cõmodè gestatus; si non vitalis, vel extra tempus editur, vel ob incommodam, laboriosamq; gestationem, tametsi suo tempore genitus, aut mortuus, aut statim moriturus venit in lucem; voluit mea quidem sententia Aristoteles vtranq; hanc rem nobis hoc loco ob oculos proponere; fœtuumq; nõ vitalium, idest qui nascuntur non victuri, rationem explicare. Ac sanè quod dicimus ad ipsius verba apprimè quadrare ij facilè concedent, qui attentiori animo illa considerabunt: enimuero & quid aliud quàm vtranq; hanc abortionis speciem verbis illis potuit aperire? quæ autem vitalia non sunt, sed suffocantur octomestria in partubus, octomestres mulieres ad exactum, maturumq; tempus non perferunt. voluit enim dicere, vel non perferre ad tempus maturum, vel si perferunt, non perferre commodè. at id vltimum de his tantùm, qui per se octauo prodeunt, pronunciare potuit Aristoteles. Nam & propterea dixit, octomestria in partubus. propterea, vt id magis significaret, mulieres illas vocauit octomestres. itaq; qui octauo nascentes pereunt, ac suffocantur, peribunt quidem, vel quia non sunt octomestres per se, nec geruntur ad exactum tempus; sed verè sunt septimestres, ac nonomestres, ante, aut post maturitatis horam per abortionem octauo eiecti; vel quia, tametsi octomestres sint per se, non tamen commodè geruntur; ideoq; vel in ipso maturitatis mẽse, atq; in ipso partu ob exantlatos in tota gestatione labores pereunt, ac mortui, suffocatiq; oriuntur; cùm nequeant prę imbecillitate ipsos partus labores sustinere. atq; hoc est, quod inquit Aristoteles, hos fœtus in partubus non perferri, idest non commodè perferri: vocauit enim eos partus, vt monstraret ratione temporis, quod maturum est, verè partus esse, quanquam in abortum postea degenerent; quod quidem de octomestri per se habet tantùm veritatem. Hinc verò illud, quod legentium oculis non semel supra obiecimus animaduertendum, clarissimè colligi satis constat; videlicet Philosophum & octomestres per accidens agnouisse, & eos, qui licèt per se tales sint, nihilominus ob malam gestationem in partu pereunt; atq; voce illa, εὐεκφοροι, in tradendis causis vitæ octomestrium in Aegypto, vtranq; abortionem designasse: ita vt qui alijs in locis octauo geniti periclitantur, his de causis periclitari existimauerit: quod etiam fusius in septimæ dubitationis solutione quinto libro explicabimus. Non possunt igitur Aristotelis verba, vt vnde digressa est, se nostra referat oratio, de septimestribus intelligi; sed primùm de partu nonomestri, ac decimestri intelligenda sunt, mox etiam de octomestri. quod eò magis rationi consentaneum est, quòd præcedentibus verbis de articulatione sermonẽ habens Aristoteles, de hoc ipso decimestri partu loquebatur; dicebatq; ob articulationis in fęmineo partu naturam mulieres decimestres magis exoriri; vt non dissonum videatur à ratione, si existimemus post exposita accidentia, quæ in formatione nonomestrium, ac decimestrium eueniunt, quæ in eorundem partu contingunt, sequentibus verbis potissimum ipsum aperire; huius partusq; modum, ac rationem præcipuè explicare.

Difficilis quædam proponitur quæstio indaganda. Nonnulla ad eam dissoluendam præmittuntur. Cap. 76.

HOc igitur posito, ac recepto, iam illud alterum rationem desiderat, quare nonomestris, ac decimestris partus modum aperiens Aristoteles, hęc omnia octauo mense contingere scribat, ipsiusq; partus horam præuenire; videlicet vterum dehiscere, fœtumq;, si vitalis est, descendere; si non est vitalis, vel eo ipso octauo mense in descensu suffocatum eijci, ac mortuum, dum hæc contingunt; vel non descendere, neq; vterum adaperiri; ita vt si his non contingentibus octauo mense, nec præcurrentibus nono postea mense oriatur, id argumento sit, illum non esse vitalem. siquidẽm veram hanc esse abstrusissimi huius loci sentẽtiam in disputationis

nis cursu demonstrabimus. Hæc enim non exiguam molestiam videtur exhibere; cùm nulla appareat causa, cur vel ante octauum, sexto videlicet, aut septimo; vel post, nono scilicet, ac decimo, cùm partus hora instat, enarrata omnia non queant euenire. Tantum igitur vt aperiamus arcanum ex Hippocrate illud animaduertendum est, luculenter ab eo in opusculo de Septimestri Partu explicatum, septimum mensem perfectionem quandam fœtui afferre; quam diuinus Senex perfectionis potius principium, quàm absolutam perfectioné ob causas suis locis explicatas censuit appellandam, id totum intelligens in partubus, qui imparem periodum affectant, videlicet in septimestribus, nonomestribus, ac decimestribus, vel solùm, vel maximè habere veritatem, vt suo loco aperiemus. hoc idéq; voluisse Aristotelem quarto libro de Animalium Ortu est apertissimum; vbi lac vtile mense septimo, non antea mulieribus gigni ea de causa docet, quoniam eo tempore fœtus quasi constat finem suum adeptus, ac perfectionem; quem Aristotelis locum superius etiam ventilauimus; demonstrantes huiusmodi perfectionem primum in triplici illa perfectione, quam dari in natura ostendimus, gradum possidere. cùm enim in nonomestri quoq; partu verum id esse velit Aristoteles, atq; ipsa probet à sensuum fide sumpta experientia; eò quòd mulieri, quæ nonomestrem gerit, septimo similiter lac vtile esse incipiat; satis clarum est nonomestrem quoq; partum mense septimo ex Aristotelis sententia hãc perfectionem adipisci. vtrum autem in octomestri id locum habeat, & quo modo, octauo libro explicabitur. Quòd si ex ipso sciscìteris, quæ nam sit huiusmodi perfectio; primùm aptitudinem ad vitam potiendam esse respondebit, cùm septimo primò, non antea fœtus sint vitales; quod etsi septimestrium sit proprium, qui soli vitales hoc mense exeunt, non quidem nonomestres, ac decimestres; videtur tamen consentaneum, hoc tempus, quod primò partui humano vitam affert ac perfectionem, reliquis etiam partubus, qui alijs mensibus maturescunt, ac in periodo cõsentiunt, aptitudinem quandam ad vitam participandam afferre, ac proinde perfectionem; vt meritò vniuersaliter dixerit Hippocrates septimos menses partus in perfectionem constituere; docens hac generalitate nõ solùm id septimestribus, sed etiam alijs partubus esse commune: quod an octomestribus conueniat suo loco inuestigabimus. Secundo dicet nil esse aliud, quam articulationis, formationisq; ferè terminum; cũ imposterum natura potius, vt ipse ibi innuit, in augendo fœtu, quàm in articulando laboret, vt infra etiam clarius explicabimus. quamobrem iure fit, vt septimus, tanquam ferè tanto operi finem imponens, videlicet generationi (siquidem articulatio perpetua videtur esse generatio) perfectionem fœtui afferat; eam enim, quæ ex articulatione fœtui aduenit, & quæ non nisi præcipua, maximaq; esse potest, illi impartit, quanquam nonnulli interdum fœtus eam plenè non assequantur. Hoc autem cur ita fiat, cur mensis septimus hanc habeat potestatem, partim supra diximus, partim dicemus libro sexto. Præterea & hoc alterum considerandum, quod locum hunc mirificè illustrat; videlicet Hippocraticæ opinionis semina non pauca in eo latitare; siquidem Hippocrates memorato opusculo nonomestris, ac decimestris partus modum aperiens ac rationem, similia ferè videtur tradidisse, vt sequenti capite videbimus: quod quidem, etiam si non aliud hoc suaderet, firmissimum indicium est, ipsum quoq; Aristotelem de nonomestri præcipuè, ac decimestri partu hoc loco sermonem habuisse, in quo eadem scripta reliquit.

Cap. 8.

Quæ nonomestrem partum præuenire scripserit Hippocrates. cur octauo mense non sexto, vel septimo; non decimo, vel nono hæc contingant. Cap. 77.

SEnex sapientissimus cùm ad septimum mensem ventum est, proindeq; octauo percurrente, pelliculas quasdam fœtum inuoluentes laxari, ac defringi, fœtum ipsum, & vteri molem, ac tumorem totum descendere ad locos inferiores ad facilem partus tempore conuersionem, & progressionem (quem fortasse descensum Galenus sexto Epidemicon conuersionem appellauit) atq; in hac inferiori parte ad septimum vsq; exactum quadragenarium commorari (quod tempus nonomestrium est, ac decimestrium) postea verò conuerti, & prodire in lucem, memoriæ citato opusculo mandauit. atq; hanc pelliculàrum diruptionem, fœtusq; motum, & descensum existimauit laborum octomestrium esse causam. quæ quidem omnia vberrimè octauo libro habebit lector explicata. Hoc igitur in loco eadem ab Aristotele doceri,

Com. p. part. 2.

ceri pellicularum diruptione excepta, nemo est qui non videat;quam re vera tametsi ipse non tangit, certè non leuiter eam videtur innuere: cùm & dehiscente vtero, & fœtu descendente, in his inquam tàm magnis motionibus, facillimum sit, ac rationi consonum pellicularum aliquas disrumpi. nam & post septimum vterum dehiscere, & fœtum descendere ipse asserit; & hæc omnia in nonomestri præsertim partu locum vult habere;quę iam pridem omnia Hippocrates innuit. His ita explicatis non erit fortasse difficile horum omnium causam afferre; quoniam enim nonomestris partus, tanquam magnitudinis ratione homini cõueniens, sua natura maior est reliquis, & corpulentior; cùm ad septimum mensem peruenerit, huiusmodiq; expleuerit tempus, auctior factus, & perfectionem iam expositam adeptus, capaciorem necessariò locum requirit: itaq; natura, quæ nihil facit frustra, nihil superuacaneum, & deficiens, sed suo tempore omnia molitur non impedita; & quæ ex ijs, quæ cuiq; animalium generis essentiæ contingunt, id quod optimum est efficit; ita vt si melius hoc modo, sic se naturam habere sit dicendum, quemadmodum plerisq; in locis, sed apertissimè in opusculo de Animalium Incessu admonet Præceptor; commodissimè octauo mense hæc fieri instituit. neq; enim ante septimum, sexto scilicet mense, vel effici potuerant, vel debuerant; tùm quia nulla tunc erat horum vtilitas, necessitas nulla, fœtu adhuc exiguo existente, atq; à partus tempore longissimè remoto, ad quod vt sese natura paret, hæc omnia machinatur; tùm quia, cùm non dum fœtui insit dicta perfectio, huiusmodi motus, ac descensus erat illi necem allaturus. Item in nonum non erant differenda, nisi in necessarijs deficere natura voluisset; cùm enim septimo exacto fœtus ob suam magnitudinem iam grandior sit natu, & corpulentior, ideoq; ampliore loco opus habeat; si ad nonum vsq;, ac decimum, scilicet vsq; ad maturitatis tempus, in superiori vteri parte permaneret, quæ longè est sua natura arctior, & angustior; præ loci angustia mirificè læderetur. atq; hic admirandum naturæ artificium oportet obseruare; quæ, cùm primùm hæc fœtui nonomestri necessitas adest, videlicet mense septimo, illi etiam perfectionem dictam per id temporis impartit, cuius beneficio robustior factus, tutò hunc descensum aggredi valeat, ac tentare. atq; hæc etiam causa est cur currente septimo hæc non fiant; septimo nanq; acquirit partus nonomestris non acquisiuit perfectionem; quare nec sexto, nec septimo, neq; post octauum, ac nono, sed hoc ipso currente octauo monente natura, & duce locum sibi quærens aptiorem dehiscente vtero in partes descẽdere debuit inferiores. quòd si natura fœtus octomestris sit, & vitalis, hunc ipsum descensum eodem mense petit, vt oriatur; sicuti & natura septimestris mẽse septimo; veluti qui his, quæ præcurrant, auxilijs non indigeat, vt octauo libro abundè demonstrabimus, simul etiam & causam adducentes; neq; enim sunt omnia vno in loco congerenda. Hinc autem qua ratione scripserit sub extremo hoc capite Aristoteles plurimis mulieribus, si concubuerint octauo mense, vt rectissimè Theodorus interpretatus est, infantem mucore oppletum exire, satis est manifestum; cùm enim tunc temporis dehiscat vterus, facilè semen, quod mas eiaculatur, aliamq; simul materiam, quæ in agitatione illa commouetur, atq; nouo seminis calore attrahitur, admittere potest; quæ postea infantem mucore oppletum in exitu repræsentat.

Cap. 2.

Vera Aristotelicorum verborum sententia aperitur. item de duplici abortionis, ac non vitalium fœtuum specie. Cap. 78.

AT enimuero his explicatis Aristotelis verba mira obscuritate circumfusa in clarissimam lucem iam proferri, atq; ea omnia continere, quæ exposuimus, satis arbitror nunc esse manifestum: quandoquidem & quod dixerat, vterum, cùm semen ipsum conceperit, multis mulieribus contrahi vsq; ad septimum mensem, post septimum verò dehiscere, & fœtum, si vitalis est, descendere; & cur ita dixerit; cur multis, non omnibus mulieribus; cur nõ ante septimum, non in septimo, neq; in nono, sed octauo hæc voluerit euenire, ijs intellectis, quæ disseruimus, est apertissimum. item perspicuum est, quid sibi voluerit, cùm adiecit, fœtus, qui vitales non sunt, sed octauo mense suffocantur in partu, mulieres octomestres ad exactum, maturumq; tempus non gestare. cùm enim fœtuum non vitalium, quod ad pręsentem rem pertinet, duplex esse possit differentia; vel eorum, qui dehiscente vtero iam descensum post septimum, & currente octauo aggredientes in ipso descensu pereunt; & ipso octauo mense suffocati emittuntur:

tuntur; vel eorum, qui octauo non descendunt, neq; illis hoc tempore vterus dehiscit, sed ad nonum vsq;, vel decimum in superiore vteri parte commorantur; moxq; tandem nono, vel decimo his non præcurrentibus oriuntur, proindeq; non vitales veniunt in lucem: qui omnes vel octomestres natura esse possunt, vel nonomestres, vt supra diximus, vel etiam septimestres; de priori non vitalium fœtuum specie, nisi hallucinor, in superiori sententia Aristoteles sermonem habuit; de posteriori specie in verbis, quæ sequuntur; in quibus dicit neq; descendere fœtus non vitales octauo mense, neq; vterum per id temporis dehiscere, sed, si illis non præcedentibus oriantur, signum esse, eos non esse vitales. quæ profectò differentia tametsi maximi momenti sit ad veram Aristotelis mentem assequendam, non tamen satis video eam Trapezuntium, ac Theodorum in verbis ipsius conuertendis animaduertisse: putarunt enim ipsi, fœtum, qui vitalis non sit, Aristotelem voluisse non descendere; mihi tamen de priori specie cõtra videtur ipsum affirmare: siquidem inquit iuxta nostram interpretationem. Et embryon, si vitale fuerit, octauo mense descendit; quæ autem vitalia non sunt & c. quorum verborum sententia est, fœtus, qui vitales sunt, dehiscente vtero descendere octauo mense, & si octomestres natura sunt, oriri, ac superuiuere; si sunt natura nonomestres, vsq; ad partus tempus ibi permanere, moxq; vitales in lucem suo tempore egredi. quòd si vitales non sint, non dicit eos non descendere, vt Theodorus arbitratus est, sic transferens Aristotelis orationem. Sed si mortuus est, neq; ipse descendit & c. atq; ante illum Trapezuntius. Non victurus autem, sed suffocandus in octomestri partu, non prædescendit in octauo mense. qui error inde emanauit, quòd Aristotelis illa. Octomestres mulieres ad exactum tempus non perferunt. nescio qua causa impulsi nõ considerarunt: quæ tamen apud veterem Interpretem perspicuè habentur. Sed, cùm posuisset eos non esse vitales verbis illis. Quæ autem vitalia non sunt & c. hinc verò, vt pareat, illorum mortem sequi addidisset alteris illis verbis. sed suffocantur octomestria in partubus (enimuero quia non sunt vitales, ideo in enixu pereunt, ac suffocantur) non subiungit eos non descendere, vt isti volunt, sed verba illa addit, quæ illi prætermiserunt; quibus asserit, hos fœtus ad exactos menses à mulieribus non perferri; dicit enim. octomestres mulieres ad exactum, maturumq; tempus non perferunt. quæ quidem verba omnino contrarium videntur demonstrare: non perferunt enim hos fœtus mulieres illæ ad exactos menses, quia eos octauo pariunt, vel potius eijciunt; qui sanè mensis non est tempus exactum, atq; illis à natura præfinitum. at parere hoc mense eos non possunt, nisi dehiscat vterus, fœtusq; descendat. Itaq; sententia Aristotelis est, non quidem fœtus illos non descendere, sed è contrà descendere, verùm quia vitales non sint, nec iusto tempore gestati, vel si iusto tempore, non commodè (siquidem duo hæc verbum ἐκφέρειν significare hoc loco supra monebamus) ideo in ipso descensu perire, & suffocari ipso octauo mense. Quę autem causæ non vitales fœtus reddant, partim supra diximus, partim quinto libro explicabimus: satis nunc fuerit accepisse non vitalium fœtuum nomine eos omnes Aristotelem hoc loco intelligere, qui nascuntur non victuri, quæq; illa causa fuerit, siue partum præcedens, siue in ipso descensu, vel partu nascens, cùm antea non existeret.

Alteram abortionis speciem sequentia verba continere demonstratur. item quæ sit vera causa infelicitatis, mortisq;, ac laborum octomestrium ex Aristotele aperitur. Cap. 79.

Alteram verò abortionis speciem, quæ nono efficitur, sequentibus verbis explicari arbitramur; hæc enim euenit cùm fœtus, siue sit natura octomestris, siue nonomestris (quod etiam in septimestribus euenire potest, si septimo, ac suo tempore non venerint in lucem) octauo mense non descendit, neq; vterus adaperitur; sed hęc omnia in nonum differuntur. quod docere volens Aristoteles, quasi alteram non vitalium fœtuum speciẽ subijceret, inquit. οὐδὲ προκαταβαίνει & c. idest, vt nos interpretati sumus. Quin etiam & embrya, & subaudiendum ex superioribus, μὴ γόνιμα, idest quæ vitalia non sunt, non descendunt octauo mense, neq; vterus per id temporis adaperitur. quæ, vt perspicuum est, scribit Aristoteles, vt præcedentibus opponat. dixerat nanq; supra vitales fœtus dehiscente vtero octauo descendere, quin etiam & non vitales; sed hos ob allatas causas intermori: nunc docet aliquos etiam non descen-

descendere octauo mense, neq; vterum per id temporis dehiscere; idq; indicium facere fœtum non esse vitalem: quare & alteram explicat, vt dicebamus, speciem fœtuum non vitalium; proindeq; horum verborum sententia nullo modo erat cum superiori confundenda, quemadmodum Trapezuntius, ac Theodorus viri alioqui eruditissimi fecerunt; quæ tamen in veteri interpretatione satis distincta apparet. qua in re longius aberrat à scopo Theodorus, dum concludit, indicium id facere fœtum non esse vitalem, cùm tamen supra posuisset eum esse mortuum, ideoq; non descendere; si enim mortuus est, certè non vitalis dici potest, quod Aristotelis indignum est grauitate. At ipse Philosophus non quidem mortuum esse fœtum, qui in vtero est, diuinare animo intendit; sed tantùm signa tradere, ex quibus coniecturam captare valeamus, ipsum nequaquam esse victurum, etiam si viuus oriatur. Si enim ad octauum ventum est, nec dehiscit vterus, nec fœtus descendit, siue ipse natura sit octomestris, siue nonomestris, indicium facit non esse vitalem; nimirum quia pr̨ nimia imbecillitate siue parentis, siue fœtus hæc fieri impediantur. quandoquidem si octomestris est per se, nec descendit octauo; igitur suo tempore non oritur; igitur nequit superuiuere: si nonomestris est, atq; octauo hæc non præcurrant, igitur ijs priuatur auxilijs, quæ ad suam salutem sunt necessaria, & quæ anteire necesse est, si vitalis est oriturus. quare rectissimè concludit Aristoteles, si his non præcedentibus signis fœtus exeat, argumento esse excludi non vitalem. Porrò autem vera Aristotelis mente in hunc modum enarrata, multa hinc & maxima haberi luce meridiana clarius apparet, quæ vniuersam hanc de octauo genitis quæstionem plenissimè explicant. Primùm enim quæ sit natura octaui mensis, partusq; octauo contingentis ex hoc Aristotelis loco liquidò patet. Secundo quòd partus per se octomestris sit vitalis, per accidens octomestris non vitalis. Tertio quæ sit infelicitas, qų mensem hunc, & partum in eo genitum plerunq; comitatur (quæ, quid nam sit, omnia semper ingenia vehementer exercuit) item quæ causa infelicitatis, clarissimè elicitur. Quarto qui sint labores octomestres, qui octauo percurrente mulierem vexant. Quinto ac postremo (quod quærendum supra proposueramus) quid incommodi situs ratione octauo immineat, perspicuè elucet; vt nil ferè amplius aliquid circa hanc difficillimam quæstionem his quinq; definitis capitibus, quæ illam totam comprehendũt, relinquatur dubitandum. quorum omnium solutio clarioris doctrinæ, ac memoriæ gratia hìc rursus est nobis ex superioribus breuiter repetenda, apertiusq; explicanda. Habemus igitur pro primo definiendo capite octauum mensem tripliciter accipi posse; vel quatenus fœtum sua natura in ipso maturescentem habet, & commodè gestatũ; vel quatenus eũdẽ habet, sed incõmodè gestatũ; vel demũ quatenus partũ natura nonomestrem, quin etiam & septimestrem cõtinet, qui ob aliquod accidens septimo mense, vel nono, naturali videlicet tempore in lucem exire non potuerit. Habemus rursus (quod & ex hoc priori pendet) partum octauo prodeuntem triplicis esse naturæ; videlicet vel qui commodè gestatus ipso octauo perfectionem, maturitatemq; recipiat; vel qui, tametsi eo mense maturescens, incõmoda tamen ac laboriosa gestatione, ac partu adeò vexat, vt interiturus veniat in lucem; vel qui alijs mensibus habeat perfectionem, sed ob aliquod accidens octauo prodeat. Pro secũdo capite habemus partũ per se, ac sua natura octomestrem, idest octauo maturescẽtem, ob expositas causas vitalem omnino in lucem prodire, nisi laboriosa obsit incommodaq; gestatio, & editio: at verò qui gestatur incõmodè, ac paritur, etsi eo mẽse maturus; item qui alijs mensibus naturaliter prodire debuissent, quos per accidens octomestres nos vocamus, omnino nasci non vitales. quæ omnia perspicuè hoc loco docuit Aristoteles, dum eos perire definiuit octauo mense nascentes, qui vel non commodè gestantur, vel non iusto tempore. his enim & simul aperuit, quoniam contrariorum contrariæ causæ sunt, si qui octauo mense oriantur, qui & iusto tempore gestati fuerint, & gestationem, partionemq; commodam sint experti, hos omnes superuiuere omnino oportere, ac vitales prodire in lucem. Pro tertio capite habemus infelicitatem, quæ octauum, ac partum hoc ipso mense nascentem comitatur, si de octomestri per se loquamur, & de ea infelicitate, quæ ipsos etiam per se octomestres suo, ac maturo tempore in lucem prodeuntes ducit ad interitum, nullam esse aliam ex Aristotelis opinione, quàm naturalem illam iam superius expositam huius partus præ c̨teris imperfectionem, si ob aliquam causam augeatur. Cùm enim

non solùm in eo, qui nono ac decimo est oriturus, sed etiam in eo fœtu, qui sua natura octauo mense maturus est, grauissima illa superius enarrata eueniant; videlicet dehiscat per id temporis vterus, fœtusq; descendat, ex quibus magnam perpeti fœtum alterationem est necesse; si ob incommodam laboriosamq; vteri gestationem, vel aliquam aliam ob causam naturalis illa imperfectio maior reddatur, facilè fœtus etiam natura octomestris periclitari in partu potest; vtpotè qui præ nimia imbecillitate hanc nequeat mutationem sustinere, partusq; ferre labores. Quòd si loquamur de octomestribus per accidens, cũ hi hac ipsa careãt imperfectione, palàm est, quantũ est octaui mensis ratione, vteri tantùm apertionem, fœtusq; descensum (grauia nempè hæc, quæ hoc mense contingunt) omnis tùm mensis huius, tùm partus infelicitatis esse causam; eò quòd, dùm hæc geruntur, facilè possit abortus contingere, vt superius diximus, inferiusq; dicemus. vt fortasse Aristoteles, si quis accuratè consideret, octaui mensis infelicitatem, infelicitatisq; causam, si de octomestri per se loquamur, in auctam, quæq; illa causa fuerit, ipsius imbecillitatem & imperfectioné; si de octomestri per accidens, in vteri apertionem, fœtusq; descensum referre potius videatur, quàm in Hippocraticam pellicularum diruptioné, atq; in fętus migrationem in extimam membranam, in ægrotationemq; propterea contingentem: quanquam, vt supra diximus, non exigua etiam Hippocraticæ opinionis semina apparent in Aristotelis oratione. Pro quarto capite habemus laborum nomine generaliter esse intelligendos, quotquot labores octauo mense percurrente parenté ac fœtum, siue in vtero existat, siue eo mẽse oriatur, vexare possunt. Sunt autem hi tùm illi, qui octomestrium per se sunt proprij, scilicet aucta imperfectio & imbecillitas; tùm vteri apertio fœtusq; descensus, qui & per se, & per accidens octomestribus sunt communes: item & qui nonomestrium ac decimestrium sunt proprij; cùm hi quoq; octauo mense descendat vtero dehiscente: vt iam perspicuum sit ex hoc Aristotelis loco infelicitatis, laborumq; octaui mensis, & fœtuum, qui vel geruntur eo mense, vel pariuntur, abundè causas haberi explicatas.

Hippocratis, Aristotelis, Polybi sententia de causa mortis octomestrium ex Plutarcho. Verba ipsius quædam enarrantur. Cap. 80.

NEc fortasse aliam quàm per se octomestrium infelicitatis causam Polybus, ac Diocles apud Plutarchum libro quinto de Placitis Philosophorum significarunt, cùm in ἀτονίαν, idest in imbecillitatem & ipsius fœtus, & octaui mensis retulerunt hanc ipsam octomestrium infelicitatem. videntur enim mihi auctam hanc pręter naturæ modum imperfectionem eorum, & imbecillitatem designasse, cùm ex illis multos quidem superuiuere, sed è contra multos interire huius causa imbecillitatis decreuerunt. ita enim non semper imbecillitatem hanc interitum afferre octomestribus posse existimantes, cùm id facit, quia viribus augeatur, ac plus possit, id efficere videntur voluisse. Plutarchi autem hæc est oratio. Πόλυβος Διοκλῆς, οἱ ἐμπειρικοὶ, καὶ τὸν ὄγδοον μῆνα ἴσασι γόνιμον, ἀτονώτερον δὲ πως, τῷ πολλάκις διὰ τὴν ἀτονίαν πολλοὺς φθείρεσθαι, καθολικώτατον δὲ, μηδένα βύλεσθαι τὰ ὀκτάμηνα τρέφειν, γεγενῆσθαι δὲ πολλοὺς ὀκταμηναίους ἄνδρας, quod est. Polybus, Diocles Empirici & octauum mensem cognouerunt vitalem, imbecilliorem autẽ aliquo modo; eò quòd sæpenumero ob imbecillitatem multi pereunt; & tametsi vniuersaliter nullus velit octomestres nutriri; plures tamen ex octauo genitis in viros euasisse. quo loco & huius partus, & temporis aliorum respectu naturalem imperfectionem supra à nobis ex Aristotele explicatam, grauissimos hosce viros & cognouisse & docuisse, satis Plutarchi verba nos commonefaciunt: vt iam perspicuum sit haudquaquam hunc locum intelligi posse, & quæ ex illorum scriptis Plutarchus refert, nisi & ea, quæ supra ex Aristotele explicauimus, intelligantur. Enimuero dicentes mensem hunc esse ἀτονώτερον, certè reliquis mensibus, septimo scilicet, nono, ac decimo imbecillioré, imperfectioremq; esse voluerunt. Item addentes, ipsos partus octomestres διὰ τὴν ἀτονίαν sępe intermori, imbecillitatem hanc & imperfectionem, quæ illis ex natura propria conuenit, mortis illorum esse causam, vbi scilicet augeatur, vt exposuimus, se existimare demonstrarunt. quæ omnia nemo est qui non videat, veram per se octomestrium naturam pulchrè nobis omninò aperire. Quo rursus loco & hoc alterũ maximi momenti animaduertendum est, Plutarchum verbis inferioribus, vbi Hippocratis

Cap. 18.

pocratis, & Aristotelis, rursusq; Polybi explicat sententias, per accidens etiam octomestrium infelicitatis causam de illorum mente, ni hallucinor, explicare, & iam expositam ex Hippocrate & Aristotele fœtus descensionem, & vteri, vt ita loquar, apertionem octauo mense contingentem, quæ octomestribus per accidens mortem affert, non leuiter verbo illo τὸ προκύπτειν adumbrare; cùm κύπτειν & προκύπτειν propriè sit se inclinare, vt qui linguam græcam callent, optimè norunt. nisi & fortasse προκύπτειν etiam dixit, quod Hippocrates vocauit ruptis prioribus membranis in extimam fœtum descendere, & transmutari; de qua re octauo libro vberrimè dicemus. Plutarchi autem hæc est oratio. ὁ δὲ Ἀριστοτέλης καὶ Ἱπποκράτης φασὶν, ἐὰν ἐκπληρωθῇ ἡ μήτρα ἐν τοῖς ἑπτὰ μησὶ, τότε προκύπτειν καὶ γεγενῆσθαι γόνιμα· ἐὰν δὲ προκύψῃ μὲν, μὴ τρέφηται δὲ ἀσθενοῦντος τοῦ ὀμφαλοῦ (διὰ τὸ ἐπίπονον αὐτὸ γεγενῆσθαι τὸ κύημα) τότε ἔμβρυον ἄτροφον εἶναι· ἐὰν δὲ μείνῃ τοὺς ἐννέα μῆνας ἐν τῇ μήτρᾳ προκύψαν, τότε ὁλόκληρον ἐστι. quod est nostra sententia. Aristoteles & Hippocrates dicunt, si expleatur matrix septem mensibus, tunc fœtum descendere, & nasci vitalem. Si autem descenderit quidem, & non nutriatur læso vmbilico (propterea quòd fœtus factus sit laboriosior) tunc quidem embryon non vitale oriri. at si maneat nouem menses in matrice quod iam descendit, tūc perfectum integrumq; nasci. Hæc ille; quæ verba octomestres per accidens respicere, vteriq; apertionem, ac fœtus inclinationem & descensum indicare, nemo arbitror vocabit in dubium. quod enim non pauca etiam Hippocraticæ opinionis semina, quæ libello de Septimestri Partu legitur epxlicata, in illis contineantur, commodius octauus liber demonstrabit. Inquit ergo Plutarchus Hippocratem & Aristotelem sensisse, si vulua expleatur mensibus septem; quod est si maturus fœtus mense septimo existat (nam verbum illud ἐκπληρωθῇ, fœtus maturitatem indicare satis est perspicuum) tunc προκύπτειν, & γεγενῆσθαι γόνιμα. At hîc προκύπτειν non potest fœtus ab vtero exclusionem significare, quia frustra alterū illud, γεγενῆσθαι, additū esset, quod ortum fœtus, & exclusionem apertè significat, & quo exclusionem, & infantis exitum ab eo altero, quod verbo illo τὸ προκύπτειν expressit, perspicuè videtur seiunxisse. quare & τὸ προκύπτειν inclinationem, ac descensionem ex superiori vteri parte in inferiorē omnino dicet, quæ hiante vtero efficitur. Hinc paulò post adiungit, si fœtus προκύψῃ, idest si descendat, sed non nutriatur læso vmbilico, videlicet in hoc descensu ac motu, vt ego interpretor, & verba indicant, quæ sequuntur, tunc non nasci vitalem; quia scilicet deficiente per id temporis in vtero nutritione, ob idq; imbecillo fœtu reddito, intermori illum sit necesse, si tunc oriatur; eò quòd nequeat præ imbecillitate partus labores sustinere. At si fœtum excludi ex vtero intelligeret, læsio illa vmbilici quid nutritioni posset obesse? fœtus nanque iam in lucem editus non amplius nutritur per vmbilicum, sed suo ore; quæ omnia fortasse Budeus acutè contuens, verbum προκύπτειν erumpere quidem, sed non tamen ex vtero interpretatus est; quasi Plutarchi orationē relinquere voluerit in sua obscuritate delitescentem. qua in re non exigua certè dignus admiratione videtur Martianus Rota; qui libellum de Historia Philosophica Galeno adscriptum conuertens, in quo eadem leguntur, quæ & apud Plutarchum; cùm rectissimè primo loco hoc verbum fœtum deorsum inclinare interpretatus esset; paulò post sursum repere præter omnem rationem illud significare voluit. Hinc subdit Plutarchus, si manserit in vtero nouem menses προκύψαν, idest quod iam antea descendit, τότε ὁλόκληρον, id est tunc perfectum, & vitalem de Hippocratis, Aristotelisq; sententia exire; quibus rursus verbis, vt particula τότε ostendit, descensum ab exitu seiunxit. Dixit autem perfectum prodire & vitalem, quia fœtus ad suam peruenit maturitatem; item quia læsio illa octauo percurrente, sexto videlicet quadragenario, remittatur; ideoq; postea ad suum munus obeundum redeat vmbilicus. neq; enim intelligendum est tantam esse illam læsionem, vt tolli nequeat; nam sic nonomestres non possent vitales in lucem edi: sed solùm circa tempus descensus illius, dùm recens læsio est, per aliquot dies impedire nutritionem; non quidem omnem, cæteroqui fœtus viuere in vtero non posset, sed consuetam, & abundantiorem, vt propterea valde debilis per id temporis reddatur. quare verbum hoc τὸ προκύπτειν Xilander, ex vtero se exerere, ac se promere, omnino contra rei ipsius naturam, & auctoris mentem interpretatus est; cùm significare potius videatur, fœtum descendere, ac sese inclinantem ex superiori vteri parte in inferiorem proficisci, vel ruptis prioribus membranis in alteram secedere,

dere, non tamen exerere ſe ex vtero, & in lucem prodire; quod adeò perſpicuè Plutarchus oſtendit, vt nullus mea ſententia ſit locus dubitandi. Sed & quòd hoc loco vteri apertio, fętuſq; deſcenſio non obſcurè ſignificetur, ſatis arbitror probatum eſt; nunc de octomeſtribus per accidens ſermonem haberi demonſtrandum. quod quidem nil clarius oſtendit, quàm illud, quod Plutarchus, poſt quàm dixit, ſi ſeptimo menſe vulua expleta ſit, ideſt, vt nos expoſuimus, ſi fœtus ſit maturus, tunc deſcendere, naſciq; vitalem; mox adiungit, ſi deſcenderit quidem, & læſo vmbilico non nutriatur, ideſt minus quàm ſoleat, & opus illi ſit, nutriatur, tunc fœtum ἄτροφον eſſe; ideſt ſi naſcatur, oriri non vitalem (nam & hoc vox illa, ἄτροφον, hoc loco mihi videtur ſignificare, infantiſq; reſpicere nutritionem extra vterum factam, cùm intra vterum nutritionem altera illa, μὴ τρέφηται δὲ, omnino ſignificent; quia ſcilicet naſcatur adeò imbecillus ob parciorẽ nutritionem in vtero factam propter vmbilici læſionem, vt nutriri non poſſit, & ex conſequenti oriatur moriturus) ſi verò nouem menſes in vtero maneat, vitalem oriri. His enim nemo non videt Plutarchum velle, ſiue dixerim verius Hippocratem, & Ariſtotelem iuxta Plutarchi enarrationem, fœtum deſcendere quidem, ſed non naſci naturaliter; nimirum quia tunc vulua adhuc non ſit expleta, vt ſupra dicebat, cùm de ſeptimeſtribus loqueretur, proindeq; fœtus non ſit maturus. Hinc addit in talibus vmbilicum lædi, quia laborioſior fiat fœtus geſtatio; quæ verba quem ſenſum habeant, octauo libro aperietur: quia enim fętus non eſt maturus, nec ligamenta rumpuntur, in deſcenſu læditur vmbilicus, atq; ad nutriendum infantem minus redditur idoneus; vt ſi his contingentibus fœtus oriatur, quæ iam ſupra octauo menſe percurrente contingere ex Hippocrate, & Ariſtotele probauimus, non vitalem oriri eum ſit neceſſe. Hinc adiungit huiuſmodi fętũ, ſi nouẽ mẽſes in vtero permaneat, tũc maturũ, perfectũ, integrũ, atq; vitalẽ oriri. nam hoc vox illa, ὁλόκληρον, perſpicuè ſignificat; quare & ſine vlla dubitatione de octomeſtribus per accidens ſermonem habet, quod nos etiam admonet, ſi quis acutè introſpiciat, non omnes omnino octomeſtres Hippocratem, & Ariſtotelem de Plutarchi ſententia exiſtimaſſe non vitales, ſed eos quidem tantùm, qui cùm nono exacto mẽſe maturi naſci debeant, ipſo menſe octauo, quæq; illa cauſa fuerit, in lucem veniunt; proindeq; immaturi, ac ob parciorem nutritionem læſo vmbilico imbecilli. Nã & hoc eſt quod Plutarchus docet, cùm eos ſub conditione locutos eſſe ſcribit: neq; enim dixerunt, vt ille refert, abſolutè fœtus omnes ſeptimo præterito, ac octauo percurrente lęſo vmbilico non nutriri, proindeq; naſci non vitales; ſed ἐὰν μὴ τρέφηται, ideſt ſi non nutriantur: nimirum quia non ſemper ſic eueniat; vt iam ſi deſcendere fœtum octauo menſe contingat, & nutriri non læſo vmbilico, vel minus læſo, tunc vitalem exire hunc partum de illorum ſententia ſit neceſſe. At quibus hoc euenit? ſanè illis euenit, qui per ſe ſunt octomeſtres. qui enim ſunt natura nonomeſtres, ac decimeſtres ob ſuperius expoſitas cauſas, & ob eas, quas libro octauo fuſius exponemus, non poſſunt non pati octauo menſe vmbilici læſionem: deſcendere enim illos neceſſe eſt, & interiores abrumpere membranas. At per ſe octomeſtres tanquã maturi octauo menſe, cùm per id temporis vulua expleta ſit, deſcendunt hoc ipſo tempore orituri, vnde & vincula omnia abrumpunt, nec ob læſionem vmbilici coguntur, intra vterum commorantes, parcius nutriri; quia ſtatim ac illis hæc contingunt, in lucem exeunt. Hinc dicebant Hippocrates, atq; Ariſtoteles ſub conditione, vt Plutarchus refert, ἐὰν ἐκπληρωθῇ ἡ μήτρα, cauſam explicãtes cur vitales ſeptimo fœtus oriantur; quod eſt ſi vulua & matrix ſeptimo expleatur ob fœtus maturitatem. His enim non ſeptimo tantùm, ſed alijs etiam menſibus vuluam expleri poſſe docuerunt; quare & ſi expleatur octauo, tunc neceſſariò iuxta illorum decreta deſcendet fœtus, & vitalis orietur. Cur autem, ſi per accidens octomeſtres immaturi prodeunt, proindeq; ſola ſatis eſſe videtur immaturitas ad illorum mortem cauſandam, vmbilici nihilominus læſio, parciorq; nutritio tanquam mortis illorum cauſę recenſentur, immò & primò recenſentur; octauo libro explicabitur. Sed de hoc Plutarchi loco hactenus; de quo fuſius agemus libro octauo; ſatis mihi nunc fuerit, quam Hippocrates, Ariſtoteles, Polybus, Diocles putarunt octomeſtrium mortis, & infelicitatis eſſe cauſam, de huius auctoris ſententia lectoribus explicaſſe, oſtendiſſeq; (quod noſtra maximè intereſt) vel grauiſsimo hoc viro teſte ipſos nõ omnes octauo prodeũtes reieciſſe, vitaleſq; hos eſſe partus exiſtimaſſe.

Quid

Quid octauo mensi situs ratione incommodi immineat explicatur. obscura quædam Aristotelis verba ex septimo Historiarum enarrantur. Trapezuntius refellitur. Cap. 81.

VT autem redeamus illuc, vnde iam longius digressi sumus, quintum etiam ex quinq; propositis capitibus, & postremum ex hoc Aristotelis loco elucere satis constat; videlicet quid incommodi octauo mensi immineat situs ratione. cùm enim nono sit proximus; nonomestres verò partus, tanquam magis secundum naturam, sint crebriores; horum verò partum, si vitales sunt orituri, ea sit necesse octauo mense anteire, quæ explicauimns; videlicet & dehiscere vterum, & fœtum descendere, quæ non exiguam fœtui, & parenti afferunt mutationem; iure & meritò octauus mensis huiusmodi incommoda nonomestris partus, ac noni mensis ratione pati dicitur; proindeq; ob ipsum situm: vt rectissimè hac de causa & octauo mense gestatio incommoda, & periculosa existimetur; atq; hoc ipso tempore mulieres maximè laborare, ipsosq; oriri labores octomestres, Hippocrates, alijq; veteres memorię mādauerint, pręterquàm quòd & in hoc ipso descensu, quia fœtus sit iam in mutatione constitutus, vel leuissima causa mulieres propellit ad abortionem, & ad octomestres per accidens eijciēdos: irritatur nanq; vterus nō parū huiusmodi alteratione; vt quicquid incōmodi intrinsecus aut extrinsecus superueniat, facillimè abortū causari possit. quēadmodū .n. perbellè Galenus tertio de Naturalibus Facultatibus dicebat, expultrix facultas, quæ succedentibus prosperè omnibus feriatur, si incommodi aliquid accidat desperata fœtus perfectione, & salute non expectat nouem mensium spatium, sed statim ad expellendum fœtum insurgit. at in descensu illo, ac mutatione facilè posse detrimenti aliquid, & aduersi euenire, nemo diffitebitur: quare rectissimè dictum est à nobis octauo mensi noni ratione, ac proinde situs respectu magnum detrimentum imminere; ingens videlicet periculū abortionis. Verùm his ita explicatis iam & alterum illud pernotescit (quod reliquimus supra enodandum) quare Aristoteles septimo de Historia Animalium eodem capite, postquam hæc præmisisset, postquam de partu egisset octomestri, illumq; in Aegypto viuere dixisset sine vlla difficultate, in Græcia difficilius; statim adiecit mulieres quarto, & octauo mense maximè laborare; & si abortiant, non solùm ipsum fœtum, sed ipsas quoq; plerunq; interire. quod & antea scripsit Hippocrates, & Plinius postea libro septimo Naturalis Historiæ confirmauit, scribens non solùm octauo genitis intra quadragesimum diem maximum esse laborem, sed grauidis quarto & octauo mense, letalesq; in ijs abortus; vt meritò ibi dixerimus, cur hęc verba Aristoteles addiderit, & quæ sit horum causa laborum, intelligi non posse, nisi & antea ea intelligerentur, quæ de vteri apertione, ac fœtus descensu disseruerat. cùm enim diuinus Philosophus octomestres plerunq; in Græcia interire posuisset; causasq; adducens, cur in Aegypto plures viuant, simulq; & eas, cur plures in Græcia pereant, videret se tradidisse; quæ nullæ sunt aliæ, quàm cùm ob expositas causas hoc ipso mense mulieres contingit abortire; opportunè, ac summo artificio, vt qui in Gręcia pereunt, non tàm per se octomestres, quàm abortus esse demonstraret, & si per se octomestres sunt, quia in gestatione naturalē modum nō retinuerint, in abortum nihilominus degenerare, iam dicta verba subiunxit, ita scribens ex Theodori conuersione. Infestantur maximè mulieres mense quarto, & octauo; & si vel quarto, vel octauo fętus perierit, ipsę quoq; magna ex parte intereunt. Itaq; fit ne solùm mēse octauo nati non viuant, sed etiam ipsis emortuis periculum, quæ pariunt, subeant. At cur mense octauo laborent, & infestentur iam fuit explicatum. quartus autem mensis periodi ratione octauo respondet, vt sexto libro clarius demonstrabimus; atq; eo ineunte iam fœtus auctior factus validiores motus in vtero habere incipit; quare & maiores mulieri labores incumbunt, maiusq; periculum abortionis. Nam & hoc est quod secūdo Epidem. dicebat Hippocrates. Trimestris puer omnia pręsefert, & magnus tunc est. tertio enim exacto mense roboris plurimum fœtus acquirit, atq; perfectionis; adeò vt tertius mensis septimo hac in re proportione respondere videatur. itaq; his mensibus, & pręsertim octauo facilè corrumpi potest, quod est abortione periclitari. διαφθορὰ enim & ἀποφθορὰ abortum dicunt, vt Galenus inter alios in sextum Epidem. animaduertit. quare de abortione per octauum mensem contingente, ob causas iam expositas, hoc loco sine vlla dubitatione

agit

Cap. 12. Cap. 5. Sect. 6. Com. 9. part. 2.

agit Aristoteles : proinde apponit conditionem dicens. „ Et si vel quarto, vel octa- „ uo fœtus perierit, idest si abortus contingat. si enim non sit abortus, sed verus partus, ac naturalis octauo editus, tūc nec peribit fœtus, nec vllū parens poterit subire periculum; qua de re supra etiam egimus. quoniam autem ob dictas causas longè maius imminet octauo mensi quàm quarto periculum abortiendi, idcircò adiungit de octauo quartum relinquens. „ itaq; „ fit ne solùm mense octauo nati non vi- „ uant, sed etiam ipsis emortuis & c. non viuere enim eos intelligit, quos iam corrumpi octauo, & per abortum eijci dixerat. quod enim διαφθειρομένων dixit Aristoteles, quod abortu periclitari significat, ipsis emortuis Gaza interpretatus est. quare bonus senex Trapezuntius, dum hanc postremam huius loci partem ita interpreta- „ tur. Verùm etiam quæ illo tempore pari- „ unt, valde periclitant; toto cœlo aberrat à veritate: Aristoteles enim non de illis mulieribus, quæ pariunt octauo mense, sed de illis, quæ abortiunt sermonem habet, vt græca ipsa legentibus fiet perspicuum; nec obstat quòd partus faciat mentionem, quasi partum abortui opponat; nam communiter hoc loco, vt & alibi interdum, partus nomine vtitur, quatenus abortum „ etiā comprehendit; ex quò & inquit, ἀλλὰ „ καὶ διαφθειρομένων αἱ τίκτουσαι κινδυνεύουσι. „ quod est. sed & ipsis corruptis, scilicet „ per abortum, quæ pariunt periculum „ subeunt. quibus perspicuè abortum partum nominat: quo etiam sensu superioribus verbis dixerat, qui fœtus octauo mense suffocantur, ac per abortum octauo pereunt, ad exactumq; tempus non gestantur, in partu perire. atque hinc etiam elucet, cur eo loco illos fœtus octomestres, cur mulieres quoq; octomestres appellauerit: voluit enim insignem hanc calamitatem indicare, quæ octauo mense contingere solet; cuius ratione & fœtus, & parentes vocantur octomestres; quia ambo tantis laboribus oppresi, ac superati eo mense pereant. rationi enim consentaneum est, si in hac mutatione, à qua insigniter mater alteratur, abortus contingat, ac fœtus pereat, simul etiam & parentem interire.

Afferuntur dubitationes quinq; aduersus enarratam Aristotelis opinionem. Cap. 82.

IAm verò enarrata Aristotelis opinione de natura humani partus ac præsertim octomestris; eam satis pro dignitate, ac suscepto instituto videbimur explicasse, si nonnullas, quæ sese offerunt aduersus ea, quæ dicta sunt, dubitationes diluere conabimur. Primùm quod dictum est, octomestrem partum vitalem esse, ac naturalem ex Aristotelis sententia; qui in ipsius verba accuratè introspexerint, non facilè cōcedent. Ipse nanq; septimo Historiarum de septimestribus sermonem habens inquit, plerosq; viuere, & adolescere; ac tametsi imbecilles nasci affirmat, articulari adiungit, suamq; demum formam recipere; quæ omnia octauo genitis non adeò absolutè concedit, nec sine multis cautionibus; ita vt de illis hæc re vera potius negare videatur: siquidem scribit, non vbiq; locorum, sed alicubi tantùm vitales prodire; idq; ob optimam potius mulierum dispositionem locis illis contingere, quàm quòd sit omnibus commune, vt hos partus vitales in lucem edant. quin etiam & hoc in illis nō exiguā habere innuit imperfectionem, volens monstrosi aliquid in se continere; quare cū plerosq; ex septimestribus seruari dixisset, paucos in Grecia ex octomestribus seruari subdit; quæ vox alteri illi, pleriq; opposita est, quā septimo genitis concessit. At hęc neq; omnibus locis octomestres partus esse communes, neq; omnibus mulieribus, cōtra quàm supra definiebamus, planè commonstrant; quin etiam & valde raro gigni, & monstrosos esse: adeò vt omnino præter naturæ intentionem oriri videantur, ideoq; nullo modo naturaliter vitales. Secundo, plurimum certè illud obuersatur inuolutum, summèq; arduum, quod aliqui Præceptoris patrocinio corroborati obijcere possent: enimuero cùm à nobis concedatur vt plurimum in Grecia, & locis nostris octauo genitos periclitari, sed tamen per accidens id dicatur euenire; igitur quod per accidens contingit, ac præter naturam, crebrius in natura ipsa locum habebit, quàm illud, quod per se euenit, & rei essentiale est, ac naturale; igitur ab eo, quod plurimum fit, accidentale colligemus, quod Aristoteli penitus, ac veritati contradicit; cùm ipso vbiq; admonente quod plurimum fit, per se fit, & secundum naturam; & ex hoc ipso essentiale colligamus, ac naturale; ex eo quod raro fit, accidentale & præter naturam. cæteroqui quod tertio libro de Cęlo Veteribus Præceptor obijciebat, longè verius nobis obijci poterit: cùm enim illa sit rerum natura,

Cap. 4.

Tex. 24.

" tura, quam res habent plures, & pluri tē-
" pore; accidet nobis contrarium, videlicet
" quam plures habent res, & pluri tempore
" non esse naturam, sed quam habent res
" pauciores, ac tempore breuiore; eò quòd
" plures perire octomestres, ac tempore plu-
" ri certum sit; quod illis tamen præter na-
" turam esse definimus. Tertiò, quod in idē
" ferè redit, si perpauci in Græcia, & locis
" nostris seruantur; igitur & raro. At na-
Cap. 2. " tura, vt tertio de Partibus Animaliū scrip-
" tum legimus, respectu plurium contem-
" planda est; quoniam aut omni ex parte, aut
" magna ex parte constat, quod est secundū
naturam; & quæ rara inuentu sunt, consti-
Cap. 7. tui in genere non decet, vt quarto Histo-
riarum Aristoteles admonet: itaq; quòd
octauo geniti viuant, cùm id rarum sit, nul-
lo modo erit naturale. Quartò, non exiguā
illud molestiā exhibet (quod sensuum fide
quotidie experimur) mulieres non raro
septimo mense vnum parere, ac sæpè nono
geminos, puresq; excludere: si enim hoc
verum est, quo pacto supra à nobis affir-
matum fuit, hominem, quà multiparum
animal est, septimo; quà pauciparum oc-
tauo; quà vniparum nono maturum gigne-
re? ita enim necesse esset, vt septimo sem-
per plures, octauo geminos, nono ac
decimo vnum tantùm mulieres fœtum pa-
rerent. Quintò, quod supra Auerroe duce
dictum est, humoris, calorisq; ratione sep-
timestres maturius perfici; item hac ipsa
de causa magis esse vitales, quàm octome-
stres; magnam habet dubitationem: enim-
uero & propterea conclusum est, nonome-
stres diutius gestari, quoniam minus hu-
moris, calorisq; participent. at hoc pacto
octomestris nonomestri humidior, calidi-
orq; erit, quia ocyus maturescat; igitur &
vitalis magis tanquam vitalium qualitatum
magis particeps; & septimestris hac eadem
de causa nonomestri viuacior, sicuti & hac
etiam ratione supra septimestrem nonome-
stri perfectiorem esse objiciebamus. quæ
quidem sententia absurda est, quàm quæ
maximè.

Tres aliæ adducuntur aduersus superiora dubitationes. Valesij in Aristotelem argumentationes recitantur. Cap. 83.

SExto, obiectio est itidem de mense sep-
timo, dictum nanq; superius fuit de
Philosophi mente ipsum esse tempus pariē-
di naturale; verùm multò aliter septimo
Cap. 4. de Animalium Historia idem statuere vi-
detur. de superfœtatione enim mulierum
sermonem habens ita loquitur interprete
Theodoro. Altera cùm primùm septimo "
peperisset, qui mortuus est; mox duos "
iusto mensium numero edidit, qui vixe- "
runt. Sed hìc nonne partum septimo mē- "
se editum periisse dicit? nonne reliquos
menses τελεούμενα, idest legitimos & per-
fectos, demum iustos, vt Theodorus in-
terpretatur, vocans, septimum nec iustum,
nec perfectum mensem esse decernit? ac
proinde minimè naturalem? Septimo, non
leuis dubitatio est aduersus ea, quæ supra
diximus, homini diuersa tempora ad pari-
endum esse præfinita, diuersosq; limites
tanquam vltimos fines; vt scilicet partus
vnus sit septimestris, octomestris alter, al-
ter demum nonomestris, ac decimestris:
aliquis enim hæc omnia fortasse negans di-
cet naturam, vt par est, perpetuò vnum si-
bi finem tanquam vltimum in hominis ge-
neratione proponere, huncq; esse perfec-
tissimum, videlicet nonomestris produc-
tionem; sed tamen posse simul contingere,
vt interdum anticipet, interdum remore-
tur pro maiore minoreuè agentis causæ, ac
materiæ dispositione; atq; hoc modo affir-
mabunt intelligi debere, homini natura-
le esse, vt diuersis temporibus parere pos-
sit; quatenus scilicet ipsius natura admit-
tit, ac tolerat partum viuere posse, tam-
etsi præter tempus à natura præcipuè præ-
finitum, quod optimum est ab ipsa natura
intentum, oriatur; non quia huic fœtui
terminus septimestris, alteri octomestris,
vel decimestris videatur constitutus. Hinc
autem quid sequatur, res ipsa docet; cùm
facilè rui his receptis palàm fit fundamen-
tum illud, quod supra ad vitam octomestri-
um firmandam iactum à nobis fuit; quia fi-
nis naturæ sit octauo partum maturari,
quia hic mensis terminus sit ab ea consti-
tutus, idcirco octauo genitos naturaliter
esse vitales. Octauo ac postremo, posset
meritò nobis quispiam obtrudere, quod
de Aristotelis, atq; Hippocratis senten-
tia de partus decimestris perfectione di-
cebamus, longè aberrare à ratione vel ip-
somet teste Aristotele: siquidem ipse sep-
timo de Animalium Historia scribit, fœmi- Cap. 3.
nam tempore longiore in vtero perfectio- "
nem sumere, quod idem libro sexto dictum Cap. 22.
antea fuit; & ideo sæpius quàm marem,
decimestrem edi; verba hæc sunt ex Theo-
dori interpretatione. Cùm itaq; fœtus in "
vtero formatur, fœmina tardius, quàm "
mas perfectionem quarumq; partium reci- "

" pit, & sæpius in decimum mensem, quàm " mas protrahitur. quem locum Trapezuntius ita conuertit. Nam vsq; ad perfectam " particularum omnium formationem tardius fœminæ, quàm masculi perueniunt; & " ad decem menses fœminæ magis quàm masculi; atq; sic ante illum vetus Interpres. " Tandem igitur omnem perfectionem partiũ tardius accipit masculino fęmininum; " & decem mensium fiunt magis masculinis. Cęterum quo modo hîc non ridebit aliquis naturæ ordinem, & prouidentiam, quam Præceptor tamen ad cœlum passim extollit, & tantopere admiratur? atq; vna etiam Aristotelis, & Hippocratis opinionem? tempus nanq; perfectius partui perfectiori debet conuenire; sed perfectior partus masculus est, igitur sæpius debet mas quàm fœmina in decimum mensem protrahi. Itaq; vel decimestre spatium non erit perfectius contra Aristotelis, & Hippocratis opinionem; vel si perfectius est, incongruè natura partui imperfectiori magis perfectum tempus præfiniuit; vel mas non erit fœmina perfectior. Hæc fortasse secum ipse cogitans Franciscus Valesius, sentẽtiam hanc Aristotelis, vt libro secundo vidimus, & sensu, & ratione ipsa infirmare conatus est; scribens falsò hic Aristotelem affirmare, fœminas decimestres magis, mares magis septimestres nasci: se enim & fœminas vidisse septimestres; & ipsas fœminas, quanquam tardius in vtero figuram recipiunt, citius tamen augeri, ideoq; fœminarum, mariumq; editus in eadem tempora incidere. proinde Aristotelem Hippocratis axioma illud, " Quod citius discretum est &c. " malè de incremento tantùm, quod extra vterum mas, & fœmina recipiunt, interpretatum esse; cùm de eo quoq;, quod habent, dum vtero geruntur, sint intelligenda. Atq; hæc est Valesij oratio capite Sacræ Philosophiæ decimo octauo. " Nam tametsi Aristoteles dicit fœminam sæpius in decimum mensem incidere, " quàm marem; hincq; sæpius fieri septimestrem; tamen experimentum repugnat, " & non multò post. Necesse est ergo fœminæ quàm mares tardius accipiant figuram, & moueantur: non tamen proinde " & tardius edantur in lucem, sed eisdem temporibus, quibus mares; quia quanto " tardius accipiunt figuram, & mouentur, " tanto, postquam formata sunt, citius veniunt ad incrementum. " Quod Hippocrates docuit secundo Epidemicon, & rursum sexto; sunt verò eius verba in calce sectionis tertiæ libri secundi. " Quod citius discretum, & motum est, augetur rursus segnius, & in longius tempus. " In calce sectionis secundæ libri sexti. " Concretum est, constitit citius, postquam motum est, desinit, & tardius augetur, & pluri tempore. " Aristoteles hoc interpretatur de eo incremento, quod mares & fœminæ recipiunt editi iam in lucem, vsq; ad consistendi ætatem. " Monstratum verò à me est, in eius operis Commentarijs, de eo etiam incremento intelligi, quod intra vterum recipiunt, postquam moueri cæperunt, vsq; dum vtero exeunt. " quod vel ipsa auctoris verba apertè sonant. Hæc igitur grauiora visa sunt, quæ superiora conturbarent.

Prima soluitur dubitatio. Cap. 84.

HArum igitur difficultatum vt quæ primo loco proposita est, prius dissoluatur; dicimus, si quæ supra Aristotelis verba enarrantes disseruimus, ad memoriam reuocemus, facilè occurrere quid respondeamus. Philosophus nanq; ea omnia de octomestribus scripsit, quoniam hos partus minus censuit esse vitales, quàm septimestres; item non omnibus locis æquè vitales. Vnde quæ loco illo habentur, id probant, idq; nos fateri cogunt, aliud præterea nihil, vt quinto libro planius etiam demonstrabimus. at longè diuersum est, vt non semel admonuimus, fœtum dicere non vitalem, vel illum minus quàm reliquis mensibus genitos, vitalem pronunciare. item omnibus locis æquè vitalem, aut alicubi magis, alicubi minus vitalem. aut demum nullibi vitalem: quod vehementer lectores cupio animaduertere. qua in re & illud præterea obseruandum, Aristotelem non dicere in Aegypto octomestres superuiuere, quasi pluribus in locis non vitales gigni eos velit, in paucioribus vitales; quin potius contrarium apertè pronunciare; cùm in Græcia & locis proximis non quidem gigni nõ vitales, sed è contra vitales, tametsi pauciores, affirmet; ideoq; nullum commemoret locum, in quo non vitales produci hos partus velit. vt taceam, cùm Aegypto, in qua superuiuere octomestres dicit, alia loca adiungat, in quibus vitales oriri inquit octomestres, satis clarè ostendere, non pauca esse loca, & inueniri, in quibus viuant, ac plures seruentur. Eadem responsio quod de mulieribus dictum est, penitus elidit: sunt

ſunt enim ex Ariſtotelis ſententia mulieribus octomeſtres partus omnibus communes, quoniam ſunt humanæ ſpeciei naturales, ſed non tamen æquè communes; cùm ob locorum temperamentum aliæ alijs ad enitendos octomeſtres ſint propenſiores; quæ omnia latius cum ſuis cauſis quinto libro explicabimus. Quid verò monſtroſum dicat in octomeſtri, ſi modò id de eo affirmaſſe Ariſtotelẽ dicamus, nihilq; officere, iam ſuperius probatum fuit: quo etiã loco oſtenſum, nullo modo hunc partum Ariſtotelem monſtroſum appellare. Deniq; quòd articulari ſeptimeſtres Ariſtoteles affirmet (nam quòd ſuam dicat recipere formam, hoc Theodori eſſe nõ Ariſtotelis ſupra oſtẽdimus) nihil obſtat: id .n. totũ ea de cauſa dictum eſt, quoniam hi partus ob celerem editionem meatibus interdum nonnullis nondum plenè articulatis oriuntur; qui poſtea articulantur: quamobrẽ id non probat, octomeſtres nõ eſſe vitales, neq; ſuam non recipere articulationem. cũ enim diutius in vtero maneant, hoc priuãtur incommodo, ac partibus perfectè elaboratis omnibus in lucem veniunt; ideoq; huiuſmodi articulatione non indigent. Non igitur monſtrant hæc octauo genitos non eſſe vitales; non oſtendunt non omnibus locis, non omnibus mulieribus eſſe communes; ſed tantùm non eſſe æquè vitales, non æquè communes ſicut & ſeptimeſtres, quod nos quoq; vltrò confitemur; qui ex Ariſtotelis ſentẽtia imperfectiores, ac vitales minus quàm ſeptimeſtres hos partus eſſe defendimus. At enimuero aduerſarij abſolutè, ac ſimpliciter non naturales, ac non vitales illos eſſe volunt; ex hiſq; Ariſtotelis verbis id colligere profitentur: nam Baldus inter cæteros ita certum, ac neceſſarium eſſe definit, octauo genitos non poſſe ſuperuiuere, ſicuti certũ, neceſſariumq; eſt, mortales cunctos diem ſuum eſſe obituros. quod quidem ſi ita eſſet, nullibi locorum poſſent oriri naturales, ac vitales; neq; in Aegypto, neq; in alia vlla regione. ſicut enim quod naturale eſt, immobile eſt, & vbiq; eandem habet, quantum in ſe eſt, poteſtatem, vt quinto Ethicorum docet Ariſtoteles; ſic & quod non eſt naturale, vbiq; huiuſmodi ſe præbet: ex quò & Ariſtoteles nullum commemorat locum, in quo ante ſeptimum geniti ſuperſtites eſſe queant; quin potius, vt huius libri initio admonuimus, nullibi locorum gigni illos vitales notat. cuius rei nulla certè alia ratio eſt, niſi quia

Cap. 7.

ſua natura non vitales in lucem veniunt, cùm breuiorem ſeptimo maturitatis terminum humana ſpecies non ferat. ſiquidẽ ex hoc fundamento, videlicet ex propria rei ſubſtantia, ac natura, ex intrinſecis principijs ducendæ cauſę ſunt, ac rationes, quæ vitalem, ac naturalem partum monſtrent, vel non naturalem, & non vitalem; non quidem ex rebus extrinſecis, accidentalibus, & aduentitijs, quæ rei naturam, ac ſubſtantiam non ingrediuntur; vt omnes ductæ ſunt ab aduerſarijs allatæ rationes ad necem octomeſtrium probandam; quæ vel à numerorum virtute, vel à ſiderum maligno influxu, vel à menſium, quadragenariorumq; poteſtate, vel à locorum differẽtia, huiuſmodiq; alijs leuiſsimis fundamentis, omninoq; extrinſecis, & accidẽtalibus petuntur; proindeq; iudice Ariſtotele vniuerſales ac inanes exiſtimandæ ſunt. Enimuero ſic ipſe grauiſsimè ſub extremo ſecundi de Animalium Ortu hac de re decernit. Sed enim hæc ratio admodum vniuerſalis, inaniſq; eſt: rationes enim, quæ non ex proprijs ducuntur principijs, inanes ſunt, & rerum eſſe videntur, cùm longè aberrent; ſunt profectò geometricæ rationes, quæ ex principijs geometricis afferuntur. Quare & paulò poſt rectiſsimè admonet, hoc modo, & via nec cæteris de rebus, nec de naturalibus indagandum eſſe; ſed ex conſideratione eorum, quæ generi, ac naturæ inſunt, & contingunt, cauſam eſſe accipiendam: quod perpetuò ſeruaſſe Ariſtotelem in rerum cauſis inueſtigandis ſatis conſtat. Verùm quantum hæc ratio valeat à locis ducta, vberius quinto libro aperiemus.

Cap. 6.

Secunda, & tertia tollitur dubitatio.
Cap. 85.

AD ſecundam reſpondemus, nullum eſſe abſurdum, ſi quod præter naturam ſit, ac per accidens, crebrius eueniat, dummodo id fiat ob aliquod impedimentum, atq; in aliquo tantùm loco particulari; vnde & ex hoc quod rei naturale, & eſſentiale eſt nequaquam venit colligendum. ex eo enim quod plurimum per ſe euenit in natura non impedita, quod rei proprium ſit ac naturale, iudicare oportet; ſecus ſi id per accidens contingat, & ob aliquod impedimentum. At quia partus nonomeſtres multò ſunt alijs frequentiores, ac locis noſtris crebriores fiunt abortiones; ipſe verò octauus menſis ſitus ratione ob cau-

ſas iam expoſitas non ſolùm proprias, ſed aliorum menſium, ac præſertim noni excipit abortiones; ideo octauo geniti vt plurimum perire locis noſtris obſeruãtur. nec obſtat, ſi quod vt plurimum euenit, dicere videatur quod per ſe ſit, & ſecundũ naturam; quandoquidem hæc conuertuntur, cùm, quòd vt plurimum fit, à natura venit non impedita. Si enim ex eo, quod plurimum euenit, eſſentiale iudicatur nulla alia adhibita diſtinctione; igitur ſeptimeſtrib⁹ eſſẽtiale mori, ac naturale, quia Hippocrate teſte vt plurimum pereunt; qui tamen omnium conſenſu vitales habentur partus, ac naturales. Ad tertiam dicimus (quod ſecundam etiam elidit) quia natura reſpectu plurium contemplanda eſt (denominatio .n. tùm primo, tùm ſexto Phyſ. fit à ſuperabundanti) ideo non vnius, vel alterius tantùm loci, ſed plurium, ſed omnium habita ratione, an plures, vel pauciores ſuperuiuant octomeſtres, eſſe iudicandum. vt iam, cùm ſine vlla dubitatione, ſi Aegyptũ, Hiſpaniam, aliaq; loca attẽdamus, in quibus plures octomeſtres fieri ſuperſtites obſeruãtur, lõgè pauciores periclitari, plures eorũ ſint, qui ſuperuiuãt; concludendum ſit, hos partus naturaliter eſſe vitales, ſi natura reſpectu plurium eſt contemplanda; quam profectò veritatem plenius quintus liber demonſtrabit. Similiter cùm additur in dubitatione octomeſtres raro gigni; reſpondemus primùm, iam ſupra probatum eſſe hos partus ſua natura rariores eſſe oportere, quia minus ſint perfecti; ideoq; hoc fortaſſe nullum eſſe in his inconueniens; cùm in eis, quæ omnino ſunt ſecundum naturam, verum id eſſe oporteat, quòd vt plurimum fiant; quòd ex eo, quod plurimum euenit, eorum eſſentiam aſſequamur; ſecus ſi habeant aliquid imperfectionis admixtum, vt in octomeſtribus contingit. Secũdo dicimus, quẽadmodum præ cęteris acutè Iacobus Zabarella hac ætate philoſophus præſtantiſsimus ſecundo libro de Propoſitionibus Neceſſarijs animaduertit; (Cap. 14.) eorum quæ raro eueniunt, duplicem eſſe differentiam; atq; alia raro fieri non ſolùm habita ratione ſubiecti, ſed etiam habita cauſæ ratione; cùm nullam certam cauſam neceſſariò conſequantur, tanquam præter naturæ, & cauſæ efficientis intentionem genita, quæ per ſe aliud quidpiam facere volebat; atq; hæc ſunt, quæ verè ex accidenti, & caſu producuntur. alia verò eſſe, quæ ratione tantùm ſubiecti raro fiunt, ſed ſemper ratione cauſæ; quoniam certam, definitamq; habeat cauſam in natura; quorum è genere eclypſim lunæ eſſe hic auctor profitetur. itaq; cùm clarum ſit, quæ ad primam ſpeciem pertinent, ea eſſe præter naturam, nec in genere ponenda; quæ ad ſecundam, ea eſſe ſecundum naturam, & in genere collocanda; nihil hæc ratio octomeſtribus officiet: veluti qui, tametſi rati ſint partus, ac raro viuant, quoniam tamen quòd oriantur & viuant, certam habet cauſam, ac naturalem, ad ſecundam ſpeciem pertineant, & naturaliter idcirco oriri, ac viuere ſint dicendi. Tertio demum dico, quo fortaſſe ſenſu Ariſtoteles primo Poſteriorum (Tex. 22.) lunæ eclypſim, quæ raro alioqui euenit, ſæpè fieri dixit; quia ſcilicet, cùm certam habeat cauſam, habita æternitatis mundi, quam ipſe ponit, ratione, non huius, vel alterius ætatis, ſæpè contingit; hoc eodem & plures vbiq; locorum oriri octomeſtres, & ſuperuiuere dici poſſe; ita vt ſæpè naſci in Ariſtotelis ſchola, ac vita potiri, non raro dicendi videantur.

Quarta labefactatur dubitatio. quòd alia ſit partus multiplicis cauſa, alia maturitatis. obiter de cauſis ſuperfœtationis. Locus quidam Ariſtotelis ex quarto de Animalium Ortu enarratur.

Cap. 86.

QVartam dubitationem facilè diſſoluemus, ſi conſiderabimus aliam eſſe cauſam partus multiplicis, aliam maturitatis; tametſi hæc duo ſimul ſæpè conſpirent. in multiplici enim partu non ſolùm qualitas agentis, ac materiæ eſt neceſſaria, verùm etiam & quantitas; quæ duo in animalibus, quæ tantùm multipara ſunt, ſemper ex naturæ decreto ſimul ſunt neceſſariò, & concurrunt; at in homine, quia ambigit, nec tantùm multiparum animal eſt, ſed etiam vniparum, non ſemper ſe conſequuntur: vnde qualitas ſine quantitate cõcurrere poteſt; & propterea partus poteſt eſſe natura ſeptimeſtris, vel octomeſtris, tametſi non ſit multiplex, vel geminus: ſicuti & è contra nonomeſtris, & multiplex, ſi cum quali quantum coniungatur: ex quò & Philoſophus quarto de Animalium (Cap. 4.) Ortu de vniparis, magniſq; agens animalibus, & cauſam hanc, quæ à quanto pendet, exprimens, ſcribit ſi plus materiæ emiſerint quàm ſatis ſit ad vnum conceptũ efformandum, tunc geminos oriri. quin etiam & eodem libro infra vtranq; cauſam (Cap. 5.)

pulchrè

pulchrè complexus est, alteram ab altera manifestè sciungens, cùm de superfętatione pertractaret ita scribens. αἴτιον δὲ τὸ εἰρημένον. καὶ γὰρ ἐν τῇ μιᾷ συνουσίᾳ πλεῖον τὸ ἀπιὸν ἐστι σπέρμα, ὃ μερισθὲν, ποιεῖ πολυτοκεῖν, ὧν ὑστερίζει θάτερον. quæ sic Theodorus interpretatur. Cuius rei causa id, quod diximus, est. eodem enim coitu plus seminis immittitur, quod partitum multiplicare conceptum potest, si alterum post alterum accedit. cui tamen ego nequaquam assentior. Aristoteles enim causam superfętationis tradens, & cur vnipara tantùm, ac magna animalia superfętare non possint, docens, homo uerò, tametsi magnus inter multipara, possit aliquando, sed non tamen semper quod superfętat enutrire; inquit magna & vnipara, vt solipeda sunt, ideo non posse superfętare, quia illis ob fœtus, quẽ gignunt, magnitudinem, materia desit nouo conceptui efformando; cùm tota in prioris cõceptus formationem absumatur. multipara autem superfętare posse, quoniã plures conceptus, quos pariunt, superfętatus quidam alter alteri sunt; vt idcirco ad superfętandum naturam habere videantur propensissimam. Sicuti enim eodem coitu plures gignunt cõceptus, qui tamen non eodem tempore maturescunt, vt alter alteri superfętatus quidam appareat; ex quò sus, canis, & similia, vt rectè Suessanus animaduertit, interdum nõ eadem die omnes partus edunt, sed tempus aliquod intermittunt; sic & ex diuerso coitu veram superfętationem queunt efficere; cùm illis ob fœtuum, quos gignunt, exiguitatem materia non desit ad conceptus alios formandos, & enutriendos. quæ cùm ita explicasset, addit hominem, si alter coitus proximè ab altero accessit, non solùm superfętare, sed etiam enutrire posse; cuius rei causam adductis iam verbis explicat, ac mea quidem sententia talem: quoniam enim homo multiparum natura animal est, ac ideo plures quàm vnum interdum vno coitu gignit, qui non eodem temporis momẽto veniunt in lucem, sed alter cũctatur, alter præuenit; proptera & superfętare potest, vt alter alteri superfętatus sit quidam, & si coitus prior à posteriori parum distet, etiam enutrire. si enim plus temporis intercesserit, ac iam priori aucto conceptu coitus adhibeatur, tunc superfętatio quidem effici poterit quãquam raro, sed nutritio conceptus posterioris, & perfectio nequaquam, vt inquit Aristoteles; nempè quoniam materia omnis in prioris conceptus augmentum absumatur; qui cùm magnitudinem iam habeat insignem, ampliorem ipsius copiam desiderat. Proinde dicit Aristoteles in homine, & similibus causam eandem esse cum superiori; posuit enim plures conceptus vno coitu procreatos à multiparis quasi superfętatus esse quosdam, nec eodem penitus tempore maturescere, quod idem his verbis repetit.

Adductus Aristotelis locus plenius explicatur Theodorus reijcitur. eadem tertia dubitatio fusius profligatur.

Cap. 87.

ITaq; cùm hæc ita sint, palàm est omnino contra mentem Præceptoris postrema illa Theodorum, ὧν ὑστερίζει θάτερον, interpretatum esse, si alterum post alterum accedit. quæ quidem interpretatio nihil facit ad rẽ, & Suessanum traxit in ingentem errorem; qui alteram post alteram intelligit emissionem ex aliquo obiter occurrente diuersis temporibus factam. debent enim sic mea sententia interpretari. quorum alter cunctatur, scilicet partus, & conceptus, & posterius nascitur, tametsi vno coitu generati. quo etiam ex loco facilè discimus maturitatem partus esse causam, nec aliud aliquid; cùm ex his, qui vno coitu procreantur, ideo alter prior nascatur, quia ocyus maturescit, serius alter, quia tardius. atq; hoc est quod septimo Historiarum dicebat Aristoteles (cui quidem loco alter hic respondet) ita scribens de hominis superfętatione. At verò si proximè à primo conceptu secundus sit factus, absolui ediq; potest, quod superfętauit, vt quasi gemini nasci videantur; quo modo Herculem & Iphiclem procreatos esse fabulantur. Nam id etiam constitit adultera quadam, quæ alterum suo marito, alterum adultero similem peperit. Hæc ille; quibus apertissimè secundo coitu proximè à priori generatos quasi geminos superfœtari tradit, quia & gemini interdum non eodem tempore erumpunt, quo pacto generatos Herculem, & Iphyclem Poetæ fabulantur; quorum primum, vt Apollodorus in Bibliotheca narrat, à Ioue prima nocte, alterum ab Amphitrione secũda procreatos fuisse fingunt; ideoq; & Iphiclem vna nocte iuniorem appellant, vt supra ex Theocriti carminibus quisq; discere potest. quare allatis verbis sine vlla dubitatione, tametsi eodem coitu geniti sint, alterum posterius nasci dicit Aristoteles; non si alterum post alte-

Cap. 4.

alterum acceſſerit, conceptum multiplicari, vt cenſuit Theodorus; cuius quidem interpretationem fateor me non intelligere. quare propius Trapezuntium ad Philoſophi mentem acceſsiſſe exiſtimo, qui locum ita tranſtulit. Cauſa verò eſt, quod diximus. nam in vna quoq; coniunctione plus effluit ſperma, quod diuiſum multa parere facit; quorum alterum poſterius eſt. quem ſcopum veterem quoq; video Interpretem habuiſſe, qui Ariſtotelis orationẽ ſic conuertit. In vno enim coitu plus aliquod eſt ſperma, quod diuiſum facit politochizare; quorum tardat alterum. Verùm hîc, vt redeamus ad rem, cauſam vtranq; expreſſam haberi, ſimulq; & vtriuſq; differentiam, omnibus arbitror eſſe compertiſsimum. Nam ſi plures vno coitu generandi ſint, plus ſeminis adeſſe oportere perſpicuè docet Ariſtoteles; quod ad quãtitatem pertinet. at fieri poſſe idem adiungit, vt hi non eodem momento maturitatem adipiſcantur, quod pertinet ad qualitatem: videlicet ad materiæ, & agentis proportionem, ac temperamentum. itaq; non eadem cauſa eſt multiplicis partus, & maturitatis, quod ſupra demonſtrandum propoſueramus; ideoq; & multiplex poteſt eſſe conceptus, nec tamen ſeptimeſtris, vel octomeſtris. Nec ſanè mirum, ſi, qui vno coitu gignuntur, diuerſum aliquando habeant terminum maturitatis; enimuero cùm plures conceptus producuntur, vt ex eodem loco ſupra monebamus (quod multipara faciunt animalia) eodem coitu tantum mas emittit naturæ decreto, quod diuiſum poſsit conſtituere plura; fœmina tantum, vt plura conſtitui poſsint. diuiduntur autem ex ſe eadem natura duce, ac certa geniture portio, & facultas certam menſtrui, & materiæ portionem ſibi adſciſcit. at geniture pars altera plurimum ab altera qualitate differt, ſicuti & menſtrui; ex quò & priorem eiaculationem fęcundiorem etiam dicebat Ariſtoteles, & magis concoctam; itaq; & conceptus alter ab altero diuerſum poterit pro materiæ differentis ratione maturitatis terminum habere. ſed ad aliam tractationem talium quæſtionum arbitria referamus, libro etiam nono hac de re plura dicturi; nunc, ſi modò poſſumus, reliquas dubitationes profligemus.

Cap. 4.

Aliæ tres ſoluuntur dubitationes, videlicet quinta, ſexta, & ſeptima. Cap. 88.

QVinta dubitatio commodè diſſoluetur, ſi illud memoria tenuerimus, quod ſuperius ex Ariſtotele explicauimus, ſeptimeſtres partus idcirco magis eſſe octomeſtribus vitales, quia magis ſint homini ſecundum naturam, tanquam caloris, humoriſq; ratione generatos; quæ duo homini ratione ſuæ naturæ, ac ſubſtantiæ maximè conueniunt. ſequitur igitur ſeptimeſtres ocyus ad maturitatis finem idcirco peruenire; quin etiam & hac eadem de cauſa octomeſtres; quoniam calidum in ſemine, & humidum temperamentum maturitatem præproperam reddit. Item ſequitur & propterea nonomeſtres diutius geſtari, quia caloris minus, & humoris habeat ſemen, ex quo conformantur; at non ſequitur hac de cauſa ſeptimeſtres, & octomeſtres nonomeſtribus vitales magis eſſe iudicandos: ſicuti & ſupra ſuo loco nec perfectiores propterea eſſe demonſtrauimus. enimuero non quia ſeptimeſtris caloris plurimum, & humoris habeat vitalis eſt, ac naturalis partus, quanquam huiuſmodi qualitates plurimum ad vitam illis prodeſſe addiderimus, tãquam ſua natura maximè vitales; ſed quia humanæ ſpeciei huiuſmodi temperamentum maximè eſt naturale. quoniam igitur nonomeſtris temperamentum intimius eſt, ac magis ſpeciei humanæ conſentaneum, vtpotè quod ad magnitudinis penſum maturitatis terminum recipiat; idcirco nonomeſtris, tametſi caloris minus, & humoris habeat, ſeptimeſtri, & octomeſtri longè vitalior eſt ſtatuendus, ac perfectior: non dicunt enim hæ qualitates in præſentia vitalia in animali principia, ac duas illas ſubſtantias, quæ primigenium humidum, ac innatum calidum conſtituunt; quorum ratione alterum animal altero vitalius producitur; ſed in materia, & ſemine temperamentum, quãquam ſe mutuo ſæpè hæc conſequuntur: de qua quidem differentia plura quinto libro diſputabimus. quare ſeptimeſtres, & octomeſtres, etſi calidiores, humidioreſq; ſint nonomeſtri, non ob id vitales magis ſunt dicendi. Prætereo ſatis ſuperq; ſupra à nobis eſſe demonſtratum, ſeptimeſtres ex calidioribus, & humidioribus menſtruis, quàm humana ferat temperatura, ſi collineet, generari; quod quidem pręſentem dubitationem radicitus euellit. Ad ſextã dicimus, quid ad eam reſpondendum ſit, ver-

verba ipsa pōderanti satis esse manifestum: neq; enim ibi septimo mense genitum τελεσφόρον, idest iusto, perfectoq; mense genitum esse negat absolutè, & simpliciter Aristoteles, sed respectu fœtus illius; nempè quia sua natura materia erat nonomestris, vel decimestris; vnde & meritò septimestrem illum partum interijsse scribit, tanquam editum intempestiuè; alios vt iustis mensibus gestatos superuixisse: vt hinc sētentia nostra mirificè comprobetur; videlicet partus humanos diuersa habere temperamenta, proindeq; diuersos terminos maturitatis, ac omnes debere tales per se à mense nuncupari, in quo nascuntur, si vitæ compotes fieri habent. Ad septimam respondemus primùm, etiam si concedamus quod ipsa vult argumentatio, nihilominus sequi octauo genitos naturaliter esse vitales: estò enim vnicum esse naturæ finem, vnicum terminum, & hunc optimum, ac præstantissimum, scilicet mensem nonū; estò septimestrē eā parere, vel octomestrem, non esse vltimos ipsius fines; satis mihi est hac humanam naturam esse proprietate donatam, vt admittat, & toleret partum viuere posse, etiam si anticipet, vel retardet: ita enim nihilo minus octauo genitus viuere poterit. Secundo respondemus, omnino esse contra Aristotelem, si negemus, septimestrem gigni, & octomestrem, non esse naturæ fines; eò quòd, vt fusè ex eo superiori ostendimus disputatione, sit homini à natura definitum, sic in illius natura insitum, vt his diuersis tēporibus maturum partum edat. ex quò & ipse Philosophus vbiq; locorum hæc varia tempora tanquam naturæ fines, ac terminos partus maturescendi varios videtur accipere; nimirum quia naturæ ratione homo in temperamento eam habeat latitudinem, vt materias alio, ac alio modo temperatas producere queat. quare nihil obest, tametsi vnus sit finis perfectissimus, alios etiam pro varietate temperamentorū materiæ sibi fines, ac terminos in ea maturanda naturam proponere; sicuti & finis naturę perfectior, nobiliorq; est, maré producere; quanquam pro materiæ temperamento fœminam sibi proponat producendam tanquam finem. ex quò & libro quarto de Animaliū Ortu dicebat Aristoteles, in geminis disparis sexus euenire, vt alter cunctetur, alter præueniat, quia non pari tempore maturitatem recipiant; quod quidem nil est aliud, quàm finem sibi propositum in illorum fœtuum maturatione naturam non obtinere. vt iam si hoc in sexu diuersis locum habet propter temperamentorum diuersitatem, videlicet quòd alius maturitatis terminus, ac finis alij partui sit constitutus, necesse quoq; sit in alijs, in quibus hæc causa vigeat, temperamenti videlicet diuersitas, idem locum habere. Quamobrem cùm septimestres, octomestres, & nonomestres, decimestresq; inter se temperamento longè differant, vt verissima est Auerrois sententia dogmatibus Præceptoris mirificè consentanea, quod satis superq; demōstrauimus, infraq; monstrabimus, iam necesse erit maturitatis terminos, ac fines in his partubus producendis naturam sibi proponere diuersos. quare aduersus octomestres hinc petita ratio omnino nulla.

Cap. 6. [margin]

Octaua soluitur dubitatio. Cap. 89.

DEmum ad octauam, & postremam respondemus, verè decimestre tempus maiorem quàm reliqua duo tempora habere in natura perfectionem de Hippocratis sententia, & Aristotelis; intelligimusq;, vt supra sæpius declarauimus, tempus decimestre cum Hippocrate libello de Principijs, & in opusculis de Septimestri, ac Octomestri Partu nouem mensium, & decem dierum interuallum, vel paulò etiā minus; quod perfectissimum est, ac, vt loquitur Hippocrates, habet numerum ad hebdomadas exactum; cùm denarijs hebdomadarum quattuor expleatur, vel, vt idem scribit libello de septimestri Partu, septem quadragenarijs, vt iam ineuntem; & non confectum decimum mensem accipiamus, ac dierum 280. interuallum: vnde & ipse citato libello de Septimestri Partu decimestre huiusmodi interuallum summam habere inter reliqua tempora perfectionem, ob idq; potissimum adolescere hoc tempore editos, & fieri superstites his verbis demonstrauit. Qui enim in septem quadragenarijs nascuntur, decimestres appellati, ob id maximè educātur, quòd fortissimi sunt, & plurimum à vulgarium puerorum tempore absunt, in quo affligūtur quadraginta egrotantes diebus circa octauum mensem. Quod etiam in opusculo de Partu Octomestri sic confirmauit, vt ego interpretor. Quoniam & decimestres appellati, quos dico septem dierum quadragenarijs magis in lucem edi, & maximè adolescere. qui locus profectò obscurissimus octauo libro fusius enarrabitur. ex

qui-

quibus facilè colligimus Valesium virum alioqui magnum, dum decimestres, & nonomestres eosdem esse partus credidit, vt secundo libro, ac supra vidimus, sed nonomestres græcorum mensium ratione, decimestres mensium lunarium respectu fuisse appellatos, ab Hippocratis mente deuiasse, atq; tota, vt aiunt, aberrasse via; vt, qui verè apud ipsum, Aristotelemq; dicantur decimestres, ignorasse videatur. Tempus igitur hoc tanquam perfectissimum maturationi maris mirificè congruit. quòd verò ait Aristoteles, non est quidem, vt perperam Gaza interpretatur, fœminas sæpius quàm mares in decimum mensem protrahi; vel vt Trapezantius, ad decimum mensem fœminas magis, quàm masculos perueni e, sed fœminas veluti tardioris conformationis decimestres magis fieri, idest plures dies de mense decimo in partu accipere; ad quem sensum accessisse propius sua conuersione veterem Interpretem satis constat. adeò quòd, si mas circa diem exempli gratia sextum, aut decimum decimi mensis venit vt plurimum in lucem, fœmina circa vndecimum, aut decimum quintum, vel vigesimum promatur. ita enim locutus est perspicuè mea quidem sententia Aristoteles
„ ἕως μὲν οὖν πᾶσαν τὴν τελείωσιν τῶν μορίων βραδύτερον ἀπολαμβάνει τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος, καὶ δεκάμηνα γίνεται μᾶλλον τῶν ἀρρένων. At quæso quid est aliud fœminam decimestrem fieri magis, quàm senescente magis decimo prodire? vt enim Fen vigesima prima tertij ex Auicenna colligitur, fœminæ partus dies circiter decem tardior efficitur, quare meritò decimestris magis nasci dicitur. quod quidem dum affirmat Aristoteles, nil à se ipso, nil à veritate, atq; ab Hippocrate præceptore dissonum pronunciat. quamobrem dubitatio initio mota nulla erit; atq; ipsius verba ita erunt perspicuè, & verè interpretanda.
„ Cùm igitur partium omnem perfectionem tardius recipiat fœmina quàm mas; decimestres magis quàm mares fœminæ oriuntur. idest in plures decimi mensis dies incidunt. Quòd si ita res est, viderint alij, quàm rectè Augustinus Niphus locum enarrans in
„ Commentarijs ita scripserit. Et sæpius in decimum mensem quàm mas protrahitur; per quæ patet signum fœminini partus; nam cùm gerens in vtero retardat partum, aut in decimo, aut versus decimum mensem pariens, fœminam plerunq; parit; quæ verò parit infra paucos dies noni mensis, marem pariet sæpius. viderint rursus quàm rectè Trincauellius libro primo Consiliorum mandauerit monimentis, Philosophũ hoc loco dicere, marem (vt verbis vtar ipsius) in nono mense frequentius ad partum deuenire; ad decimum verò magis fœminam pertingere; cùm de mense nono nulla hic mentio, vt omnibus est notum, habeatur. Verùm dubitatio oritur difficillima: etenim Hippocrates numerare non videtur à conceptu ad partum dies plures, quàm 280. vt libro septimo planum faciemus; atq; tempus hoc decimestre, vt vidimus, appellat, ac perfectissimum. Itaq; si tardior formatio fœminæ est, plures dies quàm 280. in ipsa accipiet conformatione; siquidem de decimo plures dies sumit ex sentẽtia Aristotelis. at ex his innumera sequuntur, & mirifica absurda. nam vel conformationis terminus longior est diebus 280. secundum Aristotelem, & sic ipse ab Hippocrate diuersus; vel si non est longior, fœmina ad dierum numerum hunc propius, sæpiusq; accedit; & sic mota initio dubitatio locum habet; quia perfectius tempus partui imperfectiori congruet magis. quæ quidem dubitatio libro septimo in Hippocratis explicanda sententia commodius diluetur; itaq; illius solutio in locum illum differatur. Quid verò ad Valesium respondendum sit, in sequentibus dicemus; cùm res ipsa, vt plenè doceatur, longiorem aliquanto requirat indagationem; adeò vt etiam cogamur de articulatione non pauca disputare.

Cons. 34.

Falsò Valesium Aristoteli imponere, quòd scripserit mares sæpius quàm fœminas nasci septimestres. Cur fœtus masculus, aut fœmina oriatur. Item de fœmina genitura Hippocratis, & Aristotelis conciliatio. Cap. 90.

QVod igitur ad Valesij pertinet in Aristotelem argumentationes, primùm illud animaduertendum est, ipsum tanto Philosopho imponere, quòd septimo Historiarum scripserit, mares magis quàm fœminas fieri septimestres. ego enim, qui totum illum librum diligenter, vt hoc inuenirem, non semel perlegi; scriptum ab Aristotele tantùm reperi, fœminas fieri magis quàm mares decimestres. Verùm contuens Valesius Philosophũ hoc affirmare; illud alterum & ipsum voluisse, & sequi credidit; mares è contra, qui contrarium temperamentum nacti sunt, magis fieri septimestres oportere; quasi si longissimũ tem-

tempus fœmineo partui conuenit, breuissimum masculo quadrare magis debeat: neque animaduertit non de mensibus quidem pluribus, vel paucioribus, sed de vnius mensis pluribus, vel paucioribus diebus sermonem Aristotelem habere. atq; hunc errorem Ludouicus Mercatus etiam secutus est; scribens quarto de Morbis Muliebribus hoc idem ab Aristotele doceri. Secundo, vt quantum sit robur Valesianæ rationis appareat, quatuor nobis agenda sunt. Primo quare fœtus mas, aut fœmina fiat, videndum est. Secundo quando conformatio, & motus illis contingat; atq; hæc omnia ex Hippocratis, & Aristotelis sententia. Tertio quo modo verba illa eiusdem Hippocratis. Quod citius discretum est, & c. veniant intelligenda. Quarto Valesij ratio est labefactanda. Vt igitur primum caput adoriamur, satis illud nobis explicat libello de Genitura Hippocrates, dum ita scribit. Quandoq; quidem fortius est semen à muliere emissum, aliquando verò debilius. Similiter etiam quod vir emisit; & est tùm in viro fœmineum, itemq; masculum semen, tùm itidem in muliere. Fortior autem masculus fœmina est. necesse igitur est ipsum à fortiore semine generari; habetq; res hoc modo. Si ab vtrisq; semen fortius prodierit, masculus erit partus; si verò debile fœmina nascetur. Vtrum autem multitudine, ac copia præualuerit, iuxta illud ipsum partus nascetur: Si enim multò plus fuerit debile semen, quàm fortius, superatur forte, & debili permixtum in fœminam transit: si verò plus fuerit fortis seminis quàm debilis, superatur debile, & in marem transit. Verùm quale tandem, & quid sit semen hoc, quod ἰσχυρότερον, idest fortius, & robustius ipse appellat, libello de Natura Pueri ab eo his verbis inuenio declaratum. Mouetur autem primùm masculus, quia fortior est quàm fœmella: & primùm quoq; conformatur masculus. Nam à crassiore & fortiore genitura fit. atq; eandem sententiam primo de Diæta repetitam, sed clarius ad finem eiusdem opusculi inuenimus. quo loco affirmat diuinus Senex in vtrum sinum vteri crassiorem & fortiorem geniturам ingredi contingat, illic masculum gigni; in vtrum verò rursus humidiorem, ac debiliorem, illic fœminam generari. At hinc latissimè patet fortius semen παχύτερον, idest crassius ab Hippocrate appellari, imbecillius verò humidius. Verùm crassius semen in proposito calidius

Cap. 8.

est, vt quarto de Animalium Ortu docet Præceptor, quia est magis concoctum; quæ enim concocta magis sunt, crassiora & calidiora euadunt, vt quarto Meteoron idem notat: humidius verò semen frigidius est; ex quò & citato quarto de Animalium Ortu scribit Philosophus, humidiora, & effeminatiora corpora fœminas potius gignere, & semina humida magis quàm spissa ob inopiam caloris naturalis. quamobrem frigiditatis, aut caliditatis superabundantia mas, vel fœmina ex Hippocratis sententia fœtus generabitur: quod etiam sensisse Aristotelem quarto de Animalium Ortu satis constat. cùm enim principium, quod in semine maris est, non superat, neq; concoquere potest propter caloris inopiam, neq; ducit in suam formam, sed tantisper superatur, vt ibi acutissimè Philosophus docet, mutari in contrarium necesse est: contrarium autem maris fœmina est, videlicet quà alterum mas, alterum fœmina est; quare fœmina oritur: nimirum cor actu primo excernitur, cui deest facultas concoquendi vltimi alimenti. causa nanq; ob quam hoc fœmina, illud mas est, in corde ipso, nempe in principio, & parte sita est, quæ originem continet caloris naturalis. Nec turbet nos, quod inquit Hippocrates, geniturам quoq; fœminas emittere; & masculas eam fœmineasq; vires habere; item & maris geniturам. etenim ipse tanquam sensatus artifex sensum secutus, genituræ nomine, à semine geniturам nō distinguēs (quod etiam in opusculo de Spermate Auerroes admonuit) mulierum semen intellexit; videlicet ipsa menstrua, vt in disputationibus nostris de Monstrifici fœtus formatione clarius ostendemus; quia menstrua, vt non semel docuit Aristoteles, semen sunt licèt inconcoctum: fœminamq; concurrere voluit ad maris quoq; generationem. quoniam materia, quam ipsa suppeditat, potest esse calidior, vel frigidior; nimia, aut pauca; ac proinde concoctu facilior, vel difficilior, vt tertio de Partibus Animalium perbellè docemur. neq; enim omnis materia æquè concoctu facilis est; atq; exuperantia, defectusq; duplex inuenitur, aut quantitate, aut qualitate, vt ibi pulchrè videmus explicatum. quod idem in mare quoq; euenit; cuius semen interdum seu copia caloris, seu inopia differt; vnde aliquando non superat, sed superatur, vt acutè quarto de Animalium Ortu ostendit Aristoteles; ex quò & Hippocrates masculam, & fœmineam geniturам marem

Cap. 2. Tex. 18. Cap. 2. Cap. 1. Cap. 5. Cap. 3.

rem quoq; emittere citatis locis eleganter protulit; materialiter tantùm maris semen considerans, caloris videlicet ratione, non virtutis formatricis in calore residentis, quæ sensitiuæ animæ ex Aristotelis sententia dat principium; quod subtilioris artificis, & philosophi est munus. quamobrem nulla est inter ipsum, & Aristotelem (quanquam ferè omnibus reclamantibus) vt nos alibi fusius ostendemus, hac in re dissensio. Si enim menstrua concoctu facilia fuerint, & quantitate moderata, fœminam masculam emisisse geniturani ex Hippocratis sententia dicendum erit; si contrario modo affecta, fęmineā; quòd idem de maris semine, si calorem insitū debilem habuerit, vel moderatum, erit asserendum.

Cap. 2.

Tex. 18.

Cap. 2.

Cap. 2.

Marem ocyus quàm fœminam articulari, & moueri secundum Hippocratem, & Aristotelem; & quam ob causam. De tempore articulationis, & motus vtriusq; variæ eorundem sententiæ.

Cap. 91.

IAm verò ex hac fœminæ temperatura factum est (vt secundum caput aggrediamur) vt longiori tempore fœmineus fœtus ad sui conformationem indigeat; quod Hippocrates opusculo de Natura Pueri his verbis clarissimè decreuit. Quòd autē fœmella posterius conformatur, ac coarticulatur, causa hæc est, quòd genitura fœminea debilior est, ac humidior, quàm mascula; & iuxta hanc rationem necesse est posterius conformari puellam, quàm masculum. quod etiam quarto de Animalium Ortu sic Aristoteles optimus Hippocraticę huius sententiæ interpres confirmauit. Hæc eadem causa est, ne fœminæ similiter atq; mares perficiantur in genere hominū; quippè cùm & intra parentem fęmina tempore longiore perficiatur, quàm mas. & mox. Sunt enim fœminæ sua natura debiliores, frigidioresq;, & sexum fœmineum quasi læsionem naturalem, & detrimentum esse putandum est. intus igitur tardè præ sua frigiditate discernuntur. hæc etenim discretio concoctio est, calor autem concoquit, & quod calidius, id concoctu facilius est. vt mirum sit quo modo Plinius contra tantos Præceptores septimo libro Naturalis Historiæ fœminas gigni celerius quàm mares scribere potuerit. Quanquam in hoc tempore statuendo maior fortasse inter Hippocratem, & Aristotelem videtur controuersia: etenim diuinus senex libello de Natura Pueri ita de re hac statuit. Atq; hæc mihi de hoc dicta sunt, & factus iam est puer, & ad hoc peruenit fœmella quidem in quadraginta & duobus diebus, vt longissimè primam coagmentationem, ac coarticulationem accipiens: masculus verò, vt longissimè in triginta diebus. Vt plurimum enim hoc tempore, aut paulò breuiore, aut paulò longiore, articulatio ipsis contingit. & paulò post. Hæc propterea produxi, vt ostenderem, quod in pueris membrorum discretio longissima contingit, in fœmella in quadraginta duobus diebus, in masculo in triginta. Argumento est purgatio à partu, quæ in fœmella fit in quadraginta duobus diebus, in masculo in triginta, vt tardissimè contingat. Repetam autem iterum eādem rem iisdem verbis maioris lucis, & declarationis gratia. Dico enim talionem rependi, quòd genituræ in vtero existenti paucissimus sanguis à matre in vterum venit, si fœmineam geniturani habeat in quadraginta duobus diebus: in his enim coarticulantur puerorum membra; ab hoc verò tempore copiosior sanguis venit. Et in masculo rursus iuxta rationem dierum triginta. Quòd verò hæc vera sint, etiam alterum testimonium adest hoc modo habens. Primis diebus vbi genitura in vteros illapsa est, paucissimus sanguis à muliere in vteros venit; deinde copiosior. Si enim aceruatim, & multus semel veniret, genitura spirationem habere non posset, sed sanguine multo accedente suffocaretur. Repēditur autem in purgatione vice versa: purgatio enim puerperij in primis diebus plurima procedit; deinde paucior, donec desinat. Multæ autem mulieres puerum masculum iam perdiderunt, paulò ante trigesimum diem, & inarticulatus apparuit. Qui verò posterius perditi sunt, aut in ipso trigesimo die, omnes articulati apparuerunt. In fœmella itidem iuxta rationem quadraginta duorum dierum habet. Nam vbi his absolutis perditur, articulatio membrorum apparet. Nam & secundum rationem, & necessitatem articulatio contingit in fœmella in diebus quadraginta duobus, in masculo in triginta. Testimonium enim præbent abortus puerorum, & à partu purgationes. Quod verò ad motum pertinet, ita eodem opusculo infra Hippocrates decernit. Quum itaq; extremitates corporis pueri foras ramos sparserint, & vngues, ac pili radices egerint, tunc iam etiam mouetur; & tempus ad hoc

Cap. 6.

Cap. 4.

Cap. 3.

» fit maſculo quidem menſes tres, fœmellæ
» verò quatuor. Sic enim vt plurimum con-
» tingit. Sunt autem aliqui pueri, qui an-
» te hoc tempus mouentur. Mouetur au-
» tem primùm maſculus, quia fortior eſt
» quàm fœmella; & primùm quoq; confor-
» matur maſculus. nam à fortiore & craſ-
» ſiore genitura fit. Quum autem mouetur
» fœtus, tunc ſanè lac indicationem ſui ma-
» tri præbet. Mammæ enim attolluntur, &
» papillæ gliſcunt, ac turgent, lac verò non
» prodit. Cæterum Ariſtoteles longè alios
& conformationis, & motus terminos vi-
detur ſtatuiſſe. nam ſeptimo de Hiſtoria
Cap. 3.
» Animalium ita ſcribit. Mares fœtus ma-
» gna ex parte circa quadrageſimum diem
» dextro potius latere mouentur: fœmellæ
» ſiniſtro circiter nonageſimum. Nihil ta-
» men certi in his affirmari licet. multis
» enim ferentibus fœminam, motus agitur
» in dextro; & contra in ſiniſtro gerenti-
» bus marem. Sed enim hæc, & reliqua hu-
» iuſcemodi, vt differunt, eò quò magna ex
» parte, & magis minuſuè accidit, ſic acce-
» pimus. Articulatur etiam fœtus hoc eo-
» dem tempore, cùm antea caruncula in-
» formis conſtaret. & mox. Mas qui qua-
» drageſimo die exierit, ſi in quoduis aliud
» mittatur, diffunditur, atq; aboletur.
» Sed ſi in aquam frigidam, cogitur, conſi-
» ſtitq; veluti in membranula; qua rupta fe-
» tus ipſe apparet magnitudine formicæ ma-
» iuſculæ; & membra iam inde diſcreta,
» tùm cætera omnia, tùm genitalia conſtant,
» & oculi, quemadmodum in cæteris ani-
» mantibus, prægrandes. Sed fœmina, quæ
» intra tertium menſem eruperit, indiſtin-
» cta eſt: quæ autem quartum adepta eſt
» menſem finditur. Hæc ille; ex cuius ora-
tione duplex inter ipſum & Hippocratem
apparet contrarietas; ſiquidem Hippocra-
tes diuerſa eſſe tempora conformationis,
& motus voluit; & marem trigeſimo con-
formari, & nonageſimo, ſcilicet menſe ter-
tio moueri; fœminam quadrageſimo ſecũ-
do articulari, quarto menſe motum habe-
re credidit. Ariſtoteles è contra idem eſ-
ſe conformationis, & motus tempus cen-
ſuit; & marem circa quadrageſimum di-
em articulationem, & motum ſortiri;
fœminam tertio exacto menſe, quarto
ineunte.

Variæ Hippocratis, & Ariſtotelis ſententiæ de tempore articulationis, & motus maris, ac fœminæ conciliantur. Item de quadruplici articulatione. Cap. 92.

VErùm ſi Hippocratis verba perpendamus, ſi, quæ alibi ſcripſit, accuratè conſideremus; item ſi articulationẽ ipſam, quam πλάσιν, σχέσιν πῆξιν, διάρθρωσιν, διάκρισιν, demum διακόσμισιν ipſe, ac poſt illum Ariſtoteles appellauit, variam eſſe, ac multiplicem, & varium quoq; motum, demum varia etiam articulationis, & motus tempora, vt ſecundo libro Valeſij opinionem enarrantes explicauimus; omnis funditus tolletur contradictio. Eſt igitur prima quædam articulatio, quam Hippocrates in libro de Principijs commemorat, quæ ſeptimo à conceptione die terminum habet; ac omnium prima eſt, & maximè rudem adhuc, malèq; indigeſtam molem repræſentat; de qua libro ſexto pauca quædam diſſeremus. hanc fortaſſe Ariſtoteles ſecundo de Ortu Animalium περιγραφὴν dixiſſe videtur, ſimilem primis pictorum lineamentis eam faciens. Item alia articulatio eſt, quam Hippocrates libello de Natura Pueri πρώτην πῆξιν, ideſt primam coagulationem, & conformationem appellauit verbis illis ſupra citatis.
Cap. 4.
» Fœmella qui-
» dem quadraginta, & duobus diebus pri-
» mam coarticulationem, & c. quam ideo fortaſſe primam dixit, quoniam inter perfectiores articulationes, & quæ diſtinctiorem partium effigiem nobis offerunt, primum in ordine locum tenet: atq; huiuſmodi articulationem in mare trigeſimo die, in fœmella quadrageſimo ſecundo fieri libello de Natura Pueri ſcripſit Hippocrates. Eſt autem & quædam alia paulò perfectior articulatio, quam doctrinæ gratia tertiam appellabimus: de qua ſic idem primo de
» Diæta verba fecit. οὐκ ἐν ἴσῳ δὲ χρόνῳ πάντα
» διακοσμέεται, ἀλλὰ τὰ μὲν θᾶσσον, τὰ δὲ βραδύ-
» τερον, ὅκως ἂν, καὶ τοῦ πυρὸς ἕκαστα τύχῃ, καὶ τῆς
» τροφῆς· τὰ μὲν οὖν ἐν τεσσαράκοντα καὶ τρισὶν ἡμέ-
» ρῃσιν ἴσχει· τὰ δ' ἐν τετραμήνῳ. quod eſt.
» Non autem in æquali temporis ſpatio om-
» nes fœtus exornantur; ſed alij citius, alij
» tardius, prout ſinguli & ignem, & alimẽ-
» tum fuerint nacti. Aliqui itaq; in quadra-
» ginta, ac tribus diebus ſcaturiunt, ac for-
» mantur, aliqui in quatuor menſibus.
quo loco verbum illud, ἴσχει, ſatis monſtrat, non ſolùm conformationem tempore illo fœtum recipere, ſed motum quoq; Hippocratem voluiſſe, quartumq; menſem inci-

incipientem scilicet, non expletum mea sententia oportet intelligere. Quin etiam & hoc alterum animaduertendum, Hippocratem, dum inquit pro ratione ignis, & alimenti varios hos terminos cõformationis fœtus habere, satis clarè ostendere, mares tanquam calidiores quadragesimo tertio, fœminas tanquam frigidiores tertio exacto, quarto ineunte mense articulari; quod quidem in opusculo de Septimestri Partu obscurius licèt indicauit, scribens die à cõceptione quadragesimo maris partes valde cõspicuas apparere, fęminæ verò carnes exortus solum, & processus habentes. Cùm igitur multæ, ac variæ sint apud Hippocratem articulationes, articulationumq; termini, postremam hanc de conformationis, & motus termino sententiam secutum fuisse Aristotelem, satis ex superioribus constat: itaq; nulla est dissensio; Philosophum enim nostrum numerum hũc Hippocraticæ formationis in mare, scilicet dierum triginta, in fœmina quadraginta agnouisse, ea fidem faciunt, quæ de purgationum temporibus disserit, & de tempore, in quo lac gigni incipit, ita scribens septimo Hist. (Cap. 3.) » Purgationes autem accedunt » plurimis, cùm conceperint ad tẽpus quod» dam; scilicet triginta dierum, maximè si » concepta fœmina est; quadraginta si mas. » A partu etiam purgationes eodem die» rum numero consequi volunt, quanquam » non ita diligenter eueniunt. At verò post » conceptum, & dies, quos modò dixi, non » item secundum naturam inferius agitur, » sed in vbera transitur, & lac efficitur. » cuius nota inter initia exiguo quodam, & » araneæ propemodum specie apparet in » mammis. quo loco, vt doctissimus Valesius in Sacra Philosophia animaduertit, (Cap. 18.) mendum est, ac pro quadraginta si mas, legendum est sine vlla dubitatione, triginta si mas; quod etiam sic Hippocrates li» bello de Natura Pueri definiuit. Nam & » purgatio fit à partu vt plurimum in fœmel» lis quidem diebus quadraginta & duobus » (atq; hæc tardissima est & perfecta) vaca» uerit autem periculo, etiam si viginti quin» q; diebus purgetur. In masculo verò pur» gatio fit diebus triginta: atq; hæc tardis» sima est & perfecta. quanquam fortasse lac gigni eo tempore, quo & motum Hippocrates voluit, vt ex illius verbis supra allatis patuit. Eademq; ratio de motu est; enimuero cùm dixit libello de Natura Pueri marem tertio mense, fœminam quarto exacto moueri, intellexit de fortiori & vehementiori quodam, sensibilioriq; motu, & perfectiori; cùm primo libro de Diæta alios quadragesimo tertio, scilicet mares ἴσχειν, idest impetum efficere, & moueri; alios quarto mense, videlicet incipiente, scilicet fœminas, de imbecilliori quodam, & obscuriori motu vnà cum Aristotele, & quasi palpitatione quadam intellexit. cùm alioqui, vt ipse libello de Natura Pueri, & de Alimento dixit; confirmauitq; septimo de Historia Animalium Aristoteles, & pluribus, & paucioribus diebus valeant & cõformationem, & motum fœtus adipisci; (Cap. 3.) vt nil possit nisi malè tutum, nisi id quod vt plurimum euenit respicias, hac de re affirmari; nilq; sit mirum, si varia Hippocrates scriptis mandauit. Est demum articulatio quarta, quæ vnà cum perfectione fœtus coincidit, & finitur; dicitq; & ipsa perfectionem, quam τελείωσιν passim vocat Aristoteles, vt suo loco superius monuimus, triplicem dari in fœtibus perfectionem ostendentes: quæ sanè articulatio omnimodam, & absolutam designat omnium membrorum absolutionem; quam fœtus, qui septimo mense natales sunt, tunc quidem, nec antea recipiunt; ac demum reliqui fœtus cùm primùm matri imminet tẽpus pariendi. quanquam hanc ipsam articulationem nonnulli partus præ sua imperfectione non expectent, quemadmodum superius abundè expositum fuit; quod in septimestribus patet euidenter. Hæc igitur de articulationum quatuor, vt ita loquar, speciebus ex Hippocrate & Aristotele; quarũ terminos ex superiori disputatione tales colligere licet. Primæ diem septimum à conceptione. Secundæ in mare diem trigesimum, in fęmina quadragesimum secundum. Tertiæ in mare diem quadragesimũ, in fœmina nonagesimum. Quartæ eundem ipsum ferè partus diem.

Quæ verè sit vltima articulatio secundum Aristotelem. quidam explicatur locus eiusdem.

Cap. 93.

IAm verò de vltima conformatione, atq; articulatione satis euidenter locutus est quarto de Animalium Ortu Aristoteles, (Cap. 8.) rationẽ reddens cur mense septimo lac vtile mulieribus fiat; quo loco eam πλάσιν vocat, eandẽq; cum τελειώσει facit verbis illis.
ου γὰρ ἔτι εἰς πλάσιν τοῦ ἐμβρύου γίγνεται ἡ τροφὴ, »
ἀλλὰ εἰς μικρὰν αὔξησιν, ὥσπερ ἑστηκὸς ἤδη, διὰ τὸ »
τέλος ἔχειν τὸ ἔμβρυον· ἔστι γὰρ τὶς καὶ κυήματος τελεί- »
ωσις· διόπερ ἐξέρχεται, καὶ μεταβάλλει τὴν γένεσιν, »
idest

» idest ex Theodoro. Nō enim insuper ad fę-
» tus informationem consumitur, sed ad e-
» xiguum incrementum, quasi iam fœtus
» constet adeptus finem suum: est enim con-
» ceptus aliqua perfectio. quamobrem exit,
» permutatq; generationem. Hæc ille; quo loco, si fœtus, cùm absoluta formatio est, & articulatio, finem suum adeptus est; cùm finem adeptus est, iam & τελείωσιν, idest perfectionem recipit, certum est fœtum ipsum articulationem simul, & perfectionē accipere; vt & articulatio perfectio esse videatur, vel si accuratius rem definire volumus, perfectio articulationis finis sit dicenda. & sanè sicuti in fœtu, qui septimestris est natura, articulatio hæc quarta, & perfectio septimo mense finem habet; quin potius in eorum nonnullis non omnino absoluta inuenitur, vt in illis, qui inchoatis meatibus narium, & aurium oriuntur; ex quò & non tàm perfectionem, quàm perfectionis principium dicūtur habere; ita & in aliis, quo mense iam maturi sunt, vt dicebamus, finem sortitur; proinde in fęmineo partu longissimos terminos ob causam supra ex Hippocrate allatam habet; quod etiā iā superius eo loco adductis verbis ex quarto de Animalium Ortu clarè docuit Aristoteles: vbi, vt in græco exemplari magis patet, idem ipsi sunt τελείωσις, & διάκρισις, idest perfectio, & articulatio, asserenti, non similiter, idest tempore non æquali, fœminam atq; marem intra parentem perfici, sed fœminam longiore; quia longiore tempore in vtero fœmineus fœtus discernatur, & conformetur; nimirum ob naturæ frigiditatem, vt ipse subdit; quia articulatio concoctio sit, calor autem sit, qui concoquit, & quod calidius est concoctu sit facilius; è contrario verò quod frigidius est, difficulter, & tēpore longiore recipiat concoctionem, ac proinde articulationem ipsam. quam profectò causam eleganter Hippocrates in superioribus innuit, dicens fœminam posterius articulari, quoniam ex debiliore, & humidiore materia constat; humidioris materiæ nomine frigidiorem etiam intelligens, sociam videlicet qualitatem, vt ex primo libro de Diæta patet. humidius nāq; semen minus crassum est, ideoq; concoctum minus, ac frigidius, vt quarto de Animalium Ortu docet Aristoteles. Est igitur articulationis huius finis fœtus ipsa perfectio, & maturitas, atq; ipsius partus principium; vt meritò superiori disputatione à nobis dictum fuerit, articulationem hanc perfectionem tertiam, vel tertium perfectionis gradum constituere. Nec obstat quòd superioribus verbis Philosophus innuere videatur, huiusmodi articulationem septimo mense finem recipere; cùm dicat superueniente septimo non amplius in formationem fœtus, quia adeptus sit suum finem, nutrimentum absumi, sed ad exiguum augmentum: quod quidem iis, quę posuimus, articulationem hanc cum partus cuiusq; tempore coincidere, ac septimestribus septimo, octomestribus octauo, nonomestribus nono accedere, mirificè aduersatur. siquidem Aristoteles eo loco nō intelligit huiusmodi articulationem, cùm ad septimum mensem ventum est, omnino feriari; sed quoniam deinceps natura, si partus octomestris sit, vel nonomestris, potius ac magis auctioni studet, quæ ad septimū vsq; in articulatione magis quàm in augmento fœtus laborauerat; idcirco post septimum nutrimētum ad auctionē facere, s. magis facere scribit: aduerbium n. ἔτι post hac, & in posterum hoc loco significat. Hanc verò veram esse huius loci interpretationem octauus liber plenius demonstrabit. Ac sanè articulationem hanc mense septimo non semper finem recipere, vel ipsi partus septimestres indicium faciunt; qui partibus nonnullis inarticulatis oriuntur: quod in his, qui diutius gestantur, magis locum habere est omnino necessarium.

Cap. 6.

Cap. 2.

Ostenditur Aristotelem tertiam articulationis speciem agnouisse. obscurissimus ipsius locus proponitur enarrandus. Cap. 94.

PORrò autem non solùm de hac postrema articulatione, sed de altera quoq;, quā nos tertiam appellamus, septimo Hist. locutum esse Aristotelem facilè ij concedent, qui ipsius verba percurrent non omnino oscitanter. enimuero ita scribit Philosophus eo loco. ὅτι δ᾽ ἂν ἐπιλάβῃ τοῦ τετάρτου »
μηνὸς, γίνεται ἐσχισμένον, καὶ διαταχέων λαμβάνει »
τὴν ἄλλην διάρθρωσιν. quod est ex Theodoro. »
Quæ autem quartum adepta est mensem »
finditur, & reliquam distinctionis effigiē »
breui tempore accipit. duplicem enim fa- »
cit, vt videmus, his verbis articulationem Aristoteles (quod superius nostrū dogma de quadruplici articulatione planè confirmat) primamq; σχίσιν vocat, idest rudiorem quandam conformationem; licèt non adeò rudem esse credendum sit, quēadmodum & eam, quam supra nos secundam appella-

Cap. 3.

pellauimus; alteram dicit ad prioris differentiam ἄλλην διάρθρωσιν, aliam scilicet articulationē, quæ absolutā, ac vltimā partium omniū articulationē cōprehendit; cùm scilicet fœtus perfectionē adeptus, iam maturus in lucē prodit. Verùm hic oritur difficillima dubitatio: inquit enim Aristoteles posteriorē hanc articulationē, quæ perfectionē dicit, ac maturitatē, & quā nos supra quartam, ac postremam appellabamus, διαταχέων, idest breui tempore, & celeriter fœminam recipere. At hoc & mendacissimum esse apparet, & superioribus mirificè aduersari; conclusum nanq; superius ab eo est, & definitum, fœminam longiore tempore in vtero manere, & articulari ob materiæ, ex qua fit, frigiditatem. Præterea sequitur hoc loco Philosophus sic, si verbum è verbo exprimamus. Cùm igitur omnem perfectionem partium fœmina tardius quàm mas recipiat, decimestres magis quàm mares fœminæ ęduntur. quibus in verbis perspicuum est, omnem eum articulationem comprehendere; primam videlicet, quam supra σχίσιν, idest figurationem dixit, & quarto ineunte mense fœmineum fœtum voluit recipere; & postremam, quam ἄλλην διάρθρωσιν, idest aliam articulationem vocitauit. Nam & ob id, vt ambas complecteretur, vsus est voce illa, omnem; quasi diceret omnem, scilicet tàm primam, quàm vltimam. At verò si fœmina tanquam ex frigidiore materia genita longiore tempore articulatur; si articulationem omnem tardius recipit, vt hoc loco dicitur; ergo nec breui tempore aliam potest accipere articulationem; & secundam quoq; (has enim articulationes hîc primam, & secundam clarioris doctrinæ gratia nominabo) debet tardius adipisci. quo modo igitur hanc secundam celerius illam accipere Aristoteles sine insigni falsitatis nota affirmare potuit? nam vtro modo intelligas falsa statim sentētia apparet. si enim articulationem hanc secundam breui tempore accipere fœminam inquit respectu prioris, id falsum omnino est: nam sic, si prima articulatio tertio exacto mense finitur; secundam (quia breuior sit) iam quinto finem suum habere oportebit. sed hoc modo fęmina breuiori potius tempore in vtero permanere omnino deberet, & breuiori articulari; cùm tamen contrarium ex his colligat Aristoteles; scilicet hac de causa & articulationem omnem partium tardius fœminas accipere, & propterea decimestres magis nasci. Quòd si eam breui tempore accipere fœminam dicit respectu similis, quæ in mare fit, articulationis; quia scilicet posteriorem articulationem fœmina citius quàm mas nanciscatur; mendacij pariter videtur Aristoteles condemnandus; quoniam scribit mox fœminas magis fieri decimestres, ac longiore tempore, vt superius vidimus, intra parētem permanere. quo quidem posito sequitur necessariò, tardius eas hanc quoq; posteriorem articulationem adipisci; vt nulla debuerit ratione Philosophus affirmare, reliquam hanc distinctionis effigiem breui fœminas tempore recipere; vel si id posuit, nullo modo concludere, decimestres magis eas nasci; proindeq; longiore tempore in vtero manere. Hæc igitur sunt, & ea quidem grauissima, quæ huic loco negotium facessunt; vt propterea quisq; facilè sibi persuadeat fortasse verba corrupta esse, ac loco διαταχέων, legendum esse διὰ βραδέως. quo pacto contraria sententia exprimetur; videlicet hanc quoq; postremā articulationem tardius fœminas accipere. quam quidem emendationem non solùm disputationis Aristotelicæ cursus videtur exposcere, sed & aduerbium, quod sequitur βραδύτερον, non leuiter indicare; quin etiam & verba quarti libri de Animalium Ortu, quibus omnem generaliter articulationem βραδέως fœminas recipere Philosophus concludit. Scribit enim sic eo loco. *Cap. 6.* ἔσω μὲν οὖν διακρίνεται διὰ τὴν ψυχρότητα βραδέως. idest intus igitur fœmina prę sua frigiditate tardius discernitur. quæ verba cùm, vt superius monuimus, articulationem vltimam maximè significent, quæ fœtui affert maturitatem, cogere nos videntur, vt dicamus, hâc etiam tardius à mulieribus recipi, Philosopum hoc loco asseruisse. Cæterum quoniam in Aristotele interpretando vulgatam, veteremq; lectionem, vt famam, caputq; nostrū defendere debemus; iam quo modo, si eam retineamus, nostra sententia Aristoteles ab oscitantia defendi possit, conemur sequenti capite aperire.

Vera Aristotelis mens enarratur; superius allatæ tolluntur difficultates. Item graues aliæ quædam mouentur dubitationes.

Cap. 95.

ARistoteles, vt superius probatū est, decimestre spatium perfectissimum esse pariendi tempus existimauit; intelligens cum præceptore Hippocrate; vt explicuimus, dierum 280. interuallum; quanquam

& par-

& partum toto decimo gestari, vndecimũq; attingere posse cum eodem Hippocrate arbitratus sit. Si igitur & articulationis terminos tùm in fœmina tùm in mare ab eo traditos, & partus perfectissimum limitem simul, ac longissimum ob oculos ponamus, veram fortasse abstrusissimi huius loci sententiam assequemur. Scribit diuinus vir, marem die 40. articulari, fœminam post tertium mensem; quod tempus clarioris doctrinæ gratia accipiamus nos dierum esse 97. ita vt diei post mensem tertium expletum septimæ hanc prærogatiuam meritò tribuamus. etenim mensi tertio iuxta tricenũm mensium rationem, quam Hippocratem, & Aristotelem secutos præsertim esse liber septimus demonstrabit, dies nonagesimus finem imponit. Hoc igitur posito, si vtranq; articulationem simul conferamus, maris videlicet, ac fęminæ, videbimus rectissimè à Philosopho scriptum esse, hanc in fœmina fieri tardiorem; quoniam finis articulationis huius in fęmina dies circiter 57. tardior accedat. itaq; tota difficultas circa aliam versabitur articulationem; quam simul cum maturitate finem habere dicebamus. Hæc autem in mare iuxta perfectissimi termini, temporisq; pariendi rationem, à die 40. fit ad diem 280. itaq; dies 240. videlicet menses tricenarios octo complectitur. quod sanè interuallum cùm in fœmina æquare non possit, etiam si postremo termino eam venire in lucem concedamus, expleto videlicet mense decimo; iure Aristoteles posteriorem, & aliam hanc articulationem διαταχέως, id est celerius, breuiorique tempore fœminas recipere quàm mares memoriæ tradidit. cùm enim articulatio hæc in fœmina à die 97. veniat computanda; ab hoc ad diem 300, qui mensem decimũ claudit, ac vltimum maturitatis, partusq; limitem, dies tantùm sunt 203. quod quidem spatium diebus 37. minus est eo interuallo, quod in mare hæc ipsa articulatio sibi adsciscit; quare & summè est veritati consentaneum quod scripsit Aristoteles, hanc in fœmina citius fieri. neq; enim posteriorem hanc articulationem cum priore in fœmina comparauit, sed in mare illam accepit; ac tempus contulit cum tempore; articulationem posteriorem fœminæ cum posteriore maris articulatione. Nec obstat huic nostræ interpretationi quod superius dicebamus, Philosophum asserere, articulationem omnem tardius fœminam recipere; quæ verba non priorem tantùm, sed posteriorem quoq; fieri tardiorem, videntur significare; enimuero sic possumus vocem illam, omnem, interpretari, vt eam ad articulationem vtranq; simul sumptam, & ad vtriusq; simul sumptæ tempus referamus. quo sensu, nemo est, qui non videat, verissimum esse, quia coarticulatio prior in fœmina longissimos habet terminos, vniuersam propterea articulationem simul sumptã tardius ipsam recipere oportere; tametsi posterior seorsim accepta breuior in ea quàm in mare esse videatur. vt meritò vtriusq; simul sumptę respectu conclusum, definitumq; ab Aristotele fuerit, quia articulatio tota longior fœminis aduenit, idcirco eas magis fieri decimestres. Verùm & pulcherrima rursus aduersus ea, quæ dicta sunt de articulatione, oritur difficultas: si enim articulatio prior in fœmina præ materiæ frigiditate longissimos habet terminos, cur & posterior eadem de causa simul etiam & longissimos habere non debet? Rursum si in mare prior articulatio longè breuior est, quare & posterior eandem non debet proportionem retinere? at hanc in ipso mare longè diuturniorem ex Aristotelis sententia ponebamus: quod quidem videtur absurdissimum, ac præter omnem rationem. cùm enim, vt passim ipse clamat, ex ijsdem nutriamur, ex quibus gignimur; eademq; sit generationis materia, ac nutritionis, & augmenti; quin etiam, & quòd magis est, tàm posterior, quàm prior articulatio generatio sit quædam; quoniam in posteriori quoq; partes fortasse aliquę generantur, at certè quæ in priore genitæ sunt, perficiuntur; si in mare articulatio prima ob materię cócoctionem, & caliditatem breuior est, necessariò eadem de causa debet & posterior celeriter perfici. etenim materia, quæ posteriori inseruit articulationi, quia marem generat, ac perficit, calidior, concoctior, demũq; priori quàmsimillima esse debet; itaq; citius, faciliusq; oportet eam superari. Ex contrario materia, ex qua fœmina gignitur, & qua in posteriori eius articulatione natura vtitur, quia fœminam producit, frigidior, & inconcoctior esse debet; proindeq; longiori tempore vinci eam ab agente causa est necesse. Huius igitur tàm dissimilis rei ratio non videtur philosophiæ studioso dissimulanda, ne tota corruat disputatio Præceptoris.

Supe-

Superiori capite allatæ dubitationes labefactantur. Cap. 96.

HAnc ego pulcherrimam, & difficillimam dubitationem non difficulter labefactari posse arbitror, si maris, ac fœminæ naturam, temperamentiq; differentiam animo versemur. cùm enim mas nonnisi ex materia maximè concocta, & calidiori conformetur; formatrix facultas in prima articulatione maris materiam hanc concoctam inueniens, & maximè paratam ab ipsa mulieris natura, minus temporis meritò absumit in ea efformanda. E contra cùm ex frigida, inconcoctaq; materia fœmina gignatur; in articulatione prima ipsius, in qua non solùm fœmina, sed animal quoq; effingitur; natura materiam maximè indispositam reperiens longè diuturnius tempus exposcit. In posteriori verò articulatione contrarium euenit; quoniam, cùm fœmina frigidioris sit temperamenti, menstrua quoq;, quæ accedunt ad illam tùm secundo conformādam, tùm augendam, minori indigent elaboratione, & concoctione: sunt enim temperamenti ratione similiora. è contra cùm mas calidioris sit temperamenti, menstrua, vt simillima reddantur, & apta tùm ad auctionem, tùm ad formationem, longè maiori egent concoctione: itaq; fit hac de causa, vt posterior articulatio in fœmina sit breuior quàm in mare. menstrua enim omnia, cùm plurimum habeant inutilis excrementi admixtum, vt primo, & secūdo de Animalium Ortu admonet Præceptor, naturaliter tendunt in frigiditatem; quare magis laborat natura in secunda articulatione, vt ad nutriendum, perficiendumq; marem reddat illa aptiora. Nec propterea sequitur in maris prima articulatione hac eadem de causa longius tempus absumi oportere; quoniam materia iam supponitur apta, ac disposita ad marē generandum, cæteroqui mas ex ea non oriretur; nec est necesse, quin etiam nec fieri facilè fortasse potest, vt postquam genitus mas est, menstrua, quæ deinceps accedunt, eandem retineant dispositionem. Rursus non sequitur in formatione prima fœminæ, quia frigidioris sit temperamenti, minori tempore opus esse, quoniam materia tanquam similior minori egeat concoctione, minusq; resistat, sicuti in secunda ipsius articulatione euenire dicebamus; enimuero non solùm fœmina effingitur, sed vt paulò supra dicebamus, animal quoq;, cuius vita, essentiaq; in calido, & humido consistit, conformatur; idcircoq; materia, quæ illud format, ac partes ipsius principales, magna eget cōcoctione, & quoniam in prima articulatione locum habet maximè propriè, & simpliciter generatio; eò quòd in ea cor actu excernatur, in cuius ortu animalis præsertim consistere generationem voluit Aristoteles, & insuper maximè principales aliæ partes generentur; proptereaq; secunda articulatio prioris respectu adgeneratio potius quædam esse videatur, & genitarum iam partium nutritio, & auctio; longè verò maius est sua natura opus generatio, quàm nutritio, & auctio, quoniam generatio de non esse ad esse producit, nutritio eius quod iam est, substantiam respicit, auctio quantitatem, vt secundo de Anima docemur; vnde & quod gignitur, ab alio gigni, cùm verò genitum est, se ipsum augere & loco memorato, & secundo de Animalium Ortu idem scribit: necessariò his omnibus de causis euenit, vt in primam fœminæ articulationem diutius formatrix virtus, ac natura incumbat, ac laboret. est enim materia illa non solùm in fœmineum sexum, sed etiam in viuens, ac animal formanda; quam temperamentorum repugnantiam acutissimè considerans Aristoteles, pulchrè notatū reliquit quarto de Animalium Ortu, fœmineum sexum læsionem quandam esse naturalem; eò quòd maris temperamentum cum ipso animalis temperamento longè magis conuenire videatur. in ortu nanq; fœminæ fœmineus sexus trahitur quodammodo ad perfectionem, & calorem; animalis verò temperamentum ferè à perfectione cadit, & caliditate; vnde & frigiditatem quandā induere videtur, proindeq; à rectissimo, ac perfectissimo tramite discedere: ex quò &, vt supra dicebamus, in hoc conceptu efformando menstrua materia in secunda ipsius articulatione aptior esse dicitur, ac minoris resistentiæ, temperamentoq; similior.

Tex. 47.

Cap. 1.

Cap. 6.

Alberti Magni, ac Suessani reijcitur interpretatio. Cap. 97.

SEd vt Philosophi occultissimam sententiam hanc aperiremus, in lucemq; proferremus, satis elaborauimus. cuius consilium cùm Albertus Magnus non perciperet, hac fortasse sententiarum repugnantia permotus, fœminas quasdam quinto men-

to mense articulationem recipere, & septimo nasci, Aristotelem dicere hoc loco putauit: atq; ita ipsius verba libro nono de Animalibus interpretatus est, nullum de eo, quod Philosophus dicit, fœminas magis nasci decimestres, verbum faciens.

Tract. 1. Cap. 3.

» Si autem fuerit (inquit) id, quod conceptum est, fœmina, & à vulua per abortum ceciderit ante tres menses, qui sunt 90. dies, inuenietur aborsus non figuratus: & si intrauerit quartum mensem, vel tres compleuerit, tunc inuenietur fœmina formata: & postquam formata est, velociter cōpletur ad vltimam formationem, in qua nascitur; quoniam humidum, postquam constare incipit, citius figuratur, & completur, quàm siccum spissum. Sic igitur patet quòd primum complementum fœminæ, quod est in prima figuratione, & distinctione membrorum ex semine concepto intra matricem, est post tempus completionis masculi, eò quòd in quadragesimo masculus, in nonagesimo autem die fœmina figurata inuenitur. Vltima autem completione, quia partus perficitur in quantitate, quædam fœminæ conceptæ nō complentur vsq; ad quinq; menses, & nascuntur forrè in septimo mense, vel post ipsum. Sed postquam natæ sunt fœminæ, citius crescunt & c. quem errorem secutus Suessanus in Commentarijs ita scriptū reliquit. Non enim fœmina citra nonaginta dies in abortu inuenta est figurata, & in membris distincta. Sed si tertium mēsem adimpleuerit, attingendo quartum, mox formatur; & cùm formata fuerit, celeriter quinto mense vltimam formationē accipit, qua nascitur; vt sit prima formatio mox post nonaginta dies, cùm quartus attingitur mensis. Vltima verò cùm quintus successerit. Post quem quiete in sexto mense acquisita, qua instauretur, septimo mense partus vitalis esse poterit. Tunc concludit differentiam inter marem, & fœminam quantum ad perfectionem, quæ fit tàm in vtero quàm extra vterum; asserens fœminas tardius perfici in matrum vteris, quàm mares, post ortum verò maturius adolescere. Verùm in his omnibus contrarietas maxima apparet: si enim quinto mense vltimam formationem & perfectionem recipit fœmina, qua nascitur; septimoq; iam vitalis est, quo modo tardius perfici in vtero possit, quàm mas, non video; vt prætercam, si quinto mēse vltimam perfectionem fœmina recipit, quinto mense eam naturę lege oriri oportere, quia, vt supra ex Aristotele docuimus, statim fœtus, postquam vltimam perfectionem adeptus est, vitalis in lucem prodit.

Hippocratis sententia ex secundo, & sexto Epidemicon de ocyore discretione, tardioreq; augmento fœtus quo modo intelligenda.

Cap. 98.

POrrò autem his ita cognitis, quid etiam ad tertium caput dicendum sit, satis patet: primùm enim quod Valesio solis videtur luce clarius, auctoritatem videlicet illam Hippocratis de incremento, quod in vtero fœtus recipit, esse intelligendam; Galeno medicorum post Hippocratem facilè principi de eo non liquet; siquidem ipse sexto Epidemicon ita verba enarrans Hippocratis scriptum reliquit. Dicitur autē in propositis verbis, quod citius cōcretum est, & constitutum est, hoc est cōpactum, & firmum factum est. Postea verò mas quàm fœmina tardius crescit. incrementum autem vtrum id, quod in vtero solùm fit, an quod à partu, dicat, in obscuro est. Sed illud verum est, quòd & à partu fœmina cùm velocius adolescit, tùm prius incrementum in ipsa finitur. quòd celerius augescat, corporis mollitudo in causa est; eiusmodi nanq; corpora in tres distantias longum scilicet, profundum, ac latum exporrecta facilè incrementum suscipiunt. Verùm quòd incrementum in ipsis prius, quàm in maribus desinat, ac finem habeat, non amplius ob corporis mollitudinem, sed propter imbecillitatem id accidit. atq; eandem sententiam Commētario septimo repetit; quod nuper inuentum, & à Rasario translatum, à Valgrisio diuulgatum fuit; si modò Galeno digna tota illa lucubratio est: de qua re & doctos viros meritò dubitare video, & ego quidem valde dubito. eius autem eo loco hæc sunt verba. Supra in secundo Commentario monuimus, mares in vtero citius conformari, hoc est quinto & trigesimo die, & sua membra distincta habere. cùm verò mouentur, & in lucem proferuntur, tardius augeri. Fœminas non item, sed contra potius; quòd in vtero tardius conformentur, & in lucem editæ facilius ad incrementum perducantur. hoc idem statui hoc loco mea fert opinio. Hæc ille; qui, vt videmus (quod & maximi momenti est, & maximè notandum) Hippocratis vocem illam, motus verò & c. exitum infantis interpretatur, ita scribens. Cum verò mouentur,

Com. 2. part. 44.

Aphor. 32.

uentur, & in lucem exeunt. At his locis patet etiam libentius Galenum in eam abire opinionem, vt de incremento extra vterum facto verba intelligantur; quin etiam & in huius rei causa adducenda ne minimũ quidem ab Aristotele discedere, qui libro quarto de Animalium Ortu intus præ sua frigiditate diutius fęminas cõformari scripsit, foris verò propter suam imbecillitatẽ citius ad ætatis florẽ, senectutemq; peruenire; eò quòd omnia minora, vt in artis operibus, sic in naturæ citius ad finem deueniant. quod etiam Theophrastus primo libro de Plantarum Causis confirmauit; quo ex loco suam Galenus sententiam sumpsisse omnino videtur; cùm in animalium genere, sed in homine præsertim facilius quàm mares fœminas augescere doceat ibi Theophrastus, quia natura humidiore, solutioreq; creantur. qui non propterea dissentit à Præceptore, addens imbecillitatem causã esse, ne satis quædam augescere possint; vt hac de causa fęmina, quia imbecilla sit Aristotele teste, difficilius recipere valeat augmentum; quandoquidem temperat ipse sententiam, dicens in plerisq;, non in omnibus id locum habere, vt aliam monstret in fœminis esse rationem. Sed quid quæso aliunde testimonia mendicare? non solùm enim Aristoteles optimus Hippocratis explanator paulò supra citato septimo Historiarum, & quarto de Animalium Ortu, ac post illum Galenus de incremento extra vterum intellexerunt, asserentes, fœminam in vtero longiore tempore permanere; cũ in lucem prodierit, ocyus quàm marem accrescere, & citius ad senectutem peruenire; sed ipsemet Hippocrates se ipsum explicans libello de Septimestri Partu, sic esse locum interpretandum demonstrauit; cuius hæc est oratio. Hoc autem tempore prętereito (primo scilicet dierũ quadragenario) fœtus fortiores sunt, & ipsorum corporis per singula mẽbra discretio fit: & masculorum quidem partes omnes valde conspicuè fiunt; fœmellæ verò in hoc tempus carnes apparent, exortus ac processus solùm habentes. similia enim longius tempus in simili sunt, & tardius discernuntur propter consuetudinem, & amicitiam. quanquam aliàs cùm à matre segregatæ fuerint, filiæ citius quàm filij pubescant, & sapiant, ac senescant propter corporum imbecillitatem, & diætam.

Cap. 6. — *Cap. 9.* — *Cap. 3. & 6.*

Hippocratis adducta auctoritas explicatur. Rursus de quadruplici articulatione nonnulla. Mercatus, Macrobius, Henricus reijciuntur.

Cap. 99.

HAec ille; quibus, qui non videt perspicuum fieri de incremento extra vterum ipsum intellexisse, cùm dixit, quod citius discretum est, tardius augeri; vt quod tardius discretum est, citius augeri itidem extra vterum intelligat, nihil videt. Ex quo etiam Hippocratis loco elicimus, quo modo intelligi debeat, quod ipse de fœmineo fœtu protulit, die scilicet quadragesimo articulari: de imperfecta enim, & secunda articulatione, vt supra diximus, intellexit, quam ἀποφυσιαν, idest rudia quędam, ac prima ferè lineamenta hoc loco vocat; atq; eiusmodi talem die trigesimo marem habere ipsum voluisse sentiendum est: vt iam hinc veritas sententiæ nostræ elucescat; nimirum Aristotelem, cùm dixit die quadragesimo marem articulari, fœminam nonagesimo, perfectioris articulationis terminos dedisse; quam nos clarioris intelligentiæ gratia tertiam appellauimus; vt longè aliter de formationis, articulationisq; temporibus quàm Ludouicus Mercatus faciat, ex Hippocratis, & Aristotelis mente sit decernendum. & quod magis est, Macrobius videatur penitus reijciendus, qui in primo libro de Somno Scipionis aduersus tantorum hominum auctoritatem, aduersus rationem ipsam marem diutius in vtero formari (quod & Plinium quoq; sensisse supra notauimus) his verbis statuit. Cùm autem nono mense absolutio futura est; si quidem fœmina fabricatur, sexta hebdomade iam membra diuidi; si masculus septima. Quo in errore versatur Henricus de Gandauo in Quodlibetis, vbi quærit, an beata Virgo in originali peccato concepta fuerit; Macrobij, vt arbitror, cuius hunc locum adducit, auctoritate permotus; tametsi paulò breuiores articulationis terminos statuere videatur; siquidem marem lõgiori tempore articulari perspicuè ponens ita scribit. Ista autem membrorum diuisione completa in vltimo instãti illius perficit totius corporis organizatio, & generatur forma corporeitatis humanæ, atq; anima rationalis creando à Deo infunditur, vt actus & perfectio illius extrema; à quo in vnione cum illo propter morbidã dispositionem fomitis contractam, anima rationalis in eodem instanti contrahit maculam peccati originalis, & concipitur in pecca-

Quodli. 15. Quæst. 13.

» peccato homo perfectus in forma humana
» formatus ex semine; & hoc 35. die à con-
» ceptu seminis nudi si sit fœmina; 42. si
» sit masculus. & hoc quia fortiori, & am-
» pliori digestione maturatur mas, quàm fę-
» mina. Hæc ille; & certè maximè mirum hominem in philosophia Aristotelis adeò versatum, in huiusmodi errorē esse lapsum; ignorasseq; apud Præceptorem, quod etiam omnium sapientum ore decantatur, marem, quia ex calidiori, magisq; concocta materia conformatur, non quidem fortiori, & ampliori digestione maturari, sed è contra faciliore, & breuiore: fœminā verò, quia ex concocta minus, & frigidiori, fortiori egere, & ampliori digestionē. Sed ad nostra redeamus. Quin etiam & hoc alterum hinc habemus, motum videlicet fœtui per id quoq; temporis innasci Hippocratem indicasse, cùm affirmauit, fœtus fieri præterito primo quadragenario fortiores. Demum & tertium notare possumus; nempe miram inter ipsum, & Aristotelem de causis ortus maris, & fœminæ consensionem; cùm, quam Hippocrates vocauit naturæ similitudinem, consuetudinem, & amicitiam, Aristoteles frigiditatem exposuerit: esse enim fœminas quàm mares frigidiores libro primo de Diæta Hippocrates quoq; his verbis fassus
» est. Ex omnibus autem masculi calidiores
» sunt, & sicciores, fœminæ verò humidio-
» res, ac frigidiores. Propterea quòd ab ini-
» tio vtriq; in talibus geniti sunt, & à tali-
» bus augescunt.

Magna quædam tollitur ex Hippocratis dictis contradictio, Cap. 100.

NEc tamen sibi ipsi diuinus Senex contradicit, quanquam libro primo de Morbis Mulierbribus, fœminam calidiorem sanguinem habere quàm virum, & propterea calidiorem esse affirmat: quando quidem, vt series ipsa disputationis ostendit, non pronunciat Hippocrates, fœminam simpliciter sanguinem calidiorem esse adeptam, quàm virum, ita vt absolutè sanguinem fœminæ velit esse calidiorem; sed sanguinem illum, qui coaceruatus in vtero ab ea non secedit, calidiorem esse scribit. Nam & hoc est, quod paulò infra di-
» cit. Neq; superincalescit à plenitudine. ex quibus satis fit perspicuum, de illius sententia plitoriam retenti sanguinis causam esse caloris; quia scilicet cùm non secedat, aliquo modo putrescit, & externa caliditate incalescit. quare Parmenidis, vel Democriti ibi non sequitur opinionem; tametsi id doctis viris placere video: enimuero qui fœminam calidiorem esse scripserunt, id ex sanguinis copia, & quantitate argumentati sunt, vt quarto de Animalium Ortu docet Aristoteles; vnde fœminam, quia plus sanguinis habeat, calidiorem quàm marem esse dixerunt; quasi æquè quoduis sanguinem esse posse arbitrantes, modo humidum sit, & calore cruentum, vt in illos inuehens acutè inquit Aristoteles. atqui Hippocrates qualitatis ratione non quantitatis sanguinem fœminæ calidiorem hic esse inquit; quamobrem si id absolutè affirmaret, rem mirificè à veritate alienam proferret; cùm nullus vnquam dixerit muliebrem sanguinem cum maris sanguine comparatum absolutè esse calidiorē; quod de tanto viro nefas est existimare. Quapropter cùm dicit: habet enim fœmina »
sanguinem calidiorem, intelligendum est, »
cùm scilicet retentus intra ipsam non secedit. Nam & hoc supra præfatus fuit verbis illis. Vbi corpus sanguine repletum »
fuerit; si non ab ipso secesserit, carnibus »
impletis, ac calefactis, calor oboritur. »
Vnde cùm subdit. Et propterea calidior »
est quàm vir. subaudiendum tunc videlicet temporis, vbi carnibus impletis, ac retento sanguine, ipse quidem sanguis non secedens propterea incalescit. Quamobrem nec sanguis fœminæ absolutè calidior erit, quàm viri sanguis; sed cùm id ei euenit; nec tunc quidem propria, sed adscititia caliditate calidior; atq; hæc fuit mens ibi diuini Senis. quam profectò interpretationem ipse comprobat libello de Natura Pueri Hippocrates, dum ita scribit.
Quando autem conturbatus, & secretus »
sanguis foras non procedit, sed in vteris »
manet, vteri autem non hiauerint; tunc »
sanè à sanguine diutius commorante vteri »
calescentes reliquo corpori calorem tran- »
smittunt. neq; enim communi fuga vti »
volumus philosopho homine indigna, vt statim dicamus libros illos non esse Hippocratis, in quibus aliquid inueniatur, quod aut contradictionis apparentiam habeat, aut aliquid afferat difficultatis. Nec turbat veritatem hanc quod Hippocrates loco memorato paulò supra fœminam dicat corpore esse rariorem, quasi calidiorem necessariò eam faciat, quia raritas sequatur caliditatem. Nam in ipsius schola raritas in muliere ab humiditate ortum ducit: ex quò & libello de Glandulis sic scriptum

Cap. 1.

legimus. Fœmina verò rara & laxa, & velut fluida tùm ad visum, tùm ad tactum. quare humiditatem non remittit, id quod est rarum & molle. atq; Aphorismo sexagesimo tertio quinti secti, si quis diligenter animum intẽdat, videbit raritatem pro humiditate, densitatem pro siccitate esse positas: quod quo pacto habeat veritatem, aliàs dabitur occasio differendi. Verùm, vt eo redeat, vnde aberrauit oratio, quod attinet ad eiusdem verba ad conformationem pertinentia; eo sensu, quem diximus, ipsa esse intelligenda, satis illa accuratè ponderantibus fit manifestum; ter enim in Epidemijs sententiam hanc ab eo repetitam inuenimus. primùm libro secundo tertia sectione, vbi sic legitur. ὅτι θᾶσσον κινηθὲν διακριθὲν, αὖθις αὔξεται, καὶ βραδύτερον. idest quod citius motum est, ac discretum, rursus augescit etiam tardius. Atqui hîc apertissimum est de postrema articulatione Hippocratem sermonem habere; quod vt ostenderet, eam post motum posuit; nam articulationes alias fœtum recipere ante motum, vel cum ipso motu Hippocratem voluisse, ex superioribus satis est manifestum. demum vltimam articulationem, quæ perfectionem dicit, fœtui post motum innasci, id etiam per se euidens, & clarum est. Secundo eadem hæc sexto Epidem. sect. secunda habentur; vbi sic legimus. ξυνεκρίθη σωμέση, ὀξύτερον κινηθὲν, ἐμωλύθη, καὶ βραδύτερον αὔξεται, καὶ ἐπὶ πλείω χρόνον, idest vt ego interpretor. Discretum & constitutum est citius, motum, perfectum est, & tardius augescit, temporeq; longiore. Quo loco verbum illud, ἐμωλύθη, maximam habet, indicãte etiam Galeno in Commentarijs, dubitationem, quo sensu sit accipiendum; vt ob id nonnulli veterum explanatorum è contextu duxerint expungendum. Ego tamen puto in propria significatione accipi non posse, prout μόλυνσιν, scilicet inquinationem dicit; de qua Aristoteles quarto Meteoron, & quarto de Animalium Ortu mentionem facit, & contraria elixationi est, atq; concoctioni. Nam hæc in generatione potius fœminæ locum habet; cùm alioqui Hippocrates omnium consensu de maris ortu sermonem habeat. quamobrem à Galeno discedens arbitror ἐμωλύθη dicere hic Hippocratem, quod à celeriori motu, mutationeq; desinens refrigeratum est; quod quidem euenire non potest, nisi cùm vltima articulatio finem habet: tunc enim formatrix virtus munere suo functa vires remittit; vnde quasi materia, ac fœtus refrigerari dicitur. quod si ita res est, iam ἐμωλύθη dicet hîc articulationem vltimam, & perfectionem, quam fœtus post motum adipiscitur, ac maturitatem; cùm videlicet nascit. Nam & propterea dixit antea, motũ est; & propterea subdit ἐμωλύθη, idest vt nos interpretati sumus, perfectũ est; igitur quæ sequuntur de incremento tardiori, nõ de illis, qui vtero geruntur, sed de editis iam in lucem intelligenda erunt. Tertio leguntur hæc eadem vltima sectione eiusdem operis, ijsdem omnino verbis, quibus & sectione tertia secundi explicata; vt nulla propterea egeant explanatione.

Tex. 14.
Cap. 7.

Valesij soluuntur rationes. Cap. 101.

AT verò Valesius (vt ex quatuor superius propositis quartum, ac postremum aggrediamur) locum hunc secundæ sectionis sexti libri explicans, eadem repetit; contenditq; de incremento quoq;, quod post motũ recipiũt in vtero infantes, Hippocratis esse sententiam. verùm non animaduertit post motum articulationem adhuc, & formationem vltimam fieri, quæ maturitatem, & perfectionem fœtui affert; incrementum verò, quod post hanc in vtero habent infantes, adeò esse exiguum, & breue, vt Aristoteles quarto de Animalium Ortu μίκραν αὔξησιν, idest exiguum incrementum illud appellauerit; ideoq; nullius esse momenti; cùm post perfectionem, ac post postremæ articulationis terminum, vel nullo, vel breuissimo tempore fœtus in vtero maneat: quamobrem ratio Valesij nulla; cùm vltima prægnationis parte festinare, augeriq; præproperè fœmina nõ possit, quoniam in vtero non datur incrementum sine articulatione, vt satis supra monstratum fuit; quare & tempora editus maribus, & fœminis eadem esse nequeunt; sed citius mares, tardius fœminas edi necesse est, nimirum vt verissimè scripsit Aristoteles, decimestres magis; ita vt fœmineus partus in plures decimi mensis dies incidat. vt mirum sit Cardanum virum alioqui subtilissimum hanc in Hippocratis, Aristotelisq; dictis non perspexisse veritatem; qui cum Valesio consentiens Contradicentium Medicorum libro primo apertè statuit, & Hippocratem non celerius marem fœmina nasci voluisse; & id ipsum sensisse quoq; Aristotelem. Nam de Hippocrate ita scribit. Ideo etiam Hippocrates sexto Epidemicon videns quòd masculus citius formatur, nec tamen celerius fœmina na-

Cap. 8.

Tract. 3.
contrad. 8.

na na-

» na nascitur, subiecit illa verba, quoniam » citius discretum, motum, tardius crescit » rursus, idest quantum acquisiuit masculus » crementi in formatione, tantum post mo- » tum amittit, tardius crescens. De ipso au- » tem Aristotele non multò post. Ad id Phi- » losophi quòd fœmina tardius formatur, ac » mouetur, ipsemet respondet per sequentia » verba. Et reliquam distinctionis effigiem » breui tempore accipit. quod etiam post » ortum obseruat: celerius enim masculis » fœminæ adolescunt: vnde in totum Hip- » pocrati Philosophus consentire videtur. Hæc enim omnia ab Hippocratis, Aristotelisq; mente longè esse dissentanea, iam satis superq; superiora docuerunt; experientiæ verò aduersari dies ipse, qui opinionum cõmenta delet, omnino probat; cùm sensuum fide experiamur, tardius fœmineos partus ex vtero excludi. Quod verò Valesius addit, se fœminas vidisse septimestres, id nihil officit. Nam aliquo modo & præter naturam, & raro id euenire certum est; quemadmodum cùm gemini mas & fœmina prodeunt in lucem: qui concursus, vt supra diximus, in humana specie ob maris & fœminæ temperamentorum differentiam, & contrarietatem præter naturã est, vt eleganter quarto de Animalium Ortu docuit Aristoteles; quoniam non ęquali, ac pari tempore articulationem recipiunt; ex quò necesse est aut marem cunctari, aut fœminam præuenire. quo rursus loco videmus articulationem dicere conformationem, & perfectionem vltimam; cùm scilicet fœtus iam maturus in lucem prodit. Itaq; cùm maturitatis celerioris, vel tardioris causa magnam habeat consensionem (quod ad hanc rem pertinet) cum ea causa, ob quam alterum mas, alterum fęmina oritur (quod primo de Diæta clarè docuit Hippocrates scribens, eadem de causa, scilicet prout singuli fœtus ignem, & alimentum nacti fuerint, non æquali tẽporis spatio eos articulari, neq; vitales, natalesq; fieri, sed alios citius, alios tardius; quanquam alia ratione hæc duo, vt septimo libro videbimus, non parum inter se differant) iure fœminæ valde præter naturam esse censetur, vt septimestris maturescat; quia naturaliter ex materia frigidiori constat, quæ tardius articulationem, recipit & maturitatem. quamobrem necesse est, vt contra temperamenti rationem ex materia ad caliditatem maximè declinante conformata sit, cùm septimo mẽse in lucem prodit, non secus ac fœmina interdum gignitur maris referens naturã; quod nõnisi peruersa natura euenire, pulchrè octauo de Historia Animalium docuit Aristoteles; sicuti & è contra mares, qui fœminarum naturam referant, aliquando oriuntur. quare Valesius nullo pacto audiendus est, qui verba secundi Epidemion sectione tertia enarrans, causam tardioris fœminarum articulationis in humiditatem earum referre studet.

Cap. 6. — Cap. 2.

Valesij de causa tardioris articulationis in fœmineo partu sententia affertur, & redarguitur. Cap. 102.

VAlesij autem hæc sunt verba. Causam » verò huius necesse est esse in differẽ- » tia temperamentorum vtriusq; sexus. Ni- » mirum muliebria corpora sunt humidiora, » & frigidiora, maximèq; oportet talia fuis- » se principia, ex quibus sint genita. Hu- » midum verò difficilè recipit figuram pro- » priam. Ergo Embrio humidior tardius re- » cipiet figuram, ac proinde etiam animam. » Et mox. Ergo corpus muliebre, quia hu- » midius, tardius recipit figuram & motum; » atq; hac ipsa causa citius crescit; quia quæ » humida, facilius quàm sicca dilatantur, » dum est calor, qui id facere possit. quod » idem in Sacra Philosophia sic repetit. Hu- » midiora verò principia ineptiora sunt ad » recipiendam figurã propriam, quàm siccio- » ra; frigidiora verò quàm calidiora ineptio- » ra sunt ad motum: necesse est ergo fœmi- » næ quàm mares tardius accipiant figuram, » & moueantur: non tamen proinde & tar- » dius edantur in lucem, sed eisdem tempo- » ribus, quibus mares: quia quantò tardi- » us accipiunt figuram & mouentur, tantò » postquam formatæ sunt, citius veniunt ad » incrementum. Hæc ille; cui tamen animaduertendum erat, humidum licèt difficilè recipiat figuram propriam, facilè tamen alienam admittere; humidoq;, quod in menstruis est & materia, quatenus tali, figuram, quam recipit, esse alienam non propriam; quoniam, vt aliquando dicebat D. Thomas, per multas generationes, & corruptiones ad vltimam peruenitur hominis formationem; proindeq; articulationem potius quantum est meritò sui pręproperam reddere. est enim humiditas, vt quarto Meteoron elucet, concoctionis materia, & ex consequenti articulationis; & cùm terminatum fuerit humidum sicco, vt eodem opere dicitur, operantibus actiuis, concoctio facta est, & perfectio, maturitasq;

Cap. 18. — Tex. 17.

rasq; aduenit. atqui humidum quatenus tale non est calido contrarium, vnde non potest terminationem impedire; quod maximè esse veritati consentaneum supra satis ostendimus de septimestrium temperamento ex Aristotelis, Auerroisq; sententia disputantes qui humoris ratione citius maturitatem nanciscuntur. Causa igitur tardioris in fœmina articulationis ipsa est frigiditas Hippocrate teste & Aristotele, quæ actioni caloris reluctatur; & idcirco conformationem reddit tardiorem. est enim articulatio concoctio quædam, vt ex quarto de Ortu Animalium non semel collegimus; at concoctio est perfectio à proprio, & naturali calido ex oppositis passiuis, vt quarto Meteoron habemus; quamobrem cum frigiditas calorem impedit, ac obtundit, necessariò concoctio, ac proinde articulatio retardatur. vt meritò hinc argumentum sumens Aristoteles verissimè dixerit, fœminas, quia materia, ex qua formantur, frigida est, tardius articulari; quia tardius articulantur, perficiunturq;, decimestres magis nasci. Verùm quanquam fœminæ præter naturam magis est, quàm mari, vt nascatur septimestris, est nihilominus masculo quoq; fœtui aliquo modo præter naturam, seu vt verius loquar, naturale minus ob causas supra allatas, vt septimo mense oriatur: neq; enim eduntur septimestres, vt supra diximus, nisi humor, & calor valde superet; at si calor nimis vincit, aut deficit, vt secundo de Animalium Ortu docet Aristoteles, rem, quæ fit, aut deteriorem efficit, aut læsam, aut mancam: moderatione enim rei propria opus est, vt idē eiusdem operis quarto perbellè admonet. Nam omnia, quæ vel natura, vel arte efficiuntur, ratione aliqua fiunt; & medij rationem ad rem condendam seruari requiritur; alioquin, vt in ijs, quæ igne coquuntur, plus ignis deurit, minus non coquit, ac euenit vtrinq;, ne quod agitur perficiatur; sic in maturitate humani partus moderatione opus est, à qua cùm deflectant septimestres, meritò minus secundum naturam existimantur; adeò vt septimo gigni minus etiam masculo fœtui congruat, qui cùm perfectissimus sit, perfectissimo tempore oriri exposcit.

Cap. 6.

Tex. 14.

Cap. 4.

Cap. 2.

Duo sacrarum literarum loca explicantur.

Cap. 103.

SEd hactenus de re hac, atq; de Aristotelis opinione, quæ, nisi fallor, fusissimè pro virili à nobis explicata fuit. cùm alioqui nō me lateat quā difficile sit de articulationis maris, ac fœminæ tēporibus suū iudicium interponere; vt propterea vigesima prima Tertij Princeps Cardano Contradicentium Medicorum libro primo referente hac de re ita scripserit. Determinatio autem masculi, & fœminæ in distinctione spatij est res, quam quædam pars Medicorū iudicat audacter, & stultè. quanquam si hæc ipsa, quæ disseruimus, memoria teneamus, aditus nobis ad pleraq; difficillima loca explicanda facillimos dabūt; quorum enodatio maximos viros & iam pridem torsit, & adhuc etiam torquet. quod duorum sacri eloquij locorum exemplo satis erit in præsentia docuisse. Pungit illud non leuiter Sacræ Theologiæ professores, quod de Hieremia circumfertur. Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de ventre, sanctificaui te. cùm enim, vt D. Thomas inter cæteros tertio Sentent. pulchrè animaduertit, totū id non sit consentaneum intelligere de notitia, qua bonos, & malos Deus cognoscit; eò quòd ex hac nulla prærogatiua ostenderetur Hieremiæ, ad quem dicta verba proferuntur; sed de notitia approbationis veniat intelligendum; quæ bonorum tantùm est, & eorum, qui gratiam habent; ne cogatur D. Thomas confiteri, ante formationem Hieremiam fuisse sanctificatum, atq; ex consequenti ante animationem; quia, vt constans Patrum sententia est, anima nō infunditur à Deo nisi formato puerperio; inquit notitiam approbationis, etsi tantùm sit habentium gratiam, non tamen esse eorum solùm quando gratiam habent, sed ab æterno; ideo huiusmodi notitiam potuisse Hieremiæ esse ante animationem, sed non tamen sanctificationē; quę nihilominus esse potuit ante egressionem ex vtero; propterea; tempus notitiæ, & sanctificationis in scriptura distingui. Hæc D. Thomas; quæ quidem tanquam grauiter dicta & admiror, & veneror; sed si, vt multis placet, ipsaq; verba indicant; atq;, vt omnia planiora sint, notitiam, & sanctificationem coincidere hoc loco simul dicere velimus; adeò vt quo tempore nouisse eum inquit Dominus, eo & sanctificasse illum asseramus; quasi notitia hic nil aliud, quàm sanctificationē sonare videatur, vel certè ad hanc ipsam referri debeat; ijs receptis, quæ de quadruplici articulatione diximus, facile erit hūc nodum expedire. Anima enim post dies quadraginta, & secunda peracta articulatione,

Tract. 1. Cap. 7.

Dist. 3. quæ. 1. in resp. ad primam quæstiunculā.

tione, vel ad summum tertia, vt in fœmina, infunditur, atq; ante quartam articulationem; quæ & formationem perfectam terminat, & maturitatem fœtui affert, ac tempus partus. Quartæ igitur huius articulationis respectu dictum esse Hieremiæ, priusquam te formarem in vtero noui te, nemo est qui non videat; proinde additum est, & antequam exires de ventre sanctificaui te: quarta enim hæc articulatio tempus adducit vtero exeundi. quare & quo tempore nouit eum Dominus, eũdem sanctificauit: nouit enim vt sanctificaret; nouitq; illum, priusquam formaret; scilicet priusquam peracta esset postrema articulatio; quo tempore fœtus nondum absolutè formatus est, & nondum vtero egredi potest. Alter locus est, ac longè difficilior Ioan. primo, vbi Ioannes Baptista de Christo Domino inquit. Ipse est, qui post me vẽturus est, qui ante me factus est. in quo quidem loco explicando Patrum variæ sententiæ, quas non est modò consilium expendere, eius magnam ostendunt difficultatem; cùm difficile sit videre, quo modo Christus ante Ioannem factus esse potuerit, qui tanquam Deus ab æterno genitus, non factus, & sic ante illum; tanquam homo factus postea est, quia & conceptus, & natus sit post Ioannem. At si animaduertamus articulationem quartã non ante mẽsem septimum finem habere; ex communi verò Patrum sententia Dominum nostrum in instanti suæ conceptionis perfectè secundum omnem articulationem formatum fuisse; illumq; Beatissimam Virginem sexto grauidationis Elizabeth mẽse concepisse: nam & sic apud Beatum Lucam Angelus docuit. Et ecce Elizabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis; omnia aperta erunt. cùm verè Ioannes Baptista ante se Christum factum fuisse, idest formatum dicere potuerit; quia antequam ipse perfectè formatus esset, scilicet sexto suæ gestationis mense, in instanti Dominus perfectè formatus, factusq; fuit in Beatissimæ Virginis vtero. Habet enim græcum exemplar ἔμπροσθέν μου γέγονεν. quare sine dubio de generatione loquitur, ac formatione.

Adducit Philopponi & Auerrois opinio; quæ supra ex Aristotele de mẽse octauo dicta sunt Auerrois auctoritate comprobatur. Cap. 104.

IAm verò Philosophi exposita opinione, solutisq; dubitationibus, Auerrois ipsius auctoritate, nos verum sensum in ea explicanda attigisse, operepræcium erit demõstrare: quando ex Græcis nullus alius præter Philopponum, & Ephesium hos Aristotelis libros enarrauerit; & ipsi quidem ieiunè admodum. qui tamen Philopponus, licèt locum hunc quarti libri non explicet, vbi de multiplici partus tempore agit Aristoteles, mensem nihilominus octauum in Commentarijs super sexto capite facit omnino naturalem, sed tamen fœminei partus vult esse proprium; scribens perfici mares, & maturescere mense septimo, vel nono, fœminas octauo, vel decimo; eiusq; oratio ita habet, vt ego interpretor. Quod dicitur, solutio est cuiusdam dubitationis; dubitauerat nanq; cur fœminæ, & mares in vtero existentes non similiter perficiantur, sed mares septimo, vel nono mense, fœminæ octauo, vel decimo; ex quò & velocius mares in vtero perficiuntur, & fœminæ tardius. Ipse verò Auerroes, sicuti fuit summus in reliquis Aristotelis sectator, ita & hac in re maximè, ni fallor, videtur mihi ipsius mentem assecutus. ex cuius etiam disputatione elucet, maximè illud cum ratione consentire, quod supra dicebamus, fœtus per se, ac sua natura octomestres omnino superstites esse, ac vitales; octomestres per accidens non vitales. Auerroes igitur in sua Paraphrasi super quartum librum de Animalium Ortu quæstionem hanc tractans, cùm sumpsisset insitum esse homini à natura, vt diuersa tempora habeat vteri ferendi; ac propterea & septimo, & plerunq; nono, & aliquando octauo, vt cum eo loquamur, naturaliter fœminam edere partum posse (qua loquendi formula, sæpè videlicet nono, aliquando octauo, septimo nec sæpè nec aliquando, sed medio quodammodo nasci hominem dicens, satis hoc loco probat, quod superius monuimus de horum mensium conditionibus, & natura) cùm inquam id sumpsisset, ac præfatus esset; quasi causam allaturus, cur octauo mense, sicut supra posuerat, aliquando gignatur fœtus, sed non adeò frequenter vt septimo & nono, & quod in idẽ redit, dixeratq; Aristoteles, cur vitalis quidẽ, sed minus quàm reliqui partus, octomestris oriatur; ita incipit dubitare, & soluere dubitationem. Causa autem, ob quam nati in septimo mense, & in nono viuunt, in octauo verò raro viuunt, quamuis plus in vtero maneant, quã natus in septimo, est, quia, quod in septimo

» mo nascitur, est multæ caliditatis, & humi-
» ditatis; & perficitur eius figura, nasciturq;
» in hoc tempore, quod est minus tempus, in
» quo possit perfici figura hominis. Sed qui
» in nono nascitur, minoré habet caliditaté,
» & humiditatem, quam nati in septimo: &
» ideo perficitur eius creatio in tempore lõ-
» giori. Nato tamen in octauo tempus id nõ
» est sibi naturale, sed naturale tempus eius
» est nonus mensis: accelerauit tamen exitum
» propter aliquod accidens. aut eius tem-
» pus erat septimus, & tardauit exitum pro-
» pter aliquod accidens; et ideo vt in plu-
» ribus non viuit. Hæc ille; ex quo loco
quis est, qui non videat, partum, qui octauo periclitatur, ideo de illius sententia periclitari, quia octauus mensis est illi intempestiuus, & vt ipse apertè inquit, tempus non naturale? quamobrem partus nõ per se, sed per accidens tantùm octomestres non vitales facit Auerroes. fœtus, n. natura septimestris, vel nonomestris, aut properando editum, aut remorando ob aliquod accidens, in octauo si nascatur meritò emoriturus in lucem erumpit, vt superius vidimus. atqui Auerroes partus in octauo editi, quem vt plurimum non viuere inquit, tempus naturale, aut nonũ mésem, aut septimum fuisse dicit; itaq; explicatio nostra mirificè cum eo consentit. Quòd verò partum per se octomestré vitalem ipse faciat, nec minus ferè quàm septimo editum, vel nono, verba quæ sequuntur, id latissimè probant, faciũtq; testatissimum; quibus etiam explicatius aperit, quo modo per accidens fieri partus octomestris posstit; atq; hæc est Auerrois oratio. Quia
» natus in octauo est de necessitate vnius
» trium dispositionum, scilicet vel quòd est
» complexionis nati in septimo, aut nati in
» nono, aut complexionis mediæ inter sep-
» timum & nonum; vt iam euidenter id ap-
» paret. Si igitur eius complexio est septi-
» mi, contingit ipsum tardare vsq; ad oc-
» tauum propter aliquod accidentale, &
» non est natus secundum naturalem vsum.
» Similiter si eius complexio est noni, festi-
» nauit exitum propter rem accidentalem;
» quòd si eius complexio fuerit media inter
» ista duo, tunc talis partus in tali hora erit
» naturalis; & si ita res se habuerit, viuet, vt
» viuunt nati in nono & in septimo; & ideo
» non nascuntur secundum naturam nisi nati
» in septimo, & in nono. Hæc Auerroes;
quibus nesciò an clarius dicere potuerit, partum, qui mediam temperaturam inter septimum, & nonum nactus fuerit, idest qui sua natura & per se sit octomestris, atq; ex tali materia conformatus, quæ octauo mense maturescat, hunc inquam partum omnino esse vitalem, ac superstitem, non minus quàm septimestrem, vel nonomestrem.

Auerrois adducta verba vocantur in dubium.
Cap. 105.

VErùm obiecerit aliquis, postrema verba illa. Et ideo non nascuntur se- »
cundum naturã, nisi nati in septimo, & »
nono. quæ valde concisa obscuritatis plu- »
rimum videntur continere, huic nostræ interpretationi magnoperè aduersari; siquidem affirmans Auerroes eos tantùm secundum naturam nasci, qui septimo, & nono eduntur in lucem, videtur manifestè octomestres reijcere; propterea quòd qui octauo promuntur, pręter naturam nasci videãtur, vtpotè octauo editi, non septimo aut nono mense, quibus tantùm mensibus nasci partus secundum naturam videtur Auerroes asserere; ex quò & in hunc modum aliquis argumentari posset. Partus illi, qui nascuntur secundum naturam, sunt vitales; at septimestres, & nonomestres tantùm nascuntur secundum naturam; ergo septimestres tantùm, & nonomestres sunt vitales. maior clara est: partus enim præter naturam editus viuere nequit; minorem Auerrois cõprobat auctoritas perspicuè asserentis, non nasci secundum naturam, nisi qui septimo, & nono oriuntur. Augetur difficultas mirum in modum, quoniam si totum Auerrois discursum mentis acie cõtemplemur, id ipsum videtur nos docere;
etenim sumpserat ipse causam inuestigan- «
dam, ob quam nati in septimo, & nono vi- «
uunt, in octauo raro viuunt, quanquàm «
temporis ratione magis quàm septimestres «
vitales esse deberent, cùm diutius in vtero permaneant. Huius igitur rei causam huiusmodi ipsum afferre, aliquis fortasse existimare posset; quòd septimestris ex materia calidiori, & humidiori formatur, quæ dari possit in humana specie: si enim calo-
ris gradus, ac humoris augeretur, nil ex «
ipsa vt inepta ad generationem hominis, «
oriri posset; quod ex eo videtur Auerroes probasse, quod dicit, mensem septimum esse breuissimum temporis limitem, in quo possit perfici figura humana: ergo septimestris ex valde humida, & calida materia effingetur; videlicet ex tali, quæ breuiori tempore, quod esse posit, egeat ad sui forma-

mationem. quòd si remittantur huiusmodi qualitates, tunc fœtus nascetur nono mense; quia qui in nono nascitur, vt ipse inquit, minorem habet caliditatem, & humiditatem, quàm natus in septimo. cùm igitur, si materia calidissima sit, & humidissima oriatur temperamentum septimestris; si minus fiat calida, & humida nonomestris; sequitur quòd octauo genitus sit omnino præter naturam, tanquam ortus ex materia, quæ septimo, vel nono naturaliter maturitatem recipiat; atq; tota, vt patet, vis rationis huius in hoc posita videtur, quòd quantacunq; fiat remissio illarũ qualitatum, oriri videtur nonomestris temperamentum; quasi fieri nequeat, vt adeò pauca fiat illarum qualitatum remissio, vt temperamentum medium, videlicet octomestris, valeat oriri; scilicet materia redd atur adeò temperata, vt octauo maturescere, & figuram recipere debeat, ac perfectionem. qua ratione Fracastorius, ac pleriq; aliorum vsi sunt ad octomestrium probandam infelicitatem. atq; huc tendunt, quę subiungit Auerroes, octauo mense editum tempore non naturali oriri, quia partus hic vel septimestris natura erat, vel nonomestris, idcircoq; vt plurimum nõ viuere. Itaq; auctoritas hæc, ratioq; Auerrois mirificè erit nobis infensa; quam tamen pro nostra positione maximè pugnare ponebamus, vt ipsa allata grauiorem plagam recepisse videamur, quàm intulisse.

Allatæ superius difficultates diluuntur. Auerrois mens vberius explicatur. Cap. 106.

AT verò licèt hæc omnia ambiguitatem aliquam afferre videantur; attamen experiundum, quid ex Auerrois verbis elici queat. Respondemus igitur ipsum cum nostra consentire opinione, si accuratè eius consilium animaduertamus; huiusmodiq; verba rectè intellecta nihil nobis aduersari. quod facilè confitebimur, si, quæ ex Aristotele superius adduximus de octaui mensis natura consideremus; quæ omnia pulchrè hic Auerroes attingit. Posuerat igitur ipse paulò supra partum sæpius fieri in nono, sæpè minus septimo, minus octauo. Sic enim scripsit. Nam aliquæ fœminæ septimo pariunt mense, sed plerunq; in nono, aliquando verò in octauo. at hic tria pariẽdi tempora Auerroem percensere iuxta triplicem naturæ rationem, quæ in homine reperitur, vnipari, paucipari, ac multipari animalis, satis constat; item nonum perfectissimum tempus efficere (noni nomine decimum etiam intelligens) mox septimum, postremo loco octauum tanquam reliquis imperfectiorem collocare; nam & hoc est, quod paulò post subdit, octauo genitos raro viuere verbis illis. Causa autem, ob quam nati in septimo mense, & in nono viuunt, in octauo raro viuunt, quamuis plus in vtero maneant & c. voluit enim dicere, illud respiciẽs quod dixit Aristoteles octauo genitos minus viuere, octomestres partus esse minus frequentes, minusq; perfectos, cùm ex illis plures periclitentur, ex septimestribus verò, sicut ex nonomestribus, plures superuiuant; tametsi & septimestres quoq; sint nonomestribus imperfectiores. Hoc igitur est, cuius causam Auerroes profitetur adducere; cur scilicet octomestres partus sint nonomestribus rariores, item & septimestribus, ac imperfectiores, tametsi diutius in vtero permaneant: quam certè affert mirificè dogmatibus Pręceptoris consentaneam. Inquit ergo, quia septimestris multæ sit caliditatis, & humiditatis, ideo esse octomestri perfectiorem, ac magis vitalem; cùm enim huiusmodi temperamentum homini maximè sit propriũ, ab eoq; homo habeat, vt sit multiparum animal; multiparo autem animali breuius tempus conueniat, ab hoc ipsoq; temperamento deficiat octomestris; iure septimestris, quanquam breuiori tempore gestatus, octomestri perfectior, ac magis homini secundum naturam; iure octomestris septimestri rarior; iure septimestris in minori tempore, in quo possit perfici figura humana, perficitur: quæ omnia clarè significat in contextu Auerroes. Item de nonomestri inquit, quòd sit longè minoris caliditatis, quàm septimestris, ideoq; longiori tempore formetur; quibus docet nonum mensem homini, quatenus est vniparum animal, ideoq; tempus maturitatis longius exposcit, conuenire; quod & nomestrem octomestri esse longè perfectiorem probat. Verùm quoniam octomestris tãquã intermedius extremorũ cõditiones aliquo modo participat, ideoq; partus est omnino naturalis, tametsi minus; propterea, vt id doceret Auerroes, de complexionibus aggreditur egregiè disputandũ; ostendens, si mediam hanc complexionem assequatur octauo genitus, tunc omnino oriri vitalem. quo etiam loco opportunè de octomestribus per accidens differit, cõsiderans situs ratione septimi, ac noni mẽsis

sis incommoda octauum participare; qua de re supra copiosè disputauimus. His positis, cur dixerit non nasci secundum naturam, nisi natos in septimo & nono, meridiano sole clarius apparet; voluit enim dicere hos partus maximè esse secundum naturam octauo comparatos, quia & caloris, & humoris ratione, & magnitudinis oriantur, quæ maximè naturæ humanæ cõgruunt; octomestres verò, vt qui ab his causis deficiant, illorum respectu præter naturam nasci, idest imperfectionis aliquid habere, vt ex Aristotele abundè superiori disputatione explicuimus: quod tamẽ rectè intellectum, non ob id octauo genitos non vitales partus, & non naturales efficere demonstrauimus. itaq; nil sententiæ nostræ verba Auerrois illa obesse poterint: quo quidem sensu exposita non ad proximè antecedentia referuntur, sed accipiuntur tanquam conclusio superioris totius disputationis. Nec fortasse quis longè aberraret, si hæc ipsa referens ad proximè antecedentia de complexionibus disputata, diceret sententiam esse, ideo non nasci secundum naturam, nisi natos in septimo, & in nono, quia septimestris, & nonomestris non sunt inter duo tempora ęquè ferè naturalia. vt octomestris; vnde nõ possunt, vel certè lõge minus, partũ edere alterius cõplexionis, sicuti octauus, ideoq; nec partũ pręter naturã habẽt. quare sensus erit, octauo partus nasci secũdũ naturã, & præter naturam; septimo, ac nono secundum naturam tantùm, non præter naturam, ideo non nasci secundum naturam, scilicet secundum naturam tantùm, nisi natos in septimo, ac nono. Hinc verò apertissimè colligi causam ab ipso allatam, cur octomestres minus sint vitales, quàm septimestres, non eo niti fundamento, quòd materiæ calor, & humor non possit adeò parum remitti, quin transeant in temperationem nonomestrem, adeò vt media illa complexio, quam octomestres affectant, oriri nequeat, omnibus arbitror esse apertissimũ: quæ quidem ratio, vt notum est, mirificè claudicat; cùm & posse materiam in mediam transire dispositionem, naturalis ratio suadeat, & latè supra à nobis sit ostensum, & ipse etiam Auerroes clarè hoc loco fateatur mediam ponens complexionem, & sæpè etiam pro menstruorum, ac genituræ varia temperatione transire eam sit necesse.

Quæ superiori capite dicta sunt, plenius comprobantur. Item Auerrois de ægrotatione octomestrium sententia explicatur.

Cap. 107.

PORrò autem hanc veram esse loci huius alioqui obscurissimi interpretationẽ, satis ex eo elucet, quòd si aliter Auerroem intelligas, sententiamq; sequaris superiorem, ipse sibi mea quidem sententia non constabit; vt iam sibimetipsi paucis verbis fœdissimè videatur aduersari. esto enim octauo editum semper esse oportere partũ præter naturam; ergo nunquam viuere poterit, non solùm raro; ergo nunquam poterit esse partus naturalis. atqui ipse Auerroes viuere octauo mense editum licèt raro asserit; causamq; adducit, cùm mediam dispositionem, ac temperationem sortitus fuerit; quæ, quia raro locum habet, idest rarius quàm septimestrium, & nonomestrium temperatio, ideo rarius gignitur, ac viuit octomestris; quam dispositionem octomestres per se facere nos dicebamus. Item cùm recipit dispositionem hãc, dicit Auerroes, partum esse naturalem, nec minus vitalem, quàm septimestrem, ac nonomestrem; igitur octomestris partus aliquando erit secundũ naturam; quæ omnia cum superioribus maximè pugnant priori recepta interpretatione. Hæc est Auerrois opinio dogmatibus peripateticis mirum in modum consentanea; de quo illud etiã nõ videtur prætermittendum, ipsum Auerroem ægrotantium somnia, & deliria arbitrari, quæ passim à multis afferũtur ex scholis astronomicis de fœtus ægrotatione in octauo mense, & imbecillitate: ita enim de re hac ipse scribit. » Id autem, quod sunt opinati Astronomi, quòd » contingit natum proculdubio ægrotare in » octauo, est quid vanum; cùm ipsa ægritu» do non sit quid naturale, quod accidat » cuilibet nato. Intelligit nanq; Auerroes de imbecillitate, quam fœtum octauo mẽse ob Saturni dominium, & malignitatem contrahere dicunt: aut etiam de ea, quam ob motum septimo mense editum fœtum adoriri pleriq; existimant; rem hanc valida admodum argumentatione, & efficaci mea quidem sentẽtia redarguens, dum inquit ægritudinem ipsam non esse quid naturale, quod accidat cuilibet nato, videlicet octauo mense. quo loco naturale intelligit, ac vocat, non quidem quod solemus dicere à natura intentum; quasi neget ægritudinem illam non esse quid natura-

turale, quia non fit à natura intenta; quandoquidem nullam hoc habet difficultatem, cùm nemo sit, qui ignoret ægritudinem, ac mortem primò à natura non intendi: sed naturale dicit, quod alicui ex naturali, & substantiali ipsius constitutione cötingit; quo sensu & ægritudinem, & mortem, & corruptionem naturalem esse, & ab Aristotele appellari, ideoq; cunctis animalibus, & hominibus communem libro nono aduersus Baldum disputantes demonstrabimus; & quo sensu isti ægritudinem hanc omnibus octomestribus esse communem, & naturalem videntur affirmare. nam & propterea infert Auerroes, si esset ægritudo hæc quid naturale, fore, vt accideret cuilibet nato, cunctis videlicet octomestribus; siquidem hoc pacto illis ex naturali, & substantiali ipsorum constitutione, & quatenus octomestres sunt, conueniret: quæ quidem verba siue experientia probent, siue doceant ratione mirificè cogunt. Enimuero siue dicat Auerroes, ęgritudinem hãc non esse accidens quoddam naturale omnibus, qui vtero geruntur, octomestribus congruens; eò quòd nullus octauo mense genitus sic viuere posset: cùm alioqui vitales aliqui, ac superstites reperiãtur. siue dicat partum hunc rem esse naturalem, ægritudinem verò hanc præter naturam; ideoq; non posse, nec debere omnibus esse communem, neq; in omnibus octomestribus locum habere, verùm in aliquibus tantùm ob aliquod accidens; sufficienter monstrat, nisi fallor, hanc eandem ægritudinem earum non esse virium, vt octomestres omnes adoriatur; ac idcirco periclitari omnes necessariò faciat. qua in re, vt octauo libro præsertim ostendemus, cum Hippocrate mirificè consentit; qui nequaquam censuit, tametsi communis ferè opinio contrarium sentiat, fœtus omnes octauo mense ægrotare. vt prætercam si vanũ esse Auerroes inquit, quod opinantur Astrologi, fœtum octauo mense proculdubio ægrotare; satis ipsum hoc loquendi modo ostendere, se hanc ipsam ægritudinẽ tanquam commentitium aliquid, & quod locum in natura non habeat, neq; vllam certitudinem, reijcere: neq; enim quid vanum esse posset, si vires interdum aliquas haberet, atq; in rerum natura existeret. Cæterum hactenus modò de Aristotelis, & Auerrois opinione: illud tantùm memoria repetendum, quod superius dicebamus; ex illorum principijs nobis aditum parari, vt grauissimos auctores tueamur, ac ad bonũ sensum redigamus, qui palàm videntur pronunciasse, octomestres partus non esse vitales, nec vitæ compotes fieri posse: dicere nanq; possumus, de ijs, qui per accidens sunt octomestres, eos sermonẽ habuisse; quam interpretationem si non admittant, statim ruant necesse est omnia illorũ fundamenta, claudicent omnes rationes; eorum præsertim, qui Aristotelis doctrinam profitentur. quod nos in Magno Alberto insigni Aristotelis inter latinos interprete, ac sectatore, vt ab hoc vno discamus omnes, planum sequenti capite facere aggredimur.

Alberti Magni opinio expenditur, atq; nisi cum Aristotele consentiat, quàm facilè ipsius dogmata ruant demonstratur. Eorum sententia redarguitur, qui fœtum septimo mense exitum tentare dicunt. Cap. 108.

SCribit Magnus Albertus libro nono de Animalibus de genitis octauo mense in hanc sententiam. Aliquando autem accidit, quòd quidam nati in octauo mense suprauiuunt. Nati in octauo proculdubio ad exitum mouentur in septimo: sed quia debiles sunt, post motum quiescunt, & in octauo viribus non recuperatis descendũt, & nascuntur, & ideo raro viuunt; sed si remanerent in vtero per circulum vnum lunæ, reciperent vires, & iuuarentur ad exitum in nono: & tunc superuiuere possent. Dicunt tamen aliqui, quòd in partibus Aegypti, quæ sunt partes calidæ & humidæ, & multum sunt ibi mulieres viragines, & vigorosæ, multæ in octauo mẽse pariunt, & superuiuunt: & hoc rarum, & mirabile est valde: ibi enim pariunt mulieres ad octo menses, & viuunt filij. Dicitur etiam quod in partibus regionis, quã vocãt Adekil, saluantur nati in octauo mẽse. Eodem sensu loquitur libro decimo his verbis. Rarissimè enim contingit, quòd partus statim exeat, quando exitum desiderat. & non contingit nisi in eo, cuius creationis principia sunt fortissima; propter quòd natus in octauo desiderauit exitum in septimo, & præpeditus est debilitate: & tunc inordinatè se mouendo quasi lucta inordinata exiuit in octauo. Sed natus in nono desiderauit exitum in septimo, & fortè non soluebatur ab vtero, sed præpeditus quieuit; & confortatus per octauum virtute iam reuersa exiuit in nono, & ideo optimè saluatur talis.

Tract. 4. Cap. 1.

Tract. 2. Cap. 4.

Tract. 1. Cap. 2.

Demùm libro decimo octauo locum Philosophi enarrans ex quarto de Animalium Ortu, vbi dictum est, octomestres viuere, licèt minus, huic eidem sententiæ subscribit ita loquens. Natus autem in octauo frequenter moritur, & huius causa scitur ex his, quæ præmisimus in hac scientia: perfectè enim in præhabitis locuti sumus, & hoc sufficit intentioni præsenti. Cæterum si de octomestribus per accidens non loquitur, quid quæso magni Magnus Albertus affert? quod enim primo loco ait natum in octauo ad exitum omnino moueri in septimo, declaratione eget, haberq; multas cautiones. aut enim qui in octauo editur, ex materia constat octomestri, scilicet tali sua natura, vt mense octauo perficiatur; & hic, vt supra tetigimus, fusiusq; octauo libro ostendemus, nullum in septimo ad exitum motum edit; quod Alberti sectatores facilè nobis concedere debent, cùm ipse partum septimestrem nō antea, scilicet mense sexto, sed eodem septimo, cùm primùm illi exeundum est, motum hunc velit efficere; quod superioribus verbis satis clarè innuit, dum asserit, fœtum illum tantùm, cuius creationis principia sint fortissima (qualem ipse ponit esse septimestrem) tunc exire, cùm tentat exitum, & desiderat: enimuero si hic partus, quem robustissimum, & fortissimæ creationis esse inquit, huiusmodi motum non antea facit, sed eo momento, quo est oriturus; cur & octomestris id facere non poterit, longè secundum Albertum imbecillior? qui enim minores habet vires, minus exitum desiderare est necesse. aut materia est nonomestris, sed tamen septimo naturæ errore ad exitum mouetur: aut demum septimestris natura est, quæ suo tempore exitum tentat, sed præ imbecillitate exire nequit. Si dicamus primum, iam claret partum illum esse per se octomestrem, & nullam à motu in septimo edito, quia nullum edit, noxam recipere. Si secundum, ac tertium accipiamus, nulla est dissensio; eiusmodi nanq; tales tanquam per accidens octomestres, nos quoq; minimè vitales esse cum Aristotele, & Auerroe fatemur. Verùm quia sententia Alberti videtur esse, naturalis partus rationem ita fieri, vt fœtus omnis semper, aut plerunq; exitum tentet in septimo mense; & si validus est, exeat etiam tunc, & seruetur; si non est validus, non antea quàm nono possit vitalis edi; ob idq; si exeat octauo, raro fieri vitæ compotem; idcirco dicimus, si id sentit Albertus, ipsum profectò (si de tanto viro ita loqui fas est) hac sua opinione longè & ab ipsa ratione, experientiaq;, & ab Hippocrate, & Aristotele discedere. enimuero primùm qui octauo mense imbecillitatem vllam contrahunt, aut ægritudinem, non per vnum circulum lunæ, videlicet per dies ferè triginta, sed per dies quadraginta, vt Hippocrati placuit, in vtero manere debent, vt à morbo recreentur. Deinde quo modo vllam potest habere firmitatem in natura, quod ipse dicit, fœtum omnem in septimo ad exitum moueri. ita nanq; sequeretur naturam ipsam in partu vt plurimum suo fine frustrari; cùm fœtus ille conatus plerunq; irritus reddatur, quoniam maxima fœtuum pars nono mense, vel decimo promitur in lucem. quamobrem nullatenus videtur asserendum, fœtū in septimo exitum naturaliter tentare, qui octauo, aut nono est nasciturus. dirigitur enim à natura, quæ nihil incassum operatur, sed omnia suo tempore.

Quòd fœtus ad exitum non moueatur septimo mense, plenius monstratur. Alberti opinio fusius enarratur. Cap. 109.

PRæterea id ipsum experientiæ aduersatur, & Aristoteli; experientiæ quidem, quia mulieres, si nullum incommodum patiantur, nullum etiam sentiunt motum in septimo maiorem quàm in sexto, vel etiam quinto, si partus fuerit natura nonomestris: Aristoteli, quoniam superius naturalem nonomestris, vel, vt verius loquamur, decimestris partus ex eo explicauimus rationem experientiæ consentaneam; nimirum cùm naturaliter nono fętus edi debet, dehiscere vterum mulieri octauo, & partum descendere; vnde motus hic ad exitū in octauo potius, non in septimo percipitur; si motus huius ad exitum nomine, hunc fœtus descensum volumus intelligere. si enim motum hunc cōuersionem partus in caput, mox calcitratum, ac alias eiusmodi motiones esse velimus; quas facit ruptis pelliculis, ac membranis fœtus, dum vinculis exoluitur, & foras procedit; aut saltem conatum quendam ipsius, qui dirigente natura ad hunc finem tendit; iam diximus, hos motus eò tantùm tempore contingere, quo fœtus in lucem est exiturus; vt talis motus ad exitum eo tantùm mense, immò & die, & hora, ad quam partus instat, efficiatur. Sicuti enim fieri nequit, vt na-

ſcatur naturaliter cuiuſq; animalis partus,
» niſi κατὰ τοὺς οἰκείους χρόνους, ideſt temporibus proprijs, & à natura præſtitutis, vt
Cap. 4. eleganter quarto de Animalium Ortu monuit Ariſtoteles, ita & motus hi ad exitum nō niſi proprijs temporibus poſſunt naturaliter euenire. Rurſus quo modo ſi motus hic vel ſemper, vel plerunq; fieret in ſeptimo, mulieres ipſas lateret? cùm enim adeò validus ſit, vt interimere fœtum valeat præ imbecillitate, niſi octauo menſe quieſcendo vires reſtauret, maximè eſſe ſenſibilem oporteret: adeò quòd non ſolùm à mulieribus perciperetur, ſed etiam ex fatigatione, & imbecillitate fœtus oporteret parentes ipſas ægrius degere. Verùm interrogentur mulieres, quæ nono menſe pepererunt; audiemus nullum talem in ſeptimo motum eas ſenſiſſe. Adhuc ſi hoc demus Alberto, difficile eſt etiam fingere, vt tantam fœtus ob motum hunc acquirat imbecillitatem, vt ſi naſcatur in octauo, idcirco debeat interire; præſertim ſi integrè conformatus fuerit, & benè viuidus ſua natura; experiuntur enim mulieres, fœtus in vtero, poſtquam moueri cæperint, ſingulis menſibus, quin etiam ſingulis diebus crebris motibus agitari, & præſertim magis, quo magis tempus imminet pariendi; vnde & hoc etiam nonomeſtres deberet enecare. Poſtremo qua probat Albertus ratione ſeptimo genitos eodem ſeptimo, octauo in lucem venientes, ac nono, ſeptimo ad exitum moueri? cur enim ſi ſeptimo editus ipſo ſeptimo hunc exitum tentat, octauo genitus octauo, nonomeſtris ipſo nono illum non tentabit? vel ſi octomeſtris ſeptimo, cur & nonomeſtris octauo moueri ad exitum non poteſt, ac debet? decimeſtris nono? Quæ autem ſecundo loco ab eo dicuntur, eiuſdem ſunt farinæ; dicimus .n. nos, ſi rariſsimè partus exit, quando exitū deſiderat; igitur rariſsimè finem conſequitur, quod à naturæ operibus eſt alieniſsimum. ſi octauo menſe genitus, & quod magis eſt, nono, conatum in ſeptimo fecerit; ergo irritus conatus ille. at natura nihil agit fruſtra. quamobrem arbitror ego, eos omnes cum natura iniquius agere, qui naturale eſſe fœtui ſtatuunt, vt ante tempus ei præſtitutum exire conetur: meminiſſe enim oportet, nos ſuperius ex Hippocratis mente, & Ariſtotelis ſtatuiſſe, veram cauſam partus fœtus eſſe maturitatem; atq; hanc cauſam eſſe conatus omnis ad exitum, & motionis; vt iam ſi cùm maturus fœtus eſt, partus imminet; cùm autem mouetur ad exitum, eſt maturus; neceſſariò cùm mouetur ad exitum partus immineat. Interea tamen diligenter animaduertendum in Alberti oratione, ipſum non omnes octomeſtres repudiare; quin potius apertè concedere, poſſe aliquando hos partus ſuperuiuere; vt qui pauciores ſeruari, vt plurimum verò locis noſtris intermori exiſtimauerit: quod explicās Philoſophi verba quarti de Animalium Ortu apertè dicit. Item & illa notanda ſunt, quę adiungit, in Aegypto multas mulieres octauo parere fœtus, qui ſuperuiuant; quibus è contra locis illis plures ſeruari, pauciores perire ponit; id ob regionis calorem, & humorem, mulierumq; robur contingere credens; quod idem & in terra Adekil euenire ſcribit. quanqnam nulla fortaſſe ratio eſt, vt id rarum vocet, & mirabile valde; cùm id quod fit vt plurimum, & locis pluribus, non poſsit non eſſe naturale; quod naturale eſt, nec rarum, nec mirabile in Præceptoris ſchola dici queat; vt potius quod alicubi plures moriantur, rarum, ac mirabile hac de cauſa videatur exiſtimandum. in qua etiam Alberti diſputatione hoc notandū diligēter, ipſum Albertum Ariſtotelis verbis coactum, quibus octauo genitos viuere, licèt minus, vidit eum affirmare; illud omnino admittere, quod ſuperioribus libris videbatur vel negaſſe, vel certè ęgrè conceſſiſſe; videlicet aliquos octomeſtres naturaliter vita potiri, nec omnes penitus, vt communis opinio eſt, naſci interituros; nam & hoc eſt quod inquit, Et hoc ſufficit præſenti intentioni. » dicere nanq; voluit; vt Ariſtotelis vera appareat oratio, octauo genitos viuere aſſerentis, ſufficit ſi ponamus, non ſemper, ſed tantùm frequenter eos mori & ſic aliquos octomeſtres ſuperuiuere. quod locis noſtris, & in Græcia locum habere Albertus intellexit; cùm in Aegypto, ac in terra Adekil frequenter viuere, non quidem mori octauo prodeuntes ipſe affirmet: per terram Adekil Babylonē intelligens, Aſſyriam, ac Meſopotamiam. vt iam Alberti teſtimonio haſce alteras regiones præter Aegyptum, & Hiſpaniam maximè octomeſtrium vitæ fauere intelligamus. Enimuero, vt dixit mihi Bernardinus Baldus vir omnibus artibus, ac diſciplinis ornatus, & quem vnum hodie Patria noſtra ob ſummam tùm bonarum artium, tùm præſertim linguarum cognitionem admiratur, cum quo de huius vocis interpretatione quàmcupidiſsimè egi, Geneſeos ſecundo habemus nomen

tertij

tertij fluminis, à quo Paradisus irrrigabatur, fuisse Hidekel; quod quidem sacræ litteræ dicunt ad orientalem partem Assyriæ cursum tenuisse, & Hieronymus ac Septuaginta interpretantur Tigrim; qui fluuius iam dictas alluit regiones : vt non fuerit difficile in Arabicis scriptis; quæ erant Alberto familiaria, & ex hebraicis emanarũt, pro Hidekel, Adekil irrepsisse; cùm Arabes, dum hebraica vocabula vsurpant, sæpissimè luxare ea soleant. ac de Auerroe, & Alberto hactenus. Videor equidem iam omnem de octomestris partus natura disputationem planam ex Aristotele fecisse; vt cõmodum sit sermonem, ne perpetuitate sit grauis, intercidere : itaq; tertio huic libro finem imponam : cui mox (ne qua vana intelligentia irrepat) quartus, & quintus accedent, qui plenè, cumulatèq; edisserunt eas omnes difficultates, quæ ad locorum pertinent ortus, partus, vitæq; animalium respectu differẽtias. qua quidem grauissima explicata quæstione liquidò constabit, quid nam ad scribendum Aristotelem impulerit, octauo genitos in Aegypto magis, in Gręcia minus superuiuere.

FINIS TERTII LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA.

LIBER QVARTVS.

Quid sit in hoc quarto libro disputandum. Loca quantum valeant ad vitam, partum, fœcunditatem animalium ex Aristotelis sententia. Cap. I.

DICEBAMVS præcedenti libro, ex duodecim propositis in eo dubitationibus septem posteriores ad loca ipsa, ad locorumq; differentias pertinere: quærebatur namq; præsertim in illis quid causæ sit, quòd locorum differentiam in octauo tantùm mense, ac partu octomestri Philosophus consideret; cur tres illæ causæ multipara scilicet, ac prolifica mulierum natura; commoda ad exactum tempus vteri gestatio; fœtus tametsi monstrosi aliquid, ac præter naturam in se habentis salus, & conseruatio; in Aegypto, locisq; similibus octauo genitos vitales reddant; an hæc in regionibus nostris locum habeant; & quæ sit hac in re inter Aegyptum, & Græciam differentia: tandem quid locus conferat, & quâ concurrat ratione ad vitam partui impertiendam. quorum omnium vt veritatem attingamus, locorum naturam nobis esse perspectam oportere, nemo est, qui nō videat. Itaq; hac de re nobis est disputatio aggredienda, cui quartum hunc librum, ac simul etiam & quintum dedicauimus, vt de ea plenè, cumulatèq; verba faceremus: maluimus enim in hanc partem errare, vt quæ etiam non desiderarent lectores audirent, quàm quicquam, quod opus est, prætermittatur. In hac autem quęstione pertractanda, vt varias, diuersasq; diuersorum locorum vires cognoscamus, cogimur necessariò de temporum anni varia pro locorum diuersitate temperatione, & quod in idem redit, de regionum, climatumq; varijs temperamentis disputare; quod hoc libro quarto præsertim agemus; cùm nulla alia via, quā faciat inter Aegyptum, & Græciam Philosophus differentiam, attingere valeamus; quauè impulsus ratione scripserit in Aegypto octomestrium plures superuiuere, in Græcia pauciores: quæ quidem omnia grauissima sunt, & explicatu difficillima. Sequemur autem præsertim ducem sapientûm Hippocratem, qui in libro de Aere, Aquis, & Locis his de rebus videtur vberiora tradidisse; cum quo principem litterarum Aristotelem quoq; consentire ostendemus, nec tamen actum agimus; cùm, nisi horum placita penè impudenter deserere velimus, necesse nobis sit ab alijs, qui ante nos hanc prouinciam susceperunt, toto, vt aiunt, cœlo dissentire; longèq; alia via tantæ rei veritatem indagare; prætérquàm quòd eò diligentius hæc sunt nobis ventilanda, quòd & aduersariorum continent Achillem; qui ex hac, quam inter Aegyptum, & Græciam facit Aristoteles, differentia, se colligere profitentur, octomestres partus nullo modo esse vitales. Ac si longior quidem fuerit oratio, cum rei vtilitate disputationis longitudo compensetur. Quantum igitur ad partus generationem, maturitatem, cæteramq; corporis felicitatem, ac vitam locus posit, non est facilè explicare; tàm multa enim potest, vt ferè omnia posse videatur; cùm nonnulla sint loca, in quibus tùm stirpium, tùm animalium pleraq; & celerius gigni, & vberius, & commodius comperiantur: alia, in quibus è contra infelicissimè producātur, & degant: alia demum, in quibus neq; etiam gigni valeant, aut, si modò gignuntur, superuiuere. vt rectissimè proditum in Isagog. à philosopho Porphyrio videatur, locum generationis esse principium nō secus ac patrem; principiū inquam & causam in genere efficientis, tametsi tantùm per accidens, tāquam coadiuuans ad generationem, & conseruans, vt subtilissimus vir Scotus in Quæst. animaduertit. quod totum secum ipse reputans Aristoteles, ita libro quinto de Animalium Historia de locorum potestate disseruit. Deniq; latere, inquit, non decet, vt stirpium, & quadrupedum animantium generi plurimum interesse ex regione, non solùm ad cæteram corporis felicitatem, sed etiam ad coitum, partumq; ampliorem; sic in piscium quoq; ratione locis ipsis discrimen plurimum oritur,

Cap. II.

» tur, nõ ad magnitudinẽ tantùm, habitumq;
» vegetiorem, verùm ad coitum etiam &
» partum: vt eadem alibi pluries generent,
» alibi minus. Quod etiam eiusdem operis
Cap. 28. octauo clarius explicauit, apertissimè pronuncians locorum diuersitate insignem omnino oriri inter animalia differentiam; cùm, vt nonnullis gigni penitus aliqua nequeunt, sic alijs generentur quidem, sed pauciora, & vita breuiore, nec prospera. vt nil sit mirum, si libro septimo octomestrium plures in Aegypto superuiuere, in Græcia pauciores monimentis mandasse videatur; de qua quidem regione
Cap. 28. Græciæ respectu sic eodem octauo libro disputauit: In Aegypto, inquit, aliqua
» maiora quàm in Græcia fiunt, vt boues, &
» oues: aliqua minora, vt canes, lupi, le-
» pores, vulpes, corui, accipitres; aliqua
» magnitudine pari, vt cornices, & capræ.
» Cuius rei causam attribuunt cibo, qui
» alijs largè, alijs parcè sit, vt lupis, & ac-
» cipitribus. Carniuoris enim parum cibi
» suppeditatur propter raptus, quo viuunt,
» penuriam. Aues enim minores paucæ ibi
» habentur. Lepori verò, omniq; non car-
» niuoro generi victus ieiunior ob eam rem
» est, quòd neq; nuces, neq; poma sunt
» diuturniora. Hæc ille; quibus quantum regio cibi ratione posit, satis docet.
Cap. 25. quam profectò causam Theophrastus libro primo de Plantarum Causis stirpium respectu χώρας ἀρετὴν, idest loci virtutem videtur appellasse, quanquam & in ipsa regione alteram etiam causam citato loco considerat Aristoteles, quæ pendet ab ipsius regionis ad cœlum positu, & quod idem est, ab aeris, ac temporum anni temperamento, quod scitè κρᾶσιν vocat ita scri-
» bens. Tùm etiam multis in locis κρᾶσις,
» idest vt Gaza interpretatur, cœli & situs
» conditio causa est; vt in terra Illyrica, &
» Thracia, & in Epiro asini parui habentur,
» in Scythica, & Gallica nulli propter immo-
» dicum frigus. qui profectò locus grauissimus est ad docendum regionis temporũq; anni temperamentum, maximam tùm in ortu simpliciter, tùm in partu, abortuq; , tũ in magnitudine corporis & paruitate, demũ in vita ipsa frigoris ratione facere differentiam: diximus frigoris ratione tantùm, quia de frigore tantùm facit mẽtionem Aristoteles; nimirum quia frigus ipsum sterilitates, abortusq; causare comperiatur, generationi fœcunditati, vitæ longitudini resistere; vt meritò de calore apud Philosophum longè alia esse ratio videatur, cùm locis calidioribus & maiora gigni animalia, & fœcundiora, & vitæ longioris Philosophus existimauerit; qua de re infra, & sequenti libro plura.

Frigidorum locorum cum calidis notatur consensio. Quid de locorum, anniq; temporum potestate senserit Hippocrates. Platonis, Aristotelisq; de eadem re opinio. Cap. 2.

QVòd si nec tamẽ frigida omnia loca infęcunda, & breuioris vitæ animalia producere inueniantur, & corpore parua, ac potissimum homines; cùm frigidissimi existant tractus de Aristotelis etiam sententia, in quibus & immania corpora spectantur, & fœcunditas mira, & vita longissima; atq; ipsi Præceptori Aquilonius flatus, ac aspectus quarto libro de Animalium Ortu nulla alia quàm frigiditatis ratione marium conducat generationi; quod certè magnam videtur afferre & admirationem, & causam dubitandi; cùm contra omnem rationem esse videatur calorem & frigus, contrarias inquam qualitates, frigidissimos tractus, & æstuosissimos, contrarij temperamenti regiones ijsdem ferè animalibus eadem quasi beneficia præstare posse: harum contrarietatum causas tùm infra, tùm sequenti libro adducemus; nihilq; sine magna euenire ratione demõstrabimus. Hinc diuinus auctor Hippocrates in opusculo de Aere, Aquis, & Locis quasi frigiditatis vires nobis aperiret, sic de vrbibus ad septentrionem conuersis tanquam de locis frigidioribus notatum reliquit. Ex mulieribus autem, inquit, «
primùm multæ quidem steriles fiunt pro- «
pter aquas, quæ sunt duræ, crudæ, & frigi- «
dæ; purgationes enim mensium idoneæ nõ «
eueniunt, sed paucæ, & laboriosæ. De- «
inde difficulter pariunt, & abortiunt non «
vehementer. vbi verò pepererint, filios nu- «
trire non possunt; lac enim ab aquarum «
duritie, & cruditate extinguitur. hoc e- «
nim in loco, vt nono libro planius videbimus, docet Hippocrates, has mulieres abortire quidem, sed difficillimè, sicuti & pariunt difficulter; nimirum quia, vt non citò, nec facilè sese è partus laboribus expediunt ob duritiem membranarum, & soliditatem ligamentorum (quæ omnia excedentis frigiditatis opera sunt) ita & neq; ab ipso abortu eandem ob causam. cùm alioqui abortus actio sit quædam, quæ celeriter, & cum impetu fieri soleat; vnde aduerbium σφόδρα, idest vehementer,
Cap. 2.
actio-

actionis celeritatem hoc loco, & facilitatem significare arbitramur; tametsi non ignoramus doctissimos viros aliter sentire. Sed ad propositum reuertamur. Tantùm igitur videtur Hippocrates Cœlo, & situs conditioni impertiri, vt κρᾶσιν ipsam, quatuor temporum scilicet temperaturam, pro locorum differentia & varietate variam, cuncta posse velit; causamq; ferè omnem cur animalia maiora, vel minora, magis fæcunda, & vitalia, vel minus in alijs & alijs locis oriantur, in temporum naturam referat, ac temperamentum. Nam in eodem illo admirabili opere de Aere, Aquis, & Locis sic de Asia definit, deq; eius Asiæ parte, vt mox ipse declarat, quæ Aegyptus vocatur, Europæ respectu, & Græciæ præsertim. » Ac dico quidem plurimum diferre Asiam ab Europa secundum naturas omniũ ex terra nascentium; itemq; hominum. » Longè enim pulchriora, & maiora omnia nascuntur in Asia. estq; regio ipsa, regione nostra multò mansuetior: sunt enim hominum mores benigniores, & cultiores. » Causa verò horum est temporum anni temperies; siquidem in medio solis exortu sita est ad auroram, à frigiditate, & caliditate omni remotior: incrementum autem & benignitatem inde proficisci omnibus in cõfesso est; cùm nil sit præcellens, & cogens violenter; sed per omnia æqualitas vigeat. « Hæc sapiẽtissimus Hippocrates; quibus satis clarè ostendit, nullam aliam esse causam, cur in hac Asiæ parte fæcundiora, vegetiora, maiora, viuaciora omnia nascantur, ac pulchriora, nisi temporum anni temperiẽ, & æqualitatem; ita vt pro varia illorum tẽperatura omnis singulis in locis varietas ex illius sententia oriatur; quemadmodum ipse in calce eiusdem opusculi his verbis perspicuè admonuit. » Temporum itaq; (inquit) varietates potissimę sunt, quæ naturam ipsam permutant; deinde etiam regio, in qua quis nutritur; postremùm verò aquæ. « quam sententiam de temporum anni potestate diuinus quoq; Plato secutus est in Conuiuio; pulchrè statuens pro temporum anni modo, ac tẽperamẽto cuncta prosperè, ac salubriter, vel è cõtra, succedere in hoc Vniuerso. quo loco eleganter temporum anni temperiem, cælestem, pulchrum, congruumq; amorem vocat, intemperiẽ, vulgarem, petulantem amorem, & contumeliosum; vt rectissimè in extremo secundi Colliget sic Auerroes videatur exclamasse. » Et propterea conueniens est medico cognoscere naturam horum quatuor temporũ; quia propter ipsa stat sanitas plus quàm per alias causas. « atq; ante illum libro secundo de Ortu & Interitu Magistrũ secutus Aristoteles; generationem & corruptionẽ rerũ omnium ab anni tẽporibus, eorumq; mutatione fieri docens. » Quoniã autẽ sic anni tempora, propter hoc circulo fiunt, & reuertũtur. his autem ita factis omnia ab his. « Platonis autem hæc est oratio. » Quin etiam anni temporum constitutio vtrisq; his plena est. Nam quoties illa, quæ modò dicebam, calida, & frigida, sicca, & humida, congruum inter se sortiuntur amorem, & harmoniam, temperiemq; opportunam suscipiunt, salubrem, & fertilem annum hominibus, animantibus omnibus, atq; plantis afferunt; neq; quicquam lædũt. Contra verò cùm petulans, & contumeliosus amor in anni temporibus præualet, iniuria multa corrumpit. Pestes siquidem ex his oriri consueuerunt, alijq; morbi permulti, & varijs brutis, ac plantis innasci. Quoniam pruina, glacies, grãdo, segetumq; rubigines, & putredines ex immoderato, & excedente qualitatum amore proueniunt; horumq; & cœli motus, & anni temporum scientia astronomia vocata est. « Aurea quidem sententia, & diuini Platonis ingenio digna: qua quidem intellecta facilè cognoscimus, quo fundamento tantũ temporibus anni tribuant Hippocrates, & Aristoteles; quo fundamento diuinus Senex affirmet, magnas temporũ mutationes morbos parere; in Opusculoq; de Aere, Aquis, & Locis pro temporum temperamento salubrẽ, insalubremq; annum esse; demum Astronomiã, quam Medico putat necessariã, astrorum scientia (quod hîc Plato perspicuè dicit) temporumq; anni mutationum cognitione constare. Hinc, vt ad nostra redeamus, frigidissimi, & calidissimi tractus, vt diuinè idem Hippocrates in eadem disputatione docet, similia omnia inter se habent ob æqualem, ac minimè variam temporum anni temperaturam; sed tamen vicissim comparata dissimilia, & ferè contraria; quod sic ipse significauit. » Cęterum reliqui Scythę, quod ad formam attinet, ipsi sibi similes sunt, alijs dissimiles; sicut quoq; Aegyptij inter se; præterquàmquòd hi à vehemẽti calore, illi ab intẽso frigore violantur. « Cum enim Scythæ perpetuos frigoris appulsus sentiant, Aegyptij caloris, ideoq; anni tempora nullam magnam crebramq; afferant illis mutationem; iure similia cuncta habent. ac Aegypti hoc loco nomine non priorem eius partem intelligas,

Tex. 69.

gas, quæ septentrionalior est, & quam supra temperatissimam Asiæ dixit Hippocrates esse portionem, & quam Aegyptum similiter appellauit, sed extremam partem Aegypti, ac Libyæ ad Austrum collocatam, vbi nimio æstu nigrescunt homines, ac torrentur, Aethiopiam dictam, vt Ludouicus Septalius eruditè admonuit; qui nuper meo quidem iudicio summa cum laude hũc Hippocratis libellum transtulit, & Commentarijs illustrauit. quod & veteribus non fuisse insolitum, facilè ex Alexãdro Aphrodisiensi colligimus Problematum libro secundo; vbi Aegyptum calidissimam faciens, eamq; Scythiæ opponens, mox eandem hanc regionem, quam Aegyptum dixit, videtur Aethiopiam appellare. Qua autem ratione Hippocrates Asię adnectat tùm eam Aegypti partem, quam temperatissimam facit, tùm hanc, quam ponit æstuosissimam; & quæ omniũ consensu in Aphrica collocatur (quod & ab alijs animaduersũ video) non est hic locus disserendi; præsertim cùm nonnulla hac de re infra, commodiori occasione nobis sint dicenda. Nullam igitur Scythę, & Aegyptij isti temporũ experiuntur mutationem frigoris, & caloris ratione; verùm quia loca excedentes hasce persentiunt vtraq; loca harum qualitatum vires, & non exiguam propterea ab illis læsionem recipiunt, idcircò in eorum temperamentis explicandis participio illo βεβιασμένοι eleganter Hippocrates vsus est; quo significauit violari, summaq; affici violentia extremas illas regiones ab excedentibus vtriusq; qualitatis viribus; quam profectò violentiam, & læsionem intelligendum tamẽ est, quatenus spectat ad corporum magnitudinem, vitæ diuturnitatẽ, ac similia, caloris ratione, vt supra monebamus, in calidis regionibus locum minus habere; cùm & ferè maiora, sed certè longioris vitæ animalia in illis oriantur, vt infra, & sequenti libro ex Aristotele monstrabimus. quod quidem acutè contuens Hippocrates, de ipsis tantùm Scythis tanquam læsis à nimio frigore sic postea statuit, nullam, quòd locis calidioribus idem contingat, faciens mentionem. Minimè autẽ fęcunda ea gens est, regioq; ipsa minimas feras enutrit, neq; numero neq; magnitudine insignes; sub ipsis enim Vrsis, Ripheisq; montibus sita est & c. quibus satis docet, locis illis ob immoderatum frigus animalia minora, infęcundiora, imbecillioraq; gigni, ac vitæ breuioris.

Com. 5. part. 31.

Prob. 6.

Regionum, hominumq; naturas temporum anni sequi temperaturam ex Hippocratis sententia. Obscura quædam ipsius verba enarrantur. Cap. 3.

VErùm quid ex diuina hac Hippocratis philosophia elicimus? sanè elicimus non solùm tempora anni quatuor, vt vidimus, pro temperamenti ratione, pro mutationum modo, quas faciunt, ac mensura, illa omnia, quæ supra diximus efficere; sed, quod maximi momenti est ad locorum naturam, ac differentiam percipiendam, ad eorumq; potestatem in animalibus procreandis cognoscendam, neq; adhuc satis video in Hippocrate animaduersum, naturæ, conditionisq; locorum, & animalium eadem hæc tempora esse apud ipsum causas; locaq; ipsa natura, & situs forma, quin etiã & animalia, temporum ipsorum temperamento respondere. quod sanè diuinum Senem adeò perspicuè significasse, vt nullus dubitationi locus relinquatur, in præsentia nobis diligenti disputatione est demõstrandum, tãquam instituto nostro maximè necessarium. Sic igitur hac de re grauissima in primis eum (Septalio interprete) locutum video. Hæ quidem gentes ipsæ à se ipsis magis differunt, quam eę, quæ prænarratæ sunt, cùm propter varias temporũ mutationes, tùm ob regionis naturam. Similiter autem res se habet circa terrã, atq; circa reliquos homines. Vbi .n. tẽpora faciũt maximas mutationes, & frequẽtissimas, ibi regio agrestis admodũ, ac maximè inęqualis existit, inueniasq; montes plurimos atq; densos, atq; campos, & prata Vbi autẽ non valde variant tempora, illic ęqualissima regio est. Quod ipsum quoq; in hominibus ipsis reperitur, si quis animum aduertat. dantur enim naturæ, quarum aliæ mõtanis, syluosis, & aquosis; aliæ verò tenuibus, & aquis carẽtibus; aliæ pratensibus, & palustribus; aliæ verò planitiebus, nudis, & siccis similes existũt: tempora enim, quæ formarum naturam variant, sunt diuersa. cùm autẽ inter sese fuerint maximè diuersa, varias, & multiplices formas producunt. Hęc ille; quibus vt clarum est, perinde circa terram, & loca euenire docet temporum anni ratione, ac circa homines; at homines ipsos tempora, vbi maximè euariant, varios reddunt, ac multiformes; igitur & terram, & regiones. Quo autẽ modo maximę mutationes temporum (siquidem signatè dicit Hippocrates μεγίστας) regiones inæquales possint efficere, ad Meteorologicam pertinet

tinet tractationem inuestigare; huiusq; rei principia Plato in Timæo, Aristoteles primo Meteoron videntur posuisse: quod cùm longiorem requirat indagationem, consultò nunc prætereo; hoc tanquam maximi momenti interea eliciens, regionis naturam à temporum anni temperie, ac natura dependere, ipsamq; imitari: item (quod etiam apertè docet Hippocrates) hominũ (intelligas etiam & aliorum animalium) naturam, ipsam præseferre naturam regionis; quod sic idem auctor in extremo Opu-
» sculo confirmauit. Inuenias enim vt pluri-
» mum formas hominum, & mores, regionis
» naturam imitari. vt fortasse Porphirius ad hæc animum intendens, locum dixerit, quẽadmodum & patrem, principium esse generationis; quia scilicet sicut à parentibus temperamentum ducimus, ac morum semina, ita & ex loco. Itaq; se hæc tria, homines, regio, & tempora Hippocratico decreto mutua proportione respondebunt; ac vbi mutationes temporum maximæ erunt, & crebræ, regio maximè inæqualis inuenietur; scilicet montibus, campis, syluis, pratis referta, aquosa, aquis carens, proindeq; summè varia; hominumq; naturæ similes, vt latius infra aperiam. vbi verò tempora eundem tenorem seruabunt, regio erit ęqualissima, ac natura hominum similis; ita vt temporum suorum naturam regio suo situ, ac proinde virtute, & potestate; itemq; & natura hominum referat vt plurimum, ac imitetur. Nam & hoc est quod de regione, verbis illis adeò apud Interpretes controuersis inquit Hippocrates; de ea regione, quam posuerat temperatissimam, sermonem habens: græca enim appingam, vt facilius afferam veram illorum pro virili mea parte interpretatio-
» nem. εἰκός τε (inquit Hippocrates) τὴν χώ-
» ρην, ταύτην, τοῦ προσεγγύτατα εἶναι κατὰ τὴν φύ-
» σιν, καὶ τὴν μετριότητα τῶν ὡρέων. At hoc loco (vt alias interim silentio inuoluam interpretationes meritò à Septalio repudiatas) non est meo quidem iudicio Hippocratis consilium, regionem hanc simpliciter cum anno, qui ad votum temperatus fingitur, vel cum quatuor temporibus suam naturam retinentibus comparare; verùm, quia supra dixerat in anni temporum κρασιν, idest temperationem causam esse referendam, cur huiusmodi regio maiora, pulchriora, fæcundiora omnia habeat; hanc verò crasim declarauerat esse ab omni magna mutatione frigoris, & caloris alienam; regionisq; huius situm æqualissimum esse explicauerat, potestatem ad ea, quæ ex terra nascuntur, maiora, pulchriora, fęcundiora producenda, summam; idcirco citatis verbis concludit, rationi esse consentaneũ, talẽ esse regionẽ, qualem expresserat, eò quòd sua natura quàmproxima, simillimaq; sit naturæ, ac moderationi temporum suorũ. quẽ sensum particula illa, τοῦ, omnino cõprobat; cui, vt Gręcis est vsitatum, hæc altera ἕνεκα necessariò subaudiẽda est, adeò vt sentẽtia sit ἕνεκα τοῦ εἶναι, & c. quod video cõsiderasse neminẽ; sicuti τοῦ μὴ δοκεῖν pro ἕνεκα τοῦ μὴ δοκεῖν, vt docti quidam viri adnotarunt, dici solet. Hoc autem nil esse aliud, quàm docere quod supra ex eo aperuimus; nempè regionem sua natura, & situ temperationem temporum anni, quæ in illa fiunt, referre, & imitari, nemo est qui non videat; quamobrem sic ego locũ hunc conuertendum esse existimarem. Rationi »
autem cõsentaneum est, hanc regionem ta- »
lem esse, eò quòd quàmproximè accedat »
(vel si magis placeret, vt quàm proximè accedat, quod in idem redire potest) sua na- »
tura, & moderatione ad temporum suorum »
naturam, ac moderationem. Hippocratis »
enim verba maximè esse ob solitam breuitatem concisa, atq;, vt rectè intelligantur, eo modo ex superioribus supplẽda, vt nos fecimus, qui græcã ipsius orationẽ in alijs obseruauerit, disputationisq; hoc loco totius seriẽ, facilè cõfitebitur; adeò vt nemo, nisi illis vim inferat, aliter possit ea interpretari.

Com. 5. part. 8.

Quot temporum species, ac temperamenta in Opusculo de Ae. Aq. & Lo. ponãtur. Cap. 4.

REgio igitur ipsa, vt ad nostra redeamus, modo iam exposito temporum naturam, ac temperationem sequitur, & imitatur. quo autem pacto homines regionis naturam representent, quod tertio loco docere Hippocratem supra diximus, nõ ita claret; quod vt elucescat, hoc alterum maxima dignum animaduersione ex ipsius verbis accuratè venit ponderandum, quod firmissimum, ac solum est, mea sententia, & verũ ad vera climatum temperamẽta diiudicanda fundamentum, sapientissimum Senem, tametsi dupliciter ipsa tempora partiatur, & consideret; quatenus scilicet vel maximas efficiunt mutationes, vel nullas, aut saltem exiguas; eademq; lege regiones ipsas dupliciter diuidat, in æquales scilicet, & inæquales; tamen quoniam quæ tẽpora nullam habent magnam mutationem, dupliciter adhuc considerari possunt, vel

prout calor, & frigus, ac sociæ qualitates, sed potissimum priores, & actiuæ in vnum mediocritate quadam conspirantes summã temporum moderationem parere videntur, in quibus nulla harum præcellens qualitatum vis sentitur; vel prout ferè perpetuò illarum altera dominatur; his de causis quadruplicem temporum diuisionem constituere, & ob oculos nobis ponere contẽplandam; quod non video adhuc ab Interpretibus in eius scriptis animaduersum: ac primo loco ea tempora ponere, quæ æquilibrium continent omnium qualitatum, ac præsertim caloris, & frigiditatis: secundo loco ea, in quibus perpetuum frigus superat ac vincit: tertio illa, in quibus calor tenet imperium; quæ duo temporum genera itidem non euariare, nec vllas habere magnas mutationes inquit, quia perpetuò eundem seruent tenorem, eãdemq; temperaturam. Nam & hoc est, quod ipse asserit, Scythis hyemem perpetuam existere, æstatẽ verò paucis diebus, & ijs non validam. & mox, temporum anni mutationes locis illis neq; magnas, neq; fortes esse, sed similes, & parum euariantes, ideoq; & formas ipsas sibi similes esse; idemq; in calidissimis locis euenire. quæ tamen tempora palàm est longè alia ratione magnas non perpeti mutationes, dicenda esse, quàm ea tempora, quæ primo loco posita sunt; siquidem illa nullã verè recipiunt mutationem magnam, quia mediocritatem retinent, nec vllũ admittũt excessum: duo verò hæc vltima genera sunt semper in magna, & excedenti mutatione collocata frigoris, vel caloris, & in magno excessu; sed quia contrariã non admittunt mutationem, idcirco non euariare, nullamq; facere mutationem ab Hippocrate magnam dicuntur. Quarto & postremo ea ponere tempora Hippocratem, quæ qualitatum omnium dissidium continent, satis constat; frigore scilicet, & calore in toto annuo tractu inter se maximè pugnãtibus, humiditateq;, & siccitate, modòq; his, modò illis dominantibus; vt propterea dicat huiusmodi tempora crebras, fortes, magnasq; habere mutationes. quæ profectò tempora cum alijs tribus ambigere speciebus manifestum est, tùm etiam & rationi consentaneum, cùm medium extremorum naturæ sit necessariò particeps. Itaq; modò frigore insigniter algent; modò nimio æstu candent; modò in æquilibrio sunt, ac temporum eorum naturam, quæ non euariant, nec vllam habent insignem mutationem, sed in summa sunt mediocritate, æmulantur. atq; hæc de quatuor temporum temperamentis ab Hippocrate expositis, & speciebus: quas omnes, nec plures, nec pauciores ipsum in aureo illo opusculo sibi proposuisse explicandas; illisq; quadruplicem regionum, hominumq; naturam respondere voluisse, sequenti disputatione ostendemus. quam profectò diuinam sapientissimi senis artem cùm Alemanus interpres, Cardanus, Bacius non animaduerterint, rem omnium grauissimam, & quæ totius disputationis Hippocraticæ scopum contineat, ac fundamentum, in eo opusculo interpretando, meo quidem iudicio, videntur reliquisse.

Ostenditur Hippocratem in opusculo de Aere, Aquis, & Locis, quatuor enarrata temperamenta in temporibus anni agnouisse, nec plura, nec pauciora. Cap. 5.

QVadruplicem hanc temporum anni quatuor diuisionem sibi proposuisse Hippocratem in Opusculo de Aere, Aquis, & Locis enarrandam, ita vt, quemadmodum supra diximus, quatuor tantùm horum temporum species considerasse videatur, illud mea quidem sententia probat euidenter, quòd (si quis accuratè animum intendat) in tota illa tractatione, in qua de differentibus Asianorum, & Europęorum formis agit, huiusq; differentiæ causas adducere profitetur, alia nulla præterquàm dicta quatuor temporum temperamenta recenset. nam primùm, vt legentibus fit perspicuum, de ea temporum specie, quæ optimè temperata est, nec vllas magnas admittit mutationes, sermonem habet; de qua iam satis supra dictum fuit. Secundo, de Scythico hominum genere loquens, & regione, alteram aggreditur tẽporum speciem declarandam, quæ ad excedentem frigiditatem pertinent; enimuero totum illud, quod de Phasianis antea disserit Hippocrates, deq; eorum temporibus, ad primam temporum speciem referri debet, quam temperatam esse posuit; quod his verbis ipse perspicuè significauit, temporum naturam, quæ apud Phasianos sunt, aperiens. Atq; anni tempora non multum ,, mutantur, neq; ad æstum, neq; ad frigus. ,, quibus satis docet, eandem temporum æqualitatem, ac temperaturam, vel certè non longè dissimilem Phasianos habere, qua optimam, feracissimamq; illam Asiæ alteram regionem frui dixerat; ex quò & cor-

corporum forma inter se similes Phasianos quoq; Hippocrates facere videtur. Cur autem de Phasianorum regione disputationem instituat Hippocrates, eamq; cum temporibus moderatis cõiungat, infra attingemus. Nec miretur aliquis, si regionem hãc calidam vocat; nam, præterquàmquòd loci humiditas, & aeris densitas causanda est, temperatissimũ quoq; locum ad calorem declinare idem censuit; quod apertè docuit, cùm eodem opusculo ciuitatem ad orientem sitam, & ad flatus orientales, quam & temperatissimam esse posuit, à morbis similibus, atq; ciuitates ad ventos calidos conuersas afflictari scripsit; videlicet tanquam ad calorem declinãtem: quod idem & de temperatis temporibus ipsum existimasse, videlicet ad caliditatem similiter esse propensa, infra demonstrabimus. Cùm autem de Scythicis temporibus ageret Hippocrates, idest de frigidissimis, de calidissimis quoq; tanquam de tertia temporum specie Aegyptiorum exemplo mentionem ipsum habuisse, quos vehementi calore torreri dixit, iam superius diximus; quare ad hunc vsq; locum tres tantùm, vt dicebamus, temporum species nobis contemplandas proposuit; quas omnes, quia non euarient, æquales videtur appellasse, licèt alia, & alia ratione, vt supra aperuimus. At præter has tres temporum species nullam aliam ipsum sequenti oratione explicasse certum est, quàm eam, quam propriè, & per excellentiam vocat Europæam; & quam maximas, frequentissimasq, admittere inquit mutationes omniũ qualitatum, ideoq; appellat inæqualissimam. tametsi enim Scythia in Europa sit, quoniam tamen æqualia habet anni tempora, longè ab Europæo temperamento hac de causa videtur recedere; præterquàmquòd doctissimi sunt viri, qui dicant, Hippocratem hanc Scythiæ partem in Asia collocare. Atq; hoc fuisse Hippocratis cõsilium, hunc disputationis ipsius scopum, ipsissima eius verba ostendunt; quibus post Scythicũ, frigidissimum scilicet, expositũ temperamentum, in quo aperiendo simul etiam calidissimum, vt diximus, tetigit, statim diuinè Europęum explicare aggreditur, sic loquens. Et hæc quidem de Scytharum gente. Reliquum autem in Europa hominum genus inter se diuersum est, tùm secũdũ magnitudinẽ, tùm secũdũ formas, propter temporum anni mutationes; quia fiunt magnæ, & frequentes. & æstus graues, & hyemes fortes, & pluuiæ multę, rursusq; siccitates diuturnæ, & venti: ex quibus mutationes multæ, & cuiusuis generis fiunt. Quamobrem par est generationem persentire diuersitatem in seminis concretione, neq; eandem eidem fieri æstate, & hyeme, neq; in pluuia, & siccitate. quapropter formæ differunt, vt existimo, Europęorum magis, quàm Asianorum; qui & magnitudines diuersissimas ad inuicem secundum singulas ciuitates habent. Plures enim corruptiones innascuntur semini in concretione in mutationibus temporũ, quæ frequenter fiunt; quàm si eadem sint, & similia.

Quòd eadem numero temperamenta in regionibus et hominibus posuerit Hippocrates: ac primùm de regionis, & hominum temperamento primæ speciei respondente.
Cap. 6.

HAec senex sapientissimus; post quæ vsque ad libri finem totus est, vt ea, quæ de hoc Europæorum temporum temperamento dixerat, vberius explicet; vnde clarissimum est, nullam ipsum sibi aliam temporum speciem proposuisse contemplandam, vt superius dicebamus, præter quatuor enarratas: quibus totidem suas terræ, regionumq; species subiecisse, totidemq; hominum naturas, ipsius verba supra capitis tertij initio à nobis allata, latissimè probant; quibus naturas dari regionibus similes scribens, & regionum, & naturarum quatuor tantùm species enumerauit: primam naturam locis montanis, syluosis, & aquosis similem faciens; secundam tenuibus, & aquis carentibus; tertiã pratensibus, & palustribus; quartam planis, nudis, & siccis. quod sanè Hippocratis verbis illis consilium, diuinumq; artificium in his quatuor regionum, ac naturarum speciebus explicandis, eò facilius attingemus, si diligenter inuestigabimus, quas ipse terras, ac regiones, regionumq; formas, quas hominum formas, ac naturas, quas regionum, & naturarum vires quatuor dictis temporum speciebus respondere dixerit; quod & pulcherrimum scitu est, & eò maiori dignum indagatione, quò à tot, tantisq; eruditis viris, Alemano, Cardano, Bacio, qui huius opusculi interpretandi prouinciam susceperunt, videtur prætermissum. Videmus igitur æqualissimæ temporum speciei, quæ omnium habet qualitatum æquilibrium, regionis formam ipsum tribuere æqualissimam, arbori-

boribus refertissimam, aquis tùm cælestibus tùm è terra promanātibus abundantem. quod verò ad virtutem ipsius pertinet, fertilissimam, & in qua omnia pulchriora, & maiora nascantur quàm in Europa; qua de re supra etiam nonnulla disseruimus. homines verò, quod spectat ad formam, habitiores, specie pulcherrimos, magnitudinis eximiæ, forma interim, & corporum proceritate non admodum dissimiles. quod ad vires, ac mores pertinet, mansuetiores, & beneficentiores, timidiores, effęminatiores; virile, & ærumnosum, laborumq; patiens, ingeniosum, & animosum, ac irascibile nihil habentes: nam & cuncta hæc perspicuè his verbis explicauit. Cæterum, inquit, non habent vbiq; per totam Asiam omnia secundum eundem modum, sed pars quæcunq; huius regionis in medio calidi & frigidi sita est, ea quidem fertilissima existit, & arboribus refertissima, & maximè clemens, & aquis optimè vtitur, & cęlestibus, & ex terra promanantibus; neq; enim à calore exuritur valde, neq; à squalloribus, & aquarum inopia exsiccatur, neq; à frigore oblæditur, humidaq; est, & irrigua tùm propter imbres multos, tùm propter niuem. Maturè autem pleraq; in ea nasci par est, & quæ à sparsis seminibus, & quæcunq; ex terra ipsa per se sponte producuntur plantæ. & mox. Pecora etiam ibi enutrita benè vegeta, & maxima proueniunt, sæpiusq; parientia, & quæ optimè educantur. Quin & homines habitiores esse, & specie pulcherrimos, & magnitudine eximia cōstat; forma interim, & corporum proceritate non admodum dissimiles. & paulo post. Virile autem, & ærumnosum, laborumq; patiens, & animosum nihil in huiuscemodi natura produci potest, neq; si patrium, neq; si externum fuerit, sed voluptatem necesse est dominari. Qua ratione multiformes etiam in feris generantur partus. De Aegyptijs igitur, & Libybus res ita se habere mihi videtur.

Nonnullarum Hippocratis vocum explicatio. Quæ superiori capite posita sunt, vberius enarrantur. Cap. 7.

HAec Hippocrates; in cuius afferenda oratione ab omnibus alijs in vocis illius εὐδιεστάτη, atq; alterius νοτία interpretatione discessimus; alteram, maximè clemens, transferentes, alteram, humida; quoniam priore regionis illius aerem perpetuo placidum, atq; vt Theophrastus maximè propriè dixit libro secundo de Plantarum causis μαλακὸν, idest mollem, & ab omni caloris, frigoris, ventorumq; excessu alienum, docere voluit; posteriore verò νοτία, non australem quidem, vt omnes interpretati sunt, esse regionem illam, quā orientalem potius supra appellauit, sed humidam atq;, vt subdidit, irriguā ob crebros imbres, ac niuem. siquidem vocem, νοτίαν, humiditatem significare satis ex vltimo problemate primæ sectionis colligimus apud Aristotelem. Quod verò inquit Hippocrates, multiformes ferarum partus oriri ob voluptatem, intelligendum est in hac ipsa tantùm regione locum habere, quam aquis abundantem ponit; cùm alioqui Aristoteles libro octauo de Historia Animalium, in Aphrica id in aquarum inopiā videatur retulisse; nimirum quia eôdem feræ concurrant bibendi causa, desiderioq; potus mansueriores reddantur: qua de re aliàs erit occasio disserendi. Horum autē omnium causam si ex Hippocrate scisciteris, statim ipse respondet, potissimum ipsa tempora causanda esse, eorumq; crasim. sic enim scribit. τὸ δὲ αἴτιον τουτέων ἡ κρᾶσις τῶν ὡρέων. idest causa verò horum est temporum crasis. quin etiam & regionis naturam, quia temporum suorum naturam referat, & sequatur. nam & hoc est, quod ipse inquit verbis illis, quæ supra enodauimus. Cùm enim nihil sit temporum ratione in ipsa varium, & præcellens, & cogens, sed per omnia æqualitas vigeat; neq; calor comburat, neq; frigus lædat; regionisq; natura tùm forma, tùm virtute his omnibus respondeat; enarrata in ea cuncta fieri est consentaneum. quod sic idem rursus, quod ad hominum mores, & ingeniū pertinet (qui locus infra à nobis abundè expēdetur) eleganter explicauit. De timiditate autem hominum, & mollitie, quòd multò sint rerum bellicarum imperitiores Europęis Asiani, moribusq; mansuetiores; tempora anni maximè sunt in causa, magnas mutationes non patientia, neq; caloris, neq; frigoris, sed propè similia. neq; enim fiunt mentis perculsiones, neq; vehementes corporis mutationes, à quibus iram exasperari, & c. Hæc Hippocrates iuxta eruditissimi Septalij conuersionem, quam in plerisq; longè alijs commodiorem esse arbitramur, magisq; auctoris sensa exprimere; tametsi in hoc vno ab eo in præsentia, atq; ab Alemano interprete defleximus, quòd vocem ἐκπλήξιες nullatenus stu-

Cap. 8.

Cap. 28.

stupores, sed perculsiones aptius transferri hoc loco existimauimus; dixeris commotiones varias, ictus, & appulsus insignes, quos mens perpetitur mutato ad ingentes temporum mutationes corpore; proindeq; agitato, & excitato sanguine, & calore. Sed & hoc alterum non prætereundum, à nullo Interpretum (quod viderim) animaduersum; diuinum Hippocratem in calce Opusculi de Aere, Aquis, & Locis huic temporum speciei, ac temperaméto, aliam quandam regionis naturam, ac formam; aliam itidem hominum formam, quæ tamen virtutem nihilominus eandem habeant, vel certè non longè dissimilem, tribuere; nimirum vt, quod de Phasianorũ regione loquens adumbrauerat, clarius explicaret. " Enimuero post pulcherrimam, diuinamq; " illam de varijs temporum, regionum, ho- " minumq; temperamentis disputationem, " post expositam regionum & hominum cum " temporibus consensionem, concludens pri- " mas temporibus in formandis hominibus, " eorumq; moribus deferri oportere; secun- " dũ verò locum regioni, & aquis esse conce- " dendum, ideoq; vt plurimum hominum " formas, ac mores (vbi scilicet regio cum " temporibus planè consentiat) naturam se- " qui regionis; vt id totum probaret aperti- " us, ita subiungit. Nam vbi terra pinguis " est, & mollis, & aquosa, aquæ autem valde " sublimes, ita vt æstate calidæ sint, hyeme " frigidæ, & anni tempora rectè habeant; ibi " homines carnosi sunt, male articulati, hu- " midi, & laborum impatientes, & animo " malo vt plurimum. Segnities quin etiam " & somnolentia eis inest multa. suntq; ad " artes crassi non subtiles, acutiuè. Hęc il- " le; At hic verbis illis, ϰὴ τῶν ὡρέων καλῶς κέεται. " quod est, & temporum ratione optimè est " posita, vel vt Septalius interpretatur, & an- " ni tempora rectè habent, nemo est qui non videat, hanc ipsam temporum temperationem Hippocratem significare, quam in mediocritate frigoris, & caloris dixit esse cõstitutam, ideoq; καλῶς, idest rectè, optimèq; dispositam, ac temperatam. quod & illud probat euidenter, quod subiungit mox Hippocrates de regione, quam huic opponit, ab hyeme premi, & à sole aduri eam inquiens; sanè vt magnas eam perpeti ad calorem & frigus mutationes, contra quã dixerat de priori, demonstraret. quod, vt cuiq; sua laus tribuatur, acutè eruditus Septalius in Commentarijs animaduertit. Qua autem ratione & temporibus optimè dispositis hanc regionis formam tribuere

Com. 5. p. 58.

potuerit Hippocrates; & cur, si tempora sic optimè temperata sint, nihilominus, cõtra quàm in forma regionis iam exposita euenire dixit, & regio adeò humida illis respondere possit, & homines adeò malè temperati, vt carnosi, inarticulati, & excedẽter humidi in ipsa gignantur; quod de alterius regionis hominibus non dixerat; item cur hæc ipsa regio homines producat nec fortitudine, nec prudentia præstantes, denium ad omnem corporis, animiq; virtutem exercendam ineptos; quod de alterius regionis hominibus confirmauerat; cùm tamẽ optimè disposita tempora, optimè etiam moribus affectos homines gignere debeãt, suis locis infra dicemus. hoc enim tantopere torsit interpretes, vt alij corruptum textum esse existimauerint, & pro καλῶς legendum κακῶς putarint; alij vt nodum dissoluerent, dixerint, quæ bona sunt, malum per se non inferre, alijs tamen lædentibus iuncta, aliquando non corrigere, sed malitiam augere. Hæc autem, quæ dicimus de priore hac temporũ specie, latitudinem quandam habere intelligenda sunt, ac magis minusq; recipere; cùm non eadem omnino temperatio in vniuersa Asia vigeat: quod satis apertè significauit Hippocrates, diuersam Phasianorum naturam à reliquis Asianis esse docens: clarissimè autem sic tandem expræssit totam de Asia disputationem concludens. Inuenias autem (inquit) & A- " sianos ipsos à se ipsis differentes meliores " alios, & alios vitiosiores existentes. Ho- " rum autem temporũ anni mutationes cau- " sæ sunt, quemadmodum in præcedentibus " dixi; atq; sic quidem habet in Asia. Et an- " tea de temperatissima regione loquens dixerat, non habere vbiq; per totam Asiam omnia secundum eundem modum. quam quidem latitudinem, ac differentiam in alijs quoq; tribus speciebus, quæ supersunt declarandæ, locum habere censendum est. Verùm hactenus de regionis, hominumq; natura, idest forma, & virtute, quæ primæ temporum speciei respondent; nunc quæ alijs conueniant speciebus vestigemus.

Quæ regiones, ac naturæ ex Hippocratis sententia secundæ speciei respondeant.
Cap. 8.

ERat secunda temporum species minimè itidem varia, nullamq; admittẽs mutationem ab Hippocrate posita, quæ excellen-

lentem frigiditatem præfefert; huic quam regionis formam respondere censuerit, sic ipse aperuit. Sublimes enim sunt (inquit) planities, & nudæ, neq; montibus circumseptæ, sed accliues sub Vrsis. & paulo supra dixerat. Cæterum solitudo, quæ Scythica dicitur, planities est pratis abundãs, & nuda, & moderatè aquosa: sunt enim in ea magni fluuij, qui deriuant aquam ex campis. & mox. Etenim sub ipsis Vrsis, & sub Riphæis montibus sita est, vnde Boreas spirat; solq; finiens proximus fit, quando ad æstiuos circulos peruenit, & tunc paruo tempore calefacit; neq; venti, qui à calidis locis flant, valde eò accedunt, nisi rarò, & debiles, sed ab Vrsis spirantes perpetuò venti frigidi à niue, glacie, & multis aquis: hæc enim nunquam montes deserunt; vt propterea etiam inhabitabiles sint. nebulaq; magnam diei partem campos occupat; & in humidis degunt, ita vt hyems quidem perpetua, æstas verò paucis diebus, & ijs non valida existat. Hæc Hippocrates; quę ab eo dicta potissimum vidétur de ea Scythiæ parte, quam solitudinem appellat; cùm alioqui tripliciter regionem hanc partiatur, in Nomadas solitudinis habitatores, in Sauromatas; & in eam partem, quam Scythiam reliquam videtur appellare. Ex his autem apertè colligimus, naturam formamq; regionis, & terræ huic temporum speciei, ac temperamento respondétem, talem esse; videlicet sublimem, planam, accliuem, nudam, non montibus circumseptam, pratis abundantem, moderatè aquosam, demũ dixeris æqualem, tanquam æquali temporum temperamento respondentem. quòd si de eius virtute ipsum interroges, iam supra respondit, nec fæcundam esse, nec magna, nec pulchra animalia producere, nec numero multa; ita vt contrariam omnino regioni illi, quæ primæ speciei respondet, virtutem nacta esse videatur. Nam & hoc est, quod ipse rursus confirmat his verbis, simul etiam causam attingens. Et feræ non nascuntur magnæ, sed quæ sub terra cooperiri valeant; prohibet enim hyems, & terræ nuditas; in qua neq; est æstus, neq; verò tegumentũ. ex quò & paulò supra notat, boues locis illis prę frigore cornib⁹ carere. De hominũ verò forma inquit, Scythicam gẽtem (quod etiam supra tetigimus) multùm à reliquis esse diuersam; inter se verò maximè assimilari; homines scilicet hominibus, mulieres mulieribus; minimeq; esse fæcundam; cùm mares eunuchi plerunq; euadant, fœminæ steriles; vt quæ nec attrahere, nec suscipere valeant semen genitale, nec mẽstrua habeant purgamenta, vt opus est, sed pauca, & diuturna; pinguesq;, & otiosæ existant; ventresq; insuper frigidos habeant, & molles. item harum gentium formas crassas esse, & carnosas adiungit; iuncturasq; habere humidas, & eneruatas, ventres verò humidissimos, ac præsertim inferiores; corpore humidas existere, carne pingues, & glabras, atq; hac maximè ratione sibi omnes similes; demum ociosas. De corporum, animorumq; virtute statuit, & corpore & animo admodum esse imbecillas; quorum itidem omnium causas in temporum naturam, ac temperationem refert; quod, vt alia nunc prætercam, verbis illis apertè docet. Etenim temporum anni mutationes neq; magnæ, neq; fortes sunt, sed similes, & parum euariantes; quapropter & formę ipsæ sibi ipsis similes sunt. & mox. neq; enim vel corpus, vel animus ad labores confirmari potest, vbi mutationes temporum non fiunt fortes. & paulo post. Temporibus enim inter se similibus existentibus corruptiones non generantur, neq; malitiæ in seminis coagmẽtatione; nisi fortuita aliqua extrinsecus occurrens causa occurrat, vel morbus aliquis.

Planius explicantur superiora. Defenditur Hippocrates à Bodini calumnijs.
Cap. 9.

Haec ille; quibus & frigiditatem, humiditatemq; temporum anni excedẽtem, & perpetuam consentiente regionis temperatura, eo modo, quem exposuit, Scythicas gentes & corpore, & animo affectas reddere apertissimè dixit. nec sanè mirum, cùm frigiditas fæcunditatis inimica sit, & humiditati redundanti coniuncta ea omnia, quæ notauit Hippocrates, causare valeat: quod & ipse pluribus probauit, & satis Interpretes demonstrarunt, & nobis in præsentia prętermittendum est, ne à scopo nimium aberremus; satis esse pro præsenti instituto arbitrantes, si dicamus, cùm ipse temperationem horum tẽporum excellenter frigidam, & humidam constituat, nec vllam varietatem admittẽtem; hanc & mentis hæbetioris, & corporum inter se similitudinis causam esse rectissimè existimari; nimirum quia calor, & mens in perpetua temporum æqualitate nõ excitetur, & acuatur, vt infra fusius expli-

plicabimus, quanta sit vis Hippocraticæ rationis demonstrantes: item quia eadem ambientis temperatio nullis subiecta mutationibus semen perpetuò ad eandem formam ducat; ex quò & gentes illæ necessariò sibi ipsis similes existunt. cuius profectò grauissimæ rationis vim cùm Ioannes Bodinus in Methodo, quam ad facilem Historiæ cognitionem conscripsit, non attigerit, iniuria communem omnium præceptorem Hippocratem calumniatus est: sic enim in ipsum inuehitur. Neq; enim verum est ab eadem Cœli temperie Scythas omnes sui similes esse, vt putauit Hippocrates; cùm vbiq; terrarum sua sit propria quædam temperatio. At hęc non est veritas, sed falsa imitatio, simulatioq; veritatis; non enim vidit acutus homo aliud omnino esse propriam vniuscuiusq; loci, & regionis considerare temporum temperationem, quomodo, si id causa esset similitudinis hominum, omnes omniũ regionum homines similes esse inter se oporteret; quia singulæ gentes in singulis regionibus proprijs temporum, ijsdemq; afficiantur temperationibus: aliud verò ac longissimè diuersum, has temporum temperationes contemplari, quatenus non variant, nec vllam faciunt mutationem. quod cùm non vbiq; terrarum habeat veritatem, sed tantùm in extremis nostri orbis locis, in tractu scilicet frigidissimo, & calidissimo, atq; vt Hippocrati placuit, apud Scythas, ac Aethiopas; quin etiam & aliquo pacto in temperata illa regione; idcircò non vbiq; terrarum sibi similes esse homines queunt; tametsi locis, in quibus degunt, propria sit quędam singulis temperatio. quam profectò differentiam extremorum respectu ipsemet Bodinus videtur agnouisse verbis illis. Nam in Aethiopia, vbi hominũ genus acutissimum, & salacissimum esse diximus, nemo tàm sui similis est quàm omnes omnium. Sunt autem parui, crispi, atri, simi, labeones, glabri, albissimis dentibus, nigris oculis. Scytharum nullam esse dissimilitudinem tùm Hippocrates ipse, tùm etiam Tacitus de Germanis scribit; & re ipsa compertum habemus, quò longius à medio disceditur, eò sibi similiores esse vultus. In regione media videmus infinitam hominum dissimilitudinem: cùm enim in illa regione omnium oculi flauescere debeant (nam ex atro, cęruleo, & flauo omnis illa oculorum varietas conflatur) videmus tamen præter flauos, glaucos, cæsios, nigros, rauos, & ex his infinitam confusionem. Sunt nasuti, simi, crispi, nigri, candidi, rufi, ęnobarbi, punicei, pallentes, nani, gigantes. Hoc igitur tribuendum est hominum confusioni, qui ab extremis ad media velut ad optimam temperiem confluere solent. Nam Scytharum, Gothorum, Turcarum, & Tartarorum innumerabiles exercitus in media regione constiterunt.

Cap. 5.

Quæ regionis, hominumq; natura tertiæ speciei respondeat. Rursus Bodinus confutatur.

Cap. 10.

HAec Bodinus; cui certè considerandum erat in Aethiopia ob similem causam homines sibi similes esse Hippocratem docuisse; nimirum non quia nimio æstu torreantur, sed quia hanc cœli, temporumq; temperationem perpetuò experiantur; vnde in Scythia, & Aethiopia homines sibi similes sunt ex Hippocratis decreto; nec sanè propriæ temperationis ratione, sed quoniam temperatio ipsa non euariat, nullam facit mutationem, eademq; perpetuò permanet; quod Bodinus in Hippocrate non animaduertit. De quo quidem altero ad Aethiopiam pertinente temperamento, tanquam de tertia temporum specie, tertio loco ab Hippocrate posita, quæ nam regio, quæ virtus regionis, quæ hominum formæ, ac naturæ illi conueniãt, iam locus esset differendi; verùm quia totum id Hippocrates silentio pręterijt; nos verò hîc ipsius dicta tantùm expendere profitemur; idcircò illum imitati hac de re disputationem in præsentia longiorem non instituemus: præsertim cùm nonnulla nobis infra de extremorum locorum temperamentis sint dicenda. quare hoc loco id tantùm modò adijciemus, Aethiopici Cœli (quod & Aegyptiacum ipse appellat) temperationem calidissimam constituisse Hippocratem, simulq; & valde siccam; veluti frigidissimam & humidissimam Scythici Cœli posuit constitutionem: cui par est voluisse regionem, & homines eiusdem formæ, ac virtutis respondere; ita vt inter se propterea valde similes, sicuti & à Scythicis gentibus multùm dissimiles existant ob tẽporum, regionumq; inter se maximè contrariam temperationem. Sed de his tribus temporum anni speciebus nimis multa; dummodo illud addiderimus rationem à Bodino allatam, cur tàm sui similes in extremis locis homines existant, tàm dissimi-

miles in medio, variarum scilicet gentium confusionem, meo quidem iudicio, leuissimam esse existimandam; cùm quod naturale alicui est, causam necessariò constantem habeat, ac naturalem, non fortuitam, & aduentitiam. Vnde primùm Bodino dicẽdum erat, cur Scythæ formam illam habeant, non aliam; Aethiopes illam, nec diuersam. si enim respondeat eas corporum formas regionis temperamento respondere, & impermixtas permansisse, quia ad extrema loca gentes nullæ penetrauerint; iam & medium locum suam habere naturalem temperationem fateatur necesse est: si enim extrema, & necessariò medium. At gentes, quæ ad hanc mediam regionem cõfluxerunt, cur tandem temporis diuturnitate ab illius temperamento victæ, & superatę, quod naturale loco est, non induerunt? hoc enim negare Bodinus non potest, qui hac de re paulò infra sic disseruit. Neq; enim vt stirpes, quæ aliò translatæ cito vim amittunt; & soli vnde trahunt alimenta, naturam induunt: ita quoq; homines insitam suæ naturæ vim facilè mutant; sed longa tẽporis diuturnitate. quanquam & fortasse contrarium paulò supra his verbis videtur statuisse. At videmus homines æquè ac stirpes mutato solo paulatim degenerare. quod sanè summi Imperatoris Pompeij auctoritate Bodinus confirmare potuisset; qui cùm hoc optimè teneret, Pyratarum ab eo subactam multitudinem, non quidem delendam, sed locorum mutatione cẽsuit reddendam esse mitiorem, vt pulchrè Plutarchus in ipsius vita refert. Præterea cùm post hominũ memoriam nulla sit historia, quæ huius loci accolas, quem medium, & fortasse perperã, habito vniuersæ terræ respectu Bodinus appellat, aliter pinxisse videatur, quàm quo modo nunc extant; scilicet varios, ac in omnibus inter se dissimiles; nullum huic Auctori relinqui locum, quo se se recipiat, si dicamus, antequam gentium exterrarum vllæ ad medium confluerent, varios, ac dissimiles nihilominus extitisse. Sed enim stultas opiniones admodum scrutari, stultum fortasse est, vt dicere aliquando solebat Aristoteles: hunc enim virum philosophiæ ignoratione multa peccasse, atq; in Aristotelem, & Hippocratem, in bonosq; omnes antiquitatis auctores inuectum esse pueriliter, qui sua scripta legerint, facilè cognoscent; nosq; infra pluribus ostendemus.

Quæ regio, quæ regionis virtus, quæ hominum formæ, quæ naturæ, quartæ temporum Anni speciei ex Hippocratis sententia respondeant. Cap. II.

QVartam temporum speciem ab Hippocrate propositam iam supra diximus Europæam esse, aliarumq; trium speciérũ simulacrum; cùm illarum omnium in se referat qualitates: vtpotè quæ maximas, & frequentissimas habens mutationes, modò ad æstus insignes, modò ad frigora, nunc ad ingentes pluuias, nunc ad siccitates, tùm Aquilonibus, Austris, Subsolanis, Fauonijs vehementer perflata, interdum verò temperatæ speciei imaginem pręseferẽs, inęqualissima propterea ab Hippocrate dicatur. Huic speciei his de causis omnes terrarum, ac regionum species conuenire & necesse est, & apertissimè docuit Hippocrates; vbi post expositam temporum, ac hominum naturam Europæo temperamento generaliter sumpto respondentem, de Europæa rursus regione verba faciens, eam in quatuor species seiunxit. quod quidem ipsum impulit, ne antea formam huius regionis aperiret (qui tamen locus proprius esse videbátur) quàm formas, moresq; hominum declarasset. Dicamus igitur montanam terram, asperam, altam, concauam, pratensem, planam, syluosam, nudam huius regionis esse propriam; item aquosam, aquis carentem, pinguem, mollem, macrã, demum frigidam, æstuosam, æqualem, & inæqualem; nam & hoc est, quod supra ex sapientissimo Sene afferebamus, vbi tempora faciunt maximas mutationes, & frequentissimas, regionem ibi admodum agrestem, & maximè inæqualem reperiri; nimirum, vt ipse declarat, montibus plurimis, densisq; refertam, campis, & pratis; adeò vt inæqualissimo temporum tẽperamento inæqualissimam regionem voluerit respondere. Quod verò pertinet ad virtutẽ regionis, par est, sicuti est particeps formarum omnium, ita & reliquarum regionum virtutes participare, quæ alijs tribus speciebus proportione respondent; adeò vt fęcunditatis vires, aliasq; dotes, quæ primæ speciei propriæ sunt, aliquando etiam persentiat, vt suo loco admonebimus. quãquam vehementes, crebręq; mutationes ab huiusmodi qualitatibus non parum deficere illam faciunt, & quodammodo infelicitatis extremarum specierum, quibuscum conuenit, participem reddunt. Vnde generaliter nec adeò magna, nec adeò pul-

chra animalia, nec adeò fęcunda in ea gignuntur; vt & gestationes, & partus longè difficiliores, incommodiores, ac laboriosi magis, abortusq; crebriores in ipsa eueniant. cuius rei causa facilè ex his colligi potest, quæ supra ex Hippocrate adduximus: calor enim, & frigus si moderationem retineant, generationem causant, vt Præceptor in calce quarti de Animal. Ortu grauiter docuit, extra moderationem imperfectionis, corruptionisq; omnis causæ sunt; ex quò & Theophrastus (quod & alibi notauimus) libro primo de Plantarũ Causis pulchrè notatum reliquit ad Animalium partum, ac fęcunditatē, ad ipsamq; concoctionem non excessu, sed mediocritate quadam caloris opus esse; quod iampridem Hippocrates acutissimè contuens, cùm magnas in hac temporum specie ad calorem, & frigus mutationes esse posuisset, statim adiecit, vt supra vidimus, tanquam consequens quoddā, semen dũ cõpingitur, his varijs mutationibus perculsum plures pati corruptiones, ac aliter atq; aliter cõformari; neq; eandem eidem fieri generationem æstate, atq; hyeme, neq; in pluuia, & siccitate; quod quidem maximè consonum esse rationi, illi facilè concedent, qui legerint quarto de Animalium Ortu apud Præceptorem non tantùm insignem ad calorem, & frigus mutationem causam habere omnis generationis animalium, atq; in ipsa generatione varietatis; sed & leuissimam quanq; ad has qualitates mutationem plurimum posse; vt solus etiam ad flatus vel calidos, vel frigidos aspectus sexu varium partum reddere queat. Diximus de forma regionis & virtute, nunc hæc duo qualia in hominibus sint, superest inuestigandum; quorum primum ad formam spectās, ex ijs, quę ex Hippocrate superius attulimus, definire nihil est negocij. dictum nanq; est ob magnas, variasq; hasce temporum mutationes, quia vario modo semen afficiatur, ad variamq; semper formam perducatur, homines, secus quàm in alijs regionibus, ac temporibus expositis eueniat, in Europa valde inter se dissimiles oriri, & diuersos, tùm quod ad magnitudinem attinet, tùm quòd ad formam; ad eo vt infinita dissimilitudo appareat: & quod magis est, ac maxima dignum animaduersione, ex Hippocratis sententia non solùm in huius regionis partibus insigni inter se interuallo seiunctis, diuersitas hęc locum habeat, sed in singulis etiam ciuitatibus. quod verissimum esse elegans tota illa eodem Opusculo superior disputatio fidē facit; in qua varios situs, & naturas vrbiũ, quæ ad quatuor Cœli cardines positæ sunt, explicauit. atq; hanc causam, non Bodini somnium, exterarum scilicet gentium in hac regione concursum, & confusionem, naturę legibus consonam esse, doctos viros fassuros non vereor. Demum de hominum naturis (quod alterum exponit Hippocrates statim post expositas eorum formas) ipsum sic pulchrè disserentem audire oportet. De moribus etiam (inquit) eadem est ratio, esse enim ferum, insociabile, atq; animosum innascitur Europæis à natura. Perculsiones nanq; animi frequenter factæ mentis feritatem inducunt, lenitatem & mansuetudinem extirpant. quamobrem etiam magis magnanimos esse eos, qui Europam incolunt, quàm qui Asiam iudico. siquidem in perpetua similitudine segnities inest, in mutatione autem exercitationes, & corporis, & animi. quin & ab ocio, & desidia augetur timiditas; ab exercitatione verò, & laboribus virilitas. Propter hoc etiam bellicosiores sunt, qui Europam incolunt. Hæc diuinus Senex, & quidem rectissimè, vt infra suo loco planum faciam. Sed & hoc alterum, quod ad hanc pertinet temporum speciem, non pretermittendum; Hippocratem in extremo Opusculo de Aere, Aquis, & Locis, quæ regionis, quæ hominum forma, & virtus huic quarto temporum temperamento optimè respondeat, his verbis pulchrè nobis explicuisse. Vbi autem regio nuda, immunita, & aspera; ab hyeme pressa & à sole adusta est; ibi quidem duri, graciles, benè articulati, vegeti, & hirsuti incolæ sunt; actionumq; promptitudo, & vigilantia eis inest; moribus sũt & iracundia audaces, & pertinaces, feritatisq; magis quàm mansuetudinis participes, & in artibus acutiores, & prudentiores; circa res bellicas meliores: sicq; omnia, quæ ex terra proueniunt, terræ naturam sequuntur. Hæc autem quo consilio ab Hippocrate dicta fuerint, suo loco infra aperiam.

Cap. 27.

Cap. 2.

Quòd Hippocrates Europæam regionem in quatuor species partiatur. nonnulla ipsius obscura verba declarantur. Prima species explicatur. Cap. 12.

QVanquam Hippocrates dum ageret de alijs temporum speciebus, & potissimum de prima, æquali, ac temperata, Europæum temperamentum, regionem, &

hominès, horumq; omnium differentias suis coloribus pinxisse videatur, vt paulò infra dicturi sumus; quoniam tamen temperamentum hoc temporum, ac regio, hominumq; forma, & natura illi respondens, ob insignem varietatem eam maximè habet, quam superius tetigimus, latitudinē, vt magna inter loca ipsa, quin etiā & inter vrbes, vt diuinè notauit Hippocrates, atq; vt nōnullis placet, inter vrbiū ipsarū partes differentia oriatur; idcircò oculatissimus Senex cùm videret non vnico membro posse Europæam regionem compræhendi, post traditam vniuersalem temporum, regionum, hominumq; in quatuor species distributionem, post expositam generaliter temporum naturam, regionum, hominūq; formas, & mores, vt superius indicauimus, differentiam hanc duxit tanquam commodiori in loco sibi esse aperiendam. Itaq; his de causis horum peracta tractatione, sic statim orditur disputationem. Sunt autē & in Europa gentes inuicem differentes & magnitudine, & formis, & fortitudine; quæ autem eas dirimunt, hæc sunt, quæ in præcedentibus retuli, & nunc manifestius dicam. quo loco nonnulli Interpretum putant, Hippocratem per ea, quæ asserit, se in precedentibus dixisse, causam vniuersalem, quam posuerat, quæ omnibus communis est, intellexisse; quæ quidem nulla esse alia potest, quam crebra, ingensq; tēporum dicta mutatio. At ego longè aliter arbitror sentiendum; siquidem ipse de particularibus causis intelligit, affirmans se in præcedentibus illa etiam explicasse, quæ Europæas gentes inter se diuidunt: quæ profectò diuisio à causis tantùm particularibus prouenire potest; cùm ab vnica, & vniuersali causa, quæ & Europęos ab alijs diuidit, & illos inter se facit differentes, vt inquit Hippocrates, scilicet à temporum magnis, crebrisq; mutationibus generaliter consideratis, non nisi hoc vniuersale, quod pronunciauit Hippocrates, prouenire queat; quòd scilicet in Europa hominum genus forma, & virtute & ab alijs, & inter se sit diuersum. cur enim hi forma, & virtute, corpore, & animo hoc modo affecti sint, illi verò alio, omnino pendet à causis particularibus, de quibus citatis verbis necessariò intelligit Hippocrates; siquidē hoc est quod inquit. Quæ autem eas dirimunt hæc sunt, quæ in præcedentibus retuli, & nunc manifestius dicam. quibus, iam superius se exposuisse, quæ Europæas gentes inter se dirimunt, supponit; perspicuè addens non quidem nouas res docere velle, ac differentias, sed iam expositas fusius velle explicare. at enimuero quæ fusius explicat, quatuor sunt differentiæ tùm temporum, tum regionum, tùm hominum; igitur & has quatuor differentias necessariò posuerat superius, ac retulerat; & eum locum his verbis designat, in quo has ipsas differentias supra posuit, vel certè adumbrauit. Itaq; superest vt sine vlla dubitatione huiusmodi locus ille sit, quem nos huius capitis initio innuebam⁹, & quē supra ex ipso attulimus tertio capite; in quo de habitatoribus eius regionis agens, quæ ad dexteram hyberni ortus Solis est ad Meotidem vsq; Paludem, atq; de Europæ termino faciens mentionem; item adijciēs has gentes magis inter se differre, quàm eas, de quibus supra dixerat, & propter varias temporum mutationes, & propter regionis naturam; certè vel Europæum tēperamentum, ac regionem nobis designauit, vel se de hac parte agere ostendit, quatenus in confinio existēs Europæ, cum Europæo propriè dicto cōuenit temperamento; ex quò & his positis, statim quasi regionis huius naturam explicaret, ac naturæ varietatem; & maximas, & frequentissimas temporum mutationes eam experiri dixit, & quadruplicem illam tùm regionis, tùm hominum naturę subiecit diuisionem, supra memorato capite tertio à nobis allatam; quam post adducta paulò supra verba statim sequenti disputatione aggreditur explicandam: cuius sanè diuisionis vllo alio in loco præter hunc vnum, nec verbum quidem superius factum videmus. quibus & particulares causas, quæ Europæas ipsas gentes inter se dirimunt, licèt obscurè, videtur omnino aperuisse; & se vel de nulla alia, quantumuis nonnullis reclamantibus, quàm de Europæa regione loqui; vel de nulla alia quàm de ea, quæ Europæum temperamentum æmuletur, demonstrauit. cùm in Europæa propriè dicta tantùm verum sit, Hippocrate teste, tempora maximas, & frequentissimas efficere mutationes; quòd in illa, de qua sermonem habet, regione, ipse supponit euenire. Cur autem dum de Asiæ regione agit Hippocrates (nam & sequenti oratione adhuc Asiaticarum gentium naturas pergit explicandas) hanc de Europæo temperamento interposuerit disputationem, alio in loco, si Deus annuerit, commodiori occasione explicabimus. Rectissimè igitur verbis superioribus inquit, ea ipsa ad Europæę gentis diui-

diuisionem pertinentia se in pręcedentibus retulisse, quæ mox manifestius dicturus erat; quandoquidem si vtraq; loca vicissim conferamus, videbimus eadem vtrobiq; ab eo doceri; quod nullus tamen Interpretum animaduertit. Fecerat ibi, vt supra notauimus, quatuor regionum, ac naturarum hominum species. At easdem quatuor hoc loco & regionum,& naturarum species explicari, nemo est,qui non videat. Prima ibi posita erat, montana, syluosa, & aquosa regio; siquidem ἐφύδροισι, vt vulgata habet lectio, quam nisi magna impulsi necessitate deserere non debemus, cum Caluo, & Zuingero legendum est; cui lectioni hoc loco suffragatur Hippocrates, qui de eadẽ regione, mea sentẽtia, verba faciens, ipsam montanam, asperam, altam, & aquosam vocat. quanquam & hoc etiam loco varia lectio habeatur, cùm Cornarius ἄνυδρον, secus quàm vulgati habeant codices, legisse videatur; sed ratio naturalis litem hanc dirimit, ac vnà etiam Hippocratis auctoritas; cùm syluosa regio, nemoribusq; maiori parte obsita esse nequeat, nisi etiam humida sua natura existat, & aquosa: ipse verò Hippocrates huius opusculi initio densam terram, idest syluosam, aquosam itidem esse admoneat. Huic regioni mutationes temporum valde differentes, hominum figuras magnas, & ad laborem, & fortitudinem aptas, agrestis & feri non parum habentes, respondere dixit.

Tres aliæ Europæi temperamenti species explicantur. Locus Hippocratis obscurus enarratur. Cap. 13.

SEcunda regio ibi posita erat tenuis, & aquis carens; at hoc loco hãc ipsam designari apertissimum est in quartæ speciei explicatione, quam Hippocrates tenuem, aquis carentem, nudamq; regionem continere scribit; & cui respondere mutationes temporum voluit οὐκ εὔκριτα, vt rectissimè Septalius Galeni auctoritate emendauit; hominum figuras robustas, & duras, flauiores potius quàm nigriores; mores, & animi impetus duros, & contumaces. quo loco neq; Galeni Interpretis, neq; illorum probo interpretationem, qui verba illa οὐκ εὔκριτα, non temperatas, vel non benè temperatas transferunt. ac ratio quidem est, quoniam temperata absolutè tempora verè Hippocrati ea sunt, quæ nullum qualitatum excessum habent, nullam magnam mutationem: quod quidem genus temporum in nulla harum regionũ locum habet, quas sibi Hippocrates proponit in præsentia contemplandas; in quibus omnibus, vt superius monuimus, & magnas, & frequentes mutationes fieri supponit, & excedentes; vnde & singulis conuenit, vt mutationibus temporum non benè temperatis afficiantur: at sic ipse dicere videtur regionem hanc tempora nõ habere εὔκριτα, vt id peculiariter illi conuenire velit. quare idem erunt hoc loco, mea sentẽtia, tempora οὐκ εὔκριτα, & mutationes, quod κακόκριτα, quæ vox octauo Aphorismo tertij secti pulchrè exposita à Galeno inuenitur. ac sententia erit, regionem hanc habere mutationes temporum difficilis, maliq; iudicij, quoniam in ea inconstantes magis, minusq; ordinatæ & frequentiores, magisq; differentes fiant, quàm in alijs; vt potè à propria interdum illarum natura aliquantulum recedentes. Vnde id amplius habebit huiusmodi regio, quantum ad ipsas temporum mutationes pertinet, quòd regiones aliç magnas quidem experiuntur, inæquales, & varias, sed quia ordinem, naturamq; propriam magis seruent, iudicij facilioris; hæc verò, quia minus ordinatas, & inconstantes, iudicij difficilioris: nõ secus ac citato Aphorismo difficilis iudicij morbi Galeno sunt, qui incertam habent iudicationem. quod totum voce illa, πυκνότατοι, mihi videtur Hippocrates apertè significasse; qua frequentissimas, & maximè inconstantes, & varias effici has ibi mutationes indicauit: quasi dixerit frequentiores, & inconstantiores quàm in alijs: enimuero sic ipse locutus est. » Vbi enim temporum mutationes cõtingũt » admodum frequentes, & plurimum ad in» uicem differentes, ibi & figuras, & mores, » & naturas plurimum differentes reperias. Tertia regio tertiam constituens naturam ab Hippocrate eo loco posita, pratensis erat & palustris; quam exactè in hoc altero expressam videmus verbis illis: Quicũq; » verò loca concaua, pratensia, & æstuosa ha» bitant, ventisq; calidis magis perflantur » & c. cui respondere homines voluit non magnos, crassos, carnosos, capillis nigris, corpore potius nigros quàm albos; pituitosos minus quàm biliosos, ad virilitatem, ac laborum tolerãtiam minimè aptos, idest minus aptos quàm reliquos Europæos, nisi consuetudo accedens hoc efficiat; addens si in hac regione fluuij extent, qui stagnantes aquas &, pluuias inde deriuẽt (nam palustrem locum esse supponit) salubriores ho-

homines, & coloratiores, idest minus nigros; vt ego explico, reddi; siquidem hoc propriè vocē illam, λαμπροί, significare puto; quam Hippocrates, vt pater, ei quod dixerat nigros esse ibi homines, videtur opposuisse. Demū regio quarta, quartā faciens naturam, priore loco erat plana, nuda, & sicca; quam vnà cum hominum forma, ac natura illi respondente exactè Hippocratem hìc explicasse, compertissimum omnibus erit, qui ad diuini Senis sic disserentis vocem surdas aures non habebunt.
» Quicunq; verò (inquit) altam habitant regionem, planam, & ventis expositam, & aquis carentem; eorum formæ magnæ, ac inuicem similes sunt, & effœminatiores; animi quoq; eorum mansuetiores. quo loco aquis carentem diximus non aquosam, quoniam ἄνυδρον legendum constet: nimirum quia superioribus verbis Hippocrates planam hāc regionem siccam appellauerit, & nudam; nudamq; aquis carere initio libri dicat. Diximus rursus effœminatiores Galeni permoti auctoritate, q. libro Quòd Animi mores temperaturam corporis sequantur ἀνανδρότεραι legit. quòd si hoc loco regionem hanc ventis expositam, & altam esse dicit; quarum proprietatum nullam fecit in priore mentionem, nihil est quòd miremur: id enim fecit, vt latius naturam ipsius, & conditiones explicaret. Verùm quo consilio Europæam regionem in quatuor itidem species diuinus Senex partiatur, & qua permotus ratione (quod eorum, qui hunc librum explicarunt, video considerasse neminem) facilè intelligemus, si animaduertamus in præsenti Opùsculo quadruplicem hanc diuisionem in omnibus ipsum esse secutum; quin etiam natura duce, vt ex libro præsertim de Natura Humana constat, sequi debuisse.

Quòd Hippocrates quadruplicem hanc diuisionem perpetuò in Opusculo de Aere, Aquis, & Locis secutus sit; & qua de causa.
Cap. 14.

Diuinus Hippocrates cùm initio Opusculi de Aere, Aquis, & Locis præfatus esset temporum anni, regionum, aquarumq; naturam diligentissimè esse explorandam; nimirum quoniam, vt clarius ipse in calce eiusdem libri admonuit, primo tempora ipsa, deinde regio, mox aquę naturas hominum maximè effingunt, & formant; statim de regione, ac terra ipsa loquens, in quatuor partes illam seiungit; in nudam & aquis carentem; in densam, & aquosam; in concauam & æstuosam; in altam & frigidam. Sic enim scribit. Terra » etiam ipsa considerāda nuda ne sit & aquis » carens; aut densa & aquosa; & an concaua » sit & æstuosa; vel alta, & frigida. Item de » vrbium positu mox disputationem instituens, quadruplicem rursus hanc sequitur diuisionem; alias ad Septentriones, alias ad Austros, alias ad Ortum, ac flatus orientales; demum alias ad Occasum, flatusq; occiduos collocatas cōsiderans. Adhuc de aquis sermonem habens, eas eadem lege diuisas contemplatur; sic enim loquitur. Quæ quidem aquæ fontes suos ad orientes » habent, hæ præ omnibus optimæ sunt; secundum ab his locum habent, quæ inter æstiuos Solis exortus, & occasus emergunt, & magis quæ ad orientes vergunt. Tertio loco sunt, quæ inter occasus æstiuos, & hybernos scaturiunt; pessimæ verò quę ad Austrum, & quæ inter hybernum ortum & occasum. Prǽterea, quod mirum videri poterit, de temporibus à sua natura recedentibus loquens, quatuor itidem, vt accuratè considerantibus planum fiet, harum mutationum species facere videtur. Post hæc diuinum Senem disputationem aggredi de varijs temporum in Asia, Europaq; temperationibus; quatuorq; illorum species similiter afferre; totidemq; & regionū & naturarum; tandem Europæam regionē, ac mutationes temporum, quæ in illa fiūt, naturasq; hominum temporibus, ac regionibus respondentes, quadrupliciter itidem partiri, iam superius abundè demonstrauimus. Cur igitur vir sapientissimus quadruplicem hanc diuisionem in omnibus constantissimè secutus est? sanè (vt breui me expediam) ob primarum qualitatum complicationem; ob ipsamet quatuor tempora, quæ quadruplicem hanc temperamētorum differentiam admittunt; ob quatuor humores, qui, vt libro de Natura Humana pulchrè, & grauiter idem docuit, temporibus quatuor respondent; ac pro ipsorum temperamento augentur, minuunturq;, & bonam malamq; valetudinem, quin etiam sterilitatem, fœcunditatem, ac similia corporibus afferunt; atq; vt libello Quod Animi mores corporis sequantur temperaturam Galenus demonstrauit, pro vario ipsorum dominio ad mores varios reddunt homines propensos. Nam & quid aliud, vt à primis ordientes veritatem hanc in omnibus ostendamus, terra nuda, aquis carente quàm calidam, & siccam; densa &
Cap. 9.

aquo-

aquosa, humidam & frigidam; concaua & æstuosa, calidam & humidam, alta & frigida, siccam, & frigidam terram nobis ob oculos posuit? quæ temperaméta temporum quatuor respondere temperationibus est manifestum. Rursus austrinas vrbes quasi æstati similes; aquilonares hyemi; occiduas autumno; orientales veri ipsum facere, satis est perspicuum.

Hippocratis in hac quadruplici tradenda diuisione artificium clarius aperitur.
Cap. 15.

EAdem lege Hippocratem tempora ipsa vniuersi orbis respectu considerasse, latissimè patet; cùm Scythica quasi hyberna, & frigidissima; Aegyptiaca contra tanquam æstiua, & calidissima; Europæa, vt crebris mutationibus obnoxia, & autumnalia; Asiana verò tempora, vt temperatiora, & verna sibi proposuerit contemplãda; ac Scythiam, vt aquilonarem, Aegyptum vt austrinam; Europam vt occiduam; Asiæ illam temperatam regionem, vt ad orientem sitam considerauerit. nam & hoc est, quod de ipsa inquit, in medio solis exortu ad Auroram esse collocatam, ideoq; temperatissimam, & ab excedenti calore, ac frigiditate alienam; quod exactè illis respondet, quæ de situ vrbium orientalium antea docuerat; eas similes Veri faciens iuxta caloris, & frigoris moderationem; sicuti & quæ de Europa inquit, alteris illis, quæ de ciuitatibus ad occidentales flatus collocatis affirmauit, exactissimè respondent; videlicet crebris, magnisq; mutationibus illas esse obnoxias. Atq; eandẽ ferè, si quis accuratè animum intendat, inueniet rationem in Europæę regionis quadruplici diuisione; siquidem prima species, quia montana, & aquosa tanquam frigida, & humida consideranda proponitur, ac Scythico similis temperaméto, & hyberno, vrbibusq; aquilonijs. Secunda, quia nuda & aquis carens, tanquam frigida & sicca, & dixeris Europæ respondens, quia Europæum temperamentum magis exprimat; Autumnoq; similis, & vrbibus ad occidentem collocatis; ex quò & Hippocrates crebriores, maioresq; mutationes, difficiliorisq; iudicij quàm alias, regionem hanc voluit experiri. Tertia quia concaua, palustris, & æstuosa esse dicitur, vt calida Aestati similis, ac Aethiopiæ, austrinisq; vrbibus. Quarta demum, quia æqualem habeat regionem, planam videlicet, & tanquam ventis omnibus exposita, in mediocritate harum qualitatum quasi omnium particeps videtur collocata; quasi ex temporibus Veri similis ponitur, ex regionibus Asiæ parti illi, quæ temperatissima vocatur; ex vrbibus illi, quæ ad orientem spectat; ex quò & Hippocrates similes magis in ea nasci homines, & mansuetiores affirmat. Nec quenquam terreat quòd ipse in calce huius Opusculi & tempora ipsa, & regionem generaliter in duas tantùm species secare videatur; nam totũ illud exempli loco ad superiorum confirmationem adijcitur, ad clariusq; probandum, cùm regio, ac terra tùm propriæ naturæ ratione, prout scilicet pinguem, tenuem, limosam, arenosam & c. eam dicimus (qua de re pulchrè Theophrastus libro secundo de Plantarum causis) tùm forma, ac situ cum temporum natura exactè cõcurrit, effectus etiã perfectè respondere. propterea supra diximus ex his duabus speciebus ibi explicatis primam ad tempora exactè temperata pertinere idest ad eam temperationem, quam nos doctrinæ gratia primam diximus speciem constituere; secundam speciem ad quartam pertinere, quæ Europæum continet temperamentum. Nec rursus aliquem turbet quod supra diximus, ob primarum qualitatum complicationem, ob quatuor temporum temperamenta, ob quatuor humores, quę omnia sibi vicissim temperatione respondent, Hippocratẽ quadruplicem hanc secutum esse diuisionem; cui sententiæ Galenus plerisq; in locis videtur aduersari, qui ipsum Ver falsò dici calidum & humidum; Autumnum frigidum & siccum longa disputatione laborauit ostendere: eos etiam reprehendens, qui quatuor primarum qualitatum connexiones quatuor anni temporibus accomodarũt, humoribus quatuor, ac ætatibus. hæc enim Galeni dicta quo modo intelligenda sint, ne ab Hippocrate, & Aristotele dissentiant, qui contraria docuerunt; ne ve cum alijs ipsius Galeni locis pugnent, in quibus Hippocratis, Aristotelis, ac demum Veterum hoc protritum dogma recipiens (vt præsertim in breui Denotatione ad Hippocratis dogma videre est) contrarium sentit; in libris nostris de Hippocratica Anni ratione dicemus: hęc enim indicasse satis modò erit hoc loco, vbi quasi prætereuntes, & tanquam in transcursu hæc omnia attingimus; quæ latissimè in Disputationibus dictis, si Deus annuerit, habebit lector cum suis causis explicata; vbi etiam difficultates tollentur cun-

Cap. 5. & 6

cunctæ, quæ negocium ijs facessere posset, qui difficilia, ac primo etiam aspectu aliquando inter se pugnātia Hippocratis verba considerantes, has omnes species se penitus proportione respondere, vt nos dicimus, fortasse negarent. siquidem exempli gratia, prima Europæi temperamenti species, quam montanam, syluosam, & aquosam posuimus, Scythicæ similis nō videtur; quam supra nudam, nec montibus circūseptam ex Hippocrate descripsimus. Item hæc ipsa prima Europæi temperamēti species, quam montanam, & frigidam, & humidam ponimus, Aquilonijs vrbibus, ac ventis non videtur omnino esse similis; sicuti neq; tertia Austrinis, quæ calida, & sicca esse dicitur; quoniam Aquilonia loca, ac simul & flatus ad siccitatem, Austrina ad humiditatem declinare videantur. de quibus omnibus differentijs, & difficultatibus, quæ suas habent causas, & explicationes, à generalibus, ac proprijs temperamentis ortum habentes, quorum ratione variare plura est necesse, in memoratis Disputationibus agemus. Sed de Hippocrate satis; iam nunc locus est, vt demonstremus, ne transuersum quidem, vt aiunt, digitum hac in re Aristotelem ab eo discedere; quod tamen non adeò clarum propter verba ipsius obscura alicui videri posset.

Quòd Aristoteles eadem senserit, quæ & Hippocrates. Loca ipsius quædam difficilia explicantur. Cap. 16.

ARistoteles in Problematis sectione decimaquarta apud Theodorum sic octauo problemate loquitur. Cur timidi sūt, „ qui loca feruida incolūt, fortes qui gelida? „ quod idem & vltimo infra problemate rursus proponit inuestigandum. Item problemate decimoquinto locorum calidorum accolas sapientes, ingenioq; præstantes facit; frigidorum locorum habitatores, fortes, fidentes, sperantes; quæ omnia non in his tantùm libris, in quibus plerunq; populares sequi videtur opiniones, sed & Politicorum septimo prorsus confirmauit, ita scribens. Homines enim, qui frigida loca, Europamq; inhabitant, sunt illi quidē animosi, intelligentia tamen, & arte minus solertes habentur. itaq; cùm libertatem constantius tueantur, tamen à recta reipublicæ ratione sunt alieni; nec finitimis imperandi facultatem habent. Qui verò Asiam incolunt vt intelligentes, & artificiosi sunt, sic parum animosi; itaq; imperio semper subiecti sunt, & seruitute præssi. Græcorum autem genus, vt locorum medium tenet, sic est vtraq; natura præditum: quippè animo simul, & intelligentia valet. quamobrem in libertate persistit, & optima ratione ciuilem societatem administrat; & vnam rempub. nactum, posset vtiq; cunctis hominibus imperare: quanquam Grecorum gentes eandem inter se habent differentiam; & cùm quædam simplici natura præditæ sint, aliæ ad vtranq; facultatem sunt probè temperatæ. Hæc ille; quæ primo aspectu mirificè pugnare videntur cum ijs, quæ ex Hippocrate supra attulimus; qui extremarum regionum accolas neq; animo, neq; intelligentia, neq; corpore valere propter æquale temporum temperamentum apertissimè testatus est. ex quò & Scythas corpore, & animo imbecillos videtur posuisse; Asianos mente hebetiores cum Europęis comparatos. verùm Aristoteles frigida loca inhabitantes fortes esse inquit; in calidis degentes ingenio, menteq; præstantes, Asianos tales esse apertè affirmans. quid igitur in tanta difficultate dicendum? sanè mihi videtur Aristoteles pulchrè omnem penitus litem dirimere, dum sic citata Problematum sectione disputationem instituit. Cur efferis „ & moribus, & aspectibus sunt, qui in nimio vel æstu, vel frigore incolunt? An eadem causa est? optima enim temperies nō corpori solùm, verùm etiam intelligentiæ hominis prodest: excessus autem omnes dimouent, & vt corporis, ita etiam & mentis temperamentum peruertunt. Quid ergo pulchrius? quid magis Hippocrati cōsentiens dici potuit? non sunt igitur qui frigida loca incolunt, verè, ac simpliciter fortes dicendi; neq; qui calida inhabitant, ingenio menteq; præstantes; cuius rei rationem adducit Aristoteles, quoniam excessus dimouent, & commodum corpori, & menti temperamentū dissoluunt: itaq; iure hac de causa Hippocrates vtraq; extrema repudiauit; sed vicissim comparati audaciores, animosioresq; frigidioris regionis homines quàm calidioris existimandi sunt; calidioris, ingeniosiores quàm frigidioris. quo quidem sensu hæc, quæ de his gentibus affirmantur, intelligenda esse, ac præsertim ea, quæ septimo Politicorum differuntur, grauiter decimoquinto problemate idem Aristoteles admonuit; vbi non amplius frigida inhabitantes loca, simpliciter animosos; calida, ingeniosos vocat;

Cap. 7.

Prob. 1.

cat, sed alterutræ regionis comparatione ita scribens. Cur locis calidis homines sapientiores sunt quàm frigidis? Itaq; nulla inter Hippocratem, & Aristotelem est dissensio, quoniam Aristoteles vtraq; extrema simul contulit, Hippocrates verò medium cum extremis; ideo frigidorum locorũ habitatores, fortes; calidorum, intelligentes esse negauit Europæorum respectu, quibuscum eos comparauit: quod concedit apertè Aristoteles, dicẽs excessus caloris, & frigiditatis dimouere, & corporis, mentisq; temperamentum peruertere. quibus neq; frigidæ regionis homines, quod ad corpus animumq; spectat, optimè natura dispositos esse posse; neq; calidæ regionis gentes, quod pertinet ad mentem, demonstrauit. quod etiam, vt ex grauioribus libris testimonium afferamus, octauo Politicorũ perspicuè videtur posuisse, scribens in gentibus maximè efferatis non adesse fortitudinem; quo loco efferatarum nomine extremæ regionis accolas sine vlla dubitatione intellexit.

Cap. 4.

Quatuor difficiles proponuntur dubitationes.
Cap. 17.

VErùm dubitatio est, quoniam Aristoteles primo problemate ἄριστην κρᾶσιν, idest optimam mixtionem, & temperationem eam videtur facere, quæ ab excessibus est remota caloris, & frigiditatis (quasi sũmè moderatas habeat hasce qualitates) quam septimo Politicorum Græciæ impartit: atq; in hac homines corpore, animo, menteq; præstantes produci existimat; vt potè in qua non solùm temperamentũ mẽti, corporiq; commodum non peruertatur, sed omnino oriatur maximè tale. At Hippocrates primam temporum speciem talem videtur constituisse; quam ab omni pariter excessu caloris, & frigiditatis dixit esse alienam; cui Asiæ temperatissimã illam regionem ad Ortum collocatã voluit respondere: itaq; multipliciter dubitare contingit. Nam primo, regio illa Asiæ homines, qui ingenio, & animo valeant, hac de causa producere deberet; quod tamen Hippocrates negauit, cui & assentiri quadam ex parte visus est Præceptor, qui Asiam incolunt, parũ animosos esse dicẽs. Secundo Græcia, quam tamen extulit Aristoteles, non poterit & intelligentes, & animosos simul homines producere, quia non sit ex Hippocratis decreto, cui experientia suffragatur, secus quàm docuit Aristoteles, optimè temperata: cùm non sit, sicut nec Europa ferè tota, in qua continetur, vt supra diximus, ab excessibus remota; quod tamen in optima temperie requirebat Aristoteles. Tertio maximè mirum videtur, ac præter omnem rationem, Asiæ illam partem, quæ tempora optimè temperata habet, atq; excessus omnis expertia, & vegetiores homines, pulchrioresq; producit, & corpore optimè dispositos, eosdem etiam animosos, intelligentesq; gignere nõ posse, omniq; excellentiori dote præstantes, & actionibus cunctis inculpatos; dubitationemq; auget mirum in modum quod idem Hippocrates memorato de Aere, Aquis, & Locis Opusculo dicit de ciuitatibus ad Ortũ collocatis; quas supra posuimus cum hac ipsa Asiæ parte proportione respondere. Ita.n. scribit. Et hominum formæ benè coloratæ sunt, & floridæ magis quàm aliæ, nisi quis morbus prohibeat; & clara voce præditi sunt homines, & ad iram, & intelligentiam promptiores sunt ijs, qui versi sunt ad Septentrionem; siquidem & alia in ipsa genita meliora sunt. Hoc enim in loco apertissimũ est, Hippocratem temperationem hanc reliquis esse aptiorem affirmare ad iram, idest ad animum, & intelligentiam, idest ad artes, ac prudentiam excitandam. cur igitur & non eandem vim Asiatica illa tẽperies huic similis habere debuit? Quarto difficilis oritur dubitatio ex eo, quod supra ex Hippocrate decreuimus, in gelido tractu animalia magnitudine esse exigua; quod hominum etiam respectu videtur ipse pronunciasse. Aristoteles enim problemate octauo memoratę sectionis cõtrarium omnino scribit his verbis. Vtriq; tamen corpore magno adolescunt, eò quòd qui frigida colunt insito calore abundant; qui calida calore loci refouentur; quippè cùm in calidis, & à calore incrementum sequatur, frigus autem vim astringendi, cõstipandiq; habeat. Cùm igitur alteri principium intra se vehemens augendi obtineant, alteri nullo externo frigore impediantur; meritò vtriq; augeri possunt plenius. Quanquam hac in re quispiam Aristoteli falsitatis notã inurere posset; veluti qui in Opusculo de Lõgitudine, & Breuitate Vitę Hippocrati omnino consentiens, videatur asserere frigidis locis minora, ac breuioris vitæ animalia gigni. Pulcherrimę quidem difficultates, ac simul difficillimæ, quæ nolentes etiam nos traherent, vt de climatum temperamentis, tametsi orationis cursus

Cap. 3.

nos eò non duceret, quædam adiungeremus: cùm enim idem omnino sit, variã climatum temperiem indagare, quod & variã anni temperaturam pro regionum varietate inquirere; si quæ supra ex Hippocrate disputauimus de multiplici temporum acceptione, ad memoriã reuocabimus; & quo modo superiores labefactandæ sint dubitationes, & quid pro veritate de climatum tẽperatura sentiendum sit (qua de re initio disputationis huius nobis esse necessariò differendum admonuimus) & quodnam illorum verè temperatius existimãdum, planum fiet; vt meritò supra à nobis dictũ fuerit, hoc vno tantùm fundamento de climatum temperamentis incorruptè iudicari.

Quòd temperamentũ optimũ Hippocrati, & Aristoteli sit duplex, & qua de causa. nõnulla ad tres priores soluẽdas dubitationes necessaria prę mittuntur. Cap. 18.

SCiendum igitur est probè temperata tẽpora dupliciter tùm apud Hippocratẽ, tùm apud Platonem, & Aristotelẽ intelligi: primo modo quatenus æquilibrium habẽt caloris, & frigiditatis, tanquam in medio calidi & frigidi, sicci & humidi collocata, nullamq; ferè mutationem perpetiuntur; in quibus tamẽ perpetuus, moderatissimusq; calor, & humor, ac maximè vitale, ac saluberrimum temperamentum imperiũ tenet; quod satis Hippocrates significauit dicens, regionem illam, in qua hæc tempora fiũt, ac proinde temporum ipsorum crasim à frigiditate esse remotiorem; & paulò post, à calore non valde exuri, aquisq; esse irriguam, & humidam: quibus ad caliditatem & humiditatem temperaturam hãc declinare, apertè demonstrauit. atq; hæc tempora, vt vidimus, ad fęcunditatem, magnitudinẽ, pulchritudinem corporum conducunt; quę Asiana esse declarauimus. Secundo modo intelligi possunt tempora benè temperata, quatenus caloris, frigiditatisq; vicissitudines admittunt, proindeq; & magnas, & crebras mutationes, non tamen omnino excedentes, si ad tempora extremarum regionũ illa comparaueris; vnde & horum ratione quodammodo temperata vocari possunt, ac moderata: licèt, si ad alia, quæ eundem perpetuò tenorem seruant, conferantur, & in excessu posita, & intẽperata, & magnis, excedentibusq; mutationibus obnoxia dici debeant: atq; hæc Europæa esse ex Hippocratis sententia, & ad animi, mẽtisq; excellentiam conferre supra explicauimus. Quando igitur tempora dicimus esse simpliciter temperata, ac moderationẽ habere, & mediocritatem; certè primo modo ea accipere cogimur, nisi à veritate, atq; à magistris primis Hippocrate scilicet, & Aristotele discedere velimus. quandoquidem Hippocrates id benè temperatum vocat in proposito, cui & Aristoteles cõsentit, quod æquale est, nec vllam admittit mutationẽ, ac in medio caloris, & frigoris est collocatum, ad calorem tamen humoremq; declinãs: quomodo inter humores sanguinẽ tẽperatũ esse dicit; inter tempora Ver. quod libello de Natura humana his verbis scriptum legimus. Hæc enim anni pars (Ver intelligit) maximè iuxta naturam sanguini cõuenit, est enim humidus & calidus. inter ciuitates vrbem eam, quæ vergit ad Orientem. quod sic idem perspicuis verbis libello de Aere, Aquis, & Locis explicauit. Et ciuitas, quæ hoc modo iacet, Veri maximè similis est iuxta caloris, & frigoris moderationem. ex quò & nunquam Europæum temperamentum, quod quartam speciem diximus constituere, ab Hippocrate temperatum, moderatumq; appellatur: atq; hoc sẽsu acceptũ temporum temperamẽtũ optimum etiam dici potest. Quando verò tempora non simpliciter, sed extremorum habita ratione temperata dicimus; nimirũ quia, licèt ad calorem, & frigus mutationes habeant insignes, nõ tamen excedẽtes illas extremorum locorum mutationes experiuntur; tunc secundo modo ea cogimur accipere. quo sensu, quoniam Europæum tẽperamentum ob grauissimas ab Hippocrate allatas rationes, quarum fundamenta vberius infra explicabimus, ad viros animo menteq; præstantes generandos aptissimũ est, neq; extremis illis mutationibus est obnoxium, ab Aristotele propterea, & Platone commodè dicitur temperatum, medium etiam & optimum temperamentum; nimirum quia causa sit rerum optimarum, virtutis scilicet animæ, & corporis. His positis quid ad tres priores dubitationes respondendum sit, facilè occurrit: Aristoteles enim vocat memorato problemate optimum temperamentum, quod septimo Politicorum medium appellauit, & εὔκρατον πρὸς ἀμφοτέρας τὰς δυνάμεις, idest benè tẽperatũ ad vtranq; facultatẽ; scilicet ad animosos, ac intelligentes producendos. quare & suæ regionis, quæ Græcia est, temperamentum intelligit; & non simpliciter, vt videmus, sed extremorũ habita ratione tẽperamentum huiusmodi medium dicit, ac pro-

Cap. 7.

probè temperatum, & optimum, qua in re (Cap. 9.) sectatorem Galenum habet, qui in Opusculo Quòd Animi mores corporis sequātur temperaturam ijsdem de causis & medium, & benè temperatum illud appellat, ita scribens. Quis enim non cernit, omnes homines sub Septentrionibus degentes corpore, & animo prorsus contrariè affectos ijs, qui torridam propè habitant Zonam? Aut quis nescit, qui inter hos medij regionem benè temperatam colunt, & corpore esse, & moribus animi, & ingenij felicitate, & prudentia illis hominibus prestantiores?

Quæ superiori capite posita sunt, Plinij, Vitruuij, ac Ptolemæi auctoritate comprobantur. tollitur prima dubitatio; item & secunda.

Cap. 19.

QVin etiam & Plinius grauissimus auctor idem sentire visus est; qui libro (Cap. 78.) secundo Naturalis Historiæ eleganter, vt solet, rem hanc sic expressit. Medio verò terræ salubris vtrinq; mistura, fertilis ad omnia tractus, modicus corporum habitus, magna & in calore temperies. Ritus molles, sensus liquidus, ingenia fęcunda, totiusq; naturæ capacia. quo loco pulchrè, quæ ingenia Aristoteles ad vtranq; facultatem probè temperata dixit, Plinius totius naturæ capacia appellat: qui enim corporis, animiq;, & mentis virtute excellunt, totius naturæ capaces verè existunt. Demum & Vitruuius libro sexto, atq; ante il(Cap. 1. Cap. 2.)lum Ptolemæus secundo libro Apotelesmaton idem senserunt, hâc regionem, quæ interiacet inter extremas, optimè temperatam appellantes. Quem Ptolemæi locum siquis accuratè introspiciat, apertè colliget, grauissimum hunc virum nullo alio sensu hanc Orbis partem probè temperatā appellare, nisi eo, quem exposuimus: quādoquidem cùm dixisset. Qui autem loca tenent interiecta inter Tropicum æstiuum, & Septentriones, quia neq; super verticem illorum Sol fertur, neq; inde longissimè ad Austrum recedit; statim ita subiungit. τῆς τῶν ἀέρων ευκρασίας μεθειλήφασι, ϗ αὐτῆς μὲν διαφερούσης, ἀλλ' οὐ σφόδρα μεγάλην τὴν παραλλαγὴν τῶν καυμάτων πρὸς τὰ ψύχη λαμβανούσης. post quæ sic sequitur. Quapropter & medio quodam colore, & mediocri statura, & natura temperata sunt; habitationibus coniuncti, & moribus mansuetis. quæ quidem græca verba non ita sonant, vt perperam Camerarius expressit. In aere degunt valde illo quidem temperato, & singulariter; sed frigoris, æstusq; differentiæ admodum paruæ notantur. verùm, vt græca oratio mōstrat apertissimè, hunc in modum. Cōmodam aeris temperiem participant, & eam quidem differentem, sed quæ tamen non recipiat valde magnam æstus ad frigora diuersitatem. quibus omnino Camerarij interpretationi contrarijs perspicuè magnas, insignesq; Ptolemæus in hoc tractu fieri ad frigus, & calorem mutationes docet; sed non tamen tales, quales extremis locis esse solent; quas propterea nō solùm magnas vocat, sed magnas vehemēter. quam profectò sententiam Proclus quoq; in Paraphrasi secutus est: quo quidem sensu, vt redeamus ad rem, Græciam Aristotelem benè temperatam appellasse dicebamus. Nam in Græcia scimus & calores, & frigora vigere, vt etiam paulò infra Theophrasti auctoritate demonstrabimus; tametsi non adeò excedenter vt in Scythia, ac Aethiopia; sicuti & in ea Europæ parte tota, de qua loquitur Hippocrates. quare Philosophus optimæ temperationis nomine eam intelligit, quæ ab excessibus tantùm est remota, scilicet ab excellenti frigiditate, & caliditate; non quidem eam, quę harum qualitatum vires, ac vicissitudines ferè nullas admittit: proindeq; alia omnino ratione temperamentum hoc ab excessibus remotum facit, quàm Hippocrates Asiaticum: de qua quidem re iam supra satis fuit disputatum. Sequitur autem ex his (quod primo loco dubitabatur) rectè negasse Hippocratem, & Aristotelem (si tamen id eo loco Philosophus voluit, nam quid Asiæ nomine intellexerit infra dicemus) moderatum, siue optimum dicere velimus (quod Asiaticum doctrinæ gratia appello) temperamentum animosos homines producere, ac intelligentes: optimum enim est ob summam moderationem qualitatum, ideoq; simpliciter optimè temperatum, atq; vt vocant, ad pōdus; & optimum ad fęcunditatem, similesq; effectus; sed non tamen idoneum ad producendum viros animosos, & intelligētes: proptereaq; neq; optimum horum ratione; cuius rei causam infra suo loco explicabimus. ex quò & secunda tollitur dubitatio; Græcia enim temporum quatuor anni respectu non est optimè temperata, si primo modo ea accipiamus; neq; est etiam ab excessibus remota, prout excessus dicunt mutationem ad frigora, & calores etiam insignem. verùm si secundo modo tem-

tempora consideremus, ab excessibus remotam Græciam pronunciabimus; & optimam habere temperationem, ad hominesq; & animo & mente prestantes producendos idoneam, vt dixit Aristoteles: itaq; dubitatio nulla.

Rursus de duplici temperamento. Tertia dirimitur dubitatio. Valesius reijcitur. Cap. 20.

TErtiam vt dissoluamus, quæ maioris negotij est, iam & illud cogitandum superius ex Hippocrate explicatum; aliam omnino temperationem mentem, animúq; excitare; aliam corpora fecundiora, vegetioraq; reddere; cùm primum crebras requirat, & magnas mutationes: secundum æqualissimam temperiem ab omni mutatione, excessuq; alienam, ad calorem tamen, vt diximus, humoremq; declinantē; demumq; similem verno temperamento. atq; id quidem optima ratione; mutationes enim temporum magnæ, & crebræ formationem impediunt, & semini genitali inferunt malignitatem, vt supra ex Hippocrate animaduertimus; vita autem & fæcunditas in calore & humore consistit; augmentiq; causa calida est humiditas, vt passim in libris de Animalium Ortu, atq; in Opusculo de Lōgitudine, & Breuitate Vitæ docet Aristoteles. At è contra ipsæ tēporū mutationes animum, mentemq; mirè acuunt; cuius rei causam infra aperiemus. nec sanè mirum si corpus & anima, tametsi tanta sint naturæ societate coniuncti, nihilominus varia, ac diuersa requirant temperamenta, vt suas rectè obire valeant operationes: nam Præceptoris illud ob oculos habere debemus, luculentissimè septimo octauoq; Polit. ab eo explicatū, simul mente & corpore nos laborare non posse, quoniam hi labores contrariarum rerum sunt efficientes; cùm labor corporis menti sit impedimento, mentis autem corpori: quo fit, cùm anima & corpus duo sint, atq; in vno homine tàm diuersa, quàm mortale & immortale, corruptibile, & incorruptibile, vt nil sit mirum, si aliam corpus temperationem expostulet ad munera propria obeunda; aliam anima, ac mens ipsa ad proprias exercendas operationes; vel, vt verius dicam, si anima, & forma in corpore aliam requirit, vt corporeas optimè exerceat operationes; aliam, vt proprias. At enimuerò fecunditatem, vitam longiorem, aut breuiorem, proceritatem, similesq; operationes corporis magis esse, & materiæ, quàm animæ, & formæ Sole clarius manifestum; iram verò, ac intelligentiam, idest animum, fortitudinem, ac prudentiam præsertim & mentis aciem, magis animæ quàm corporis. cùm ergo obijcimus absurdū videri, Asię tēperatā illam partem, quæ tempora habet optimè temperata, homines animo, menteq; præstantes non producere; cùm optimè temperatum hominem in optimè temperata regione oriri rationi sit consentaneum, optimè verò temperatum hominem ad omnia tùm corporis, tùm animæ obeunda munera esse naturaliter aptissimum: respondendum, optimè temperata tempora, proindeq; optimè temperatum hominem dupliciter intelligi; vel corporearum operationum respectu, vel animę ac mentis; propterea Asię partem illam, quam tēperatissimam ponit Hippocrates, tanquam tempora & corpora primo tantùm modo optimè temperata habentem, non posse homines ad animæ actiones excellenter exercendas, quantum est naturæ lege, aptos producere; ideoq; difficultatē esse nullam. quæ omnia si vera sunt, vt simillima vero esse fatendum est, iam fortasse Valesio viro eruditissimo primo libro Cōtrouersiarum quærenti, an corpus optimè temperatum, videlicet ad pondus, quale ferè Asiaticum constituit Hippocrates, singulas operationes perfectius reliquis omnibus exerceat; rectissimèq; cum Galeno demonstranti, à temperatissimo homine non requiri, vt singulas operationes perfectissimas habeat, sed eam tantùm, quæ speciei est maximè accōmodata; non erat postea nulla alia adhibita distinctione concludendum, huiusmodi hominem ita temperatum sapientissimum esse, ac prudentissimum, proindeq; operationem speciei maximè accōmodatam perfectius obire; præsertim cùm ipse paulò infra Hippocratis verbis admonitus in Opusculo de Aere, Aquis, & Locis, quibus docuit in optimè illa temperata regione homines fortitudine, & mente non excellere, ita de hac quęstione statuat. Vides vt Hippocrates deneget virilitatem, & laborum tolerantiam & audaciam temperatæ naturæ hominum in regione temperata genitorum. Non igitur omnes operationes ijs perfectissimę innascuntur. Quandoquidem si hæc Valesij verba vera sunt, iam & falsum illud, quod supra asseruit de Galeni mente, temperatissimum hominem operationem speciei propriam perfectissimam habere. Nam quid magis homini proprium quàm forti-

Cap. 15.
Cap. 4.
Cap. 11.

tudo, ac laborum tolerantia, mētisq; vigor, & prudentia? at hæc omnia negat ipse de mente Hippocratis illum posse perfectè obire hominem, quem ponit temperatissimum; quamobrem in maximas incidant, & inextricabiles necesse est difficultates in hac tractanda quæstione, qui duplex iampridem à nobis expositum temperamentū apud Hippocratem, & Aristotelem non obseruauerint. Hinc cur in calce Opusculi de Aere, Aquis, & Locis dictum sit tempora καλῶς, idest rectè optimèq; disposita, & quemadmodum ipse declarabat Hippocrates, frigore caloreuè non excedentia, sed summè moderata; & quod in idem redit, cur regio temporum respectu optimè temperata, homines ad artes crassos, non subtiles, non acutos producat, satis elucet; vt iam Interpretes his intellectis mirari desinant, ac se se amplius torquere: cùm temporum huiusmodi temperatio non solùm hanc non habeat potestatem, sed quemadmodum supra dictum est, clariusq; infra dicetur, contrarium omnino efficiat; vt perspicuum sit, quatenus ad hanc rem pertinet, & hæc ipsa tempora, quod sua natura possunt, maximè præstare, & Interpretum difficultates locum non habere; quòd scilicet vel emendandus locus sit, vel sit dicendum, hæc tempora corrigere malitiam non posse, ideoq; etsi benè disposita sint, non solùm bonum non operari, sed malitiam augere; quæ sine vlla ratione videntur esse dicta. Quare valde mirum mihi videtur, si Hippocrate, si sensu, si ratione teste Asiani ipsi neq; animo, neq; mente excellunt; demum si regio hoc sensu optimè temperata, neq; mente neq; animo præstantes homines gignere potest, Galenū nihilominus in Opusculo Quòd Animi mores corporis sequantur temperaturā, cùm hæc Hippocratis dicta expenderet, hanc consideraret temperaturam, ita scriptum reliquisse. Sed verbis quoq; proposita hæc consequentibus idem docens, de regione benè temperata sic scribit, à qua mores quoq; hominum probè temperatos fieri dicit.

Cap. 8.

» Nam neq; à calore, inquit, exuritur, neq; squalloribus penuriaq; aquarum perarescit; neq; à frigore conficitur. Per hæc igitur deinceps inquit. Fortitudo autem & laborum tolerantia, & iracundia in eiusmodi natura neq; eiusdem, neq; alienæ gentis fieri vnquam possent, sed voluptas superet necesse est. Et inferius quoq; rursus in eodem opere hæc scribit. De animi verò deiectione, & ignauia, vt Asiani Europæorum minimè bellis gerendis idonei sint, ac moribus constent mitioribus, anni tempora causam potissimum præbent, quæ haud sanè magnas neq; in calidum, neq; in frigidum faciunt mutationes, sed consimilia sunt. Hæc ille; quibus & Asiæ hanc regionem de Hippocratis mente benè esse tēporum respectu temperatam ponit; siquidem ἐυκράτου χώρας græcum habet exemplar: atq; hoc vt probet, Hippocratis verba adducit probantia in summa qualitatum moderatione esse collocatam; & hanc ipsam regionem homines gignere moribus probè temperatis: nam græcum habet exēplar καὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων ἤθη ἐυκρατα. At enimuero regionem hanc eo sensu, quem diximus benè temperatam esse, ac homines gignere benè tēperatos, verè affirmare possumus; moribus autem probè temperatis nullo modo; nisi animi deiectionem, ignauiam, mentis hebetudinem, laborum impatientiam, inter mores probè temperatos collocare velimus; quæ omnia Hippocrates Asianis, ac hominibus in optimè tēperata illa regione genitis, impartit, & de Hippocratis sententia Galenus. vt iam tàm clarum sit quàm quod clarissimū, duplex illud temperamentum supra à nobis explicatum, quod vtrunq; diuersa ratione optimum dici debeat, omnino esse concedendum; quodq; vel ipsemet Galenus eodem Opusculo ab ipsa ductus veritate videtur posuisse. cùm sequenti capite aliam rursus ἐύκρατον χώραν, idest regionem benè temperatam agnoscat (de qua sanè temperatione paulò supra ex eodem est dictū, eiusq; verba in medio posita) in qua homines gigni, & corpore & moribus animi, & ingenij felicitate, & prudentia præstantes scribit: quæ omnia cùm regioni alterę, quam benè temperatam similiter supra posuit, tribui nequeant; nisi rursus ignauiā, animi deiectionem, mentis hebetudinem, laborum impatientiam, homines corpore, & animi moribus excellentes reddere, & ingenij felicitate, ac prudentia præstantes dicere velimus; necesse erit fateri, alterū dari, alterumq; agnouisse Galenū temperamentum, quod pariter optimum vocari queat.

Cap. 9.

Quòd Aristoteles duplex iam dictum agnouerit tēperamentum plenius ex eo, probatur. item plenius tollitur tertia dubitatio. Cap. 21.

HAnc profectò differentiam & agnouisse, & posuisse Aristotelem, illud etiā facit

facit testatissimum, quòd vbiq; in libris de Animalibus Aegypti temperiem præfert, quod ad fæcunditatem attinet similesq; operationes: ex quò & libro quarto de Animalium Ortu sic scriptum legimus. *Cap. 4.* Nam & homini locis, quibus mulieres præfecundæ sunt, magis id euenit, vt in terra Aegypti. quod etiam Theophrastus secundo libro de Plantarum causis ita elegãter confirmauit. *Cap. 2.* Vbi enim (inquit) Cœlũ perpetuò placidum sit, arbores probè germinare, fructificareq; valent, vt in Aegypto. quam sententiam iampridem tertio *Cap. 7.* Historiarum sic expræsserat. Ita & Cœli quoq; prosit mollities. Nam in Aegypto ea de causa semper ferè arbores germinãt, aut certè parum temporis intermittunt. ex quò & meritò Herodotus in Euterpe Aegyptios alioquin esse omnium post Lybas virorum sanissimos, ob temporum, quæ ibi nil variantur, temperamentum, memoriæ prodidit; quæ tanti viri auctoritas perpetuam Cœli illius mollitiem, & æqualitatem, quam supra ex Hippocrate posuimus, planè confirmat. Quod verò ad animæ, ac mentis spectat operationes, Græciæ anteponit temperiem Aristoteles; vt satis supra ex septimo Politicorum demonstrauimus. in qua profectò temporum temperamẽtũ lõgè aliud est, atq; ab æqualitate Cœli illiùs, quod Hippocrates, Herodotus, Aristoteles, ac Theophrastus Asiaticum, Aegyptiacumq; appellant, valde diuersum; tanquam crebris illis, magnisq; mutationibus obnoxium, quas in temporibus requirit simul cũ Hippocrate Aristoteles ad homines arte bellica, scientiarumq; cognitione præstantes producendos. Ex quò & *Cap. 2.* Theophrastus memorato secundo de Plantarum Causis libro differentiam hanc ambientis, ac temporum anni animaduertens, ita de suo Cœlo mox subdit. At apud nos si non tempestiuè germina exeant, sed copia alimenti, cœliq; indulgentia præcurrant, frigus subsecutum officit, atq; adurit: quamobrem hyemes posteriores arbores vehementer infestant. quæ quidem latissimè probant longè diuersam esse temporum anni in Græcia, ac in Aegypto tẽperationem; atq; in Græcia inæqualitatẽ illam esse nactam, ob crebram ad æstus ac frigora mutationem, quam dicebamus. quod etiam adeò perspicuè memorato Problematum loco docuit Aristoteles, vt nihil supra: vbi quærens, vt vidimus, cur qui feruida, ac gelida loca incolunt, dixeris extrema, corpore magno adolescant; & dicens alteros ob caloris insiti abundantiã, & quia principium intra se vehemens augendi obtineant; alteros quia nullo externo frigore impediãtur, plenius augeri; sic horũ locorũ respectu de sua regione, videlicet de Græcia, statuit. Homines nostræ regionis augeri ideo minus possunt, quòd & principium illud in se imbecillius cõtinẽt, & frigore constipantur. quibus Græciam cum vtrisq; extremis aliquo pacto conuenire caloris, ac frigiditatis ratione clarissimè demonstrat; cùm ob eius calorem nõ possit calor habitantium insitus abundare; ob frigus corporum impediatur augmẽtũ: vt his de causis ad magnitudinem extremarum gentium nequeant peruenire, quemadmodum perbellè ipse docet. Quæ autẽ de ciuitatibus ad Ortum collocatis afferũtur, nullius sunt momẽti: quandoquidem, vt supra admonuimus, Hippocrates vrbes illas tanquam in regione positas contemplatur, quæ crebras, magnasq; mutationes illas caloris, frigiditatis, ventorumq; experitur; quare meritò vrbem in ea ad ortum vergentem reliquis præfert; vt potè in qua & mutationes dictæ locum habeant, sed tamen ob situm aliquantò placidiores; vt temperamenti vtriusq; vires habere possit. non sunt enim, vt supra diximus, omnia similia, sed hac de causa in vrbium vario positu, pleraq; diuersa, si ipsarum temperamenta quatuor cum regionum, locorumq; temperamentis conferamus, quatenus Orbis totius, vel principis etiã partis ipsius, vt Europæ, continent diuisionem: ex quò & ob id ciuitas ad Occasum posita morbosissima ab Hippocrate putatur, sicut & Autumnus; tametsi mutationum ratione Europæo temperamento, & vrbs ipsa, & id anni tempus sint quàm simillima.

Quarta proponitur soluenda dubitatio. de extremis gentibus plura ex Plinio, & Ptolemæo. eiusdem Ptolemæi mens secundo Quadripartiti enarratur. Cardanus refellitur. Cap. 22.

DVbitatio quarta ob auctorum dissensionem in extremorum locorum natura aperienda, nõ exiguam habet difficultatem; Hippocrates enim, vt vidimus, feras ad Septentriones non nasci magnas, sicuti neq; syluas scribit. quæ duo, vt pulchrè in Commentarijs Septalius vir multæ eruditionis admonuit, non parum vidẽtur à veritate aberrare; cùm & veterum, & recen-

centiorũ testimonio nulla Orbis pars syluis feracior quàm Septentrionalis habeatur; nulla maioribus, & robustioribus animalibus locupletior, vt Vris, Bisontibus, Rigiferis, Alcibus, & Vrsis. Item de humanorum corporum statura eadem est controuersia; par nanq; ratio locum habet. at nisi reliqua animalia magna, neq; etiam magna hominum corpora esse queunt. quod facilè videtur confirmari Aristotelica ratione in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ (qui locus infra à nobis fusius expendetur) qua tanquam ratum, firmumq; Philosophus ponit, calidam humiditatem causam esse augmenti; in frigidis autem locis humidum magis esse aqueum, &, quod in idem redit, minus calidum; ideoq; causam minoris augmenti. ex quò & concludit ex pedestribus in terra, ex aquatilibus in mari multa vel non gigni, vel minora gigni locis illis, quoniam gelatio aufert augmentum; quæ cum Hippocrate planè consentiunt, & si vera sunt, non exiguam præbent ansam dubitandi, qua ratione & hominum corpora ad Septentrionem magna esse valeant, & id Philosophus in Problematis asserere potuerit; cùm illorum humidum minus calidum, & facilè gelabile natura existat; ideoq; minoris augmenti debeat esse causa, sicuti & vitæ est breuioris. quin potius quia ratio contraria in calidioribus locis vires habet; humidum videlicet longè ibi est calidius, vt memorato libello admonet Philosophus, ac Problematum decimaquarta sectione, vbi affirmat in calidis, & à calore sequi incrementum; hominum corpora longè in regionibus illis deberent esse grãdiora; quod tamẽ plurium auctorum testimonio falsum esse inuenitur. quanquam auctores ipsi hac in re sibi non constant; tùm etiam in cæteris harum gentium proprietatibus describendis; vt illorum dicta hac de causa afferre cogamur, & aliquantulum expendere.

Cap. 3.

Prob. 8.

Plinius igitur sic extremarum regionum accolas nobis secũdo libro Naturalis Hist. pingit. Contexenda sunt (inquit) his cęlestibus nexa causis. Nanq; Aethiopas vicini sideris vapore torreri, adustisq; similes gigni, barba & capillo vibrato non est dubium. Et aduersa plaga mundi, atq; glaciali, candida cute esse gentes, flauis promissas crinibus, truces verò ex Cęli rigore has & illas mobilitates habentes. Ipsoq; crurum argumento illis in supera succum reuocari natura vaporis: his in inferas partes depelli humore deciduo. Hic graues feras, illic varias effigies animalium prouenire & maximè alitum, & in multas figuras gigni volucres. Corporum autem proceritatem vtrobiq;, illic ignium nisu, hîc humoris alimento. Hæc ille; qui, vt patet, Aristoteli consentiens, in vtraq; regione magna esse hominum corpora scribit; truces animo glacialis plagæ habitatores, exustæ mobiles facit; de ferarum, quod pertinet ad magnitudinem & exiguitatem, differentia nihil dicit. Ptolemæus sic rem hanc secundo libro Quadripartiti attingit eleganter. Nam nostræ terræ, quę iacet in vno Aquilonari quadrante incolæ, qui subiecti sunt Australioribꝰ parallelis, id est ijs, qui describũtur ab Aequinoctiali vsq; ad Tropicum æstiuum; cùm supra verticem illorum feratur Sol, quasi vstilatis nigrisq; corporibus videntur, & capillo esse crispo, & denso; facie etiam contracta, & statura contorta. Natura calidi, moribusq; feris propter magnitudinem æstus in locis suis; quos Aethiopas vocare consueuimus. qui & ipsi ad expositum modum se habent, & aeris ibi talis constitutio est; omnesq; animantes, ac quæ nascuntur è terra cum his congruere reperiuntur. At qui subsunt Aquilonaribus parallelis, hoc est sub Septẽtrionibus posita loca incolũt, cùm eorum pũctus verticalis à Signifero, & Solis calore longè absit, ideo etiam frigore & humiditate abundant. in qua cùm alimenti copia insit, non exhauritur ipsa à vicino calore. Ibi sunt igitur colore albo homines, capillo promisso, statura proceri, & benè habiti, natura subgelidi. Sed & ipsi moribus feris propter frigoris illis in locis vim. & conueniens cum his accidit hyemis magnitudo, & è terra nascentium grãditas, & animantium sæuitia. Hos vocamus generaliter Scythas. Hæc Ptolemæus; quibus videmus, primo Austrinæ nostri Orbis parti, tanquam calidissimæ, terminũ æstiuum Tropicum ipsum assignare; videlicet gradum circiter 23. 51: ab Aequinoctiali; quam ab ipso Aequinoctiali vult incipere, & Aethiopas continere. Aquiloniæ, vt sequenti capite ex eodem patet, tametsi subobscurè id dictum videatur, tãquam frigidissimæ, initiũ ab Aequinoctiali gradum 45. vel circiter impertiri; cuius sit terminus ad Polum vsq;; atq; in hoc tractu Scythas compræhendi velle: nam medius Pontus gradui 45. respondet, cuius incolas Aristoteles quinto de Ortu Animaliũ Scythas nominat. Mediæ, tanquam temperatæ, gradus tribuere interiectos; vt longè à ve-

Cap. 78.

Cap. 2.

Cap. 4.

à veritate in Commẽtarijs Cardanus aberrare videatur, dum scribit de Ptolemæi mẽte, temperatissimã regionem sub grad. 45. collocari; cùm hæc, tanquam valde magnis algoribus oppressa, extremarũ alteri, scilicet frigidissimæ parti debeatur, Ponto videlicet, ac Scythiæ; nõ quidẽ parti mediæ, quam Ptolemæus quidem temperatam, sed tamen eo sensu temperatam facit, quem supra explicauimus. Secundo videmus sex conditiones singulis eum tribuere regionibus, seu, vt verius dicam, illarum habitatoribus: ac omnes quidem, postrema excepta, inter se oppositas. Sex glacialis plagæ hominum conditiones hæ sunt (has nanq; prius ponam tanquam clarius in græco contextu explicatas) quòd sint colore albi, capillo promisso, benè habiti, idest corpulentiores, statura proceri, natura subgelidi, moribus feri. Sex feruidæ habitatorum, quæ his opponuntur. quòd sint colore nigri, capillo crispo, corpore, aspectuq; graciliores. nam sic ego verba illa, τὰς μορφὰς συνεσπασμένοι, interpretor, quæ Camerarius Proclum secutus ad faciẽ refert; cùm satis cõstet, Ptolemæum de totius corporis forma, & aspectu loqui; & cõditionem hanc illi opponere, qua contrariæ plagæ homines fecit habitiores. item quòd sint statura parui, & contracti; enimuero & hoc sensu accipio altera illa, καὶ τὰ μεγέθη συντετηγμένοι. quæ, statura contorta, Camerarius interpretatur; & quam, vt video, opponit Ptolemæus corporum proceritati hominum contrariæ regionis. demum quòd sint natura calidi, moribus feri.

Demonstratur Ptolemæum in extremarum gentium natura describenda ab Aristotele, & Hippocrate dissentire. Cardanus reijcitur.

Vitruuij de eadem re sententia, ipsiusq; ab Aristotele dissensio.

Plinius, & Vitruuius redarguuntur.

Cap. 23.

AT enimuero perspicuum est, quod pertinet ad calidæ regionis habitatores, Ptolemæum Aristoteli in quarta, & quinta conditione aduersari; cùm ipse gẽtes illas natura calidas efficiat; Aristoteles in Problematis frigidas: cui Problematum libro secundo assentitur Alexander; nam & propterea memorata sectione timidiores, sapientioresq; eas esse dicit, quàm aduersæ plagæ, & glacialis habitatores, quia satis intus refrigerentur, ac illorum respectu quasi exangues, refrigerateq;, ac senes habeantur. item statura breuiore esse ponat; Aristoteles magna, non secus ac populos frigidæ regionis; vt Cardanus ipsius potius Aristotelis quàm Ptolemæi sententiam secutus videatur, cùm hac de re in Commẽtarijs ita scripsit. Quartum est, quòd corpora illorum sunt magna in vtraq; regione propter exteriorem calorem in vna, & interiorem in altera. Adhuc & in altero illo Ptolemæus à Philosopho dissentit, quòd velit omnes animantes similiter affici; cùm Aristoteles in locis calidis maiora gigni animalia quàm in frigidis in Opusculo de Lõgitudine, & Breuitate Vitæ monimentis mandauerit. Item clarum est, in conditione quinta gentium frigidæ regionis Ptolemæum Philosopho omnino esse contrariũ; cùm ipse frigidas, Philosophus verò calidas illas ponat, vt memorato Problematũ loco pernotescit: quin etiam & in eo, quòd statuit locis illis & plantas, & animalia simili pceritate gigni; in quo ab Hippocrate quoq; discrepat; cũ & ipse Hippocrates, vt superius vidimus, feras in frigidis regionibus non oriri magnas, neq; arbores scripserit: Aristoteles verò adducto libello minora oriri in his locis animalia, & vitæ breuioris velle videatur. In hoc vno nihil Ptolemæi ab Aristotelis sententia distat, quòd vtroq; in loco moribus feris produci homines testatur; quòd decima quarta Quæstionũ sectione asseruit Aristoteles. Quod verò Cardanus his verbis in Commentarijs scribit, sextam expendens cõditionem, quæ ad mores spectat. Et in feritate, & iracundia sunt similes; hi quidem qui habitant in frigidissima regione propter caliditatem; & hi, qui in calidissima propter siccitatẽ. nihil magis à veritate distat; cùm, vt infra suo loco demõstrabimus, nihil minus quàm iracũdia calidæ regionis habitatoribus cõueniat. Vitruuius libro sexto eadem ferè, quæ & Ptolemæus affert; quibus & difficiliorem reddit huius nodi dissolutionem; quare & idem illi cum Aristotele disidiũ. Nam de vtriusq; regionis habitatoribus ita scribit, in cunctis eos contrarios efficiens. Ex eo quoq; sub Septentrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo & rufo, oculis cæsijs, sanguine multo; quoniam ab humoris plenitate, cæliq; refrigerationibus sunt conformati. Qui autem sunt proximi ad axem meridianum, subiectiq; Solis cursui, breuioribus corporibus, colore fusco, crispo capillo, oculis nigris, cruribus

Prob. 8. 15. 16.
Prob. 6.
Cap. 3.
Cap. 1.

» bus inualidis, sanguine exiguo Solis im-
» petu perficiuntur: itaq; etiam propter sã-
» guinis exiguitatem timidiores sunt ferro
» resistere, sed ardores ac febres sufferunt si-
» ne timore, quòd nutrita sunt eorum mem-
» bra cum feruore. Ita corpora, quæ nascũ-
» tur sub Septentrione, à febri timidiora, &
» imbecilla: sanguinis autem abundãtia fer-
» ro resistunt sine timore, & mox. Item pro-
» pter tenuitatem Cœli Meridianæ nationes
» ex acuto feruore mente expeditius, celeri-
» usq; mouentur ad consiliorum cogitatio-
» nes. Septentrionales autem gentes infusę
» crassitudine Cœli, propter obstantiam ae-
» ris humore refrigeratæ, stupentes habent
» mentes. Hoc autem à serpentibus ita esse
» licet aspicere, quæ per calorem cùm ex-
» haustam habent humoris refrigerationem,
» tunc acerrimè mouentur: per brumalia au-
» tem & hyberna tempora mutatione Cœli
» refrigeratæ, immotæ sunt stupore. Ita non
» est mirãdum si acutiores efficit calidus aer
» hominum mentes, refrigeratus autem cõ-
» tra tardiores. Cùm sint autem Meridianæ
» nationes animis acutissimis, infinitaq; so-
» lertia consiliorum, simul ac ad fortitudinẽ
» ingrediuntur, ibi succumbunt, quòd ha-
» bent exuctas ab Sole animorum virtutes.
» Qui verò refrigeratis nascuntur regioni-
» bus, ad armorum vehementiam paratiores
» sunt, magnisq; viribus ruunt sine timore,
» sed tarditate animi sine considerantia irru-
» entes, sine solertia, suis consilijs refrin-
» guntur. Hæc igitur Vitruuius. At pri-
mùm quòd in refrigerata regione capillo rufo homines velit exoriri, Hippocrati assentitur; qui hoc idem his verbis testatus
» est. Rufum verò Scythicum genus ob fri-
» giditatem, quòd vehementer illis Sol non
» superueniat; à frigore verò albedo exuri-
» tur, & fit rufa. Quòd verò & horum omniũ, & præsertim magnitudinis corporum humoris plenitatem, Cœliq; refrigerationẽ causam esse censeat, Præceptorem omnino deserit: humor enim sine calore augere nequit; quare nullo modo frigidus humor, vt Vitruuius ponit, magnitudinis corporum causa esse potest; vt hoc etiam nomine redarguendus Plinius videatur, si memorato loco in humoris copiã calore spreto horum refert proceritatem. quæ causa tãto Vitruuiana, ac Pliniana est verior; quãto Aristoteles vtroq; maior: in alio certè Plinius mirificè Præceptoris mentem assecutus, quòd in exusta plaga ignium nisu (æstum regionis, vt reor, intelligens) corpora reddi grandiora existimauerit.

Rursus cùm ad Cœlum meridianũ breuiora esse corpora Vitruuius inquit; in hoc etiam ab Aristotele, & Plinio dissidet; qui corporum proceritatem vtrobiq; conspici dixerunt. Postremò cùm glacialis plagæ homines animosos, fortesq; esse tradit, sed mente hebetiores, ac stupentes; è contra exustę timidiores, sed mente expeditiores, & celeriores, cum Aristotele planè consentit; licèt in tradenda causa, vt infra suo loco planum faciam, ab eius placitis, atq; à veritate longissimè aberret: vt solius Aristotelis munus esse videatur rerum causas inuestigare, solius Aristotelis proprium veras inuenire. qui (id quod constat inter omnes) primus videtur vnus à rebus occultis, & ab ipsa natura inuolutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, auocasse philosophiam, & ad hominum vsum, ac intelligentiam adduxisse. Hinc mea quidem sententia (vt interim hoc etiam non prætermittam) eodem loco Vitruuius non parum labitur, dum grauioris vocis causam, vel acutioris in ardorem regionis, humorisq; abundantiam simpliciter refert, non in mouentis hominis vires, & in moti aeris quantitatem, atq; ad mouens ipsum proportionem. qua de re pulchrè Aristoteles quinto libro de Animalium Ortu, & vndecima Problematum sectione disceptauit. quo quidem recepto fundamento, exustę plagæ homines acutioris esse vocis constat, si modò id verũ est, quia parum moueant præ imbecillitate; velocius enim idcircò mouent, proindeq; sonant acutius; cùm velocitas in voce sit acumen. è contra refrigeratæ regionis homines vocem emittere grauiorem, quia tametsi longè sint valentiores, multum tamen pro viribus moueant, ideoq; tardè; quod facit in voce grauitatem.

Cap. 4.

Recentioris cuiusdam opinio affertur, ac reijcitur. Cap. 24.

SEd nec firmiora recentiores attulisse apparet: Bodinus enim in Methodo, qui postremus rem hanc diligẽtius videtur persecutus, tota in oratione secum pugnat. Ponit primùm Veteres vno ferè consensu tradidisse, homines ad Aquilonem positos corpore quidem maiores esse, ac robustiores; ad Meridiem verò imbecilliores; alijs tamen ingenio præstare: Hippocratem Septẽtrionales exiles facere, & fuscos, Aristotelem in Quæstionibus æquè barbaros: neq; enim aliquid obesse, quin inge-

 niosi,

niosi, & barbari Australes esse queant. quã profectò Philosophi sententiam cùm hoc loco tanquam veram recipiat, mirum est quomodo postea quinto lib. Polit. vt falsã reiecerit. Mox quousq; vis illa Septétrionum, & Austri pertineat definiens, inquit huius nostri Hemisphęrij, ꝗ citra Aequatorem est, quintum & quadragesimum latitudinis gradum Septentrionem ab Austro diuellere; vt quicquid Polum versus interiacet, Septentrionibus, cætera Austro tribuantur. quod & paulò infra his verbis videtur confirmasse. Hoc igitur teneamus, eos omnes, qui à quadragesimoquinto gradu ad quintum, & septuagesimum versus Septentriones positi sunt, intus magis ac magis calescere; Australes verò quò plus habent caloris à Sole, eò minus à se ipsis habere. Quòd enim intus algore regionis calescant homines, id proprium Septentrionum, frigidorumq; locorum esse ponit. At alio loco huius Hemisphærij tẽperamentum explicans sic scribit. Vt igitur Veterum errorem fugiamus, triplicem regionem ab Aequatore ad Polum, quę nonaginta partibus constat, æquali ratione complectemur. Sic tamen vt triginta partes calori, totidem frigori tribuamus: restabunt triginta tẽperatissimę regionis, in qua commodè, beatèq; viui possit. & paulò post. Rursus triginta partes caloris, ac frigoris, regionisq; temperatæ bifariam diuidemus; vt quindecim citra Aequatoré temperatiores sint quindecim circa Tropicum ardentiores: & in regione temperata quindecim priores lenitate cœli moderatiores, consequentes à quadragesimo quinto gradu ad sexagesimum aliquanto frigidiores. Rursus è triginta partibus frigidissimæ regionis quindecim coluntur; vlterius nullæ vrbes, nulla oppida nullus deniq; hominum tuendæ saluti locus. Ita Bodinus; qui etiam Veterum testimonio plura differés vtro loco vita sit diuturnior, tandem cõcludit in exusta plaga vitam duci perenniorem. At primùm, quòd Veteres vno consensu scripserint, homines ad Aquilonem positos corpore esse maiores, hoc Aristotelis, & Plinij testimonio patet esse mendacissimum; quod satis superior disputatio demonstrauit. Deinde, vt quæstionem eam omittamus, an sub Aequinoctiali, vel Tropicis cõmodior sit habitatio, de qua inter se tàm acriter Auicennæ, & Auerrois sectatores digladiantur, tanquam à nobis in Disputationibus de Maris Aestu locorum temperamenta, in quibus maiores fiunt vel minores, inquirentibus, diligenter ventillatam; quo modo eam terræ partem, quæ à trigesimo nono gradu est, vsq; ad quadragesimum quartum, ac longè magis vsq; ad quadragesimũ quintũ, potest hic Auctor Austro dedicare? adeò vt ad hunc vsq; locũ Austri vis pertineat? quintũ náq; clima his Cęli partibus subijcitur, quod intra Europęũ illud temperamentum esse nactum, de quo supra egimus, ex Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Ptolemæiq; sententia demonstrabimus; quod mediũ dicitur p participationẽ extremorũ, ideoq; modò Austrinũ refert, modò Aquiloniũ tẽperamentũ; quare nullo modo verũ est Austri naturã magis referre. Nec obstat quadragesimum quintum gradum distãtiam ab Aequatore ad Polum vniuersam æqualiter diuidere; nam, vt infra admonebimus, nõ rei medium, sed rationis, idest naturæ ac temperaturæ, demum qualitatum medium in climatum diudicandis temperamẽtis est quærendum. Præterea longè absurdius est quod tertio loco definit, triginta medias partes esse temperatissimas; ita enim ad sexagesimum vsq; gradum temperatissima esset regio, quod si aliquis dicat, videbitur omnino delirare; cùm alioqui circa Pontum, cuius medium gradui quadragesimo quinto subijcitur, Scytharum esse habitationem Aristoteles, alijq; Veteres voluerint; quas gentes in glaciali, extremaq; plaga versari omnes confitentur; quam tamen ipse lenitate Cœli moderatiorem, sicut & aliam vsq; ad sexagesimum, non quidem frigidam, sed vix aliquanto frigidiorem non veretur appellare: quæ tamen omnia tàm absunt à veritate, vt nihil magis veritati possit esse contrarium. Adhuc quo sensu illum terræ tractum triginta intermedijs partibus respondentem, qui, vt diximus quintum clima continet, partemq; sexti, vocat temperatissimum? an quia temperatissimo Cœlo potiatur? siquidem hoc necessariò Bodino fatendum est, cùm in hac regione non solum commodè, sed beatè viui posse asserat; at tale nullum esse aliud potest, quàm ab omni ad calorem & frigus mutatione remotissimum, æquabile sua natura, ac mediocre. verùm quid de hac ipsa media regione idem postea statuat, videamus. In media, inquit, regione grassantur pestes propter aeris frequentes mutationes, cùm in extremis perpetua sit hyems, aut æstas. in medio veris etiam, & autumni magnæ mutationes. & paulò post. Australium natura congruit cum calore, Scy-

Cap. 1.

Scytharũ cũ frigore; qui in medio sũt, tametsi ceteris tẽperatiores videntur, nihilominus à calore & frigore oppugnãtur; & frequẽtes habent aeris mutationes, quæ morbos pariunt, & senectam præmaturam.

Rursus pleraq; alia ex eodem auctore allata reijciuntur. Defenditur Hippocrates. Cap. 25.

HAec ille; at verò si magnæ, si frequentes in hac regione sunt aeris, ac temporum anni quatuor mutationes, quo modo temperatissima dici potest? certè qua ratione hæc inter se cohęreant non video; Aristoteli, & Hippocrati vehemẽter aduersari equidem nõ dubito: vt prætereã, quod hic auctor verbis paulò supra adductis adiungit, Ptolemæi fortasse sequens auctoritatem, Australium naturam cum calore cõgruere, Scytharum cum frigore, ijs omnino esse contrarium, quæ in Quæstionibus docuit Aristoteles, inquiens naturã contra quàm loca se habere; quam sententiam infra cumulatè expendemus: immò & ijs, quæ ipsemet passim toto illo capite docet de Australium naturæ frigiditate, deq; Scytharum caliditate: siquidem vno in loco sic inquit. Cùm autem Scythæ calidi sint, & humidi, vnde fęcunditas ingeneratur; dubium non est, quin omnium populorum fęcundissimi sint. ac nescio quonam modo Hippocrates Scythas vẽtre frigidos esse putat: id enim falsum esse natura ipsa demonstrat. nam quæ ratio est, vt hyeme maior sit in visceribus quàm ęstate calor (id enim feruens ore fumanti halitus significat) eadem est ijs, qui Septentriones incolunt. ac propterea sunt hyeme viri ad gignendum aptiores, non salaciores, vt putauit Aristoteles: nam salaciores sunt æstate viri propter acrimoniam flauæ bilis, quæ æstate copiosior est; minus tamen idonei: ita quoq; Australes salaciores, Septẽtrionales magis idonei. At si hoc verum est, quo pacto Scytharum natura cum frigore, Australium cũ calore congruere poterit? si enim Scythæ calidissimi sunt natura, ideoq; terræ visceribus per hyemem comparati, cum calore consentiunt non cum frigore; quod idem de Australibus frigiditatis ratione venit asserendum, nam & propterea idem auctor sanguinem Scytharum fibris plenũ, vt in Apris & Tauris, esse inquit, vnde robur & audacia illis ingeneretur; Australium tenuem, vt Leporum, & Ceruorum, & quod in idem redit frigidiorem; quo fit vt timidiores sint & imbecilliores. quo etiam loco perspicuè asserit, eos omnes, qui à quadragesimo quinto gradu versus Septentriones positi sunt, intus magis, ac magis calescere; quod etiã & superius à nobis ex eo allatę demonstrarunt auctoritates; vt iam hæc non modò nõ cohærentia, sed maximè disiuncta, atq; contraria esse videantur. Quod verò nouus hic sapientiæ magister aduersus Hippocratem, & Aristotelem affert, nullius est momenti; siquidem diuinus Senex Scythas ventre inferiori frigidos ponit, vt ex eius verbis constat ob aquarum potum frigidissimarum, non ob aeris ambientis frigiditatem: inquit enim. Aquas insuper bibunt ex niue & glacie resolutas. non secus ac de vrbibus in Aquilonem inclinantibus loquens, homines ibi duros ventres infernos habere scribit, cùm duras aquas esse posuisset. quæ causa Scythas eos, de quibus loquitur Hippocrates, reddit infęcundiores: nam vt Aristoteles libro quarto de Animalium Ortu auctor est, crudæ aquæ, & frigidæ aut sterilitatem faciũt, aut partum fęmineum; quare obiectio nulla.

Sect. 14. Prob. 8. — Cap. 2.

Defenditur Aristoteles, Bodinusq; adhuc reijcitur. Cap. 26.

QVod verò ad Aristotelem attinet, primùm Bodinus quod in Præceptore reprẽhendit, ipse paucis interiectis verbis tanquam verum recipit; scribit enim paulò post sic. Eadem natura fecit, vt hyeme viri, æstate fœminæ ad venerem procliuiores sint, vt aiunt medici &c. quo loco quid intersit inter procliuiorẽ ad venerem esse, & salaciorem, equidem non video. Prætera Aristoteles libro quinto de Animalium Historia sic inquit. Stimulatur ad venerem mas hominum magis tempore hyberno, fęmina æstiuo. quo loco de salacitate nullũ verbum. Hoc idemq; sectione quarta Quæstionum habet; vbi hanc rem non semel discutit: quærit enim cur hyeme viri magis concumbere valeant, reiq; venereæ sint appetentiores. quibus in locis nulla est de salacitate mentio. Deinde siquis Aristotelis loca accuratè consideret, videbit libidinosiores, salaciores, veneris appetentiores, & eos, qui magis concumbere valeant, magisq; ad venerem stimulentur, pro eodem ab eo ferè sumi, cùm & ἀφροδισιαστικωτέρους, & λάγνους, & ὀχευτικοὺς, & ὁρμητικωτέρους hoc vocet Aristoteles & eosdẽ dicat ὀργᾶν πρὸς τὴν ὁμιλίαν, horumq; omnium easdem causas afferat, & quæ per se hu-

Cap. 8. — Prob. 26. 29.

ius effectus, vt philosophum decet, non per accidens sint tales; proindeq; tempora exprimat, in quibus hæ causæ cùm in viro tùm in muliere locum habeant; qualis præsertim est caloris, & humoris in corpore abundantia, & potestas: ex quibus rebus, vt perbellè inquit Aristoteles, & oritur semen, & copiosum generatur, & vires corporis augentur; quod per se causa est in venerem procliuitatis. quę quidem causa ob expositas à Præceptore rationes in muliere æstate viget, hyeme in viro; vt toto cęlo à recta aberrare via Bodinus videatur, dum æstate non hyeme contra sententiam Præceptoris viros salaciores esse definit. vt præteream & bilem atram esse ob flatuosam, quam habet, naturam, non flauam, quæ veneris reddit homines appetentiores, vt in Problematis Aristoteles pulchrè ostendit; & si id etiam Bodino concederetur, illud tamen fateri eum oportere, causam non per se, sed per accidens huius effectus ab eo esse allatā. Demū longè aliud est quærere, an viri, vel mulieres sint ad gignēdum aptiores, & quo tēpore tales existant; aliud verò an salaciores; cùm vir possit esse salacior, ac simul etiam aptior ad gignendum, & è contra; item & mulier; & eadem anni parte, & diuersis; eò quòd hæc duo à diuersis causis pendeant, neq; sint inter se contraria, vt Bodinus videtur arbitrari, mirificè propterea hallucinans in proponenda quæstione: quare in veritatis Principes iniustè debacchatur. quod tamē nemini mirum esse debet, cùm eadem, maioriq; licentia in Catholicam, Romanamq; Ecclesiam in Summosq; eius Pontifices sępè in suis scriptis deliret; vt hac de causa hęc, & similia aduersus ipsum libentius placuerit animaduertere; ne quis, quòd & pulchra, & vtilia, nec trita in ciuili philosophia susceperit pertractāda, ideoq; nō exiguū his tēporibus eruditionis nomē adeptus videatur, eius opinione patiatur circūueniri; cùm ea omnia, quæ de suo addit à Veteribus dissentiens, ac longè magis ab Ecclesiæ Patribus erroris plena sint, & contraditionis. sed vt vnde aberrauimus, eò redeamus, sic tandem hic Auctor de horum populorum natura, forma, & corporum magnitudine rursus definit.

Sect. 4. Prob. 31. Sect. 30. Prob. 1.

„ Sunt igitur, inquit, Australes, quod ad „ formam corporis attinet, frigidi, sicci, „ duri, glabri, debiles, colore fusco, par„ uo corpore, crispo capillo, nigris oculis, „ voce clara. Septentrionales calidi, humi„ di, pilosi, robusti, colore candido, magno corpore, carne molli, fluxo capillo, cæsijs „ oculis, voce graui. eandemq; sententiam „ infra sequitur, volens in omnibus horum corpora esse contraria; adeò vt, quia contrariorum eadem est disciplina, si Australis ater est, Septentrionalis candidus, si magnus, ille paruus existat, & de reliquis eodem modo. quo loco prudentior factus, non amplius grauem vocem clarę opponit, vt fecit verbis superioribus, quasi clara & grauis simul esse vox non possit, sed rauca. postremò de corporū magnitudine sic denuo oratione intolerabilis arrogātię plena statuit. Falsum quoq; est id, quod Plinius „ scribit, corporū proceritatē ęquè in Austro „ spectari ac Septētrione; quòd hîc humoris „ alimentū, illic igniū vis maior est; non mo„ dò in historia, sed etiam in ipsa ratione pec„ cat. infinita sunt eiusmodi apud Aristotelē, „ Hippocratem, Galenum, Diodorum, Hero„ dotum, Volateranum, Sabellicum; quæ sin„ gula si persequar, infinitus sim.

Soluitur quarta dubitatio. Defenditur Hippocrates, & Aristoteles. Bodinus rursus reijcitur. Cap. 27.

QVid igitur in tanta Auctorum dissensione pro quarta dissoluenda difficultate, quod probabilitatem aliquam habeat, dicere poterimus? Primùm hoc firmiter asserere non verebimur, secus quàm Vittruuius, Ptolemæus, Bodinusq; dixerint, verè ab Aristotele memorato Problematū loco traditū esse, in vtraq; regione tùm feruenti, tùm glaciali procera hominum corpora spectari; vt illum meritò grauissimus auctor Plinius sequi voluerit. hoc enim experientia ipsa docet, cùm immania Aethiopum corpora nō rarò cernātur, vt & idem Plinius septimo libro Historiæ Naturalis refert, testes adducens. Præcipuè (inquit) India, Aethiopumq; tractus miraculis scatent. maxima in In„ dia gignūtur animalia; indicia sunt Canes „ grandiores cæteris. & paulò post. One„ sicritus quibus in locis Indiæ vmbræ non „ sint, corpora hominum cubitorum quinū, „ & binorum palmorum existere. & mox. „ Troglodytas super Aethiopiam velociores „ esse equis. Pergamenus Crates. Item Ae„ thiopas octona cubita longitudine exce„ dere. ac ratio pulchra iam supra ex Philosopho allata est: calor enim internus valde potēs copioso humori adiunctus glacialis regionis corpora procera reddit; neq; externum frigus, tametsi ingens, resistere potest.

Cap. 2.

test. In feruida verò regione cùm nullum sit externum frigus, nihil est quod augmento aduersetur. Nec Hippocratis obstat auctoritas: nam primum occurrit doctissimè Septalius, diuiuum Senem potissimum loqui de solitudine Scythiæ, in qua nec arbores, nec feræ existunt magnæ. quam responsionem illud reddit valde probabilem, quod supra monebamus, Scythicam, glacialemq; plagã triplicem Hippocratem efficere. item de illis regionibus, quæ è directo flantem vehementer Boream excipiunt; ideoq; omnibus huius vẽti iniurijs sunt expositæ, sermonem præsertim habere, vt Laponum & Scrisiniorũ; in quibus neq; excelsæ syluæ, neq; magna animalia inueniuntur: cùm alioqui in reliquis, quæ mitiores huius flatus sentiunt vires, ab eoq; aliquo modo sũt ꝓtectę, magnę, frequẽtesq; syluę, & animalia reperiãtur. Deniq; nec magna animalia ad Septẽtriones reperiri, qualia sũt Elephãtes, Rhinocerotes, Leones, Cameli. eandemq;, vel certè parum diuersam responsionem Cardanus eundem locum explicans afferre videtur; nam Alemanus interpres omnino silet. & quoniam isti de hominum proceritate non dixerunt, idem de illis quoque afferri poterit; videlicet si homines eo loco paruos gigni voluit Hippocrates, non de iisdem intellexisse, de quibus & Aristoteles, sed de eis gentibus, quæ Polo sunt proximiores: ꝙ Bodino ita scribenti video placuisse, vt iniuria hoc nomine Hippocratem postea repræhẽdat. Itaq;, inquit, quod » ait Hippocrates ad Septentrionẽ homines » pallore, ac macie deformes esse absurdũ e- » rit, nisi ad extrema loca Septẽtrionis refe- » ramus. quòd itẽ Veteres robustos, & ꝓce- » ros esse aiũt ad citeriora. atq; hoc mihi du- » bitãti confirmauit Gaspar Holester Suecus » Metropoli Vrbe Stocolmiæ in intima Go- » thia oriũdus. Deinde quoniã Hippocrates non quidem homines paruos, sed feras tãtùm paruas esse locis illis affirmauit; respondemus nõ eãdem esse de hominibus, ac reliquis animalibus rationem: propterea homines esse ibi proceros posse, tametsi ferę magnæ non existant.

Qua ratione dictũ sit superiori capite, non esse eandẽ in frigidis locis, quod ad incrementũ pertinet, hominũ et animaliũ rationẽ. Tollitur ex Arist. dictis cõtradictio. Cap. 28.

HVius rei, mea sententia, causa est, quoniam homo animal est proportione sui corporis lõgè pluri, & sinceriori, potẽtioriq; calore reliquis animalibus abũdãs, ꝙ tertio libro iã supra fuit explicatum, & fusius sequẽti explicabitur. quare in frigidissimo tractu à frigoris vi huiusmodi calor nõ superatur, dũ pellitur ad interiora; sed potius coaceruatus, & collectus redditur potẽtior; proindeq; humori, qui & plurimus & ꝓprio calore, quẽ admixtũ habet, non destitutus, eo loco in corporibus redũdat adiunctus, proceritati illorum mirè cõducit. At è cõtra animaliũ illorũ calor, cùm longè sit imbecillior, frigoris externi vi adhuc fit debilior; item humor cùm sit valde aqueus & frigidus, facilè est gelabilis; ideoq; eorum corpora sunt minora. Hoc enim Aristotelis dogmatibus esse consentaneum, illi facilè concedent, qui viderint, Asinum ideo in terra Illyrica, & Thracia, & in Epiro paruum gigni, eum velle, quia, cùm frigidum animal sit, externo frigore vitalia principia superantur, & mirificè læduntur; item viros hyeme Problematum quarta sectione (quod & paulò supra monebamus) esse robustiores, venerisq; appetentiores, eandem ob causam; mulieres viribus infirmiores. *Prob. 26. & 29.* quoniam enim in his longè minor est calor, per id temporis fit etiam imbecillior, quia resistere non possit; quare & eorum vires collabuntur. Hinc oues frigidi tractus contrà quàm homines affici idem libro quinto de Anim. Orru notatũ reliquit: *Cap. 3.* cũ .n. Scythę molli sint pilo, oues Sauromaticę durum habent: exprimit .n. calorem in illis externũ frigus quoniã illũ superat, ideoq; pilũ facit duriorẽ, quia exsiccat, quod in hominibus non potest. quare nõ quia animaliũ calor nimio humore obruitur, ideo ibi parua existũt animalia, vt Bacci[9] interpres locũ Hippocratis explicans existimauit; sed quia redditur ob dictã rationẽ imbecillior; item hac maximè de causa, quia humor illorũ valde aqueus est, & facilè gelabilis; vt voluisse Aristotelem, sequenti libro demonstrabimus. enimuero regionis, ambientisq; frigus tùm quidem obest, cùm per se agit, ac omnino vincit; vnde si aliqua ad Septentriones regio est, quæ nimia frigiditate vitalia hominum principia insigniter superet, sine vlla dubitatione in ea corpore parui homines inueniũtur; vt si de hominibus etiã intellexit Hippocrates, cũ dixit animalia locis illis non esse magna; item cùm de Scythico agens temperamento pronunciauit, infęcundos homines, ac mulieres ibi esse, corporeq; & animo malè

lè affectos; talium locorũ respectu id pronunciasse videatur. atq; hoc est cui Bodini historia fidem tribuit, & Septalij respõsio asserẽtis, Hippocratis dictum de illis regionibus esse intelligendum, quæ omnibus Aquilonũ, & frigoris iniurijs sunt expositæ. Secus autem dicendum si per accidens antiperistasi frigus insitum calorem, vitaliaq; principia robustiora efficiat: tunc enim & ad corporis proceritatem, & ad fęcũditatem, & ad huiusmodi alia, licêt per accidens, plurimum confert. atq; hęc causa est cur frigus, quod per se agens valde obest (qua de re initio huius libri dubitabamus) multa nihilominus commoda hominum ortui, fęcunditati, proceritati, vitæq; longitudini afferre queat; quin etiã & eorum animalium generationi, quorum vitalia principia eius vi non superantur; vt hac de causa flatus, aspectusq; Aquilonius mares gignere, frigidusq; tractus, ac tẽperamenti ratione contrarios fęcundas mulieres, magnaq; hominum corpora producere possit. quãquam & cur frigus si valde superet, & per se agat, nocere multùm, si nõ superet, & per accidens concurrat, prodesse multùm valeat, sequenti libro fusius explicabimus. Similis responsio omnem fugat ex Aristotelis dictis vmbram contradictionis; Philosophus enim in Opusculo de Longitudine & Breuitate Vitæ non dixit vniuersaliter omnia animalia in frigidis locis minora esse, & vitę breuioris, sed pauci sanguinis, & exanguia tantùm animalia; idq; ob eam causam euenire affirmauit, quia, cùm animalibus cunctis humidum locis frigidis sit aqueum magis, & facilè gelabile; talibus magis adhuc aqueum existens, facilius ab excellenti frigiditate vincitur ac gelu adstringitur, quod augmentum tollit, ac vitæ perennitatẽ: de qua re sequẽti libro plura suo loco. eius autẽ hæc est oratio. Quare hæc quidem nõ fiũt
» omnino animalium, quæ pauci sanguinis,
» aut exanguia in ijs, quæ ad Vrsam locis,
» neq; pedestria in terra, neq; aquatilia in
» mari. hęc autem fiunt quidem, minora au-
» tem, & breuioris vitæ; aufert enim gelatio
» augmentum. Hæc ille; & sanè verissimè. horum nãq; humidum facilius est gelabile ab externi frigoris iniuria, calidum facilius refrigerabile. At de calidioribus animalibus, ac de hominibus præsertim alia omnino ratio est, vt supra diximus. quare possunt homines, quin etiam & debent ad Septentriones esse proceri, tametsi alia animalia magna non existant. eademq; causa externi aeris consentiente temperamento magnos in calidioribus locis eos reddit. humidũ nãq; illorum est calidius ob regionis temperationem, quin etiam & corpus nulla externi frigoris iniuria lacessitur, & calore loci refouetur: neq; enim omnia in contrarijs regionibus contraria sunt, vt Vitruuius, ac Ptolemæus videntur existimasse, sed nonnulla etiam similia, ex quò, vt pulchrè tertio de Plantarum causis notat Theophrastus, frigidissimi & calidissimi tractus frumentarij pariter sunt, & fertilissimi; vt Thracia, Pontus, Aphrica, Aegyptus. quare nihil mirum si in vtraq; plaga adsit corporum proceritas.

Cap. 29.

Quędam superius adducta tollitur dubitatio.

Cap. 29.

NEc valde vrget quod supra dicebamus, humidum omnium animalium, tùm etiam hominum ad Septentriones magis esse aqueum, ideoq; minus calidum; vt hac de causa minora hominum corpora locis illis esse debeant, maiora ad meridiem. Nam primùm Aristoteles dixit tantùm vtrobiq; magno corpore homines adolescere, sed non explicuit vtro loco maiores essent; deinde ratio fortasse est, vt ad Septentriones sint proceriores, tametsi vitæ etiam existerent breuioris (qua de re sequenti libro disputabimus) quoniam humidum potissimum est causa augmenti, vt supra ex Aristotele diximus, libroq; sequenti dicemus vberius; siccitas verò auctioni penitus contraria. at Scythæ incolæ Ponti, & Thraces humidi sunt, & aer ambiens eos humidus. Aethiopes contra, qui loca incolunt calida, cicciores sunt, & Cœlum ambiens tale, vt Aristoteles libro quinto de Animalium Ortu admonet; quare tametsi hi vitæ essent perennioris, non sunt tamen ad capiendum incrementum natura adeò dispositi: habent enim ob siccitatem materiam auctionis minus abundantem, quæ est humor. at Scythæ, similesq; populi calore abundant, & humore longè magis: itaq; & meritò, quanquam humidũ magis fortasse habeant aqueum, & minus calidum, ideoq; ad vitam producendam ineptius, maiores corpore nihilominus adolescunt. tantùm enim caloris habet eorum humor, quantum satis est ad nõ prohibẽdum incrementum; ipsum verò aqueũ quod in humido est sic affectum, vt sequẽti libro planius dicam, diuturnitati vitæ reluctatur, non corporis augmẽto; quod Pli-

Cap. 3.

nius

nius acutè cõtuens loco memorato humoris alimento rectißimè corpora reddi in glaciali plaga procera, notatum reliquit, si modò humorem hunc, vt supra monuimus, calidum esse intellexit; vt iniuria à nobis fortasse reprehendatur, quòd in ipsa ratione peccauerit, cùm id asseruit. Hinc ob humoris, alimentiq; abundantiam maris animalia maiora, corpulentioraq; esse quàm terræ decima Quæstionum sectione docet Aristoteles; vis enim solis in mari non æquè ac in terra copiã nutrimẽti detrahere potest. hinc fœminæ ob humiditatẽ citius, ac facilius quàm mares, cùm genitę fuerint, capiunt augmentum. Qua autem in regione diutius viuatur, & an vllũ sequatur absurdũ, si animalia, ac potißimum homines in ardẽtiori plaga ponãtur esse viuaciores, tametsi humoris minus habeant, sicciоresq; esse videantur, & ideo ad augescendum ineptiores; è contra verò in refrigerata vitæ breuioris, & nihilominus ob humoris redundantiam ad incrementum aptiores, sequenti libro demonstrabimus; hoc interea adiungentes, nos à Præceptore non dissentire, si omnẽ magnitudinis causam gentium refrigeratæ regionis in humorem referamus; cùm alioqui Aristoteles memorato Problematum loco, vt supra vidimus, id totum insiti illorum caloris abundantiæ tribuere videatur, apertè dicens in calidis, & à calore sequi incrementum: nam Philosophi dictum est intelligendum habere veritatem, vbi humoris copia calori nõ defuerit; ex quò & in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ humiditatem calidam causam esse augmenti, non calorem simpliciter asseruit. Placuit autem illi in Problematis calorem exprimere, quoniam de calore ipso, cùm in frigidißima, & humidißima versentur parte, non de humore dubitatio erat, an illum haberent; tùm etiam quia calor primaria, & efficiens est causa augmenti; cùm humor tanquã materia subijciatur. Sed de quarta dubitatione hactenus, & de corporum ad vtraq; extrema proceritate; & qua de causa, cùm in alijs dissideant, in hoc vno conuenire hæ gentes videantur: reliquæ enim differẽtię, de quibus inter cęteros Alexander Problematum libro secundo pulchrè nonnulla videtur disseruisse, adeò manifestæ sunt, earũq; causę, adeò apertę, vt nulla de illis sit dissensio. itaq; ad institutam disputationem redeamus.

Prob. 54. *Cap. 3.* *Prob. 6.*

Proponitur de climatum temperamentis disputatio. Manardi recitatur opinio, & reijcitur.

Cap. 30.

IAm verò his profligatis dubitationibus, restat nunc vt superioribus receptis fundamẽtis breuiter videamus, quid sit de climatum temperamento sentiendum. de qua quidem quæstione licèt Manardus septimo Epistolarum libro doctè, & subtiliter disputauerit, longè tamen à vero, atq; ab Hippocratis, Aristotelisq; mente videtur aberrasse; existimans sextum clima exactè esse temperatum, aut saltem exacto temperamento propinquius; mediumq; moderatum, & mediocre nactum esse temperamẽtum, qua de re fortasse longè aliter quàm à doctißimis etiam viris hucusq; definitum fuerit, si Hippocratis, Aristotelisq; nitamur fundamentis, videbitur statuendum. dicam enim in hac grauißima quæstione liberè quod sentio, licèt non ignorem quàm temerarium sit, nisi veritas ipsa cogat, quã nihil sanctius esse debet, à magnis hominibus dissentire. Manardus igitur Auicennæ, ac Auerrois dissidium in medio ponens, inquit horum alterum quartum clima exacto esse temperamento proximius asseruisse; alterum verò (& is fuit Auerroès in extremo secũdi Colliget) hoc negasse constanter, quintum præferens, & Græcorum regionem Galeni auctoritate: tametsi secundo Meteoron non solùm quintum, sed quartum etiam climata videatur dixisse tẽperatiora. Verùm hic primo vir eruditißimus videtur Auerroi imponere, quod nunquam dixit: nam secundo Meteorôn sibi perpetuò constans, ita scriptum reliquit. „Clima autem æquale, seu contemperatum est quintum, vt inquit Galenus, „non quartum, vt crediderunt multi homines, „quare in altero potius illo Auerroes erat ei refellendus, quòd Galenum quintũ clima præferre dicit, qui tamen in tertium sectum Aphorismorum Zonam habentem exactã temperiem, ac mediam Orbis terrarum, eam esse asserit, quæ per Cnidum, & Coum transit, & ea loca comprehendit, quæ non multùm ab his recesserunt vel ad Austrum, vel ad Aquilonem; qui terrarũ positus secũdũ eam distinctionem, quã Ptolemęus in Opusculo de Inerrantium Siderũ significationibus secutus est, vt in Anemologia ostẽdimus, in principiũ incidit quarti climatis; iuxta vulgarem verò descriptionẽ in medium; cùm Cnidi latitudo ab Aequinoctiali partiũ sit 36, Coi 36. 26. secũdum

Epist. 1. *Cap. 22.* *Aph. 14.* *Ann. & in Opus. Ptol.*

dum Ptolemęū : quam ab Aequatore distātiā parallelus vndecimus in Almagesto terminat, qui primo modo initium, secundo medium quarti climatis adducit(si vulgatā sequamur, & antiquam climatū diuisionē) per Rhodū trāsiens, cuius est latitudo partiū 36. ex quibus clarissimè probatur, Galenum quartum potius clima, nō quintum (nisi aliam climatum diuisionē secutus sit) exactè temperatum existimasse. Diximus parallelum vndecimum ex Ptolemæi sententia citato libello climati quarto initiū dare, quoniam in tradenda parallelorum, climatumq; descriptione varius fuit auctor pro varietate rei, quam docebat; vnde aliā in Almagesto, aliam in Cosmographia, aliā demum in eo libello videtur tradidisse. Hinc verò Montanum in explanationibus super Auicenna insigniter errasse palàm est, cùm scripsit Ptolemæum in prima Tabula Asiæ Cnidum, & Coum in vndecimo parallelo ponere, & in fine quarti climatis, quintiq; principio. eò quòd si sequamur diuisionē in Geographia à Ptolemęo positam, Cnidus, & Coos, vt primo libro patet, sub decimo sint, non sub vndecimo parallelo: quia scilicet per Rhodum decimus ponatur ibi pertransire, eiusq; esse distantiam ab Aequatore part. 36. quę in Tabula prima Asię Cnidi, & Coi est latitudo, ac iuxta vulgatam climatum diuisionem in quarti climatis medium incurrit. Vndecimi verò paralleli distantia constituatur partium ferè 39. sub qua certum est Cnidum, & Coum esse non posse; quæ sanè distantia partium 39. cùm finem quarti, & initium quinti climatis afferat iuxta vulgatam diuisionē, iam satis est perspicuum, Ptolemęū in Tabulis neq; sub vndecimo parallelo, neq; in quarti climatis fine, vel principio quinti Cnidū, & Coū collocasse, vt censuit Montanus. Post hæc Manardus ostendere volens quartū clima temperatissimum dici non posse, sumit pro hypothesi, ipsū trigesimo tertio ab Aequatore gradu, & primis scrupulis, insuper 40 initiū ducere. quo posito, ad hoc probandum quatuor adducit rationes. Prima est. distantia Poli ab ipso Aequatore partiū est 90 cuius mediū est 45. itaq; si id est temperatissimū, quod est exactè mediū Orbis terrarum, vt Galenus voluit, vel id quod est medium in longitudine, & latitudine, vt Auerroes, clima hoc quartum non erit tēperatissimum, veluti quod non sit medium Orbis terrarū, sed distet à medio partibus 11. scr. 10.: ac si quis vrgeat Galenum per Orbem terrarum non absolutè totam hanc terræ portionem, quæ ab Aequatore est ad Polum vsq;, sed habitabilem tantùm intellexisse, septem climatibus ab Astrologis diuisam, quorum quartum medium est, tria ex vtraq; parte climata relinquens; tunc secundo Manardus argumentatur, diuisionem hanc voluntariam esse: & si ipsam rei naturā sequamur, apertè colligi, clima hoc quartum, non propter hoc, quòd in medio numeretur, mediam quoq; naturam in calore & frigore sortiri; cùm ob maiorem anguli, quem Sol terram verberans, in eo facit ad rectam propinquitatem, potius calere clima hoc, quàm frigere sit necesse: & si medium rei accipiamus, non sit verè mediū; quoniā tota à climatibus cōprehensa latitudo partibus constet 37 scrup. 45. mediū verò huius quarti, climatis vt potè incidēs in part. 36. scr. 20. distet à principio primi, partibus 23. 35. à fine septimi part. 14. 10. Siquidē Manardus principiū primi climatis ponit esse sub latitudine part. 12. 45. ab Aequatore, extremū septimi sub latitudine par. 50. 30. Duas alias rationes alteram ab horologiorū varietate sumptā, alterā ab ea varietate, quæ in habitabili parte contingit, cùm eodem tendant, consultò prętermittimus. Quarto climate confutato, vt potè quod ingenti calore exęstuet, quintum, quod per Romam vocant, licēt minore calore prematur quàm quartum, ex eo tamen refellit, quòd longè magis & ipsum caleat, quàm vt mediocre dici possit; sicut in Austrum magis quàm in Aquilonem inclinat; quo fit vt verè quidem mediocritati propinquum, non exactè tamen mediocre dici possit.

Manardi rursus adducitur opinio, & reijcitur. Quid pro veritate de climatum temperamentis sentiendum.

Cap. 31.

HIs ita constitutis, satis clarè sequi Manardus inquit, sextum clima esse pręferendum, vt potè in medio exactè collocatum; cùm eius medium in partem ferè incidat quadragesimam quintam, quę medietas est partium 90.: ex quò & exactè medium, & temperatissimum, & mediocre huiusmodi clima esse concludit. Hæc nouissimè Manardus vir eruditissimus de nostri Orbis climatum temperamento. verùm ego, si ea firma manent, quæ supra disserui; quæ si non sequamur, iacere necesse est ipsam veritatem; longè alia via ex Hippocratis, Platonis, Aristotelisq; decretis rei tantæ

Epist. 1. | Cap. 23. | Cap. 22. | Epist. 14. | Anim. 1. in Opusc. Ptol. | Prob. 5. | Cap. 3. | Prob. 6.

tantæ veritatem puto inquirendam. à qua quidem omnes, qui de temperamentis climatum disseruerunt, toto Cœlo video aberrasse: dixi nostri Orbis, quoniam disputatio illa, quæ de Aequatoris, vniuersiq; Orbis temperie quærit, in præsentia mihi silentio est inuoluenda, alio quidem in loco ostensuro, quæ de nouo Orbe inuenta sunt, Aristotelis dictis, & principijs nō repugnare. Patet igitur qui nostri Orbis climatum temperiem sibi indagandam proposuerunt, vel quartum, vel quintum, vel demum sextum clima præferentes, parum fuisse memores duplicem apud Hippocratem, & Aristotelem inueniri temperaturā; ac vtranq; optimam diuersa ratione posse appellari. item eam temperiem, quæ moderata, mediocris, mediaq; dicitur, & exactè temperata, vnicā tantùm esse secundum illos; videlicet quæ in æquilibrio ferè sit posita qualitatum omnium, & æqualissima sit, nullasq; habeat magnas, crebrasq; mutationes, ad calorem tamen, ac humorem declinet. quibus iactis, receptisq; fundamentis, quæ satis superq; à nobis firmata in superioribus fuerunt, perspicuum est longè aliter quàm ipsi fecerint de climatū temperamentis esse ex magistris primis iudicandum: enimuero si temperiem optimam, quatenus dicit exactam illam temperaturam, ac mediocrem, perquiramus, quæ & fœcundissima, & vegeta reddit humana corpora, atq; ad corporeas actiones has obeundas summè apta, sine dubio hāc Hippocrate, Aristoteleq; teste, ac Theophrasto non in quarto climate, vt Auicenna arbitratus est, & Galenus ante illum, longèq; minus in quinto, vt Auerroes, adinueniemus, in sexto, quod putauit Manardus, nullo modo; sed potius in tertio, ac præsertim circa medium illius, quod per Alexandriam Aegypti transit; ac ratio quidem est, quoniam in hoc tantùm climate ea locum habent, quæ Hippocrates de Asiæ illa regione differit; quæ Herodotus, Aristoteles, ac Theophrastus de Aegypti fœcunditate testificantur, ac de perpetua Cœli mollitudine, & clementia. quare Manardus, mea quidem sententia, insigniter errauit sexto climati impartiens exactum hoc temperamentum; quod æqualissimum Hippocrates appellat, ac nullas ferè vult recipere mutationes; quodq; vix in principio quarti inueniri potest in medio, ac fine ipsius nullo modo; quodq; Manardus rectissimè exponit, nil esse aliud quàm mediā in calore, & frigore naturam. Quin potius sexti climatis temperatio ex diuini Senis decreto inæqualissima, maximis, crebrisq; ad calorem, & frigora mutationibus obnoxia vocari debet, vt potè quæ nimijs algoribus, & æstibus infestetur; quod profectò temperamentum Europæum ab Hippocrate dictum, vt supra explicauimus, perpetuò ab eo opponitur illi temperamēto, quod exactè temperatum, in medio caloris, & frigoris collocatum, sed tamen à frigiditate remotius, Veriq; simillimum, moderatumq;, & mediocre, demum & his de causis æqualissimum, ac Asiaticum solet ipse appellare. quanquam, vt infra dicturi sumus, neq; etiam huiusmodi Europæum, vt Hippocrates vocat, temperamētum sexto climati propriè conuenit. quāobrem hac in re Manardum amore proprij climatis seductum, magnopere à suo Præceptore desciuisse constat; vt mirum omnino videatur, quo modo voluerit clima illud posse mediam naturam in calore, & frigore sortiri. nec ratio illius momenti aliquid in se habet; cùm enim medium possit esse duplex, vt pulchrè secundo Nichomachiorum docuit Aristoteles, rei, & virtutis, hanc exactam temperiem qualitatum quidem medium, quod per abnegationem extremorum dicitur, non per participationem, virtutis rationisq;, non rei medium constituit, & quantitatis, vt supra aduersus Bodinum disputantes innuebamus, quod ab vtroq; extremo æquè distat, estq; vnum & idem omnibus. quod quidem qualitatum medium, cùm temperamentum Hippocrati sit æqualissimum, excessus, extremiq; omnis expers, eundemq; seruans perpetuò modum, ac tenorem, non potest cum rei, & quantitatis medio conuenire; in quo alterni harum qualitatum excessus dominantur: proindeq; nec sexti climatis esse proprium. Cur autem in climatum temperamentis qualitatum medium cum rei medio non consentiat, alia ratio est, ab actiuarum qualitatum natura pendens, de qua alio commodiori in loco à nobis disputabitur.

Cap. 6.

Vera adhuc de climatum temperamentis sententia aperitur. Platonis locus ex Timæo expenditur.

Cap. 32.

QVòd si temperiem optimam quæramus, quatenus dicit Cœlum ad homines animo, menteq; præstantes producēdos aptissimum, iā patet ex superioribus nō amplius

plius tertiũ clima, vel quarti partem illius ratione esse præferendam, sed omnino principium quinti, & finem, mediumq; potissimum; vt nil sit mirum, si quot quot ferè viri vel in bellica arte, vel in republica administranda, vel in scientiarum cognitione excelluerunt, omnes in hoc quinto climate floruerint; vel saltem aliorum climatum respectu longè plures. ratio nanq; aperta est, ia nq; supra ex Hippocrate à nobis explicata: habet enim hoc clima magnas, & crebras ad calorem & frigus, ad siccitatem & humiditatem, ad pluuias ad ventosq; mutationes, sed non tamen omnino excedentes; cùm neq; nimijs algoribus, neq; nimijs caloribus prematur, vt extremæ regiones; ex quò & Europæum illud nactum est temperamentum, quod Hippocrates ad mentem, animumq; excitãdum summè aptum esse docuit. quod quidem cùm latitudinem habeat quandam, vt non semel supra monuimus, suasq; vires alibi maiores, minores alibi exerceat, pro maiori minoriuè situs dispositione; vnde & Grecorũ gẽtes eadem inter se differẽtia seiungi septimo Politicorum notabat Aristoteles; nil mirum si Italia, vt potè quæ ob suam positionem longè efficaciores temperamẽti huius vires experiatur, homines habuerit, qui summæ semper extiterint virtutis tùm in bello gerendo, tùm in republica gubernanda, tùm in artibus, scientijsq; addiscendis; atq; in magna propterea existimatione apud cęteras gentes habiti sint. Aristoteles tamen, vt supra vidimus, suis rebus fauens Gręciam, quę non lõgè distat, Hippocraticis his, vt reor, impulsus demõstrationibus, videtur extulisse; ipsius gentes natura ad imperandum procreatas esse dicens. quod sanè imperium cur hodie nõ retineant, cùm tamen ea, quæ naturalia sunt, semper, vel vt plurimum eodem modo se habeant, alia ratio est: qua de re D. Thomas septimo Politicorum elegãter disputauit. Sic Plato in Timęo ijsdem Hippocraticis permotus rationibus, Athenarũ situm talem esse scripsit, vt ob εὐκρασίαν τῶν ὡρῶν, idest ob tẽporum commodã ad hoc temperiem prudẽtissimos homines produceret; armis scilicet, & sapientia præstãtes.
" Sic enim interprete Ficino locutus est. Cũ
" in vrbe condenda eam regionem elegisset,
" quæ ob aeris temperiẽ prudentissima inge-
" nia procrearet, vt potè bellicosa & sapiens
" Dea regionẽ eligẽdam censuit talẽ, quæ es-
" set sui similes homines editura. addere tũ Marsilius debuit nostra sententia temporũ vel commodam, vel aptam, vt particulæ εὖ & vocis ὡρῶν vim exprimeret. neq; enim dixit Plato κρᾶσιν simpliciter, idest tẽperiem, sed εὐκρασίαν τῶν ὡρῶν, idest commodam, aptamq; temporum anni temperaturam. Enimuero non τῶν ὄρων, adeò vt vox montes significet, quemadmodũ puerili errore Serranus legit, habentq; Basilienses codices; quem etiam errorem Longinus Platonicus secutus est, non aeris tẽperationem, sed soli assignari dicens; verùm τῶν ὡρῶν legendum est, vt designet tẽpora anni, quemadmodum Aldinus habet, atq; vt Galenus legit, Platonis locum hunc adducens in Opusculo Quòd Animi mores corporis temperaturas sequatur. quæ quidem Platonis verba ipsius Galeni Interpres parum rectè, nisi fallor, transtulit, dum ita illa interpretatus est.
" Cùm mediam in eo
" partium anni temperiem prudentissimos
" viros laturam videret. si modò per mediã (vt videtur) temperiem in calore & frigore mediam intellexit, quod Panetius quoq; Foxio referẽte videtur voluisse; aeris tẽperiem hanc mediã esse inter æstum, ac frigus dicens. quandoquidem propriè media tẽporũ temperatio ea est, quæ nullũ excessũ admittit, nullam magnã, violẽtamq; mutationem; qualẽ nullo modo temporibus illis conuenire scimus, quę Athenis fiunt, & quę Hippocrate teste ad animũ, mẽtemq; acuẽdam sunt idonea. Diuinus nanq; Plato ab Hippocrate edoctus temperationẽ hanc nõ dixit esse mediam, sed εὐκρασίαν appellauit, non quia magnas mutationes non haberet, sed quia, vt Hippocrates docuit, cõmodissima, aptissimaq; sit ad homines bellica arte, & sapientia pręstãtes producendos. quod etiam citato septimi Polit. loco cõfirmauit Aristoteles eandem attingens quæstionẽ, & mirificè Platonis verba illustrans; qui pulchrè ad eucrasiam hanc Platonicam respiciens, naturas gentium præstantiorũ eadẽ voce dignatus est, probè natura tẽperatas ad vtranq; facultatem esse dicẽs. quam profectò causã longè magis esse & naturæ cõsentaneã, & Platonis ingenio dignã, quam si cum Origene in his verbis interpretandis ad cęlestes influxiones tanquã in Aram cõfugiamus, vel si Panetij, & Longini sequamur explicationem; aut demum si temperationis huius naturalem causam deserẽtes cum Porphyrio, & Proclo allegoricam reddamus, omnibus, arbitror, esse manifestum.

Cap. 7.

Lect. 5.

Cap. 9.

Cur

Cur Romæ homines bellicosiores, Athenis sapientiores. Cap. 33.

ET sanè hæc omnia, quæ de huius quinti climatis præstantia dicimus, vera esse, Athenarum, ac Romæ Heroes faciunt testatissimum; quarum vrbium prior principium tenet ipsius, posterior medium. qua in re & illud, quod alicui mirum videri posset, naturalem omnino causam habet; Romæ scilicet bellicosiores, ad rem publicamq; fortitudine gubernandam, tuẽdam, propagandam aptiores extitisse; Athenis sapientiores; atq; ad remp. prudentia, consilioq; agendam aptiores; atq; in scientijs longè excellentiores: tametsi vtraq; ciuitas in vtroq; munere viros clarissimos habuerit. quoniam enim Athenæ Australiores sunt, regio etiam necessariò est temperamenti calidioris. at qui calidiora loca incolunt, sapientiores existunt; fortiores qui frigidiora: quod luculenter Problematum sectione decimaquarta docuit Aristoteles. mẽtis enim sedẽ calidioris loci accolæ frigidiorem habent, ac proinde ad mentis munera obeunda aptiorem: de qua quidem differentia infra quædam disputabo. ex quò & apud Scythas vnus tantùm post hominum memoriã philosophus extitit, Athenis multi, vt Galenus libello Quòd Animi mores corporis sequantur temperaturam, notatum reliquit. quanquam disciplina, viuendiq; ratio vel ad hæc semina excitanda, quæ nobis natura ingenuit, si consentiat; vel ad sopienda, si repugnet, ac delenda, plurimũ potest; cùm altera natura sit consuetudo, vt Aristoteles, Theophrastusq; docuerũt, Heraclito consentientes. afficimur enim his naturæ stimulis, ac immutamur, sed non tamen necessariò, quod nullus dixit sapientum; neq; etiam Galenus citato libro; qui vltimo capite homines bonos, aut malos non natura tantùm, sed disciplina, & electione fieri, & naturæ propensionem non secus institutis & disciplinis, quàm vino, cibis, ac medicamentis vel lædi, vel iuuari apertè fassus est; vt Bodinus audiendus nõ sit, dum in Methodo Galeno imponit. quòd scripserit aeris temperiem necessariò nos immutare; si immutare, cogere nos, vt videtur Bodinus voluisse, intelligamus. quòd enim alteret necessariò & afficiat, nullus est, qui neget. Hinc, vt redeam ad rem, locis calidissimis, metu pleni homines reperiuntur, ac timidi; sed solertes & indagatores, ac iam propter metum malefici, vt supra ex Aristotele, Plinio, Ptolemæo, ac Vitruuio docebamus. At verò qui loca frigidiora inhabitant, dummodo non vigeat excessus, in contraria sunt dispositione ob contrarias causas; ideoq; & animosiores natura, ac fortiores, sed non tamen ita mentis acie idonei ad scientias capessendas; vt nil sit mirum, si virtute animi Romani Atheniensibus antecelluerint; è contra mentis virtute ab illis fuerint superati. quod Vegetius Renatus primo libro de Re Militari testificatur his verbis. „Grçcorũ artibus, prudentiaq; nos vinci, nemo „vnquam dubitauit. nec etiam Cicero Romanus pariter homo diffitetur, ita Tusc. Quæst. libro primo de suis ciuibus scribens. „Iam illa quæ natura non literis assecuti sunt, neq; cum Græcis, neq; vlla cum „gente sunt conferenda. quæ enim tanta „grauitas, quæ tanta constantia, magnitu„do animi, probitas, fides, quæ tàm excel„lens in omni genere virtus in illis fuit, vt „sit cum maioribus nostris comparanda? „Doctrina Grçcia nos, & omni literarum ge„nere superabat, in quo erat facilè vincere „non repugnantes &c. quam etiam fortitudinis laudem Vitruuius quoq; videtur Romanis tribuisse, de illis ratione ducta à climatis temperie, atq; de ipso climate, sexto libro egregiè disserens; vt non parum fortasse Vegetius errasse memorato loco videatur, dum naturæ hæc fundamenta vel despiciens, vel ignorans, quæ in Romanis gentibus aduersus Germanorum proceritatem, & Aphrorũ dolos, tanquam propugnacula natura ipsa ingenuit; Romanæ virtutis causam in solam armorum retulit exercitationem, ita scribens. „Sed aduersus „omnia profuit Tyronem solertem eligere, „ius, vt ita dixerim, armorum docere, quo„tidiano exercitio laborare; quæcunq; in „acie euenire prælijs possent, omnia in cã„pestri meditatione prænoscere, & quoti„diano exercitio roborare, seuerè in desides „vindicando. quod tamen magnus philosophus Polybius haudquaquam fecisse visus est, qui de Carthaginensi, & Romana Republica agens, quòd Romana superior extiterit, nõ solùm reipublicç formã ac viuẽdi disciplinam causatus est, sed hanc ipsam quoq; naturç dispositionẽ, ac studia, & instituta ad eã excitãdã, & excolendã. „Differunt (inquit, vt ego interpretor) quidem „igitur natura omnes Itali à Phœnicibus & „Aphris tùm corporis robore, tum animi „confidentia, quæ à virtute ortum ducit, ac „fortitudine; ad hancq; partem excolendam in-

Prob. 15.

Cap. 11.

Cap. 1.

institutis iuuenes stimulant: vt ad hoc etiam animum intendens paulò supra dixerit, Romanos, statim atq; Italiam in ditionem suam, ac potestatē redigerunt, totius ferè Orbis terrarum imperio potitos esse. Vitruuij autem verba, quibus longè melius quàm Vegetius philosophatur, ita habent. Cùm ergo ab natura rerum hæc ita sint in Mundo collocata, vt omnes nationes immoderatis mixtionibus sint disparatæ; placuit, vt inter spatia totius Orbis terrarum, regionumq; medio Mūdi Populus Romanus possideret fines. Namq; tēperatissimæ ad vtranq; partem & corporū membris, animorumq; vigoribus pro fortitudine sunt in Italia gentes. Quemadmodum enim Iouis stella inter Martis feruentissimam, & Saturni frigidissimam media currens temperatur, eadem ratione Italia inter Septentrionalem, Meridianamq; ab vtraq; parte mixtionibus temperatas, & inuictas habet laudes. Itaq; consilijs refringit Barbarorum vires; forti manu Meridianorū cogitationes. Ita diuina mens ciuitatem Populi Romani egregia, temperataq; regione collocauit, vt Orbis terrarū imperio potiretur. Hæc ille; quanquam nisi Italicum clima sic esse temperatum censet, vt supra exposuimus ipsius testimonium adducentes, idest vt insignes nihilominus sentiat mutationes ad frigus & calorem, ab Hippocrate ipso dissentit, & veritate.

Manardus rursus confutatur. Temperamentum Vrbini proponitur indagandum. Item de conditionibus regionis, & vrbis optimè collocatæ, ex Platone & Aristotele. Cap. 34.

PORrò autem ex his omnibus perspicuū est, vt eò redeat vnde digressa est oratio, neq; etiam hoc sensu sextum clima, vt Manardus existimauit, optimè temperatū esse dicendum, & in medio positum caloris & frigiditatis. cuius assertionis ratio hæc quidem est, & summè efficax, quòd cū ad Septentrionē longè magis vergat quàm quintum, & declinet, iam non solùm magnas perpetitur ad frigus & calorem mutationes, sed etiam paulò excedentes; ex quò & Pontus, qui sexti climatis in medio collocatur, ab Aristotele ac Theophrasto, inter frigidissimos tractus recensetur; quos æstibus etiā vehemētioribus infestari pulcherrima ratione idē docuit in Problematis Aristoteles. ex quò & octauo Polit. in Ponto, tanquam iam in extremorum altero, atq; in excessu collocato, efferatas maximè gētes scripsit inueniri; simul & docens ab hac optima temperie longè esse alienas: quam mediam aliquando etiam appellasse visus est, non quia media sit inter frigus & calorem, eundemq; tenorem seruet, eandē æqualitatem, quod primæ tantùm speciei proprium est, sed quia media sit inter extremas, excedentesq; mutationes, videlicet inter maximos æstus & algores, atq; vtrarunq; mutationum particeps fiat; cùm alioqui mediocritatem illam frigoris & caloris, quam sexto climati Manardus impartit, & cuius ratione regio temperata absolutè dicitur, neq; quartum, neq; quintum habere clima, nedum sextum Hippocrates censuerit, vt supra vidimus. quare neq; Cardanus audiendus est, dum Ptolemęi verba explicans secundo Quadripartiti temperatissimam regionem circa partem quadragesimā tertiam ab Aequinoctiali, vsq; ad quadragesimam quintam esse definit; cùm loca, quæ latitudinem habent partiū 43. non temperatissima, vt ex superioribus constat, idest non absolutè temperata dici possint, ac primo modo, sed tantùm secundo. quę verò sunt sub latitudine partium 45. vel etiam ex Ptolemęi mente neutro modo, vt supra tetigimus, sint temperata. Sed quid? dum hæc meditor & scribo, an ingratissimi animi vitiū effugere queā, si regionis nostræ, & præsertim patriæ meę situm tacitus prætercam? An potius Platonis, Aristotelisq; pietatem imitans, qui suā pro viribus extulerunt, illud de ipsa verissimè dicam, nō solùm in quinto climate esse collocatam, sed ita positam tùm cœli aspectuum, tùm regionis ratione, vt philosophia, philosophiæq; proceres, ac magistri Hippocrates, Plato, & Aristoteles ad votum, ex animiq; sententia præstantiorem non videantur descripsisse. Primùm, vt Plato quarto de Legibus, Aristoteles septimo Polit. docent, ager ac regio debet esse copiosa, & rerum omnium ferax; sed tamē talis effici incolarum laboribus: ne scilicet nimia abundantia segniores, effeminatioresq; eos reddat. ex quò & Plato citato loco asperam regionem præferebat. Secundo magnitudine, & multitudine tanta esse debet, vt incolentes valeant in otio liberaliter simul, ac temperatè viuere. Tertio, quoad formam huiusmodi esse regionem oportet, vt hostibus ad inuadendum difficilis, suis verò facilis sit ad eruptiones, & excursiones faciendas; talis autem erit, si montana. Quarto ager faci-

Li. 5. de Orta Anim. li. 3. de Cau. Plāt. c. 29. Sect. 14. Prob. 13. Cap. 4.

Cap. 5. & 6.

facilis cognitu debet esse, idest eius naturæ, vt facilè posit subsidium ferri. Quòd verò ad vrbem pertinet maris cōtinentisq; ratione, si ex animi sententia eam constituere licet, primo opportuno in loco ad mare par est positam esse: erit autem talis, si Platoni credimus, cui Aristoteles non valde repugnat, si nec mari multum proxima, nec ab ipso valde procul absit; quam distantiam non minorem quàm stadiorum octoginta Plato definiuit. Secundo ad agrum probè sita esse debet, videlicet locis omnibus ad ferendam opem communis; item vt fructus prouenietes deportari possint; præterea vt ligna, seu materia, & si quid aliud genus ager ferat, non incommodè conferri valeant. Quòd si vrbis situm ad se ipsam referamus, non amplius ad externa; iam ad quatuor spectare oportere, grauiter, & eleganter eodem septimo Polit. libro docuit Aristoteles. Primo ad valetudinem vt rem necessariam; cui satis prospectum erit, si vrbs ad Solem orientem, flatusq; orientales inclinauerit. Secundo ad commoditatem, quod etiam non parum ad valetudinem confert. atq; hoc quidem erit, si ad Aquilonem vrbs ipsa vergat. Tertio, vt ipsius situs & constructio ad ciuiles actiones. Quarto vt ad bellicas sit accōmodata; siquidem quatuor hæc in condenda ciuitate spectanda esse, proposuisse Aristotelem, postquam ipsa nos inuitat occasio, quin etiam ob maximam loci obscuritatem cogit, ne quispiam falsa à nobis credat affirmari, infra demonstrabimus.

Cap. 11.

De præstantia situs Vrbini disputatur. item ostenditur Aristotelem cum Hippocrate in hac quæstione penitus consentire.

Cap. 35.

CAeterum has omnes conditiones tùm in regione, tùm in vrbe nostra inueniri, ipso Sole clarius apparet: est enim ager ferax, sed non sine magna industria habitatorum; ex quò & longè etiam ampliorem frumenti copiam fert, quàm illis sit necessaria. Secundo est magnitudine & multitudine tantus, vt commodè valeat habitatores enutrire. Tertio forma sua talis, cùm montes habeat crebros, & asperos, vt ad inuasionem hostibus difficilem, suis facilem ad excursiones, & arcendum se præbeat. Quarto illius naturæ est, vt facilè posit auxilium recipere. Item vrbs ipsa Vrbinum Patria mea ad mare opportunè est collocata, vt qui eam condiderunt, ad Platonicam distantiā videantur respexisse: abest enim ab eo paulò amplius quàm milliaria sexdecim, idest stadia 128. quod sanè interuallum stadia octoginta superat, quæ distantia à Platone asignatur tanquam breuior, longiorem tamen cupiente: scribit enim sic. „Num verò iuuat, quia stadia octoginta remota „est à mari, propinquior certè quàm opor- „tet mari & c. Secundo ad agrum, ac regionem probè sita est, quia in medio ferè, ac centro est posita suorum finium, ac suburbium, & villarum; vnde omnibus ad ferendam opem æquè communis est, ac apta, & vt commodè in eam, quæcunq; fert ager, comportentur. Quòd si vrbem hanc ad se ipsam referamus, perspicuum est quatuor etiam illis cōditionibus esse donatam; cùm ad Ortū posita sit ciuitas præsertim Aestiualem, atq; ad flatus Oriētales; itē ad Aquilonem manifestè inclinet, cùm à Brumali exortu & occasu, item ab Austro magnis sit mōtibus circunsepta, scilicet Petrano, Cathria, Equino, Nerone, & alijs, qui inter insigniores adnumerantur; è contra verò ab Aquilone mons nullus illi adiacet, sed æqualissima ferè terra, quæ ad mare vsq; leniter descendit; vnde & valetudinis, & commoditatis in deligendo ipsius situ, habitam esse rationem, satis constat. Præterea positionem habere eam & formam, quæ ad bellicas actiones sit accōmodata, videlicet oppidanis exitum esse facilem, hostibus aditum difficilem, situmq; incommodum ad eam obsidendam, iam Belisarius, ac Narsetes experti sunt. Demum nihil illi deesse, quod ad ciuiles actiones sit necessarium, satis constat. Quod si ita est, si ratione situs quinti climatis temperamentum maximè participat; si tùm agri forma, tùm mœnium collocatione reliquas omnes habet conditiones, nil mirum, si ad producendos homines aptissima est, qui & mente, & animo valeant, maximeq; idonei sint ad bellica, ciuiliaq; munera obeunda, ad artes, scientiasq; adipiscendas: quod, vt illos nunc taceam, qui in humanis sunt, & numero multi, & virtute insignes, quorū nō permittit pudor, vt eorū laudes meis sermonibus efferā; sed partē illorū aliquā tātùm recēseam, qui iam è vita decesserunt: in litteris Bartholomæus Milleloquij Auctor, Polydorus Vergilius, Ioannes Matheus eius frater, ac primarius Petri Pomponatij, vel ipso Pompona-

Apologiæ lib. 3. Cap. 3.

ponatio teste discipulus, qui tractatus duos, alterum de Materia Prima, alterum de materia Cœli composuit, quos ego manuscriptos vidi apud Heredes. Federicus Cōmandinus nostra ætate fęlix mathematicæ disciplinę restaurator. Antonius Gallus cuius, & Comedię & Eclogę insignes, & alia extant poetica scripta. Ioannes Baptista Theophilus, qui è græco Theonis in Ptolemæum commentaria in latinum transtulit. Marcus Montanus, Petrus Benedictus satis docuerunt. In Architectura Bramātes, Hieronymus Ginga, & Bartholomęus filius, Iacobus Castriottus, Balthasar Lācius, Frāciscus Paciottus. In Pictura, & alijs nobilissimis artibus Raphael, ac post Thimotheus, Frater Carneualis, Marcus Antonius Barocius auus Federici, ac Simonis germanorū fratrū, qui hodie viuūt (alter in Pictura, alter in Mathematicis cōdendis instrumentis toto terrarum Orbe illustres) Ioānes Maria Barocius, Federicus Brandanus, Horatius Fontana. Nil mirum si vrbis huius Principes, siue arma spectes, siue literas, mirificè in vtraq; facultate excelluerūt, si magnis viris circūsepti in eadem hac ipsa vrbe, rectè viuendi leges Aulicis tradere potuerunt. quæ omnia vera esse Magnus ille Federicus, Guidus Vbaldus, Franciscus Maria, & Guidus Vbaldus filius inter cęteros faciunt testatissimum; satisq; docent Balthasaris Castilionis scripta quorū dignissimus hæres Franciscus Maria Dux inuictissimus quantum valeat, qui hodie summa pietate, iustitia, religione eam regit, ac moderatur, toti Orbi est apertissimum: cuius laudum campum ingrederer, nisi rei magnitudo, quæ maiorem tubam quærit, ac locum grauiorem, me terreret.

De eiusdem Vrbis positu alia nonnulla.
Cap. 36.

VNum tantùm habet huius vrbis situs non vndequaq; perfectum: cùm enim montibus paulò asperioribus sit referta, quorum propinquiores nudi sunt, & aquis ferè carētes; videtur ex quatuor Europæis speciebus supra ex Hippocrate explicatis secundam, frigidam scilicet & siccam referre, & imitari; cui mutationes temporum respondent & crebrę, & magnæ, & difficilis iudicij; ita vt modum paululū excedere videantur. quæ omnia in hac vrbe locum habere quotidie sensuum fide experimur; vt propterea & mores, & animi impetus duros interdum, & contumaces nostri homines habere videantur; quales huic regionis naturæ respondere diuinus Hippocrates admonuit. Quanquam è contra temperatio hæc, vt supra diximus, ob inæqualitatem hanc, & ob magnas, crebrasq; hasce, quas admittit, mutationes, ad animum, mentemq; excitandam est aptissima, idest, vt mea sententia voluit Hippocrates, ad simile in corpore gignendum temperamentum; proindeq; sua natura tale, vt animum, mentemq; excitare possit, & acuere, ideoq; homines efficere animo, ingenioq; præstantes. huiusmodi autem erit, vt explicuit Aristoteles, si melancholicum extiterit; ad quod quidem procreādum Cœlum nostræ Patriæ summè est idoneum; & quia dictas experitur mutationes; & quia frigidi, & sicci est temperamēti, Autumnaliq; propterea respondens, atq; inter generales quatuor species temporum ab Hippocrate traditas, Europæo simile. Atq; hinc causa nobis pernotescit, cur nōnulli in nostra vrbe, fortasse etiam magis quàm in alijs finitimis ciuitatibus, occultis quibusdam morbis corripiantur, ac mulieres præsertim, Medicæ artis professoribus vt plurimum incognitis; vt credantur interdum huiusmodi tales à spiritibus immundis obsideri. cùm enim melancholicum temperamentum in ea maximè vigeat; & in mulieribus ob caloris innati imbecillitatem humor hic melancholicus minus temperetur, & quadam ex parte in excrementitium degeneret; adeò vt etiam victu in illis redundet, gignaturq; quotidiano, non solùm naturali habitu; facilè morbosos quosdam, vt ita loquar, mores producit in nonnullis, potissimum in mulieribus. si enim permultus & calidus fiat, præsertim qua parte sedi mentis in vicino est, quod mulieribus facilius euenire potest, quibus vel ob menstrui sanguinis retentionem, vel ob aliam similem causam totum corpus adscititia, externaq; caliditate facilè incalescit, vesaniæ morbis implicat, aut instinctu limphatico facit efferuescentes; vt diuino quodam, eminentioriq; numine agitari videantur. quod totum acutissimè trigesima Problematum sectione his verbis significauit Aristoteles. In quibus permulta, & calida (scilicet atra bilis) ij perciti, ingeniosi, amasij, propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem; nōnulli etiam loquaciores. multi etiam propterea quòd ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu

Prob. 1.

stinctu

" ſtinctu limphatico inſeueſcunt. ex quò
" Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes
" qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur.
Non tamen negamus ſicuti in alijs, ita & in hac ciuitate nonnullos reperiri, qui malis ſpiritibus obſideantur, & crucientur; immò & hoc ſacroſancto Domini noſtri ore admoniti fatemur, & credimus: id facilius in illis contingere poſſe arbitrantes, in quibus melancholicum vigeat temperamẽtum, dummodo in excrementum degeneret; cùm melancholicus humor ſedes omnium cõſenſu, malorum ſpirituum eſſe putetur: de qua re ſic Marſilius grauiſsimus auctor de Triplici Vita libro primo. Adeò
" enim dira res eſt, vt à malo demone eius
" impetus inſtigari Serapio dixerit, & Aui-
" cenna ſapiens non negauerit. Sed certè, ſi huius rei vlla eſt cauſa naturalis, hanc facilè eſſe poſſe opinamur. cuius profectò naturalis cauſæ ratione Galenum ſcripſiſſe legimus in opuſculo, Quòd Animi mores corporis ſequantur temperaturas apud Abderitas multos naſci fatuos, Athenis verò paucos.

Cap. 6.

Cap. 11.

Proponitur inueſtigandum quo modo quod dicit Hippocrates habeat veritatem, mutationes temporum homines animo, menteq; præſtantes procreare. Aliorum afferuntur interpretationes. Tria proponuntur capita enodanda.

Cap. 37.

VErùm magna quidem & controuerſiæ plena diſputatio, quo modo, quod paulò ſupra ex Hippocrate, & Ariſtotele diximus, habeat veritatem; videlicet mutationes temporum animo, ingenioq; homines efficere præſtantes, quia ſimile in corpore gignant temperamentum: item huiuſmodi temperamentum nullum eſſe aliud quàm melancholicum. hoc enim ſicuti fortaſſe clarius quàm reliqua hucuſq; ab alijs tradita, cauſam eius aperit, quod ſuperiori diſputatione de Hippocratis ſententia acceptum eſt, haſce videlicet temporum mutationes animo, ac menti adeò conferre; item & de Platonis, Ariſtotelis, ac aliorum mente adiectum, mediæ regionis accolas, proindeq; quinti climatis, demum Græciæ, Italiæ, Romæ, Athenarum habitatores animo, ac fortitudine, prudẽtia, ac mente cęteris gentibus antecellere; ita & tanquam digniſsimum ſcitu, ſuperiuſq; relictum citra enodationem, à nobiſq; etiam promiſſum, vt ad climatum pertinẽs, locorumq; temperiem cumulatè explicandam, magna diligentia ſupereſt pertractandum; præſertim cùm valde anceps, & obſcurum dictum hoc Hippocratis videatur, mutationes temporum crebras & magnas tantæ rei cauſam habere, quia mentem percellant, corpus mutent, iram exaſperent, intelligentiam, caloremq; excitent. hæc enim omnia quo modo poſsint dictæ mutationes efficere, non ſatis conſtat; vt propterea hanc ſententiam Interpretes innumeris modis expoſuerint. Dixerunt alij, quibus locis magnæ ſunt temporum mutationes, ira homines fieri ferociores, quoniã, cùm ira accenſio ſit ſanguinis circa cor, ob mutationum vim ſanguis ſępius reciprocatione quadam extra intus pellitur, ideoq; incaleſcit, & accenditur, & excitatur. itidem calorem excitari & mentem (caloris nomine non ſolùm innatum, ſed è corde etiam transfuſum, qui ſpiritus eſt, intelligendum eſſe admonentes) quia magnæ mutationes temporum hunc internum calorẽ mouentes augent, proindeq; auctis, & dimotis hinc inde ſpiritibus, ira, & mens excitantur, & acuuntur; adeò vt homines, qui haſce perſentiunt mutationes, aliquãto propterea reddãtur calidiores, & iracũdiores, cogitatione etiam prompti ob ſpirituum mobilitatem: ſimul etiam & adiungentes hæc Hippocratis omnia de his, qui loca multum frigida incolunt, eſſe intelligenda, quales ſunt Germani. Alij, inter quos Cardanus fuit in Commentarijs ſuper hoc libello, exiſtimarunt, mutationes temporum humores mutare, hos verò mutatos, perpetuo curſu multorum annorum mutare temperaturam: ridiculum enim eſſe intelligere, ad ſingulas temporum mutationes caſu factas, mores commutari. Quod verò inquit Hippocrates, mutationes hominum mentes excitare, Alemanus in admirationem refert: quia ſcilicet ob mutationem ſuperuenientem noua offerantur conſideranda. Cardanus in prouidentiam, nimirum quoniam mutatione excitentur homines ad neceſſaria inquirenda, vt quiſq; vberius in ſuis Commentarijs videre poteſt. Quæ omnia cùm ab Hippocratis mẽte, atq; ab ipſa veritate valde ſint aliena, vt in diſputationis curſu demonſtrabimus, neceſſariò cogimur veriorem, accomodatioremq; interpretationem inueſtigare. Tria autem, quoad eius fieri poterit breuius, erunt nobis aperienda. Primùm quo modo Hippocrates temperamẽtum in corpori-

Com. 10.

poribus hominũ ſimile tẽporũ huiuſmodi, de quibus loquitur, temperamento gigni intellexerit. Secundo quid ſit, quod ſuadeat, ac doceat huiuſmodi temperamentũ nullum eſſe aliud, quàm melancholicum. Tertio qua ratione melancholicum temperamentum homines animo, menteq; pręſtãtes gignat; ſolumq; inter omnia temperamenta tales eos valeat procreare: ſiquidem his expoſitis iam ſtatim clarum erit, qua cauſa permotus Hippocrates tàm crebrò, & conſtanter affirmare potuit, mutationes temporum frequentes, & magnas animo mentiq; conducere. Sed prius, vt hæc clarius eluceant, commodiuſq; pertractentur, vera eſt nobis Hippocraticæ orationis mens aperienda.

Hippocratis verba enarrantur.
Cap. 38.

Hippocrates igitur de Aſianorum agẽs ab Europæis differentia, cùm dixiſſet ipſos Aſianos timidiores eſſe, ac molliores, quia ſimilia ęqualiaq; habeãt tempora, nullis magnis ad frigus, & calorem mutationibus obnoxia, quaſi explicet qua de cauſa huiuſmodi temporum æqualitas hoc modo Aſianos reddat affectos, inæqualitas verò, ac mutatio Europæos contrario modo diſpoſitos, ita ſubiungit. „ οὐ γὰρ γίνονται, „ ἐκπλήξιες τῆς γνώμης. οὔτε μετάστασις ἰσχυρὴ τοῦ „ σώματος, ἀφ᾽ ὅτων εἰκὸς τὴν ὀργὴν ἀγριοῦσθαί τε, καὶ „ τοῦ γνώμονος, καὶ θερμοῦ μετέχειν μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ „ αὐτέῳ ἀεὶ ὄντα. αἱ γὰρ μεταβολαί εἰσι τῶν πάντων „ ἀεί τε ἐγείρουσι τὴν γνώμην τοῦ ἀνθρώπου, καὶ οὐκ ἐῶ- „ σι ἀτρεμίζειν. Quæ profectò verba ſic ego „ interpretor. Neq; enim fiũt perculſiones „ mentis, neq; vehemens corporis mutatio; „ à quibus conſentaneum eſt iram exaſpe- „ rari, ac mentis, caloriſq; magis participem „ reddi, quàm ſi in eodem ſemper perma- „ neant. enimuero inter omnia mutationes „ ſunt, quæ mentem hominis ſemper exci- „ tant, nec ſinunt immotam permanere. Hæc ille: quo loco illud primùm conſiderandum eſt, quod ſupra etiam admonebamus, diuinum Senem ſic de Europæis loqui, perinde ac ſint in medio tẽperamẽto, ſed inæquali tamen conſtitutis, adeò vt ſiue eos comparemus ad extremas temperationes, calidiſsimas ſcilicet, vel frigidiſsimas; ſiue ad eam, quam in mediocritate caloris, & frigoris ſitam eſſe diximus; & quod idem eſt, ſiue Europæos cum Aethiopicis gentibus, vel Scythicis, ſiue cum Aſiaticis conferamus; rationem hanc à mutationibus ductam, in eis horum omnium reſpectu velit habere veritatem; tametſi nominatim Aſianos tantùm exprimat, vt potè in quibus hęc ratio potiſsimum locum habeat: videlicet quoniã reliqui omnes præter Europæos populi, æquale temporum habent temperamentum, vt abundè ſupra explicatũ eſt, nullamq; inſignem ſentiunt mutationem; apud ipſos verò Europæos mutantur inſigniter tempora, proindeq; & corpora, menſq; excitatur; ideo animi dotibus Europæos Scythis, Aethiopibus, & Aſianis antecellere. Secundo obſeruandum eſt Hippocratẽ iræ nomine, non quidem iracundiam, ſed animoſam animę noſtrę partẽ intelligere, quatenus fortitudinis habitu informari poteſt, laudabiliq; iræ affectu commoueri, vt ſæpè ſolet Ariſtoteles; quæ θυμὸς tùm ab eo, tùm à Platone, ac Ariſtotele crebrò appellatur; à Latiniſq; animus dicitur, ac ira, iraſcibiliſq; appetitus; quemadmodũ & ſupra, vbi cum intelligentia iram coniunxit, dicens Orientalium ciuitatum habitatores longè melius ad iram, & intelligentiam eſſe diſpoſitos quàm eos, qui verſi ſunt ad Septentriones: quod idem illorum reſpectu, qui ad Auſtrum vergunt, habet veritatem. quo loco, vt ſuperius monuimus, Aquiloniæ vrbes Scythicis gẽtibus, Auſtrinæ Aethiopicis reſpondent. Tertio notandum eſt γνώμης nomine mentem, ac intelligentiam ipſum deſignare; adeò vt iræ, & mentis nomenclatura intelligat, quæ ſeptimo Polit. animum, & intelligentiam vocat Ariſtoteles, ſecundo de Partibus Animalium fortitudinẽ, ac prudentiam; ſcilicet virtutes illas, quarum vmbram extremorum locorũ habitatores habent, veras illarum imagines poſsident, qui in medijs locis degunt. Quarto animaduertendum eſt, hac ipſa irę, & intelligentiæ coniunctione Hippocratẽ nil aliud docere velle, quàm naturalem illã gentium, qui in medio ſunt, diſpoſitionẽ ad animi mentiſq; munera præclarè obeũda, iam ſupra ex Ariſtotele à nobis fusè expoſitam. cùm enim frigidæ regionis accolæ ira & animo, non intelligentia; calidæ è contra intelligentia, non animo valeant, vt memorato ſeptimi Polit. loco, & ſectione decimaquarta Problematum docuit Ariſtoteles; qui verò exactè temperatam habitant regionem, vt placuit Hippocrati, neq; mente polleant, neq; animo; ex quo & Aſianos hoc loco vocat timidiores, molliores, & effeminatiores; & paulò ſupra ſic de illis dixerat. Virile autem, & ærumnoſum „

Cap. 7.

Cap. 2.

Cap. 7.
Prob. 8.

» sum, laborumq; patiens, & animosum nihil
» in huiusmodi natura produci potest. & alio loco mentem illis non excitari docuit, quia magnas temporum mutationes nõ experiuntur. quæ duo, animo, ac mente hebetiores natura esse Asianos Hippocratem existimasse, satis mõstrant. cùm inquã hæc ita sint, sapientissimus Senex Europæos vtraq; excellere naturaliter facultate iram coniungens cum intelligentia ostendere voluit.

Adhuc Hippocratis verba explicantur. Interpretes in nonnullis reijciuntur.
Cap. 39.

QVinto diligenter & illud perpẽdendũ; quas Hippocrates hoc loco mentis ἐκπλήξεις appellat, non quidem stupores, vt supra etiam admonuimus, meo iudicio significare, sed potius ictus quosdam, & appulsus, atq;, vt ipsemet paulò infra videtur interpretari, mentis excitationes, & agitationes, ob ipsas temporum mutationes mutato corpore & calore, cõtingẽtes, vt mox clarius ostendam; siquidem hoc est, quod apertè inquit Hippocrates verbis illis secundum nostram interpretationem; quibus, quas supra vocauit perculsiones mentis à mutationibus temporum & corporis factas, scitè excitationes, commotionesq; mentis appellat. Enimuero (inquit) inter omnia mutationes sunt, quæ
» mentem hominis semper excitant, nec si-
» nunt immotam permanere: mutationum nãq; nomine, temporum mutationes, ac simul & corporis, insitiq; in corpore caloris mutationes intelligit; propterea generaliter dicit mutationes, vt ambas comprehendat: siquidem de vtraq; mutatione superioribus verbis fecit mentionem. ad aeris enim mutationes mutari corpus, & calorem in eo insitum; idq; causam esse, vt mens excitetur, agiteturq; iam supra tetigimus, planiusq; dicemus inferius; quare non erant hæc verba Alemano in admirationem, Cardano in prouidentiam referẽda. Diximus autem inter omnia, vocem illã, τῶν πάντων, hoc sensu accipientes, quã interpretum video considerasse neminem. Sexto sedulò & hoc alterum ponderandum, quod Cardanus, Alemanus, Baccius pariter non animaduerterunt; cùm Hippocrates duo posuisset à mutationibus temporũ fieri, scilicet mentis perculsiones, & vehementes corporis mutationes; sed ita tamen vt hoc secundum prioris causam esse fuerit: statim subiungere hæc duo duorũ aliorum causas esse; videlicet vt ira exasperetur, item vt calorem, intelligentiãq; participet; siquidem scribit perspicuè sic. A
» quibus consentaneum est iram reddi aspe-
» riorem, ac mentem, caloremq; magis par-
» ticipare & c. quo loco perspicuum est relatiuum illud, à quibus, necessariò ad mentis perculsiones, & ad vehementes corporis mutationes esse referendum. Item manifestum, si è græco vertere velimus, dicere Hippocratem, iram fieri participem mẽtis, & caloris; quandoquidem græcum habet exemplar. καὶ τοῦ γνώμονος, καὶ θερμοῦ μετέχειν
» μᾶλλον. idest, vt nos interpretati sumus.
» Ac mentis, calorisq; magis participem red-
» di. quare nescio quid Cornario, Alemano, & Cardano in mentem venerit (Baccium vnum hac in re excipio) cùm locum ita transtulerunt. Cognitionemq; ,,
& calorem amplius excitari. siue & intel- ,,
ligentiam, caloremq; excitari magis. ,,
quãdo vsitatissima verbi, μετέχειν, significatio allatam supra à nobis interpretationem omnino exposcat; nullus verò sit his verbis de caloris, mentisq; excitatione sermo: quin potius id supra orationis initio ab Hippocrate sit explicatum. quo loco percelli mentem, ac mutari corpus dicens, nil aliud quàm excitari ambo intellexit. qua in re neq; illud prætereundum; hoc totum, quod adiungit Hippocrates, iram participare magis mentem, & calorem; si quis animum accuratè intendat, eo consilio additum videri, vt quid per hanc iræ exasperationem veniat intelligendum, planum fiat: quasi sententia sit, nil esse aliud iram exasperari, quàm mentis, calorisq; magis participem reddi. quod quomodo habeat veritatem, quauè ratione tota hæc diuina sententia sit intelligenda; vbi scilicet mens, corpusq; magnis, crebrisq; temporum mutationibus agitantur, ibi iram, animumq; exasperari, idest mentis, calorisq; fieri magis participem (quod à nemine video adhuc explicatum) infra dicam suo loco.

Totius Hippocraticæ orationis sententia explicatur. Cap. 40.

SEptimo tandem, ac postremò illud maxima dignum est animaduersione, quòd, cùm menti corpus adiecerit Hippocrates verbis illis. Neq; enim fiunt ,,
perculsiones mentis, neq; vehemens cor- ,,
poris mutatio; paulò post corporis loco ,,

calorem menti ipsi adiungit, ita scribens.
» Ac mentis calorisq; magis participem red-
» di. Siquidem his nos commonefacit, cùm dixit corpus vehementer mutari, se intellexisse, calorem cordi insitum, ac sanguinem, spiritumq; ab eo genitum mutationẽ hanc recipere; adeò vt rectè ad caloris mutationem animum, mentemq; mutari affirmauerit: cùm ipse calor, vt secundo de Partibus Animaliũ docuit Aristoteles, inter omnia corpora aptissimum sit animę ad eius opera exercenda instrumentum; vt nõ sine magna ratione Hippocrates menti calorem videatur adiecisse; qua de re infra plura dicam. ac mutationem omnem nostro corpori oriri caloris huius, ac spiritus ratione, satis clarè idem Hippocrates sexto Epidemicon his verbis declarauit: quãquam non me præterit, Galenum Commentario octauo sententiam hanc ad aerem referre. Spiritus (inquit) tanta caliditas, frigiditas, crassities, tenuitas, siccitas, humiditas, plenus, imminutus, & copiosior, à quibus mutationes quales, ex qualibus prout se habent. Spiritũ nãq; ex sanguine, ipsumq; sanguinem à calore fieri, adeò vt pro caloris modo, mensura, ac virtute reliqua gignatur, eoq; mutato mutationem recipiant, infra planum faciemus. Cęterũ his ita explicatis Hippocraticam orationẽ, quod pertinet ad verborum sensum, iam satis per se esse perspicuam, nemo, vt arbitror, vocabit in dubium; ita vt sententia sit, quibus in locis non fiunt magnæ temporum mutationes ad frigus & calorem; in illis, quia neq; corpus, scilicet insitus calor, ac sanguis & spiritus ab eo genitus, insignem patitur ad has qualitates mutationem, ideoq; nec mens percellitur, idest excitatur, sed immota permanet, gentes animo ac mente non excellere; quoniam iram, idest animosam partem, ac irascibilẽ excitari, exasperariq; illis non contingat, neq; reddi magis mentis, calorisq; participem. è contra verò quibus locis magnæ fiant temporum mutationes, eorum habitatores, quia insitus calor, atq; assecla sanguis, & spiritus mutationes hasce experiantur, ac mens propterea excitetur, animo menteq; præstare; vt potè quorum animosa pars hac de causa exasperetur, magisq; fiat caloris, mentisq; particeps. quæ omnia cùm in Europæis trium reliquorũ temperamentorum respectu, quæ supra enodauimus, habeant veritatem, videlicet Scythici, Asiatici, ac Aethiopici; iurè concludit Hippocrates Europæas gentes reliquis animi, mentisq; virtute antecellere.

Cap. 7. *Aphor. 6.*

Dubitationes quædam afferuntur aduersus enarratam Hippocratis sententiam.

Cap. 41.

HAec igitur Senex sapientissimus; aduersus quæ statim ingens silua sese offert dubitationum. Nam primùm quod ponimus ex ipsius mente, Europæos Scythicis populis animo, iraq; præstare, idq; ob magnas temporum mutationes, quas experiuntur; hoc omnino experientia, & ratione falsum esse conuincitur: siquidem, vt etiam superius ex Problematis ostendimus, qui frigidissimos tractus incolunt, maximè valent animo, atq; ira; quod & Præceptoris ipsius esse septimo Politicorũ demonstrauimus. cuius verba hîc rursus afferre nõ pigebit. Homines enim (inquit)
» qui frigida loca, Europãq; inhabitant, sunt
» illi quidem animo pleni, intelligentia ta-
» men, & arte minus solertes habentur. quod
» quidem de Scythicis gentibus maximè habet veritatem; idq; Plinium, Vitruuium, Ptolemæum, ac reliquos omnes confirmasse vidimus. cuius rei causam pulchrè sectione decimaquarta Problem. habemus explicatam, videlicet insiti illarum caloris copiam, & potestatem. at hi æquale temporum habent temperamentum, vt supra suo loco ex Hippocrate demonstrauimus, neq; magnas ad calorem experiuntur mutationes, cùm frigidissimo cęlo perpetuò subijciantur: itaq; falsum omnino erit quod inquit hoc loco Hippocrates, vbi ad frigus, caloremq; insignes non fiunt mutationes, iram ibi non exasperari, neq; gentes animo valere. Secundo difficilis dubitatio est, quoniam regionis calidę habitatores ob hanc Hippocratis rationem neq; mẽte, neq; artibus excellere naturaliter poterint, cùm frequentes non habeant mentis perculsiones, quæ illam excitent; eo quòd mutationibus temporum careant: at vbi mens non excitatur, neq; acuitur, sed immota manet, ac torpet, aciem eius hebetari ex Hippocratis dogmate necesse est; & ex consequenti homines neq; artibus, neq; intelligentia excellere. Verùm Aristoteles memoratis locis longè aliter decernit: inquit enim septimo Politicorum. Qui ve-
» rò Asiam incolunt, vt intelligentes & arti-
» ficiosi sunt, sic parũ animosi. etenim perinde est, ac si dixisset, qui loca calida incolunt; cùm Asiæ hanc partem tanquam calidam

Sect. 14. Prob. 8. & 15. *Cap. 7.* *Prob. 8. & 15.* *Cap. 7.*

Sect. 14. Prob. 8.

dam Europæ parti illi opponat, quam frigidam supra appellauerat. ex quò & in Problematis, calidis locis homines natura sapientiores gigni docet; nempe contraria de causa, & ob insiti caloris refrigerationem. quæ omnia de frigidorum, calidorumq; locorum incolis vera esse, supra etiam Galeni, Plinij, Vitruuij, Ptolemæi testimonio docuimus; atq; in præsentia grauissima Platonis auctoritate confirmare iuuat, qui quarto libro de Republica frigidi tractus habitatoribus (Scythas nominatim exprimens) iracundiam & animositatem; calidi incolis, mentis aciem ad quęstus sibi comparandos videtur imperti- » ri; atq; eius hæc est oratio. Neq; enim a- » liunde in ciuitatem hæc deuenerunt. Ri- » diculum quippè esset, si quis iracundam a- » nimositatem existimaret nequaquā ex pri- » uatis hominibus in ciuitatibus inuectam » esse; quorum idem est captus, qui & Thra- » cum, Scytharum, superiorumq; gentium: » aut sapientiæ studium non ex tali priuato- » rum instinctu, qualis natura nostris homi- » nibus est tributus: aut quæstus auiditatem » non ex ea singulorum hominum cupidita- » te, qua affecti apprimè dicuntur Phęnicij, » Aegyptijq; nonnihil. Ex his autem duabus dubitationibus quàm rectè Alemanus, quàm opportunè conatus sit Aristotelis locum cum Hippocratis verbis conciliare, cùm tota, vt aiunt, diametro superficie tenus intellecta pugnare videantur, iam omnibus arbitror esse perspicuum; adeò vt hac de re, secus quàm alij existiment, magnam habuerit dubitandi occasionem: tametsi ipsius solutio ab Hippocratis mente, vt infra videbimus, sit alienissima.

Aliæ nonnullæ aduersus expositum Hippocratis sententiam dubitationes afferuntur.

Cap. 42.

Tertio difficultas est magna de Asianis, qui, cùm in maxima sint tēperie collocati, quatenus nimijs algoribus nō pręmuntur, sapientiores Scythis esse deberent; quatenus nimijs non torrentur æstibus, animosiores gentibus Aethiopicis; quare & animo, & mente reliquis præstare oporteret; quod tamen apertè Hippocrates inficiatur. Quarto quod ipse inquit vehementes crebrasq; temporum mutationes corpus, idest calorem in eo insitum, vehementer mutare, mentemq; proinde acuere, & excitare, difficile est intelligere quo pacto habeat veritatem: crebræ enim mutationes corporis, & caloris casu factæ ex temporum permutatione, atq; eadem die sæpius, quin etiam ferè & eadem hora, ad mentis operationes, vt rectissimè Cardanus obijciebat, non videntur posse conferre; de quibus tamen intellexisse Hippocratem non leuis est coniectura; cùm infra eodem libello hanc mutationum crebritatem designans sic loquatur. » αἱ γὰρ ἐκπλήξιες πυκ- » ναὶ γιγνόμεναι τῆς γνώμης, τὴν ἀγριότητα ἐντιθέασι. » idest. mentis enim frequentes perculsiones » asperitatem inducunt. neq; enim illorum recipio interpretationem, tametsi viri sint eruditissimi, qui ita conuertunt. Ani- » mi nanq; perculsiones, quæ frequenter fi- » unt, mentis feritatem inducunt. quandoquidem Hippocrates non quidem crebris perculsionibus mentem efferari, vt isti volunt, sed omnino sibi consentiens, mentis crebris perculsionibus iram exasperari voluit intelligere, quemadmodum superiori oratione perspicuè docuit. ex quò & cū dixisset. De moribus etiam eadem est ra- » tio: esse enim asperum, & ferum, atq; a- » nimosum innascitur Europæis à natura. » statim iam exposita verba subiūgit, vt causam, cur ita fiat, doceat; quam etiam in superioribus exposuit. vnde nil aliud dicere potuit, quàm à crebris mentis perculsionibus iram exasperari; & sic animosos homines reddi, & intelligentes. Quinto demum, ac postremo lōgè difficillimum est videre, qua ratione ex his mentis crebris perculsionibus, corporis calorisq; mutationibus ira asperior reddi possit, simulq; magis ipsius mentis, & caloris particeps, quàm si in eodem statu mens ipsa permaneat, & calor. primùm enim verum id fiat, & quomodo fiat valde obscurum; deinde si fieri concedamus, valde repugnans si enim ira, animusq; caloris magis fit particeps, quomodo mentem poterit magis participare? nam & Scythæ ob caloris copiam ira valent, mente sunt hebetiores. item si ira particeps fit rationis, mentisq; magis, quomodo ferocior, & asperior euadere potest? si mens hac crebra perculsione excitatur in his gētibus, redditurq; perfectior, quomodo iræ adiuncta talem illam reddet? Aristoteles enim septimo Politicorum eos repræhendens, qui custodes ignotis asperos, agrestes, ac intractabiles esse iubent; erga neminem, si rationis normam sequamur, talem esse oportere admonet. & libro octauo fortitudinem (qua Europæos excellere vult Hippocrates) maximè efferatis adesse negat, sed potius mansuerioribus,

Cap. 7.

Cap. 4.

bus, & leoninis moribus, atq; , vt dicamus apertius, ijs qui mentem magis participant ac rationem; vt falsò videatur Hippocrates asseruisse, vel Europæos esse fortes ac magnanimos; vel, si tales sunt, mentem magis participare, & à lenitate & mansuetudine abhorrere: sic enim scripsit.
» Perculsiones nanq; mentis frequenter fa-
» ctæ asperitatem inducunt: quamobrem e-
» tiam magis magnanimos eos, qui Europam
» incolunt, quàm qui Asiam iudico. Hæ igitur dubitationes sunt, quæ huic Hippocratis sententiæ adeò negocium facessunt, vt doctissimos quosq; tardiores ad illã amplectendam reddere valeant; quare omnis conatus noster in illarum labefactatione est adhibendus.

Nonnulla ad has soluendas dubitationes necessaria præmittuntur. pulcherrimus Aristotelis locus ex primo Politicorum adducitur. D. Thomæ, Scoti, & Acciaioli affertur interpretatio.

Cap. 43.

VT igitur hasce grauissimas è medio tollamus dubitationes, ea omnia, quæ supra ex Aristotele diligenti disputatione collegimus de gentium temperamẽto, quæ in medio sunt, & magnas crebrasq; temporum ad calorem & frigus mutationes experiuntur, veniunt nobis memoria repetenda. Dictum est hos homines ex Præceptoris sententia natura gigni optimè dispositos ad mentis, animiq; , seu irascibilis potentiæ dicere velis, munera obeunda, & quod idem est, ad fortitudinem ac prudentiã vt ipse secũdo de Part. Anim. interpretatur; ita enim & bello paceq; illustres, & fortitudine reipublicæq; gubernatione, scientiarum, artiumq; cognitione præstantes euadunt: tales autem sunt, quia veræ fortitudinis, quæ animosæ partis, irascibilisq; appetitus habitus est, ac virtus, compotes fiunt; item quia non vulpina calliditate, ac fraude, sed ingenua mẽtis operatione vtuntur; quorum neutrum cum perfectè assequi queant eorum locorũ habitatores, in quibus temporum mutationes neq; magnæ fiunt, neq; crebræ, iure & meritò diuinus Hippocrates has omnes pulcherrimas dotes eos, qui talia loca incolunt, negauit habere; videlicet Scythas, Aethiopas, & Asianos; solisq; Europæis illas impertitus est. Hoc autem quo pacto habeat veritatem vt explicemus, paulò altius est nobis ordiendum. Pulcherrima Aristotelis tertio Polit. sententia est, Barbaros magis quàm Græcos ad seruiendum natura gigni dispositos; Asianos magis quàm Europæos. quo loco Barbarorũ nomine exteras illum omnes gentes Græcorum respectu intelligere, nemini dubiũ esse debet; quare si Græcorum nomine Europæos intelligamus, videbimus hac sua sententia nil aliud ipsum dicere voluisse, quàm quòd clarius septimo Polit. explicauit, videlicet Græcos natura ad imperandum cunctis esse natos; siquidem sic ibi notarum reliquit.
» Græcorum autem genus,
» vt locorum medium tenet, sic est vtraq;
» natura præditum; quippè animo simul &
» intelligentia valet. quamobrem in liber-
» tate persistit, & optima ratione ciuilem
» societatem administrat, & vnã rempublicã
» nactũ posset vtiq; cunctis hominibus impe-
» rare. adeò vt Scythas, Aethiopas, & Asianos ad seruiendum natura esse genitos, si illos cum Grecis cõparemus, Philosophus existimauerit. Verùm qui sint natura serui, qui dñi, qui ad imperandum, parendumq; à natura procreati, pulchrè primo Polit. libro legimus explicatum: quo loco egregiè Philosophus, cùm sumpsisset imperandi parendiq; officia in cunctis naturæ operibus elucere, esseq; distincta; corporis & animę exemplo, ipsarumq; animę partium, quæstionis huius nodum dissoluit. cuius quidem verba, vt potè quæ maximam negocio nostro sint lucem allatura, diligenter sunt nobis explicanda; præsertim cùm eorum veram sententiam summi etiam viri fortasse non attigerint. Cùm ergo dixisset Aristoteles.
» Animal verò cõstat primùm
» ex anima & corpore, quorum alterum im-
» perat secundum naturam, alterum paret. vt quale sit imperium, quod in corpus anima habet, nobis explicet, ita subdit, simul etiam quodnam imperij genus inter animæ partes locum habeat, diuinè aperiens. itaq; inquit.
» Est igitur (vt diximus) primũ
» in animali perspicere imperium dominicũ,
» & ciuile. Nam anima quidem in corpus
» dominicum habet imperium, mens verò in
» appetitum ciuile, & regium: in quibus cla-
» rum est secundũ naturam, & vtilitatem im-
» perari ab anima corpori, & ab ea parte, quæ
» habet rationem ei parti, quæ subiacet per-
» turbationi; æqualitatem verò, ac vicissitu-
» dinem omnibus nocere. Hæc ille; quę verba explicans D. Thomas tùm in Commentarijs, tùm in prima parte Summæ; Scotus adducens tertio libro Sentẽtiarum eo sensu accipiunt, quòd Philosophus ideo dicat domi-

Cap. 2. | Cap. 10. | Cap. 7. | Cap. 10. | Quæst. 8. art. 3. in resp. ad 2. | Dist. 43. q.

vnica argu. vlt. & in resp. ad vl. dominicum imperium animam in corpus exercere, quoniam membra corporis in nullo resistere possunt animæ imperio: hoc enim esse dominico imperio imperare, cùm nulla est subiecto tanquam seruo facultas resistendi, item quòd dicat mentem regio ciuiliq; imperio appetitum regere, non dominico, quoniam appetitus tanquam liber menti valeat aduersari. Nam & » sic Scotus explicat rationem. Præte- » rea primo Politicorum cap. tertio. Ratio » dominatur appetitui inferiori principatu » politico, idest ciuili; ita quòd appetitus » ille potest contra moueri. nec aliud, qui postea illius libri explicandi prouinciam susceperunt, videntur attulisse; nisi quantum Donatus Acciaiolus addit, nonnullos ciuile mentis imperium in appetitum sub fręno rationis collocatum retulisse; regale in appetitum, qui extinctis perturbationibus, sine vlla repugnantia rationi obtemperat.

Allata reijcitur interpretatio, propriaq; adducitur expositio. Cap. 44.

Verùm interpretationem hanc (si de tãtis viris ita loqui fas est) apertissimis verbis reijcere videtur Aristoteles, dũ scribit, corpus, vt in corruptis, ac prauè dispositis hominibus contingit, animæ imperio posse resistere; quin etiam & ipsam animam penitus superare. Aristotelis au- » tem hęc est oratio. Nam prauorum quidẽ, » aut prauè dispositorũ sæpè inuenietur cor- » pus imperare animo, ex eo quia peruersè, » ac præter naturam se habent. itaq; non erit ad mentem Præceptoris (quod tamen isti constãter affirmant) animam naturaliter in corpus ideo dominicum habere imperiũ, quia illi corpus resistere nõ possit; cùm resistere imperio animæ ipsum posse, dicat Aristoteles; vt si huiusmodi imperio, quo membra regit, resistere corpus non quæat, nullo modo de eo videatur Philosophus sermonem habere. præterquàmquòd malè affecta atq;, vt ipse vocat, corrupta corpora, huius etiam imperij ratione animæ aduersari possunt, immò & ipsi imperare, vt de resolutis corporis membris, quæ si ad dextram mouere anima velit, è contrario in sinistram deferuntur, primo Nichomachiorum idem docet. *Cap. 13.* Sed neq; etiam illud mea sententia quadrare potest, quod nonnullis placet, corpus animæ resistere, ac in ea dominari, eo sensu Philosophum affirmasse, quo, appetitui sensitiuo cùm pareret, rationis præcepta ipsum spernere dicimus, & in animam habere potestatẽ; siquidem corpus dicens Aristoteles, animæq; illud opponens, necessariò ipsum corpus, vt ab anima distinguitur, ideoq; quatenus tale, & ab omni animæ facultate seiunctũ contemplatur; non quatenus anima sensitiua est informatum: atq; animæ nomine vniuersam animam, omnes scilicet ipsius partes intelligit; cęteroqui hoc modo nõ esset corpus, quod in animam, sed appetitus, qui in rationem imperium teneret; de quo quidem imperio paulò post philosophus sermonem habet; vt non sit credendũ corporis nomine, simul etiam & appetentẽ animæ sẽsitiuę facultatẽ ipsum intelligere; animę nomine, mentem ipsam; ac tàm paucis verbis adeò magnã comittere æquiuocationem, & præter morem iam paulò expositam quæstionem postea repetere. Dicendum igitur eo sensu, quo corruptum corpus, prauèq; dispositum ac temperatũ, quin etiam & fortasse malè affectum, ac morbosum animæ imperijs, ac operationibus videmus aduersari; quæ illius, quatenus optimè disposita est, sunt proprię; benè verò temperatum parere: Aristotelem corpus animæ obedire, vel imperare asseruisse. de qua quidem re Galenus inter cęteros in opusculo, Quòd Animi Mores corporis sequantur temperaturas, egregiè disputauit. Quoniam autem, vt acutè idem supra explicat, seruus est instrumentum domini animatum, dominiq; seruus est, & omnino illius; propterea quòd ab eo possidetur, & illius tantùm vtilitate, ideoq; ad naturaliter parẽdum natura procreatus; atq; hęc est natura, facultasq; serui. at è cõtra dominus quidẽ serui dominus est, sed nõ tamẽ illius; corpus verò nõ secus ac seruus animæ est instrumentum, vt primo libro de Partibus Animalium perspicuè docemur; *Cap. 1.* & animæ corpus est, ac omnino illius est, & gratia animæ; quoniam anima corpore, eiusq; partibus tãquam instrumẽto vtitur ad suas actiones obeundas; vnde & organici corporis actus, idest instrumẽtalis definitur, atq; hęc natura corporis est, atq; facultas; propterea pulchrè Aristoteles animam in corpus, tanquam in instrumentum ac seruum, & eius gratia ac vtilitate totum à natura factum, ideoq; ad naturaliter parendum genitum, non quia ipsius imperio resistere non posit, dominicum habere imperium affirmauit. Quæ autem de ciuili, regioq; mentis imperio in appetitum adijciuntur, aliam habent ab

ea, quam Acciaiolus affert, mea sententia explicationem; nam quod ipse dicit, male tutum omnino apparet; cùm etiam in appetitum, qui nullo amplius affectu rationi aduersatur, atq; vt pulchrè primo Ethicorum inquit Aristoteles, in omnibus rationi consonat, vtrunq; ipsius rationis imperiũ locum habere oporteat: videlicet non solùm regium, sed etiam ciuile; eò quòd, vt Aristotelica ratio innuit, huiusmodi duplex rationis in appetitum regnãdi modus sit omnino animæ naturalis, idcircòq; in omni statu illi congruat.

Cap. 13.

Superior adhuc confutatur interpretatio, ac fusius propria enarratur.

Cap. 45.

QVod verò alij adiungunt, mentis in appetitum ciuile esse imperium, quia liberi non serui appetitus habeat rationẽ; hoc verò imperium in liberos tantùm exerceatur, ideoq; menti appetitus resistere possit, & contra moueri; primùm de regio quoq; illis dicendum erat, quod tamen prætermittunt: Aristoteles enim nõ solùm ciuile, sed regium etiam imperium mentem inquit tenere in appetitum. Deinde hæc fortasse interpretatio propter illud Aristotelis dictum, quòd æqualitas, ac vicissitudo omnibus noceat; quo appetitum ad perpetuò parendum natura genitum esse demonstrauit, non exiguam habet difficultatem. enimuero si appetitus tanquam liber resistere potest naturaliter rationi, ergo nõ semper obtemperabit; ergo naturaliter rationi reluctabitur; quod omnino est contra sententiã Præceptoris: qui hac fortasse de causa quinto Nichomachiorũ rationalẽ animæ partem in irrationalem dominicum habere imperium asseruit. qua quidem sẽtentia appetitum serui habere rationem ad mentem comparatum Philosophus videtur voluisse; nimirum ob perpetuam, quam naturæ lege habet ad mentem subiectionem: quæ quidem ratio propriè serui naturam, ni hallucinor, constituit: vt si aduersari naturaliter appetitum animæ posse tanquã liberum intelligunt, ab Aristotele dissentiant; si præter naturam, quemadmodum in corruptis, ac prauè dispositis, id non solùm appetitus aduersus mentem, sed corpus etiam, quemadmodum supra dicebamus, efficiat aduersus animam; vt non videatur consentaneum hac de causa Aristotelem inter corpus & animã, inter appetitum & mentem, diuersa huiusmodi imperia constituisse. Itaq; longè aliter ego ipsius verba interpretor: cùm enim appetitus duplex sit, irascibilis, & concupiscibilis, oculatissimus Præceptor (vt mea fert opinio) quod communiter ciuile imperium dixerat, dupliciter propterea diuidens, videlicet in ciuile, & regium, mentem irascibilis ratione ciuile exercere imperium, regium concupiscibilis respectu in appetitũ desinit; non solùm quia appetitus liberi habeat rationem: cuius quidem diuinum in hac diuisione consilium neminem video interpretum considerasse. nisi etiam dicamus, quia apud ipsum appetitus duplex sit, sensitiuus videlicet, ac intellectiuus, qui voluntas appellatur (vt interea eos omittamus, qui rationalem appetitum duplicem constituunt) ciuile imperium mentem in appetitum exercere, ob rationalẽ, & voluntatem Philosophum asseruisse; regiũ, ob appetitum sensitiuum. Hoc omnes in se numeros habere veritatis, ipsius verba infra eodẽ libro de huiuscemodi imperijs prolata faciunt testatissimum; vbi sic inquit. Quoniam autem tres erant partes rei domesticæ, vna dominica, de quà supra diximus, alia paterna, tertia coniugalis: nam & vxori præest, & filijs tãquam liberis quidem ambobus; sed non eodem imperij modo, sed vxori quidem ciuiliter, filijs autem regiè. masculus enim quàm fœmina natura principalior est: nisi alicubi contra naturam constiterit, & quod antiquius est, & perfectum, iuniore & imperfecto. In ciuilibus igitur principatibus plerũq; cõmutatur is, qui præest, & is, qui subest. nam æquales esse volunt secundum naturã, nec quicquam differre: attamen cùm hic quidem præest, ille verò subest, requirit differentiam & figuris, & sermonibus, & honoribus, vt Amasis inquit de Pelui. At masculus ad fœminam semper ita se habet.

Cap. 11.

Cap. 8.

Adducta superiori capite Aristotelis verba enarrantur. quid sit regium, quid ciuile imperium ex eo aperitur.

Cap. 46.

HAec igitur diuinè Aristoteles; quibus nos docet regium imperium illud esse, quod non solùm nullam admittit æqualitatem, ac vicissitudinem, sed nec etiam vllam æqualitatis, ac vicissitudinis imaginem, quale inter patrẽ & filium esse oportet. ciuile autem imperium esse propriè illud, quod æqualitatem amat, ac vicissitudinem,

nem, tametsi ciuile etiam appellari queat, quanquam hác nō habeat æqualitaté, ac vicissitudiné, dummodo harum rerum similitudinem quandam, & imaginem referre videatur; vt in vxoris & viri societate contingit. quoniam enim mulier socia est laborum, & viri in re familiari auxiliatrix, sed tamen subest tanquam fœmina naturaliter; idcircò, quanquam semper subesse natura debet (nam hoc est, quod inquit extremis verbis Aristoteles, masculum ad fœminam semper ita se habere) nihilominus dicitur vir in illam ciuile exercere imperiū, nequaquam regium; quoniam æqualitatis imago quædam in eo appareat. At si hæc menti, appetituiq; applicemus, statim clarum erit, quod supra diximus omnino Aristotelem voluisse: mens enim ciuile tenere in irascibilem appetitum iure dicitur, quoniam ira quasi vxor mentem, rationemq; in operibus obeundis adiuuat. item irascibilis appetitus rationem audit, illiq; subest, subesseq; debet semper, si rectè est dispositus: siquidem hoc est, quod in calce prioris sententiæ dicebat Aristoteles, æqualitatem, ac vicissitudinem inter mentem ac appetitum omnibus nocere; scilicet animę, & corpori, mēnti, & appetitui: subiectioné verò esse adiumēto. quod cùm euenit, iam verus virtutis habitus exoritur; & si circa res terribiles sit actio, habitus innascitur veræ fortitudinis. ꝙ Aristotelis est sic tertio Nichomachiorum differentis. Maximè autem naturalis esse hæc videtur, quæ est ex ira; videturq; esse fortitudo vbi electionem, & id cuius gratia faciendum vnumquodq; est, assumpserit. & paulò supra dixerat. Sed fortes quidem honestatis causa agunt, ira tamen eos adiuuat. quibus iram rationi, virtutiq; auxiliari apertè definit, ac sua natura virtuti non aduersari. ex quò & eiusdem operis septimo iram audire rationem admonet, sed non tamen rectè percipere, quemadmodum festini ministri faciunt. quod & ante illum Plato sētire visus est, volens in Timęo, & quarto de Rep. irascibilis appetitus munus esse pro ratione pugnare aduersus cupiditaté, & auxiliario respōdere: quod libro de Cognoscendis Animi Morbis Galenus quoq; confirmauit. Rursus mens in concupiscibilem appetitū dicitur regium habere imperium, quoniam filij instar cum patre cōparati nullam æqualitatis, societatisq; imaginem rationis, mentisq; respectu cupiditas præsefert, sed omnino subesse, ac modis omnibus illam oportet. cuius rei causam hanc memorato Ethic. septimo pulchrè innuit Aristoteles, quòd ira rationem quodammodo sequitur, cupiditas non sequitur; & vigesima octaua Prob. sectione, quòd cupiditates ferè omnes sunt contra rationem, iræ verò cum ratione. quare (quod ex octauo Nichomachiorum elicimus) sicut alia societatis, & amicitiæ species est inter parentem ac filium; alia inter virum & vxorem, ac ius aliud atq; aliud; ita alia est inter rationem & iram, alia inter rationem & cupiditatem societas, iusq; itidem aliud, ac proinde aliud imperium: adeò vt quemadmodum patris erga filium societas, vt pulchrè ac diuinè explicat Aristoteles, regni figuram habet, quoniam filius sub parentis cura semper esse debet; viri autē erga vxorem aristocratiæ præsefert imaginem, quoniam pro dignitate imperat vir, ac circa ea, quæ virum decent; quæ autem vxori conueniunt, ea illi attribuit: quod sanè imperium ideo ciuile, & ęquale primo Polit. appellatum fuit, quoniam, tametsi tāquam aristocraticum verè pro dignitate exerceatur, æqualitatem tamen quodammodo quandam redolet, vt acutè Eustratius in quintum Ethic. notatum reliquit; sic & mentis circa cupiditatem societas rectissimè regium dicatur imperium repræsentare, propterea quòd sub mentis cura semper esse cupiditatem oportet, nec aliquid sine ea efficere potest, in quo nō peccet; mentis verò circa iram societas ciuile præseferre, quia non omnium domina mēs esse velit, sed quæ iræ conueniunt, ea illi tanquam quodammodo æquali tribuit; adeò vt sine ratione laudabiliter aliqua valeat exercere.

Cap. 8. — Cap. 6. — Cap. 6. — Cap. 6. — Prob. 3. — Cap. 10. & 11. — Cap. 8. — Cap. 6.

Nonnulla explicantur Philosophi loca difficillima.
Cap. 47.

Hinc quo Philosophus consilio in calce primi libri Nichomachiorum dixerit, mentem in appetitum patris, & amicorum rationem habere, satis elucet; qui locus densissimis alioqui tenebris circumfusus, iam nunc his intellectis ad clarissimum lumen reuocatur. vtrunq; enim quod primo Politicorum posuit imperium in vtrunq; appetitum designauit; patris nomine regium intelligens, quod superioritatem dicit, & concupiscibilem respicit; amicorum verò nomine ciuile, quod æqualitatem designat, & in irascibilem refertur. Hinc claret cur tertio Politicorum cupiditatem belluæ similem fecerit; cur in ex-

Cap. 12.

extremo Nichomachiorum tertio eandem cum puero comparauerit; cur dixerit, si non obediens, neq; imperanti subdita fuerit, longè lateq; efferri; demum cur addiderit, sicut puerum ad Pedagogi preceptum viuere oportet, ita & oportere concupiscibilem animæ facultatem rationis imperio obtemperare. enimuero his omnibus regium mentis in appetitum concupiscibilem imperium, perpetuamq; appetitus ad mentem subiectionem suis omnino nobis coloribus pinxit. Qua in re, quod ad animæ spectat in corpus imperium, illud etiam, quod pulchrè memorato octaui Ethicorum loco docet Aristoteles, venit animaduertẽdum; videlicet inter corpus & animam nullam esse amicitiã, nullum ius locum habere, sed solùm tale quippiam, quod artifici erga instrumentũ; ideoq; dominicum in corpus animam imperium habere: nimirum quia totum in illud imperium imperantis animæ causa & vtilitate, non parẽtis corporis exerceatur; quorum quidem primum herile, secundum liberorum constituit imperium, vt septimo Polit. scriptum legimus. Aristotelis verba Ethicorum octauo hæc sunt. In quibus enim Principi, ac subdito commune est nihil, in ijs neq; amicitia est; quippè cùm neq; ius aliquod sit, sed tale quippiã quod artifici erga instrumẽtum, animę erga corpus, hero ergo seruum. nam hæc vtilitatem ab ijs consequuntur, quibus ipsi vti consueuerunt. Hæc ille; qui locus præterquàmquòd illustrisimus est ad demonstrãdum, quàm preclarè de anima, corporis respectu Philosophus sentiat; cùm seruum animæ corpus esse ostendens, & castigandũ esse, & redigẽdum in seruitutem, iuxta diuinam Apostoli sententiam, nos admoneat; omnino etiam cogit nos, vt fateamur, nulla alia ratione animam herile habere in corpus imperium, primo Politicorũ ab eo esse dictum, nisi hac vna, quia corpus ipsius est instrumentum, atq; inter eam & corpus ea seruatur ratio, quæ inter artificem est ac instrumentum, vt pulchrè Aristoteles declarat. Vtrum autem his contraria sint, quę postremis verbis quinti Nichomachiorum habentur, quin etiam & sexto capite; quibus Philosophus inter dominũ, ac seruum ius concedere videtur; immo & quod magis est, supraq; tetigimus, rationalem animæ partem, idest mentem ipsam, in eã, quæ rationis est expers, in appetitum videlicet, herile imperium exercere; & si cõtraria videntur, quo modo sint conciliandа, quoniam id longiorem requirit indagationem, alio loco disputabimus. Quòd si posteriorem sequi velimus explicationẽ; videlicet ciuile imperium appetitus intellectiui, & voluntatis causa, regium sensitiui ratione mentem habere in ipsum appetitum, Aristotelem dixisse; iam patet rectissimè dictum esse, mentem ciuile in voluntatẽ imperium tenere, quoniam ea inter has animæ facultates æqualitas appareat, & societas, ac ius illud quę in ciuili imperio inueniri, atq; inter virum ac vxorem locum habere, voluit Aristoteles; adeò vt non solùm sociam & ferè æqualem intellectui, sed etiam longè illo eminẽtiorem nonnulli, inter quos & Scotus, voluntatem esse existimauerint. qua in re non solùm à D. Thoma, sed ab ipso Aristotele eos dissentire non dubitamus. Verùm his ita expositis (vt redeamus ad rem) qui natura serui oriantur, qui liberi, qui ad mentis, animiq; munera præclarè obeunda naturaliter apti; an Europæi reliquorum respectu tales sint; quod diuinè significauit Hippocrates verbis licèt obscurisimis, facilè nunc erit veritate cognita decernere; proindeq; allatas omnes labefactare dubitationes.

Cap. 11.

Qui naturaliter optimè dispositi oriantur ad animi mentisq; operationes rectè exercendas. quid de frigidæ & calidæ regionis habitatoribus sentiendum. Vitruuius confutatur. item quid dicendum de Asianorum dispositione.

Cap. 48.

IAm verò ex superioribus liquidò constat, eos oriri natura seruos, quorum corpora animæ, quorum appetitus menti leges imponunt; item quorum appetitus ad parendum, mens ad imperandum non sunt idonei: illos verò è contra natura liberos, quorum anima herile tenet in corpus, mens in irascibilem appetitum ciuile, in concupiscibilem regium exercet imperium; & quorum appetitus aptus ad parendum producitur, mens ad imperandum: siquidem hi ad imperandum nati sunt, alij ad parendum, quoniam tantum sunt prioribus inferiores, quantum distat ab anima corpus, & ab homine bellua, vt primo Politicorum pulchrè docet Aristoteles. At verò qui natura liberi oriuntur, & ad imperandum; animo, ac mente plurimum præstare necesse est;

Cap. 3.

est; siquidem in huiusmodi talibus vterq; appetitus ratione informatus, ad virtutes omnes acquirendas summè est dispositus: mens appetitus affectibus, ac perturbationibus non impedita, præclarè suas valet operationes exercere; cùm nil habeat, quod illi aduersetur: demum corpus animæ omnino subiectum, illi egregiè famulatur. Verùm tales natura gigni Europæos non Scythas, non Aethiopas, non Asianos, siue vt breuius, apertiusq; cum Hippocrate dicam, sic eos natura dispositos oriri, qui illas incolunt regiones, quæ ad calorem, & frigus crebras, vehementesq; sentiunt mutationes, demonstrare quidem nô est difficile. Enimuero qui in frigidis locis degũt, vt Scythæ, ac Germani, appetitum habent rationi repugnantem, quin etiam & qui ipsam rationem superare, quantum est naturalis dispositionis respectu, facilè possit; quia ob antiperistasim, cùm sub perpetuo maneant frigore, calorem insitum nacti sũt copiosissimum, ac robustissimum, proindeq; sanguinem valde crassum, ac fibris plenum, vt apri, ac tauri; vt propterea irascibilis illorum potestas (quod in concupiscibili quoq; habet veritatẽ) tãta caloris vi agitata, rationis non solùm imperio nõ pareat, sed ipsam rationem facilè vincat. qua de re sic Aristoteles secundo libro de Partibus Animalium. Quorum autem sanguis fibris admodum multis, crassisq; refertus est, hæc terrena amplius constant natura, & animosa, iracunda, proindeq; furibunda sunt: ira enim calorifica est. solida autem firmioraq; omnia concalefacta vehemẽtius quàm humida calefaciunt; fibræ verò solidæ, terrenæq; sunt. itaq; quasi fomenta in sanguine efficiuntur; feruoremq; per iram accendunt. ex quò fit vt tauri, & apri animosi, iracundi, furibundiq; sint. sanguis enim eorum fibris refertior est. Hæc pulchrè Aristoteles; vt meritò in Prob. glacialis plagæ habitatores vinolentis admodum similes fieri scripserit; neq; enim veram habent fortitudinem, sed animo, iraq; valent perinde ac feræ contra vulnerantes, & furore ob caloris copiam cientur. ex quò neq; etiam verè animo dicuntur excellere, quoniam honestatis gratia nõ mouentur: dominatur enim in illis omnino menti appetitus. vt iam neq; mentem, tanquam redditam imbecilliorem, & ferè nimia caloris agitatione conturbatam, ad imperandũ aptam habere videantur; neq; appetitũ ad parẽdũ, tãquã nimijs virib⁹ prę ditum ob caloris abundantiam. Hinc, cùm id habeant totum ob copiam insiti caloris, nullo modo Vitruuius audiendus est, qui, vt supra vidimus, in humoris plenitatem, in cęliq; refrigerationes, non in caloris huius redundantiam, quòd gentes illæ sãguine sint multo, animoq; valeant, referre videtur: sicuti neq; in eo altero sequendus est, quòd mentis eorundem hebetudinem, atq;, vt ipse vocat, stuporem, huic ipsi humoris refrigerati plenitudini tãquam causæ adscribit; cùm, vt rectissimè docuit Aristoteles, non quidem frigus, neq; refrigeratus humor, sed è contra calor, humorq; nimium concalefactus, illorum videlicet sanguis quasi feruens, & nimio calore exæstuans, & abundans vera causa sit, cur mente gentes illæ non valeant: quia scilicet nimius calor sensus operationem refringit, ac intercipit, vt eundem aliquãdo docuisse Aristotelẽ infra mõstrabimus, sine qua mens nequit excellere. vt meritò supra à nobis dictum fuerit, in tradenda huius rei causa plurimùm Vitruuium ab Aristotele discedere. si enim refrigerato humore redundarent, quo pacto parari ad irã, robusti, animosiq; esse possent? hoc nanq; totum excedentis caloris opus esse cõstat. vt interim taceam exemplum de serpentibus allatum minimè quadrare; tùm quia ex his, quæ corporibus eueniunt, malè possumus de animi facultatibus iudicare; tùm quia serpentes hyeme non ob humoris refrigerati copiam, sed potius ob insiti caloris inopiam, & imbecillitatem torpent, immotæq; sunt stupore. atq; hæc de frigidorũ locorum habitatoribus. Qui verò calida incolunt veluti Aethiopes, quoniã illorum internus calor exiguus est (quem ambientis perpetuus tepor facilè, ac semper difflari permittit) nihil itidem valent animo; irascibilis enim illorũ potestas calore omnino destituta ad mentis præcepta exequenda, etiam si illa audiret, non est apta. quin etiam, & quanquam mente frigidorum locorum habitatoribus antecellant, quoniam tamen moderationem non adhibent rationis, callidi verè potius, quã prudentes, menteq; præstantes dici debent; ex quò & propter metum malefici, crudelesq; euadunt, noxiusq; potius habitus efficitur: loquimur nanq; hoc loco de naturali habitu, ac dispositione, & virtute. de qua re præter ea, quæ pulchrè nono de Animalium Historia habentur, sic Nichomachiorũ sexto Aristoteles. Omnibus enim singuli ex moribus esse quodammodo natura videntur; nam & iusti, & tẽpe-

Cap. 4. Sect. 14. Cap. 1. Cap. 13.

» perantes, & fortes sumus, & cętera statim
» ab ipso ortu habemus. Sed aliud tamen est
» quod quærimus, vt propriè bonum sit, &
» talia alio modo adsint. etenim pueris, &
» bestijs naturales insunt habitus, sed sine
» intellectu, & mente esse noxij apparent.
quare & hi rursus neq; mentem, quia in maleficium tendit, ad rectè imperādum aptam habent; neq; appetitum ad parendum, quia viribus sit ob inopiam caloris destitutus. Hinc supra à nobis dictum fuit, insigniter Cardanum errauisse, dum scripsit verba Ptolemæi explicans, exustæ regionis habitatores in iracundia gētibus illis, quæ in refrigerata degunt, esse similes; cùm nulla re minus quàm ira, & animo valeant ob allatas rationes. neq; id tollit, quin ferinis existant moribus non secus ac contrariæ regionis habitatores, vt Aristoteles, ac Ptolemæus docuerunt; quod fortasse Cardanum fefellit, qui efferis eos esse non posse moribus, nisi & iracundi sint, fortasse existimauit. Sed pulchra hîc oritur dubitatio, sunt enim qui dicant, idq; plurimùm mirentur, mulieres ad glacialē plagam, contra quàm viros, mente excellere, adeò, vt rem omnem familiarem, quin etiā & grauiora negocia agere, & gubernare videantur: ad exustam è contra stupidas, & mentis viribus omnino destitutas. Id igitur si est, cur ita sit, ex principijs à nobis positis non est difficile attingere: cùm enim fœmina mare sit natura frigidior, ad glacialem plagam calor insitus mulierum, quia longè remissior sit calore marium, antiperistasi non ita ducitur ad excessum, vt sic mētis operationes valeat interturbare; quare & mentis acie meritò mulieres præualent. Ad exustam verò è contra regionē mulierum calor longè cùm existat imbecillior quàm virorum calor, quem tamen valde debilem esse diximus, vix potest ob regionis temperamentū adhuc debilior redditus, operationi mentis ob suam maximam imbecillitatem inseruire; quare meritò torpent, mentisq; illa priuātur acie, & calliditate. Sed ad nostra redeamus; cùm enim de Scythico, Aethiopicoq; temperamento dictum sit, sequitur nunc Asiaticus expendendus. Qui igitur summè temperata loca habitant, vt Asiani, neq; mente pariter, neq; animo, quod ad naturalem pertinet dispositionem, valere queunt; neq; appetitum ad rectè parendum, neq; mentem ad rectè imperādum aptam habent. Nam primùm neq; ad extremarum gētium habitus possidendos, qui in vitium degenerant, sunt dispositi: quandoquidem cum Scythis comparati, calorem habent imbecilliorem; vnde ira & animo, sicuti & illi, præstare nequeunt: cum gentibus verò Aethiopicis, habent abundantiorem; ex quò & mentis acie illa, & calliditate priuati sunt, quæ feruidæ regionis habitatorū videtur esse propria. Quòd si cum Europæis illos conferas, idem est iudicium; idq; ob vnicam eam rationem, quam principi post Aristotelem litterarū Hippocrati placuisse video; & quam maximè cupio lectores animaduertere; est autem hęc, quia mutationes temporum crebras, & insignes ad frigus & calorem non persentiunt. Enimuero quanquam insitum calorem quoad substantiā, vt ita loquar, habeant Europæis robustiorem, vti sequenti libro explicabimus: quin etiam & moderatum; quia neq; ita deficit veluti calor Aethiopum, neq; ita abundat vt Scytharum: ad agendum tamen, ac facultatibus, operibusq; animæ inseruiendum, longè habent Europæis inefficaciorem, & imbecilliorem. quia enim Asiani nullas sentiunt temporum mutationes, & in perpetua Cœli æqualitate collocantur; eorum calor torpet immotus, nec ventillatur (quod & dictum supra est, & fusius etiam infra dicetur) quare & neq; acuitur, sed, vt in imoto igni contingit, flacescit, & obtunditur; vt propterea ad animi, mentisq; operationes præclarè exercendas nil omnino conferre insigne posse videatur. Nam & hoc est, quod tàm crebrò in Opusculo de Aere, Aquis, & Locis de Asianis loquens diuinus docet Hippocrates.
Siquidem (inquit) in perpetua rerum simi- »
litudine segnities inest, in mutatione au- »
tem exercitationes & corporis, & animæ. »
quin & ab otio, & desidia augetur timidi- »
tas; ab exercitatione verò & laboribus vi- »
rilitas. Et paulò supra dixerat. De natu- »
ra quidem, & differentia, & forma eorum, »
qui in Asia positi sunt, sic se res habet. »
De timiditate autem hominum & mollitie, »
quòd multò sunt rerum bellicarum impe- »
ritiores Europæis Asiani, moribusq; man- »
suetiores; tempora anni maximè sunt in »
causa, magnas mutationes non parientia »
neq; caloris, neq; frigoris, sed propè simi- »
lia. »
quæ quidem verba, & superius adducta fuere, & satis explicata. ex quò &, vt notauimus, subdit Hippocrates, Asianos, siue dixeris in huiusmodi temperie collocatos, mente etiam non excellere. mutationes enim inter omnia sunt, vt pulchrè ipse adiecit, quæ mentem hominum excitant,

nec

nec finunt quiescere.

Locus quidam Hippocratis obscurus ad Asianorum pertinens temperamentum explicatur. Item de Europæorum dispositione.

Cap, 49.

HOc totum in calce eiusdem, Opusculi verbis licèt obscurissimis, diuinus cõfirmauit Hippocrates, de ea regione verba faciens, quam exactè huic temporum tẽperamento, vt supra diximus, voluit respõdere: quia enim videbat vir acutissimus temperationem hanc temporum tanquam nullis mutationib⁹ obnoxiam, ad segnitiẽ, ac torpedinem quandam mẽtem, & corpus hominum reddere inclinata; terram ac regionem, quæ eandem sua natura haberet potestatem, illi subiecit; rectissimè talem esse existimans, si excedat humiditate; cùm nil sit, quod magis mẽti, ac animi aciei obsit, viribusq; corporis, quàm ipsa redũdans humiditas. ex quò & Heracliti illud omnium sapientum ore decantatum.

Ἀυγὴ ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη. idest

Splendor siccus animus sapientissimus.

Hac igitur de causa pinguem, mollem, & aquosam regionem cum hoc temporum cõiunxit temperamẽto, idest valde humidam; vt potè sua nimia humiditate ad hanc segnitiem, torpedinemq; causandam, ad horumq; temporum vires hac in parte recipiendas, augendas, ac fouendas summè aptam, ac proinde cum temporum temperatione natura maximè consentientem: sanè vt doceret, quemadmodum supra monebamus, si regio exactè cum temporibus consentiat, effectus produci apprimè, ac perfectè respondentes: vt rectissimè concludere potuerit, quæ ex terra proueniunt, terrę naturam sequi. ex quò & eorum, quę superius citra enodationem reliquimus, apparet dissolutio; videlicet qua ratione Hippocrates cum hoc temporum temperamento hanc regionis formam, idest aquosã & mollem coniunxerit; cur voluerit in ea gigni homines animi, ac mentis vigore omnino hebetes; item corpore carnosos, & inarticulatos; quod de alterius regionis huic eidem temperamento temporum respondentis hominibus non dixit. Hippocratis autem hæc sunt verba, quæ in re tãta repetere non piget. Nam vbi terra pinguis est, & mollis, & aquosa, aquæ autem valde sublimes, ita vt æstate calidæ sint, hyeme frigidæ, & anni tempora rectè habeant; ibi homines carnosi sunt, malè articulati, humidi, & laborum impatientes, & animo malo vt plurimum. Segnities quin etiã, & somnolentia eis inest multa: suntq; ad artes crassi, non subtiles acuti vè. Hęc ille; quæ ad Asianos apprimè quadrare palàm est, nisi quantum humida regio mala auget; vt propterea forma esse, qui in hac gignuntur regione, longè imperfectiores, ideoq; & carnosos, & malè articulatos dixerit Hippocrates, quod de Asianis non pronunciauerat; proindeq; & segnitiem magis participare, mentisq; hebetudinẽ, ac laborum impatientiam; quæ tamen omnia Asianis impartiuit: vt Galenum non parum admirer, qui, vt supra notauimus, in Opusculo Quòd Animi Mores corporis sequantur temperaturas, huius tractus, ac regionis sic optimè temperatæ vires expendens, scripserit homines optimè temperatis moribus in ea gigni. Hinc eodem loco quasi huic oppositam nobis ante oculos poneret regionem Hippocrates, Europæum temperamentum, terramq; ac regionem illi perfectè respondentem (quod & supra etiam monebamus) his statim verbis explicauit. Vbi autem regio nuda, immunita, & aspera, ab hyeme pressa, & à sole adusta est, ibi quidem duri, graciles, benè articulati, vegeti, & hirsuti incolæ sunt; actionumq; promptitudo, & vigilantia eis inest: moribus sunt & iracundia audaces, & pertinaces, feritatisq; magis quàm mãsuetudinis participes; & in artibus acutiores, & prudentiores, circa res bellicas meliores. Hæc ille; quibus, sibi semper constans, quia tempora magnas faciãt mutationes, regioq; sua forma ad horum tẽporum vim recipiendam, fouendam, augendamq; sit apta, homines animo, mẽteq; pręstantes in ea gigni ponit. quare nulli dubium esse potest, Asianos cum Europęis comparatos, hac de causa, quia Cœlum nullis mutationibus habent agitatum, neq; animo, neq; mente excellere posse. quæ quidem causa, & ratio, tametsi æqualia omnia temperamenta feriat, adeò vt neq; Scythæ, neq; Aethiopes, quia his mutationibus non agitantur, insitum calorem ad animæ facultatibus, operationibusq; operam præclarè nauandam dispositum habeant, proptereaq; mente, & animo valere queant, peculiariter tamen Asianis aduersatur, quia hi tanquam in summa tẽperie collocati, neq; calorem habent vt Scythæ adeò excedentem, vt animo aliquo pacto præstent, neque adeò debilem, qui mentis conducat aciei, & calli-

ditati, vt Aethiopes; & præterea habent segnitie summa affectũ: vt rectissimè à nobis paulò supra dictũ sit, Asianos ac Europæos tanquam temperamenti ratione maximè oppositos Hippocratem iudicasse; cũ è contra Europæi in contraria omnino dispositione sint positi, cunctaq; habeãt, quibus priuantur Asiani. nimirum quia eorũ calor magnis mutationibus agitatus, proindeq; varius redditus, & animi vigorem vt Scythis, & mentis aciem vt Aethiopis, præstare potest, & hæc omnia longè perfectius præstare. item maximè est promptus ad agendum, ab omniq; segnitie remotus; qui enim loca magnis mutationibus obnoxia habitant vt Europæi, de quibus iam tẽpus est vt disseramus, quoniam frigoris & caloris mutationes experiuntur insignes, sic & à primordio, & in dies aduenientibus mutationibus temperantur, vt neq; calore interno nimium abundent, neq; nimium deficiant, neq; flaccidum, obtusum, ac torpẽtem illum habeant: neq; enim calorem insitum possident adeò excedentem vt frigidorum locorum habitatores; quoniam caloris in aere aduenientis mutatio difflationem causans, hunc in eo corrigit excessum: neq; adeò imbecillem, vt qui calida loca incolunt ob contrariam rationem; frigus enim superueniens antiperistasi calorem eorum robustum reddit, ac potentiorem, imbecillitatis excessum pariter corrigẽs; tãdẽ neq; torpentẽ habent, & obtusũ, vt qui tẽperatissimo Cęlo potiũtur (tametsi hi, vt supra diximus, substantiæ ratione calorem hunc abundãtiorẽ habeãt, ac robustiorẽ) eò quòd, vt minor ignis & imbecillior si ventilletur, agiteturq;, longè agit efficacius, quàm maior, si consopitus, immotusq; permaneat, ac torpens, sic Europæorum calor, quanquam quoad substantiã minor, ac imbecillior, mutationibus tamen temporum agitatus, modòq; maior, modò minor redditus, ac idcircò mobilior, puriorq; factus, preclarius, longèq; melius animę inseruit; vt hac etiam altera de causa Asianorũ calor eũdem gradum perpetuò seruãs, eandemq; mensuram, tanquã in summa tẽperie, nullisq; mutationibus agitata cõstitutus; non solùm quia torpescat, sed quia neq; augeri interdum queat, quod iræ, & animo plurimũ conducit; neq; interdũ minui, quod ad mẽtis aciẽ maximè confert, ad homines illos animo, mẽteq; pręstãtes producendos non sit aptus; præterquàm quòd, cùm operationibus animę inseruiẽs plurimũ dissipetur & hebescat, quòd crebris agitatus mutationibus augeri nequeat, & roborari, magnum illi affert detrimentum. Cùm igitur mutationum vicissitudine Europæorum calor & in moderatione quadam cõseruetur, & acrior, purior, vegetior, motu agilis, actione vehementissimus, demum infinitis partibus aptior ad agendum reddatur, animæq; inseruiendum; & ex consequenti sanguis, ac spiritus similibus affecti conditionibus in illis gignantur, iurè, & meritò Europæi cum Scythicis, Aethiopicis, Asiaticisq; gentibus comparati, Hippocratis, Aristotelisq; testimonio verè soli animo, ac mente vigere dicuntur; iure soli appetitum ad parẽdum rectè natura dispositum, mentem ad imperandum habere. moderatus nanq; calor, & hoc modo dispositus, ac temperatus non solùm finit mẽtem suo munere fungi, animumq; & iram mentis præcepta audire, quod nimius in Scythis non permittit: non solùm animo, & iræ auxilium præstat, quod paucus non potest in gentibus Aethiopicis: nõ solùm mẽtem non trahit ad maleficium, quod idem exiguus in illis calor operatur: non solùm in sũma quiete nõ torpẽs, ineptus nõ redditur ad famulatum animę pręstandũ, quod facit in Asianis; sed mutationũ crebritate agitatus, viuidum, mordaxq; quoddam acquirens, mentis animiq; operationibus egregiè famulatur; vt diuinè hæc ipsa contuens Hippocrates litteris mandauerit, vbi magnæ hæ fiunt mutationes, vbi corpora, insitusq; in illis calor vehemẽtes hasce patitur mutationes ad frigus & calorem, ibi & iram, scilicet irascibilem appetitum, mẽtem magis participare, quod nullus Interpretum animaduertit: cuius rationis vim Galenus fortasse admirans in Opusculo Quòd Animi Mores corporis sequãtur tẽperaturas, exclamasse visus est, Hippocrati hac in re vt testi se non credere, id quod alij faciunt; sed quòd certas, firmasq; eius videat esse demõstrationes, ob id ipsum cõmendare. *Cap. 9.* voluit enim dicere Senex sapientissimus, homines ibi genitos sic natura esse dispositos, vt mens ciuile in irascibilẽ, animosamq; partem animæ exercere valeat imperium; ex quò & meritò Europæos cũctis fortitudine excellere affirmat, idest eos qui clima quintum incolũt, quod loco memorato Galenus confirmat; ad verum enim fortitudinis habitum adipiscẽdum naturaliter tales sunt dispositi. Item hæc caloris temperatio mentis operationi tùm ex se, tùm ob sanguinem, & spiritum, quẽ gignit, plurimùm conducit. quare non solùm fortitu-

titudine, sed etiam prudentia præstãt Europæi, ac intelligentia: quæ enim in extremis gẽtibus extrema sunt, excessusq; & defectus, ac vitia; scilicet nimius Scytharum animi impetus, nimia Aethiopum mentis acies, & calliditas, in Europæis ad moderationem quasi ad medium redacta, virtutes euadunt, siue dixerim verius, virtutum semina: quæ in intermedijs, vt ita loquar, gentibus mediocritas (sunt autem hi Asiani) tanquam torpens, & segnitie quadã affecta, ideoq; ad semina virtutum promenda inepta, vel ad vitium declinat, vel certè virtutis non refert imaginem, in Europæis alacre quoddam, & promptũ accipiẽs, virtutis ipsius effigiem repræsentat. Vnde vigor ille animi, qui in Scythicis gentibus, tanquam corpus validum sine visu, mouetur, ideoq; vehementer errat, vt perbellè sexto Ethicorum inquit Præceptor, in Europæis visum acquirens, scilicet rationem audiens, ac participans, in fortitudinẽ trãsit; calliditas illa gentium exustæ regionis, in prudentiam; torpens illa dispositio gẽtium tractus summè tẽperati, summa euadit agendi promptitudo. Sic ergo admirando naturæ artificio factum cernimus, vt qui in perpetua frigoris ęqualitate degũt, vigeant animo non mentis acie; qui in perpetua caloris ęqualitate, è cõtra mente nõ animo valeant, eo tamen modo, quo declarauimus; cùm non rectos, laudabilesq; harũ facultatum habitus possideant; qui in loco degũt inæquali, Cęloq; fruuntur vario, & inęquali, idest magnis ad frigus, caloreq; mutationibus obnoxio, quoniam vtriusq; sunt participes temperamenti, vtroq; necessariò munere præstent, mentis videlicet acie, & animi vigore; quales Europæos esse toties dixit Hippocrates; demum qui sub Cęlo degunt summè temperato, quia neq; caloris, neq; frigoris sentiunt mutationes, sed æqualissima temperie potiuntur, proindeq; eorum calor immotus hebescit, ac torpet, neutro etiam munere excellant, sed vtroq; priuentur, quemadmodum de Asianis affirmat Hippocrates. Cur autem Asiani, cùm australiores sint Europæis, & in tepidiore tractu collocati, moderatiorem nihilominus ambientis calorem sentiant, alia ratio est; qua verò dę causa participent substantię ratione robustiorẽ, sequenti libro explicabitur. Verùm his ita expositis facilè allatas dilui dubitationes, satis est perspicuum.

Cap. 13.

Soluuntur duæ priores dubitationes. Nonnullorum reijcitur interpretatio. Cap. 50.

Dicimus igitur ad primam, qui frigidos tractus incolunt, vt superiora satis docuerunt, si rem propius intueamur, nõ propriè animo valere, cùm vera fortitudine non excellant, de qua intelligit Hippocrates, cùm iram dicit exasperari, ac rationẽ ipsam participare. quamobrem non video qua ratione nonnulli, vt supra adnotauimus, hanc Hippocratis sententiam de frigidæ regionis habitatoribus intelligendã esse velint; cùm satis sit perspicuum, eos, qui loca multùm frigida incolunt, vt Germani, ac Scythæ, magnas ad calorem, & frigus mutationes non experiri, sed in extremorũ altero esse collocatos, æqualeq; omnino habere temperamentum. Præterea dicimus, si animosos esse illos cõcedamus, iramq; eis exasperari, nullo tamen pacto rationem participare: atqui Hippocrates, quod non satis hucusq; animaduersum video, non alterum tantùm pronunciauit, sed vtrunq; simul: siquidem dixit, vbi magnæ fiunt mutationes, ibi & iram exasperari, & mentis magis fieri participem. quod quidem non solùm Aristotelis dictis non aduersatur, sed cum illis mirificè cõsentit; cùm apertè Philosophus dicat, eos, qui frigidiora Europæ loca incolunt, intelligentia, & arte minus solertes haberi. atq; hoc alteram etiam diluit, quæ de calore oriri posset, difficultatem: quæ enim gentes sub frigido Cęlo degunt, & proinde quæ has non experiuntur mutationes, ob allatam ex Aristotele rationem, calorem insitum habent copiosiorem, & animosa, irascibilisq; animæ illorum pars caloris magis redditur particeps, sed non tamen mentis: at Hippocrates vtrunq; voluit eam participare, videlicet calorem simul, ac intelligẽtiam; quod in illis tantùm locis habet veritatem, quæ magnis ad calorem, & frigus mutationibus sunt exposita: itaq; dubitatio prima nullius est momenti. Secũdę dubitationi eadem occurrit via resistẽdi; quãdoquidem calidæ regionis gentes intelligentia, & artibus valere dicuntur cum frigidi tractus habitatoribus comparatæ: ex quò & illorum respectu sapiẽtiores eas appellabat in Problematis Aristoteles, & adductis verbis septimi Politicorũ, vt supra suo loco animaduertimus; verè tamen eam mentis pręstantiã, quę virtus est, aut simillima virtuti, non possidet, vt paulò superius explicauimus. Deinde esto concedamus

mente, & artibus eas excellere, non tamen animo valent. at Hippocrates vtroq; munere eas præstare intellexit gentes, quæ loca magnis mutationibus exposita incolũt: dixit enim iram illis exasperari, calorisq; & mentis fieri participem; quare & dubitatio nulla.

Alia quædam reijcitur explicatio.
Cap. 51.

QVòd si dicamus, videntes Hippocratẽ Asianos his animi, mentisq; dotibus longè esse Europæis inferiores affirmare; Aristotelem verò intelligentes, & artificiosos illos facere; vt hanc tollamus difficultatem, intelligendum esse ipsos Asianos ijs excellere, quæ in pace magis in vsum veniunt; adeò vt in artibus inueniendis illos valere, sed ad remp. gerendam ineptos esse Hippocrates, & Aristoteles existimauerint; hæc profectò si affirmabimus, videbimur ab vtroq; magistro plurimum desciscere; siquidem Hippocrates Asianorum nomine non eos intelligit, qui loca excellenter calida incolunt tãquam extrema, & frigidis opposita, sed, vt crebrò supra admonuimus, gentes illas, quæ in exactè temperata versantur regione, nullumq; frigoris, & caloris excessum perpetiuntur, proindeq; vehementem nullam ad has qualitates mutationem; propterea affirmat Asianos cum Europęis comparatos neq; mẽte antecellere, neq; animo, neq; fortitudine, neq; prudentia: cuius dicti ratio iã supra à nobis fuit explicata. At verò Aristoteles Asianorum nomine calidorum locorum designat habitatores, idcircòq; mẽte eos valere scribit, & gentibus illis opponit, quas paulò supra in frigidis versari locis posuit, & accepit. neq; vllum est absurdum aliam Hippocratem Asię nomine, aliam Aristotelem regionem designare; cùm Veteres, vt docti quidam nostræ ætatis viri animaduerterunt, duas tantùm in partes Orbem nostrum secuerint, videlicet in Asiam, & Europam; vt rectissimè per Asiam æstuosissimam ipsius partem potuerit Aristoteles designare. quod Hippocrates cõtuens, cùm de Asia loqueretur, vt hanc euitaret difficultatem, se ipsum explicans pulchrè exposuit, quã Asiæ partẽ intelligeret. Itaq; si dicamus Asianos Europæorum respectu in artibus inueniendis valere, atq; ijs, quæ in pace magis in vsum sunt, excellere, ab Hippocrate dissentiemus, qui Europæos his omnibus Asianis præstare & censuit, & scripsit. si adijciamus, Asianos in artibus quidem inueniendis valere, sed nullam ad remp. administrãdam habere aptitudinem, Aristoteli non planè consentiemus; qui non quidem Asiæ, scilicet calidorum locorum habitatores, sed Europæ, & frigidorum ἀπολίτευτα appellat, idest à recta reipublicæ ratione alienos: ac sanè rectissimè, cùm neq; imperare, neq; parere sint apti; ipsis verò Asianis τὸ διανοητικὸν impartit, idest intelligentiam, qua maximè remp. gubernamus. vnde non quidem cognitionem, sed potius potestatem reip. administrandæ illis deesse innuit: cùm enim animo careant, instrumento ad fortitudinem exercendam, atq; ad tuendam remp. carere videntur; ideoq; ad parendum sunt faciles, imperioq; semper subiecti, & pressi seruitute. Hinc Alemani conciliationem, moteq; dubitationis solutionem tàm à scopo aberrare (quod supra etiam dicebamus) quàm ipsum attingit scopum dubitatio, facilè patet; qui, cùm videret Aristotelem Asianis intelligentiam impertiri, Hippocratem verò eripere ob eam rationem, quòd mens illis torpescit, tãquã magnarum mutationum expertibus; respondit Asianos honore illectos ad artes excogitandas animi vires applicare; vel dicendum esse Hippocratem loqui de cognitione eorum, quæ ad artem militarem pertinent, adeò vt cognitionem hanc Asianis diuinus Senex adimere voluerit, non quidem mentis aciem, ac intelligentiam; cùm tamen, vt superius declarauimus, neq; de ijsdem Asiæ populis Hippocrates, & Aristoteles loquantur, neq; Asianis Hippocrates auferat simpliciter intelligentiam, sed intelligentiam simul & animum, idq; totum Europæorum respectu; neq; iuxta ipsius principia negãdum sit, eos, de quibus loquitur Aristoteles, Asianos ad frigidarum regionum habitatores comparatos mente valere; neq; homines honore ad artes allici possint, nisi prius natura ad eas capessendas sint dispositi; de qua quidem naturæ tantùm dispositione Hippocrates, & Aristoteles loquuntur.

Tres aliæ dirimuntur dubitationes. quid propriè sit apud Hippocratem intelligendum iram exasperari, fusius declaratur.
Cap. 52.

AD tertiam dubitationem quid respondendum sit, ex superioribus liquidò constat: neq; enim tantum habet caloris regio

regio Asianorum illa, de qua loquitur Hippocrates, neq; tantum frigoris, neq; homines calorem insitum adeò dispositũ habẽt, siue ipsam cum extremis regionibus, siue cum Europæo temperamẽto comparemus, vt valeant habitantes reddi sapiẽtes & animosi. cuius rei ratio est, quòd nullis magnis ad has qualitates mutationibus afficitur. qua de re supra satis dictum fuit. itaq; meritò illius habitatores vtraq; naturaliter priuantur facultate. Quartam, quæ difficilior est, sic putamus diluendam, vt dicamus primùm mutationes temporum formationem ipsam maximè respicere, ideoq; homines habitu, ac natura tales ab initio gignere, vt ad illas ipsas mutationes & mente excitari, & corpore vehementer alterari valeant, susceptamq; alterationẽ diutius retinere: quod infra etiam fusius explicabimus. atq; hoc Hippocratem significasse satis constat, cùm non semel dixit his mutationibus genitale semen, dum conformatur, mirificè alterari; qua etiam de causa, cùm de corporis ageret mutationibus, μετάστασεις illas appellauit; dixeris, ni hallucinor, transitus insignes, & diuturnos, quales eos esse scimus, qui habitum afferunt, ac designant naturalem. quare nõ sunt mutationes, quæ in dies fiunt, quæ hanc habẽt simpliciter potestatem, vt Cardanus obijciebat: nisi enim corpus ita esset natura initio genitum, ac dispositum, vt ab illis commoueri posset, & alterari, mutationes ipsæ nihil omnino possent; vt propterea idem Cardanus audiẽdus nõ sit, qui de mutationibus perpetuo cursu multorum annorum factis, locum censet intelligendum; cùm tantum absit, vt hæ, quæ in dies fiunt, mutationes temperaturam ab initio genitam mutent, vt eam talem maximè seruent, quemadmodum infra planius aperiam; adeò vt si mutarent corpus, eiusq; temperamentum, ineptum ad famulatum animæ præstandum in præclaris hisce muneribus obeundis illud penitus redderent. Deinde dicimus huiusmodi mutationes, quæ in dies fiunt, sicuti corporis habitum talem seruant, ita & calorem primùm, ac spiritum, deinde & mentem excitare & acuere; pro quanto, vt diuinè inquit Hippocrates, in perpetua similitudine segnities, in mutatione exercitatio animi & corporis inest; adeò vt propterea longè ad agendum reddantur aptiora, & efficaciora. quod qua ratione habeat veritatem, quouè modo ex his mutationibus calor, & mens excitentur, & acuantur, vberius infra suo loco explicabo. Postremo quintam, quæ omnium est difficillima, sic censeo labefactandam. Dictum est superius Hippocratis esse sententiam, locis ijs, quæ magnis sunt mutationibus obnoxia, iram .i. animosam, irascibilemq; partem à mente exasperari; nimirum quia mẽtis magis particeps reddatur. redditur enim particeps magis, quia ob temperamentum locis illis appetitus irascibilis ad audienda mentis præcepta naturaliter magis est dispositus, & ad parendum; mens ipsa ad suas promẽdas operationes magis apta, & ad imperãdum, adeò vt hac de causa mens excitetur, & vigeat, suasq; probè valeat exercere operationes. propterea additum est, de vera fortitudine diuinum Senem sermonem habere; quæ quidem est, vt pulchrè declarat tertio Nichomachiorum Aristoteles, cùm mens imperat, irascibilisq; pars monitis ipsius paret, eiusq; iussa audit. communicatur enim ex hoc mentis in irascibilẽ imperio, atq; cum ea coniunctione ipsi irascibili in veræ fortitudinis operibus vis quędam, quam Aristoteles memorato loco perbellè ὀξεῖαν videtur appellasse; dixeris nescio quid acutum, acre, & asperum; & quam Hippocrates videtur mihi ἀγριότητα hoc loco dicere; diuinè adiungens vim hanc iræ à mente innasci, adeò vt iram ipsam mentem participare, ipsamq; mentem asperitatem hãc inducere apertè scripserit. Aristotelis verba hæc sunt. Atq; audaces quidem præcipites sunt, voluntq; ante ipsa pericula periclitari; in ipsis verò constituti, absistũt; sed fortes in operibus ipsis acres, ac celeres, antea quieti sunt. Hoc igitur iacto fundamento satis modò per se elucet, quid sit iram à mente exasperari, ipsamq; mentem participare; adeò vt & quòd hoc ita eueniat; & quo modo eueniat, & quòd nil demũ sit aliud quàm acrem, & celerem in operibus reddi, vt diuinitus docet Aristoteles, iam sit apertissimum. quare cũ obijcimus, si ira magis caloris sit particeps, mentem magis non posse participare; patet, obiectionem esse nullam. nam iram, & animum calorem magis eatenus participare censuit Hippocrates, quatenus hunc mutationibus crebris agitatum, excitatumq; participant; atq; hoc modo longè ad agẽdum efficaciorem, ad inseruiendumq; animæ operationibus aptiorem: deinde neq; solum calorem participare magis irascibilem intellexit Hippocrates, sed calorem simul & rationem. in frigidis enim regionibus caloris magis redditur particeps, sed

Cap. 7. & 8.

non

non mentis; itẽ caloris eius sit magis particeps, qui excedens est, & immoderatus, non eius, qui optimè est dispositus, ac tẽperatus, ideoq; maximè idoneum animæ ad eius præclarè obeundas operationes instrumentum. præterea cùm opponimus, si ira mentem participat, non posse simul & reddi ferociorem; hoc facillimè responsionis obiectu debilitari satis constat: redditur enim acrior, acutior, asperior ea asperitate, quæ virtuti est coniuncta, quam intelligere Hippocratem demonstrauimus: non ea asperitate, quæ beluis, iracundis, furibundisq; conuenit; & ijs gentibus, quæ efferis moribus existunt.

Superiora fusius enarrantur. Nonnullorum refellitur interpretatio. *Cap.* 53.

HInc obiectio tertia ad quintam hanc dubitationem facta, nullas habet vires: mens enim iræ adiuncta in vera fortitudine, quietis, mansuetioribus, ac leoninis moribus hominem facit, in ipsis tãtùm operibus acrem, & asperum. atq; hoc est quod inquit Aristoteles; à quo non dissentit Hippocrates, dum lenitatem & mansuetudinem respuit; quoniam horum omniũ nomine non quidem virtutem vllam, sed timiditatem intelligit, vt ipse se explicans paulò infra apertè ostendit verbis illis.
„ Quin etiam & ab otio, & desidia augetur
„ timiditas. nam cùm dixisset supra, mentis perculsiones lenitatem, ac mansuetudinem extirpare; his verbis admonet, perpetuam rerum similitudinem quæ contraria est mẽtis perculsionibus, quia desidiam, otiumq; causet, lenitatem ipsam augere, & mansuetudinem, idest, vt ipse interpretatur, timiditatem. Quod verò inquit Hippocrates, iram mẽtem magis, & calorem participare, quàm si in eodem semper permaneant; si-
„ quidem grecum habet exemplar, ἢ ἐν τῷ αὐ-
„ τέῳ αἐὶ ὄντα, hanc arbitror ego sententiam habere; videlicet iram magis mentem, & calorẽ participare, si duo hęc, scilicet calor, & mens magnis agitentur mutationibus, quàm si in eodem statu, scilicet in perpetua similitudine permaneant, & æqualitate nullis mutationibus perculsa. quod sanè dictum quo pacto habeat veritatem, supra satis explicuimus. quibus enim locis nullæ fiunt mutationes, si hæc frigida sunt, ira, scilicet irascibilis animæ potestas, caloris fit particeps non mentis, & caloris, qui lõgè fit sua natura impurior tanquam non agitatus mutationibus, & ad agendum in efficacior; si calida, mentis, seu potius versutiæ non caloris; si temperata, nullius horum: quod suo loco ostendimus. quare meritò in illis tantùm locis, quæ magnas experiuntur mutationes, cõcludit Hippocrates irascibilem hanc partem caloris simul, & intelligẽtiæ magis fieri participem. Hinc verò aliorum interpretationes, qui hunc Hippocratis locum explicare conati sunt, nutare vehementer, latissimè patet; adeò vt etiam corruant vniuersæ. enimuero si verum esset, quibus locis magnæ fiunt mutationes ad calorem & frigus, homines ira fieri ferociores ob sanguinis illam, quã ponunt, reciprocationem modò ad internas partes, modò ad externas; sic Scythæ, atq; Germani, quoniam has reciprocationes non patiuntur, sed tantùm perpetuam ad interiora, ob perpetuum frigus ambiẽtis, propulsionem, iræ penitus, & animi essent expertes; cùm tamen omnium consẽsu ira maximè ferociant. Item si ob magnas hasce mutationes calor augetur; igitur Europæi animosi quidem erunt, sed nõ tamen intelligẽtes; igitur Germani, & Scythæ non erunt animosi; quoniam, cùm has non habeant mutationes, neq; etiam habẽt caloris incrementum: quibus enim caloris incremẽtum efficitur, tales animo pollere, sed mente esse hebetiores non semel supra ex Aristotele probauimus. quare lõgè erit melius, atq; ad veritatem propius, si dicamus calorem hũc his mutationibus ad moderationem reduci, agitatumq; quãdã ad agẽdum vim acquirere, & allacritatem, adeò vt mentis, & irę operibus optimè valeat inseruire; ideoq; nec copia mentem lædere, neq; inopia animum & iram, neq; segnitie vtranq; facultatem. Præterea, quòd simul augeatur in illis calor & iracundia, simulq; & cogitatione fiant prompti, non videtur verum; cùm caloris incrementum, vt diximus, mentem reddat hebetiorem: ita enim Scythæ, ac Germani, demumq; locorũ frigidorũ habitatores simul essent animosi, & intelligentes, quod constanter septimo Politicorum Aristoteles negauit. Postremo, quòd hæc omnia de Europæis dicat Hippocrates, non tanquam de ijs, qui loca multùm frigida habitent, sed tanquam de ijs, qui in medio tractu degunt, atq; eo sensu medio, quem superiori disputatione explicuimus, proindeq; nõ solùm multùm frigida, sed etiam multùm calida loca incolunt, atq; hoc modo vehementibus ad calorem, & frigus mutationibus exposita, iam satis superiora docuerunt. Cęterum Hippocratis

pocratis in hoc loco obscurissimo mente exposita, dubitationibusq; profligatis, superest modò, vt fidei nostræ liberandæ causa tria superius proposita capita expediamus, ostendentes ex Hippocratis, Aristotelisq; sententia in Europæorum corporibus simile temporum suorũ tẽperamento innasci temperamentum; taleq; nullũ esse aliud, quàm melancholicum; demũ melãcholicũ solum temperamentum homines mente, & animo pręstantes generare.

Primum ex tribus superius propositis capitibus, enarratur. Cap. 54.

PRimum erat caput enarrandum, quomodò Hippocrates temperamentũ in corporibus hominum simile temporum huiusmodi, de quibus loquimur, temperamento gigni intellexerit. hoc facilè attingemus, si ex superioribus illud repetamus, mutationes temporum de Hippocratis sentẽtia enarrata omnia efficiendi habere potestatẽ, quatenus corpus ipsum, insitumq; in eo calorem commouent, ac mutant, & hac ipsa ratione, quoniã id præstare possunt. nam & hoc est, quòd apertè Hippocrates indicat, vbi de Asianis, & Europæis loquitur, cum mentis perculsionibus simul & corporis coniungens mutationes. quo loco omnes vno ore affirmãt Interpretes, eum post mẽtis perculsiones corporis statim mutationes subijcere, tanquam causam, à qua mentis omnis commotio ortum ducat. Verùm corpus vehementes perpeti ad calorem, & frigus mutationes non potest, nisi sua natura aptum sit, vt harum qualitatũ, proindeq; temporum ipsorum recipiat, sentiatq; mutationes: aptum autem ad illas recipiẽdas, percipiendasq; esse nequit, nisi in medio quasi extremorum quodam, perinde ac regio ipsa, quæ tales patitur mutationes, sit constitutum; idest ita affectum & temperatum, vt caloris, ac frigoris vehementes mutationes, quemadmodũ & regio, valeat admittere: siquidem hoc est, quod supra ex Hippocrate docebamus, naturas hominum ac temperamenta, temporum referre ac regionum temperaturam, in quibus degunt, & oriuntur. Erit autem huiusmodi, si non fuerit in altero extremorum positum; si .n. esset tẽperamento calidissimum ad frigus, si frigidissimum ad calorem recipiẽdum minus esset aptum, perinde ac cęlum Scythicũ caloris, Aethiopicum frigoris differentias non percipit, saltem insignes, neq; hominũ corpora, quę in illis sunt regionibus; Europæum è contra vtrasq; suscipit differẽtias, quia in extremorum medio est collocatũ. qua de re supra fusius locuti sumus. Intelligendum autem est, vt supra monebamus, corpora ab initio natura & habitu talia gigni, & conformari, vt ad hasce mutationes, differentiasq; frigoris, & caloris recipiendas sint disposita: ita enim eam habebũt proportionem ad Aethiopica corpora, & Scythica, quam Europęum cęlum ad Scythicum, & Aethiopicum. sunt .n. Scythica corpora perpetuò sub altero extremorum; semper nanq; intus ob perpetuum Cęli algorem mirificè calent: Aethiopica verò contraria de causa contrario modo sunt affecta: at Europæa hanc non seruant æqualitatem, tenoremq; non retinent eundem; sed sui Cęli crasim imitantes, ac tẽporum, quæ in illo sunt, temperaturam, ad frigoris, calorisq; differentias percipiendas natura gignuntur disposita; proindeq; inęquale dicuntur habere temperamentũ: non secus, ac tempora, quorum referũt temperationẽ, inęqualia hac eadem de causa, vt superius abũdè explicuimus, ab Hippocrate vocãtur: quare modò frigoribus horrent, modò ęstu candent. Verùm si ita fuerint corpora tẽperata, ac disposita, simile esse temperamẽtum nacta temporum ipsorum temperamẽto, quod voluisse diuinum Senem dicebamus, & primo capite explicandum proposuimus, qui id non approbat, certè veritatẽ non percipit. Intelligendum autẽ est, vt supra indicauimus, hanc corporum temperaturam naturaliter in quinto climate oriri, præsertimq; in Græcia, & Italia; nimirum quoniam ea omnia, quæ de Europæo tẽperamento, ac de mutationibus temporũ disserit Hippocrates, in his maximè regionibus locum habeant.

Secundum caput explicatur, Aristotelis cum Hippocrate notatur cõsensio. Item tertiũ caput proponitur definiendum. Cap. 55.

ERat secundum caput, quid sit, quod suadeat, & doceat, huiusmodi tẽperamentum, quod inæquale vocat Hippocrates, nullum esse aliud quàm melancholicũ. Hoc adeò manifestè Problematum trigesima sectione aperit Aristoteles, vt nihil supra. quo loco Philosophus quærens, cur quotquot ingenio claruerunt, melãcholici omnes extiterint, huius rei causam nullam aliam adducit, nisi hanc vnam, quòd atra bilis temperamento inæqualis est, & magnas suscipit ad calorem, & frigus mutationes. qui

Prob. 1.

qui locus illustrissimus est ad probandum,
inæqualis temperamenti nomine nullum a-
liud apud Hippocratem esse intelligendũ,
quàm quod insignem admittit ad calorem,
& frigus mutationẽ; item Aristotelem di-
uini Senis dogmata hac in re penitus esse
secutum. nam & sic citato loco scribit sa-
pientiæ Magister iuxta Theodori interpre-
tationem, à qua tamen nos in nonnullis
,, dissentire, infra suo loco ostendemus. Nũc
,, de eo, quod principiò explicare maluimus,
,, agendum est. Humoris id genus, quam a-
,, tram bilem vocamus, protinus sese constã-
,, tię, naturęq; vniuersi corporis intermiscet,
,, confunditq; : temperamentum enim omne
,, calidi, & frigidi est: quippè cùm ex his duo-
,, bus natura & seruetur, & constet. quam-
,, obrem atra etiam bilis & calidissima, &
,, frigidissima reddi potest: pati namq; istæc
,, ambo eadem aptissima suapte natura est.
,, & mox. Habitus enim melancholicus, vt
,, morbos varios creat, ita etiam ipse inæqua-
,, bilis est; quippè qui àliàs frigidus in modũ
,, aquæ, aliàs calidus fit. & paulò infra. Cau-
,, sam verò tàm variæ potestatis ipse habitus
,, dat, scilicet prout frigidus calidusuè cõsti-
,, terit. & tandem in diuini illius Problema-
,, tis calce. Summam igitur rationum colli-
,, gamus. Homines melancholici varij, inæ-
,, qualesq; propterea sunt, quia vis atræ bilis
,, varia, & inæqualis est: quippè quæ vehe-
,, menter tùm frigida, tùm calida reddi eadẽ
,, possit. & quoniam vim eandem morũ obti-
,, net instituendorum (mores enim calidum
,, condit, & frigidum omnium maximè quæ
,, nostro in corpore habentur) ideo nos mo-
,, rum qualitate afficit quadam, informatq;.
Hæc ille; qua profectò continuata & ratio-
num, & sententiarũ serie apertissimè docet
inæquale esse temperamentum atræ bilis,
quia ad caloris, & frigoris mutationẽ re-
cipiẽdam solum esse aptum videatur; vt re-
ctissimè à nobis dictum sit, huiusmodi tẽ-
peramentum, quod inæquale Hippocrates
appellat, nullum esse aliud quàm melãcho-
licum. Verùm hactenus de secundo capite,
nunc tertium aggrediamur explicandum;
quod vt lõgè difficilius est, ita & multò lõ-
giorem requirit disputationem. Quęreba-
mus in eo, quo pacto melãcholicum huius-
modi temperamentum homines faciat in-
genio singulares: cuius rei quam attulerint
rationem Hippocrates, & Aristoteles cer-
nere certè difficillimum; vt hac de causa il-
lorum sentẽtia vberius nobis videatur ex-
plicãda; præsertim cùm doctissimi non de-
sint viri (inter quos & Ficinũ reperio pri-

Cap. 5. & 6.

mo libro de Triplici Vita, & Valeriolam E-
narrationum Medicinalium libro sexto) qui
scripserint, Democritum, Platonẽ, Aristo-
telem (quod idem dicere de Hippocrate
possumus) asseruisse quidem melãcholicos
ingenio cũctos excellere, rationẽ verò tan-
tæ rei haud satis explicasse. quod sanè cùm
falsò dictum nobis videatur, audendum
monstrãte Deo planum facere Ficini ipsius
exemplo, solos philosophiæ principes Hip-
pocratem, & Aristotelem, aut veram cau-
sam huius rei pulchrè docuisse, aut certè
probabiliorẽ: qui verò ab illorum dictis de-
sciuerunt, nil pro hac dissoluenda quæstio-
ne tutum, firmumq; afferre. Marsilius igi-
tur (vt alios nunc prætereamus) qui vnus
diligentius quæstionem hanc videtur per-
tractasse, memorato loco Medicorum pla-
cita sequens, accipiensq; spiritum vaporẽ
quendam sanguinis esse purum, subtilem,
calidum, ac lucidum, ab ipso cordis calo-
re ex subtiliori sanguine procreatum, pul-
chrè definit huiusmodi spiritum cerebrum
petentem instrumentum esse, quo animus
ad sensus tàm interiores, quàm exteriores
exercendos, assiduè vtitur; adeò vt sãguis
spiritui seruiat, spiritus sensui, sensus ra-
tioni, ac menti, cuius est munus nobilissi-
mam contemplationis operationem exer-
cere. propterea talem vt plurimum fermè
contemplationem esse, quale sensus ipsius
obsequium; talem verò sensum, qualis &
spiritus; spiritum autem talem, qualis &
sanguis, & tres illæ apud Medicos notissi-
mæ virtutes, naturalis scilicet, vitalis, &
animalis, à quibus per quas, in quibus spi-
ritus ipsi concipiuntur, nascuntur, atq; fo-
uentur. virtutis enim naturalis ope in ie-
cinore concipiuntur, vitalis efficientia in
corde nascuntur, indeq; creati cerebrũ pe-
tentes animalis virtutis beneficio in eo fo-
uentur. His positis paulò post docet, atram
bilem naturaliter genitam ea ratione inge-
nio cõducere, quatenus, si gignatur in cor-
pore subtilissima, opportunèq; temperata,
ac bili, sanguiniq; permixta, spiritus ex ea
procreantur primo quidem subtiles, quia
sub angustioribus atræ bilis eiusmodi com-
pressi meatibus, vehemẽtiore ob vnitatem
calore, maximè tenuantur, perq; arctiores
meatus expræssi, subtiliores erumpunt; de-
inde calidiores, atq; ea ratione lucidiores;
tertio motu agiles, actione vehemẽtissimi;
quarto solido, stabiliq; humore iugiter e-
manantes. quo quidem obsequio, instrumẽ-
toq; frętus noster animus, indagat vehemẽ-
ter, perseuerat inuestigãdo diutius, facilè
quæq;

Enarr. 10.

Cap. 5. & 6.

queq; inuestigauerit, inuenit, clarè pspicit, sincerè dijudicat, ac diù retinet iudicata.

Marsilij refellitur sententia. Cap. 56.

HAec Marsilius; quæ plenius quisq; explicata apud ipsum videre potest. At enimuero ea mihi, tametsi egregiè disputata sint, nihilominus scopum attingere non videntur. Primùm enim Marsilij recepta positione nulla occurrit ratio, qua doceamus, cur ex melancholicis alij alijs scientijs, siue artibus excellant: neq; enim satis est si dicamus, spiritus eo modo genitos, quo Marsilius inquit, aptum esse animæ instrumentum ad indagandum, inuestigandum, retinendum, iudicandum; sed addere oportet, cur hæc omnia munera alij in bellica arte, alij in republica, alij in hac, seu in alia arte, vel scientia efficacius, excellentiusq; exerceant: quorum omnium causæ Aristotelis sentẽtia admissa facilè afferuntur. Deinde præter alia, quæ obijci possent, incommoda, hoc vnum maximum occurrit; omnium enim primam, ac præcipuam causam, à qua reliquæ pẽdent, Marsilius prætermittit. nam esto quatuor illa ad homines ingenio præstantes procreãdos omnia concurrere ab eo enumerata; quæ tamẽ in peripatetica schola suas habẽt difficultates; videlicet triplicem virtutem, sanguinem, spiritus ita temperatos, ac sẽsus; certè insitus in corde calor animæ, ac virtutum instrumentum, cuius opera, ac beneficio, & sanguis, & ex sanguine spiritus procreantur, cunctaq; alia exercentur, cùm à Marsilio posthabitus sit, negare nõ possumus, quin res omnium maxima, ac reliquarum fundamentum, neglecta ab eo videatur, & relicta. quare dicẽdum Marsilio erat, talem esse cõtemplationem, quale sensus obsequium; talem sensum, qualis est spiritus; talem spiritum, qualis sanguis, tandem spiritum, & sanguinem tales, qualis calor est, qui in corde residet, animæ ad sanguinem, ac spiritum procreandũ instrumentum. D. Thomas hanc rem totam, quouè modo spiritus, & sensus ad mentis conferant operationem, pulchrè septimo Politicorum explicauit, quo loco calorem nõ videtur omnino prætermisisse; cuius orationem hîc iuuat appingere, tanquam huic tractationi maximè necessariam. Circa primum (inquit) est intelligẽdum, quòd quãuis intellectus per se non communicet corpori in operatione sua, communicat tamen corpori communicanti secundum Commẽtatorem in libro de Anima. Quicquid .n. intelligit, in phantasmatibus sensibilibus intelligit; quia, cùm speculatur, necesse est simul phantasma aliquod speculari: phantasmata autem in actu, sensibilia sunt in actu, sicut dicitur tertio de Anima: sensibile verò in actu, & sensus in actu, sunt vnum in actu; & ideo secundum diuersam dispositionem sensus in actu, diuersimodè disponitur intellectus ad intelligendum. sensus autem in actu diuersimodè disponitur secundum diuersitatem organi, & spiritus; specialiter in subtilitate, & grossitie: in quo primo videntur sigillari formæ sensibiliũ; & ideo secundum diuersitatem spiritus in grossitie, & subtilitate & alijs huiusmodi, diuersimodè disponitur intellectus ad intelligendum; ita vt qui habent spiritus subtiles, & claros, benè repræsentatiuos formarum sensibilium, benè nati sunt intelligere; qui autem grossos, & turbidos prauè. Multitudo etiam spiritus naturalis, & sanguinis, & per consequens caliditatis facit homines robustos. robur enim facit spiritus secundum Philosophum in libro de Somno, & multitudo calidi animosos, & excessiuos, quia calidum maximè actiuum est inter qualitates. Hæc D. Thomas; qui, vt patet, sensui, ac spiritui calorem etiam adiungit. quo loco vt digna sit D. Thomæ sententia, intelligẽdum fortasse est, calorem non tanquam consequẽtem quandam, spiritus & sanguinis copiam, qualitatem ipsum accipere, vt verba sonant, sed potius tanquam causam, & animæ ad sanguinem, & spiritus procreandos instrumentum; proportione sua copia & robore respondentem, vt necesse est, multitudinis sanguinis, & spirituum, quos generat: vt meritò ab eorum copia ad caloris copiam argumentetur D. Thomas. Quòd si placet intelligere, calorem tanquam consequens quoddam ab eo hoc loco recenseri, non repugno; dummodo quisquis ita intelligit, summam nihilominus hinc inter calorem, & spiritus, ac sanguinem non definat societatem agnoscere, quam Marsilius prætermisit.

Lect. 5.

Confirmantur superiora. Rursus quid temporum in nos agant mutationes explicatur. Cap. 57.

HInc Aristoteles secundo libro de Partibus Animalium memoriæ prodidit animam in calore constare, caloremq; ad

Cap. 7.

exequenda animæ officia omnium maximè administrandi vim obtinere. Hinc tertio libro nō semel ex eo à nobis probatum est, pro caloris huius mensura, & qualitate animas nobilitate inter se differre; adeò vt omnium rerum, operationumq; summa in hunc calorem videatur reducenda. Hinc demum Hippocrates, vt pro instrumenti huius qualitate, ac dispositione cuncta fieri doceat, iræ, & intelligentiæ, quemadmodum superior ostendit disputatio, calorem adiungit; volens crebras temporum mutationes homines facere ingenio præstantes, quia calorem hunc excitent, simulq; intelligentiam: è contra verò perpetuam temporum æqualitatem, nullisq; mutationibus obnoxium eorum temperamentum, ingenia reddere hebetiora, quia eundem hunc calorem segnitie reddat torpescentem; cuius quidem rationis vis quanta sit, iam hinc satis elucet: cùm quidquid boni, & excellentis habet huiusmodi calor, harum mutationum habeat beneficio; vt latisimè pateat diuinum Senē grauissima hac præsertim de causa impulsum affirmasse, quibus locis crebræ, magnæq; sunt temporum mutationes, ijs homines animo, menteq; prestantes procreari. Primùm enim, vt quæ superius diximus, clarioris doctrinę gratia repetamus, fusiusq; etiam in nonnullis explicemus, mutato ad ingentes, & crebras temporum mutationes corpore agitatur, excitaturq; insitus hic calor, qui, vt in Problematis docemur, sedi mentis in vicino est, & eam continet sedem, qua sapimus; videlicet cordis locum, in quo fons, & origo est caloris huius, & in quo totius animæ, mentis etiam, sedem, ac principatum, si Aristoteli credimus, natura collocauit: cui suffragatur Hippocrates in libello de Corde, affirmans mentē in sinistro cordis ventriculo sitam esse, & reliquæ animæ imperare. Deinde agitatur, excitaturq; sanguis, q ab hoc calore procreat, vnde & sanguinis, qui in ventriculis cordis existit, qualitas plurimum tùm ad mores confert, tùm ad sensū & intelligentiam, vt idem secundo, & tertio libro de Animalium Partibus pulchrè docuit; nosq; infra ex eo fusius demonstrabimus. Nam vna cum temporibus ventriculos in hominibus commutari, idem ipse auctor in Opusculi ferè initio de Aere, Aquis, & Locis memoriæ prodidit; quod de capite, & thorace dictum præsertim censet Alemanus, idest, vt ego explico, de ventriculis, cauitatibusq; cordis, & cerebri; qua de re Galenum libello Quòd Animi Mores corporis sequantur temperaturas legere oportet; vt mirum sit quàm varijs modis à temporum mutationibus totum nostrum corpus afficiatur, si ad illas percipiendas sit dispositum. qua de re elegans extat Galeni disputatio in Commētarijs primi Epidem. qua sic monstrat aeris mutatione corpus nostrum immutari, vt serenum etiam, ac nubilum intra se præter alia experiatur. At è contra in perpetua temporum æqualitate calor nulla adueniente mutatione non agitatur, sed in eodem statu permanet, & quasi emarcescit, ac torpet, perinde, ac ignis nisi moueatur, ac ventilletur; vnde nec mētem mouet, nec acuit, neq; excitat ad inuestigādum; quod satis clarè Hippocratem significasse supra ostendimus. nihil enim ad inuentionem, indagationemq; rerum aptius esse potest, quàm caloris, mentisq; ob hasce mutationes agitatio, & excitatio: ad eas enim tāquam ad cotes mentis, calorisq; vires acuuntur. Adhuc quod & maximum est, & supra dicebamus, nec satis videntur Interpretes considerasse, crebræ huiusmodi, ingentesq; mutationes calorem hunc conseruant, in mediocritate continent, ac longè reddunt puriorem, & potentiorem; demū his qualitatibus insignitum gignunt à primordio, ac mensura adeò varium, vt ad alia & alia præclarè exercēda possit cōferre; ex quò & hac meritò de causa tantum huiusmodi mutationibus Hippocrates tribuit.

Sect. 30. Prob. 1.

Cap. 2. 4. 7. Cap. 4.

Cap. 9.

Part. 2.

Quod dictum est temporum mutationes in calorem agere, fusius explicatur. Cap. 58.

IAm verò conseruant quidem dictæ mutationes insitum calorem, quia nō secus ac suffocatorij ablatione, & impositione per vices facta carbones multo tempore igniti permanent, vt pulchrè in Opusculo de Respiratione explicat Aristoteles, ita & insitus in corde calor accedente frigore introrsum compulsus, quasi suffocatorio imposito, fit potentior; rursus æstu adueniente, & rarefacto corpore, quasi ablato, quod in illo excedit elabi permittitur; vel è contra pro eius statu, ac temperatione calore externo fit calidior, frigore refrigeratur. Mediocrem reddunt, ac moderatum, quia, cùm non vigeat perpetuū frigus in aere, vel æstus, non adeò ob antiperistasim coaceruatur, vt nimium crescat; neq; difflatione adeò dissipatur, vt deficiat; demum neq; nimio, diuturniorìq; ęstu, & al-

Cap. 3.

& algore extingui cogitur, vel emarcescere, sed pro harum qualitatum vicissitudine necessariò reducitur ad mediocritatē: qua quidem propria adepta mutationum harū, agitationisq; tātæ beneficio moderatione, longè reddi puriorem, ac potentiorem est necesse; de qua re tota abundè superius dictum fuit. Ad hæc cùm homo concipitur, ac gignitur, quod omnium est maximum, Cœlum huiusmodi mutationibus patens calorem à primordio sic dispositum in corde inserit, videlicet moderatum, purum, ac potentem, & sua natura talem, vt his mutationibs facilè agitari, conseruari, magisq;, ac magis in dies perfici possit. Postremo ex crebris, magnisq; temporum mutationibus hoc alterum, quod magni momenti est, efficitur: quoniam enim Aristoteli, vt clarius infra explicabimus, omnis morū, artium, disciplinarum varietas in nobis, & excellentia ex vario caloris in corde insiti, tùm eius, qui in sanguine est, temperamento, gradu, ac mensura oritur; sicuti variæ hæ mutationes, vt placuit Hippocrati, varios corpore, & forma homines efficiunt, ita & variam illis huius caloris mensuram impartiunt; adeò vt alij alijs, vel artibus, vel disciplinis, ac moribus insigniter exercendis naturaliter apti producantur; quod locis illis, in quibus æquale viget temporum temperamentum, nullaq; ferè mutatio locum habet, contingere nequit: quorum habitatores, sicuti forma corporis inter se similes existunt, ita & caloris huius mensura ac temperamento, idcircòq; natura ferè ad eandem rē propensi omnes. Verùm ita natura dispositus in corde calor sanguinis opifex, & spirituum, sanguinem, & spiritus (quod Marsilius non videtur cōsiderasse, acutissimè verò Hippocrates, & Aristoteles licēt subobscurè indicarunt) necessariò sui similes procreabit; vt nullo modo fuerit illi in tantæ rei causa inuestiganda, huiusmodi caloris consideratio prætermittenda. siquidem, vt inter cęteros libello de Spermate notat Auerroes, spiritus generatur ex subtiliori parte sanguinis depurati in corde per actionem caloris naturalis cordis; cuius perfectio est crassum sanguinem in nutrimentum mutare, subtilem in spiritum. itaq; sanguinem ipsum purum, ac mediocrem gignet, tùm copia, tùm calore, tùm alio, & alio caloris gradu affectum; & quod in idem redire infra ostendemus, temperamento melancholicum; ex illoq; spiritum eodem modo temperatum; quo frętus animus, ac pro rei agendæ proportione optimè dispositus, varijs fungi muneribus poterit excellenter. siquidem apud Præceptorem non solùm spiritus, qui ex sanguine procreantur, sed ipse etiam sanguis, nec solùm sanguis, qui in corde est, vt paulò supra innuebamus, sed & corporis vniuersus sua qualitate, & caloris gradu, quin & omniū maximè, quę in nostro corpore sūt, ad sensum facit, & intelligentiam. Nam & hoc est, quod ipse inquit secundo libro de Partibus Animalium verbis illis. Est certè roboris efficacior sanguis, qui crassior, & calidior est: vim autem sentiendi intelligendiq; obtinet pleniorem, qui tenuior, atq; frigidior est. Cùm enim tenuior crassior, sincerior turbulentior, frigidior calidior, vt idem admonet, sanguis esse possit; tenuior, frigidior, ac proinde densior, item purior est, qui maximè ad intelligentiam conducit, & qui homines facit ingenio præstantes. *Cap. 2.*

Qualem oportet esse sanguinem ex Aristotelis sententia, vt animo, intelligentiæq; conducat, planius aperitur. tollitur ex eius dictis contradictio quædam. Cap. 59.

PORrò quod Philosophus inquit, frigidiorem sanguinem ad ingenium conferre, intelligendum est calidioris respectu ab eo frigidiorem appellari; idest, quemadmodum ipse tertio libro explicat, calore mediocrem; qualis est sanguis, qui caliditate non excellit. siquidem sanguis frigidus, vt philosophus perbellè secundo libro docet, non quatenus frigidus conducit sapientiæ, sed quatenus calore est mediocris ab excedenti deficiens caliditate; & quatenus hac ratione, cùm frigidior existat, simul etiam tenuior est, ac purior: est enim necessariò minus crassus, minusq; terreni habet; atq; hoc est quod ipsius verba sonant, quibus de sanguine fibrarum experte, proindeq; tenuiore, ac frigidiore disserit loco nuper memorato. Quoniam (inquit) etiam euenit, vt nonnulla ex ijs animalibus, quæ talem obtinent sanguinem, sapientiora sint; verùm non sanguinis frigiditate, sed potius tenuitate, atq; munditia; quorum neutrum in terreno est: habēt enim sensum mobiliorem, quorū humor tenuior, & sincerior est. fibras nanq; terræ esse opificium, supra dixit. quare non pugnant hæc cum superioribus, vbi frigidiorem sanguinem hominē *Cap. 4.* *Cap. 4.*

red-

reddere ingenio præstantiorem, affirmauit Aristoteles. Diximus autem sanguinem, quatenus ab excedenti deficit caliditate, conducere intelligentiæ, quoniam, vt idem eiusdem operis secundo admonet, sanguinis calidioris agitatio, seu, vt græcum habet exemplar, motus caloris, qui in sanguine est, officium sentiendi intercipit, atq; refringit. proinde sensus etiam exquisitiores per partes, quæ sanguinem habeant sinceriorem, & calore moderatum absolui est necesse; vt hac de causa auditus, visus, olfactusq; sedes natura capiti mandasse videatur. ex quò & perbellè Galenus in Opusculo Quòd Animi Mores corporis sequãtur temperaturas notatum reliquit, si in cerebro flaua bilis redundauerit ad dementiam, si atra ad melancholiam, si pituita ad stupiditatem, si sanguis ad lætitiam, ac penè fatuitatem quodammodo hominem trahi; quod est, ac si dixisset, si nimis bilioso, melancholico, pituitoso, vel minus horum permixto sanguine cerebrum nutriatur; calor enim cordis, atq; principium consentientissimum est, sensumq; celerrimè facit, cùm sanguis cerebri vllo pacto mutatur, & afficitur, vt pulchrè libro secundo de Partibus Animalium Præceptor admonuit. Hinc perbellè eodem libro inquit eos optimè constare, qui calidum sanguinem, idest calore mediocrem, tenuem, ac sincerum habent, quippè qui vnà & viribus corporis, & fortitudine, & animæ ingenio, ac prudentia plurimũ valeant. qua quidem sententia iam supra enarratam, excessuum respectu in temporũ, locorum, hominumq; temperamentis mediocritatem, cuius ratione homines mente, & animo præstantes producuntur, proportione quadam in sanguine Aristotelem agnoscere satis constat; vt meritò, sicuti qui cœlum habent in caloris, frigorisq; medio constitutum, atq; sic dispositum, vt has qualitates recipere vicissim possit, ad artes, ac rempublicam capessendam maximè idonei oriuntur, ita & qui sanguinem simili donatum temperatione habent, atq; ita dispositum, vt caloris, frigorisq; vires recipiat, ac mutationes, singulari ingenio existant, & fortitudine, ac prudentia optimè valeant. Hinc tertio libro medij vẽtriculi sanguinem tanquam ab huiusmodi excessibus remotum, sed qui tamen eos possit participare, præferre Aristoteles videtur: siquidè ita scribit. Vtile fit, vt quę maxima sint, triplicem ventriculum habeant; dexter plurimum sanguinis, & calidissimũ continet, quamobrem pars corporis dextera calidior; sinister parum, idq; frigidissimum; medius mediocrem, tùm copia, tùm calore, sed puriorem: principium .n. quàm maximè quiescere debet. tale autem erit, si sanguis purus, & mediocris, tùm copia, tùm calore sit.

Cap. 10. Cap. 3. Cap. 9. Cap. 2. Cap. 4.

Difficilis quædam remouetur dubitatio. Cap. 60.

POrrò autem nec aliquem turbet, quod hîc inquit Aristoteles, principiũ maximè quiescere debere; id autem effici, si sanguis purus sit, & calore mediocris; adeò, vt si qui animo, ac mente excellũt, sanguinem ita habent temperatum, qui autem sic temperatum habent, illis principium quiescit, necessariò qui valent animo, ac mente, illis principium maximè quiescere oporteat; at verò si calor cordi insitus, q. maximè principij nomine dignandus est, crebris, & magnis mutationibus agitatur, vt supra ex Hippocratis mẽte fieri supposuimus, principium quiescere nequaquã possit; ideoq; nec mens ipsa, nec animus excellere; proinde Hippocratis ratio falsa appareat, ac nutabũda: enimuero principij nomine hoc loco, meo quidem iudicio, sãguinẽ, eiusq; calorem in medio cordis ventriculo existẽtem Philosophus intelligit. nam cũ dixisset. Sed melius tres esse ventriculos, vt vnus commune principium sit; medium autem, & impar principium. mox de hoc medio ventriculo loquens, ac de sanguine, quẽ cõtinet, enarratam profert sententiam, ita scribens. Medius mediocrem tùm copia, tùm calore, sed puriorem. principiũ enim quàm maximè quiescere debet. tale autem erit, si sanguis purus, & mediocris tùm copia, tùm calore sit. quo loco, vt patet, principij nomine intelligit, quem supra mediũ cordis ventriculum dixit, & cõmune principium, proindeq; & calorem, & sanguinẽ, qui in eo existit: quod quidẽ principiũ nisi quiescat, idest si nimio, immoderatoq; calore sanguis, qui in ipso ventriculo est, agitetur, sensus operationem intercipere intelligit, ac interturbare; nimirum quia, vt paulò supra ex eo admonuimus, vehemẽs excedentis caloris motus, qui in sanguine est, officium sentiendi maximè refringit. At de mutationibus temporum, quæ calorẽ insitum excitant, & acuunt, ac modo iam exposito purum reddunt, robustum, ac moderatum, alia ratio est; cùm potius hoc modo quies principio paretur. itaq; obiectio nulla; cùm alia omnino sit agitatio, quæ à tem-

temporum mutationibus insito calori innascitur, de qua Aristoteles nullum verbũ; alia, quam excedens sanguinis calor sãguini gignit, quam iure à principio Philosophus reijcit. Hinc verò facilè cõstat quàm longè aberrent, qui his temporum mutationibus calorem augeri ponunt, eoq; aucto mentem valere magis; cùm nil sit, quod sentiendi, intelligendiq; officium magis cõturbet: vt hac de causa septimo Naturalis Auscultationis Aristoteles animã prudentem, scientemq; euadere pulchrè scripserit, cùm quieta est, ac residet. neq; enim aliam quietem intellexit, quàm eam, quam habet anima, cùm principium ipsum quiescit; videlicet cùm sanguis nimio illo calore non agitatur, quod puerorum exẽplo satis docuit; qui, vt ipse inquit, neq; discere possunt, neq; sensibus iudicare perinde ac senes, quoniam multa circa ipsos perturbatio fit, ac motus: quam certè perturbationem à nimio illorum calore ortum ducere, quemadmodum in ebrijs cõtingit, & verum profectò est, & Simplicius in Cõmentarijs indicauit. vt meritò Problematũ sectione decimaquarta causam quærẽs Aristoteles, cur calidę regionis habitatores ijs, qui in frigida versantur, lõgè sint prudẽtiores, quoniã eadem causa locũ habeat, hos quidem pueris, ac iunioribus, illos senibus similes fecisse videatur: agitato enim à calore sanguine turbantur spiritus, ac phantasmata, rerumq; sensibilium species, vnde omnis impeditur sensus operatio, & turbatur.

Tex. 20.

Prob. 15.

Quæ superiori capite dicta sunt, plenius confirmantur. Cap. 61.

HOc contuens Aristoteles, & hãc ob oculos animæ, sensuumq; quietem habens, sic libro quarto de Partibus Animalium notatũ reliquit interprete Theodoro. Sed natura sensuum etiam nonnullos in eo (caput intelligit) collocauit, quoniã sanguis eius membri temperatus modicè fit, & idoneus, tùm ad cerebrum tepefaciendum, tùm ad sensuum tranquillitatem, atq; integritatem. dixeris fortasse magis propriè, cùm græcum habeat exemplar, ἡσυχίαν, & ἀκρίβειαν, ad sensuum quietem, & exquisitam operationẽ. quo loco rectissimè quidem, ac magno artificio duo hæc Philosophus simul coniungit inter se cõtraria, scilicet sensuum quietem, & motum, exactãq; eorum operationem: quandoquidẽ nõ omnis quies scientem animã facit, sed iam enarrata; cùm alioqui à propria operatione vacatio, & quies ignorationis illi tenebras offundat: vt hoc alterum considerans Aristoteles libro secundo de Partibus Animalium pulchrè scripserit, ea animalia, quæ tenuiorem, purioremq; habent sanguinem (nimirum quia illorum principium maximè quiescat) sensum habere, εὐκινητότερον dixeris mobiliorem, vt Gaza interpretatur. i. qui citius, sæpius, faciliusq;, ac promptius moueatur, & agat; & vel leuissimos sensibilium motus percipiat, ac differentias: quo pacto eodem libro supra sãguinem ita temperatum αἰσθητικώτερον, & νοερώτερον appellauit, idest, qui faciliorem, frequẽtiorẽ, perfectioremq; reddat sensus, ac mẽtis operationem. quibus omnibus, vt patet, nõ amplius quietẽ sed motum, & operationẽ animæ tribuit; adeò vt hoc sensu non quiescẽdo, sed agendo, mouendoq; dicendum videatur animã sciẽtiam, ac prudentiã adipisci; vt si vel nõ moueatur hoc motu, vel difficulter, quemadmodum quarto de Partibus Animalium scriptum legimus, non solùm sciens, & prudens non efficiatur, sed dementior: quo modo bruta esse omnia hominum respectu, atq; inter homines pueros cum viris comparatos, & pomiliones Philosophus definit. habẽt enim, vt ipse inquit, animæ principium admodum δυσκίνητον. i. motu valde difficilem. quam vocem alteri illi, qua supra vsus est, εὐκινητότερον opponi, nemo est, qui non videat. Quanquam non me latet Philosophum, vt potè qui finalẽ causam inuestigabat, cur homo inter animalia vice priorum pedum brachia, & manus habeat, ac erectus incedat, dementiæ huius, mentisq; defectus nõ hanc à nimio calore factam in principio agitationem, sed aliã adducere; scilicet pondus superioris partis corporis, & grauitatẽ. in qua quidẽ explicãda vel lapsus videt Theodorus, vel certè nimis obscurus verba Aristotelis illa, τοῦτο δ᾽ οὐ ῥάδιον, πολλοῦ τοῦ ἄνωθεν ἐπικειμένου σώματος. τὸ γὰρ βάρος δυσκίνητον ποιεῖ τὴν διάνοιαν, καὶ τὴν κοινὴν αἴσθησιν, ita conuertens. Quod non facile esset, si vasta corporis moles assideret; pondus enim tardiorem reddit mentem, & sensum communem.

Cap. 40.

Cap. 4.

Cap. 2.

Cap. 10.

Aristotelis locus quidam explicatur. Theodorus reijcitur. Item quo modo huiusmodi sanguis sit temperamento melancholicus. Cap. 62.

AT enimuero hoc modo diceret Aristoteles, vasta magnaq; hominum corpora

ra non posse mente valere, cùm tamé, vt supra vidimus, in calidis regionibus talia esse censuerit, & nihilominus quæ mentis acie polleat; quare alia omnino sentétia est. neq; enim inquit simpliciter, corpus vastū si assideat, reddere ob pondus menté motu difficilem, vel, vt transfert Theodorus, tardiorem, & communem sensum; sed partem corporis superiorem, si talis extiterit; vt aduerbium ἄνωθεν (quod ociosum putans reliquit Theodorus) perspicuè ostendit.
» quare sic verba erunt interpretanda. Hoc
» autem facile non esset, si superior pars im-
» pendens corporis maior existeret: pondus
» enim difficilè mobilem efficit cogitationé,
» & sensum communem. Dixerat nanq; paulò supra finalem causam tantæ rei aperiens, hominem manus, & brachia pedum priorum loco habere, quia erectus incedat; erectum verò esse solum animalium, quoniā eius natura, ac substantia diuina est, officium autem diuini est sapere, & intelligere; quare, & adductis verbis subdit, præstantissimum huiusmodi officium hominé exercere non potuisse, si superior corporis ipsius pars maior existeret; quoniam sic ob pondus, nō erectus stare posset, sed serpere illum necesse esset: pondus verò mentis, sésusq; operationem motu difficilem reddit. superior nanq; pars corporis Aristoteli est, quæ à capite vsq; ad excrementi ostium ex-
» tenditur: nam sic ipse inquit. Superioré
» intelligi eam volo, quæ à capite vsq; ad ex-
» crementi ostium pertendit, quà pectus e-
» tiam continetur. quam omnia animalia, excepto homine, maiorem habent; ideoq; ad illum comparata formam gerunt pomilionis, & prona incedunt, vt perbellè inquit Aristoteles; pomilionem esse definiens, cuius pars superior maior est, inferior, quæ sustinet pondus motumq; exercet, parua, minimèq; respondens superiori. Quaauté ratione in calce Opusculi de Lógitudine, & Breuitate Vitæ dicere Philosophus potuerit, mares in animalibus esse magis pomiliones quàm fœminas, quos tamen feminis sensu antecellere tanquam perfectiores est necesse; adeò vt perfectiori sexui ré imperfectiorem natura videatur tribuisse, alio loco disputabimus. Verùm ad nostra redeamus. Humorem igitur, & sanguinem sic affectum, ac probè temperatum, calorisq; ita dispositi ope in corpore genitum (quod & superius dixi, & video adhuc cósiderasse neminem) natura ac temperatione esse melācholicum, proindeq; ad homines ingenio, animoq; præstantes procreandos aptissimū (quod perbellè trigesima Problematum sectione docuit Aristoteles) iam nunc locus est, vt demonstremus; quod facilè quisq; ijs cognitis fatebitur, & diligéter animaduersis, quæ memorato loco diuinè à Præceptore disseruntur. quandoquidem sanguiné, qui ad sensus mētisq; munera præclare obeunda cófert, sincerum, tenuem, ac densum, præsertimq; calore, & copia mediocré gigni ex eius sentétia explicauimus; quomodo & spiritu plenum etiam esse oportet: nempè humida, ac subtiliore parte à calore discreta, in spiritúq; abeunte; siquidem hoc spiritum creat, vt secundo de Anim. Ortu admonemur; atq; hoc est, quod supra dicebamus, sanguinem hunc ad gignendos spiritus maximè esse idoneum: quo etiam pacto dispositus citissimè, ac facillimè vniuersum corpus peruadit, seseq; naturæ illius intermiscet. At melancholicum humorem omnino talem adducto problemate Philosophus pingit: vino enim illum similem faciens, iam sincerū, densum, ac tenué, scilicet ab omni terreo excreméto secretū, vt de huiusmodi sāguine supra dicebamus, eum necessariò ponit. item apertè flatus ciere docet quemadmodum & vinum: scribit enim sic, vt nos paulum à Theodoro discrepantes interpretamur. Huiusmodi »
igitur humor (vinum intelligit) & tempe- »
ramentum atræ bilis, flatuosa sunt. quo- »
circa vitia corporis, quæ flatum præsefe- »
runt, iliumq; dolores atræ bili Medici tri- »
buunt. & vinum verè flatus mouere ni- »
mirum potest: quamobrem similem ambo »
hęc sortiuntur naturam atra bilis, & vinum. »
quod & de bile atra sensisse quoq; Hippocratem Galenus in breui Denotatione Dogmatum illius apud Strobæum animaduertit, inquiens bilem atram Hippocratem flatuosam esse existimasse. Postremò, quod omnium est maximum, melancholicum hūc humorem calore mediocrem facit, ac moderatū; atq; vt de sanguine supra diximus, medium inter caloris excessum, & frigiditatis. quod clarius verba monstrant ex meo exemplari manuscripto excerpta, quod Demetrij Chalcondylis Græci hominis fuit, & doctissimi viri, paulòq; aliter quàm impressa nobis hoc loco Aristotelis affert orationem.

Prob. 1.

Cap. 3.

Quæ superiori capite posita sunt plenius enarrantur.
Cap. 63.

SIc igitur in eo scriptum legimus. ὅτι ἐν »
τῇ φύσει εὐθὺς τοιοῦτος χυμὸς ὁ μελαγχολικὸς »
κεραν-

» κεράννυται. θερμοῦ γὰρ, καὶ ψυχροῦ κρᾶσις ἐστὶν ὁ με-
» λαγχολικὸς χυμός, & c. nam in alijs, quæ sequuntur nulla est differẽtia. Horum autem sententia talis est ad verbum. Quòd in natura statim talis humor melancholicus miscetur: calidi enim, & frigidi temperamentum est humor melancholicus; siquidẽ ex his duobus ipsius natura constat. quamobrem atra bilis & calidissima, & frigidissima reddi potest; pati nanq; isthæc ambo eadem aptissima suaptè natura est. Atq; huic lectioni vetus Interpres adstipulatur, vt quisq; facilè videre poterit. Verùm hîc asserere Philosophum, humorẽ melancholicum, siue atram bilem dicere velimus, calidi & frigidi esse temperamentum, ita ut neq; calidissimus huiusmodi humor, neq; frigidissimus, si natura rectè dispositus gignitur, existat, luce meridiana clarius apparet: qualem certè fecisse sanguinem Aristotelem, qui homines mente animoq; præstantes reddit, satis docuit superior disputatio. nam & melancholici huius humoris, atræq; bilis nomine sanguinem à prędominio talem ipsũ in hoc Problemate intelligere, idest temperamento melancholicum, nemo in dubium vocare potest. hinc enim ab initio ferè problematis summo artificio quatuor tantùm recensuit, vinum, mel, lac, & aquam, humoribus quatuor proportione respondentia, qui in nostro corpore sunt, & qui vicissim commixti humorem illum conficiunt, qui communi voce sanguis appellatur: rectissimè definiens melancholicum humorem vino respõdere: sic enim scripsit interprete Theodoro. Ergo causam primùm exemplo haud sanè incommodo vini capiemus. Vinum enim immodicum tales maximè homines reddere videtur, quales melancholicos esse affirmamus; moresq; varios id condit, cùm bibitur vt iracundos, humanos, misericordes audaces; quorum nihil mel, aut aqua, aut lac, aut eiusmodi aliquid efficere potest. Lac enim, quia nil aliud est quàm sãguis concoctus, & ex dulcissima, & maximè sincera ipsius parte genitum, vt quarto de Animalium Ortu scriptum legimus, humori huic, cùm impermixtus est, aut minus pituitam, & vtranq; bilem admixtam habet, respondere satis est conspicuum; quo modo eum maximè propriè sanguinem vocamus; sicuti & mel bili flauæ, aquam verò pituitæ: adeò vt vinum ad melancholicum humorẽ, & ad bilem atram designandam necessariò relinquatur; cum qua ob caloris & frigiditatis temperamentũ summam habet proportionem. neq; enim est frigidissimum vt aqua, neq; calidissimum vt mel, sed in caloris, frigorisq; mediocritate constitutum; nec adeò rarum dilutũq; vt lac: quare & melancholicus sanguis ex Aristotelis sententia sua natura talis erit. neq; enim frigidissimus est, vt pituitosus; neq; calidissimus, vt biliosus sanguis, sed calore moderatus, qualem superiori disputatione ex Aristotele eum designauimus; neq; adeò rarus dilutusq;, vt sanguis purior, atq; à trium reliquorum natura secretior, sed densitate donatus quadam; cuius ratione summè aptum esse, vt impẽsius frigescat, & calescat, frigusq; & calorem diutius retineat, aquæ, lapidum, ferriq; exemplo docet Aristoteles: adeò vt terrenã quoq; substantiam præseferre, ac sapere hac de causa aliquo modo videatur; ideoq; natura frigida bilis atra ab eo dicatur. ita enim affectus melancholicus humor si extiterit, & frigidissimum posse reddi, & calidissimũ satis constat; quod memorato problemate ipsius esse proprium non semel Aristoteles admonuit: & quidem meritò, cùm reliquis tribus humoribus non contingat, vt sint ad vtrunq; extremum recipiendum idonei; vel ad iam receptum diutius retinendum. nã vel sunt in extremis constituti, vt de pituitoso, & bilioso sanguine patet; vel extrema ipsa, qua recipiunt facilitate, eadẽ & abijciunt; quod alijs præter melancholicum humorem est commune.

Cap. 8.

Quid melancholici humoris nomine intelligendum. locus quidam ex Problem. obscurus explicatur.

Cap. 64.

Hîc verò melancholicum humorem, sanguinemq; melancholicum, & bilem atram pro eodem sumo, neq; humorem atrum in præsentia ab atra bile diuido: quod Medicorum præcipuos referente Galeno fecisse non me latet. demumq; atræ bilis, & melancholici humoris nomine eum intelligo humorem, qui longè qualitatibus mitior, quàm si secretus existens in excrementum degeneret, cum sãguine in venas peruadens corpori alendo fit idoneus; & à cuius prædominio sanguis melancholicus nominatur. At enimuero talis existens suaptè natura ad varios in homine mores producendos solus facit, sicuti & vinum; vt meritò dixerit Aristoteles eadem de causa vinum, & humorem hunc homines moribus varijs affectos red-

dere : nempè ob caloris variam menſuram, & frigiditatis, quam facilè admittunt. ita enim ſcripſit. ὅσε δῆλον, ὅτι δια τὸ ἀυτὸ ποιεῖ ὁ, τὲ οἶνος, καὶ ἡ φύσις ἑκάσου τὸ ἦθος. πάντα γὰρ κατεργάζεται τῇ θερμότητι ταμιευόμενα. græca enim appinxi propter magnam ſentẽtiæ obſcuritatem. Hæc autẽ vetus Interpres ſic conuertit. Quare palàm, quoniam idem faciunt vinum, & natura vniuſcuiuſq; mores : omnes enim operantur caliditate occulta. Theodorus verò ſic. Quas ob res eandem eſſe cauſam conſtat, qua vel vinum, vel natura mores cuiq; inſeminare poſsit, & augere : confici nanq; in dies vi caloris omnia ſolent. At mihi orationis mens huiuſmodi eſſe videtur, longiſsimè ab aliorũ intelligentia, ſenſuq; diſiuncta. Quare perſpicuum eſt quòd eadem de cauſa vinum, ac vniuſcuiuſq; natura mores effingũt; ſiquidem mores omnes calore efficiuntur, ipſiuſq; vi temperati diſpenſantur, & cùm iam eſſent eorum ſemina condita, promuntur. ταμιεύεσθαι enim eſt propriè Ariſtoteli diſpenſare, diſtribuere, temperare, & recõdere, quod in futurum promatur; vnde & quarto, & quinto de Ortu Animalium alimentum, & molle ταμιεύεσθαι apud eũdem legimus; quæ omnes ſignificationes ad hũc locum quadrare poſſunt. quare perperam vetus Interpres dicit omnes mores occulta caliditate operari : nam Ariſtoteles inquit, cùm mores occulti eſſent, ideſt eorũ ſemina tantùm extarent, caloris ope confici, diſtribui, & promi, & ex poteſtate ad actum perduci : vox nanq; illa ταμιευόμενα ad τὰ ἤθη, ideſt ad mores, non ad caliditatem, vt patet, eſt referenda. longèq; abſurdior Gazæ interpretatio, qui vocem alteram πάντα, ideſt omnes, quam ad τὰ ἤθη, ideſt ad mores pariter referre neceſſe eſt, omnia interpretatus eſt; proindeq; vniuerſaliter verba accipiens maximas huic loco tenebras offudit; vt Oedipo opus ſit ad intelligendum quid ſibi hìc velit Ariſtoteles, ſeu, vt verius dicam, Theodorus, cùm dicit, omnia confici in dies ſolere vi caloris.

Cap. 4.
Cap. 7.

Qua ratione melancholicum temperamentum moribus conducat, homineſq; varijs, vel moribus, vel diſciplinis, vel artibus ornatos reddat. Ariſtotelis mens hac de re fuſius enarratur; obſcura quędam loca ex Prob. ſect. 30. explicantur.

Cap. 65.

INquit autem Philoſophus vniuſcuiuſq; naturam mores efficere, quoniam, vt paulò ſupra admonuit, qualis vinolentus eſt, talis quiſq; alius factus à natura eſt : vbi naturæ nomine perpetuò habitus melãcholico humore informatus venit intelligẽdus. Inqt rurſus mores reconditos eſſe, & occultos, quoniã illorum ſemina, vt ſexto Nichomachiorum, & nono de Anim. Hiſtoria ſcriptũ legimus, in omnibus apparẽt; cũ omnes aliquo pacto melancholicũ hunc humorem participent : eſt enim corporis noſtri veluti elementum, vt in libro de Natura Humana docuit Hippocrates, cum alijs tribus cõcurrens ad eius conſtitutionem. quo fit, vt morum, affectuumq;, quos melancholicus humor gignit, cùm præualet, atq; facit maniſeſtos, veſtigia quædam omnes habeant. quod ſic Ariſtoteles eodem problemate ſignificauit. Affectus igitur tàm iſti, quàm illi ſuperius explicati pauliſper quidẽ conſiſtere in omnibus ſolent : omnes enim aliquid illius materiæ, facultatiſq; ſibi permixtũ proculdubio cõtinent; ſed quibus altè ampliterq; conſtiterit, ij iam morum qualitate quadam noteſcunt, & nominantur. Sic ergo memoratis verbis Ariſtoteles eandem ob cauſam, ideſt caloris ratione vinũ, ac humorem melancholicũ homines moribus variè affectos reddere illuſtriſsima ſententia definit. quo loco caloris nomine variã caloris ipſius menſuram oportet intelligere; adeò vt frigiditas quoq; ad huiuſmodi officium vocanda videatur; ſiquidem ita docet in Problematis calce apertè Ariſtoteles verbis illis. Mores enim calidum cõdit, & frigidum omnium maximè, quæ in noſtro corpore habẽtur. & ſupra etiam dixit, cùm de Archelao Rege loqueretur. Cauſa autẽ eſt huiuſmodi facultatis tẽperamentũ, prout ad frigiditatem caloréuè ſe habuerit: nã ſi vltrà modũ frigidum ſit, moleſtię anxietates, & c. in cuius loci cõuerſione maiorẽ in Theodoro fidẽ deſiderare cogimur. Quãobrem pro quanto calidior, frigidiorq; huiuſmodi extiterit humor, copioſior, vel parcior, miſericordes, loquaces, taciturnos, iracundos, mente commotos, lacrymabundos, timidos, audaces homines reddet; de quibus omnibus affectibus luculenter egit Ariſtoteles. & ſi ad mediocritatẽ redactus fuerit, ac probè tẽperatus, ingenio omnino ſingulares; quod ſic ipſe docuit, vt ego aliquantulum à Theodoro diuerſus interpretor. Quibus autem nimia càliditas ad mediocritatem redigitur, hi melãcholici quidem ſunt, ſed longè prudẽtiores, & minus excedentes, multiſq; in rebus ſunt cæteris om-

Cap. 15.
Cap. 1.

» omnibus præstantiores; alij in studijs literarum, alij in artibus, alij in republica. » quod & sic infra confirmauit. si quidem vehementer redundans habitus fuerit, valde erunt melancholici; si autem quendam in modum temperetur, egregij & singulares. & tandem in Problematis calce, vt ego greco contextui consentiens, & veteri translationi, longè aliter interpretor quàm Theodorus. Quoniam autem atræ bilis inæqualitas ad mediocritatem, temperationemq; redigi potest, & aliquo modo rectè se habere; & vbi oportuerit calidior habitus esse potest, ac rursus frigidior; vel contrario modo disposita esse potest, quoniam in excessu possit collocari; propterea omnes melancholici non morbo, sed natura, peculiare aliquid habent & excellens. Enimuero variè affecto habitu, sed tamen moderatè, talis caloris gradus, vel frigiditatis, téperamentumq; tale in homine orietur, quale rei respondens necesse est ad illam excellenter peragendam; siue ad artes ipsas spectet, siue ad disciplinas, siue ad rem bellicam, & ciuilem. quod quidem temperamentum solus melancholicus sanguis præstare potest, quia solus ipse illud aptus est recipere, receptumq; diutissimè retinere; cùm ob mediocritatem, quã inter calorem, & frigus habet, magna quadam latitudine sit præditus, per quam vagari, & errare potest, infinitisq; penè modis harum qualitatum ratione variè disponi, ac temperari: ob naturæ verò proprietatem receptum temperamentum diutius valeat retinere. sicuti enim mores suos habent caloris, & frigiditatis gradus, quibus promãtur, pulchrèq; exerceantur; ita & artes, & disciplinæ, & ciuile, bellicumq; negocium; vt meritò supra diceremus, sola Aristotelis sententia recepta horum omnium causas haberi; meritò Ficinum miraremur, qui, cùm hanc ipsam Aristotelis sententiam attigisset, ex eoq; excerptam libro primo de Triplici Vita attulisset, scribens sic. *Cap. 5.*

» Tanta ad vtrunq; extremum melancholia vim habet vnitate quadam stabilis fixæq; naturæ. Quæ quidem extremitas cæteris humoribus non contingit: summè quidem calens summam prę̄stat audaciam, immo ferocitatem. extremè verò frigens, timoré ignauiamq; extremam. Medijs verò inter frigus caloremq; gradibus affecta variè, affectus producit varios. nõ aliter quàm merum præcipuè potens bibentibus ad ebrietatem, vel etiam paulò liberius, affectus inferre varios soleat. ausus tamen sit litteris mandare, cur melancholici ingenio cunctis excellant, Aristotelem haud satis explicasse. Cuius itidem sententiam cùm Iulius Cæsar Scaliger, vir alioqui eruditissimus, non attigerit, mirum non est, si in tradenda causa varietatis morũ aduersus Cardanum disputans, ad astra confugerit. *Exer. 274.* » Hæc atq; talia (inquit) potentiæ siderum attribuamus, quæ non cogit quidem volũtates nostras, at temperaturas pingit eiusmodi proprietatibus; quarum causæ nullis indagationibus ab humano ingenio possũt erui. Non est vis vlla in aliquo elementorum, quæ efficere possit &c. Et paulò supra dixerat. Ad hæc si mores à temperatura cum Galeno ducere conabere, facilè obiectionum multitudine obrueris. Indigna certè vox Aristotelis alumno. nam esto Cęlum & sidera tanquam vniuersalem causam suas tùm in mores ipsos, tùm in illorum varietatem habere vires concedamus; num & temperamentum sanguinis, qui tanquam causa proximior certius, efficaciusq; agit, propterea respuendum? Sed, vt video, nõ animaduertit Scaliger apud Præceptorem naturam huius humoris, quem melancholicum ipse appellat, & quem ad mores variè efformandos solum concurrere statuit, & rectissimè statuit ob allatas rationes; & ex qua demũ recepta, & cõstituta facilè Philosophus omnes varietatis morum causas deducit. Hinc in altero illo mea quidem sententia lapsus est eo loco Scaliger, quòd iracundiam omnino à siccitate oriri decreuit, nõ à calore contra dogmata Pręceptoris; idq; ex canis temperamento docere profitetur, quod frigidum esse dicit, & qui ei calidum attribuunt, vehementer errare; qui tamen animal est maximè iracũdum. Iram enim calorem sua natura in nostro corpore excitare, & è contra calorem magis, ac magis iram accendere, vt omnino caloris sit opus iracundia, satis trigesima Problematum sectione docuit Aristoteles, & libro secundo de Partibus Animaliũ Taurorum, Aprorumq; exemplo; quos & maximè iracundos, & animosos, & furibũdos esse inquit ob calorem vehementem in fibroso sanguine conceptum. *Prob. 1. Cap. 4.* Quæ verò adducit Scaliger ad canis temperamentum frigidum probandum, nullius sunt momẽti, inquit enim. » Nullum animal celerius friget, aut tremit. Nullum libentius apricatur. Vbi Solis ęstũ perferre nequiuerit, atq; paulisper captarit vmbram; continuò redit ad radios. id quod vel ipso in solstitio facere videmus. Nam quòd facilè inflam-

metur, id euenit ei propter ſiccitatem. Idcircò citò ſeneſcit canis, citòq; deponit allacritatem; fitq; melancholicus, ac rabiei æſtus capax eſt. At enimuero ſi à communi opinione, quæ calidæ naturæ canem conſtituit, diſcedendum illi erat (qua quidẽ fortaſſe permotus opinione Theophraſtus libro primo de Plantarum Cauſis, canè inter calida recenſet animalia his verbis, μόνα γὰρ τῶν θερμῶν δοκεῖ κύων, ϗ ὗς πολυτοκεῖν. idelt ex Theodoro. Sola enim ex omni calidorum genere canis, & ſus, partu numeroſo notantur) dixiſſet rectius meo quidem iudicio, canem melancholicum tẽperamentum ſuo modo æmulari; quod non dicit apud Ariſtotelem frigus & ſiccitatem, ſed naturam inter frigus & calorem conſtitutam, ideoq; ſummè aptam ad harum qualitatum vires, & mutationes ſuſcipiendas, nam & propterea ſummè docilitatis eſt animal, & quæ inter animalia eiuſmodi redolent temperamentum, cęteris ſunt dociliora, & ingenioſiora. Hinc contrarias affectiones ſæpe in cane obſeruamus; apricatur enim libẽter, friget, tremitq; celeriter, cùm ſcilicet frigiditatis aliqua vi afficitur. At è contra ad iram facillimè & maximè incitatur; agillimus eſt, & in curſu velociſſimus. vix fatigatus æſtuans ad aquas currit; in illiſq; libentiſsimè volutatur: ac media hyeme gelidiſsimiſq; temporibus, glaciem, niuem, & aquas aſpernatus, vulneratas à venatoribus aues in ipſa aqua, & glacie capit; quæ omnia non exigui caloris ſunt indicia. nec ſanè mirum, cùm habitũ ad has ſuſcipiendas alterationes habeat aptiſsimum; vt iam hæ ipſæ contrarietates temperamento illum eſſe melancholicum oſtendant, cùm nullus alius in corpore animalis humor corpus ipſum diſpoſitum reddat ad has recipiẽdas mutationes. accedit, quod & Scaliger fatetur, canem melancholicum fieri, id eſt in morboſum talem quẽdam habitum degenerare: quod & natura huiuſmodi referre tẽperamẽtũ illũ docet; cũ id eueniat, quã lo melancholicus humor fit excremẽtitius; ſed ad noſtra redeamus.

Exer. 274.
Cap. 27.

Superiora fuſius enarrantur. Oſtenditur quàm rectè aliorum comparatione de melancholico humore ſenſerit Ariſtoteles. Cap. 66.

Dixit autem natura, non morbo melancholicos Ariſtoteles eſſe homines ingenio ſingulares oportere, quoniam, vt ſupra declarauit, qui morbo tales ſunt, hi victu, non natura melancholici exiſtunt; à quibus nil ſingulare eſt expectandum: nimirum quia in excrementum huiuſmodi humor degeneret. atq; ipſius hæc eſt oratio. Parti igitur hominum maximè victu quotidiano redũdans mores nihilo immutat, ſed morbum melancholicum tantummodo creat; at quibus habitus natura talis conſtiterit, mox his multa & varia morum genera exoriuntur; prout ſcilicet alius aliam habitus temperiem ſortitus eſt. exempli gratia in quibus multa & frigida bilis eſt atra, hi ſtolidi ſunt, & ignaui: in quibus permulta & calida, ij perciti, & ingenioſi, amaſij, propenſi ad omnem excandeſcentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. quare intelligit creari huiuſmodi humorem natura; cùm caloris, qui in corde eſt, beneficio talis producitur; quia ſcilicet ita diſpoſitus calor eſt, vt illum poſſit generare. Nam & hoc eſt, quod ipſe inquit, ſtatim & à primordio in natura talem gigni humorem hunc, & miſceri. Hinc quàm longè alij vno excepto Ariſtotele in atræ bilis natura indaganda, & aperienda à ſcopo aberrauerint, liquidò conſtat. Galenus enim, ac cæteri, vt Enarrationum ſexto notat Valeriola, eam frigidam, ſiccam, omnino terream, ac lutulentam, velutiq; ſanguinis fecem eſſe definiunt; atq; natura & ab initio genitam ſtupidos facere ponunt, nullas inſignes ingenij dotes afferre. vnde habitus potius mutatione talem fieri oportere contendunt, vt excellens aliquid promat, & exerceat; cùm ſcilicet ex calido, & ſicco habitu fit mutatio in frigidum, & ſiccum, ſanguiniſq: aduſtione bilis atra efficitur. quare humoris huius naturam aperientes, ad illum quatenus ab humore ſecretus eſt, qui in venis reperitur, excremẽtiq; induit naturam, videntur reſpexiſſe. Quãquam, vt liberè dicã quod ſentio, Galenus (de cuius tamen vera ſentẽtia hic nõ diſputo, & quem libello Quòd Animi mores corporis ſequantur temperaturas & Ariſtotelis opinionem hac in re approbaſſe, & quæ in Problematibus dicta ſunt, recepiſſe planè mihi conſtat) Commẽtario primo in Hippocratis librum de Natura humana videtur velle, humorem hũc ad mores & intelligẽtiam aliquid conferre, conſtantiam ſcilicet & firmitatem; & quatenus in venis exiſtit, ſanguinemq; & humorem cõſtituit, qui in illis continetur, non quatenus ſecretus in excrementi naturã labitur. atq; eius hæc eſt oratio. Quoniam igitur ſanguis ipſe quatuor qualitatibus eget, humiditate, & ſiccitate, & caliditate, & frigiditate:

Enarr. 10.
Cap. 7.
Part. 39.

» ditate: obscurum non est quòd & succorum » miscella egebit. Quamobrem temperatissimus sanguis nõnihil particeps erit pituitæ,& bilis flauæ, nigræq;. Est autẽ & quędam alia ratio naturalis non parum probabilis secundum quam demonstratur, quòd succi quatuor sunt ex vsu, vt mores idonei euadant. Sed in ipsa rursus prius opus est demonstrasse animi mores corporis temperiem sequi; de qua re à nobis etiam scriptũ fuit alio loco. Supposito igitur hoc, animæ acies, & intelligentia erit per succum biliosum: per melancholicum autem constantia firmitasq;: per sanguinem autem animi simplicitas stoliditasq;. Natura autẽ pituitæ ad mores parandos minimè est ex vsu. apparet enim quòd ex prima ciborum immutatione per necessitatem generetur. Hæc ille; quam sententiam in breui Denotatione dogmatum Hippocratis apud Stobæum eam Hippocrati tribués secutus est. » Ad hæc (inquit) singulos humores in hominis corpore (scilicet existimabat Hippocrates) peculiarem vsum exhibere: sanguinẽ alere, calefacere, sanitatẽ bonumq; colorem efficere: bilem flauam continere corpus, nõ permittere latentes meatus dissolui, incitare,& acuere sensum, concoctioni prodesse, excrementorum ductus faciles, & apertos efficere: atram bilem sedem, ac veluti fundamentum esse reliquis humoribus. Postremò pituitam, neruis, membranis, chartilaginibus, articulis, & linguę ad motus facilitatem prodesse. At è contra diuinus Pręceptor ab initio talem gigni hũc humorem voluit, ex cordeq; in venas traduci: neq; eum censuit esse frigidum, nisi potestate; proptereaq; natura frigidum aliquãdo appellauit; sed omnino calore moderatum: neq; ob habitus mutationem, & adustione sanguinis, sed ab initio, & natura sic statim procreatum; vt meritò Ficinus naturalem bilem atrã receperit, adustione genitã reiecerit: demum non valde terreum, turbulentum,& crassum, sed tenuem, ac purum, densitate tamen quadam donatum, & omnino qualem non mustum, sed vinum esse cernimus; & qualem secundo, & tertio de Animalium Partibus sanguinem illum esse decreuit, qui hominem vnà & viribus corporis,& animę ingenio, fortitudine ac prudentia plurimum valere facit, atq; ad hæc omnia optimè disponit; pulchrè adiungés hac ipsa sanguinis differentia superiorem corporis partem cum inferiori, fęminam cum mare dissidere, dextram cum sinistra. atq; hunc optimum sanguinem esse cẽsuit, vt qui ad præstantissimos mores,& munera hominem disponat, optimum illud in corpore adducens temperamentum, quod & corpori, & intelligentiæ conducere decima quarta Problem. sectione ipse notatum reliquit: sicuti & contrario modo temperatus, cõtrario modo hominẽ reddit affectum. vt non parũ Fernelius peccasse videatur libro de Naturali Parte Medicinæ sexto, dum optimum sanguinem substãtia mediocrem, colore rubrum, quantum fieri potest purum, & ab aliorum trium humorum natura secretum esse definit; cùm talis nil ad morum animiq; pręstantiam facere possit. esto enim & colore rubeum, & saporis dulcis, nec admodum crassum, nec admodũ tenuem esse oportere, vt integer sit, & optimè à natura constitutus, quas omnes cõditiones & optimo sanguini attribuit tertio Historiarum Aristoteles, & quisq; videt humori, quẽ ipse vocat melancholicũ, conuenire: certè quòd esse debeat ab humoris huius natura separatus, vt optimus sit, nullo pacto Fernelio erat asserendum. Nec obijciat aliquis humorem hunc neq; melancholicum, neq; bilem atrã propriè dici posse; quoniam valde frigidi,& sicci temperamenti hæc esse omnium consensu videãtur; huiusmodi verò humor, quem Aristoteles melancholicum appellat, calore potius, vt supra vidimus, moderatus: quandoquidem; vt paulò superius dicebamus, longè aliter de melãcholici humoris temperamẽto, qui moribus, scientijs, artibusq; conducit, sentit Aristoteles. vt præteream humorem hũc iure etiam melancholicum ab ipso appellari, tùm quia, cùm neq; bili, neq; pituitæ, neq; puro sanguini temperamento respondeat, necessariò melancholicus à sufficienti partium enumeratione dici debeat: tùm quia talis sua natura sit, vt facillimè, ac lõgè magis quàm humores cęteri in melancholicum transeat excrementum. cùm .n. possit fieri frigidissimus ob suę naturę dẽsitatem, neq; sit ita calidus vt bilis, neq; ita humidus vt sanguis impermixtus, ac pituita, iam statim refrigeratus fit excrementitius, & in eum degenerat humorem, quem melancholicum & bilem atram Medici propriè esse volunt; cùm alioqui suam retinẽs naturam, & in calore moderationem enarrata omnia efficiat. quod eleganter secundo de Partibus Animalium his verbis Aristoteles explicauit iuxta Theodori conuersionem. Sed optimè constant, quæ calidum » tenuem, & sincerum habent, quippè quæ » vnà & viribus corporis, & animæ ingenio » pluri-

Ser. 99.

Prob. 1.

Cap. 8.

Cap. 19.

Cap. 2.

plurimum valeant. quem locum supra attingentes, calidi sanguinis nomine calore mediocrem diximus esse intelligendum; vbi Theodori etiam non probo interpretationem, quòd ἀνδρείαν (sic enim habet gręcũ exemplar) corporis vires interpretetur; cũ potius hac voce animum iramq; , ficuti & φρόνησιν mentem, ac intelligentiam Philosophus intellexerit. Hinc eodem libro in calce quarti capitis sic præclarè quantæ sint hac in re sanguinis vires aperuit, causam etiam adiungens. Profectò naturam sanguinis (inquit) causam esse cur permulta animalibus veniant tùm per mores, tùm etiam per sensum ratio est: materia enim totius corporis est, quippè cùm alimentum materia sit, sanguis autem vltimum alimentum habeatur: facit igitur vt plurimũ differentiæ existat si calidus, aut frigidus sit, si tenuis, aut crassus, turbulentus, aut nitidus. quod totum à Præceptore Hippocrate didicit Aristoteles, qui libro de Flatibus hac de re iam pridem ita scripserat. Opinor autem inter omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre quàm sanguinem. Hic ergo cùm in cõstanti habitu persistit, consistit & prudentia. quod & libro primo de Morbis his verbis confirmauit. Sanguis qui est in homine, maximam partem ad prudentiam confert, quidam dicunt totum.

Quòd ex cordis vario temperamento morum varietas ex Aristotelis sententia præ ertim oriatur. item quòd omnis morum causa in calorem, ac frigus reducatur.

Cap. 67.

Hinc vt quantæ sint vires in formandis moribus caloris, qui in sanguine est, ostendat Aristoteles, eodem capite docet ea animalia, quæ tale habent in corde temperamentũ .s. caloré opificem ita dispositum, vt dilutiorem, frigidioremq; sãguinem gignat, meruendi affectioni esse opportuniora; vt hac ipsa caloris causa simpliciter & exanguia sanguineis animalibus timidiora existant, ac mota cessent præ nimio metu, & excrementa emittant; nonnulla etiam suos colores immutent, vt in Polypo, ac Sępia contingere videmus. quæ verò è contra temperamẽtum in corde habent, quod calidissimum sanguinem procreet, & multis crassisq; refertum fibris; terrena amplius constare natura, atq; , vt supra ex eo dicebamus, verba etiam adducẽtes, animosa, iracundaq; esse, ac furibunda, vt Apros, & Tauros. Hinc tertio libro discrimina cordis, quæ amplitudine, exiguitate, duritia, & mollitia existant, ad morum ac sensus varietatem facere perbellè docet; nimirũ quia hinc caloris, vel frigoris ratio varia in corde habeatur, & mensura. cuius profectò caloris in corde residentis hac in re potestatem, Galenus quoq; videtur in Opusculo Quòd Animi mores corporis sequantur temperaturas agnouisse, scribẽs dum Hippocratis illud explicaret. Quorum vena in cubito pulsat, ij furiosi sunt, iræq; præcipitis. ex cordi insiti caloris vbertate has sic aliquando pulsare arterias; furiososq; & in iram procliues caloris copiam, pigros, graues, ægrèq; dimobiles frigiditatem facere temperamenti; temperamenti inquam caloris, qui in corde residet, vt verba superiora satis docent. vt iram & sensum, ac proinde intelligentiam, & mores ipsos, demumq; artes omnes, ac scientias, quatenus spectat ad causam naturalem, calor & frigus ex Aristotelis sententia varias condant, & informent; hominesq; ad has, vel illas artes, ac scientias excellenter adipiscendas, aptos reddant; omnisq; horũ omniũ causa in hæc principia sit referẽda: vt diuinitus proditũ à Galeno videatur libro decimoquarto de Vsu Partiũ in calorẽ, & frigus tãquã in principiũ particulares oẽs actiones esse referendas. siquidem morum nomine in his disputationibus Philosophus intelligit quicquid qualem hominem potest efficere; quod totum adducto problemate nõ semel ab eo dictum cernimus. vt meritò diuinus Hippocrates vbiq; locorum, cùm diceret mutationes temporum morum, intelligentiæq; causas habere, caloris semper, ac frigoris fecerit mentionẽ, atq; huiusmodi qualitatum intellexerit mutationes. quod & loco illo patet euidenter, vt ab hoc vno discamus omnes. De humiditate autẽ (inquit) hominum ac mollitie, quòd multò sint rerum bellicarum imperitiores Europæis Asiani, moribusq; mansuetiores, tempora anni maximè sũt in causa, magnas mutationes non patientia neq; frigoris, neq; caloris. Quod etiam septimo Physicorũ significauit Aristoteles, dicens & acceptionem virtutis, & vitij abiectionem in nobis fieri cùm alteratur quippiam, tametsi alteratio horum neutrum existat: alterationem enim in nostro corpore, seu vt verius dicã in sanguine, & humore melancholico caloris & frigiditatis ratione factam intellexit; quæ postea morum ipsorum est causa. Atq; hoc est, quod supra dicebamus, huiusmodi mutatio-

Cap. 4. Cap. 8. Cap. 7. Tex. 19.

tationes caloris insiti mensuram aliam, atq; aliam in hominibus reddere; variumq; hūc calorem sanguinē variè affectum, ac dispositum gignere, nimirum sibi proportione respondentem : quæ enim in sanguine caliditas est, tota ab opifice calore pendet, qui in corde residet, ex eoq; emanat. neq; enim insiti caloris tātū mensura cōsideranda est, sed etiam ille caloris gradus, quem opifex calor sanguini communicat, quem gignit; qui totius corporis est nutrimentum, atq;, vt ex Aristotele explicauimus, plurimum facit ad mores; vt caloris, qui in sanguine est varietatem, morum gignere varietatē, quod spectat ad naturalem causam, sit necesse. Habet autem meritò huiusmodi calor in sanguine, ac venis existens cum calore, qui in corde est, proportionem; ab eo enim tanquam à suo principio atq; origine pendet, & fluit; quod Aristotelis est secundo libro de Partibus Animaliū ita scribentis. Vena etiam si qua separata, nec suę origini continua tenderet, suum sanguinē seruare non posset: calor .n. profluens ab origine facit, ne sanguis gelet. vt nil sit mirū si Philosophus primū ex cordis differentia, ac vario tēperamento omnē arbitratur causam varietatis morum, vt paulò supra dicebamus, esse deducendam. quam profectò veritatem sic rursus tertio de Partibus Animalium libro eleganti disputatione confirmauit. Quæ enim (inquit) sensu hebeti sunt, cor habent durū, & spissum; quæ autē sensu valent, mollius. Pauida etiam sunt, quibus cor grandius: audentiora, fidentioraq; quibus minus, aut mediocre. affectus enim, qui accidit ex metu, iam in ijs præest, quoniam calorem proportione cordis non habeant, sed parum caloris in magno cōceptabulo exolescat; itaq; sanguis frigidior sit. Cor magnum proportione lepori, ceruo, muri, hyenæ, asino, panteræ, mustelæ, ac reliquis ferè omnibus, quæ apertè timida sunt, aut propter metum malefica. simile in venis atq; in vētriculis cordis euenit : sunt enim frigidiores & venæ ampliores, & ventriculi ampliores. Nam vt in paruo & in magno domicilio tantundem ignis non æquè calefacit, sed minus in magno; sic in ijs calor non pariter agit: vas enim tàm vena quàm ventriculus est.

Cap. 9.

Cap. 4.

Quòd Arist. morum causas tradiderit. Hippocraticę rationis vis rursus explicatur. Cap. 68.

HAec ille; quæ quidem omnia (vt hoc interim alterum nō taceam) sicuti & ea, quæ libro secundo fuerunt disputata, eo consilio à Philosopho adduci, vt morum in animalibus causæ pernotescant, de quibus libro Historiarum nono historicè egit, cunctis, qui in hæc animum intenderint, fiet manifestum. vt Iacobus Zabarella philosophus alioqui hac nostra tempestate insignis non videatur mea quidem sentētia recipiendus, cùm in Opusculo de Naturalis scientiæ constitutione notatum reliquit, in libris de Causis nil, quod nono Historiarū respondeat, quoduè ad morum causas tradendas faciat, præsertim efficiētem, ab Aristotele doceri. siquidem ipsius hæc est oratio. Nono autem libro de Historia, in quo de moribus Animalium agitur; nullus in scientiali tractatione liber respondere videtur: de his enim fortasse Aristoteles prętur historicam traditionem nihil habuit, quod diceret. Nam morum nulla alia effectrix causa afferri potest, nisi quòd talis est illorum animalium natura; veluti si ferocitatis, aut magnanimitatis leonis, aut crudelitatis tigris, aut ouis stultitiæ causam quæramus. & paulò post. Nulla igitur eorundem morum alia scientialis tractatio relinquebatur. quo circa sola historica narratione Aristoteles voluit esse contentus. At enimuero secundo, & tertio præsertim libro de Animaliū Partibus totum esse Aristotelem, vt ex cordium, ventriculorum, venarum, sanguinis, caloris, forma, qualitatibus, mensura, causas doceat morum efficientes, iam satis superq; superiora demonstrarunt. Verùm hac de re nimis multa. quibus enim rationibus nixi Magistri primi asseruerint melancholicum humorem (quod tertiū caput continebat) mentis animiq; virtutibus conducere; adeò vt quæ loca crebras, magnasq; temporum habēt mutationes, homines temperamento tales, ac mente animoq; idcircò præstantes valeant procreare; idq; totū in quinto climate pręsertim locum eos habere voluisse, in Italiaq; & Græcia, & qua de causa; vt hæ propterea regiones homines semper ingenio habuerint singulari, abundè, vt arbitror à nobis fuit explicatum; dummodo hoc alterū non prętermittamus; tametsi in hoc quinto climate temperamentum huiusmodi melācholicum vigeat, hominesq; in eo animo, ac mente pręstantes oriantur; non tamen propterea cunctos, & naturali habitu melancholicos, & ingenio singulares nasci. cuius rei causa est, quoniam sicuti nō omnes huius climatis partes temporum anni temperamenti vim æquè participant, sed aliæ magis,

gis,& alię minus; vt propterea Hippocrates Europęos inter se, Aristoteles Græcorum gentes inter se, vt supra vidimus, plurimum differre dixerint; ita & neq; homines cūcti, sed alius alio ad huius temperamenti vires recipiendas natura gignitur aptior; prout scilicet melancholicus illi humor, vt supra ex Aristotele vidimus, altè ampliterq; permixtus constiterit. quanquam & vniuersaliter gentes quinti climatis omnes esse, ac produci aliquo modo tales affirmare possumus; quatenus cum alijs comparatę vtroq; munere longè cæteris antecellunt. Sed & hoc alterum extrema hac oratione adijciēdum, nos ea omnia, quæ disseruimus, eo sēsu disseruisse (quod non semel in hac tota disputatione indicauimus) vt, quod ad mores, artes, disciplinasq; pertinet, naturæ semina, ac dispositiones, seminum, dispositionumq; causas naturales, quātum est locorū & corporum temperamenti ratione, ostenderemus: non vt homines bonos natura, vel malos, doceremus oriri; cùm non solùm rectè philosophantium schola, sed Sacrosāctæ Ecclesiæ dogmatibus edocti liberam in homine voluntatem agnoscamus, & fateamur; cuius vi, & beneficio cùm Dei fotus auxilio malas coercere possit, ac repellere inclinationes, iure optimo euenit, vt si bonus sit, Deo Opt. Max. acceptum referre debeat, si malus, non naturæ, sed sibi ipsi. vt maximè propterea laudandus videatur Aristoteles, qui tametsi ethnicus, septimo Politicorum eleganti disputatione veritatem hanc pulchrè nos docuit. Fiunt autem, inquit, boni (scilicet homines) probiq; tribus rebus, natura, moribus, atq; ratione. Nam primùm nasci oportet, idest hominem esse, non ex alio genere animalium, tùm vt certo quodam modo corpore, & animo sit affectus. Quædam verò sunt, quæ natura existere non satis est: moribus enim mutātur in diuersa, cùm nonnulla ancipitis naturæ sint, quæ per mores nunc in peius, nunc in melius mutantur. Cętera igitur animantia sic viuunt, vt naturam maximè sequantur, quædam non nihil etiam mores, homo verò ducitur etiam ratione, qua solus ipse prędit us est. Hæc igitur inter se cōgruere, & cōsentire debent. Multa .n. homines præter mores, & naturā, propter rationem faciunt, si sibi aliter esse meli⁹ persuaserint. Hęc ille; quibus & nasci hominē, non ex alio animalium genere dicens oportere; itē & adijciēs pręterea, ϰ̀ ποῖον τινα τὸ σῶμα, ϰ̀ τὴν ψυχὴν, idest certo quodam modo corpore, & animo affectum: non solùm generalem dispositionem adesse debere significauit, sed & etiā particularem; quam à temperamento sanguinis tēperamenti locorum ratione in corporibus genito ortum ducere, supra ex eo aperuimus; & quam nil esse aliud ipse voluit quàm melancholicum temperamentum; vt his verbis ad illud animum intendisse Philosophum crediderim, cùm dixit, ποῖον τινα, idest qualitate quadam, & habitu corporis informatum ad producendos mores aptum nasci hominem oportere. Si .n. (inquit D. Thomas in Commentarijs) anima secundum se vnius rationis sit secundū speciem in omnibus hominibus; & non suscipiat intensionem, & remisionem, cùm sit forma substantialis; diuersitas operationum ipsius, & proprietatum erit propter diuersitatem corporum & materiæ, vel alicuius externi alterius. Item dicens Aristoteles, quòd natura simus, nō esse satis, quia morib⁹ mutamur in diuersa; plurimū posse cōsuetudinē, ac etiā supra naturā demōstrauit. Postremò addens solum hominē duci ratione, & diuina hac potestate prędit um multa præter morem, ac naturam, propter rationem facere; ipsum rationis lumē, liberumq; arbitrium supra morem, ac naturam posse perspicuè significauit; vt iam non mori, ac naturæ, sed sibi ipsi vitium omne homo debeat attribuere. quod pulchrè considerans elegātisimus Poeta Horatius, vt hominem prudentia, ac ratione duci, non locorum temperamento demonstraret, sic cecinit Epistolarū libro primo.

Cap. 13. — Lect. 10. — Epist. 11.

Nam si ratio, & prudentia curas,
Non locus effusi latè maris arbiter, aufert;
Cęlū nō animū mutāt, qui transmare currunt.

ex quò, & Aeschines in Ctesiph. τόπον οὐ τρόπον μετέβαλε. idest locum non morē mutauit. & Marcus Tullius pro Quinctio. Fit magna mutatio loci, non ingenij. De his igitur hactenus; quibus ita explicatis, quoniam supra, cùm de vrbium situ ageremus ex sententia Præceptoris, in illorum quatuor capitum enumeratione, ad quæ spectanda esse in vrbibus constituendis ipse iubet, longè discessimus ab aliorum interpretatione; idq; omnes in se numeros habere veritatis infra esse ostensuros polliciti sumus; superest nunc, vt promissa appareant, obscurissimus ille locus nobis explicandus: ita enim & quatuor illas conditiones in eo doceri à nobis supra positas mōstrabimus, & pulcherrima disputatione ab hac certè, quam tractauimus, quæstione nō aliena quartum hunc librum concludemus.

Ari-

Aristotelis verba obscurissima de conditionibus vrbis ad se ipsam sumptæ ex septimo Politicorum proponuntur enarranda. afferuntur Interpretum explicationes.

Cap. 69.

Cap. 11.

ARistoteles septimo Politicorum situm vrbis ad se ipsam relatæ nobis aperiens ita græcè scribit. Αὐτῆς δὲ πρὸς αὐτὴν εἶναι τὴν θέσιν εὔχεσθαι δεῖ κατατυγχάνειν, πρὸς τέτ7αρα βλέποντας. πρῶτον μὲν ὡς ἀναγκαῖον, πρὸς ὑγίειαν. αἵ τε γὰρ πρὸς ἕω τὴν ἔγκλισιν ἔχουσαι, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα τὰ πνέοντα ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, ὑγιεινότεραι. δεύτερον δὲ, κατὰ βορέαν· εὐχείμεροι γὰρ αὗται μᾶλλον. τῶν δὲ λοιπῶν πρός τε τὰς πολιτικὰς πράξεις, καὶ πολεμικὰς καλῶς ἔχειν. Hunc locum sic ego, si verbum è verbo exprimatur, censeo conuertendum. Ipsius autem vrbis esse ad se ipsã situm optare oportet consequi ad quatuor respiciẽtes. Primum quidem vt necessarium ad sanitatem: quæ enim ad auroram habent inclinationem, atq; ad ventos ab Exortu flãtes, salubriores existunt. Secundum autẽ ad Aquilonem; siquidem hæ ob huiusmodi flatus, ac frigora sunt commodiores. Reliquorum verò ad bellicas actiones & ciuiles rectè se habere. Hæc igitur Aristoteles; quo loco omnium, quæ in Politicis habentur, difficillimo Philosophum de industria torquere lectorem voluisse interpretationum varietas, rerumq; controuersarum difficultas perspicuè monstrant. Duo autem sunt, de quibus maximè auctores digladiantur. Primum, cùm ad quatuor spectandum esse proposuerit Aristoteles; quæ nam sint ista quatuor ab eo exposita. Secundũ, cùm vrbes dixerit ad Aquilonem conuersas esse oportere, quia hoc pacto εὐχείμεροι sint; quomodo hæc demonstratio quadrare possit, quidue hac voce significauerit. Quod attinet ad primam difficultatem D. Thomas, quem ego semper honoris causa nomino, ac inter omnes latinos vnum sequor, & admiror, horum quatuor duo prima per se ad sanitatem referri inquit; tertium ad bellicas, ciuilesq; actiones; quartum tùm ad bellica munera tùm ad vitę necessitatem; adeò vt quicquid de aquarum copia, vel differentia disserit Aristoteles, ad quartum caput enodandum facere censeat D. Thomas. tractationem de re bellica, & ciuili explicationem esse tertij. quæ verò de vrbis ad Ortum, & Aquilonem inclinatione dicta sunt, primum, & secundum caput explicare ad sanitatem pertinentia. Acciaiolus in reliquis tribus planè consẽtit; nisi quòd tertium ab Aristotele propositum ad sitũ ciuitatis spectare putat, quatenus tantùm exitus ipsis ciuibus facilis existit ad hostes propulsandos, aditus hostibus difficilis ad inuadẽdum; adeò vt tertio capite de ciuilibus actionibus nihil dici arbitretur. Sepulueda quatuor res, quarum in deligendo loco vrbis condendæ habendam esse rationem iubet Aristoteles, has esse existimat; valetudinem, bellum, ciuiles actiones, quarto rerum necessariarum inuectionem, aut etiam exportationem. itaq; in omnibus ferè dissentit à D. Thoma; cùm secundum non ad valetudinem, sed ad bellicas actiones; tertium ad ciuiles actiones non ad bellicas; quartum ad rerum venalium inuectionẽ, & exportationem, quę sunt ad vitam necessariæ, non ad aquarum quantitatem, & qualitatem velit pertinere. Victorius D. Thomæ omnino assentitur; volens primum, & secundum caput ad bonam valetudinem spectare; tertium ad munera publica, tùm bellica, tùm ciuilia, Aristotelem tamen, quæ sint hæc ciuilia munera non ostendere, vt de bellicis facit: quartum, ac vltimum ad aquas earumq; copiam. atq; hanc sententiam recentiores nonnulli postea secuti sunt; nisi quatenus secundum locum non quartum aquis tribuerunt; primo de valetudine, tertio de re bellica, quarto de ciuili agi existimantes. Hæ igitur variæ sunt Interpretum sẽtentiæ circa primam difficultatem; quorũ nec minor in secunda explicanda varietas apparet, nisi & longè fortasse maior videatur iudicanda. Nam D. Thomas veterem secutus Interpretem, qui sic verba interpretatus est. Secundo autem ad Boream, recentiores enim hæ magis. idq; totum, quod de vrbium aspectu ad Aquilonem dicitur, ad valetudinem pertinere putans; inquit vrbes ad Aquilonem expositas esse recentiores, idest frigidiores, proindeq; à putredine magis remotas, & propterea salubriores. Aretinus transfert sic. Secundo loco quæ sunt secundum Boream sitæ, hæ nanq; sunt ad hyberna potiores. quibus inquit in huiusmodi vrbibus commodius hyeme transigi. Acciaiolus omnino silet. Sepulueda censet sententiam esse, vrbem, vt salubris sit, ad Ortum, flatusq; Orientales esse conuertendam, aut certè ad Septentrionem; adeò vt secundum salubritatis locum huiusmodi teneat aspectus, si fortasse primus nequeat haberi; nimirum quia commodissimi, saluberrimiq; sint flatus Aquilonum. proinde ita cõuertit Ari-

„ stotelis orationem. Proximè ab his, quæ „ in Aquilonem vergunt; hæ nanq; magis „ commodis auris refrigerantur. quam sen„ tentiam Iauellus in Epitome secutus est ita „ scribens Secundò si non potest ad Orien„ tem ędificari, ędificetur saltem ad Aquilo„ nem. atq; hunc Iauelli, ac Sepuluedæ sen„ sum Lambinus, qui postremus politica Ari„ stotelis scripta conuertit, secutus est, à Zu„ ingero vt videtur, receptus. ita enim hũc „ locum interpretatur. Primùm quidem „ valetudinem tanquam rem necessariam. „ vrbes enim ad Orientem versus, & ad ven„ tos ab Ortu flãtes positę, saluberrimę sunt. „ Secundum has eæ, quæ ad Aquilonem spe„ ctant. Perionius interpretatur. Contra „ hyemem munitiores. Ludouicus Strebeus. „ Quòd hæ facilius frigus, & hyemem salu„ brem admittunt. Lambinus cum Strebeo „ consentiens. Hæ enim ad hyemem salubré „ excipiendam sunt appositiores. Postremò „ Victorius. Deinde ad Aquilonem. hę nã„ q; hyeme commodiores sunt. cuius rei inquit esse rationem, quoniam hyeme, cùm venti vigent, tempestatesq; magnæ sunt, in his vrbibus degi melius potest, tanquã ab Austrinis flatibus tectis; qui valde sunt corporibus nostris noxij atq; molesti.

Allatæ circa primam difficultatem interpretationes refelluntur. Cap. 70.

HAec igitur Interpretes de vtraq; difficultate; quorum opiniones eò maiori quam potuimus breuitate recensuimus. At enimuero, vt eadem breuitate eas refellamus; quod ad primam attinet, hæc vna communis ratio omnes ferit, quòd in illorum quatuor enumeratione, ad quæ in condenda vrbe spectandum esse iubet Aristoteles, veram ipsius mentem nullo modo videntur attingere; siquidem Philosophus, cùm proposuisset quatuor esse in deligẽdo loco animaduertenda, statim distinctè, & ordinatè ea enumerat, ac disponit, & proprijs suisq; notis perspicuè distinguit inquiens. Primum quidem vt necessarium ad „ sanitatem, & c. quod ad primũ caput per„ tinere est clarissimum. deinde. Secundũ „ autem ad Aquilonem, & c. quod secundum „ explicare est manifestum. Postremò. Re„ liquorum verò, & c. qua voce & plura vno ab eo sequenti oratione explicari, & quæ supersunt capita, latissimè ostendit; adeò vt his verbis quatuor res, quas dixerat spectandas esse, omnino recensuisse profiteatur: enimuero reliqua non essent, nisi plura essent vno; & nisi vltima esset, ac aliqua restarent. quamobrem & duo Aristoteles enumerat, bellicas videlicet, ac ciuiles actiones tanquam reliqua duo capita; quæ si duobus superius expositis iungantur, quæ vocibus illis. Primum, & secundum. aper- „ tè designauit; quatuor integrant illa, ad quæ in vrbe constituenda spectandum esse initio capitis proposuit. Hinc à Philosophi mente penitus videtur esse dissentaneũ, quod omnes volunt, ijs, quæ de vrbibus ad Aquilonem vergentibus ipse differit, valetudinis, primi scilicet capitis haberi rationem; ideoq; totum id ad primum caput pertinere: siquidem Aristoteles secundum dicẽs, aliud quadã saltem ex parte à priori diuersum profitetur afferre; cęteroqui frustra secũdum esse diceret, si cum primo penitus esset idem. neq; enim diuersitas, vel identitas petenda est à rerum, quæ ad sanitatem conferre possunt, enumeratione, sed ab ipso fine, cuius causa numerantur: quare si etiam alia multa Philosophus recenseret, dummodo in sanitatem ea referret, in vnius primiq; capitis enodatione versaretur. quæ ratio mihi ipsius verba accuratè contuenti, illorumq; ordinem, demonstrationis vim ad hãc Interpretum explicationem confutandam habere videtur. video tamen quid illis ita existimandi dederit occasionem: cùm enim Philosophus secundũ hoc enumerans, volensq; in re pulcherrima suum de more spargere atramentum, dixerit tantùm, secundo loco vrbem ad Aquilonem oportere esse conuersam, quia hoc modo εὐχείμερος sit, neq; id, ad quod referatur, vel quid significet, aperuerit; quemadmodum de priori paulò supra fecerat, & de sequentibus alijs duobus, quæ ad valetudinem, item ad res bellicas, postremò ad ciuiles spectare apertè pronunciauit; Interpretes cùm se se nescirent explicare, totum id ad priora verba, & ad primum caput retulerunt. atq; hæc etiam causa est, cur in his quatuor capitibus ex Aristotele percensendis à scopo plurimum aberrauerint; vel coniungentes in vnum, quæ omnino sunt separanda, atq; vt duo accipienda; vel alia, quæ Philosophus non posuit, numerantes.

Plenius adhuc dictæ reijciuntur interpretationes Cap. 71.

HOc verum esse, vel inde patet euidenter; quandoquidem quod primum caput dicunt efficere, duo prima capita cõtinet,

tinet, vt supra admonuimus: quod volũt tertium constituere, reliqua duo complectitur, quæ ad bellicas pertinent, & ciuiles actiones: quod verò tanquam quartum ad vitæ referunt necessitatem, vel ad aquarũ copiam, nullo pacto tanquam genus, & caput in horum quatuor serie, quæ Aristoteles enumerat, venit collocandum; cùm sub illorum aliquo contineatur. quidquid .n. de rerum necessariarum inuectione tractat Aristoteles, id sub quarto capite collocatur; sicuti & quicquid de aquis ab eo disseritur, id totum sub tertij capitis explicatione, quod rerum est bellicarum, comprehenditur. ex quò & docet quo pacto parandæ aquæ sint, ne oppidanos deficiant, si bello intra oppidum compulsi vsu agri prohibeantur. Nec vllius momenti est, quòd Aristoteles de aquis agens, valetudinis, & illarum salubritatis faciat mentionem; siquidem id non quidem primò, & per se docet, sed per accidens; nimirum quia cùm de aquis disputationem instituisset, vidit opportunum esse, vt quantùm etiam ad valetudinẽ conferunt, vrbis conditorem admoneret. quod quidẽ si ad vllum caput referendum est, ad primum certè, quod ad valetudinem spectat, referre oportet. quare vnum per se caput ab alijs tribus seiunctum, siue hoc quartum sit, siue, vt nonnullis placet, secundum, nullo modo potest constituere. Patet autem ex his Acciaiolum penitus refellendum esse, dum in horum capitum enumeratione ciuiles prætermittit actiones, quæ de Aristotelis sententia quartum efficiunt. Victorium verò non esse audiendum, dum affirmat Aristotelem, quæ ciuilia munera sint, non demonstrare; cùm toto duodecimo capite totus esse Philosophus videatur, quemadmodum facilè quisq; eius legens vel oscitanter orationem iudicabit, vt explicet tanquam quartum ab eo propositũ, quomodo situs vrbis esse debeat, vt ad ciuiles actiones sit accomodatus. quam profectò veritatem satis erit in præsentia digito monstrasse. Patet rursus Sepuluedam, qui in triũ capitum, videlicet valetudinis, belli, ciuiliumq; actionum enumeratione cum veritate planè consentit; in definiendo quarto plurimum ab ea discessisse; cùm rerum necessariarum inuectio, aut etiam exportatio, vt supra monebamus, ad ciuiles pertineat actiones, proindeq; ad caput illud spectet, quod vrbis situm definit ad ciuiles actiones accomodatum; quod nos quartum ex Aristotelis sententia dicebamus constituere: vt meritò Philosophus de hac ipsa re in duodecimo capite agat, in quo quartũ huiusmodi caput expedit, verbis illis. Forum autem rerum venaliũ huic ›› diuersum esse debet seiuncto loco, & ad res, ›› quæ tùm à mari, tùm ex agro mittũtur cõ ›› uehendas opportuno. Verùm hac de re nimis multa: quòd enim Interpretes in quatuor illis definiendis, quorum in condenda vrbe rationem habẽdam esse præcipit Aristoteles, scopum non attigerint; item quòd ex Philosophi sententia horum primum ad valetudinem, tertium ad bellicas, quartũ ad ciuiles pertineat actiones, satis ex superiori disputatione est manifestum. quare de secundo, quale nam sit, & ad quod referatur, omnis erit quæstio. quod verbis illis. Secundum autem ad Aquilonem, & c. ›› superius contineri dicebamus; adeò tamen obscurè à Philosopho explicatum, vt quid sua illa velit consequentia, latere omnino omnes videatur. quare de secunda difficultate omnis nostra erit disputatio.

Aliorum interpretationes circa Philosophi verba ad secundam difficultatem pertinẽtia proponũtur reijciendæ. Aristotelis notatur cum Hippocrate de salubri vrbium situ cõsensio. Vitruuij locus declaratur. Cap. 72.

ARistotelem verbis illis, quibus ad Aquilonem vrbes iubet esse conuertẽdas, de valetudine, & ex consequenti de primo capite loqui, Interpretum, vt vidimus, sententiæ concinunt; adeò vt idem omnibus sit cõsilium, Philosophum dicere, quæ vrbes ad Aquilonem vergunt, esse salubriores. At verò in huius rei causa ex Aristotelis dictis eruenda, in deducenda cõsequẽtia, summam esse inter illos dissensionem, id etiam superius diximus. quare nobis hoc loco erit demonstrandum, Philosophi orationem nullis machinis ad valetudinem, & salubritatem, proindeq; ad primum caput trahi posse. nam & simul etiam eorum interpretationes, & quas ducunt cõsequentias, ventillabimus. Ac primùm iam adducta superiori capite ratio se se offert efficacissimam; Philosophus enim, cũ quatuor spectanda esse oportere dixisset, & primum enarrasset, statim addit his verbis. Secundum autem, & c. igitur ex his qua- ›› tuor secundum in ordine intelligit, ac attingit; igitur necessariò aliquid à primo diuersum. Secundò si his verbis secundum caput Aristoteles non explicat, ergo illud

prætermittit; ergo omnino mancus & imperfectus: hoc enim probatur ex eo euidéter, quoniam postea duo tantùm enumerat, scilicet bellicas actiones, & ciuiles tanquã reliqua; igitur tanquam tertium, & quartum caput. at de primo, quòd illud explicuerit, vbi de vrbibus ad auroram vergétibus agit, nulla est dubitatio, dissensio nulla; quare huiusmodi secundum, aut ibi, aut nullibi definit. Tertiò Philosophus sitũ Orientalem ad salubritatem deligit tanquã ceteris salubriorem, immò tanquam illum, qui solus simpliciter faciat ad sanitatem; itaq; nullus alius frustra illi quærendus erat, vel adijciendus. Patet id magni Hippocratis auctoritate in libello de Aere, Aquis, & Locis, qui vrbium situs expendés, Orientalem reliquis præfert, ac nominatim Aquilonio; vt nil sit mirum, si Aristoteles hunc ipsum Hippocratis imitatione elegerit ad salubritatem; dixeritq; manifestè, ceteris esse salubriorem. Hippocratis verba hæc sunt. Quæcũq; quidem ad Solis Exortus sitæ sunt, eas æquum est salubriores esse ijs, quæ ad Septentriones conuersæ sunt, & ijs, quæ ad calidos ventos sitæ sunt, etiam si stadium intersit. cuius rei hanc potissimum reddit rationem, quòd moderatiori frigore, & calore potiantur; siquidem subdit. Primùm enim moderatior est caliditas, & frigiditas. Et paulò post. *Et ciuitas, quæ hoc modo iacet veri maximè similis est iuxta caloris & frigoris moderationem.* vt hinc perspicuum sit, quid Vitruuium impulerit libro primo de vrbium positu, ac menium collocatione agétem, vt non solùm æstuosum, idest Austrinũ, *sed frigidum quoq; idest Aquilonium* aspectum reijceret, temperatumq; tantùm reciperet, idest Orientalem: siquidem eius hæc est oratio. In ipsis verò menibus ea erunt principia. Primùm electio loci saluberrimi. *Is autem erit excelsus, & non* nebulosus, neq; pruinosus; regionesq; Cœli *spectans neq; æstuosas*, neq; frigidas, *sed* temperatas. nec multò post. Ergo si hæc ita videntur quemadmodum proposuimus, & ex his *principijs* animalium corpora composita sensu percipimus, & exuberationibus, aut defectionibus ea laborare, dissoluiq; indicauimus; non dubitamus quin diligentius quæri oporteat, vti temperatissimas Cœli regiones eligamus, cùm quærenda fuerit in menium collocationibus salubritas.

Cap. 4.

Quæ superiori capite posita sunt fusius enodantur: veteris Interpretis, & Aretini exploditur conuersio. Cap. 73.

AT si hæc vera sunt, quæ amabò Philosopho necessitas, vt Aquilonium aspectum in sua vrbe pro salubritate requireret? Quin potius, cùm vrbes in Septentrionem inclinantes necessariò sint ob frigidorum ventorum flatus frigidiores, dicendum videtur, moderationem illam frigoris, & caloris, quam potissimam salubritatis causam constituit Hippocrates, huiusmodi ad Cœlum positu omnino tolli, ac dissolui, vel certè reddi imbecilliorem; vt hac de causa ad vtrunq; aspectum collocatæ salubres minus dici mereantur. Quod quidem Hippocratem, Aristotelemq; voluisse, affirmantes ciuitates ad Ortum cõuersas reliquis esse salubriores, satis est perspicuum. qua profectò sententia vrbes ad Ortum tantùm vergentes, illis, quæ ad Ortum simul vergunt, & Aquilonem vidétur prætulisse: siquidem salubriores ceteris non essent, nisi omnis aspectus ratione, siue simplicem illum acccipiamus, siue mixtum, id in illis haberet veritatem; adeò vt ad Ortum tantùm vergentes vrbes non solùm illis, quæ in Aquilonem tantùm inclinant, quod ad simplicem aspectum pertinet, sed illis etiam, quæ ad Ortum simul, & Aquilonem sunt positæ, quod ad mixtum refertur, dicendæ sint ex Hippocratis, Aristotelisq; sententia salubriores. quare alia omnino ratio, quàm salubritas *Philosophum impulit*, vt suam vrbem huic Cœli plagæ exposuerit. *Quartò si verba expendamus, quacunq;* etiam recepta Interpretum explicatione, consequentia nullo modo videtur ad salubritatem pertinere. quod inter recentiores Franciscus Valeriola in arte medica insignis, virq; omnibus artibus, ac disciplinis ornatus, secundo locorum Communiũ, locum hunc edisserens, difficillimumq; esse querens, ostendere conatus est; adeò vt cum Adriano Turnebo viro excellenti, alijsq; doctissimis viris cupidissimè Lutetię se de illo egisse testificetur, sibiq; eum explicari postulasse. esto enim de salubritate his verbis Philosophum sermonem habere (quod tamen qua facilitate isti ponunt, eadem negari potest) quam ergo nobis rationem affert, quòd vrbes ad Aquilonem vergentes sint salubriores? An quia vt vetus habet Interpres, hæ sint recentiores? idest vt rectissimè explicat D. Thomas, frigidiores?

Cap. 5.

res? Atqui hoc tertia ratio Hippocratis auctoritate nixa penitus elidit. ciuitates enim, vt salubriores existant, non frigidiores, sed moderatæ frigore, sicuti & calore esse debent. An quia, vt inquit Aretinus, ad hyberna sunt potiores? At primùm dubitatio est quid hac sua ipse velit conuersione. deinde si, vt ex eius Commẽtarijs in libros Oeconomicos elicio, sentit, vrbem secundũ Boream .i. auerso Borea, & ad Meridiẽ positã esse, Aristotelem dicere. nam & sic eo loco scripsit, similia Aristotelis verba expendens, de quibus infra plura agam. Auerso Borea non significat contra Boream, sed secundum Boream, idest ad eas partes versæ, ad quas Boreas perflat; & sic ad Meridiem erunt versæ. propterea q; dicit has vrbes ad hyberna esse potiores, tãquam tectas à frigidis flatibus, & aspectibus Austrinis & calidis expositas; interpretationem hanc rem ipsam redarguere satis constat; cùm & hæc ciuitas nõ solùm non saluberrima, vt voluit Aristoteles, sed omnium insaluberrima Hippocratis Aristotelisq; testimonio existat; & ipsa Philosophi verba apertissimè vrbem in Aquilonem velint inclinare. Quòd si aliquis dicat ob Aquilonum perflatũ has vrbes esse salubriores, quia ob temperamentum putredinem arcent, vires corporis augent, similiaq; efficiunt, quæ salubritati plurimum conducere vidẽtur; qua de re pulchrè D. Thomas in Commentarijs disputauit; respondemus Orientales ventos pares ex Hippocratis, & Aristotelis sententia habere ad hæc omnia vires; immò & eò maiores, quò moderationem non excessum causant; vt nulla sit necessitas, vt salubritatis causa Orientalem vrbem ad Aquilonem conuertamus.

Perionij, Victorij, Sepuluedæ, Lambini interpretationes reijciuntur. Cap. 74.

NEc Perionij opinio tutior apparet, videlicet quòd sint contra hyemem munitiores: nam Valeriolæ statim obiectio negocium facessit. quo enim modo contra hyemem munitiores hæ Vrbes esse possunt, quæ Aquilonijs flatibus expositæ ingentia propterea hyeme frigora sentiunt? deinde quid hoc facit ad sanitatem? eademq; locum habet difficultas, si Victorij sequamur interpretationem; videlicet has ciuitates hyeme esse commodiores; cùm enim sua natura hyems frigida sit, non potest hoc tempus frigidissimo Aquilone perflatum commodius esse, & quod in idẽ horũ sententia redit, esse salubrius; vt potè quod temperatum, moderatũq; ad salubritatẽ esse debeat. quare neq; huiusmodi vrbes hyeme hac de causa commodiores esse queunt. Quod verò Victorius adiungit, has vrbes ideo hyeme esse commodiores, quia ab Austris sint tectæ, hoc Aristotelis disputationi non videtur consentaneum, simpliciterq; sumptum neq; etiam verum. Nam Philosophus, non quia hę ab Austris tegantur, tales esse dicit, sed quia Aquilonibus sint expositæ, quod contrarium penitus videtur; deinde Austrini flatus, etsi alijs anni temporibus noxij spirent, hyeme flãtes nõ solùm nõ nocent, vt Hippocrati placuit si modum seruent, sed hanc anni tempestatem reddunt salubriorem, quia frigiditate moderatiorem illam efficiunt. qua de re nonnulla infra dicam. Præterea si Aristoteli secundo Meteoron credimus asserenti contrarijs temporibus contrarios vẽtos maximè excitari, Austros non quidem hyeme, sed autumno potius flare; si Theophrasto libello de Ventis, quod etiam memorato loco Aristoteles docuit, tempestatum auctores potissimum esse Aquilones. quare nulla erat Victorio causa timendi, quòd hyeme, cùm venti vigent, ac tempestates, corporibus Austri noxij essent, ac molesti; cùm neq; per id temporis magis soleant perflare, neq; magis afferre tẽpestates. Sepuluedæ, ac Lambini explicatio duplici nomine venit refellenda; tùm quia ponit Aristotelem de Aquilonio aspectu sermonem habere tanquam de eo, qui secundum in salubritate locum teneat; quasi si primus eligi nequeat, hunc secundum accipiendum esse velit; quò & tendit, vt vidimus, Iauelli interpretatio; quod quidẽ, vt superiora docuerunt, multis de causis, quas facilè quisq; ex his, quæ diximus eliciet, à recta huius loci explicatione longissimè distat; vt præteream ad votum Aristotelem situm diligere, ideoq; nullum impedimentum considerare: tùm quia nõ videtur verum, has vrbes salubriores esse, quia magis commodis auris refrigerentur; eò quòd neq; Aquiloniæ auræ commodę sint magis, sed Hippocrate teste, & Aristotele Orientales; neq; refrigeratio simpliciter sumpta causa sit maiori salubritatis, vel minoris, vt supra diximus, sed potius moderatio refrigerationis. ea tamen ratio, quã Valeriola aduersus Sepuluedam affert, videlicet quòd huiusmodi interpretatio voci εὐχείμεροι non respondeat, vt potè, quæ propriè

tex. 53.

priè bene se ad hyemem habere, atq; commodè significet; nullius certè momenti existimari debet: cùm, vt nos in Anemologia ostendimus, inferiusq; etiam attingemus, hæc vox non solùm hyemem, prout anni tempus dicit, sed frigidum omnem aeris statum significet, idq; maximè propriè.

Annot. super Tex. 2. lib. de Vēt.

Adducitur Valeriolæ interpretatio, & reijcitur. *Cap. 75.*

Hinc idem Valeriola has fortasse, & similes difficultates secum ipse reputans, existimauit hanc vnam esse viam, vt Aristotelem ab oscitantia tueamur, si dicamus, vrbes Aquiloni expositas non quidem ideo esse salubriores ipsum voluisse, quoniam ad hyemem sunt aptiores, commodiores, & meliores; cùm alioquin ad hyemem degendam, illiusq; rigorem perferendum ob ingentem frigoris vim valdè sint incommodæ; sed quia salubriores habent hyemes ob Aquilonis venti saluberrimi flatum; adeò vt tametsi incommodius, salubrius tamen hac de causa hyems in illis transigatur. Hyemes enim vt salubres sint, magnis & longis Aquilonaribus vētis perflari oportere, apertissimè in primum Epidem. docuisse Galenū; adeò vt Aquiloniæ vrbes, quia tales hyemes experiantur, necessariò & eas habeant salubriores: quare & sic locum Aristotelis putat Valeriola esse conuertendum. » Proximè verò ab his salubres habendæ, quæ in » Aquilonem vergunt: hæ nanq; ad hyemem » salubriter degendam meliores. quam sanè interpretationem satis constat cum Strebæi, ac Lambini interpretatione planè cōsentire; qui ideo salubriores has vrbes esse dixerunt, quoniam facilius frigus, & hyemem salubrem admittunt. Verùm, vt prætermittamus his verbis de salubritate vrbium, ac valetudine non agi, sed secundum omnino in illis caput explicari, quod abundè supra demonstrauimus; huiusmodi etiam rationem, & consequentiam parum tutam esse dicimus, ac firmam ad vrbium, quæ in Aquilonem vergunt, probandam salubritatem; vt diuino Aristotelis ingenio minimè digna videatur. Nā & cur ab hyeme potius, quàm ab aliquo alio reliquorū trium anni temporū salubritatis ratio Philosopho ducenda erat? immò cùm hyems inter quatuor tēpora minus sit morbis obnoxia; æstas, & autumnus longè periculosissimi; vere autem morbi presertim discutiantur & erumpant; ab his, non ab hyeme sumenda salubritatis ratio videbatur: præsertim cùm Aquilonares venti, vt secundo Meteoron monstrauit Aristoteles, nosq; vberrimè in Anemologia explicauimus, vere, & æstate naturæ lege potissimum excitentur. Præterea vrbem hyemem salubrem habere posse, reliqua tempora insalubria: itaq; non est satis sola hyems ad eius salubritatem generaliter probandam. Adhuc Hippocrates in opusculo de Aere, Aquis, & Locis salubris hyemis temperationē hanc esse definit. Si hyems (inquit) » sit moderata, neq; valde tepens, neq; id, » quod opportunum est, excedens frigore. » At talis non potest esse magnis, ac diuturnis Aquilonibus perflata; ita enim immoderata esset, & frigore id quod opportunum est excederet, quod de Aquilonijs vrbibus ponit Valeriola, & confitetur. quare & paulò post Hippocrates huic hyemis temperaturæ Aquiloniam hyemem opponit tanquam immoderatam, ac frigore excedentem. Item tertio Aphorismorum secto Aquilonio statu tusses, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarū dolores, & pectoris fiunt. quæ omnia in hyeme magnis, longisq; perflata Aquilonibus, magis locū habere est necesse: ex quò & Galenus ibi, & in primum Epidem. ex Aquilone inuectos morbos nō paucos enumerat. quo igitur pacto salubrior erit hyems, si magnos, diuturnosq; Aquilones perpetiatur? quo pacto hac ratione salubris ciuitas, quæ talem hyemem habuerit? quare contrarium potius videbitur dicendum, scilicet vrbes ad Aquilonem sitas salubres esse, quia vere, autumno, & æstate Aquilonibus perflentur moderatis; insalubres, quia hyeme vehementibus, & immoderatis; vt quod ad illarum probandam salubritatem isti facere censent, rectè intellectum, earum probet insalubritatem. Galeni autem auctoritas illa quo pacto intelligenda sit, ne tota ipse in oratione secum pugnet, & non modò non coherentia inter se dicat, sed maximè disiuncta, atq; contraria, secundo libro de Hippocratica Anni Ratione latius à nobis expendetur. Neq; enim, tametsi hyemem sua natura magnos, & diuturnos Aquilones habere dicit, eam propterea salubrem esse affirmat: salubris nanq; fortasse hyems est, si habeat Aquilones, insalubris, si magnos habeat, & diuturnos: qua de re suo loco disputabimus. Adhuc vrbes (atq; hoc vnum est, in quo meo quidem iudicio egregiè isti hallucinantur) non ideo hyemes

Aphor. 5.

mes

mes habent magnis diuturnisq; Aquilonibus perflatas, quia ad Aquilonem sunt conuersæ; quasi quæ in Austrum inclinant, his flatibus non agitentur: quare neq; hac de causa possunt esse salubriores; si modò, vt illi putant, magnitudo horum flatuum, ac diuturnitas hyemi causa est salubritatis. enimuero quòd spirent Aquilones, ab vrbium positu non pendet, sed à generali aeris statu, ac temperamento; vnde si annus totus Austrinus esset, vrbs tametsi aspectu Aquilonia flatus Aquilonios non sentiret, sed Austrinos; si esset Aquilonius, vrbs licêt Austrina Aquilonibus perflaretur. Neq; enim aspectus vrbis, atq; positio vẽtorum flatum dat simpliciter, aut tollit (quod legentes animaduertere cupio vehementer) sed tantùm flatus ipsius, ac spirationis modum. ex quò & Theophrastus libello de Vẽtis Plateas ad Aquilonem expositas Austris nihilominus magnis agitari; Carystum situ Austrinum, Aquilonibus notatum reliquit; vt si id habet veritatem, quod mox ex purissimis Peripateticorum fontibus ostensuri sumus; vrbs in Austrum inclinans, quia in statu aeris Aquilonio longè maiores, & frigidiores Aquilones, quàm quæ vergit ad Septentriones, sit perpessura; si id salubritatem causat (quod istorum sẽtẽtiam penitus elidit) salubrior quàm quæ Aquiloni exposita est, videatur arbitranda. Postremò hæc Valeriolæ interpretatio eãdem cum Iauelli, Perionij, ac Lambini patitur difficultatem; Aristoteles enim de vrbibus ad Aquilonem positis nõ eo sensu loquitur, quasi secundũ in salubritate locum eas velit habere, cùm ad votum situm eligat. Verùm cùm demõstratum sit tot clarissimos viros frustra in obscurissimi huius loci enodatione laborasse, iam tempus est, vt nostram, qualiscunq; sit, explicationem afferamus.

Tex. 32.

Quædam ad Aristotelis hunc locum intelligendũ necessaria præmittuntur. verba nonnulla primi Oeconomicorum de Domorum situ obscurissima enarrantur.

Cap. 76.

CVm nos igitur diù difficillimus hic locus cruciasset, in magna hac mentis agitatione fortè Aristotelis verba quædam primo Oeconomicorum occurrerunt, quę situm domus aperiunt; item & pulcherrima Theophrasti quędam de vrbium ad flatus aspectu libello de Ventis, disputatio; quæ his obscurissimis verbis ingentem nobis lucem visa sunt afferre. Scribit Aristoteles primo Oeconomicorum in hanc sententiam. Ὀικίαν δὲ πρός τε τὰ κτήματα ἀποβλέποντα κατασκευαστέον, καὶ πρὸς ὑγίειαν, καὶ πρὸς εὐημερίαν αὐτῶν. & mox (cùm declarasset quid τῶν κτημάτων, idest rerum possessarũ nomine intelligeret, & quæ ratio in construenda domo habenda sit, vt ad illas sit accomodata) καὶ πρὸς εὐημερίαν δὲ, καὶ πρὸς ὑγίειαν, δεῖ εἶναι εὔπνουν μὲν τοῦ θέρους, εὐήλιον δὲ τοῦ χειμῶνος· εἴη δ' ἂν ἡ τοιαύτη κατάβορρος οὖσα, καὶ μὴ ἰσοπλατής. Quæ verba sic Aretinus interpretatur. Aedes quoq; ita parandæ sunt, vt & rerum possessarum, & salubritatis commoditatisq; rationem habeamus. Et paulò post. Commoditatis verò & salubritatis, vt æstate quidem ventorum afflatum, hyeme verò solem recipiant. essent autem tales si auerso Borea fuerint, nec æqualiter latæ. quo loco nullo modo Aretino assentior, quod κατάβορρος hîc domum ad Meridiem conuersam, atq; auerso Borea positam velit significare; vt etiam in Commentarijs super hoc libello clarius explicat. Auerso Borea (inquit) non significat contra Boream, sed secundum Boreã, idest ad eas partes versæ ad quas Boreas perflat, & sic ad Meridiem erunt versæ. sic enim solem habebunt hybernum, & vmbram æstate, & ventum, qui plurimum per tempus æstatis inde perflat. Atq; hoc est, quod supra dicebamus eadem hæc verba adducentes septimo Politicorum secũdum Boream ciuitates sitas, ipsum ad Austrum vrbes inclinantes intelligere. quam sententiam Iauellus quoq; secutus est in Epitome super hoc libello; alium enim neminem vidi, qui huius loci interpretãdi prouinciam susceperit. Enimuero quo pacto domus ad Austros conuersa ab Aquilonibus tecta ad habitantium, rerumq; possessarum commoditatem, & salubritatem facere poterit? quo modo æstate esse εὔπνοος, idest ventis commodis perflata? Austri enim corruptionis omnis auctores sunt, & æstate potissimum incommodi, atq; molesti, quia suo calore æstum mirificè augent; atq;, vt pulchrè notat Vitruuius libro primo, Cœlum meridianum per æstatem Sole exoriente calescit, meridie ardet. Quod verò inquit Aretinus ædes ad Meridiem versas ventum habere, qui plurimum per tempus æstatis inde perflat; hoc omnino, vt etiam superius aduersus Victoriũ tetigimus, falsum esse patet; quoniam per æstatem Aquilonij potius flatus vigent, & occidui, qualessunt Etesiæ, vt in Anemologia demonstrauimus.

Cap. 6.

Cap. 4.

Annot. sup lib. de Vẽt.

Cap. 6. ex quò & Aristoteles secundo Meteoron circa vernum Aequinoctium Cæciam, & qui sequūtur Aquilonij; circa æstiuas versiones Fauonium solitos esse flare memoriæ prodidit. Quare intelligendum est sine vlla dubitatione vocem καταβοῤῥος, Gulielmo etiam Budeo viro doctissimo consentiente, Boreæ expositam, & obuersam significare; adeò vt domum dicat Aristoteles ad Aquilonem esse conuertendam. Sed neq; in aliorum illorum explicatione, καὶ μὴ ἰσοπλατής. idest & non æqualiter latæ (quæ verba longè omnium sunt obscurissima) Aretino assentior; qui in Commentarijs sic ea interpretatur. Nam si æqualiter latæ versæ essent ad omnes partes; sed si erunt oblongæ ædes, & ad Meridiem spectantes, tunc habebunt suprascriptas commoditates. quandoquidem cur si non æqualiter latę essent ædes, idest altero latere longiores, atq; vt ipse vocat oblongæ, enarratas magis haberent commoditates, quàm si essent æquilateræ, equidem non video. Hæc fortasse cùm Bernardinus Donatus Veronensis animaduerteret, qui post Aretinum Oeconomicorum libros interpretatus est, sic difficillimum hunc locum transtulit. Præterea ad commoditatem salubritatemq;. Aestate quidem salubrioribus ventis patere oportebit, hyeme verò apricam esse. Hoc autem continget, si parte altera præsior, angustiorq; fuerit; nec longitudini latitudinē æqualem habuerit. quem (tametsi in nonnullis scopum attigerit) plurimum tamē à gręci exemplaris fide recessisse, præsertim quòd nullam de domus ad Aquilonem aspectu faciat mentionem, compertissimum cuiq; esse potest. Nihil igitur magis hunc locum illustrat, quàm pulchra Xenophontis de eadem re disputatio, quæ tertio libro de Dictis, Factisq. Socratis habetur. quo loco clarissimus auctor sic ædium situm interprete Bessarione nobis aperit. Domos quoq; (inquit) cùm diceret easdem esse honestas, atq; vtiles, docere mihi videbatur quales oportet ædificare. Vtrum enim, aiebat, illum, qui habiturus est qualem deceat domum, hoc considerare oportet, vt quàm delectabilis, & vtilis habitantibus sit? Cùm verò hoc concederetur, delectabile itaq;, dicebat, est in æstate frigidam illam habere, in hyeme autē calidam. Cùm autem etiam in hoc consētiret. In domos igitur, aiebat, respicientes Meridiem, in hyeme solares radij ingrediuntur; tempore verò æstiuo, cùm Sol supra nos & per tecta eat, vmbram reddit. Si itaq; bonum est sic ista fieri, oportet altiora quidem, quæ Meridiem respiciunt, ædificare, vt Sol hyemalis non excludatur; humiliora verò quæ Aquilonem, vt frigidi non incidant venti.

Xenophontis locus expenditur; ipsius cum Aristotele de situ Domus consensio notatur. Bessarion reijcitur.

Cap. 77.

Haec ille; quæ si accuratè perpendamus, atq; cum græco contextu cōferamus, videbimus Aristotelicę domus formam, situm, atq; conditiones exactissimè explicare; vt quod Philosophus εὐημερίαν dicit, idest commoditatem, Xenophon τὸ ἡδὺ, idest delectabile, & voluptatem afferens, appellare videatur: & sanè rectissimè; cùm, vt Budeus inter cæteros notat, locum hūc Oeconomicorum adducens, εὐημερεῖν propriè sit commodè, & delectabiliter viuere, & ex animi sententia, quod potissimū pertinet ad voluptatem; ex quò & Vitruuius libro sexto εὐημερίαν, idest commoditatem, videtur voluptatem interpretari, salubritati eam adiungens: inquit enim. Triclinia ęstiua ad Septētrionem scilicet spectēt; (Cap. 7.) quòd ea regio (non vt reliquæ, quæ per Solstitium propter calorem efficiuntur æstuosæ) eò quòd est auersa à Solis cursu sēper refrigerata, & salubritatem, & voluptatem in vsu præstat. qui locus, vt infra videbimus, mirandum in modum Aristotelis verba de vrbium situ illustrat. Quæ verò Philosopho salubris domus est, Xenophōti esse χρησίμον, idest vtilem, satis est perspicuum; cùm nulla hominibus vtilitas maior quàm ipsa salubritas ex ædibus esse possit. At enimuero talem esse domum inquit Xenophon, idest salubrem, & commodam, vel dixeris vtilem, ac delectabilem, si æstate frigida erit, hyeme calida: quarum conditionum Aristoteles, vt primam exprimeret ad frigiditatem pertinentem, dixit æstate domum, εὔπνοουν, idest commodis auris perflatam esse oportere. nullus enim alius æstate ventus potest esse commodus, atq;, vt Vitruuius inquit, in vsu voluptatem præstans, nisi frigidus: quis enim est, quem id effugiat? vt verò secundum explicaret, quæ spectat ad caliditatem, dixit, domum hyeme soli expositam esse oportere: siquidem qui locus hyberno tempore multo Sole fruitur, illiq; patens est, necessariò & calidus existit; quatenus tamen climatis permittit temperamentum, quam Ari-

Cap. 2. Aristotelis sententiā Cornelius Celsus libro primo de Re Medica & imitari, & elegāter exprimere visus est, ita scribens de ædium forma. Habitare verò ędificio lucido perflatum æstiuum, hybernumq; Solem habente. Verùm domum eam æstate frigidam, hyeme calidam esse adiūgit Xenophon, quę plagam Cęli aspexerit meridianam; idest vt se ipsum clarius explicās statim addit; quæ qua parte ad Meridiem vergit, excelsior, qua parte ad Aquilonem, humilior fuerit constructa: ita enim ad Meridiem conuersa dici poterit, quia ex meridionali latere sit altior; proindeq; illi aspectui patentior, quanquam Aquiloni sit etiam exposita. quare domum Xenophon ad vtranq; Cœli plagam iubet conuertendam, scilicet ad Aquilonem, & ad Austrum; ad Austrum tamen magis: sic enim ędificata æstate Aquilonijs auris refrigerabitur, hyeme potietur Sole multo; & cùm ad Aquilonem sit humilior, vim horum flatuum per hyemem ingentem, & excedens frigus, quod afferūt, minus sentiet. nam & hoc est, quòd verbis illis significauit. χθαμαλώτερα δὲ τὰ πρὸς ἄρκτον, ἵνα εἰ ψυχροὶ μὴ ἐμπίπτωσιν ἄνεμοι. quæ sic ego à Bessarione dissentiens potius interpretāda existimo. Humiliores verò partes eas, quæ ad Septentriones vergunt, ne frigidi flatus vehementer nimis irruant. siquidem ventus propriè ἐμπίπτει, vt ex trigesimo secundo contextu libelli de Ventis patet, cùm viribus maximis locum aggreditur; vt vir tantus, cùm transtulit. vt frigidi non incidant venti. Xenophontis mentem non videatur planè assecutus; qui Aquilonios omnino flatus nequaquā è sua domo censet excludendos, alioqui frigida per æstatē, seu, vt inquit Aristoteles, commodis ventis perflata esse non posset, sed tantùm ingentes, & per hyemē tales: quod quidem erit si ad Meridiē fuerit excelsior. Nam & hoc quoq; modo ęstate vmbra, hyeme Sole potietur. quod sic etiam idem Auctor in Oeconomico explicauit. Cęnacula reficiendis hominibus exornata monstraui, quæ essent æstate frigida, mensibus hybernis calida. demonstraui & vniuersam domū meridianæ plagæ apertam, vt manifestè videretur hyeme locus apricus, vmbrosus æstate. quod totum consentaneum vero esse cōstat; hyeme enim, cùm Sol tenet brumalem Ortum, Capricorniq; circulum lustrat, die ferè tota solaribus radijs locū illustrat: ęstate verò, cùm circulum Cācri repetit, quia tunc super locum & perfecta fertur, vmbram gignit.

Varronis locus quidam obscurus enarratur. Aristotelis de situ domus aperitur sententia.

Cap. 78.

QVòd si ita res est, recentiores nonnullos non possum non vehementer admirari, qui supra allatum Aristotelis locum de vrbium situ explicantes, affirmare audēt, vrbes in auroram, Ortumq; æquinoctialem inclinantes omnium in primis esse saluberrimas, quòd, vt Varro tradit, æstate vmbram, hyeme Solem habeant. Quandoquidē primùm ex Rei Rusticę Auctoribus, qui de agri, ac villæ situ disserunt, non possumus sine magno errore regulas condendarum vrbium ad varios cęli aspectus elicere. Deinde neq; verum est, vrbes ad Ortum sitas, esse saluberrimas, quia æstate vmbram, hyeme Solem habeant, sed quia ab omni caloris, & frigoris excessu sint remotæ, temperatissimisq; auris perflentur, ac saluberrimis, vt magnus Medicinæ pater admonuit. Postremò non est verum, siue vrbem, siue villam dicas, æstate vmbram, hyeme Solem habere, si ad Ortum æquinoctialem sit conuersa; sed tantùm si ad plagam Cœli meridianam, vt perbellè Xenophon docuit de sua domo: neq; id Cato, ac Varro fortasse voluerunt. qui sanè Varro cùm ex Catone supponeret, villam in agro sub radice montis sito, ad Meridiemq; spectante esse construendam, vt ex eodem Catone, & ex primo Varronis libro patet euidenter; nimirum quia frigidi flatus plurimum ruris operibus obesse soleant; ipse postea capite duodecimo hanc villam sub radicibus huius montis positam contra ventos saluberrimos conuertendam iubet, idest æquinoctiales; vt illi incommodo, quod ex Austrino aspectu prouenit, mederi valeant. quo posito cùm dicit, quòd æstate vmbram habet, hyeme Solem, non intelligit mea sententia villam, quia ad exortus sit æquinoctiales, æstate vmbram, hyeme Solem habere; sed cùm proposuisset eam in agro ad Meridiem spectante esse collocatam, colligit, hanc esse aptissimam, si exortus æquinoctiales aspiciat; quia & saluberrima erit, & ob aspectum agri meridianum æstate vmbram, hyeme Solem habebit. Cęterum vt redeamus ad rem, Aristotelem suam domū sic velle esse ædificandam, quemadmodum supra dicebamus, iam nunc Xenophontis verbis intellectis meridiano Sole clarius apparet. nam cùm dixisset eam æstate commodè perflatam, hyeme apricam esse oportere, talem fore addit, si κατάβοῤῥος erit, &

Cap. 1.
Cap. 7.

μὴ ἰσοπλατής. quæ verba densissimis antea tenebris circunfusa, iam nunc in clarissimum lumen proferuntur: enimuero κατάβορρον constituendam domum iubet, idest Aquiloni quidem expositam, sed tamen ea parte humiliorem. quod quidem propositio κατά, quæ deiectionem dicit, & humilitatem, mirabiliter significat. item μὴ ἰσοπλατῆ, idest latitudinem non æquali, nimirum vt Xenophon explicat, ad oppositũ latus, & meridianum excelsiorem; siquidẽ ita ædificata, vt superius etiam ostendimus, æstate commodè perflata, & frigida erit, hyeme calida, & aprica; quia per diem totam Sole illustrabitur. Has autem conditiones breuissimis verbis, vt videmus, & obscurissimis Philosophus explicuit, quoniam de re seculo illo notissima sermonem habens, nimirum de græca ædium ædificãdarum ratione, satis illi fuit rem digito mõstrasse; quod cùm nostris temporibus sit obscurissimum, obscurissimam etiam reddit ipsius orationem.

Vitruuij, Xenophontisq; loca nonnulla illustrantur ad græca ædificia pertinentia.

Cap. 79.

Hinc autẽ fortasse perspicuum est quid libro sexto Vitruuius voluerit, cùm de græcis ædificijs agens ita scripsit. Hæc pars ædificij gynęconitis appellatur; coniunguntur autem his domus ampliores habentes latiora Peristylia, in quibus pares sunt quatuor porticus altitudinibus, & vna, quæ ad Meridiem spectat, excelsioribus columnis construitur. intellexit enim mea sententia hanc porticum, quæ ad Meridiem est, eminentiorem esse tanquam excelsioribus columnis constructam; vt meritò Xenophon in huiusmodi forma domus altiora, quæ Meridiem respiciunt, esse dixerit; Aristoteles hanc ipsam domum latitudine inæqualem; quia videlicet Austrum versus sit eminentior, ad Boream humilior, ideoq; latitudinis ratione inæqualis. rectissimè, nisi fallor, latitudinis nomine eas domus partes designans & intelligens, quæ secundum Orbis latitudinem sunt collocatæ. ex quo etiam Vitruuij loco elucet, quid Xenophon memorato de Dictis Factisq; Socratis libro tertio voluerit verbis illis, haud satis à Bessarione, vt video, animaduersis. οὐκοῦν ἐν ταῖς πρὸς μεσημβρίαν βλεπούσαις οἰκίαις, τοῦ μὲν χειμῶνος ὁ ἥλιος εἰς τὰς παστάδας ὑπολάμπει. idest vt ego interpretor. Igitur in ædibus Meridiem spectantibus hyeme quidem Sol pastadas illustrat. intellexit enim de ea Peristylij parte, quæ porticum habet ad Meridiem altiorẽ, excelsioribusq; columnis constructam; quam ob id in Oeconomico partem domus meridianæ plagæ apertam, hic Meridiem respiciẽtem vocat. quam porticum, siue in eo exedras, videtur pastadas appellare; vt iam clarum videatur, quid prostados, & parastados nomine apud Vitruuium sit intelligendum, dum adducto loco testatur eam Peristylij minoris partem, quæ ad Meridiem spectabat, apud nonnullos prostada, & parastada nominari. ignorare enim non debemus Polucem septimo Onomasticon asserere, quas suo tempore exedras vocabãt, Xenophontem pastadas appellasse. At Bessarion ita locum conuertens. In domos igitur, aiebat, respicientes Meridiẽ, in hyeme solares radij ingrediuntur. nescio qua causa impulsus vocem hãc, pastadas, prætermiserit. Hæc igitur vera mens est de situ ædiũ nostra sententia in hoc obscurissimo primi Oeconomicorum loco Aristotelicæ orationis; ex qua, sicut etiam ex Xenophontis, ac Vitruuij verbis, quatuor maximi momenti elicimus ad verum, vt infra videbimus, loci septimi Politicorum sensum assequendũ. Primum, plerasq; conditiones, quas domui impartiũt, Aristotelẽ vrbi impartire; vt nõ exigua inter domus, ac vrbis situm appareat similitudo. Secundum, duo hæc in ædificatione Veteres perpetuò respexisse, salubritatẽ scilicet, & commoditatem; quam εὐημερίαν Aristoteles, Xenophon & Vitruuius voluptatem appellarunt. Tertium, huiusmodi commoditatem præsertim ex ventis, qui æstate frigidi ipsa perflent ædificia, ex illorum sententia ortum ducere. Quartum, propterea Septentrioni exposita esse illa voluisse. diximus autem magnam esse inter situm vrbis, ac domus similitudinem, quoniam non omnino eadem est vtriusq; ratio, sicuti neq; esse potest, nec debet; nam domus ad Meridiem Aristotelis, Xenophontisq; decreto est cõuertenda, quod in vrbe est omnino fugiendum.

Quæ ex Theophrasto excerpta sunt ad hunc locum intelligendum præmittuntur quid propriè hæ voces, χειμερός, εὐχείμερος, δυσχείμερος Aristoteli significẽt.

Cap. 80.

Sed antequam Aristotelis verba in manus sumamus expendenda, duo præterea oportet ex Theophrasto diligenter animaduer-

Cap. 10.

Cap. 27.

uertere. Primum quid propriè vox hæc χειμερὸς significet. Secundum quo modo, qua vè differentia vrbes eos flatus, quibus sunt expositæ, eos verò à quibus tectæ sűt, recipere soleant. Primum caput satis ex ijs videbitur explicatum, quæ in Anemologia de vera hatu vocum χείμον, & εὔδια interpretatione disseruimus, quo in loco in aere, ac ventis non vnum tantùm, sed tria significare eas annotauimus: propterea deesse latinas voces, quæ græcarum vim possint exprimere; ac in aere quidem dicere τὸ χειμερινὸν (hybernum quoquomodo potuimus nos interpretati sumus) frigiditatem, nubes, vel pluuiam, ac venti flatum ingentem; sed tamen maximè propriè frigiditatem; in ventis flatus magnitudinem, frigiditatem, pluuias, vel saltem nubes; τὸ εὐδιεινὸν, idest tranquillum, in aere serenitatem, calorem, vel temperiem, silentiũ ventorum, vel lenem auram; in ventis flatus lenitatem, caliditatem, vel temperiem, serenitatem, sed maximè propriè caliditatem. Hoc autem iacto fundamento cur primo Meteoron Aristoteles Aquilonem hybernum ventum, Austrum tranquillum appellauerit, satis constat: Aquilonem.n. potissimum frigiditatis ratione dixisse hybernum, Austrum tranquillum caloris causa, quia calidus scilicet sit ventus, certum est. item perspicuum est, cur Theophrastus libello de Ventis Aquilonem reliquis hybernum magis esse scripserit: magnus enim & frigidus spirat, quin etiam & interdum pluuius. Hinc Aristoteles χειμέρια loca, idest hyberna ea solet appellare, quæ frigidis aspectibus, flatibusq; patent, vel in frigido tractu sunt collocata: sed tamen hac differentia, vt quæ frigiditatis iniurias vehementius sentiűt, δυσχείμερα dicat, idest frigore excedentia, & immoderata, atq; ob ingentem vim frigoris incommoda habitationi, ac molesta. cuius rei octauo de Historia Animalium illustre habemus exẽplum; sicuti etiam & apud Hippocratem secundo de Diæta, vbi Insulas continenti propinquiores hyeme dicit esse δυσχειμεροτέρας, maritimas tepidiores: quod in anni quoq; temporibus locum habet; cùm apud eundẽ septimo Epidem. hyemis σφοδρὰ χειμερίνου, & dixeris δυσχείμερου mẽtionem habeamus; vt iam opposita vox τὸ εὐχείμερον necessariò apud hos Auctores significet frigore moderatum, & ferè dixeris εὐδιεινον, idest calidum, vel si non calidum, certè prout sua natura patitur temperatum. Sed in re clarissima morari non oportet. Quod pertinet ad secundum caput, hoc vnum ex eodem Theophrasto libello de Ventis venit animaduertendum, maximè certè mirum, sed tamen ratione duce, & experientia maximè verum; eas vrbes, quæ alicui vento expositæ sunt, ventum hunc placidiorem, moderatiorem, ac minus frigidum sentire; è contra verò illas, quæ ab ipso sunt protectæ, eundem vehementissimum, immoderatum, ac frigidissimum excipere. quod Platearum exemplo adducto libello de Austro, & Aquilone mirabiliter docuit Theophrastus; scribens Plateas (quæ vrbs Aquiloni exposita est) Aquilonem ipsum ventum alioqui χειμέριον, idest hybernum, sentire εὐδιεινον, dixeris maximè propriè εὐχείμερον, idest serenum, frigore longè remissiorem, ac moderatum; tùm etiam flatu non vehementem: è contra verò Austrũ, à quo tectæ sunt, hybernum, idest magnũ longèq; frigidiorem, & magis pluuium: idemq; in Carysto, quæ vrbs ad Austrum vergit, de Aquilone contingere; vt verissimè à nobis supra dictum fuerit, aspectum vrbium ad ventos, & positionem non quidem ventorum flatum dare simpliciter, aut tollere, sed tantùm flatus ipsius modum. Theophrasti verba hæc sunt secundum nostram interpretationem. Sed & illud videbitur absurdum, & à ratione alienum, quòd eminentium locorum quæ ventis exposita sunt, omnia sunt tranquilla; quæ autem à ventis protecta sunt, flatibus agitantur, nec sanè moderatè, sed vehementer; vt in Plateis, quæ in Beotiæ parte ad Aquilonem vergente collocatæ sunt, Aquilo quidem tranquillus, Auster verò magnus (quãquam Citheron interiectus est) ac hybernus perflat.

Annot. 2. in tex. 2. lib. de Ventis. Annot. 1. super lib. de Sig. Temp. — *Cap. 11.* — *Tex. 13.* — *Cap. 28.* — *Tex. 32.*

Eorum, quæ superius ex Theophrasto posita sunt, causa explicatur. Hippocratis mens secundo de Diæta, & in opusculo de Aere, Aquis, ac Locis enarratur. Vitruuij locus illustratur. Cap. 81.

HVius igitur tàm admirabilis accidẽtis causam hanc Theophrastus & certè ipsius ingenio dignam affert; videlicet quòd montis interiectu prior spirãtis venti exhalatio, quæ antecedit, detinetur, ac montis altitudinem lentè conscendere cogitur, donec alia posterior adueniat: atq; hoc modo noua semper fit exhalationis accessio; proindeq; ad montis verticem coaceruatio insignis; quę postea tota simul, & magno cum impetu, ac procellosa locum

adoritur; vt propterea δυσχείμερον, ideſt & hybernum, & valde incommodum, & viribus, & frigiditate excedentem vrbs ipſa hunc flatum excipiat. Theophraſti verba hæc ſunt, quibus rem totam docet perſpicuè, & eleganter. Locis autem ad Aquilonem expoſitis, & prorſus illis, quæ ventis ſunt obnoxia, tecta loca magis idcircò ſpiritibus perturbantur, quia contingit ad ſummitatem montium coaceruatum ſpiritum ſuperfūdi, ac ſupra modum excreſcere; & ſimul totum huiuſmodi tecta loca inuadere: quatenus enim magno cum pondere ingruit, ac impetū facit, eatenus verè ſimul totus erumpit; atq; procellæ in eiuſmodi locis fiunt. enimuero ſpiritus ibi conglobatio efficitur, & coaceruatio: quamobrē, & quaſi ictum facit, quoniam cum impetu proficiſcitur: magnam enim vim habet ſpiritus, qui ſimul totus, & continuus erūpit, quemadmodum in Typhonibus euenire videmus. Hæc ille; quibus exactiſsimè quāta, & qualia ſint incommoda, quæ vrbes à ventis habent, à quibus ſunt protectæ, ac pulcherrimè aperit; vt meritò diuinus Hippocrates ſecundo de Diæta hæc ipſa multò antea acutiſsimè cōtuēs ſcripſerit, quibus regionibus (idēq; de vrbibus eſt iudiciū) montes adiacent ad Auſtrū, & quod idē eſt, quę regiones ad Aquilonē ſitę ſunt, talibus Auſtros ſqualidos flare, & morboſos: quibus verò ad Aquilonem mōtes adiacēt, ſunt autem hæ, quæ Auſtro ſunt expoſitæ; huiuſmodi tales Aquilones perturbare, illiſq; morbos afferre. Hippocratis verba hæc ſunt. Vbi autem regionibus montes adiacent ad Auſtrum, in his ſqualidi Auſtri, & morboſi afflāt; vbi autem ab Aquilone mōtes adiacent, in his Aquilones perturbant, & morbos faciunt. qui locus nullo pacto intelligi poſſet, niſi & antea ea intelligerētur, quæ hac de re pulcherrimè Theophraſtus diſſeruit: quæ etiam monſtrant apertiſsimè, non ſine magna ratione ſupra à nobis dictum eſſe, vrbes ad Auſtrum poſitas in Aquilonio aeris ſtatu longè maiores Aquilones, quàm quæ ad Septentriones vergūt, ac frigidiores eſſe perpeſſuras. Hinc Hippocratici conſilij ratio fortaſſe innoteſcit; cur ſcilicet Senex ſapientiſsimus libello de Aere, Aquis, & Locis de vrbium poſitione ſermonē habēs, in ſitu tantùm Auſtrino de ſicca & pluuia æſtate, & de frigida hyeme fecerit mentionem: de qua quidem re, vbi de aliorum ſituum natura loqueretur, nullum fecit verbum. quem locum pleriq; autumant ad Auſtrinum aſpectum nequaquā pertinere, ideoq; delendum eſſē tanquam alienum, & alibi reponendum; eò quòd de vrbibus rectè ad ſolem, & ventos collocatis paulò antea Hippocrates loqui videatur; non animaduertentes ipſum verba illa. Et quæ quidem vrbes benè ſitæ ſunt ad ſolem, & ad ventos, & c. vſq; ad illa. Et ſi quidē æſtas ſicca eſt, & c. per parentheſin pronunciare, generaliterq; proferre, vt documentum omnibus quatuor aſpectuum ſpeciebus, de quibus diſſerendum aggreditur, commune, & neceſſarium afferat; quod mea quidem ſententia ad internarum partium, videlicet ad Arearum, Platearum, & Angiportorum intra menia prudētem collocationem ſpectat, & ad aquarum curam, non ad vrbis, & menium ad Cœlum collocationē. quo ſanè modo ſi vlla commoditas ex aſpectu eſt, maior redditur; ſi incōmoditas vlla, longè efficitur minor. de qua quidem re ſic diuinè video Vitruuium libro primo diſſeruiſſe. Diriguntur autem hæc rectè, ſi excluſi erunt ex Angiportis venti prudenter; qui, ſi frigidi ſunt, lædūt, ſi calidi, vitiant; ſi humidi, nocent. quare vitandum videtur hoc vitium, & aduertēdum ne fiat, quod in multis ciuitatibus vſu ſolet euenire; quemadmodum in Inſula Leſbo oppidum Mytilene magnificenter eſt ædificatum, & eleganter, ſed poſitum non prudenter; in qua ciuitate Auſter cùm flat, homines ægrotant; cùm Caurus tuſsiunt; cùm Septentrio reſtituūtur in ſalubritatē; ſed in Angiportis, & Plateis non poſſunt conſiſtere propter vehementiam frigoris. Si enim delere placet, quæcunq; in Hippocrate ob affectatam obſcuritatem prima facie vel falſa videntur, vel abſona, vel à propoſito aliena, diuinū hunc Scriptorem totum lacerabimus; & facilè difficultates omnes expediemus. Dicendum igitur, quoniam ob cauſas ex Theophraſto iam explicatas Auſtrini ſitus maximè proprium eſt Aquilonem vehementiſsimum, ac frigidiſſimum excipere; ideoq; hyemem interdum vehementer frigidam habere; item ob ipſos Auſtros æſtatem valde calidā, & pro ipſorum ſpiratione vel pluuiam, vel ſiccam; ideo ſigillatim de horum temporū temperamento in hoc tantùm ſitu explicando Hippocratem feciſſe mentionem.

Cap. 6.

Ariſtotelicorum verborum vera adducitur interpretatio. Cap. 82.

SEd hac de re iam nimium diu diſputo: his enim ita explicatis, cùm oſtenſum

ſit

sit salubritatem, & commoditatem pari passu ferè apud Veteres ambulare; adeò vt secundus post salubritatem locus omnino commoditati debeatur; cõmoditatem verò præsertim in domorum ædificatione ex earum positu spectari ad Aquilonem; magnamq; esse ipsi vrbi cum domo hac in re similitudinem: adeo vt in condenda vrbe secundo loco commoditatis ratio sit habẽda; hæc ipsaq; commoditas ex aspectu illius ad Aquilonem hauriatur; apertissimũ est Aristotelem septimo Politicorum verbis illis, de quibus controuersia est, & commoditatem exprimere voluisse, quin etiã & omnino debuisse; & eam pro secũdo capite, postquã ob oculos pro primo salubritatẽ posuit, vrbiũ cõditori secũdo post salubritatem loco proposuisse in menium collocatione considerandam. quod vox illa ἐυχείμερος clarissimè demonstrat; qua eo ferè sensu vsus est, ac si εὐήμερος dixisset; vt quasi alteram pro altera irrepsisse librariorum incuria suspicandum esset, nisi altera vim alterius, & significationem compræhenderet. Item apertissimum est commoditatem hanc, non secus ac in ędiũ situ explicando fecit, ex vrbis aspectu ad Aquilonem quæsiuisse. Quare obscurissimi huius loci sententia perinde accipienda erit ac si, vti in primo aperiẽdo capite fecit, perspicuè ita dixisset Aristoteles secundum ex quatuor spectandis ad commoditatem pertinet, non solùm ad sanitatem; quæ enim ad Boream conuertuntur, sunt commodiores. Nam & hoc est, quod supra dicebamus pulchrè Vitruuium de hoc aspectu expressisse; cùm non solùm salubritatem, sed voluptatem in vsu, idest commoditatem ipsum præstare notatum reliquit. quæ verba mirificè hunc Aristotelis locum illustrare asseruimus. & sanè qua ratione commodiores sint vrbes ita collocatæ, satis ex superioribus elucet: sic enim expositæ commodiora frigora persentiunt, & flatum huius venti commodiorem; idest tùm æstate, cùm magni æstus vigent, serenum, frigidum, & lenem; tùm hyeme longè moderatiorem; proindeq; vt inquit Aristoteles, ἐυχείμερον, idest non omnino frigiditate, & magnitudine excedentem; adeò vt ab illis omnibus incommodis, quibus vrbes ab Aquilone tectę obnoxiæ sunt, reddantur immunes: quæ propterea huiusmodi flatum plerunq; per æstatem non sentiunt, quoniam, cùm per id temporis sit imbecillior, non potest montes, qui adiacent, superare; vt æstiuo perflatu ideo priuentur, quem ædibus potissimam commoditatis esse causam Aristoteles, ac Xenophon censuerunt: & ob expositas causas hunc flatũ hyeme nõ quidem εὐχείμερον, sed δυσχείμερον sentiunt, idest frigidissimũ, ac vehementissimum, & procellosum, demum hybernum dixeris, & tempestatum auctorem, proindeq; valde incommodum; vt, quemadmodum de Mytilene dicebat Vitruuius, in Angiportis, & Plateis propter frigoris vehementiam non possint cõsistere habitatores. quam sententiam, vt quoad eius fieri potest clarius in versione exprimeremus, huiusmodi verba eo sensu, quem initio diximus, interpretati sumus. Nec turbet nos vrbem Aquiloni expositã, si vera sunt, quæ supra ex Hippocrate, & Theophrasto attulimus, Austros valde noxios, & morbosos esse perpessuram, qui vẽti omnium sunt insaluberrimi; enimuero tanta est Orientalium, & Aquilonarium ventorum potestas, vt facilè omnem Austri malignitatem arcere valeant. Diximus autem secundum hoc caput ad commoditatẽ pertinere, nõ solùm ad sanitatẽ, quoniã, vt ex ijs patet, quæ de ædium situ disserit Aristoteles, Vitruuius de triclinijs, hæc duo sibi mutuo inseruiunt; vt quæ ad commoditatem conferunt, salubritati, & è contra quę ad salubritatẽ, conferre ad cõmoditatẽ videantur; tametsi inter se diuersa sint, nec semel in vrbium etiam situ seiungantur. quod satis ex eadem Vitruuij supra allata auctoritate elucet; qua docet, in Mytilene flante Septẽtrione habitatores quidem in salubritatem restitui, sed in Angiportis, & Plateis, vt modò dicebamus, non posse consistere propter frigoris vehementiam; quod refertur in incommoditatem: adeò vt per id temporis sanitatem sine commoditate adipiscantur. quæ profectò veritas Aristotelis etiam testimonio roboratur octauo de Historia Animalium perspicuè commoditatem à sanitate distinguẽtis, vbi inquit, animalia non ijsdẽ temporibus, nec omnibus ęquè exuperãtijs commodè viuere, itẽ valetudines, ac morbos per tempora pro generum diuersitate variè accidere. in Aristotelicę tamẽ vrbis situ pulchrè cõiunguntur, quoniã, tametsi ob causã supra allatã vrbs Ortui exposita simpliciter salubrior sit iudicanda, Aquilonum tamen societas addit illi commoditatem; quod tanquam magni momenti non erat Aristoteli prætermittendum: & cùm flatuum Orientalium calor Aquilonum frigiditatem reddere valeat moderatiorem, vix potest hæc

Cap. 18.

illo-

illorum societas aliquid de salubritate detrahere; vt commoditatis, quam afferunt, ratione longè vberior fiat compensatio.

Sepuluedæ, & sectatorum reijcitur opinio. Vera Aristotelis mens aperitur.
Cap. 83.

HInc verò nemo non videt, Sepuluedæ, aliorumq; redargui errorem, qui his verbis Philosophum docere arbitratur, vrbem esse Aquilonibus exponendam, vbi libera non fuerit eius ad auroram conuertendæ potestas; cùm satis constet, ipsum in optimè collocata ciuitate vtrúq; requirere. Primum autem caput iure sanitati dicat Aristoteles, quoniam, vbi sit cum Orco ratio ponenda, reliqua omnia frustra quæruntur: huiusmodiq; caput breuissimè explicans, sanitati optimè consultum iri mõstrat, si vrbs ad auroram conuertatur; huiusq; rei causam adducit, quia huiusmodi aspectus sit omnium saluberrimus. Primo expedito capite secundum attingit, nec dicit ad commoditatem pertinere; siue vt de more lectoré torqueat; siue quia id tanquã illa ætate notissimũ ex sola aspectus explicatione subintelligi videbat: ac pari breuitate hoc etiam explicat, volẽs cõmoditatis ratione vrbem Aquiloni esse exponendam; cuius etiam rei causam affectata obscuritate affert, quia hæc εὐχείμερον, .i. vt nos explicauimus, cõmodis ad degẽdum auris refrigeratur, frigoraq; habet cõmodiora; itẽ quia Aquilonem χείμερον, .i. hybernum flatum habeat εὐχείμερον, .i. placidiorẽ, & temperatiorem. de qua re satis supra est disputatum. Post hæc tertio ad bellicas, quarto ad ciuiles actiones pertinente propositis capitibus, cumulatissimè toto vndecimo capite differit, quia id proprij erat instituti, quo modo construenda sit ciuitas, vt ad bellicas actiones sit accõmodata; toto duodecimo, quo modo ædificanda, vt ad ciuiles benè se habeat. Sed de hac salebra satis, in qua sapientiores cunctos hærere video; vt maxima propterea rei difficultas coegerit me esse longiorem quàm decreueram; vtinam lucis aliquid illi attulerim. Habemus igitur quid de tota hac quæstione, quę ad tẽporum anni, regionumq;, & climatũ temperiem spectat latitudinis Orbis ratione de Hippocratis Aristotelisq; mente sit sentiẽdum; quæ .n. longitudinis peculiaria sunt, commodiori in loco pertractabimus; cùm alioqui Orientales regiones, sicuti & flatus generaliter Australium, Occidentales Aquilonarium naturã sequantur. quare hactenus hoc libro quarto sit de ea disputatum, in qua quidem ventilanda consultò, ac libenter longiori disputatione (tametsi fortasse nimium) à scopo aberrauimus; vt pro virili nostra parte tãtæ rei vera Hippocraticaq; & Aristotelica fundamenta iaceremus; facileq; illis iactis, & cognitis, quid aer, ac anni tẽpora, quid clima, & locus possint, & qua cõcurrãt ratione ad generationẽ, & vitã, ad fęcunditatẽ, partũ, sterilitatẽ, & abortum, demumq; ad animalium, hominumq; naturam conformandam, cognosceremus. iam enim hucusq; ex Hippocrate, & Aristotele mõstratum est, ea loca, quæ ęqualissimam habent, ac moderatam temperationem, ad ortum, partum, fęcunditatẽ, ad vitam, vt ita dicam, robustiorem, ad cęterasq; huiusmodi dotes plurimum conferre; quæ tempora habent in alterutro extremorum perpetuò collocata, minus ad hæc omnia esse apta, corporum tamẽ proceritatem, vitæq; diuturnitatẽ efficere; item cũcta inepta ad animi virtutem; demum quæ magnas, & crebras sentiũt temporum mutationes, virtutibus plurimũ cõducere; sed reliqua ad corpus pertinentia, videlicet ortum, partũ, fertilitatẽ, vitã, augmentũ, ac similia reddere plerũq; imperfectiora; vt si quod temporum temperamentũ Aegypto conueniat ex superioribus memoria repetamus, statim eluceat, qua causa permotus scripserit Aristoteles, octomestres in hac regione oriri viuaciores, quod eò clarius apparebit, vbi duas alias sequẽti libro grauissimas quęstiones explicauerim⁹ videlicet an tẽpora ipsa, & loca similitudinis, vel cõtrarietatis ratione ad enarrata omnia cõcurrant; item an in calidiori loco, vel frigidiori diutius animalia, proindeq; homines viuant, vitãq; participent robustiorẽ. quibus diligenter explicatis, nihil erit postea negocij videre, qua de causa facilius, sæpiusq; in Aegypto, quàm locis nostris viuant octomestres; ac septem illas tertio libro propositas dubitationes, huiusq; libri initio repetitas labefactare.

FINIS QVARTI LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA.

LIBER QVINTVS.

An tempora, & loca, quatenus similia sunt, vel dissimilia, ad ortum, & salutem conferant animalium. opinio recitatur Hippocratis, & Galeni. Cap. I.

CVM de temporum, locorumq; iuxta climatum varietatem tẽperamento satis superiori libro disputatum sit; ostẽsumq; non parem esse illis ad ortum, vitam, fęcũditatemq; animalium virtutem; iam nunc an tempora ipsa, & loca similitudinis, vel dissimilitudinis ratione, ortus, fęcunditatis, vitę robustioris, longiorisq; vel contrariarum affectionum causæ sint, hoc libro quinto consilium est diligenter indagare; item quæ locorum temperamenta vitam reddant diuturniorem: vt his iactis, receptisq; fundamentis facilè postea cognoscamus, qua de causa Philosophus in partu tãtùm octomestri locorum differẽtiam attingat; quare tres illæ causæ, iam pridem libro tertio à nobis explicatæ, in Aegypto locum habeãt, & octauo genitos vitales ibi magis reddant; postremò quæ sit hac in re inter nostras regiones, ac Aegyptum differentia; & quod summam continet totius disputationis, an his de causis octomestres locis nostris oriantur non vitales. quibus explicatis plenissimam difficillimæ huius rei videbimur ex peripateticis fõtibus cognitionẽ attulisse. Sed iam primum caput aggrediamur. Disputatum diu est apud Medicos an corpora, dum sanitate fruuntur, similibus conseruari queant, an verò dissimilibus, & contrarijs; quod totum non de victu tantùm, & medicamentis, sed etiam de aere, anniq; temporibus, ac de locis ipsis venit intelligendum; cùm horum omnium eadẽ sit ratio, vt ex Hippocrate & Galeno tertio Aphorismorum liquidò constat. quare eadem erit quæstio, an aer, anni tempus, ac locus conseruent vt similia animal, eiusq; temperamentum, an vt dissimilia, & contraria; eadem quæstio an similitudinis, vel contrarietatis ratione ad ortum, vitam, partum, fęcunditatemq;, & huiusmodi alia concurrant. qua de re pugnantes videntur esse sentẽtiæ, & quę in vtranq; partem trahi possint tùm apud Galenum, & Hippocratẽ, tùm etiam apud Aristotelem. Legimus apud Hippocratem sic citato loco. Naturarum hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hyemem benè malèuè se habent. quem Aphorismum explicãs Galenus, inquit, Hippocratem naturæ nomen in præsentia accipere secundum principalissimum, & proprium significatum; quod secundum ipsam maximè substantiam naturæ est, quatenus scilicet temperaturam dicit quatuor elementorum: esseq; sententiam, naturas intemperatas ad contraria tempora benè se habere; videlicet frigidas & humidas ad æstatem, contrarias ad hyemem; malè ad similia. quod etiam in sequentis Aphorismi commentario his verbis cõfirmauit. Aetates autem, quemadmodum & naturæ, frigidæ quidem ad calida, calidæ verò ad frigida, senum quidem ad æstatem, iuuenum verò ad hyemem. & mox. Nam in frigidis regionibus ætates calidiores, & in alijs proportionaliter. sic verò, & ad victus genera alij ad alia benè, malèuè se habẽt, morbi, & ætates. Nam calidiores ad frigidiora, frigidiores verò ad calidiora, & sicciores quidem ad humidiora, humidiores verò ad sicciora benè se habent; &, vt simpliciter dixerim, contrarij quidem ad cõtraria benè; similes autẽ ad similia malè, præterquàm si ætas temperata, & victui, & regioni, & loco temperato. hoc enim solo modo similes à similibus benè afficientur. Hæc Galenus; quibus docet apertissimè intemperatas naturas ad loca, temporaq; cõtraria, benè, ad similia, malè se habere; è contra temperatas, benè ad similia, ad cõtraria, malè. eademq; dicta inueniuntur ab Hippocrate libro de Salubri Diæta, à Galeno in Commentarijs, alijsq; in locis; quæ à Valeriola Enarrat. Medicinalium libro quarto, à Valesio libro Controuersiarum sexto collecta sunt. Verùm his positis, & receptis sequi videtur, Galenũ, Hippocratemq; voluisse conseruationẽ in naturis intemperatis fieri per contraria, solutionem, corruptionemq; per similia: enimuero id, quod ad alterũ benè se habet, & optimè afficitur, necessariò etiam ab eo conseruatur, ita vt

Aphor. 3.

Aphor. 2.

Aphor. 3.

Part. 2. 3. 5. 7.

Enarrat. 4. Cap. 2.

ita vt permanere videatur in eodem statu; ceteroqui non conseruaretur: at frigidas, humidasq; naturas ad æstatem benè se habere, & affectas esse Galenus inquit; quare & hæ à contrarijs conseruantur.

Hippocratis, & Galeni; Aristotelis, & Theophrasti pugnantes sententiæ adducuntur. Cap. 2.

AT verò ex diametro pugnantia Hippocrates, & Galenus plerisq; alijs in locis videntur docuisse; siquidem Hippocrates primo, & tertio sectio Aphorismorum pueris ob innatam eorum humiditatem victum humidum præscribit veluti eorum téperamento similem, ac magis conformem; eosq; ob eandem consensionem vere melius degere inquit: quibus locis Galenus seruari similia similibus, destrui contrarijs, apertè voluit. Nam & tertio Commentario ita loquitur. Non solùm in ætatibus, verùm & in omnibus alijs, quæ secundum temperaturam, vel modicè se habent, vel immodicè, si quis sermonem in hoc loco Hippocratis examinauerit, verum inueniet. Naturis siquidem, ætatibus, & regionibus benè téperatis optimum tempus est, quod optimã habet temperiem; cùm eum, quo præditæ sunt, habitum non permutari, sed conseruari desiderent: quoniam omne quod est, à similibus quidem conseruatur, à contrarijs autem transmutatur. quam sententiam exprimens in Arte Medicinali testatus est, calidiora corpora calidioris victus rationem postulare, frigidiora frigidioris; & tertio de Symptom. causis ficciora ficcioribus, humidiora humidioribus indigere auxilis. Ex quò & libro primo de Salubribus, seu de Sanitate tuenda sic scriptũ legimus. Quæ secundum naturam se habẽt corpora, his suum statum seruari decet: seruatur autem similibus vnum quodq;, alteratur contrarijs. Verùm si seruatur vnum quodq; similibus, igitur & benè ad illa se habet, & optimè afficitur; igitur, contra quàm supra positum sit, naturæ frigidæ hyeme optimè afficiẽtur, & benè se habebunt, & locis frigidioribus; siquidem tanquam à similibus seruabuntur: quod enim de victu dicitur, idem & de loco, & temporibus anni habet veritatem; cùm horum omnium par, eadẽq; sit ratio, vt supra monuimus. Hinc libello Artis Medicinalis memoriæ proditum videmus conseruationem per similia fieri, reductionem per contraria. Sed nec minor hac de re inter Peripateticos altercatio ob cõtrarias Præceptoris sententias oriri potest; enimuero Problem. decimaquarta sectione semel, & iterum scriptum legimus, naturã contrario modo affectam esse ad loca, & tẽpora, quia si similis esset, statim interiret. Verba hæc sunt. An quòd natura contra quàm loca, & tempora se habet; quoniam si se similem ageret, citò periret. quod quidem nulla alia potest ratione euenire, nisi quoniam contraria loca, & tempora naturã conseruant; similia verò lædunt, ac interimunt. quam sententiam, si quis accuratè animum intendat, videbit Philosophũ prima etiam Problem. sectione expressisse his verbis. Quòd si per humidam frigidamq; materiam morbus constiterit, tempus accedens contrarium tollere illam poterit; sed si minus contrarium subsecutum sit, qui similis status temporis subuenerit, intendet sanè, ac interimet. Hæc ille; quibus simile tempus interitum afferre, quasi ob similitudinem, & consensionem lædat, contrarium valetudinem, apertissimè testatur. Verùm his omnibus mirificè repugnãt, quæ habentur in opusculo de Respiratione; vbi elegãti disputatione Philosophus aduersus Empedoclẽ ostendit, naturã proprijs, similibusq; in locis maximè seruari; humidã in humido, siccam in sicco: pulchrè adiungẽs, si quid ex cera constitutum sit, non quidem in calido contrario scilicet loco positũ seruari; neq; si quid ex glacie; ex quò & sic concludit. Si igitur materia omnibus corporibus humidum & siccum, rationabiliter quæ quidem ex humido constituta sunt in humido sunt; quæ autem ex sicco in sicco, quod Theophrastus Præceptori consentiẽs primo libro de Plantarum Causis his verbis confirmauit. Nam vniuersum animalium, plantarumq; genus tùm generari, tùm permanere suo tantùm in loco posse videmus. quocirca suo quoq; loco affici nequeunt; contrario, & aduerso affectionibus patent; vt potè cùm distractio, & permutatio magna ita accedat. quibus profectò verbis, sua similiaq; loca seruare, nihilq; afficere, ad ortũq; cõferre; contraria lędere & ad interitũ ducere, perspicuè definit: vt non sine magna causa scriptum à Pręceptore octaua Problem. sectione videatur, simile à suo simili nihil posse affici: & sectione decima similia similibus gaudere, cognata cognatis. Quanquam & in opusculo de Respiratione Aristoteles inconstantiæ notã non videtur effugere, affirmans è contra habitus ipsos anni tẽporibus, ac locis cõtrarijs conseruari. Hęc igitur omnia penitus inter se, ac superioribus aduersari nemini dubium esse potest;

Aphor. 16. Aph. 18. Aphor. 18. Cap. 86. Cap. 3. Cap. 7. Cap. 86. Prob. 8. & 16. Prob. 3. Cap. 13. Cap. 27. Prob. 15. Prob. 51.

potest; cùm aliud sit, loca, temporaq; similia naturam habitusq; perimere, contraria seruare; aliud, & omnino cōtrarium, eadem similia seruare loca, & tempora, perdere cōtraria. Diligenter igitur tantarum contrarietatum causæ inuestigandæ sunt, omnisq; pro virili tollenda est dissensio.

Valeriolæ affertur explicatio, & refellitur. item Valesij adducitur opinio. Cap. 3.

FRãciscus Valeriola vir eruditissimus citato superius loco, vt omnes tolleret difficultates, pulchram hanc adduxit distinctionem; dicens naturas temperatas esse, vel intemperatas; temperatas seruãdas esse, intemperatas minimè; vt potè quæ egeant emendatione, ne labantur in morbũ: itaq; Galenum, cùm dixit similia similibus seruari, temperatas naturas respexisse, quas omnino seruare oportet: cùm verò addidit, contraria ad contraria benè se habere, de naturis intemperatis locutum esse, quas seruare non oportet, sed corrigere; idq; intellexisse, quatenus contrarium corrigens contrarium excedens, ac remittens, illud reducit ad mediocritatem. qua quidem interpretatione Valeriola satis innuit, nunquam sua sententia dixisse Galenum, intemperatas, contrariasq; naturas contrarijs seruari, sed tantùm ad contraria benè se habere; quia scilicet illarũ excessus corrigantur. vnde tantum abest, vt eas seruari voluerit in eodē statu, vt affici existimauerit, ac remitti, emendariq;, & de priori statu dimoueri. Hæc ille; quæ quidem, vt verum fatear, animum non implent, nec penitus tollunt difficultatem; cùm manifesta Galeni sententia fuerit, omne quod est à similibus conseruari, vt supra ex tertio Aphorismorũ secto monebamus. Vnde Dioclis refellit opinionem, tùm in secundo secto Aphorismorum, tùm primo libro de Sanitate Tuenda, qui incitari à similibus morbos, solui à contrarijs, demum similibus quemlibet excessum augescere, contrarijs remitti, ac minui, contrariaq; contrariorum esse remedia contendebat: quibus locis seruari similibus vnumquodq;, alterari contrarijs Galenus cōcludit. quare cùm intemperata corpora interdum etiam admonente Galeno seruare oporteat, si quo modo seruanda sint Valeriolam interrogemus, quid respondebit? an contrarijs? at hoc modo à suo statu dimoueri, non seruari ex Galeni decreto ipse voluit. an similibus? at similibus augeri, & ad excessum duci, non seruari de Galeni mente quod intemperatum est paulò post docuit: sic .n. scriptum reliquit. Quippè, vt idem (Galenum intelligit) paulò post ait, similibus quemlibet excessum augescere, contrarijs remitti, ac minui certum est. quanquam vir alioqui oculatissimus Galeno totum id imponit, non videns eo loco, primo videlicet libro de Tuenda Sanitate, nō de sua, sed de aliorum, Dioclisq; sententia Galenum illud pronũciasse. Hęc omnia Valesius fortasse cogitans perspicuè prodidit, cōseruationem omnem fieri similibus, reductionē contrarijs Galenum existimasse; addens, vt omnia vitaret incommoda, similium nomine, forma, & gradu similia esse intelligenda; propterea temperata corpora similibus specie, & gradu debere conseruari Medicos omnes simul cum Galeno vno ore concedere: quin etiam & intemperata similibus cōseruari, dum conseruantur. qua recepta interpretatione facilè tolli autumat ex Galeni, & Hippocratis dictis omnem contradictionem. Hæc ille; quibus temperamenta loco, & tempore simili seruari statuit; ita vt regionem, & anni tempus similitudinis ratione ad animalium conseruationem concurrere velit.

Aphor. 34. Cap. 7.

Cap. 7.

Valesij reijcitur explicatio. Argenterij recitatur opinio. Cap. 4.

VErùm his ego multa habeo, quę objiciam. Nam primùm (quod maximi apud me momenti est) Hippocrates, & Galenus videntur perspicuè affirmare, temperamentum excedens, si in simile tempus, in similemq; regionem, ac victum incidat, facilè in morbum labi; quod ex secundo, & tertio Aphorismo tertij secti patet euidenter. ex quò & Galenus in calce tertij Commentarij notatum reliquit, generationem morborum fieri à similibus locis, & temporibus, solutionē à contrarijs; & paulò supra dixerat, morbos calidos in locis calidioribus magis generari: vt rectissimè sexto libro de Tuenda Sanitate ita scripsisse videatur. In eo autem qui est in calido frigidouè ad intemperantiam lapsu, contraria dare sēper expedit, cùm & efficacissimę huiusmodi intemperies sint, & (vt ita dicam) magis, quàm quæ ex siccitate, & humiditate consistunt, potētes. quippè cùm facilè similibus nutrimētis in morbosam intemperãtiã abeant. At si siccius quoduis membrũ efficias, nihil manifestè lędes; pari modo nec si humidiori suam humiditatem serues. Itaq;

Cap. 3.

 à vero

à vero dissentaneum videbitur quod Valesius inquit, intemperatas naturas, dum seruantur, similibus seruari; si tempus simile, locus similis, ac victus augere excedétes illarum qualitates, & sic in morbum corpus trahere facilè possunt. quod (tametsi Valesio reclamante) citatis verbis Galenus cócedit; dicens similibus ad excessum duci; in morbosamq; trahi intemperaturam similem qualitatem; adeò vt in passiuis lęsio quidem, sed non manifesta, videlicet non quæ statim morbū inducat; in actiuis morbosa appareat. & sanè augeri qualitates téporum consensione nó solùm prima sectione Problem. docuit Aristoteles, vt supra tetigimus, sed & manifestè Hippocrates in Opusculo de Natura Humana; nullam aliā ob causam pituitam hyeme, sanguinem vere, bilem æstate, atram bilem autumno augeri docens, quàm ob temporum consensionem: ex quò & ita scripsit. Porrò pituita in homine hyeme augetur. hæc enim hyemi maximè secundum naturam conuenit ex omnibus in corpore existétibus; frigidissima enim existit. & mox de sanguine, qui vere augescit. Sanguis auté juxta hęc augescit, ab imbribus videlicet, & calidorum dierum tepore: hæc enim anni pars maximè iuxta naturam ipsi conuenit; est enim humidus, & calidus. atq; idem statuit de alijs humoribus, quos cótrarijs temporibus contraria de causa minui, fieriq; imbecilliores censuit: ex quò & de pituita ita notatum reliquit. Pituita auté æstate debilior se ipsa est: contrarium est enim naturæ eius id tépus; calidum enim est & siccum. quibus omnibus similia tempora augere, contraria corrigere, ac remittere humorum temperamentiq; qualitates, apertissimè docuit. quare falsum erit, omne quod seruatur, dum seruatur, à simili seruari, vt Valesius contédit, proindeq; intemperatas naturas, dum seruantur, similibus seruari: quod enim augetur, in morbumq; trahitur, nullo modo seruari videtur. quæ fortasse omnia cùm vir eruditissimus Argenterius consideraret secundo Commentario in Artem Medicam Galeni, & Galenū ipsum & Medicos reprehendere omnes hac in re non est veritus, & deserere ita scribés. Cœterum quod vltimo loco addit, & commune esse dicit omnibus intemperaturis; scilicet morbosas intéperies appetere contraria, naturales verò similia, paulò ante refellimus. Nam res appetunt sui quidem conseruationem, cùm bene habent: at conseruatio non fit per ea, quæ fouent, aut augent eorum vitia; sed per illa, quæ temperiem, & mediocritatem conciliaut. Quare solùm temperata natura, vt quæ perfectionem iam sit assequuta, similia appetere potest; omnes verò intemperies siue secundum naturam sint, siue præter naturam, cótraria desiderant, quoniam ab his mediocrē temperiem assequuntur. quod etiam Aristoteles in libro de Respiratione his verbis testatur. Habituum, qui calore excellunt, in frigido positi, melius seruantur. Contra qui frigore, in calido; natura enim loci habitus excessum ad mediocritatem reducit. Nam etiam téperata, cùm egeat correctione, contraria postulat: quippè cùm omnis correctio fiat cum mutatione; hæc verò requirat necessariò contrarietatem. Nec existimare quidem oportet veram esse Galeni sententiam & c. Et supra agens de ventriculo sicco dixerat. Explodamus ergo à nostris scholis hanc vanam opinioné, quæ nec ratione, nec experientia, nec exemplis aliarum rerum nititur.

Prob. 3.

Alia Valesij interpretatio, quòd à simili in forma & gradu conseruatio fiat, redarguitur. obiter quo modo cóseruatio in qualitatibus, ac temperamentis sit intelligenda.

Cap. 5.

PОrrò autem quod Valesius adiungit, similia, quæ conseruant, in forma & gradu similia esse oportere; hoc certè, vt liberaliter cum eo agatur, si concedamus in victu, ac medicamentis habere posse veritaté; ad loca & anni tempora, ad aerisq; temperaturam nullis machinis trahemus: quis .n. etiam si non nimis acutè videat, non videt, neminem, nisi à delio natatore monitum, diuinare posse, an tempus anni ac locus, & qualitates in illis dominantes sint forma, & gradu similes téperaturæ qualitatibus, quę ab eis tanquam à similibus ponuntur conseruari? vnde qui hoc dicit, nihil verè affert, quod difficultatem tollat, sed confugit ad incerta, & obscura vt potius occultare se, quàm pugnare videatur. Hippocrates nanq; Aristoteles, & Galenus, vt patet, similem temporis cóstitutionem, exempli gratia frigidam, quamuis excedentem, & in gradu dissimilem, frigidæ temperaturæ similem vocauerunt, similitudinis ratione agere decernentes; nec huiusmodi addiderunt cautionem: vnde similitudinem tantùm, quæ in forma est, videntur respexisse. at isti conseruationem omnem à simili forma, & gradu fieri volunt; siue conseruatio à

victu fiat, siue à loco, & anni tempore, & ambiente: itaq; ex illorum sententia, cùm Galenus à simili tempore seruari complexionem dixit, à simili forma, & gradu intellexit. Mihi certè in hac quæstione obscurisima, ac sūmis plena difficultatibus placeret magis, si quid cōseruationis nomine intelligēdum nobis sit apud Hippocratem, & Galenum, perspicuè explicarent; quid sit quod conseruari intellexerint, aperirēt. enimuero & dicere possumus temperamētum conseruari, ne in morbosam intemperiem incurrat; & qualitates ipsius temperamenti: ita vt si conseruatio, ac salus temperamētum ipsum respiciat sub hac formali ratione sumptum, quatenus scilicet dicit sanitatem, tripliciter intelligi posse videatur; vel qualitatum in eodē gradu permansione, vel intensione, remissioneuè earundem, prout opus fuerit, ne complexio labatur in morbum: si respiciat ipsas qualitates, duobus tantùm modis; quatenus scilicet vel in eodem gradu seruatur qualitas, vel etiam augetur. sit enim temperamentum iam in aliqua qualitatum nimiū excedens, hoc seruabitur illius remissione: quo pacto non quidem qualitas, quæ tollitur & aboletur, vel certè remittitur, seruari dicetur, sed tantùm temperamentū; quod tamē si pro nuda qualitatum complicatione sumeretur, neq; etiam conseruari dici posset; cùm remissis qualitatibus, temperamentum etiam necessariò remittatur: sicuti si augeatur qualitas, exempli gratia calor, vel si dicere mauis subiectum fiat calidius vltra modum, seruabitur quidem ipsa, quoniam auctio illi, quatenus tali, salus est ac perfectio, sed nō tamen seruabitur temperamentū, sed potius è cōtra destruetur in morbosam incurrens intemperiem. quod quidē ne quis putet meum esse somnium, Galenum audiat nō obscurè sexto libro de Tuēda Sanitate hoc idē significantē verbis illis supra adductis. At si siccius quis membrū efficias, nihil manifestè lædes; pari modo nec si humidiori suam humiditatem serues. Hîc enim vt perspicuū est, siccitatem humiditatemq; augeri, & tū seruari supponit; temperamentum nequaquā, quia lædatur, etsi non manifestè; quanquam pro nuda qualitatum complicatione sumptum, seruari earundem incremento maximè tale dici posset, licēt non in gradu, ac rectè sanè qualitatum incremētum à simili factum salutem Galenus vocat, & conseruationem; quoniam alteratio, passioq; qualitatis, quæ augetur, quantum est eius ratione, non est corruptio à suo cōtrario facta, sed salus potius ipsius, quatenus potentia est, vt ad plures gradus promoueatur, ab eo quod actu est, ac simile. de quo quidem alterationis genere pulchrè Philosophus secūdo de Anima disseruit, & quinto Metaphysicorum. neq; enim fortasse calor exempli gratia vt quatuor in nostris corporibus augetur, ac peruenit ad octauum gradum, demptis tātùm sibi gradibus frigoris, quibus antea coniungebatur, vt nonnulli Recentiorum existimarunt; quoniam non satis est vt priuatiua causa desit, cùm adesse oporteat positiuam; sed verè peruenit ad octauum gradum calor non solùm contrarij remissione, sed etiam sui ipsius incremento, quia potētia est, vt ad illum perueniat; atq; vt ad sūmum vsq; gradū intendatur. enimuero vt octauo Physicorū scriptū legimus. τὸ ἐνέργεια θερμὸν, κινητικὸν τοῦ δυνάμει θερμοῦ. quod est. actu calidum motiuum est calidi potētia. de qua re nonnulla etiam Galenus libro tertio de Simplicium Medicamentorū Facultatibus. Vtrum autem alia etiam ratione à contrario auctio hæc fieri dici possit, quoniam actus & potentia cōtraria esse videātur, vt tertio Metaphysicorum docebat Auerroes. Item quoniam maior calor contrarius minori videatur, sicuti exiguo igni copiosior, vt de veterum Philosophorum mente primo de Ortu, & Interitu notabat Aristoteles. ex quò & quarto Meteoron amplior calor pauciorem κρατεῖ, idest vincit. adhuc quoniā in tāgibilibus qualitatibus remissior intensioris, excedentisq; respectu, alterius extremi, contrarijq; locū tenere videatur; quod secundo de Anima Præceptor in sēsu tactus perspicuè admonuit; quo sēsu videtur pulchrè dixisse libro quarto de Plantarum Causis Theophrastus, calorem, & humorem in corporibus efficere & morbum & sanitatem, sed non tamen vt idem, sed vt altera, & cōtraria (quanquā Hippocrates, Aristoteles, & Galenus, vt paulò supra monebamus, excedentem temporis cōstitutionem, puta frigidam, in frigidum temperamentum, vt similem agere voluerunt, ac similitudinis ratione; quod Aristoteles citato Probl. loco apertè professus est, dicens statum temporis similem superueniētem interimere, ignē verò multum paucum per accidens corrumpere in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ) hac inquā de re aliàs dabitur, cùm altioris negotij sit, commodior occasio differēdi: nos enim his ambagibus relictis, & eis posthabitis, quę Cōciliator, Iacobus Foroliui-

Marginal notes: Cap. 3. — Tex. 57. — Tex. 17. — T. 31. — Cap. 2. et 8. — Com. 19. — Tex. 46. — T. 9. et 11. — Tex. 118. — Cap. 17. — Diff 116. — In Quæst. sup Thecn. 3. q. 9.

Lib. 3. Auscult. c. 8.
Contrad. Medic. l. 1. tract. 6.
Cap. 3.
Cap. 13.

liuiẽsis, Antonius Cittadinus, Hieronymus *Cardanus, ac reliqui demum recẽtiores in* hac tractanda quæstione congesserunt: quibus torquent nos, cruciantq; penè sæpius quàm docẽt; aliter ad eam ab Aristotele in Opusculo de Respiratione admoniti respõdendum in præsentia arbitramur; cuius cõsiliũ eo loco si percipiemus, omnes fortasse longè facilius profligabimus difficultates; & qua ratione anni tẽpora, & locus ad ortũ, conseruationemq; concurrant animalium, an vt similia, an vt contraria attingemus.

Quo modo anni tempora & loca ex Aristotelis sententia similitudinis, cõtrarietatisq; ratione salutem afferant animali, vel interitũ, proponitur indagandum. Empedoclis recitatur opinio. Cap. 6.

Cap. 13.

QVærens diuinus Pręceptor in Opusculo de Respiratione quam ob causam pulmo animalibus à natura datus sit, & cur quæ pulmonem habent, respirent; post nõnulla sumit tanquam sensuum fide comprobatum, in his, quæ vitam animamq; participant, vel terram dominari, vt in plantis tãquam ex terra ampliori factis; vel aquam, vt in aquatilibus; vel aerem, vt in pedestribus; vel ignem, vt in volatilibus. His positis, ac receptis, in eodem illo Opusculo sic statim sequitur. » Singula autem in proprijs locis » ordinem habẽt ipsorum. quæ profectò verba, vt Ephesius, D. Thomas, ac Leonicus rectè admonent, æquè valent ac si dixisset, singula illa genera, quę enumerauit, in quibus locis genita sunt, in illis tanquam in proprijs, ac similibus naturæ ordine degere, seruari, ac permanere: siquidẽ locis dixit Aristoteles οἰκείοις. quæ vox non solùm plus sonat quàm suum, vt rectè Scaliger in primum librum Theophrasti de Causis Plãtarum aduersus Theodorum animaduertit, sed plerunq; etiã, secus quàm ipse existimauerit, plus quàm propriũ, & idoneũ, vt hoc loco; in quo haud tantùm dicit propriũ, ac idoneum, vel ad naturam accõmodatum, vt Marcus Tullius interpretatur, sed, quod hic docet apertissimè Aristoteles οἰκεῖον locum oppones loco contrario, cõsentiens & simile; cùm alioqui posit esse & locus, & tẽpus οἰκεῖον, idest proprium, ac idoneum, sed tamen contrarium. Quod Theophrastus primo libro de Plantarum Causis pulchrè demonstrauit, vernum tempus siccis, autumnale humidis plantis, ac locis οἰκεῖον vocãs. Cùm .n. ordo ea ipsa sit, ac propria natura sensibilium, vt tertio libro de Cęlo admonemur; quæ animalia ad propria loca or*dinem habent, sanè & ad illa habent naturam; videlicet suę naturæ ratione, & consensione in locis illis & gigni, & nùtrimẽtũ* capere, & permanere exposcunt, & seruari. At enimuero huic sententiæ inter Veteres nonnulli, ac præsertim Empedocles aduersari visus est, qui piscium naturã professus est igneam, atq; idcircò detrusam in aquas ob temperãdum; quod sic Aristoteles citato loco expressit iuxta Leonici conuersionem. Empedocles autem nõ rectè dixit as- » serens calidissima animalium, & ignem ha- » bentia plurimum, aquatilia esse, naturalis » caliditatis exuperantiam declinantia; vt, » quoniam frigido & humido deficiunt, loco » ipso contraria adæquent. quod & secundo » libro de Partibus Animaliũ his quoq; verbis significauit. Etenim nonnullis aqua- » tilia terestribus esse calidiora placet; argu- » mento quòd loci frigiditate naturæ eorum » caliditas compensetur. ac post Præceptorẽ » Aristotelem Theophrastus primo libro de Plantarum Causis ita testatus est. Contra- » ria enim locis contrarijs posse perdurare » censetur; calida frigidis, frigida calidis. sic » enim principiò naturam etiam ipsam gene- » rasse omnia volũt: quasi res à suo simili per » excessum perire, à contrario seruari maxi- » mè possint, velut medio quodam exultante » temperamento; sicuti & Empedocles de a- » nimalibus inquit. quæ enim calida sunt, » hæc humidis in locis collocasse naturam as- » serit. quam eandem opinionem Menestor » quoq; non solùm in animalibus, sed etiam » in plantis vniuersis secutus est. & nõ multò » post. Vnde Empedocles ineptè illud quo- » q; asseruit, naturam scilicet ad locum hu- » moris transtulisse, quæ in arido generauit. » quem profectò Theophrasti locum perperã Antonius Cittadinus libro tertio Auscultationũ adduxit, vt ipsius probaret auctoritate conseruationem à contrarijs fieri, non à similibus; cùm hęc omnia non tàm de sua, quàm de aliorum mente proferat Theophrastus.

Cap. 2.
Cap. 26. & 27.
Cap. 8.

Aristotelis, Theophrastiq; aduersus Empedoclem affertur disputatio. Cap. 7.

QVoniam igitur isti voluerunt animalia naturam in contrarijs, nõ in proprijs ac similibus locis collocasse, vt seruarẽtur; quasi ad ea, vt dixit Aristoteles, ordinẽ non habeant; idcircò acutissimus Philosophus grauissimis rationibus hac profligata opi-

Cap. 28.
Cap. 7.
Tex. 24.

nione

sione (quod etiam loco adducto Præceptorem secutus fecit Theophrastus) vt veritatem aperiat, atq; ostendat, quo pacto verum sit similibus locis lædi animalia, contrarijs conseruari, quod Empedocles existimauit; & è contra similibus conseruari, contrarijs lædi, quod idem negauit; sic postea citato de Respiratione libello disputationem instituit secundum veterem trāslationem, cùm Leonicus in nonnullis non mihi omnino satisfaciat. De qua autem dixit causa Empedocles aliquo quidem modo habet quæsitam rationem, non tamen quod ait ille verum est. habituum enim excessus habentia loca contraria, & anni tempora conseruant; natura autem in proprijs maximè seruatur locis. non enim est idem & materia animalium, ex qua est vnumquodq;, & habitus & dispositiones ipsius. Dico autem, vt si quid ex cera constituisset natura, non vtiq; in calido ponens seruasset; neq; si quid ex glacie: corruptum enim fuisset vtiq; citò propter contrarium; liquefacit enim calidum, quod à contrario constitutum fuit. Neq; si quid ex sale, aut nitro constituisset, in humidum vtiq; ferens deposuisset; corrumpit enim humidum, quæ à sicco, & calido constituta sunt. Si igitur materia omnibus corporibus humidum & siccum, rationabiliter quę quidem ex humido constituta sunt, in humido sunt; quæ autem ex sicco in sicco. & paulò post. Naturæ igitur materiæ in quali quidem loco sunt, tales existentes sunt; quæ quidem in aqua humidæ; quæ autem in terra siccæ; quæ autem in aere calidæ. Habitus tamen qui quidem excedentes sunt caliditate, in frigido, qui autem frigiditate, in calido positi seruantur magis: reducit enim ad mensuram locus habitus excessum. Hoc igitur oportet quærere in locis proprijs vniuscuiusq; materię, & secundum permutationes communis temporis anni. habitus enim contingit locis contrarios esse, materiam autem impossibile. Hæc pulcherrimè philosophicæ sapientiæ Magister; cuius totam orationem ipsissimaq; verba, postquam de re grauissima agimus, necessariò duximus appingenda; vt hac de causa operæprecium me facturum existimem, si Theophrasti consimilem in medio ponam rursus disputationem: sic enim ipse quoq; primo libro de Plantarum Causis aduersus Empedoclem grauiter disseruit, hunc Præceptoris locum præ oculis habens. De Aquatilibus verò quæstio facilior est: res enim contraria neq; alere, neq; seruare apta est, sed similis. & paulò infra. Item quod nostris temporibus in generatione euenire sentimus, rem plenè declarat. nam vniuersum animalium plantarumq; genus tùm generari, tùm permanere suo tantùm in loco posse videmus; pariter aquatilia, & terrestria, & si quæ alia differentia est. quocirca suo quoq; affici nequeunt, contrario & aduerso affectionibus patent; vt potè cùm distractio, & permutatio magna ita accedat. Hæc igitur cum suo doctore Theophrastus; quæ quidem rectè intellecta, atq; è vetustatis tenebris eruta facilè monstrant, quo modo loca & tempora ad animalium ortum, vitam, conseruationem, salubritatem, partum, fęcunditatem, similitudinis, contrarietatisq; ratione concurrant; vt qui hæc deserentes alia tradiderunt, & veritatem in profundo demersisse, & frustra pro ea inuenienda laborasse videantur. Verùm quia Aristotelis verba difficilia sunt aliorum interpretationes pręstat expendere; vbi tamen antea grauissimam quādam dubitationem profligauerimus, quæ aduersus traditam præcedentis capitis initio ex Philosopho iuxta quatuor elementa animalium partitionem oriri videtur; præsertim cùm pulcherrimæ huius difficultatis enodatio plurimùm faciat ad intelligēdum quem ad loca ordinem animalia habeant, & qua ratione loca ipsa ad ortum, & conseruationē eorum concurrāt.

Cap. 13. — Cap. 27. (marginal notes, left column)

Quæ de Animalium per singula loca distributione dicta sunt, vocantur in dubium. plura Aristotelis loca prima facie contraria afferuntur. Cap. 8.

ARistoteles memorato de Respiratione libello, vt superius etiam tetigimus, sic scribit. Hæc enim (animantia intelligit) ex terra ampliori facta sunt, vt plantarum genus; hæc autem ex aqua, vt aquatilium; volatilium autem & pedestrium hæc quidem ex aere, illa autem ex igne: singula autem in proprijs locis ordinem habent ipsorum. At enimuero hanc sententiam, quę pro elemētorum numero, & ordine animantia distribuit, meritò quispiam ex innumeris alijs Philosophi locis vocabit in dubium. Primùm enim tertio de Animalium Ortu hanc ipsam partitionem apertissimis verbis ipse reijcit, volens in terra, aqua, & aere tantùm animantium fieri generationem, ideoq; tria tantùm illorum genera his tribus elementis proportione respōdētia inueniri, quartum nequaquam in hac sublunari regione: (Cap. 11.)

sic

sic enim scribit. Plantas enim terræ incolas quispiam sic statuerit; aquæ aquatile animalium genus; aeris pedestre; sed quod magis minusuè, & remotius, aut proprius res constet, magna miraq; differentia existit. Quartum genus non his locis quærendum est, quanquam aliquid esse exigit ordine ignis; id enim quartum corpus enumeratur. Verùm ignis semper formam non propriam habere videtur, sed in alio corpore: aut enim aer aut fumus, aut terra esse videtur quod ignitum est. Sed enim genus hoc apud Lunam quęrendum est; hęc enim quartam illam distantiam adipisci videtur. Sed de his aliàs. Hæc ille; quibus quartum illud genus ex ampliori igni factū, quod in Opusculo de Respiratione cōcedit, videtur omnino sustulisse. qui locus altera etiam de causa omnes Peripateticos & superioribus tēporibus diutissimè torsit, & nunc acriter angit: putant enim omnes, vt apud Philopponum, ac Suessanum videre est, eū per quartum genus animalium quod in igne versatur circa ipsam Lunam, dęmones intelligere: quos quidem concedere videtur, cùm dicat hoc genus quęrendum esse circa Lunam. ex quò & Suessanus locum hunc explicans ita scribit. Quanquā aliquid esse & c. idest quanquam quartum genus animalium, quod dęmonum dicitur, exigit esse, idest necessarium sit ponere ordine ignis; non enim debet ignis vacare aliquo genere animalium. Immò debet habere genus animalium cęteris generibus excellētius, sicuti ignis ipse cunctis elemētis præstat. id enim scilicet ignis, & quartum corporum enumeratur, & sic genus animalium, quod elemento igneo cōuenit, quartum genus animalium est enumerandum, vt sit dęmonium. cùm tamen inter Peripateticos constet nec de dæmonibus Aristotelem saltem apertè fecisse vllo in loco mentionem, nec dęmones iuxta illius naturalia principia fortasse concedi posse; quod idem Suessanus, non animaduertens paucis interiectis verbis cum semetipso atrociter pugnare, sic apertè fassus est. Aristoteles tamē dicit, sed de his alius sermo erit; quibus cùm ex Platonis opinione sint, Aristoteles nequaquam assentiri videtur. causa est, quoniam nihil potest ponere doctrinaliter Peripateticus, quin illud ex motu, vel operatione omnibus manifesta deducat. si enim Aristoteles dæmones non ponit, si ponere dęmones illius principijs aduersatur; quo pacto dicere hoc loco ipse potuit, vt explicauit Suessanus, necessarium esse dęmones

sic

ponere? hæc enim inter se mirificè pugnare nemo non videt. sed ad nostra redeamus. Deinde, quod magis est, non solùm eodem de Respiratione libello, sed eodem capite *Cap. 13.* quadruplicem hanc animantium diuisionē reijcere videtur; siquidem non multò post ita loquitur. Naturæ igitur materiæ in quali quidem loco sunt, tales existentes sunt; quæ quidem in aqua humidæ, quæ autem in terra siccæ, quæ autem in aere calidæ. At enimuero paulò supra materiæ naturam igni respondentem numerabat. Præterea, quod mirum alicui magis esse debet, eodem loco non amplius tria, sed duo tantùm facere videtur genera animantium, quia duæ tantùm materiæ omnium corporum existant, siccum videlicet, ac humidū. Verba hæc sunt. Si igitur materia omnibus corporibus humidum & siccum, rationabiliter quæ quidem ex humido constituta sunt, in humido sunt; quæ autem ex sicco, in sicco. Propter hoc arbores non in aqua nascuntur, sed in terra. quam sententiam quarto Meteoron *T. 28.* verbis adeò perspicuis videmus decantatam, vt nullus relinquatur locus dubitādi; ita enim habet Philosophi oratio loco illo. Dicuntur autem elementorum proprijssimè siccum quidem terræ, humidum autem aquæ. Propter hoc omnia terminata corpora hîc non sine aqua & terra; cuiuscunq; autem plus secundum potentiam, huius vnumquodq; videtur. & in terra, & in aqua animalia solùm sunt; in aere autem, & in igne non sunt; quia corporum materia hæc. Atqui in Opusculo de Respiratione loco memorato in aere etiam, & in igne animalia esse dixit; ac paulò post, tùm etiam tertio de Animalium Ortu saltem si non in igne, in aere existere, non solùm in aqua & terra. Quanquam si vera sunt, quæ in Meteoris habentur *Cap. 11.*, videlicet quod elementum in ortu redundarit, ad illud animal pertinere; non minor ex secundo de Ortu, & Interitu oritur difficultas. quo loco, sicut etiam primo libro de Cœlo, omnia perfecta mixta à *Tex. 49.* prędominio terrea esse statuit: siquidem inquit. *T. 7. et 8.* Terra inest omnibus, quia vnumquodq; est maximè & multum in proprio loco. vt hac de causa vnicum tantùm genus animantium videatur constituendum, quod ad terram tanquam ad proprium locum ordinem habeat.

Alia

Alia nonnulla pugnantia loca offeruntur. Pomponatij & Buccaferrei in D. Thomam adducitur reprahensio. Cap. 9.

QVid igitur? num in his tùm sententiarum asperitatibus, tùm dictorum repugnantijs nil videmus? nil sapimus? & sanè nulla fortasse res est, in qua maiorem Philosophus ostenderit varietatem: nam eodem Opusculo de Respiratione quarto capite Animalia in aquatilia tantùm & aerea partiri videtur; dicit enim. Animalium autẽ quoniam hęc quidem sunt aquatilia, hæc autem in aere degunt. Mox vndecimo capite in aquatilia tantùm, & terrestria. quam diuisionem primo libro Historiarum sequitur. At eiusdem operis octauo in pedestria, & aquatilia; vt dissensionum plena esse omnia videantur. Interpretes igitur loca secundi de Ortu & Interitu, & quarti Meteoron expendentes in eo tantùm positi sunt, vt quærant, an verum sit mixta omnia & animalia à prędominio esse terrea, an etiam aquea. reliquas autem, quas supra adduximus, difficultates, quæ ex tàm diuersis, tàm contrarijs Philosophi dictis oriuntur, has inquam grauissimas, quas ex tot sententiarum repugnantijs excipiunt plagas, silentio ferunt. inter quos Pomponatius, ac Buccaferreus summæ eruditionis viri, ac superiori ætate in peripatetica schola philosophi insignes, dicunt Albertum, Aegidium, sed præsertim D. Thomam auctoritate secundi de Ortu, & Interitu permotos, mixta omnia & animalia à prædominio esse terrea existimasse; cùm verò Philosophus alibi dicit aquea esse, vel aerea, non simpliciter & absolutè loqui, sed comparatè; idq; non ad elementa inter se, sed ad alia mixta & animalia, quæ non tantum de aere, aut aqua habent: adeò vt omne mixtum à prædominio terreum esse velit, quoniam plus de terra habet quàm de aliquo alio elemento; sed dicat esse vel aereum, vel aqueum alterius mixti comparatione, quod minus possidet horum elementorum: atq; huiusmodi sententiam apertè D. Thomam præter alia loca secundo Sententiarum inquiunt proferre. Opinionem hanc Pomponatius in Dubitationibus super quarto Meteoron duabus rationibus aggreditur profligandam; primò quia Aristoteles manifestè comparat aquã cum terra, ideoq; elementum cum elemento, non mixta cum mixtis; secundò quia & vinum, & mel, & similia à prædominio aquea, vt etiam Alexander affirmauit, esse apparent. similiq; vtitur Buccaferrea argumentatione, addens vitales spiritus à prædominio esse aereos, ideoq; mixtorum alia in terra, quia à prædominio terrea sint, vt gressilia animalia, alia in aqua, in aere alia locari; nec verum esse Aristotelem secundo de Ortu, & Interitu asserere omnia mixta à prædominio terrea existere: hoc enim Ioannem Grammaticum, ac Auerroem addidisse; sed affirmasse tantùm mixta omnia, quæ circa medium totius quiescunt, ac feriantur, ex quatuor elementis constare. Fuerunt alij, qui, vt Pomponatius refert, propositionem hanc, quòd in terra tantùm, & aqua animalia existant, intelligendam esse dicerent secundum habitudinem loci ad locatum, idq; non absolutè, sed quiescentis in loco, & residentis ratione; nimirum quia animal duos habeat motus, alium naturalem ex prædominanti elemento, alium voluntarium; naturalis verò ratione ad aquam tantùm, vel terram moueatur: ex quò & si animal mortuum esset, vel dormiens, semper ad alterum tantùm horum motum haberet. Verùm resistit Pomponatius, quia sic pisces quiescerent in aqua, cùm somnum capiunt, quod est falsum, vt quarto de Animalium Historia est manifestum; quo loco inquit Aristoteles moueri ad terram pisces, quin & in arena se condere, cùm dormire volunt; item quia motus piscium in aqua videatur voluntarius; demum quia si moriuntur, merguntur in profundum, & ad terram cadunt. Quare Alexandri sequendam esse dicit opinionem, qui animalia in terra tantùm, & aqua esse, quoad nutrimentum dictum esse accipit, quoniam ex ijsdem sumus, & nutrimur: animalia verò omnia, sicuti ex aqueo & terreo componuntur, sic aqueo & terreo nutriuntur.

Cap. 1.
Cap. 1. et 2.
Dist. 15. q. 2. in resp. ad tertiam.
Dub. 58.
In Com. sup 4. Meteorõ.
Dub. 59.
Cap. 10.

Mens D. Thomæ explicatur. Cap. 10.

HAec ille; sed quoniam difficultas multa est, ac longior quidem foret oratio, si omnia hoc loco disputare vellem; duo tãtùm breuissimè percurram. Primùm, si potero, D. Thomam ab horum repræhensionibus vendicabo. Secundò quid mihi dicendum videatur, vt omnis ex Philosophi dictis tollatur contrarietas, conabor aperire; simul etiam attingens si quid meo iudicio malè tutum ab illis ponatur, ac nutabundũ. Quod igitur pertinet ad D. Thomam, certum est ipsum in Commentarijs super Opusculo de Respiratione Philosophi sentẽtiam illam de Animalium iuxta elemento-

rum

rum numerum partitione tanquam vero
» consentaneam recipere; Scribit enim. Vi-
» demus enim quædam, quæ sunt terræ à
» dominio, quædam quæ aquæ, quædam ae-
» ris, & quædam ignis. terræ à dominio sunt
» plantæ magis; aquæ sunt aquatilia; volati-
» lium autem & campestrium quædam sunt
» aeris, quædam ignis. & videmus quædam
» morari sub terra, quædam supra, quædam
» in aquis, quædam vt plurimùm in aere. I-
» starum autem passionum in istis causa sunt
» elementa, ex quibus cõponuntur; ita quòd
» in illis, in quibus terra dominatur, & qua-
» litas terræ magis dominatur; in quibus a-
» qua, qualitas aquæ dominatur; & sic de a-
» lijs. Hæc vir sanctißimus; quibus non cõ-
paratè, sed simpliciter & alterius ad alte-
rum elementum comparatione, non alteri-
us animalis ad alterum, animalia vel terrea,
vel aquea, vel aerea esse definit, vel ignea:
adeò tamen vt dominium penes qualitatem
elementi attendendum esse velit. Item
in explicatione verborum quarti Meteo-
ron nullum facit verbum de ea interpreta-
tione, quam Pomponatius, ac Buccaferrea
illi imponunt; quin potius totus est vt o-
stendat quo modo animalia ob qualitatem
passiuam, quæ in illis dominatur, & ob nu-
tritionem ad aquam tantùm, ac terram or-
dinem habeant. Sed quoniam id ex secun-
do Sententiarum colligere profitentur, vi-
deamus an hoc verè loco illo D. Thomas
scripserit. Quærens diuinus vir decima
quinta Distinctione vtrũ animaliũ alia ex
terra, alia ex aqua materiam sumpserint, a-
deò vt alterum horum elementorum alterũ
dicatur superare; vt hanc pulcherrimam
dissoluat quæstionem, præmittit elementũ
dominari in aliquo corpore, dupliciter esse
intelligendum; vel secundum suum genus,
vel quantum ad id quod est proprium illi
» corpori in genere illo. Respondeo (inquit)
» dicendum quòd elementum prædominari
» in aliquo corpore potest intelligi duplici-
» ter; vel secundum suum genus; vel quantũ
» ad id, quod est proprium illi corpori in ge-
» nere illo. quæ duo infra in responsione ad
tertium, quod ad animalia pertinet, com-
plexionem eorum propriam, & complexio-
nem debitam communi generi videtur ap-
pellasse. Quid autem per complexionem
propriam, & generis communem intelle-
xerit; vel per corpus secundum suum ge-
nus consideratum, aut quantum ad id quod
est ei proprium in illo genere existenti, nõ
est fortasse omnino difficile assequi, si ea
ponderemus, quæ prima parte Summæ de

Quæst. 2. art. 1.

Quæst. 7. art. 1.

eadem re scripta ab eo inueniuntur: quo
loco habemus animalium corpora duplici-
ter considerari posse; vno modo secundum
se, dixerim ego quatenus mixta sunt cor-
pora: atq; hoc vocat ipse (nisi fallor) secun-
do Sententiarum complexionem generis
communem, & corpus secundum suum ge-
nus consideratum; quo pacto necesse est, in
eis terrestre elementum imperium tenere,
quoniam, vt mixtionis fiat temperatio in
animalis corpore, necesse est, vt secundum
quantitatem abundet in eo elementum,
quod minoris est actionis, videlicet terra.
alio modo quatenus diuersis talibusq; mo-
tionibus cieri sunt apta; dixeris quatenus
propriam recipiunt temperationem, per
quam in propria specie collocantur. quo
pacto ad corpora, in quibus degunt, & mo-
uentur, habent affinitatem. quod meo
quidem iudicio complexionem animalium
propriam secundo Sententiarum nomina-
uit. quo loco eandem sententiam his ver-
bis videtur explicasse. Dico ergo, quòd si »
loquitur de elemento prædominãte in cor- »
pore animalis quantum ad complexionem »
consequentem ipsum genus, oportet quòd »
elementa grosiora secundum quantitatem »
excedant elementa subtiliora, quæ tamen »
excedunt secundum virtutem. »

Vberius D. Thomæ mens explicatur; Pomponatiusq; & Buccaferrea reijciuntur. Cap. II.

HAec igitur D. Thomas; cuius rei cau-
sam reddit, quoniam animalium cor-
pora debent esse alijs temperatiora, vt ma-
gis à contrarijs remota per æqualitatem
complexionis, atq; hoc modo naturæ cor-
poris cęlestis reddita quàm simillima, per-
fectionem formamq; similem virtuti, quæ
mouet illud, nanciscantur. ex quò & sic
concludit. Oportet inferiora elementa, »
quæ sunt minus actiua, eò quòd habent »
plus de materia & minus de forma, secun- »
dum quantitatem excedere; vt virtutis de- »
fectum suppleat quantitatis excessus. Sed »
tamen complexio, in qua saluatur natura »
animalis, habet multas diuersitates. & secũ- »
dum quod accedit ad vnũ extremum, vel ad »
alterum, dicitur in altero dominari hoc, »
vel illud elementum. Hæc ille; quo loco »
videmus quod in prima parte Summæ de
sola terra dixerat, quod etiam fecerat se-
cundo de Ortu & Interitu, hic ad aquam
etiam extendere; cùm non vnum elementum, sed elementa grosiora, duo scilicet
terram & aquam dominari asserat secundũ
quan-

Tex. 49.

quantitatem. Item videmus non quidem animal cum animali comparare, vt perperã Pomponatius, ac Buccaferrea crediderunt, sed animalia cum mixto corpore, & specierum complexionem conferre cum generis complexione; & complexionis eius ratione, quæ generi communi debetur, omnia animalia à prædominio vel aqua, vel terrea esse velle; idq; secundum quantitatem: propriæ verò complexionis ratione ignea, aereaq; à prædominio dici posse; idq; secundum virtutem. quam distinctionem pulchrè quarto Meteoron significauit Aristoteles, cùm dixit, vtrius plus secundum virtutem habuerint, ad illud pertinere. Hanc verò esse mentem D. Thomæ, ipsius verba secundo Sentent. monstrant apertissimè, quæ in responsione ad tertium ita habent. » Ad tertium dicendum, quòd in corporibus » omnium animalium simpliciter dominatur » terra secundum quantitatem, eò quòd aqua » est quasi continuans partes, vt non commu» nionem, sed commixtionem faciant; sed » illa animalia, quæ plus habent de aqua alijs » animalibus, dicuntur ex aqua constare, pé» sata eorum propria complexione secũdum » comparationem ad complexionem debi» tam generi communi. Hæc D. Thomas; quibus omnino perspicuè comparationem inter complexionem generis, corporis videlicet mixti, & animalium; non inter animalia ipsa faciendam esse statuit. quæ si vera sunt, ruant omnia necesse est, quæ viri illi alioqui eruditissimi D. Thomæ imposuerunt. Nam primùm falsum erit, animalia omnia simpliciter à prædominio terrea esse illum asseruisse; cùm talia simpliciter secundum quantitatem tantùm esse posuerit, non simpliciter secundum quantitatem & qualitatem. Secundò falsum erit animalia comparatione aliorum animalium, quæ minus aquæ habent, à prædominio aquea ipsum appellare; & de reliquis elemẽtis idem iudicium: cùm & secundum virtutem, propriæ complexionis habita ratione, & sic propriè ac simpliciter elementorum inter se comparatione aquea, aerea, ignea animalia esse à prædominio, ac verè dici posse existimauerit. quare aduersus illum fabricatæ rationes nihil obsunt. vt prætercam non adeò clarum esse quod inquit Buccaferrea secundo libro de Ortu, & Interitu ex Aristotelis verbis non haberi, terram reliqua elementa superare. Enimuero inquit Philosophus, animalia ex terra constare, quia vnumquodq; & maximè, & plurimùm sit in proprio loco; at si maximè, & plurimum in ortu animalium terra existit, ergo & maiori copia. Pari facilitate pleraq; alia refelli possunt, à quibus nunc consultò supersedeo; illud tantùm adijciẽs, quam tribuit Alexandro sententiam Pomponatius, nec eius quidem vmbram in ipsius Commentarijs inueniri; cùm non causa nutritionis animalia in aqua & terra tantùm esse Aristotelem voluisse dicat Alexander; sed quia, si animal gignendum est, materiam subesse oportet, materia autem sua natura sit passiuum, passiua autem sint humidum & siccum, demum humidum & siccum sint terra, & aqua; propterea ortum quoq; volatilium, quæ ad aerem ordinem habent, in terra fieri.

Tex. 28.

Tex. 49.

Nonnulla ad Aristotelis sententiam explicandam necessaria præmittuntur. Cap. 12.

SEd amabò prætermittamus eas rationes, quæ ex coniectura pendent, & quæ disputationibus huc & illuc trahuntur, nec vllam adhibent persuadendi necessitatem; naturaq; ipsa ducti, & Aristotelis verbis admoniti, veram, si possumus, quæstionis huius dissolutionem afferamus. Dicimus igitur, vt docta sententia est, & tanto Præceptore digna, octauo de Animalium Historia pulchrè ab eo explicata; animalia triplici de causa per loca distribui, atq; terrestria, vel aquatilia, adiungamus, si placet, etiam aerea, & ignea appellari: aut ob tẽperamentum; aut quia aerem suscipiant, vel aquam refrigerationis gratia; aut demũ quia cibum ex his locis perant: quanquam hoc postremum, vt idem satis clarè innuit, ex priori, videlicet ex temperamento pendere videatur. Vocauit autem temperamẽtum ibi Aristoteles, idest κρᾶσιν, vt græcũ habet exemplar, non quidem complexionẽ, habitum, vel dispositionem materiæ, ex qua formatur animal; sed mixtionem ipsam elementorum, quæ gignendo animali subijciuntur vt materia; & materiam ipsam animalis, quatenus quatuor elementa complectitur simul mixta & sociata. quam etiam elementorum mixtionem primo de Ortu, & Interitu temperamentum videtur appellasse. Diximus autem postremum illud ad cibum pertinens ex mixtione, temperamentoq; ortum ducere, quoniam, vt idem acutè memorato octaui Historiarum loco scribit, generatione suæ constitutionis materia tali participant animalia, qualem sibi in cibo assumunt; adeò vt potissimum materiæ ratione, ex qua, ipsa quæ alitur

Cap. 1. et 2.

Tex. 86.

tur consistunt, cibi differant; cùm ex ijsdem nutriamur & simus, vt toties idem admonuit. Cùm igitur animalium materia quatuor sint elementa, siue, vt magis placet secũdo de Partibus Animalium Aristoteli, potestates, principiaq; elementorum, idest humiditas, siccitas, frigiditas, & caliditas; quod etiam in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ habemus; hæc verò in mixtione variè temperata vel excedant, vel deficiant; pro horum redundantia, & quẽadmodum in Opusculo de Respiratione vocat Aristoteles, pro materiæ excessu, ad varia loca, idest ad alterum quatuor elementorum, animalia, seu communiori vocabulo viuentia dicere velimus, ordinem recipiunt. quanquam, cùm ex his quatuor enumeratis duo passiua sint, siccum videlicet ac humidum, ac proinde maximè materiæ subeant rationem, cuius proprium est vt patiatur, inter elementa verò proprijssimè siccum quidem terræ, humidum aquæ videatur conuenire, vt quarto Meteoron scripsit Aristoteles, pro horum præsertim excessu materię potissimum excessus interdum à Philosopho consideratur. quo autem modo dicantur elementa, vel illorum potestates, ac principia in animantis corpore imperare, alterumq; alterum vincere, vt plenissimè à nobis intelligatur, altera prius quæstio illa omnium longè difficillima propter contrarias grauissimorum virorum opiniones ventilanda esset, an in mixto corpore ipsa elemẽta formaliter maneant, an virtualiter; quam tamen, cùm lõgioris sit negotij, in præsentia consultò prætermittimus; hoc tantùm satis esse instituto nostro arbitrantes, si dicamus, quoquo modo quæstionis huius sensus accipiatur, intelligendum esse, dupliciter elementa, vel eorum facultates excedere in corporis alicuius mixtione, & superare; vel mole, & quantitate; vel qualitate, ac virtute; cùm, vt secundo, ac tertio de Partibus Animalium scriptum legimus, quod superat ac excedit, his duobus modis superare videatur, & excedere.

Cap. 1.

Cap. 3.

Tex. 28.

Cap. 5.

Aristotelis sententia enarratur. Cap. 13.

HOc igitur iacto fundamento, iam satis elucet, qua ratione in Opusculo de Respiratione Aristoteles pro quatuor elementorum numero quatuor animantium genera posuerit; qua rursus ratione & eodem libello, & alibi modò tria tantùm genera, modò duo tantùm videatur recepisse, quod sanè Philosophi artificium, atq; in animantibus per singula loca distribuendis consilium, qui non intellexerit, totam secum putabit ipsius pugnare orationem. cùm enim in animantium materia possit frigidum & siccum redundare; vel frigidum & humidum; item calidum, & humidum, vel calidum & siccum; perspicuum est hinc eorundem ordinem ad elementa quatuor, ac relationem exoriri: cuius rei causa Aristoteles quatuor animantium genera memorato de Respiratione Opusculo constituit, elementis quatuor proportione respondẽtia. si enim frigiditatis, & siccitatis excessus in materia adsit, quod temperamentum terræ proprium est, genus oritur terræ respondens, videlicet plantarum tanquã ex ampliori terra procreatum; si frigiditatis & humiditatis, quoniam id aquę est proprium, piscium genus, & aquatilium constituitur tanquam ex ampliori aqua factum; quod Aristoteles adducto loco his verbis, vt græcum habet exemplar, apertè demonstrauit, quæ sic ego interpretor. Si igitur » materia omnibus corporibus humidum est, » & siccum; rationabiliter quæ ex humido, & » frigido constituta sunt, in humidis existũt; » & si frigida sunt in frigidis. quod etiam tertio libro de Animalium Ortu confirmauit ita scribens. Quæ iam sua natura frigida inter ouipara, ea longè humidiora » constant, quale genus piscium est. quod » quidem si ita est, frustra nonnulli timent recentiores, aquæ frigiditatem, nisi ratione sociæ humiditatis obtunderetur, non exiguam piscibus noxam fuisse allaturam; cùm aliud sit in materia excessus, aliud in complexione, vt infra suo loco explicabimus. Addidit autem. & si frigida sunt, » quoniam cum humore coniungi calor potest; quo pacto tertium genus efficitur aeri respondens, tanquam ampliorem eius copiam participans; cùm natura humidus & calidus Aristoteli aer existat: quod quidem genus pedestre Philosophus vocat, atq; à volatili distinguit, quod etiam primo fecit Historiarum libro, quia de illis intelligit animalibus, quæ pedes tantùm non alas habent; nimirum quoniam id genus natura sit humidiore, & calidiore; aues autem sicciore & calidiore: quod temperamentum cùm ignis sit proprium, meritò volatile genus ad ignem referri inquit, & ordinem habere, atq; huic elemento respondere: quòd enim aues ficciore natura sint & calidiore, secundo libro de Animalium Ortu perspicuè docuit Aristoteles, ita de illis

Cap. 1.

Cap. 1.

Cap. 1.

" scribens. Quæ autem calidiora quidem
" sunt propter pulmonem, sed natura con-
" stant ficciore. & paulò post. Nam & aues,
" & cortice intecta calore suo perficiunt, sed
" præ siccitate ouum pariunt. Hinc paulò infra in Opusculo de Respiratione (quod secundo loco considerandum afferebamus) naturas calidas aeri tribuit: intellexit .n. aeris nomine non solùm humidam ipsius & calidam partem, quæ propriè aer est, ac dici meretur, sed ipsius etiam partem ficciorem. Nam & propterea, vt vtrunq; comprehenderet genus, calidas tantùm naturas dixit illi conuenire, nec humidas adiecit: est enim aer ad alia elementa ignis, vt in Opusculo de Longitudine & Breuitate Vitæ scriptum legimus; atq;, vt primo Meteoron patet, non parum siccæ naturæ in eo continetur. quod etiam vigesima quinta Quæst. quærens cur terra & aqua putreant, aer & ignis non putreant, his verbis Aristoteles significauit. An quia refrigerari prius oportet quod putredinem concepturum est? ignis autem calidissimus semper est; aer verò igne refertus est. quare verbis illis quadruplicem supra positam animantium diuisionem comprehendit. Hinc quod tertio loco obijciebamus eadē responsione profligatur: humidum enim & siccum tantùm ponit verbis illis Aristoteles (quanquam in græco contextu, vt vidimus, frigidum etiam adiungitur) quoniā hæc duo materiam nobis potissimum designant; materiam inquam, quæ aquam dicit ac terram; quæ duo elementa in omnium animantium generatione mole superant; vnde in terra tantùm & aqua fit generatio illorum etiam animalium, quæ vel aeri, vel igni sua natura respondent: quod de auibus quarto Meteoron affirmauit Alexander; atq; hoc est quod eo loco voluit Præceptor. præterquàmquòd & sicci nomine non solùm frigidum, sed calidum quoq; potuit intelligere; humidi nomine non solùm frigidum, sed etiam calidum; & ideo quatuor elementa nihilominus significare. quare & hoc quoq; in loco nulla est dissensio. quo autem pacto in illis animalium generibus, quæ aeri & igni respondent, hæc duo elementa dicat Aristoteles prępollere, inquiēs ex ampliori aere, & igni esse constituta; cùm tamen, si moriantur, nec animali moueantur motu, deorsum tendant; vt aquā, vel terram etiam tantùm in illis superare sit necesse, quoniam id longiorem requirit indagationem, alio loco disputabimus.

Cap. 3. Cap. 4. Prob. 20.

Aliæ tolluntur ex Aristotelis dictis contrarietates, ipsius verba tertij de Ortu Animalium enarranda proponuntur. Cap. 14.

Eadem via alijs auctoritatibus quarto loco positis resistimus: plurimùm .n. terræ dixit mixtis inesse omnibus, proindeq; animalibus; sed (quod Buccaferreæ placuisse video) non tamen plus huius elementi quàm aliorum. Deinde (quod magis mihi placet) non declarauit an mole, seu virtute terram in mixtione reliqua superare elementa intellexerit. Simili modo (quod quintò obijciebamus & postremò) in Opusculo de Respiratione tertio capite in aerea, & aquatilia, animalia seiunxit, refrigerationem ipsam respiciens; aereorūq; nomine calidiora & humidiora. item calidiora & ficciora intellexit; quæ ob ampliorem caloris copiam, vt refrigerentur, aere indigent, nec satis illis aqua esse potest: cùm enim vel ex aqua, vel ex aere animalibus refrigeratio oriatur, idcircò in aere tātùm, vel aqua degere animalia dixit: itaq; in Philosophi oratione nulla est diuersitas. Eodem sensu reliqua, quæ adducebantur, intelligenda sunt. vndecimo enim capite Opusculi de Respiratione, & primo libro Historiarum generalissima diuisione vsus animalia in terrestria, & aquatilia partitus est, quoniam terrestrium nomine, vt pulchrè memorato primi Historiarum libro ipse docet terrestria in volucres & pedestria seiungens, ea etiam comprehenduntur, quæ ad aerem ordinem habent, cùm aer terram ambiat; quin etiam & illa, quæ aeri, prout ignis gerit similitudinem, respondent, idest ficciorem aerem sua natura exposcunt, & calidiorem. à qua quidem diuisione non dissentiunt illa, quæ eiusdem operis octauo scripta inueniuntur; quoniā Aristoteli idem sæpè est pedestre, quod & terrestre; cùm pedestre ferè omne animal terrestre sit necessariò, quod quarto de Partibus Animalium sic ipse significauit. Pedum enim additio vtilis est ad motum, qui in pedo, hoc est solo agatur: vnde & nomen inditum pedibus est. Restant nunc ea dirimenda, quæ ex libro tertio de Animaliū Ortu principiò in aciem deducebamus; quę tanquam longè difficiliora reliquimus postremo loco enodanda. Mihi igitur crebrò hac de re cogitanti duplex occurrit via, qua ab oscitantia, & contrarietate Philosophū tueamur; qui acutius cernunt, dabunt meliora. oculatissimus Aristoteles (vt ad primam viam digitum intendamus) cùm videret

Cap. 13.

ret se in Opusculo de Respiratione animátium genera pro elementorum numero distribuisse; quod verò dixerat dari quartum quasi ex ampliori igni factum, quod ad ignem ipsum ordinem habeat, non exiguam continere difficultatem; cùm qua ratione id verum esse possit, non appareat: idcircò in libris de Animalium Ortu, in præsenti videlicet locò, occasione arrepta, vt omnẽ tollat difficultatem, obscurissimè tamen vt solet, aggreditur explicandum, quo sensu id oporteat intelligere, quod de animaliũ ad ignis elementum ordine antea decreuerat. neq; enim fortasse libellus de Respiratione post libros de Animalium Partibus legendus est, vt nonnullis placet, sed, vt sępissimè Aristoteles videtur admonuisse, ante illos est collocandus; qua de re aliàs dabitur occasio disserendi. & cùm libros de Animalium Partibus dico, eos etiam, qui de partibus ortui delegatis disserunt, Aristotelico more intelligo. Quòd si libros de Partibus Animalium à libris de Animalium Ortu seiungentes, istorumq; blandientes opinioni, libellum de Respiratione sequi libros de Partibus dicere velimus: certè negare non possumus, cùm libros de Anima post libros de Partibus ante libros de Animaliũ Ortu legendos esse isti decreuerint, cùm postea adiecerunt, hunc de Respiratione libellum post librum de Animalium Ortu esse collocandum, pugnantia eos posuisse; eò quòd apertissimo Aristotelis testimonio initio Opusculi de Sensu & Sensili, post libros de Anima & de Sensu tractationem, de quatuor illis syzygijs, videlicet de Somno & Vigilia, de Iuuentute & Senectute, de Expiratione & Respiratione, de Vita & Morte sit agendum. quo modo ante libros de Animalium Ortu, de Respiratione libellum esse collocãdum, nemo non videt. Demum si quis acrius instet, etiam post libros de Ortu Animalium hoc Opusculum legendum esse; dicemus, quod de Animalium ad quatuor elementa ordine dictum obscurius tertio libro ab Aristotele fuerat, clarius in Opusculo de Respiratione; vt omnis tolleretur difficultas, ab eodem fuisse explicatum. Sed ad nostra redeamus; dicebamus enim Philosophum, occasione hoc loco arrepta, quomodo quod de quarti animalium generis ordine ad ignis elementum memorato dixerat Opusculo, veniat intelligendum, explicare. occasio est, quoniam de testatorum generatione agens, docensq; cum plantis hęc habere proportionem, quasi aquatiles plãtæ ostrea dici mereantur; vt id non absq; ratione euenire ostendat, sumit mare, in quo hæc generantur, cùm corpulentum calidumq; sit sua natura, omnium elementorum esse particeps: terram enim & aquam participare euidens est; item & aliquo modo ignem ob calidam naturam; quare spiritum idem & aerem necessariò habere oportet, cùm humorẽ habeat & calorẽ, quę duo naturã aeris constituunt, tùm etiã quia calor in humorem agit, & in spiritum conuertit. at si omnium mare particeps est elementorum, iure & animantia omnia participat, quæ in illis oriuntur, proindeq; & testata; quæ cum plantis habentia proportionem animantibus illis respondent, quæ in terra generantur. Nam & sic concludit Aristoteles. Mare autem humidum multòq; corpulentius aqua potulenta est; atq; etiam sua natura calidum est, ac particeps omnium partium, videlicet humoris, spiritus, & terræ. itaq; omnia adipiscitur, quæ singulis his locis gignuntur. plãtas enim terræ incolas quispiam esse statuerit; aquæ aquatile genus; aeris pedestre. Posuimus autem non aeris, vt Theodorus, sed spiritus mare esse particeps græco contextui consentientes, vt ignem (quod voluisse Aristotelem arbitror) oratio comprehenderet. cęteroqui non omnium partium, videlicet non omnium elementorum Philosophus mare faceret particeps, sed trium tantùm; quod perspicuè tamen ponit his verbis. ϰ̀ κεκοινώνηκε πάντων τῶν μορίων. idest & partium omnium, cunctorũ scilicet elementorum particeps est.

Aristotelis scopus loco memorato aperitur.
Cap. 15.

AT his positis sequitur iurè & meritò mare quatuor animãtium genera participare: quatenus enim humoris particeps aquatilia & pisces possidet; quatenus aeris particeps est, pedestria; quod inter cętera marinus vitulus ostendit: qui degit quidem in fluuido, victumq; inde emolitur, sed aerem non humorem recipit, & foris parere solet. item quatenus terræ est particeps (quod potissimum erat Aristoteli consilium ostendere) plantis aliqua proportione respondentia habet, scilicet ipsa ostrea; quæ quasi aquatiles plantæ esse videntur. Verùm quoniam de quarto animantium genere, quod ad ignem ordinem habet, restabat dubitatio (nam & ignis etiam mare esse particeps, scilicet cali-

dæ

dæ naturæ Aristoteles posuit) quod quidé genus mare participare nulla esse videtur ratio, quæ suadeat; propterea diuinus Philosophus, vt hoc ostendat, vt hanc è medio tollat dubitationem, vt simul aperiat, quo modo intelligendum sit quartum hoc genus in hoc nostro Orbe, quin etiam & in mari reperiri; cùm plantas terræ, aquatilia aquæ, pedestria aeri tribuisset, docere aggreditur huiusmodi genus quartum, quod in Opusculo de Respiratione igni dedicauerat, apud nos quidem inueniri; sed non tamen perfectè & exactè, sed potius similitudine quadam; adeò vt sub genere tertio aliquo modo comprehendatur. itaq; & statim ita subiungit. τὸ δὲ τέταρτον γένος οὐκ ἐπὶ τούτων δεῖ ζητεῖν, καίτοι βούλεταί γε τι κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς εἶναι τάξιν. τοῦτο γὰρ καὶ τέταρτον ἀριθμεῖται τῶν σωμάτων. quorum verborum meo quidem iudicio sententia est, quartum genus animalium, quod in separato ac impermixto ferè igne degat, vel existat, vt plantę in terra sunt, aquatilia in aqua degunt, pedestria in aere, tantamq; habeat cum igne consensionem, in hac sublunari plaga non esse quærendum; quanquam in ea aliquod sit genus, quod esse affectet secundum ordinem ignis; ideoq;, quantùm res ipsa patitur, quartum hoc genus constituat animalium igni respondens, sicuti ignis quartus elementorum adnumeratur. quæ quidem verba propter aues ac volatilia dicta esse, quæ tanquam calida & sicca natura, quartum cõstituere genus ex ampliori igni factum, ideoq; ad ignem ordinem habere in Opusculo de Respiratione iampridem dixerat, nemo est, qui non videat. nam & hoc perspicuè sonant verba illa. καίτοι βούλεταί γε τὶ κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς εἶναι τάξιν. idest, tametsi aliquid esse affectat secundum ordinem ignis. quæ respondent ijs, quæ libello de Respiratione habẽtur, quibus ad singula loca & elementa quatuor animalium genera ordinẽ habere, sic docet Aristoteles. ἕκαστα δ' ἐν τοῖς οἰκείοις τόποις ἔχει τάξιν αὐτῶν. idest. singula autem ipsorum (scilicet quatuor generum, quæ enumerauimus) in proprijs locis, scilicet ad quatuor elementa ordinem habent. quare & altera illa, quæ paulò post sequuntur. ἀλλὰ δὲ τὸ τοιοῦτον γένος &c. non sic accipio, vt dicant genus hoc quartum animalium igni respondens circa Lunam esse quærendum; quod & ridiculum fortasse est, & Aristotelis maiestate prorsus indignum: sed quoniam dixerat ignem apud nos impermixtum non reperiri, & sincerum ac simplicem; ideoq; sẽper formam non propriam habere locis nostris, sed in alio corpore consistere; proindeq; aut aerem, aut fumum, aut terram esse; opportunè subiungit huiusmodi genus ignis, quartum scilicet huiusmodi elementum, quod ignem dicit purum, & ab aliorũ corporum labe immunem, demum propriã habentem formam, circa Lunam quærendum esse; nimirum quia, si purus ignis est, ea ipsius pars sit, quæ sphæram Lunæ implet, ac attingit: quam sanè ignis partem per excellentiam Aristoteles in Opusculo de Lõgitudine & Breuitate Vitæ τὸ πῦρ ἄνω, idest ignem superiorem appellauit: pulchrè dubitans, an huiusmodi ignis, qui eo loco existit, corrumpi possit, cùm cęlesti corpori communicans, quod nulli est contrariũ, & purus existens, nullum etiam contrarium habere videatur, à quo duci ad interitum queat: vt meritò hoc etiam tertij de Ortu Animalium loco dicat, videri Lunam cum hac quarta distantia communicare; nempè quia ipsius Cęlum ignis sphęræ terminum imponat. quo quidem in loco, siquis mentis aciem intendat, videbit verbis illis τὸ τοιοῦτον γένος. idest huiusmodi genus, non quidem genus animalium quartum, sed genus quartum corporum, videlicet ipsum ignem Aristotelem intellexisse: quandoquidem concludens Lunam cum quarta distantia communicare, distantiæ nomine eam sublunaris Orbis partem, illudq; totum interuallum, quod igni dicatum est, eoq; impletur, necessariò designat. at id ponit, vt causam reddat, cur oporteat genus illud circa Lunam quærere; itaq; sententia erit, quia Luna distantiam, ac locum terminat quartum, qui igni debetur, ideo huiusmodi genus, purum videlicet ignem, & propriam habẽtem formam circa Lunam esse quærendum.

Cap. 2.

Vberius Philosophi mens explicatur, ostenditurq; quatuor animalium genera elementis quatuor proportione respondentia hoc quoq; in loco Aristotelem concedere.

Cap. 16.

AT enimuero hoc recepto sensu, quem verba admittere facilè quisq; græcam ponderans orationem confitebitur, luce meridiana clarius est, non dicere Aristotelem quartum animalium genus igni respondens his locis non esse quærendum, quanquam aliquid esse exigit ordine ignis, vt Theodorus videtur interpretari; quasi hoc genus quartum cum igne proportionẽ ha-

habens naturæ lapſu deſit ac defectu, vel impotentia locis noſtris: quam ſententiam clarius etiam in ſua interpretatione Trapezuntius Theodoro conſentiens expreſſit, ſic verba conuertens. Quartum autem genus non oportet in his locis quærere, quamuis eſſe aliquid ſecundum ignis ordinem deberet. ſed enarratam à nobis ſupra ſententiam omnino exprimit. nam & hîc verbum βὄλεται (vt non ſemel apud Ariſtotelem) propriè ſonat, quod natura affectat, & conſectatur, demumq; aſſequitur, ſed non omnino perfectè. cuius rei illuſtre exemplum in calce quarti de Animalium Ortu habemus: quo loco inquit Ariſtoteles naturam ſibi velle, vt numeris cęleſtiũ motuum generationes, & obitus numeret, ſed exquiſitè tamen id facere non poſſe: quin etiam & hoc eodem loco paulò ſupra, vbi dicit naturam ſibi velle, vt, ſicut plantę ad terram, ſic & oſtreę ad mare ſe habeant; quod magna quidem ex parte, ſed tamẽ nõ omnino perfectè, vt videmus, aſſequitur. quare & hoc etiam ſenſu affirmat in pręſẽti loco ſibi velle naturam, vt aliquod genus animalium exiſtat ſecundum ignis ordinem, idq; conſequi, ſed tamen non omnino perfectè, ſed eo quo poteſt modo meliori. cuius rei cauſam Philoſophus refert non in naturæ animalia producentis impotentiam, ſed in eorundem animalium naturam, quæ mixta eſſe neceſſariò debet ex omnibus elementis; neq; apta eſt, vt in puro igni conſeruetur: item in elementorum apud nos ordinem & poſitionem. cùm enim hîc, & circa medium, vbi omnis animantium generatio abſoluitur, purus ignis non ſolùm non reperiatur, ſed neq; adeò purus ac ſeparatus, vt reliqua tria elementa, ſed tribus alijs elementis permixtus & confuſus; quod apertè Philoſophus indicat, dicens ignem non habere hîc propriã formam, ſed in alio ſemper eſſe corpore, & aerem, aut fumum, aut terram exiſtere; ſatis huius quarti generis productioni videtur natura conſuluiſſe, animalia quædam gignens, quæ igni ſic permixto respondeant; quale volatilium genus eſſe in Opuſculo de Reſpiratione demonſtrauit. quod quidem ſicciorem aerem affectans, aerem, vt in Problematis dicebat Ariſtoteles, igne refertum; proindeq; ipſum ignem videtur affectare; vt quod animantium genus huic aeri reſpondet, igni reſpondere ſit dicendum. quod hoc etiam loco acutè ſignificare viſus eſt Ariſtoteles, cùm ignem aerem eſſe notatum reliquit: quibus nos admonuit ea animalia, quæ cum hoc aere naturam ignis æmulante proportionem habent, quartum genus conſtituere. quare perinde eſt ac ſi dixiſſet, quartum animantium genus igni ſic reſpondens, vt terræ plantæ, aquatilia aquæ, pedeſtria aeri reſpondent, non eſſe apud nos quærendum, quia neq; animalium natura, neq; elementorum hîc ordo, & poſitio id requirant, & patiantur; ſed quærendum eſſe prout natura ipſa permittit, idcircòq; ſatis eſſe ad quartum hoc genus conſtituendum, ſi dicamus aliqua eſſe animalia, quæ ſua natura ad ignem ordinem affectent, licèt id plenè aſſequi, & exprimere nequeant. quam quidem ſententiam meo quidem iudicio verba illa ſatis apertè nobis ob oculos ponunt, quibus dicitur, aliqua apud nos animalia inueniri, quæ eſſe ſecundum ordinem ignis ſua natura affectant.

Adhuc verba ſuperius poſita enarrantur. Alberti adducitur opinio. Cap. 17.

ITem hac noſtra recepta explicatione perſpicuum eſt non dicere Ariſtotelem, huiuſmodi genus, ideſt hoc quartum genus animalium circa Lunam quærendum eſſe, quaſi in locis noſtris deſit; ſed hoc genus ignis, quod inter corpora, ideſt inter elementa quartum adnumeratur, purũ & impermixtum circa Lunam eſſe perquirendum: quia ſcilicet eo tantùm loco, non apud nos ob cauſas iam expoſitas tale inueniatur. quam profectò veritatem, quod pertinet ad animalium genera quatuor apud nos perquirenda, Albertus Magnus pulchrè videtur locum hunc Ariſtotelis explicans attigiſſe; ſcribens non quidem eſſe ſententiam, genus hoc quartum animaliũ in his locis non eſſe quærendum, ſed genus elementorum quartum, quod eſt ignis: cuius hæc eſt oratio. Genus verò elementorum quartum eſt ignis. quod etiam cõtrarium eſt dictis elementis; eò quòd eſt ſubtiliſsimum corporum ſpecie habens caliditatem vehementer actiuam, & deſtructiuam; non debet inquiri in huiuſmodi locis generationis animalium: quamuis tamen ſit in ordine loci ſuæ ſpeciei attributo, qui eſt locus ignis. Ignis enim eſt quartum elementum, ſed forma & ſpecies ignis ſecundum ſe non apparet omnino in loco generationis animalium, & plantarum; formam enim habet propriam, per quam ſeparatur ab alijs elementis; non ergo apparet in loco medio, qui eſt locus generationis,

Lib. 17. de Ani. tract. 2. cap. 4.

» nis, nisi in forma alicuius mixti corporis.
» omne enim corpus, quod sic ignitur, antequam igniatur, rarescit, & accipit formam, quæ est sicut aer, aut sicut fumus; aut si non vaporat nec resoluitur, videtur sicuti materia terrena ignita & calefacta, sicut ignis apparet in lapide ignito. Sed quęstio de generatione horum animalium nõ eget de inquisitione naturæ ignis, sed potius oportet quòd dispositionem Lunę in effectibus suis inquiramus, quia natura Lunæ magnam habet communicationem cum substantia terræ, secundum quod terra locus est generationis; & ideo etiam vmbra apparet in Luna, quia magis est vicina naturę terræ, quàm aliæ Stellæ. De natura tamen & dispositione Lunæ considerandum est in alia scientia, quæ est altera pars Astronomiæ, in qua quæruntur effectus cœlestium in corporibus terrenis. Hæc Albertus; qui tamen in eorum pręsertim enarratione, quę ad Lunam pertinent, pro magna parte ex Auerroe excerpta, plurimùm meo quidem iudicio à scopo aberrat; tùm etiam in eo, quòd nullam de quarto animalium genere haberi à Philosopho his verbis mentioné existimauerit. quare longè hac in re Auerrois interpretatio probabilior, qui censuit quatuor animalium genera elementis quatuor proportione respondentia hoc loco Aristotelem ponere; atq; illud tantùm dicere, quartum genus cum igne conueniens in proprio ignis loco non esse quærendum. quibus genus hoc apud nos versari demonstrauit: quod & in Opusculo de Respiratione perspicuè dixit Aristoteles; & hîc nostra sententia non obscurè indicauit.

Confirmantur superiora Auerrois auctoritate. omnis ex Aristotelis dictis tollitur repugnantia. Cap. 18.

» AVerrois autem hæc sunt verba. Et in summa nos inuenimus differentias rerum viuentium esse æquales numero ipsis quatuor elementis. Plantas enim terræ incolas esse fertur. Animalium quoq; aliquid est genus relatum ad aquam; aliud verò ad aerem; aliquid aliud ad ignem. & vnumquodq; horum generum habet suum locũ; videlicet elementum superans in eo, in quo reperitur. Attamen genus quartum, quod igni proportionatum est, nullum habet animal; quia ignis existens in loco suo, qui scilicet est concauum Orbis Lunæ, est simplex; cum quo nihil elementorum admiscetur: & ideo ignis non videtur esse nisi forma alterius corporis, videlicet quando ignitur, & inflammatur in alio corpore. Hæc Auerroes; cuius quidem verba illa. Attamen genus quartum, quod igni proportionatum est & c. ita sunt accipienda, ne tota secum pugnet oratio, vt intelligat genus loci quartum igni proportionatum nullum animal habere, quod & altera illa satis probant. quia ignis existens in loco suo & c. non quidem nullum esse genus animalium quartum igni respondens; cùm paulò supra genus hoc animalium quartũ, ac differentiam ad ignem relatam dari asseruerit. Porrò autem his ita explicatis, & dubitationem, an mare quarti huius generis sit particeps, omnem tolli; & quo cõsilio quartum huiusmodi genus apud nos quærendum non esse dixerit Aristoteles, facile est videre. quia enim tota disputatio eorum animalium gratia, quorum mare est particeps, instituitur; vt doceat quartum genus igni respondens, atq; sic cum igne consentiens, vt reliqua tria genera cum tribus alijs elementis, in mari non esse quærẽdum; ostendit huiusmodi quartum genus sic acceptum neq; etiã extra mare nisi modo iam exposito inueniri. quo quidem iacto fundamento sequebatur longè minus in mari reperiri posse; vt simili ratione mare genus hoc quartum participare sit dicẽdum; videlicet pro quanto auium etiam particeps videtur esse; quarum aliquæ in eo degunt, ex eoq; victum capiunt. quod Aristoteles primo libro Historiarum his verbis significauit. Alia degunt (aquatilia intelligit) quidem in fluido, victumq; inde emoliuntur, sed aerem non humorem recipiunt, & foris parere solent. complura huius generis sunt partim gressilia vt lutrix, latax, crocodilus: partim volucres vt mergi & vrinatrices. Verùm si ita verba exponantur, nullam esse in Philosophi dictis contrarietatem, nullam huius loci cum ijs, quæ in Opusculo de Respiratione habẽtur, dissensionem, non erit arbitror longiori oratione demõstrandum; quare superest, vt veram ipsius intepretationem afferamus; sequenti capite nonnullas, quæ occurrere possent, difficultates profligaturi. Sic igitur Philosophi oratio superiori recepta explicatione est nostra sententia conuertenda. Quartum autem genus non oportet in his locis quærere, tametsi aliquid in illis sit, quod secundum ordinem ignis esse affectat. siquidem hic quartum corporum adnumeratur. at ignis apud nos quidem apparet semper propriam non habere for-

Cap. 1.

formam, sed in aliquo alio esse corpore: enimuero quod ignitum est, vel aer, vel fumus, vel terra esse videtur. Sed oportet huiusmodi ignis genus circa Lunam quærere: hanc enim cum quarta distantia apparet communicare. Sed horum alia ratio est.

Quatuor aduersus superiora afferũtur dubitationes: tres priores dissoluuntur. Aristotelis nonnulla explicantur loca difficilia. Cap. 19.

HAec igitur & vera meo quidem iudicio Aristotelicæ orationis interpretatio est, & explicatio; aduersus quam dubitare aliquis fortasse sic posset. Primò Philosophus dicit hoc quartum genus animalium in his locis non esse quærendum; quibus alibi quærendum esse hoc genus animalium videtur innuere: quare non solueret dubitationem, si diceret huiusmodi genus hîc reperiri. Secundò verba illa. Sed enim huiusmodi genus circa Lunam quærendum est. non nisi ad animalium genus quartum videntur posse referri; tùm quia ad superiora illa. τὸ δὲ τέταρτον γένος οὐκ ἐπὶ τούτων δεῖ ζητεῖν. manifestam habent relationem, eandemq; sententiam ijsdem planè verbis videntur explicare, vt sensus sit. ἀλλὰ δεῖ τὸ τοιοῦτον .s. τέταρτον γένος ζητεῖν. & c. proindeq; vel cum Alberto neq; etiã priori loco de quarto genere animalium sermonem haberi, sed de quarto corporum genere & ipso igni; vel si hoc non concedamus, his quoq; verbis de quarto animalium genere Aristotelem loqui, dicere cogamur: tùm quia ignis elementum genus non potest appellari, cùm sub se species nõ contineat; sicuti neq; etiam alia elementa. Tertiò si volatilia genus hoc quartum constituunt; igitur in illis ignis dominatur; igitur tantùm in igne, tanquam in loco simili vitam ducere debent & conseruari, extra ignem corrumpi. Iam enim supra ex Aristotele positum est, inferiusq; clarius explicabitur, naturam ac materiam animalium locum similem requirere ad salutem. Nec soluit difficultatem, quòd aer sit igne refertus, nam reliqua etiam elementa impura sunt, & vicissim permixta; & tamen aquatilia non conseruãtur in terra, nec pedestria in aqua. Quartò ac postremò cùm ignis, qui in his locis reperitur, magis ad naturam ignis elementaris accedat, quàm aer, vel ignis particulæ in eo disseminatæ, si hoc genus quartum animalium quærendum est in his locis, videntur potius ipsum constituere bestiolæ illæ, quarum meminit Aristoteles libro quinto de Historia Animaliũ, & quas inquit in Cypro reperiri in fornacibus ærarijs. vbi chalcites lapis crematur; ibiq; in igne viuere, & si ab igne remoueantur, emori: qua de re etiam Plinius libro vndecimo. At enimuero ijs, qui ita dubitarent, sic respondendum. Ad primam dicimus Aristotelem, vt nostra ponit explicatio, non absolutè asseruisse hoc quartum animantium genus non esse hîc quærendum, quasi alibi quærendum esse velit; sed dixisse non esse sic quærendum nostris locis, vt in separato igne degat, vel existat, quemadmodum plãtæ in terra, aquatilia in aqua, pedestria in aere, de qua re supra satis fuit disputatum; quare & quærendum hîc esse huiusmodi quartum animalium genus voluit, & sufficienter soluit difficultatem, hîc adiũgens inueniri, eo tamen modo, quem explicuit. Ad secundam, quæ, vt verum fatear, maximam continet difficultatem, respondemus, quòd primo loco per genus quartum, corporum quartum genus, & ipsum ignem Aristoteles nõ intelligat, vt Albertus putauit (cuius tamen si quadraret explicatio, facilè tolleret omnes difficultates) hæc nostra sententia satis demonstrare; cùm enim Philosophus, vt libello de Respiratione docemur, quatuor genera faciat animantium, plantas, aquatilia, pedestria, volatilia, quæ visus est comprehendisse verbis illis. ὥστε καὶ πάντων μετέχειν τῶν καθ᾽ ἕκαστα γινομένων ἐν τοῖς τόποις τῶν ζώων. idest vt omnium (scilicet generũ animantium) particeps mare sit, quæ singulis his locis gignuntur. ad huiusq; dicti probationem tria eorum genera enumerauerit, videlicet plantas, aquatilia, & pedestria; rationi est consentaneum, immò & necessarium, cùm de quarto genere facit mẽtionem, vt de nullo alio, quàm de quarto animalium genere, intelligat, quod supererat illi enumerandum, vt genera animalium omnia recenseret; quare sine vlla dubitatione verba, quæ primo loco posita sunt, secus quàm crediderit Albertus, erũt ad quartum animalium genus referenda, quod etiam & hoc alterum probat euidenter; si enim Aristoteles dicit, quartum genus, scilicet ignem non esse quærendum locis nostris; sequentia verba illa. tametsi secundum ordinem ignis aliquid esse affectet. tùm falsò, tùm perperã addita vident. cùm .n. recepta Alberti explicatione, ad nil aliud referri possint, quàm ad ignem; sentẽtia erit necessariò, ignem locis nostris non esse quærendum, quamuis locis nostris sit

Cap. 18.

Cap. 36.

Cap. 13.

sit ignis, quo nil absurdius, ineptiusq; , nil à veritate magis alienum dici potest; quod cùm cerneret Albertus, hæc verba, sed omnino contra sententiam Præceptoris, non ad loca nostra retulit, sed ad ignis locum, & sphæram: cùm tamẽ Aristoteles ἐπὶ τούτων, scilicet his locis ortui animalium dicatis, aliquid esse, quod ad ignem ordinem affectet, apertè dicat; vt meritò supra monueremus, in eis omnino de animalibus esse sermonẽ. Quòd verò secũdo loco Aristoteles de quarto genere animaliũ verba faciat, etsi magna ob allatam in obiectione rationem adest probabilitas, nulla tamen est necessitas; cùm commodè etiam hęc verba ad proximè antecedentia, quibus de igne sermo habetur, referri queãt; quasi sentẽtia sit. ἀλλὰ δεῖ τὸ τοιοῦτον γένος .s. τὸ πῦρ ἔχον ἰδίαν μορφὴν. quod est. sed oportet huiusmodi genus, scilicet ignem habentem propriam formam & c. cuius certè rei nullam capient illi admirationem, qui considerauerint, Aristotelem ex proposito obscuritatem affectasse, & ideo modo quodam loquẽdi fuisse vsum, verborum ordine quodã, vt facilè ad diuersa referri queant, proindeq; & diuersos sensus admittere. quare non valde fortasse à vero aberraret, qui diceret, hunc vnum esse, ex multis, locum, in quo de magna quæstione Philosophus agens, & in qua à magistro Platone discrepabat, de industria torquere lectorem voluerit, & an reijceret, vel concederet quartum genus animalium sic igni respondens vt Plato posuit, relinquere magnis ingenijs ex eo iudicandum; de qua re paulò post nonnulla adijciam. Ad illud verò quod dicebatur, ignem genus nõ posse appellari; respondemus primùm quòd generis nomine ignis elementum hoc loco Philosophus dignum censeat Alberto placuisse dicenti, genus elementorum quartũ Aristoteli esse ignem. deinde addimus nullum esse inconueniens, si genus ignem Philosophus appellet; cùm non semper Philosophiæ schola, eiusq; Princeps Aristoteles in maximè propria, ac germana significatione vocibus vtatur. Sic libro sexto de Animalium Ortu plura canum genera inueniri scribit Aristoteles; quorum tamen vnicam scimus esse speciem, nec sub se alias species continere. Sic aquarum etiam naturalium, & quæ ad elementum pertinent, aquæ plura esse genera dicimus. Sic demũ & apud Theophrastum in libris de Plantis plura terrarum genera legimus reperiri: cùm enim aliqua in his corporibus sit differentia, non incongruè ad eam designandam hac voce vtimur; quare cùm plures sint ignis differentiæ, vt in Opusculo de Igne à Theophrasto videmus animaduersum; qua de re sic etiam libello de Spiritu scriptum legimus eleganter. Nam ignis differentię iuxta id, quod magis & minus est, sumũtur. Hæc autem ferè in eo, vt mixtus sit, aut immixtus, consistit: nam hic purior erit, & proinde integrior gradus; ille admixtione contrarij remissior. nulli mirum esse debet, si Aristoteles plures ignis differentias pro materiarum diuersitate hoc loco enumerans; scilicet eius qui vel in aere, vel in terra, vel in fumo existit, dicensq; huiusmodi ignium differentias propriam formã non habere; hanc ignis differentiam, videlicet ignem propriam habentem formam, ideoq; ab alijs differentijs, quas enumerabat, longè diuersam, genus appellauit; voluit .n. dicere huiusmodi genus ignis, ac naturã lunari sub Orbe reperiri; quare dubitatio nulla. hoc enim & post illum Præceptoris imitatione in Opusculo de Igne asseruit Theophrastus, ita scribens. Εἰ μή τις ἐν αὐτῇ τῇ πρώτῃ σφαίρᾳ τοιαύτη φύσις, ὥστε ἄμικτον εἶναι θερμότητα, καὶ καθαρὰν. quæ sic Turnebus inrerpretatur. Nisi si qua eiusmodi natura in primo fortè globo est, vt impromiscuus sit & sincerus calor. qui & eodem Opusculo iisdem causis impulsus, non est veritus plures igni species impertiri (cùm alioqui palàm sit vnicam ipsius esse speciẽ) differentias ipsius, species appellans. Sed & illud profectò (inquit) perspicuum est, ignis naturam singularibus præditam esse plurimisq; potestatibus, vt initio disputationis dictum est. nam tàm numerosæ eius species, & omnibus locis eius interuentus, proprietatem naturæ indicant. Non enim aliud quicquam ita specie multiplex, ita varium potestate, ita natura dissimile, ita per omnia peruadens, tributumq; loca reperies. At si plures ignis species inueniuntur, ergo & genus; quare nil mirum, nil absurdum si Aristoteles ignis eam naturam, ac differentiam, quæ verè constituit elementum, & puritatem dicit, & impermixtionẽ, aliarum differentiarum respectu, quæ impuræ sunt, genus appellauit. Ad tertiam respondemus in volatilibus, dicamus clarius, in auibus verè siccum, & calidum dominari, vt superius ex Aristotele docuimus, vtrum autẽ mole, an virtute nunc non quęro; ideo in aere, qui hanc referat naturam degere, taliq; temperamento indigere ad salutem; nam si in tali aere maiori saltem

Nn tem-

temporis spatio non versarentur, statim perirent. nec tamen est necesse, vt in igne maneant, quia non perfectè ignis referunt naturam, sed aliquo modo, vt supra explicauimus. dixit enim Aristoteles hoc genus animalium ad ignem ordinem habere; » siquidem scripsit. κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς τάξιν. & in Opusculo de Respiratione vniuersaliter. » ἐν τοῖς οἰκείοις τόποις ἔχει τάξιν. idest & in » proprijs locis ordinem habent. quæ quidē verba non solùm fortasse sonant, vt Ephesius, D. Thomas, & Leonicus interpretantur arctè nimis ea accipientes, in quibus locis animalia genita sunt, in illis tanquam in proprijs & similibus degere, seruari, ac permanere; sed dicere etiam commode possunt, animalia quoquo modo ad loca & elementa, quorum referunt temperamentum, ordinem habere; adeò vt non sit necesse, vt in illis genita sint, ac maneant, sed satis sit, vt temperamenti ratione ad ea ordinem retineant; quare non erit necesse, vt volatilia, tametsi ignis respondeant elemento, in igni gignantur, vel permaneant. Quod verò obijciebatur, non tolli difficultatem, etiam si ponamus aerem igne esse refertum &c. nullius est momenti; nam aer non solùm est refertus igne, sed ad alia elementa ignis, vt infra Aristoteli placuisse demōstrabimus; vnde lōgè verius ignis naturam representat, quàm aqua terræ, & terra aquæ naturam referat: quare nil est mirum si aquatilia in terra, terrestria in aqua viuere nequeunt. Prætereo sensisse Aristotelem aues habere ordinem ad ignem, prout dicit ignis elementum, scilicet calidam, & siccam naturam, cuius plenum esse nostrum hunc aerem primo Meteoron docuit; non prout *Cap. 4.* dicit ignem iam iam in alia materia positū, longè ab elementari degenerantem; quare quæ animalia siccum, & calidum respiciunt temperamentum, vt respicere aues ponit Aristoteles, hæc necessariò dicūtur ad elementarem ignem ordinem habere.

Quarta soluitur dubitatio, Aristotelis locus difficillimus de Animalibus in niue, & igne genitis expenditur. Cap. 20.

IAm verò & hæc postremam quoq; tollere dubitationem satis constat; nam & aer magis, vt ex primo Meteoron elicimus, ad elementaris ignis naturam accedit, quàm ignis noster; & bestiolæ illæ, quarum libro *Cap. 19.* quinto Historiarum Aristoteles facit mentionem, nō ideo in fornacibus illis, & in igne gignuntur, viuunt, ac morantur, quia in eis præualeat ignis elementum; neq; id voluit eo loco Aristoteles: tametsi non me latet, ipsius loci difficultate grauissimos huius ætatis viros adeò permoueri, vt putantes Philosophum asserere in igne, & ex igne huiusmodi animalia oriri, inconstantiæ notam illi inurant, veluti qui (vt ipsi aiunt) quasi sui immemor secundo de Ani- *Cap. 3.* malium Ortu, vbi maturius quàm in Historiarum libris naturæ res examinauit, contrarium omnino doceat, scribēs ignem nullum animal generare: quod & secundo de *Tex. 21.* Ortu & Interitu videtur cōfirmasse; & post *Com. 32.* illū secundo de Cœlo Auerroes de Alexandri mente. quandoquidem, cùm diuinus vir & quinti illius libri Historiarū initio, *Cap. 1.* & eiusdem deciminoni capitis principio posuisset, insectorum, quæ per coitum non oriuntur, cuncta putrescente aliquo spontè oriri; proindeq; dixisset vinarios culices ex vermiculis gigni, qui ex fece aceti oriuntur; nimirum in fece putredine orta: videns per hæc putredinem feci aceti tribuisse, quod ab aceti natura valde est alienum; statim, vt id comprobet, ostendatq; fieri putredinem, in ijs etiam quæ videntur esse imputribilia; exempla de animalibus, quæ in niue, & igne oriuntur, in medium affert; quæ cùm non nisi ex putredine oriantur, putredinem & in niue, & in igne factam esse, testatissimum faciunt; proindeq; in fece aceti putredinem posse fieri latissimè probant. non sanè quòd nix, ac longè minus ignis putrescat, qui solus quarto Me- *Tex. 5.* teoron putredinis est expers; sed quòd materia in niue, & igne congesta putredinem contrahat; quod vt doceret, non in omni niue, sed in vetustiore, & quæ iam rubescat, naturæ videlicet alterius admixtione, in quam pars aliqua niuis iam transmutatur, vermes illos gigni inquit; bestiolas illas non ex igne, sed in igne produci, nec statim, sed ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐμβαλλόντων: nimi- » rum vbi primùm per plures dies materia ingesta in fornacibus, putredinem aliquam ingenti illius copia coaceruata admittere posset. vt meritò supra dixerit, videri hæc putredinis omnis esse expertia; videntur enim, sed verè non sunt omnino expertia, quia sic animalia illa non producerent; quæ cùm sine coitu nascantur, necessariò ex putredine gignuntur. quia scilicet in materia, quam continent, putredo interdum oriri queat, & facta putredine animalia. generantur enim in ijs, quæ putrescūt animalia, vt quarto Meteoron scriptum legimus, *Tex. 13.* propterea quòd quæ segregatur caliditas,

na-

naturalis existens, consistere facit segre-
gata; nilq; gignitur putrescens, sed con-
coctum, vt tertio de Animalium Ortu ad- Cap. 11.
monemur; putredo verò, ac putridum ex-
crementum rei concoctæ est. Hinc addit
Aristoteles in niue ἐν εὐδίᾳ (nam sic vulga-
tam retinens lectionem libentissimè lego)
vermes illos candidos, & grandiores gigni.
iam enim capitis initio εὐδίαν, & νότιαν
plurimum ad horum animalium ortum cō-
ferre indicauerat; quia scilicet putredinis
causas adiuuēt, putredinemq; augeāt: cali-
dum enim & humidum dicunt duo illa in
aere temperamentum; quare in Aristotele
nulla est contradictio. quod enim secundo
de Animalium Ortu, & secundo de Ortu, & Cap. 3. Tex. 21.
Interitu dixit, ignem animal nullum gene-
rare, intellexit, vt se ipsum explicans se-
cundo de Animalium Ortu pulchrè docu-
it, calidum, quod prolifica facit semina, nō
esse ignem, sed ab ignis, calorisq; ignei na-
tura longè remotum; quare rectissimè ad-
iecit, neq; ignem animal generare vllū, neq;
in ignitis, siue humidis, siue siccis, quate-
nus s. talia sunt, constitutionem fieri ani-
maliū vllā. in ignitis enim fornacibus illis
generantur quidē ea animalia, sed fortasse
nō quatenus sunt ignitę, neq; ignis illa ge-
nerat, sed ex ingesta ibi pluribus dieb9 ma-
teria, atq; in aliqua sui parte putrescēte o-
riūtur; quod valdè est diuersum. eadēq; ra-
tio in niue locum habet; rubescente enim
aliqua ipsius parte ob vetustatem, proinde-
q; in aliam naturam transeunte putredine
facta meritò vermes illi in ea nascuntur.
quare ab humida materia, quæ putrescit,
& quam nix, & ignis ambiunt, non abest ca-
lor ille, & humor, qui ad generationem il-
lorum animalium est necessarius; tametsi à
niue, & igne absit. quod enim nonnulli in-
quiūt, vermiculos illos, qui in niuibus cō-
spiciuntur, ex terra emanasse, ipsisq; se se
inuoluisse. item animalia illa in fornaci-
bus ex terra metallis commixta, in qua na-
scuntur, erumpere; illud habet difficulta-
tis, quòd si talis esset illorum ortus, à niue
& igni potius natura duce fugerent, quàm
se se his corporibus inuoluerent; quod a-
lia animalia facere videmus: quòdq; in ni-
ue, & igne posita interirent, seruarentur
ablata, secus quā inquit Aristoteles; quem-
admodum & in alijs animalibus vsu venit.
Hinc verò allatam penitus tolli dubitatio-
nem nemo est, qui non videat; tantum enim
abest, vt in bestiolis illis ignis præualeat e-
lementum, vt contraria potius natura in eis
teneat imperium: quod docere volens acu-
tè Aristoteles, statim salamandræ subiecit
exemplum, quæ extinguit ignem, inambu-
lans per eum. nam & hoc est quod inquit
ὅτι δ' ἐνδέχεται, &c. cuius sententiæ vim
haud satis Theodorus videtur expressisse.
voluit enim dicere Philosophus, nil esse mi-
rum, si bestiolæ illæ per ignem in fornaci-
bus saliant, & ambulent, cùm in natura nō-
nullorum animalium constitutiones fieri
contingat, quæ igne non vruntur, nec ab-
sumuntur, vt salamandra manifestum facit,
quæ per ignem inambulans eum extinguit;
quibus certè nos admonuit, contraria om-
nino ratione igni resistere, perinde ac sala-
mandram, bestiolas illas se existimasse; cùm
à contrario contrarium extinguatur. qui-
bus & simul nos docuit, qua ratione huius-
modi animalia in igne seruari putauerit, &
in niue. cùm enim contraria loca excedē-
tes habitus corrigentes animal seruent, vt
ex libello de Respiratione mox aperiemus; Cap. 13.
temperamentum frigidissimum, quale eo-
rum animalium esse par est, quę in igne ser-
uantur (calore nimirum ignis, & siccita-
te ob antiperistasim frigidam & humidam
naturā in materia illa, quæ putrescit, & ex
qua oriūtur ea animalia, intus repellente)
non potest nisi maxima loci contrarietate
conseruari. quod idem & de calidissimo
temperamēto niuis respectu eorum anima-
lium, quæ in niue oriuntur, habet veritatē.
Hinc si dimoueantur, meritò pereunt; sta-
tim enim temperamētum labitur in exces-
sum, non resistente amplius loci contrarie-
tate. nec obstat quidquam, quòd torpeant
vermes illi in niue, vt inquit Aristoteles,
difficulterq; moueantur, quod calido re-
pugnat temperamento; nam id ob magnam
loci contrarij frigiditatem euenire potest.
cùm alioqui rubeus, & candidus ille color
calidum in eis arguat temperamentū. Sed
hac de re aliàs vberius disputabimus, inte-
rim qui plura cupit, præsertimq; an hæc a-
nimalia, postquam in niue, & igne genita
fuerint, in his locis nutriri possint, videat
Petrum Pomponatium in Dubitationibus Dubit. 61. & 62.
super quarto Meteoron, ac post eum Hie-
ronymū Mercurialem Variarum Lectionū
libro tertio, Marsiliumq; Cagnatū Varia- Cap. 14.
rum Obseruationum libro primo. Cap. 23.

Alia affertur loci libri tertij de Animalium Ortu explicatio. Cap. 21.

HAec igitur (quod ad hunc locum per-
tinet abstrusissimum) vt primam viam
monstraremus, qua ab oscitantia, & con-
trarietate communem omnium Præcepto-

rem defendere valeamus. item vt nostram explicationem tueremur, videlicet secundo loco verbis illis. Sed huiusmodi genus & c. nullam esse necessitatem, vt de quarto animalium genere haberi sermonem concedamus. Quòd si acrius aliquis instare vellet, de quarto animalium genere verba esse intelligenda; iam & secundam aperiamus viam, qua & tueri possimus Pręceptorem: sic enim fortasse verba nihilominus possunt explicari, vt nulla in Philosophi oratione appareat repugnantia. Aristotelis esse morem, vbi sese offerat occasio, in Platonis dogmata vel apertè inuehi, vel certè ea tacitè reprehendere, illi facilè norunt, qui vel leuiter in vtriusq; philosophi lectione versati fuerint. Hunc igitur esse vnum inter cęteros locum, in quo Magistri de generibus animalium, illorumq; ad singula loca & elementa ordine, ac distributione sententia redarguatur, omnino mihi persuadeo; tantùm abest vt credam cum communi opinione, vt cum ipso dæmones hoc loco adstruere velit Aristoteles. Cùm enim Plato in Timæo quatuor fecerit pro elementorum numero animantium genera his verbis. Erant autem animantium genera quatuor; quorum vnum diuinum, atq; cęleste: alterum pénigerum atq; aerium: tertium aquatile: terrenum & pedestre quartum. Diuini generis speciem maxima ex parte faciebat ex igne, ita vt aspectu splendidissimum, & pulcherrimum esset. quanquam ad Timæi finem quatuor genera rursus enumerans animalium, homines, aues, gressibile ferarumq; genus, quartum aquatile recensere videatur; & in Epinomide quinq; enumerare, ita scribens. sed cùm quinque sint corpora, ignis, & aqua, tertium aer, quartum terra, quintum æter. è singulis illorum corporum primarijs virtutibus multa, & varia animalia efficiũtur. quo loco paulò post animalium genus igni respondens & agnoscit, & recenset his verbis. Alterum animalium genus ponendum, quod etiam gignitur & cerni potest, & igneæ naturæ plurimum habet. quæ tamen omnia Marsilius in Argumento de Animalibus rationalibus, & dæmonibus præsertim putat esse intelligenda. Cùm inquam Plato quatuor animalium genera pro elementorum numero posuerit; mea sententia est, Aristotelis hoc loco esse consilium, Platonicam hanc distributionem, præsertim quod spectat ad genus igni respondens, tanquam ineptam, ac præter rationem, & quæ naturæ repugnet, inueniriq; non possit, tacitè tamen, vt plerunq; solet, reprehendere. Itaq; cùm tria genera terræ, aquę, & aeri proportione respondẽtia, plãtas scilicet, aquatilia, & pedestria, non parum etiam in eis recensendis à Platone dissentiens enumerasset; sciens eundem genus quartum igni respondens sic posuisse, vt vel cęlestia corpora, vel dæmones, qui in ipso igni versarẽt, huiusmodi genus vellet cõstituere; cùm alioqui ipse Aristoteles volatilia hoc genus, quatenus tñ res ipsa patitur, longè verius putaret efficere, quẽadmodum perspicuè in Opusculo de Respiratione declarauit: vt huiusmodi redarguat positionem, subdit. Quartum verò genus non his locis quærere oportet & c. quo loco cùm per genus quartum igni respondens, volatile genus ab Aristotele positũ, non possimus intelligere, quia falsò addidisset huiusmodi genus his locis non esse quærendum, cùm apud nos inueniatur; restat vt sententia sit, genus autem quartum, quod sic igni respondeat, vt plantæ terræ, aquatilia aquæ, pedestria aeri, vt nonnulli ponunt, nullo pacto locis nostris esse quęrendum; quanquam apud nos genus aliquod secundum ordinem ignis esse affectat (quæ verba propter volatilia ab Aristotele esse dicta supra admonuimus) at verò huiusmodi quartum genus quærere oportere circa Lunam; hanc enim quartam distantiam terminare, quę elementum ignis comprehendit. At quid ex hoc Aristotelis discursu sequitur? an huiusmodi animalia in puro igne versantia, & ex consequenti dæmones ab eo approbari? certè meo quidẽ iudicio nihil minus. dicit enim Philosophus quærendum esse hoc genus circa Lunam, sed non tamen dicit inueniri; multa enim alicubi quæruntur, quæ frustra quæruntur, cùm ibi nequeant, tanquam alieno in loco quæsita, reperiri. Itaq; perinde est ac si dixisset, genus animalium quartum sic igni respondens, vt Plato ponit, non oportet quærere apud nos, & ex consequẽti nec vllo alio in loco; hoc .n. ex Philosophi sequi oratione, tametsi taceat Aristoteles, nihilominus res ipsa loquitur. nam cùm generationis locus sit apud nos, vnde quarto Meteoron in terra, & aqua tãtùm gignuntur, & existũt animalia, cuius rei causa pulchrè ibi aperitur; si non oportet quærere hoc genus quartum locis nostris, igitur neq; in loco proprio generationis animaliũ, igitur nullibi illud quærere oportet; quocunq; enim alio quæratur in loco, præter eum, qui animalium generationi est dicatus,

Tex. 28.

tus, omnino incassum quæri videbitur, tã-
quam in alieno. Hinc quasi rideat hanc
positionem acutissimus Philosophus, sub-
dit circa Lunam huiusmodi genus quærere
oportere; quoquo enim modo circa Lunã
quæratur, siue supra, siue infra, frustra quę-
situm penitus videbitur: quia supra Lunam
æterna, immortalia, & incorruptibilia sint
animalia, cùm alioqui nos quæramus cor-
ruptibilia; infra verò, scilicet in ipso igne,
animal nullum corruptibile gigni possit,
ac degere, quia ob causas quarto Meteorõ
allatas, ignis elementum non sit locus ap-
tus generationi animalium. Hoc totum vt
significaret Aristoteles, dixit ἐπὶ τῆς σελλώνης:
cùm enim præpositio ἐπὶ possit & sub, &
super significare, Plato autem cęlestia cor-
pora, & dęmones ignea fecerit animalia,
quorum priora supra Lunam, posteriora,
sub ipsa Luna esse posuit; Aristoteles vt-
runq; comprehenderet, hoc loquendi mo-
do vti voluit: quod acutè contuens Theo-
dorus, circa Lunam, interpretatus est; Tra-
pezuntius, in Luna, sed minus rectè; vetus
Interpres, in hac Luna, omnino ineptè.

Sed & hoc alterum aduersus Platonicam
positionem sequitur absurdi ex Philosophi
oratione; si enim per hoc quartum genus
cęlestia corpora ipse intellexit, igitur de
genere in genus transcendit, immò plus-
quam de genere in genus; quod significare
volens Aristoteles, dixit hoc genus quartũ
locis nostris non esse quærẽdum; nos enim
corruptibilium animalium genera & quæ-
rimus, & ponimus, & conamur enumerare;
at cœlestia corpora sunt incorruptibilia;
corruptibile verò & incorruptibile plus
quàm genere differunt. Si verò per genus
quartum intellexit dęmones, eadem ratio
viget, si incorruptibiles eos Plato ponit; si
corruptibiles, vt censuit Ioannes Grãma-
ticus, prior ratio locum habet; locus enim
ignis non est locus generationis animaliũ.
vt si in eo & gignantur dęmones, & degãt,
alterius omnino rationis, ab ijs animali-
bus, quorum genera quærimus, esse videã-
tur. Hinc acutè, & prudenter concludit
Aristoteles. ἀλλὰ τούτων ἄλλος ἂν εἴη λόγοσ.
idest vt rectè Trapezuntius interpretatur.
Sed de his alia ratio est. Theodorus per-
peram. Sed de his aliàs. vetus Interpres
à Nipho receptus. Sed de his alter vtiq;
erit sermo, minus rectè. voluit enim dice-
re Aristoteles de hoc genere animalium,
quod Plato ponit igni respondere, aliam
esse omnino rationem, videlicet ab ea ra-
tione valde alienam, quæ corruptibilibus
animalibus conuenit, quorum genera in ea
disputatione perquirũtur; si enim corpora
cęlestia respicias, quæ animata ipse quoq;
ponit Aristoteles, hoc satis est per se clarũ;
si dęmones (si illos esse ex Philosophi sentẽ-
tia cõcederemus) similiter est manifestũ; vt
nullo pacto quartũ hoc animaliũ gen⁹ talia
possint constituere. Sic ergo videmus hoc
loco reiectam omnino, vel tanquam ineptã,
vel tanquam impossibilẽ, nõ receptam es-
se Platonis positionem, si mentis acie Phi-
losophi verba accuratè expẽdamus. Vide-
mus rursus locum hũc in nihilo ab eis, quæ
de quatuor animalium generibus libello
de Respiratione traduntur, esse diuersum;
cùm verba illa intermedia. Καίτοι βούλεταί γέ
τι κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς εἶναι τάξιν. τοῦτο γὰρ καὶ τέ-
ταρτον ἀριθμεῖται τῶν σωματῶν. ἀλλὰ τὸ μὲν πῦρ
ἀεὶ φαίνεται τὴν μορφὴν οὐκ ἰδίαν ἔχον, ἀλλὰ ἐν
ἑτέρῳ τῶν σωματῶν. ἢ γὰρ ἀὴρ, ἢ καπνὸς, ἢ γῆ
φαίνεται τὸ πεπυρωμένον. quod est. Tametsi
in illis aliquid esse affectet secundum ordi-
nem ignis. Siquidem hic quartus corporũ
enumeratur. at verò ignis apparet semper
propriam non habens formam, sed in ali-
quo alio corpore; enimuero quod ignitum
est, vel aer, vel fumus, vel terra esse videtur.
posita sint, quemadmodum supra admonui-
mus, vt genus quartum, quod Aristoteli,
volatilia constituunt, designarent, huiusq;
rei aliquo pacto innuerent rationem. est e-
nim sententia, quartum genus igni respõ-
dens vt nonnulli ponunt, nostris locis, in
quibus naturæ decreto generatio absolui-
tur animalium, non esse quęrendum, tametsi
in eis aliquod genus sit (ad particulã enim
τὶ subaudiendum esse ex superioribus γένος
constat) quod ad ignem ordinem affectet,
nempè genus volatilium; affectet inquam,
quia non plenè, sed imperfectè, vt supra vi-
dimus, id assequatur. & cùm dixisset hoc
quartum genus ad ignem ordinem habere,
adiungit, vt causam reddat, cur hoc genus
quartum appellauerit. Siquidem hic quar-
tus corporum enumeratur. si enim simpli-
cium corporum, & elementorum quartus i-
gnis enumeratur, iurè quarto corporum
genus respondens, quartum appellabitur.
Item cùm dixisset hoc genus, quod ad ignẽ
ordinem habet, imperfectè hunc ordinem
representare, vt huius rei causam pariter
doceat, ita sequitur. At verò ignis appa-
ret semper, & c. Si enim ignis apud nos, &
locis nostris formam propriam non habet,
sed in materia semper est aliena; si in gene-
rationis loco purus, ac separatus ignis non
est, vt tamen aquam ferè, terram, & aerem
esse

esse videmus; igitur & locis nostris non erit genus animalium quartum perquirendum, quod sic puro igni respondeat, vt Plato ponit; sed sic perquirendum, quemadmodum ignis locis nostris reperitur; reperitur autem confusus & permixtus, & in materia sẽper aliena, quare & imperfectè; itaq; & genus quartum sic in generationis loco, tanquam proprium illi & conueniẽs reperietur: affectabit enim hunc ordinem potius quàm verè assequatur. Tale autem esse volatilium genus Philosophum existimasse, satis supra demonstrauimus. Hæc igitur in hoc abstrusissimo loco Aristoteles; de cuius vera interpretatione satis est dictũ. nunc ad propositũ redeuntes ad ea verba, supra ex Opusculo de Respiratione à nobis in medio posita, enarranda sermonem conuertamus; ac primùm aliorum afferamus interpretationes.

Afferũtur Ephesij, D. Thomæ, Leonici, Ianduni interpretationes, & explicantur. Cap. 22.

Ephesius igitur in Scholijs super libello de Respiratione, quæ de quatuor animalium generibus dicta sunt, & de locis ad quæ ordinẽ habẽt, silẽtio inuoluens, quod attinet ad reliqua verba, dicit, excessum in animali dupliciter considerari; vel κατὰ τὴν τῶν σωμάτων συμμετρίαν. idest secundum corporum symmetriam, notans interea Aristotelem habitus nomine hîc symmetriam intellexisse; vel secundum naturam, & materiam, ex qua animal generatur, ac, vt paulò post vocare videtur, secundum crasim, mixtionemq; elementorum. His positis inquit, si excessus in symmetria sit, contraria loca, & tempora contraria quærenda esse, quia seruant; si in natura, ac materia, elementorumq; crasi, non esse quærenda, quia interimant; quoniam materiæ excessus est secundum constitutionem animalis à principio factã; quod quidem natura ipsius est, & in hoc esse habet, substãtiaq; consistit ipsius, vt excessum vnius trium nanciscatur elementorum: quare si contrarius quæratur locus, corrumpetur omnino ab eo, non seruabitur. concludit ergo in excessu, qui secundum materiam est, non esse quærẽdum contrarium locum, sed in materiæ loco permanendum, secundum quam excessum animal habet, quoniam vnumquodq; elemẽtum proprius, similisq; locus conseruet, ac perficiat. Hinc adiũgit, si idem essent materia, & ex ea proueniens habitus, ac dispositio, Empedoclis opinionẽ vero simillimã fuisse; sed quoniam nõ idem sunt, à veritate plurimũ aberrasse; propterea quòd, vt apertissimo docet Aristoteles exemplo, si cera humida & frigida existens (nam frigido coagulatur) animalis esset materia, cerea natura animal in calido, & igne positum non seruaretur, sed protinus duceretur ad interitum; ignis calore, & siccitate humorem & frigus corrumpente. Intelligit autem Ephesius, nisi fallor, symmetriæ, commoderationisq; nomine hoc loco, quam Medici passim vocant complexionem: nam & symmetriæ ratione bonam & malam valetudinem in animalibus considerari dicit; & hanc ipsam symmetriam facit ab elementorum crasi, & mixtione diuersam: à qua quidem crasi vult animalia symmetriam habere, quasi secundum quandam qualitatem ex mixtionibus primarum qualitatum emanantem; cùm nil aliud complexio sit, vt pulchrè definit inter cæteros Contarenus Cardinalis peripateticus insignis quarto libro de Elemẽtis quàm secũda qualitas conflata ex mixtionibus primarum qualitatum; qua mixtum corpus agit certa actione, & patitur certa passione. quam certè sententiam videtur hoc loco Ephesius exprimere: tametsi non me latet ab ea plurimum abhorrere doctissimos viros Fernelium libro tertio de Naturali Parte Medicinæ, Valesium primo libro Cõtrouersiarum; qui complexionem diuersam non esse qualitatem à qualitatibus elementorum conantur aduersus Auicennam demonstrare. Hæc igitur Ephesij interpretatio est ex græcis ipsius verbis à nobis excerpta, fusiusq; etiam explicata; quæ, ne in immensum excrescat oratio, in medium nõ adducimus. D. Thomas in Commentarijs ea recipiens, vt vidimus, quæ de quatuor generibus animalium docentur tanquam vero consentanea, reliqua Philosophi verba sic accipit, vt materiæ, naturæq; nomine passiones naturales ex materia animalium emanantes Aristotelem velit intelligere; nomine verò habituum, ac dispositionum qualitates à continente, vel ab extrinseco aduenientes: admonens passiones illas naturales Philosophum naturales qualitates appellasse; atq; eius hæc est oratio. In prima intelligendum est quòd quædam sunt passiones naturales, quas habent animalia ex materia ipsorum, quæ sunt elementa; & istas vocat Philosophus qualitates naturales. Aliæ sunt qualitates mixtorum, quas habent à continente, vel ab aliquo extrinseco. & istas vocat Philosophus habi-

Cap. 1.
Cap. 6.

habitus & dispositiones. His positis inquit, sententiam esse Aristotelis quòd qualitates primo modo acceptæ, quæ causantur ex materia ipsorum animalium, sicut ex qualitatibus elementorum, & quæ, vt ipse docuit, vocantur naturales, in locis proprijs, ac similibus seruantur, corrumpuntur in contrarijs; qualitates verò secundo modo acceptæ, quas etiam vocat accidentales, & quas ab aliqua causa extrinseca causatas ponit, ideoq; aduentitias, extrinsecusq; prouenientes, conseruantur in cõtrarijs locis, corrumpuntur in proprijs, ac similibus; ex quò & sic concludit. Si igitur omnibus corporibus materia est calidum, frigidum, humidum, siccum; manifestum est quòd qualitas illorum, quæ est humida, in loco humido saluatur; quæ frigida, in frigido & c. & paulò post. In prima dicit quòd dispositiones naturales, quęcunq; insunt corporibus ex suis principijs materialibus, tales sunt, quales sunt dispositiones loci naturalis, in quo est corpus; vt qualitas naturalis eorum, quæ sunt aquæ, quam habent ex sua materia, est humida, terræ frigida, aeris calida, & humida; & in illo loco per consequens saluantur. sed qualitates accidentales, quæ excedunt in caliditate, in frigido loco saluantur: locus enim reducit ad proportionem. Verba autem Philosophi illa, quæ aliquantulum videntur habere obscuritatis. Hoc quidem igitur oportet quærere in locis proprijs vniuscuiusq; materiæ secundum permutationem communis temporis & c. sic accipit, perinde ac corollarium inferant; cùm enim superius iam sit positum, qualitates animalium similes esse suis locis naturalibus, vult ex hoc fundamento Philosophum inferre, animalium, mixtorumq; qualitates naturales quales sint, ex naturalium locorum dispositione quærendum esse, ac iudicandum; nimirum quòd tales sint, ac oriantur, quales locorum existunt qualitates secundum permutationem; adeò vt si loci qualitates per commune tempus mutationem recipiant, naturales quoq; locati qualitates permutentur. Hæc autem vt ex suo sensu deprompta videantur, ipsissima verba recitare oportet. Infert, inquit, corollarium & est. Iam dictum est quòd qualitates animalium consimiles sunt suis locis naturalibus. infert ex hoc, quòd quales sunt qualitates naturales corporum mixtorum, oportet quærere ex dispositione locorum naturalium; tales enim sunt, quales qualitates locorum secundum permutationem; ita quòd si mutentur qualitates loci per tempus commune, mutantur qualitates naturales locati. Non sic autẽ est de qualitatibus accidentalibus, quia tales saluantur in locis contrarijs: sunt enim contrariæ locis naturalibus; sed naturales impossibile est contrarias esse. Hæc D. Thomas; quibus apertissimè ponit Philosophum adductis verbis de qualitatibus naturalibus sermonem habere locorum, & animalium, non de accidentalibus; hasq; ipsas naturales locorum qualitates asserere secundum permutationem communis temporis permutari; hisq; mutatis naturales etiam animalium qualitates permutationẽ recipere. Leonicus partim Ephesium, partim D. Thomam in sua interpretatione mihi sequi videtur, partim vtrisq; aduersari: excessum enim duplicẽ facit cum Ephesio, sed tamen alium vocat naturalem, alium accidentalem cum D. Thoma; accidentalem excessum hunc dicens habitudinem à Philosopho vocari, ceu accidentalem quandam corporibus aduenientem qualitatem; quod ante illum posuit D. Thomas. At è contra dissentit ab Ephesio, quòd symmetriam naturalem corporum complexionem interpretans; nam & hoc verbis illis videtur mihi voluisse. Et à symmetria, naturaliq; complexionis modo exire quodam tenus & c. hanc tamen symmetriam, & complexionem à natura ac materia animalium nõ distinguit; cùm Ephesius eam perpetuò, vt vidimus, naturæ ac materiæ opposuerit; & quod habitum, dispositionemq; vocat Aristoteles, voluerit significare. Rursus D. Thomam deserit in eo, quòd qualitates accidentales, harumq; excessus, quos complexiones inquit superare, non vult ab extrinseco causam habere, sed potius ab intrinseco. cùm itaq; posuerit duplicem hũc excessum Leonicus, alterum naturalẽ corporum per quem composita sunt illa, & à sui exordio, vt ipse inquit, aliquam trium elementorum cęperunt præeminentiam; alium accidentalem, qui animalium complexiones exsuperat; inquit priorem excessum à similibus, proprijsq; locis, & temporum constitutionibus seruari, à contrarijs interimi; posteriorem è contra à similibus perimi, à contrarijs conseruari. Iandunus in Quæstionibus super hoc Opusculo D. ferè Thomam sequens, qualitatesq; naturales commemorans, & accidentales; ac naturales quidem esse dicens, quæ ex prima commixtione qualitatum elementorum in mixto oriuntur, & mixti formam in mixto cõse-

Quæst. 11.

sequuntur; accidentales verò, quæ in mixto introducuntur ab extrinseco, vt ex labore, continentis temperie, cibis, ac similibus: arbitratus est qualitates naturales à simili seruari, accidentales à contrario; quia naturales sint instrumentum formæ mixti; ideoq; secundum mixti exigentiam agentes, vt ipse loquitur, illud seruent: accidētales verò, quia tale non sint instrumētum, mixti complexionem consectentur. Hæc ille; qui postea huiusmodi naturales, accidentalesq; qualitates eiusdē esse rationis, ac speciei ponit, & easdem subiecto, sed differre ratione accidentali. Hæ sunt aliorum, quos viderim, super hunc Aristotelis locum interpretationes; quarum veritatem nunc superest vt iustis ponderibus examinemus.

Quæ nam harum interpretationum sit verior, expenditur. Cap. 23.

EX his omnibus enarratis interpretationibus mihi quidem multis partibus probabilior videtur Ephesiana; q̄p.n. pertinet ad illud, quod de excessibus naturæ, ac mixtionis, & symmetriæ dicit, duplicē excessum faciēs, acutissimè mentē vidit Præceptoris. Nanq; Aristoteles perspicuè naturam, ac materiā habitibus, & dispositionibus opponit; ac naturæ nomine substantiam intelligit, & essentiam animalis: siquidem inquit, non esse idem materiam animalium, ex qua est vnumquodq;, & habitus ac dispositiones ipsius. itaq; rectissimè Ephesius, quoniam substantia non habet contrarium, vt sæpè docuit Aristoteles, contrarietatem hanc, quæ in natura, & materia consideratur, accipit ab excessu, qui ex crasi mixtioneq; oritur elementorum, quæ animal constituunt; videlicet ab eorū qualitatibus: nam sic contingit substantiā substantiæ contrariam esse, vt secundo de Ortu, & Interitu admonemur. neq; enim ignis quà ignis, neq; terra quà terra apta sunt agere, vel perpeti, sed quatenus in ipsis inest contrarietas, vt pulcherrimè in libro de Sensu & Sensili docuit Aristoteles. Vnde in qualitatibus sumpta hac ratione contrarietas, perinde est ac si in substantia sumatur: quo modo locum ipsum locato, ac animali similem esse oportere, si conseruari debet, dicit Aristoteles. ac ratio quidem aperta est; materiam enim impossibile est, vt idem inquit, loco esse contrariam; quoniam sic necessariò perimeretur animal à loci qualitatibus cōtrarijs, vt si ex cera, & glacie constitutum in calido loco poneretur, & quod idem est mixtum aqueum in igne: contingit enim sic ingentem fieri mutationem, vt pulchrè significabat citato loco Theophrastus; scilicet ad eam contrarietatem, quæ substantiam respicit vtriusq; qualitatis ratione; vnde vt substantia ipsa pereat, & corrumpatur omnino est necesse. Verùm nec tātùm in excessus huius, qui ad materiā refertur, natura explicāda Aristotelis mēte attigisse mihi Ephesius videtur; sed etiam & in alterius excessus aperienda proprietate, quem symmetriæ, idest complexionis, vt vidimus, excessum eleganter appellauit; Philosophus enim habituum ac dispositionum nomine sine vlla dubitatione animalium intellexit hoc loco complexionem: quam scitè propterea Problem. sectione decimaquarta naturam videtur appellasse; scribens, vt supra vidimus, naturas locis esse contrarias. quod nonnisi de habitibus & dispositionibus intelligi potest; ac de natura, quatenus habitus designat, ac dispositiones. cùm, si eam, quatenus materiam animalis significat, accipiamus, locis contrariam esse sit impossibile, vt hic etiam manifestè concludit Aristoteles: complexio nāq; à Veteribus, & præsertim ab Hippocrate maximè proprio significatu, si Galeno in tertium sectum Aphoris. credimus, natura dicebatur. à nomine tamen naturæ hoc loco visus est Aristoteles de habitibus loquens abhorrere, quoniam natura apud ipsum maximè propriè substantiam dicit, ac formam & materiam, vt secundo Physicorum, & primo de Partibus Animalium habemus. Vnde cùm habitum & complexionem à materia distinguere vellet, vt id apertius ageret, naturæ nomen, vt erat consentaneum, materiæ non dispositionibus, & habitibus impertitus est; per dispositiones & habitus symmetriam intelligens, vt Ephesius dixit verbis illis. συμμετρίαν εἴρηκεν ἕξιν. i. symmetriam habitum vocauit. quam profectò symmetriam cùm ipse dicat ex tali elementorum mixtione resultare, sanè nil aliud ipsam facit quàm complexionem. vt supra asseruimus. Erit igitur, vt multa in paucis conferamus, Aristotelis hoc loco sententia; excessum materiæ, qui in prima animalis constitutione fit, quoniam in ipsius ortu, ac formatione necesse est, vt vnum ex quatuor elementis excedat non solùm quantitate, sed etiam virtute; eò quòd, vt acutè decimo Methaph. docebat Auerroes, mixtum æqualiter ex elementis dari nō potest,

Tex. 49. | Cap. 4. | Prob. 8. & 16. | Aphor. 2. | Tex. 12. & 21. | Cap. 1. | Com. 23.

poteſt, ſed neceſſe eſt eorum alterum prædominari; erit inquam Philoſophi ſententia, exceſſum hunc materiæ ſemper loco ſimili & elemento egere ad ſui conſeruationem: quem locum pulchrè Epheſius locum materiæ appellauit; ita vt ſi aqua præualet, in aqua animal locari oporteat; ſi dominatur terra, in ipſa terra; aut ſaltem ad hæc elementa ordinem habere. & ſic de cæteris; rationemq; Epheſius adducit, quoniam animalis eſſentia in hoc exceſſu cōſiſtit, cùm ita à natura ſit conſtitutum, vt illud in ipſo elementum excedere debeat. quare ſi in contrario loco, & elemento conſtituatur, ideoq; remittatur exceſſus, diſſoluetur omnino ipſius ſubſtantia. exceſſum verò ſymmetriæ, idest complexionis, & habitus ſemper locum contrarium expoſcere, cuius contrarietate, vt Philoſophus inquit, excedentes qualitates coerceantur: quod animali non ſolùm non poteſt interitum afferre, quia in ipſis qualitatibus, & habitibus non in materia eſt contrarietas, ſed illud omnino ſeruat; vtpotè quod ob exceſſum in morboſam affectionem ſit abiturum, niſi moderatio intercedat.

D. Thomæ, Leonici, Ianduni interpretationes refelluntur. Cap. 24.

HInc verò apertiſsimum eſt D. Thomæ, ac Ianduni ſententiam ab Ariſtotelis mente prorſus eſſe alienam; præſertim ea parte, qua volunt, habituum diſpoſitionumq; nomine accidentales qualitates, ac paſsiones eſſe intelligendas extrinſecus animali aduenientes; cùm de his tanquam cæco caſu contingentibus, ac ſine ordine nullum habeat in præſenti diſputatione verbum Ariſtoteles; qui de habitibus, ac diſpoſitionibus tanquam de habentibus intrinſecas, ac certas in animali cauſas, mixtionem videlicet elementorum, locutus eſt, ex quò & hos habitus, vt ſupra tetigimus, naturas etiam aliquando appellauit; & Epheſius ipſo conſentiens ſymmetrias, & in ſymmetrijs exceſſus; volens ab intrinſecis animalis principijs ortum ducere. Vnde magna eſt æquiuocatio. quas enim illi naturales vocant qualitates ex materialibus principijs emanantes (qua in re Leonicus quoq; lapſus videtur) eæ profectò ſunt, quas Philoſophus dicit habitus, ac diſpoſitiones. itaq; & contra ipſius mentem ad materiæ exceſſum illas referunt; & ſimili loco ſtatuunt indigere, vt ſeruentur: cùm enim complexio ex principiorum materialium, ac primarum qualitatum commixtione oriatur, huiuſmodi naturales qualitates, quia hinc ex illorum ſententia ortum habent, neceſſariò ipſam deſignabunt complexionem; at excedens habitus, & complexio contrario loco opus habet, quemadmodum inquit Ariſtoteles, vt ſeruetur, nequaquam ſimili, vt ipſi volunt. Eſt peculiare illud in D. Thomæ interpretatione conſiderandum, quod inquit, qualitates accidentales, quæ excedunt exempli gratia in caliditate, in frigido loco ſeruari: niſi enim aggregatum (vt ita loquar) intelligat qualitatum, quod eſt complexio; quod tamen non poteſt intelligere, quia deforis vult has accidentales qualitates accedere; non video quo pacto à contrario loco ſalutem recipiant. Enimuero ſeruatur quidē à contrario complexio, & temperamentum quatenus refertur in ſanitatem, vt ſupra dicebamus, quia trahitur ad moderationem, ſed non qualitas in eo excedens, vel, vt verius dicam, qualitatis exceſſus; qui contrarij vi, & actione potius tollitur, & aboletur: calidum enim excedens à frigido corrumpitur. Sed & hoc etiam alterum mihi negocium faceſsit, quod adiungit D. Thomas, naturales qualitates ſecundū permutationes communis temporis permutari: cùm enim ipſe intelligat naturalium qualitatum nomine quod materiam, naturamq; vocauit Ariſtoteles, hæc mutatione temporum (ſiquidem per commune tempus Ariſtoteles temporum anni mutationes deſignauit) nequit vllam recipere mutationem; cęteroqui aqua deſineret eſſe aqua, terra, terra; & ſic de cęteris. quòd ſi per qualitatem naturalem, complexionē ipſam intelligamus, iam & mutatione temporum ipſam permutari, & alterari facilè concedam. De Ianduno quàm longè deſciſcat à veritate, facile eſt ex ſuperioribus iudicium; qui dum addit naturales, accidentaleſq; qualitates eiuſdem eſſe rationis, ac ſpeciei, eaſdemq; ſubiecto, ſed diferre ratione accidentali; non tàm veram harum qualitatum differentiam tradere videtur, quàm confugere ad quaſdam obſcuras locutiones; vt iam non ratione pugnet, ſed artificio. In Leonico inſignem illud habet meo quidem iudicio difficultatem, quòd ipſe in materiæ exceſſu, vt ſeruetur, non ſolùm loci, ſed temporum etiam requirere videtur ſimilitudinem, tanquam rem omnino neceſſariam: ita enim ſcribit. Naturales enim corporum exceſſus, per quos compoſita ſunt illa, & à ſui exordio aliquā

» trium elementorum cęperunt præeminentiam, à similibus profectò locis, ac temporum constitutionibus conseruantur; à contrarijs autem interimuntur. enimuero tēporum anni, quatenus talia sunt & considerantur, mutatio constitutioq; contraria nullo pacto substantiæ, naturæ, materiæq; sic opponitur, & aduersatur, vt posit illā perimere: temporum nanq; anni temperatio, & in temperatione contrarietas opponitur animali non secundum eam contrarietatem, quæ in substantia est, prout substantiæ contingit habere cōtrarium; sed secundum eam contrarietatem, quæ in habitibus, ac dispositionibus animalis reperitur; videlicet in ipsa complexione. propterea diuinus Præceptor de temporibus anni in ea tantùm contrarietate, quæ ad habitus refertur, mentionem fecit; in altera nequaquam: dixit enim. Habituū enim excessus habentia loca cōtraria & anni tempora cōseruant; natura autem in proprijs maximè seruabitur locis. quibus verbis, vt patet, cùm de contrarietate, ac similitudine ad habitum loquitur, tempora anni recenset; cùm de similitudine, & cōtrarietate ad materiam, ac naturam; loca solummodo non tempora. quare tantum abest, vt temporū similis constitutio ad materię conseruationem sit necessaria, vt contrariam quærendam ad salutem animalis, si habitus excedens sit, præcipiat Aristoteles, sed tamen loci seruata similitudine: sic enim scribit. » Habitus autem, qui quidem excedentes sūt caliditate in frigido, qui autem frigiditate in calido positi seruantur magis; reducit enim ad mensuram locus habitus excessum. Hoc igitur oportet quærere in locis proprijs vniuscuiusq; materiæ, & secundum permutationes communis temporis anni: habitus enim contingit locis contrarios esse, materiam autem impossibile. Hæc ille; quibus nos perspicuè admonet, contrarietatem ad excedētes habitus esse in proprijs locis quærendam, & iuxta temporum mutationes; nimirum quia eiusdem loci alia pars alia pro vario positu, ac situs ad cœlum conditione frigidior esse posit, vel calidior. quo sensu dicebat octauo Historiarum Aristoteles, animaliū pleraq; sedes mutare, vt moram æstate locis frigidis, hyeme tepidis trahant; vt pisces, qui ab alto ad littus descendunt, & contra de littore in altum fugientes exuperantias frigoris, & caliditatis; & pleræq; aues, quæ modò campestria, modò montana loca petunt; nec tamen vnquam locum sibi materiæ ratione proprium, & similem deserunt, videlicet aquam, & aerem, ac terram. quę profectò animalia, si contrarietatem hanc in loco quærerent alieno, videlicet pisces in aere, vel terra, aues in aqua, statim perirēt. Sic ergo videmus, locum, quatenus dicit elementum, ac materiæ respondet, semper esse similem oportere, tametsi in alia atq; alia ipsius parte versetur animal, & degat; quatenus verò ambientis aeris qualitatibus, & quatuor anni temporum temperamento informatur, posse etiam esse contrarium; quin etiam & debere: proinde excessum, qui in materia est, proprium, ac similem locum perpetuò requirere, vt cōseruetur, simile tempus nequaquam; quia non sit necessarium, secus quàm arbitrabatur Leonicus, ad sui conseruationem. quod quidem si verum esset, temporis constitutio contraria animal perimeret; quoniam cōtrarietas, quæ materiam respicit, vt cerę, glacieiq; exemplo docuit Aristoteles, animal corrumpit. quod certè non solùm verum non est, sed è contra, vt Aristoteles inquit, sensusq; ipse probat non ratio tantùm, contraria tempora animal seruant habituum excessum moderantes.

Cap. 12. & 13.

Quæ aduersus Leonicum dicta sunt, vberius comprobantur. Iuxta accepta fundamenta ad propositam quæstionem respondetur. Cap. 25.

Hoc totum, quod dicimus, adeò verū est, vt si temporis constitutio materiam aliquando respiciat, iam non vt tempus annuaq; mutatio, sed vt locus, ac regio concurrat, regionisq; induat naturam. quod pulchrè demōstrauit Aristoteles prima sectione Problematum; vbi quærens, cur insalubris, grauisq; annus fiat, in quo rubetarum ranarum copia oriatur, ita respondet ad quæstionem. An res vnaqueq; » loco suæ naturæ idoneo abūdare solita est? » itaq; eiusmodi animantium genus, cùm » natura humidum sit, humidum, pluuium- » q; annum ob eam ipsam causam indicat. » Hæc ille; qui cùm nullum verbum apponat, vel immutet sine magno artificio, cùm grauem annum posuisset, qui nil aliud est quàm ipsa quatuor tempora, χωρὰν postea, scilicet locum ac regionem eius vice repetens, & mox vice τῆς χώρας pluuium annum & humidum, satis perspicuè docuit, annum ipsum hac in re vim regionis referre, & tanquam locum concurrere. ac sanè rectissimè; materiam enim re-

Prob. 21.

respicit, scilicet elementum aqueum, ac humidum redundans in ortu illorum animalium; quod ad locum pertinere in Opusculo de Respiratione declarauit. cur enim si id non est, non dixit Aristoteles, vnumquodq; in tempore suę naturę idoneo abũdare? sic enim, cùm annus tempus sit, dicere debebat. non igitur sine magna causa temporis loco regionem vsurpauit: considerauit enim, vt diximus, hîc aerem non tanquam tempus anni habitus respicere, ac dispositiones illorum animalium, quo pacto contrarij habere debet rationem, sed tanquam locum similem ad ortum illorum conferre, & ad materiam. quod etiam primo libro de Plantarum causis Theophrastũ impulit, vt aerem cum loco, quasi idem essent, coniungeret: dixit enim. Ob aerem, & omnino ob loca. quod sanè aduerbium non ideo addidit mea sententia, quia locus quoq; in aere est; vel quia terræ quoq; locus non solùm propter internas qualitates, sed etiam propter cœlum talis est, vt Scaligero placuit: quod postremum semper verum esse nequit; cùm aer tempora dicens, loci internis qualitatibus posit esse contrarius: primum nihil docet, tanquam nimis vniuersale. verùm adiecit Theophrastus. & omnino loca. quoniam aerem ibi considerabat, quatenus ad materiam plantarum, ortumq; conferebat, ac nutritionem. ex quò & subdidit; regiones quasdam naturam arboris susceptã seruare posse. quo pacto aerem loci naturam induere iam explicauimus; vt hac etiam ratione ipsa anni tempora considerata & tanquã similia aliquando concurrere, & loci naturam representare dici debeant. quo sẽsu primo de Plantarum Causis scriptum video, ver tempus esse omnium viuacissimũ, & fęcundissimum, ideoq; summè aptum germinationi; vt potè quod humidum calidumq; natura existens vitalibus principiis respondeat. item libro tertio loca ipsa suæ ratione naturæ diuidi, & diuersis temporibus tribui licere. ex quibus sanè omnibus latissimè patet, si annuum tempus & aer cum loco consentit, si cum substantia, materiaq; habet similitudinem, iam non vt varias dicit, contrariasq; anni mutationes id efficere, sed omnino vt particularem temperationem, ab annuisq; mutationibus diuersam nactus, loci subit rationem. quo modo οἰκεῖον ἀέρα, & τόπον sæpè in libris de Plantarum Causis coniungit Theophrastus; vt similis temporum cõstitutio, quatenus tẽpora sunt, ad materiæ excessum conseruandum non sit necessaria, veluti aduersus Leonicum dicebamus. Verùm his ita explicatis quid de locis ipsis, ac temporibus anni sentiendum sit, quo modo similitudinis, contrarietatisq; ratione ad efformandum, conseruandumq; animal concurrant, latissimè patet: si enim substãtiam ipsam respicias, ac materiã, materięq; excessum, similitudo in loco semper est necessaria; quin etiam & in nutrimento: siquidem, vt passim clamat Aristoteles, ex ijsdem nutrimur, ex quibus sumus. si excedentes habitus, ac dispositiones, locorum, temporumq; contrarietas perpetuò est necessaria ad salutem. Hinc fortasse quo cõsilio primo Aphoris. secto dixit Hippocrates, pueros humidis cibis esse nutriendos, quod tantopere Medicos torquet, facilè intelligimus: respexit enim essentiam, materiamq;, quam in pueris maximè talem seruare oportet. quod idem considerasse Galenum arbitror, cùm dixit, siccos cibos siccis, humidos humidis conferre: vt enim perbellè octauo de Historia Animalium docet Aristoteles, cibi differunt potissimum ratione materiæ, ex qua ipsa, quæ aluntur, animantia consistunt. incrementum enim quibusq; secundum naturam ex eadem, qua constiterint, materia fit: quod autem secundum naturam est, id suaue contingit. ex quò, vt idem pulchrè admodum subiungit, cibi, quem petunt, ratione animantia locis disiuncta degunt, & alia aquatilia, alia terrestria euadunt. pro materiæ enim prædominantis excessu vel terrestria fiunt, vel aquatilia: at verò pro materiæ ratione cibum similem quærunt animalia. quod quidem vtrunq; sic diuinè, vt ferè solet omnia, citato loco Aristoteles aperuit. Itaq; terrestre etiam, & aquatile esse modo vtroq; prædicto parte animalis exigua immutata potest; vt alia terrestria, alia aquatilia procreentur; & alia vitam simplicem agãt, alia ambiguam; propterea quòd generatione suæ constitutionis materia tali participarint, qualem sibi in cibo assumunt. charum enim cuiq; suaueq; est, quod per naturam habetur, vt superius diximus. Hinc cùm animalia per locorum differentias diuidit Aristoteles, ac secundum vitæ discrimina; simul cum temperamento corporis, cuius nomine materiam, materiæq; redũdantiam intelligit, victum coniungit, ac rectissimè quidem, quoniam victus, ac nutrimentum substantiam respicit animalis, vt secundo de Anima ipse demonstrauit.

Cap. 9. — Cap. 14. — Cap. 4. — Aph. 16. — Cap. 1. — Tex. 47.

Quædam tollitur dubitatio. *Cap.* 26.

NEc verò veritatem hanc turbat, quòd hæc, quæ dicimus in animalibus, quæ genere differunt, locum habere videantur; videlicet in aquatilibus, terrestribus, ac volatilibus: enimuero similis est, si quis accuratè intueatur, in omnibus quodammodo ratio; cùm eadem sit proportio generis ad genus, speciei ad speciem, & indiuidui ad indiuiduum; tametsi indiuiduum ab eo, quod speciei proprium est, species ab eo quod generis, recedere nequeat. Itaq; sicuti quoad materiam, nō solùm quoad complexionem aliud alio humidius, vel siccius, frigidius, vel calidius animalium, ita & species, & indiuiduum; vt quæ redūdantis materiæ ratione illis conueniunt, & substantiam respicere, & similitudinem requirere in loco videatur. ad quam profectò substantiam, ac materiam in indiuiduis redundantem, non ad complexionem animum par est Galenum intendisse, cùm dixit, humidas naturas humidis cibis, siccas siccis esse nutriendas. quo etiam sensu sic ab eo sexto libro de Tuenda Sanitate scriptum video. *Cap. 3.* Porrò apta sunt humidis quidem humida, & siccis sicca. Nutritio enim fit, cùm is, qui nutrit, cibus, corpori, quod alit, assimilatur. citius autem assimilantur sicca siccis, & humida humidis. cibi enim facit mentionem, ac nutrimenti, quod, vt vidimus, substantiam materiamq; respicit animalis. ex quò & paulò post diuersis animalibus diuersa scribit esse alimēta; sicuti & sine vlla dubitatione, nisi hallucinor, ad materiæ in speciebus non in generibus excessum respexit libro nono de Historia Animalium Aristoteles verbis illis. *Cap. 27.* Omnia verò tùm nantia, tùm stabilia locis eisdem, quibus orta sint, aut similibus degunt: suus enim quibusq; cibus in ijs est. loquitur enim de piscibus, quos degere in locis, in quibus geniti sunt, vel similibus propter cibi similitudinem docet. Vtrum autem qualitas, quæ materiam designat, eadem sit cum complexionis qualitate, an non; cùm libello de Respiratione dixerit Aristoteles, *Cap. 13.* non esse idem materiam, ex qua est animal, & materiæ habitus ac dispositiones; quomodo siccitate exempli gratia redundans corpus materię ratione, pariterq; complexionis ex vna parte simile ad sui salutem requirat, videlicet propter materiam, ex alia contrarium, videlicet propter excedentem in complexione qualitatem; & vtrum, dum vtrisq; opitulari volumus, vtraq; lædamus, vel non; alio loco disputabimus: neq; enim omnia hîc congerere consilium est, sed ea tantùm pertractare, quæ ad nostrum sunt institutum necessaria. quare ad propositum redeamus, dummodo tamen hîc lectorem admonuerimus, hanc inter materiam, & habitus ipsius differentiam multò antea secundo secto Aphorismorum Hippocratem indicasse, *Aph. 34.* cùm naturæ habitum adiungeret. quo loco naturæ nomine non complexionē cum Galeno, sed materiam ipsam, naturamq; animalis satius erit interpretari: habitus verò nomine dispositiones ipsius, videlicet ipsam complexionem intelligere. quam profectò inter materiam, ac ipsius dispositiones differentiam Medicos omnes tenere, & accuratè obseruare necesse est, nisi in plerisq; locis à veritate velint aberrare. cuius rei Argenterius primo libro de Officijs Medici testis est locupletissimus, *Cap. 4.* qui vt probaret, conseruationem fieri à simili, ita scribens. siquidem calidiora animalia in locis calidioribus, vt leones in Aphrica; frigidiora in frigidioribus, sicuti pisces in aqua, optimè degunt, & conseruantur. distinctionis huius ignoratione fœdissimè lapsus est; non videns longè alia ratione pisces in aqua esse ex sententia Præceptoris à natura collocatos, quàm leones in locis terrę genitos calidioribus; cùm pisces propter materiæ in humiditate & frigiditate redundantiam, non propter habitum dispositionemuè frigidiorem, vt in Opusculo de Respiratione habemus, *Cap. 13.* versari in aqua sit necesse. vt prætercam leones non in Aphrica tantùm, sed in Europa quoq; inueniri, videlicet in locis quoq; frigidioribus; vt sexto Historiarum monet Aristoteles. *Cap. 31.*

Rursus quo modo temporum, locorumq; contrarietas sit necessaria ad conseruationem. tollitur ex Hippocratis, et Aristotelis dictis omnis contradictio. pulcherrimus ex Problematis locus explicatur. Gaza reijcitur. *Cap.* 27.

QVòd si excedentes habitus, ac dispositiones consideremus; iam quia & locorum, & temporum contrarietas ad cōseruationem sit necessaria, vt superius monuimus, rectissimè ab Hippocrate, Galeno, & Aristotele proditum videmus, similia tēpora & loca perimere, nō conseruare. vnde in eorum dictis, ac præsertim in Aristo-

stotelis oratione nulla est contrarietas; qui in Problematis habitus, ac dispositiones huiusmodi ob oculos habens, similem tẽporis statum ijs, qui benè valẽt, perniciem afferre, quia intendat augeatq; excedentẽ qualitatem, ac ad maiorem ducat excessum, affirmauit: siquidem hoc est, quod Problemate tertio primę Sectionis asseruit verbis illis, de crasi loquens, ac temperamento.
» ἅμα γὰρ ταῖς οἰκείαις ὥραις, ἢ ἡλικίαις, ἢ τόποις
» αὐξάνεται. idest, vt nos interpretamur. vnà
» enim cum similibus temporibus, & ætati-
» bus, & locis augetur; & quod idem est, ac paulò supra ipse apertè significauit, soluitur, & corrumpitur: augetur enim qualitas consentiens à temporibus similibus, ac locis, & quod in idem redit, intenditur necessariò; cùm verò intenditur, & augetur, degenerat in morbum, ac perimit, quia soluit temperamentum; nam & sic ipse pau-
» lò supra dixit. Intendet sanè, atq; interi-
» met. At Theodorus ita transtulit. Quip-
» pè quod (scilicet temperamentum) nonnisi
» temporum, ætatum, locorumq; statu ido-
» neo aptum sit augeri, seruariq;. Cęterum dixerat Aristoteles paulò supra, qui benè valent, in temporum mutationibus ægrotare, quoniam soluatur ob mutationem, temperationemq; superuenientem corporis complexio, & temperamentum; quod quidem inde dependebat, quòd iam erat supra ab eo positum, excedenti qualitati, quæ morbum creat, simile temporis superueniens temperamentum, intendere, ac perimere: itaq; cùm dixisset, διὰ ταῦτα, scilicet ob eandem causam eos, qui benè valent, in temporum mutationibus ægrotare, quoniam tempus, in quod fit mutatio, soluit complexionem; vt explicaret eadem ratione fieri solutionem hanc, & proinde morbum in sano corpore, qua & interitum in ægroto effici declarauerat, proposita
» verba subdit, inquiens. ἅμα γὰρ ταῖς οἰκείαις, & c. quæ, vt particula, γάρ, ostendit, causã explicant, & reddunt, cur in mutationibus temporum ideo, qui benè valent, ægrotent, quia mutatio soluit temperamentum. quę profectò causa superioribus consentiẽs talis est, quòd similibus temporibus, ætatibus, ac locis augetur, intenditurq; temperamentum ipsum, videlicet similis superuenienti tempori qualitas, quæ in temperamento existit, ac proinde soluitur. ætatum enim, ac locorum mutationes alicuius temporis mutationes sunt, vt idem eodem problemate paulò infra admonet. Vnde & vox οἰκεῖον hoc loco similitudinem designabit, cùm sic argumentetur, vt video, Aristoteles. simile temperamentum temporis superueniens temperamẽtum ipsum corporis soluit; at in mutationibus simile tempus superuenit; igitur & temperamẽtum corporis soluit: ducit enim simile tẽpus, ac trahit illud in similẽ qualitatem, vt infrà Problemate vndecimo admonemur; & si iam similis viget qualitas, trahit illam ad excessum. est enim morbus, vt hoc loco idem admonet, primarum qualitatum excessus; sanitas verò earundem æqualitas. ex quò & pulchrè tertio Topicorum scriptum legimus, sanitatem viribus corporis, & eiusdem pulchritudini esse anteponendam, quoniam illa fit in humidis, & siccis, in calidis & frigidis, ac omnino in his, ex quibus animal constat; hæc verò in posterioribus. Et septimo Naturalis Auscultationis calidorum, & frigidorum quandam esse commensurationem, aut eorum, quæ sunt intra, aut ad continens. itaq; dum benè valet corpus, non debet augeri temperamentum, sed permanere in eodem statu, & qualitate; ita enim ducitur ad excessum. quòd verò in mutatione tempus simile superueniat, quod æqualitatem, proindeq; sanitatem tollere possit, inde patet, quoniam omnis mutatio fit in contrarium, & hæc est natura mutationis; at præcedens tempus corpus in æqualitate conseruabat, & proinde sanum; itaq; superueniens, quia contrarium sit, vim habebit æqualitatem dissoluendi. at non potest soluere, in proposito, nisi ducat ad excessum; sic enim tollit ipsam æqualitatem; non potest ad excessum ducere, nisi simile existat. vt hinc videre liceat quo modo simile, quo modo contrarium, tempus quod succedit, vocari possit; est enim contrarium sanitati, sed simile qualitati, quam ducit ad excessum.

34. Cap. 1. Tex. 17.

Quæ aduersus Gazam dicta sunt, plenius confirmantur. Cap. 28.

SEd videre mihi videor quid hominem fefellit: vox enim illa, οἰκεῖον, ferè salutem videtur indicare. cùm enim non solùm simile, sed familiare, & ad naturam accomodatum designet; quod tale est, non videtur noxam vllam afferre posse: vt hac de causa tẽpus simile, quod ducẽs ad excessum nocet, nõ possit οἰκεῖον appellari. quod fortasse Theodorum impulit, vt verbum αὐξάνεται hoc loco non solùm augeri, sed seruari interpretaretur: tempora enim, lo-

ca, & cibos, ac reliqua, quæ sua similitudine seruant animal, & materiam, οἰκεῖα vocat. Verùm considerandum illi erat, etiam quod οἰκεῖον Græci appellant, idest idoneum, conueniens, familiare, interdum exitio esse, si excedat; vt non sit necesse semper afferre vtilitatem. quod Theophrasti est sexto libro de Plantarum causis (Cap. 5.) ita scribentis. οὐδὲν γὰρ τῶν οἰκείων φθαρτικὸν, εἰ μὴ ταῖς ὑπερβολαῖς. idest vt Theodorus. „Nulla enim res conueniens corrumpere „potest, nisi suo excessu. ex quò & idem Auctor libro precedenti (Cap. 21.), ἐν τοῖς οἰκείοις τὰς φθορὰς, idest in conuenientibus corruptiones agnoscit: nimirum si immodica, aut vehementiora, aut nimis tempestiua exhibeantur, quemadmodum pulchrè ipse explicat. vt iusta de causa scripserit Aristoteles, conueniens alioqui tempus, ætatem, & locum conuenientem, complexionem ipsam intẽdere, augere, ac perimere posse, si excedant; quoniam in rebus alioquin & conuenientibus, & vtilibus lateat pernicies, si præter modum eorum fuerit vsus. præterquàmquòd huiusmodi vox, vt supra ex libello de Respiratione ostendimus (Cap. 13.), nil amplius quam ὅμοιον, idest simile in qualitate non semel Aristoteli significat, sicuti & è contra τὸ ὅμοιον idem quod τὸ οἰκεῖον Theophrasto aliquando video significare; vt libro primo de Plantarũ Causis (Cap. 27.) verbis illis. „οὐ γὰρ οὔτε γεννᾷν, οὔτε εὐτρέφειν, οὔτε σώζειν πέφυκε τὸ ἐναντίον, ἀλλὰ τὸ ὅμοιον. idest. neq; enim „gignere, neq; benè alere, neq; seruare con„trarium aptum est, sed simile. quid enim Aristoteli, ac Theophrasto οἰκεῖον magis, quàm quod generat animal, benè nutrit, ac seruat? quare nemini dubium esse debet, etiam τὸ οἰκεῖον interdum quod τὸ ὅμοιον valere, amplius nihil. quod etiam hic Problematum locus docet apertissimè; vnde & οἰκεῖος dici potest locus, & tempus, tametsi sua similitudine noxam afferant: quo modo ad habitus vox ipsa refertur, & ad dispositiones: est enim docente secundo libro de Plantarum Causis (Cap. 2.) Theophrasto duplex τὸ οἰκεῖον, idest naturæ, & quod refertur ad robur, & facultatem, dixeris clarius materiæ, & dispositionis. Non debuit igitur nostra sententia Theodorus vocem hanc idoneum hoc loco interpretari, quoniam tempus contrarium idoneum quidem est ad conseruandum, sed non tamen simile; è contra consentiens tempus, quod superuenit, simile est, sed non idoneum: longèq; minus debuit de suo addere alterum illud, seruariq; ; quo iniquè Aristotelem coegit omnino contrariũ à præmissis concludere. dixit enim Philosophus intendi, augeriq; temperamentum, vt solui, destruiq; doceret; quod quidem, cùm sanitate corpus fruitur, non debet augeri, vt supra tetigimus, sed in suo statu permanere. cùm enim persistit temperamentum, manet quoq; sanitas; cùm verò soluitur, soluitur etiam sanitas: est enim commoderatio, & æqualitas quædam. si autem augeatur tẽperamentum, tollitur æqualitas, & commoderatio ducitur ad excessum. at seruari temperamentum, si augeatur, addit Theodorus, quod insignem repugnantiam videtur includere. si enim augetur, & intenditur, ergo & soluitur, proindeq; & corrumpitur, non seruatur: additur enim simile simili quasi ignis igni, vt eadem sectione idem pulchrè ostendebat Aristoteles (Prob. 17.), causam adiungens, cur à Vergiliarum exortu ad Fauonium senes maximè pereant, & qui longo morbo laborant. qui etiam locus latissimè probat, non semper à simili fieri conseruationem; item simile agere in ipsum simile, videlicet simile tempus in simile temperamentum. atq; hæc sunt verba Aristotelis. „Ea nanq; corpora sicca, & „frigida sunt; altera scilicet ob ætatem; al„tera ob languorem: hyemem verò & gelu „frigoris atq; siccitatis esse excessionẽ cer„tum est. quare fit, vt cùm vel paruo mo„mento corpora pateant, hyemis rigor qua„si ignis igni iniungatur, atq; ita interimat.

Superior exposita sententia confirmatur.
Cap. 29.

IAm verò hanc sententiam pulchrè quarta sectione videmus confirmatam, vbi (Prob. 26. & 29.) Philosophus naturas calidas præ nimio calore æstiuo tempore collabi, ob temporis videlicet consensionem, frigidas refoueri, & vigere scribit; ideoq; pueros tanquam natura calidiores æstate reddi tenuiores, quoniam ignis quasi igni coniungatur: simile nanq; tempus similem augendo temperationẽ ducit ad excessum, & soluit corporis salubre temperamentum. at è contra tempus cõtrarium, vt pulchrè idem eadem prima sectione definit (Prob. 11.), in partem trahendo contrariam in optimum temperamentum illud redigit. Itaq; rectissimè citato Problemate dixit temperamentum in simili tempore, loco, & ætate augeri, proindeq; periclitari: siccum enim & frigidum temperamentum in siccum & frigidum anni tempus, in siccum locum & frigidum, in æta-

ętatē siccā & frigidam si incurrat, augeatur necesse est, ac à suo statu dimoueatur, & pereat. nam & hoc est quod Galenus quoq; affirmabat Com. tertio Aphoris. simili tempore, loco, & victu morbos generari, cōtrarijs tolli. Sed quædā pestes hominū laude aliena dolentium, qui sibi timentes, non tàm quod dicitur, quàm qui dicit attendunt; & qui auctoritatibus potius addicti quàm rationi, ac veritati, si alius in dicendo inueniatur ingeniosior, illius profectui insidiantur, & alieno malo suam tyranidem tueri non desistunt; temerarium fortasse existimabunt, quòd me vidisse profitear, quę Theodorus vir magnus, & cui meritò in hoc munere interpretandi primi honores debeantur, in hoc loco conuertendo non perspexit; odiosum, quòd in tantum erratum ipsum lapsum esse audeam affirmare. Verùm liberum sit vnicuiq; iudicium: mihi certè visum est, cui nihil ipsa veritate sanctius studiosorum bono consulendum esse magis, quàm cuiusq; auctoritati; vt hac de causa quotiescunq; occasio in hoc opere ex Aristotelis verbis data est, non simus veriti in illis interpretandis cum hoc strenuissimo duce in arenam descendere. Non me tamen præterit pro defensione Theodori posse dici, Aristotelicorum verborum sententiam esse, conuenienti tempore augeri temperamentum, scilicet seruari; cùm videlicet vel simile fuerit, vel contrarium pro seruādi temperamenti necessitate: idq; Aristotelem voluisse, cùm dixit conuenienti tempore, loco, ætate augeri temperamentum; adeò vt ab his tanquam à conueniētibus auxilium perpetuò recipiat, non perniciem. sed vtrum id Aristotelicæ disputationi congruat, aliorum sit iudicium: neq; enim video cur augeri tantùm temperamentum idoneo tempore, vt seruetur, dicat Aristoteles, vt corpus sanum permaneat; cùm posit etiam eius ope minui, ac remitti, & sic seruari, si id occasio ferat. Nec rursus video quomodo, si mediocritas quædam est & æqualitas, vt seruetur, augeri debeat, vel minui. Sed ad nostra redeamus. Habituum igitur, ac dispositionum huiusmodi habita ratione Aristoteles hoc in loco similia, vt dicebamus, perimere tempora pronunciauit, non conseruare. quo etiam sensu sectione decimaquarta affirmauit naturas locis contrarias esse oportere; & in Opusculo de Respiratione loca & tempora contraria ipsos habitus conseruare. cùm autem eodem libro secus docere visus est, scilicet conseruationem fieri à loco simili, materiam ipsam ob oculos habuit; sicuti & Theophrastus, cùm dixit primo libro de Plātarum Causis animalia in suo ac simili loco generari, & permanere, & loco simili non affici. quo etiam sensu vigesima octaua Prob. sectione dicebat Aristoteles, pisces inter aerem, homines in aqua degentes necessariò malè se habere. vnde (quod supra vocabatur in dubium) nulla est in eorum dictis contradictio.

Aphor. 3. — Prob. 8. & 16. — Cap. 13. — Cap. 27. — Prob. 1.

Quæ sit causa longioris, ac breuioris vitæ in viuentibus secundum Aristotelem. Cur in Opusculo de Vita, et Morte calidi non humidi fecerit mentionem.

Cap. 30.

IAm verò ijsdem receptis fundamentis, non solùm quo modo loca, & tempora concurrāt ad animalium conseruationem, cognitum habemus; sed etiam quo modo ad vitam eorundem faciant diuturniorem, vel breuiorem. quod eò facilius assequemur, si veras longioris, & breuioris vitæ causas ex Aristotele perdiscemus. Philosophus igitur in Opusculo dicato huic quęstioni sumens tanquam sensu notum, animal natura calidum, & humidum existere, & ipsum viuere tale; senectam verò frigidam & siccam, & quod mortuum est tale; in humidum ipsum, atq; in humidi quantitatem, & qualitatem, insuper in calidi cum eo proportionem, omnem vitæ, longitudinisq;, ac breuitatis ipsius causam refert. Si enim, vt ipse ratiocinatur, quod consenescit, ac moritur, exsiccatur, & frigescit; iam & mortis causa siccum erit, ac frigidum: quare, cùm contrariorum causæ contrariæ sint, necessariò animal, quòd viuat, calido, & humido acceptum referet; & quòad tale permanserit, vita potietur; & quò diutius tale, vita longiore; quò breuius, breuiore. quam ob rem quæ animalia humidum, quod non facilè sit corruptibile, nacta fuerint, tale autem erit, si non facilè exsiccabile extiterit, nec facilè gelabile, & quod à frigiditate superetur, vitæ erunt diuturnioris. huiusmodi autem erit humidum, si multum fuerit: enimuero facilè siccabile quod paucum, vt inquit Aristoteles; item si & multum calidum; ita enim transibit in aereum: sunt nanq; duæ causæ vitæ longioris in humido, quantum, & quale, vt docet diuinus Vir. quare oportet non solùm adesse copiam humidi, sed in hoc ipso humido copiam quoq; caloris;

loris; adeò vt aeris referat naturam. ita enim pinguedinem quandam, ac dulcedinē habebit, & viscositatem. siquidem tale existens qualitatis etiam ratione neq; facilè erit exsiccabile, neq; facilè gelabile; quin etiam & magis quàm ratione quantitatis, vt non sine magna causa placet Aristoteli. longioris enim vitæ sunt, quemadmodum ipse testatur, quæ deficiunt copia humidi, si qualitate vincant magis, quàm vincantur quantitate; vt hanc ob rem longæuus magis homo sit quàm aliqua maiora, quoniam comparatione facta vitale hominis principium longè magis superet vitalia illorum principia qualitate, scilicet calore, quàm superetur ab illis quantitate. quod enim calidius est, difficulter gelu stringi potest: quod verò pingue est, ac viscosum, difficulter est exsiccabile; humidum enim simul, & calidum sua tenacitate constantius retinet, ideoq; non facilè patitur exsiccari. hinc pinguia non putrescere tradit Aristoteles; sunt enim aeris; aer verò ad alia elementa tanquam ignis est, quia calidus, illa frigida; ignis autem nō putrescit. Demum his duabus ipsius humidi conditionibus alteram adiungit, ac tertiam Aristoteles, quòd non sit excremētitium: ita .n. erit nō leuiter corruptibile; excrementi enim virtus corruptiua est, vt ipse inquit. ex quò & salacia, & quæ multum emittunt semen, citò senescunt. semen enim excrementum est, & copiosius emissum exsiccat; vt hac de causa mulus longioris sit vitæ equo & asino, ex quibus genitus est: neq; enim abundat semine, neq; crebrò venerem exercet. quin etiam & ob id fęminæ diuturniores existūt maribus, si salaces sint mares, vt passeres fęminæ suis maribus. Intelligendum autem est humidum huiusmodi, quod radicale appellant, & calidum quod naturale, & innatum, in corde ipso à natura esse à primordio animalis complantatum; quemadmodum in Opusculo de Vita & Morte, ac de Respiratione docet Aristoteles, generationē pulchrè definiens primam cum calido nutritiuæ animæ participationem, vitam verò huius mansionem. quam quidem animam in corde simul cum instrumento, igne scilicet, & calido natura collocauit, quod in humido esse habet, ac sine eo nequit existere. dixit autem calidi permansionem vitam esse, neq; vllam fecit de humido mentionem, quoniam aliud est causam vitæ simpliciter quærere, aliud causam vitæ longioris, vel breuioris: enimuero animal quòd viuat à calido habet, cùm vita tanquam lumen in naturali calore consistat; sine quo anima, quæ primò vitæ causa est, nequit reperiri. Vnde Aristoteles paulò supra eodem capite corruptionem, mortemq; cunctis animantibus oriri ob calidi huius defectum asseruit. quòd verò diutius, aut breuius viuat animal, habet ab humore, qui caloris est pabulum, ab eiusq; temperatione, atq; ad ipsum calidum proportione. atq; hæc causa est, cur in libello de Vita, & Morte aut ipsum calidum tantùm, aut præcipuè, Aristoteles considerat; in Opusculo de Lōgitudine, & Breuitate Vitæ omne ferè negocium circa ipsum humidum versatur. Item intelligendum est, hoc humidum & calidum substantiam dicere omnino, & materiam; in quo à plerisq; dissentimus, qui totum id, quod de humido & calido disserit Aristoteles, in ipsam referunt complexionem: siquidem Philosophus in hoc Opusculo humidum ipsum naturalis calidi materiam vocat, in ipso humido calidum naturale dicens existere; quin etiam & paulò supra tanquam totius disputationis fundamenta sumit duo illa; natura animal esse calidum & humidum, & viuere ipsum tale; item calidum, siccum, frigidum, & humidum materiam corporum existere; quibus duo hæc humidum scilicet, & calidum materiæ subire rationem demonstrauit: vt meritò ipsum etiam calidum secūdo de Anima ad formam & animam relatum materiæ vicem gerere pulchrè scripserit. quare humidum & calidum designabunt in animali substantiam, non qualitatem tantùm & complexionem; ac substātiam vt materiā.

Tex. 41.

Vndecim soluuntur superioribus receptis, ad vitam animantium longiorem, ac breuiorem pertinentes dubitationes. Cap. 31.

HInc verò eorum omnium, de quibus initio libelli de Longitudine, & Breuitate Vitæ dubitabat Aristoteles, causa elucet; videlicet cur neq; maxima minus corruptibilia existant; equus nanq; homine breuioris est vitæ: neq; parua; pleraq; enim insectorum annuum vitæ spatium non excedunt: item cur neq; stirpes omnino minus corruptibiles animalibus; nonnullę enim stirpium sunt annuæ: adhuc cur neq; sanguine prædita minus corruptioni obnoxia exanguibus; siquidem apes vitæ diuturnioris sunt quàm nonnulla sanguinem habentia: neq; è contra quæ sanguine carent; quia mollia sanguinis expertia, an-

nuum verò perdurant spatium: tandem cur neq; ea, quæ in terris degunt, diuturniora sint; nam quædam stirpes annuæ, ac terrestrium animalium aliqua: nec quæ contra in mari & aquis; cùm ostreacea, & mollia breuioris sint vitæ: sed tamen quare generaliter stirpes diuturniores quàm animalia; & animalium sanguine prædita sanguine carentibus; & terrestria aquatilibus sint diuturniora: vt si hæc copulentur, sanguine prædita & terrestria animalia in vniuersum longiori vita potiri videantur; quin etiam & vt plurimum maiora minoribus. Horum inquam omnium, quæ pulcherrima sunt, ac scitu iucundissima; in disputationis cursu ab Aristotele proposita, facilis apparet ipsius receptis fundamentis dissolutio. quoniam enim quale in humido maioris est momenti ad vitam producendam quàm ipsum quantum, vt superius explicuimus, idcircò maxima pleraq; animalia, tametsi quanti ratione excedant, minus sũt nonnullis minoribus diuturna, vt equus homine. etenim in ipsa deficiunt qualitate: neq; enim humidum adeò calidum, proindeq; neq; aereum habẽt, ac pingue; ideo facilius exsiccabile & gelabile, quia aquosum magis. eandem ob causam parua vt plurimum vitæ sunt breuioris; deficiũt .n. insigniter in quãto, & quali. sicuti & quia humidum maximè excrementitium habẽt, stirpes aliquæ animalibus; annuæ nanq; existunt, quia tota natura consumitur in fructibus, ac frugibus, vt pulchrè secundo libro de Plãtarum Causis docet Theophrastus: itaq; & vberrima fructificatione languescentes arescunt. quod eodem admonente & in animalibus quoq; euenit: quæ enim fecundissima sunt, & crebrò pariunt, his vita spatio breui describitur; & quæ plura quàm solent pepererunt, sæpius intereunt. quod verò sanguinea omnia non sint exanguibus diuturniora, eadem causa est, cur neq; maxima omnia minoribus viuaciora; habent enim pleraq; illorum humidum aqueum, non pingue, neq; aereum: quare, & in quali peccant insigniter; proinde apes nonnullis sanguineis vitæ longioris: habent enim humidum pingue, & dulce. sicuti & quæ sanguine carent in vniuersum vitæ existunt breuioris, quia in quanto, & quali deficiunt: habent enim humidum paucum, & facilè corruptibile, quia aqueum, & frigidum, tanquam sanguinis expertia, ideoq; faciliter gelabile. » Vnde & sic de illis definit Aristoteles. Et » exanguia propter idem (quia humidum habent frigidum & facilè gelabile) nisi ma- » gnitudine recompẽsentur. Neq; enim pin- » gue habent, neq; dulce; in animali enim, » quod pingue, dulce. quapropter apes lõ- » gioris vitæ sunt alijs maioribus animali- » bus. sic & neq; terrestria omnia diuturniora, quia humidum habent excrementitium; neq; aquatilia, quia aqueum, ideoq; facilè gelabile. omnino autem stirpes vitę longioris quàm animalia, quia humidum minus aquosum nactæ sunt, vt notat Aristoteles: quare non facilè gelabile; deinde pingue, & viscosum. ex quò & quanquam terrestres existunt, & siccæ, humidum tamen non habent facilè siccabile. est præterea alia causa ab Aristotele tradita, quia semper nouæ fiunt, quam consultò prætereo. Simili ratione sanguinea sanguine carentibus, terrestria aquatilibus; vt si copulemus, sanguinea, & terrestria, & maiora longiorem vitæ terminum adepta videantur: superant enim in quanto & quali, sed in quali præsertim; siquidem humidum habent non solùm multum, sed & longè calidius. quare & ipsum humidum aereum habent, & pingue, & viscosum magis. ex quò & sic de aquatilibus, & exanguibus dicto Opusculo Aristoteles. Aquatilia autem gressilibus minus » longæ vitæ; non quia humida simpliciter, » sed quia aquosa. tale autem humidum fa- » cilè corruptibile, quia frigidum, & gelabi- » le de facili; & exanguia propter idem. Cur » verò in vniuersum mares natura fœminis sint vitæ longioris, nisi contrarium particulari aliqua de causa eueniat, vt in mulo; cuius fœmina mare viuacior & maior, vt quarto & sexto de Animalium Historia idẽ notat; causam esse inquit, quia calidius animal mas est quàm fœmina; ex quò & superiora in marium corporibus maiora esse idẽ animaduertit, in fœminarum corporibus inferiora; adeò vt mares cum fœminis cõparati formam gerant pomilionis: in superiori enim calidum, frigidum in inferiori. at mulus, etsi calidior sit, vt secundo de Animalium Ortu testatur Aristoteles, habet tamen salacitatis aliquid, ideoq; & vitæ est breuioris; quod vrinæ olfactu satis ostendit. quæ res docente sexto Historiarum Aristotele non exigua putatur causa, vt citius consenescat: mula verò menstruis omnino caret, & si quid excrementitium habet, profluuio vrinæ emittit, & expurgat; quare necessariò & corpore maior, & vitam habet diuturniorem. Quo modo autẽ diuturnioris vitæ marium causam afferẽs Aristoteles

Cap. 3.

Cap. 15. & 16.

Cap. 3.

Cap. 11.

Cap. 24.

Cap. 6.

Cap. 24.

stoteles copiam in illis calidi naturalis; siquidem dicit, ideo esse mares vitę longioris, quia calidiores; à se ipso non sit diuersus, qui supra à radicali humido, eiusq; cōditionibus, nunquam à calido naturali, omnem longioris vitæ causam duxisse videtur; infra explicabimus.

Quid ex superiori sequatur disputatione. loca, & tempora qua ratione concurrant ad longiorem, & breuiorem vitam animalium, an vt similia, an vt dissimilia. quod nam loci temperamentū vitæ perennitati conducat.

Cap. 32.

AT enimuero quid tandem his ita explicatis pro diuturniore, breuioreq; animalium vita locorū ratione iudicanda hinc elicimus, atq; ex superiori tota disputatione, in qua ex Aristotele demonstrauimus, vt seruetur animal, locum materiæ similem esse oportere, tempus habitui contrarium? sanè elicimus humido & calido animalium, de quibus superius iam diximus, loca necessariò, vt animal sit vitæ diuturnioris, similia esse debere, videlicet, vt vno verbo explicē, calidi temperamēti; item aerem, ac tempora, quando loci naturam induunt. cuius rei ratio est, quoniam duo hæc non habitum, complexionem, vel dispositionē in animali dicunt, vt perperam pleriq; existimarunt, tametsi ex illorum vnione, vt infra videbimus, habitus quasi quiddam innascatur, sed substantiam, vt materiam; quod quidem acutissimè contuens Aristoteles, terrestribus animalibus aliud, aquatilibus aliud humidum impertitus est. quin etiam, quemadmodum infra videbimus, & iisdem terrestribus pro diuersitate locorū diuersum; vt potè quod cum locis consentire, in quibus orta animalia sunt, & pro illorum varietate varium esse oporteat. Materiam enim locum similem quęrere, vt seruetur, existatq; diuturnior, supra ostendimus; quare innato calido, quod vitę est causa, locus calidus debetur. primigenio humido, locus humidus; & si valde calidum fuerit, etiam calidus. ita enim ad vitam faciet animalis diuturniorem. Hinc quoniā idem non sunt complexio seu habitus, & materia, duæ scilicet illæ naturæ, quarum ratione de animalium vita longiore, breuioreq; decernit Aristoteles; meritò idem pulchrè libelli de Longitudine, & Breuitate Vitæ initio innuit, posse aliquod animal morbosum esse, & quoad complexionē malè temperatum, & tamen ob optimam caloris & humoris (videlicet vitalium principiorum) proportionem, ac temperationem diuturnum. quod sic etiam Auerroes in Paraphrasi explicauit. Videmus (inquit) » quòd multi grauiter infirmi etiam viuunt » multùm; & multi bonæ consistentiæ mori- » untur iuuenes. & paulò supra dixerat. » Vitæ hominum vniuersaliter sequūtur cor- » dis proportionalem complexionem, quæ » est inter virtutes actiuas & passiuas; inter » actiuas ad inuicem, & passiuas ad inuicem: » & ideo videmus multos homines, quorum » membra manifesta sunt fortia, & virtutes » eorum magnæ; & contingunt eis ægritudi- » nes mortales, & moriūtur ante senectutem: » & videmus alios minoris virtutis, & debi- » lioris, venire ad senectutem, licèt regimen » eorum sit consimile. Placuisset mihi magis, si dixisset ob substantiarū, quæ in corde sunt temperationem, & proportionem id euenire. qua profectò de causa crediderim ego longè fortasse magis quàm ob diligētiam Herodicum illum literarum studiosum, cuius habet Ficinus in libro de Vita Producenda mentionem, tametsi omniū sui temporis esset infirmissimus, annum ferè centesimum impleuisse. Hac de causa parum fortasse tuta ratio Medicorum illa à temperamentis, seu complexionibus corporum ducta pro vitæ termino longiore præfiniendo, vel breuiore, censenda est, vt sequenti capite ostendam: qua de re Fernelius tertio libro de Naturali Parte Medicinæ, Valeriola libro tertio locorum Cōmunium, Valesius Controuersiarum libro primo sunt consulendi.

Cap. 1. Cap. 3. Cap. 19. Cap. 11.

Medicorum quorundam opinio de causa longitudinis vitæ redarguitur. item Scaliger confutatur.

Cap. 33.

PRimùm igitur temperamentum illud, quod mediocre appellant, ac temperatissimum, & quod, tanquam paribus omnium conflatum portionibus extremorum, medium dicunt possidere; quodq; ideo, quia in summa rerū æqualitate vix vlla potest aliam vincere, atq; dissipare, omnium diutissimè speciem suam tueri, ac sustinere ponunt, somnium fortasse est, & cum Platonis Republica comparandum, cùm in rerum natura non reperiatur: aduersus quod Auerroica fortasse ratio illa (de qua & supra diximus) valde pugnat, à recentioribus quibusdam eleganter exposita; quòd non detur in natura mixtum ex æqualibus

constatum portionibus elementorum, quoniam, si vnio, mixtioq; facienda est, necesse sit aliquid inueniri, quod fungatur officio formæ, videlicet contineat reliqua, & vniat, quod proprium est formæ munus; ideoq; illorum aliquod oporteat prædominari: quod fortasse monstrat pares in mixto elementorum vires, & qualitates esse nõ posse. Deinde estò id illis concedamus, magnam tamen committunt æquiuocationem, cùm à corporis vniuersi temperamẽto, complexioneq; ipsa causam ducunt; pleriq; eorum arbitrantes Aristotelem in hoc libello, cùm asserit calidum, & humidum lõgioris, breuiorisq; vitæ causam in animalibus habere, de temperamento, & complexione corporis intelligere: ex quò & post exactum illud, ac medium ad vnguem temperamentum, calidum & humidum præter cętera, hoc Philosophi testimonium adducentes, in plurimos annos vitam producere statuunt. Nam & sic Valeriola citato loco. » Ab hac, quæ calido & humido temperies constat; cùm & qui ea præditi sunt, » principijs vitæ abundent; sunt enim calidũ » & humidum vitę principia vel auctore Aristotele. » Hæc ille; quibus palàm est, calidũ & humidum, prout temperiem dicunt, & corporis complexionem, Valeriolam accipere; & sic accepta, vitalia principia dicere velle. nam & propterea idem esse adiungit, calida & humida temperie hominem esse prȩditum, & principijs vitæ abundare. quod certè, vel nunquam, vel saltẽ nõ semper verum esset, si calidum, & humidum (vt ita loquar) complexionis à vitalibus principijs differret. & tamen, vt supra tetigimus, humidi, & calidi nomine substantias vt materiam Animalium Aristoteles intelligit, in corde primò residẽtes, nullo modo corporis complexionem, quam habitum, & dispositionem solet appellare; & de qua nec verbum quidem vllum in toto illo Opusculo habemus. quanquam non negamus adeò arcto naturę vinculo hæc inter se se esse cõdita, & sociata, vt temperamentum ipsum vitalia principia lædere plurimum, vel iuuare posit; & è contra ab illis detrimentũ insigne recipere, vel adiumentum: cùm vna sit anima, quæ regit omnia, fouet, ac moderatur, quæ in nostro corpore existunt. Vt meritò Scaliger aduersus Cardanum dixerit, temperamentum asseclam, atq; instrumentum quasi esse quoddam ad viuendum, non longæ vitæ causam. qui tamen, vt verum fatear, dum ad sola astra cõfugit, vt perenitatis vitę causam afferat, dogmatũ

Exer. 275.

Præceptoris penitus videtur oblitus: sic enim scripsit. Quare hæc est constantissima » verissimaq; sententia, temperaturam, tam- » etsi comes est, atq; instrumentũ quasi quod- » dam ad viuendum, non esse tamen longæ vi- » tæ causam; sed astra ipsa. etenim valde » morbosa valetudine permultos sexagesimũ » superasse annum vidimus; alios benè habi- » tos, nihilo secius prima, atq; florenti ætate » deletos morte. » Hæc ille; quæ fortasse nõ digna suis studijs, & peripateticorum auribus esse videntur; cùm Aristoteles verbis apertissimis in vitalium principiorũ quantitatem, qualitatem, ac inter se proportionem tanquam in causas proximiores longitudinis, breuitatisq; vitæ causam retulerit, non in astra ipsa. Hinc non parum à scopo aberrat in tradenda causa, cur plantarum vita sit longior quàm animalium; vt quisq; eorum memor, quæ ex Aristotele explicauimus, Exercitationem illam legens facilè cognoscet. Quod autem attinet ad illos, qui corporis temperamentum vitæ longioris causam statuunt; in hoc certè adeò maiori digni sunt admiratione, quòd vitalia principia, innatũ videlicet calidum, & humidum primigenium à temperamento passim distinguunt, vt apud Fernelium libro quarto de Naturali Parte Medicinæ videre licet; ex quò (vt Valesius quoq; citato loco docet) aliud esse volunt animal calore viuere & humore, aliud, & omnino diuersum, calidum existere. vt hac de causa animal quoduis, licêt frigidissimum & siccũ, viuere nihilominus calore, & humore dicere debeamus; quod & nos vero simillimum esse profitemur; cùm horum primũ ad substantiam pertineat, ac, vt loquitur Philosophus, ad materiæ naturam; secundum accidens designet, videlicet habitum, ac dispositionem, demum corporis vniuersi cõplexionem ipsam; vt non vsquequaq; absurdè concludere videantur, huiusmodi calidum, per quod vita inest, non ex prima elementorum mixtione, sed aliunde ortu recondito confluere.

Cap. 1.

Quædam exploditur obiectio. Cap. 34.

SEd video esse illorum quosdam responsuros, insitum calorem, quia longè diuersus ab igne sit, non esse mortis causam, quoniam augendi, gubernandi, fouendiq; corporis omnia vim recipiat à natura, non absumendi, non corrumpendi: falsam enim esse illorum sententiam, qui naturale calidum humidum primigeniũ absumere exi-

ſtimauerunt, vt Galenus libro de Marcore demonſtrauit; propterea ab ipſis temperamentis longioris, breuiorisq; vitæ cauſam ducendam eſſe. de qua re quiſq; Valeſium Controuerſiarum libro ſexto legere poteſt. *Cap. 1.* Sed vt illis concedatur innatum calidum longè aliam ab igne naturam habere, quod Ariſtoteles ſecundo libro de Ortu Animalium apertè admonuit; *Cap. 3.* ita & negandum eſt, vim non habere abſumendi: cùm Solis calorem, cui concordem & conſentaneũ hunc voluit eſſe Ariſtoteles, ſiccandi, & abſumẽdi vim poſsidere vel ſenſus ipſe declaret, nullaq; id alia demonſtratione, ſed vnius ſit ſenſus pręſtantia confirmandum, & idcircò vt communis quædam notio recipiendum; vt hac de cauſa quia ſimillimas igni, quantum in ſe eſt, habet operationes, Ariſtoteles & ſecundo de Anima, & in Opuſculo de Reſpiratione, & ſæpè alibi innatum calorem ignem appellet; contraria igni ſæpè facere docens, quia animæ virtute perfundatur, & gubernetur: quod iſti non conſiderantes, cùm cernerent longè aliter quàm ignem aliquando operari, & vrere, & abſumere poſſe negaue unt, & hoc ſi efficiat, quod ſanè efficere ſenſu ipſo, & apertis rationibus conuicti, coacti ſunt fateri, iam tanquam ad igneam mutatum naturam id præſtare dicunt; vt mirum ſit quo pacto animali nõ corrupto innatum calidum quaſi Protheũ alterum, modò in ignem tranſire velint, modò in priorem reſtitui naturam; atq; nunc propriam ſubſtantiam nunc abijcere, nunc recuperare: quæ quidem omnia quauis abſurditate videntur abſurdiora. nec me præterit, permultos digladiari, vtrum elementaris & igneus calor ſpecie à calore innato diſsideat; qua de re non eſt locus in præſentia diſſerendi. Itaq; breuioris vitæ, ac mortis nouam hanc cauſam à corporis complexione ductam pro humidi primigenij ab innato calido facta conſumptione inuehere, cùm vanitas quædam ſit opinionis, quæ multorum animos imbecilles diù multùmq; vexauit, atq; torſit; iurè & meritò Ariſtotelis imitatione vna omnium Philoſophorum cõſenſio vitæ terminum primigenj humoris depopulatione finit ab innato calido facta, atq; huius calidi extinctione; non verens illi abſumendi vim hanc impertiri, cui contrarium frigidum, non ſecus quàm igni, præceptor Ariſtoteles in Opuſculo de Reſpiratione, & in Problematis oppoſuit; *Sect. 14. Prob. 9.* vt nulla potuerit Fernelius ratione, quanquam in philoſophia ac medicina meo quidem iudicio propè ſingularis, libro quarto de Naturali Parte Medicinæ affirmare, *Cap. 12* innato calido frigus (quæ etiam multorum fuit opinio) nõ eſſe contrarium; ideoq; præclara, & eximia quadam mentis agitatione Ariſtotelẽ, cùm mortem definiret, vitali huic calori, non frigus tanquam contrarium oppoſuiſſe, ſed extinctionem, quæ eius ipſius eſt priuatio: cùm tamen, vt ipſa Philoſophi verba docẽt apertiſsimè, extinctionem ipſe caloris huius, non calori, ſed vitæ oppoſuerit; extinctionemq; caloris huius fieri à contrario, à frigiditate ſcilicet continentis demonſtrauerit. Enimuero ſic clariſsimè locutus eſt. » Alias igitur virtutes animæ impoſsibile exiſtere ſine nutritiua; propter quam cauſã dictum eſt prius in ijs, quæ de Anima; hanc autem ſine naturali igne: in hoc enim natura igniuit ipſam. Corruptio autẽ ignis, quemadmodum dictum eſt prius, extinctio, & marcor. extinctio quidem, quæ à contrarijs; quapropter & ſimul vniuerſus à continentis frigiditate, & celerius adhuc extinguitur diuulſus. Erit igitur, vt ad propoſitum redeat oratio, longioris, aut breuioris vitæ ratio non ab vniuerſi corporis complexione, ſed ab his principijs omnino petenda; ab innato videlicet calido & humido, quatenus ſubſtantiam ac materiæ naturam deſignant, non complexionem.

Cur locis calidioribus animalium vita diuturnior. Ariſtotelis ex Opuſculo de Reſpiratione obſcura verba enarrantur. Leonici interpretatio quædam reijcitur.

Cap. 35.

CVm igitur (quod ſupra etiam nos aſſerebamus) loca ipſa caloris huius & humoris reſpectu ſimilia eſſe oporteat, quia, cùm materiæ naturam repreſentent, quod apertiſsimis verbis Ariſtoteles ſignificauit, non poteſt locus ipſi materiæ eſſe contrarius, vt ex eius ſententia ſuperius oſtendimus; cauſa hinc liquidò elicitur, cur locis calidioribus vitę eſſe animalia longioris, ac præſertim homines, litteris Philoſophus mandauerit. cuius profectò ſententiæ rationem cùm pleriq; non perciperent, vt inter cęteros Iandunus in Quæſtionibus de Alberto, *Quæſt. 15.* ac multis alijs refert, eam tanquam à vero plurimum aberrantem condemnarunt, quemadmodum latius infra demonſtrabimus. Ariſtotelis autem citato libello hæc eſt oratio, *Cap. 3.* ſecundum veterem Interpretationem. » Eadem autem in calidis longioris vitæ ſunt quàm in fri-

in frigidis locis, propter eandem causam, propter quam quidem & maiora, & maximè notabilis magnitudo animalium frigidorum secundum naturam. quapropter & serpentes, & lacertæ, & squãmosa magna sunt in calidis locis; & in Rubro mari ostreacea: augmenti enim calida humiditas causa, & vitæ. In frigidis autem locis magis aqueum est humidum, quod in animalibus est; quapropter facilè gelabile. quare hæc quidem non fiunt omnino animaliũ, quæ pauci sanguinis, aut exanguia in ijs, quæ ad Vrsam locis, neq; pedestria in terra, neq; aquatilia in mari: hæc autem fiũt quidem, minora autem, & breuioris vitæ: aufert enim gelatio augmentum. Alimentum autem non sumentia & animalia, & plantæ corrumpuntur; consumit enim ipsum se ipsum: quemadmodum enim multa flamma comburit, & corrumpit paucam, eò quòd alimentum consumat, sic naturale calidũ primum concoctiuum consumit materiam, in qua est. Hæc ille; quorum etiam aliqua præcedenti libro attulimus. At enimuero horum verborum manifesta sententia est, eadem animalia (intellige etiam & homines) in locis calidis longioris esse vitæ quàm in frigidis ob eandem causam, ob quam maiora diuturniorem vitã nãciscuntur; & ob quam, quæ sua natura frigida animalia existunt, proindeq; corpore alioqui exigua, ad insignem tamen conspicuãq; magnitudinem perueniunt: enimuero sic ego verba illa præter omnium sententiam accipio. & maximè notabilis magnitudo & c. habet enim græcum exemplar. δι' ἥν περ τὰ μείζω. quibus necessariò ex superioribus illa subaudienda. μακροβιώτερά ἐστι. & mox quæ sequuntur illa. καὶ μάλιστ' ἐπίδηλον. & c. supplenda. καὶ δι' ἥνπερ μάλιστ' ἐπίδηλον, & c. vt quisq; græcam seriem considerans facilè confitebitur. quare & minus fortasse rectè Leonicus ea à superioribus diuellens, sic locum interpretatur. Magnitudo autẽ potissimum est manifesta animalium natura frigidorum. quo pacto si ea accipiamus, nulla apparet causa connexionis. Dixerat autẽ supra, maiora tùm animalia, tùm plãtas vitam habere longiorẽ, non solùm quia plus humoris participent, sed quia plus caloris, immò & hac ratione longè magis: siquidem post illa. Neq; rursum paucum oportet esse humidum: facilè siccabile enim quod paucum. quapropter magna & animalia, & plantæ, vt vniuersaliter dicatur, longioris vitæ, quemadmodum dictum est prius. rationabile .n. maiora plus habere humidi. sic statim subiunxit, vt rectissimè Leonicus interpretatus est. Non tantùm autem hanc ob causam diuturnioris sunt vitæ: duæ nanq; sunt causæ, quantum videlicet, & quale. quare non solùm humidi copiam esse oportet, verùm & calidi; vt neq; gelu facilè stringatur, neq; leui de causa exsiccetur. & hanc ob rem longæuus magis est homo quàm pleraq; maiora; longioris enim sunt vitæ, quæ humidi copia superantur, si quidem maiori secundum qualitatẽ proportione superẽt, quàm secundum quantitatem vincantur. Hæc ille; quibus apertè docet maiora animalia longè magis qualis ratione, caloris videlicet, quàm ipsius quanti esse diuturniora. Nam & hoc est quod inquit. Non tantùm autem hãc ob causam diuturnioris sunt vitæ, scilicet maiora animalia. siquidem de illis sermonem habet; ex quò & vt causæ, quæ à quali pendet, efficaciam ostendat, subdit inter ista quæ magna sunt, nonnulla etsi minora sint, vt homo, longioris esse vitæ, tametsi in quanto deficiant, quia plurimùm habeat ipsorum humidum caloris, & in quali vincant. cuius rei causam adiungit pulcherrimam; videlicet quoniam ea animalia, quæ deficiunt in quanto, sint vitæ longioris tametsi minora, si magis superent qualitate, calore scilicet, maiora illa animalia, quàm ab ipsis in quanto, videlicet in copia humidi, superentur, vt superius etiam explicauimus: quam proportionem habere hominem quorundam animalium maiorum respectu ibi supponit. quod quidem totum quo modo veniat intelligendum, cùm non exiguas habeat difficultates, mox infra videbimus sequẽti disputatione. Itaq; si in locis calidioribus animalia vitæ sunt longioris ob eandẽ causam, ob quam & maiora diutius viuunt, iam & necessariò, quia orta locis illis, plus eorum humidum caloris habeat, vitæ erunt longioris: siquidem maiora, vt vidimus, hac maximè de causa diuturniora existunt. quæ etiam causa facit, vt animalia sua natura frigida, qualia præsertim sunt exanguia, vel quæ paucum habent sanguinem, maiora habeãt corpora ijsdem illis in locis procreata: incremẽti .n. calida humiditas illis causa est, vt iuxta Veteris Interpretis fidẽ subdit Aristoteles; non quidem humida caliditas, vt perperam græca habẽt impressa exemplaria; quod sanè dictum latius nos ex eo infra explicabimus. Hoc igitur est quod Philosophus adiungit, in locis calidis hæc ipsa frigida animalia, vt serpentes,

lacertæ, ostrea, longè esse maiora, & diutius viuere: exanguia nanq; & frigidiora animalia, vt idem infra docet, minus longæ vitæ sunt, nisi magnitudine recompensentur: at recompensari nequeunt, nisi radicale humidum valde calidum adipiscantur; adipisci non possunt, nisi in calidis oriantur locis. ac sanè pulchra ratio hęc est, & à minori ducta; si enim animalia frigida, & parua sua natura, & ex consequenti vitæ breuioris, in calidis locis maiora producuntur, & vitæ longioris; iam & longè magis huiusmodi locorum beneficiũ alia perfectiora animalia persentiẽt. Hæc igitur Aristoteles; cuius & reliqua oratio adeò perspicua est, vt nulla egeat explanatione: in qua quidem concludit, animalia locis frigidis breuiorem vitæ terminum habere, quoniam humidum illorum magis aqueum existit, non aereum, & quod idem est, longè minus calidum, ideoq; facilè gelabile. quod idem & infra de aquatilibus confirmauit, vt supra exposuimus; inquiens illorũ humidum ideo esse facilè corruptibile, quia frigidum sit, proindeq; facilè gelabile. Hinc adiungit frigidioribus locis animalium aliqua vel non oriri, vel minora, & vitæ breuioris: illorum nanq; humidum idoneam, sufficientemq; calori nutritionem non suppeditans causa est, vt ipsum se ipsũ calidum corrumpat, materiam absumens, in qua existit, paratiorem; quemadmodum multa flamma paucam cõburit, vt pulchrè differit Aristoteles; nam & hoc est, quod ipse inquit, gelationem auferre augmentũ, & animalia nisi nutrimentum capiant, corrumpi; quo certè ex loco de suæ sententiæ falsitate facilè illi doceri possunt, qui innatum calidum vim habere negant absumẽdi; cùm apertè dicat Aristoteles, naturale calidum primum concoctiuum, materiam cõsumere, in qua existit.

Difficilis quædam adducitur circa Aristotelis verba dubitatio. Leonici, Ephesij, Auerrois, ac D. Thomæ explicationes afferuntur. Cap. 36.

SEd pulchra oritur, & difficilis dubitatio; positum nanq; libro tertio est, maiora animalia plus caloris habere ex mẽte Præceptoris: vt in vniuersum quæ sanguinem habent, quàm ea quæ non habent, incedentia quàm stabilia, viuipara quàm ouipara hac ipsa de causa, quia plus caloris sunt adepta, maiora esse Aristotelem affirmasse, eo loco demonstrauerimus. quare maius animal homine, puta equum, bouem, camelum, elephantem, ampliorem calorem esse nactum, nemo dubitare poterit. At enimuero ex auctoritate libelli de Longitudine, & Breuitate Vitæ superiori capite allata contrarium omnino elicitur. Si enim longioris vitæ ea animalia sunt, quæ superantur multitudine, & quantitate humoris, si pluri ratione superent secundum quale, quàm superentur secundum quantum, idcircòq; homo nonnullis maioribus diuturnior; ergo homo pluri ratione superat secundum quale huiusmodi animalia, quàm ab illis secundum quãtum superetur; ergo maiorẽ habet caloris copiam. siquidem Aristoteli eo loco τὸ ποῖον. idest quale, vt supra vidimus, & clarius etiam infra videbimus, est τὸ πλῆθος τοῦ θερμοῦ. idest calidi copia. quare si superat ea animalia homo secundum quale pluri ratione, igitur & maiorem habet calidi abũdantiam: quod cum ijs, quæ tertio libro ex eo definita esse modò dicebamus, è diametro pugnat. Hunc sensum Leonicus in huius loci explicatione sequi videtur, vt ipsius verba docent. Supponamus (inquit) verbi causa humidum quidem in equi corpore in tripla excedere proportione humidum, quod est in homine; calidum verò in hominis corpore repertum, equi calidum in octupla proportione superare: hoc sanè in casu pluri, maioriq; proportione hominis calidum, equi superat calidum, quàm eiusdem humidum ab equi humido superetur: maior enim octupla est proportio, qua hominis calidum equi superat calidũ, quàm tripla, per quam illius humidum ab equi humido superatur. Hæc ille; quibus vitalia inter se principia, calidum videlicet & humidum, comparare videtur, calidum in equi & hominis corpore simpliciter dicens. quæ omnia ex Ephesio sumpta sunt, nisi quantùm pro octupla caloris hominis ad calorem equi proportione, decuplam Ephesius constituit. vt facilè pateat Aristotelis verba non de humido radicali tantùm viros istos intelligere, sed de calido etiam naturali; ita vt inter vtraq; hæc vitæ principia proportionis comparationem à Philosopho velint esse institutam. Quod eò magis mihi persuadeo, cùm videam Leonicum ab ipso innato calido paulò post causam ducere vitæ longioris; atq; eandem augmenti, & vitæ longioris causam esse apud Aristotelem putantem (quod an verum sit infra discutiemus) hanc ipsam causam in naturale calidum referre. eius .n. hæc est oratio. Maior enim & copiosior in

maio-

» maioribus est caliditas; caliditatis autem
» socia, vitæ est prolixitas, vt retrò est decla-
» ratum. & mox. Nam eadem, vt diximus,
» vitæ & augmenti causa, caliditas est humi-
» da, idest calidum in humido sibi propor-
» tionato, & pingui degens. quæ ad verbum
ex Ephesij Commentarijs sunt accepta.
At si Aristoteli longioris vitæ sunt, quæ superant secundum quale; Ephesio autem, & Leonico longioris vitæ sunt, quæ sunt calidiora; calidiora verò ea animalia sunt, quę naturalis calidi copiam habent ampliorem; certè ex istorum sententia Aristoteles non humidum radicale animalis, quod vitam habet longiorem, qualis ratione superare radicale humidum animalis, quod vitam habet breuiorem, intellexit, scilicet humidũ radicale hominis, humidum radicale equi; sed naturale calidum hominis, equi calidũ naturale: vt prætercam ea etiam de causa nonnisi ad calidum naturale verba referri posse, quia huius sit proprium in humido calido degere, & propterea pingui, tanquã in materia; quod isti calido attribuunt, de quo loquuntur. quam interpretationem Auerroes quoq; videtur secutus verbis illis.
» Et signum eius, quòd causa longioris vi-
» tæ est abundantia caliditatis & humidita-
» tis, cum dominio caliditatis super humidi-
» tatem, & vniuersaliter virtutum actiuarum
» super passiuas. Cùm enim de ipso humido radicali tantùm, quod naturali calido tanquam pabulum subijcitur, ac materia, & de calore huic humido admixto, verba nequeant intelligi; quia sic, si in eo calor superaret, non quidem humidum, sed calidum deberet appellari, quoniam omnis denominatio fit à superabundanti; ex quò & non humidum, sed calidum calido naturali supponeretur; quod & esse nequit, quia statim absumpta à nimio calore humidi exigua illa portione animal periret; & omniũ sententiæ aduersatur: reliquum est, vt de calido quoq; naturali, & ex consequenti de utroq; principio Aristotelis dictum, nõ secus ac Ephesius, Auerroes intellexerit. quorum fortasse auctoritate permotus D. Thomas, totum id, quod de quanto & quali differit Aristoteles, ad vtrorunq; vitaliũ principiorum inter se proportionem, non ad solius humidi naturam, & conditiones manifestè refert; pro quali proportionem innati calidi cum primigenio humido intelligens: hominemq; pluri ratione superare secundum quale, & ideo vitæ esse longioris, explicans, humidum cum calido benè habere proportionatum; adeò vt plus excedat secundum proportionem, quàm deficiat secundum quantitatem. atq; eius hæc est oratio. Ponit tertium, quod vide- »
tur esse causa longitudinis vitę; dicẽs quòd »
non solùm ex hoc, quòd plantæ, & anima- »
lia habent multum humidum, sunt longæ »
vitæ: quia tunc omnia, quæ haberent mul- »
tum humidum, essent longæ vitæ; quod »
falsum est: sed etiam quia humidum, quod »
est subiectum vitæ, debet esse quantum & »
quale, idest habere quantitatem: & quale, »
idest proportionem cum calido. Si enim »
humidum esset quantum, idest magnæ quã- »
titatis, & non quale, idest non benè pro- »
portionatum: tunc calidum consumere- »
tur citò, & suffocaretur ab illo multo hu- »
mido; vel illud humidum congelaretur, & »
calidum citò deficeret. quòd si esset cali- »
dum multum, & humidum paucum, humi- »
dum consumeretur citò. Omnino oportet »
ad hoc quòd aliquid sit longæ vitæ, quòd »
humidum sit quantum, & quale: idest ha- »
bens quantitatem proportionatam, vt non »
citò sit congelabile, vel deficcabile. Et »
propter hoc contingit quòd homo sit lon- »
gioris vitæ, quàm quædam animalia, quæ »
plus habẽt de humido; quia etsi homo non »
plus habeat de humido secundum quanti- »
tatem, tamen plus excedit secundum pro- »
portionem, quàm deficiat secundum quã- »
titatem. Propter hoc homo longioris vi- »
tæ est quàm equus, vel etiam, quàm quædã »
animalia, quæ excedunt ipsum secundum »
quantitatem. »

Allatæ superius Interpretationes reijciuntur. Altera quædam grauis affertur difficultas. Cap. 37.

Haec D. Thomas; ex quibus palàm est proportionem hanc, de qua loquitur Aristoteles, in vtroq; principio de illius sententia esse accipiendam, videlicet in cõnato humido & calido naturali: tametsi, nõ ob id asserat, plus naturalis calidi homini inesse quàm maioribus animalibus, vt Auerroes, Ephesius, Leonicusq; vidẽtur voluisse. quorum sententia arithmeticis notis clarioris doctrinæ gratia explicata, talis est. Sit humidum equi vt 9. calidum vt 1. humidum hominis vt 3. calidum vt 10. hîc videmus lõgè pluri ratione calidum hominis calidum equi superare, quàm humidũ ipsius ab equi humido superetur; eò quòd calidum hominis superet decupla, humidũ tripla tantùm proportione superetur. quã sententiam si sequamur, Aristotelem facie-
mus

mus à ſe ipſo diſſentaneum, vt ſuperior docuit oratio: nimirum quia hoc pacto homo longè plus caloris innati ſimpliciter habeat, quàm maiora animalia, contra quàm ipſe multis docuerit in locis, vt libro tertio vidimus, ſed præſertim ſecundo libro de Animalium Ortu his verbis. ἀνάγκη γὰρ τὸ μεῖζον ὑπὸ πλείςης κινεῖσθαι δυνάμεος. τὸ δὲ θερμὸν κινητικόν. ideſt. Quod enim maius eſt, à facultate ampliori moueri neceſſe eſt. calor autem eſt, quod vim obtinet mouendi. Sed & hoc alterum abſurdi videtur huiuſmodi ſententia continere; ſi enim humidũ hominis eſſet vt 3. calidũ vt 10. breuiſsimæ vtiq; vitæ (niſi valde me fallo) homo exiſteret; quia calidũ in agendo efficaciſsimum pauciſsimũ illũ ſtatim abſumeret humorẽ. caloris enim pabulum humorem eſſe & omnes ſcholæ clamant, & multis in locis dixit Ariſtoteles, ſed præſertim tertia Quæſtionum eleganter, & apertè his verbis interprete Theodoro. Quin etiam præter omnes refrigerãdi modos, quos præpoſuimus, ille quoq; notatur, vt deleta materia, qua quiſq; calor ſuſtentatur, & alitur, calor etiam ipſe deleatur. quod lucerna inter res inanimatas demonſtrat: quippè quę dempto oleo lumen amittere cogatur. Senectus verò in animatorum genere illud idem efficit, & morbus longus diutino conſumptu corpus in tabem redigens. alimento nanq; deleto, vel extenuato caloris, euenit vt calor etiam ipſe deficiat. Calor enim humore alitur, non tamen quolibet humore, ſed lęui & copioſo. Quamobrem tùm in ijs, qui à prędictis tenentur vitijs, tùm ætate profectis, exoleſcente, alteraſcenteq; tali humoris genere (fit enim pro lęui, & pingui acre, & ſiccum) euenit vt calor ipſe deficiat. Hæc Ariſtoteles ſecundum Theodorum, cuius verſionem probamus vniuerſam; niſi quòd verba illa. qua quiſq; calor ſuſtentatur. legenda potius cenſemus; qua cuiuſq; calor nutritur. habet enim græcum exemplar. ᾗ τὸ θερμὸν ἑκαςῳ τρέφεται. quare non dicit quemq; calorem, quaſi id omni calori velit conuenire, ſed calidum cuiq; homini proprium, ac naturale huiuſmodi humido nutriri, ſcilicet lęui & pingui; enimuero de proprio, ac naturali hominis calido Ariſtoteli ſermo eſt. qui etiam locus hac altera de cauſa maximè venit obſeruandus, quòd naturale calidum lęui, pingui, & copioſo humore ali docens, humoremq; hunc lucernæ oleo ſimilem faciens, diuinè conditiones omnes radicalis humidi, ſi optimè natura ad vitã

Cap. 1.

Prob. 5.

producendam ſit diſpoſitum, videtur aperire. quas etiam libello de Longitudine & Breuitate Vitæ expoſitas videmus; adeò vt quale, & quantum ipſius humidi exactiſſimè nobis ob oculos poſuerit Ariſtoteles. Nam dicens lęue, & pingue huiuſmodi humidum eſſe oportere, valde calidum eſſe debere demonſtrauit; hæc enim duo ob calorem huic humori admixtum gigni, libello de Longitudine & Breuitate Vitę eſt declaratum; cùm pinguedinis cauſa Ariſtoteli ſit calor, non frigiditas, vt Galenus videtur exiſtimaſſe. ita autem humidum affectum longè diutius reſiſtere calidi naturalis virtuti, atq; in agendo efficaciæ palàm eſt. viſcoſum enim humidum, quale eſt, quod lęue eſt, & pingue, vt primo de Ortu & Interitu habemus, difficulter eſt terminabile, & ideo maioris reſiſtentiæ; vnde ob eandem hanc cauſam præter alias diuturnioris eſſe vitæ plantas animalibus libello de Longitudine, & Breuitate Vitæ ſcripſit Ariſtoteles, quia humidum habeant maximè viſcoſum. Item addens huiuſmodi humidum copioſum eſſe oportere, ipſumq; oleo, quod lucernæ infunditur, ſimile faciens, valde multum eſſe debere oſtendit. vt ſicuti oleum ſua quantitate longè ignis ſuperat, luminiſq; in lucerna ardentis quãtitatem, ita & radicale humidum ſua quantitate, longè debeat naturale calidum ſuperare. quamobrem tantùm abeſt vt poſsit eſſe humidum hominis vt 3. calidum vt 10. quemadmodum Epheſius, Leonicuſq; ſenſerunt, ſi longioris vitæ homo eſſe debet, vt contrariam potius rationem, ac proportionem iſta duo ſeruare, videlicet humidũ vt 10. calidũ vt 3. ſit ponendum. vt .n. verè dixit D. Thomas, ſi calidum eſſet multũ, & humidum paucum, citò humidum ipſũ abſumeretur. Nec obſtat quòd huiuſmodi in homine humidum, vt Philoſophus docuit, ſit valde calidum; quaſi hac de cauſa, tametſi paucius, longiori tempore perdurare valeat: nam primùm hoc iſti nõ ponunt; qui humidum ſimpliciter accipientes, neq; quòd calidum ſit vllam facientes mentionem, calorem illi admixtum, cuius ratione calidum vocatur, non videntur cõſideraſſe, ſed tantùm calidũ naturale, quod humido alitur; hoc ipſum calidum eſſe vt 10. aſſeuerantes. Deinde ſi ponerẽt, eſſeq; calorem humori admixtum vt 10. intelligerent, ob rationẽ, quam in Auerrois explicanda tetigimus opinione, potius calidum quàm humidum pro materia naturali calido ſubijcerent, quod non paruum eſt incon-

Tex. 89.

Cap. 4.

incōueniens. si .n. calor humori admixtus esset vt 10. humor vt 3. calidum naturale superueniens calidissimam materiam ferè momēto absumeret. Adhuc quo modo humidi temperamentum esset aereum, vt satis clarè indicat Aristoteles? in aeris enim tēperamento humor calorem vincit; at in hoc humido è contra calor humorem superaret; quare ad ignis potius vergeret temperamentum. Postremò Aristoteles, vt supra vidimus, in Opusculo de Longitudine & Breuitate Vitæ non solùm quale, idest calidum, sed quantum, idest multum, atq; vt in Problematis dixit, copiosum, vt diutius viuat animal, esse humidum ipsum oportere definiuit; vnde quanquam paucius humidum, sed longè calidius, copiosiori, sed minus calido, est aptius ad perdurandum, non tamen propterea debet adeò insigniter in quanto deficere, vt à naturali calido superetur. hìc autem lectorem admoneo, me non de ea loqui superatione, quæ refertur in actionem, sed de ea, quæ refertur in gradus qualitatum, quæ in duabus hisce substantijs, quas vitalia principia nominamus, esse habent. quo quidem sensu si accipiatur superatio, necesse forsitan erit, ob vim caloris in agendo, in cunctis animalibus, etiam in homine, à radicali humido secundum quantum naturale calidum superari. Quod autem inquit D. Thomas ob proportionem innati calidi cum humido hominem esse vitæ longioris, quia scilicet neq; in quanto excedat, neq; deficiat; pulchrè quidem verèq; est dictum, neq; vllam in Philosopho contrarietatem inducit, sed ab eius mente ac verbis est alienum. qui ipsum quale, calorem non proportionem rationemuè interpretatus est. proportionem verò maiorem, vel minorem, atq; ipsā superationem, non inter humidum & calidum hominis, sed inter humidū ipsius hominis cum humido maiorum animalium quanti & qualis ratione comparatum instituit, alterum verò vitæ principium, scilicet calidum naturale hoc loco non considerauit. vt prætereām in humido ad calidum comparato solum quantum in hac sua proportione D. Thomam expendere; Aristotelem verò, ipsum etiam quale, immò & magis. ex quò & ex ipsius sententia paucius humidum, & sic non habens quantitatem omnino proportionatam, sed tamen valde calidum, secus quàm D. Thomas existimauerit, non citò absumeretur, sed diutius perduraret quàm si esset (vt D. Thomę verbis vtar) magnæ quantitatis, sed longè minus calidum. in cuius etiam sententia, alterum illud (meo quidem iudicio) non parum habet difficultatis, quod dicitur humidum, si non esset cum calido proportionatum, idest si esset quantitate excedēs, citò congelatum iri. quandoquidem Aristoteles, quòd humidum sit facilè gelabile, nō quidem in calidi naturalis, quod eo nutritur, inopiam refert, sed in defectum propriæ, insitæ, admixtæq; ipsi humido caliditatis, nam & hoc est quod inquit, si humidum aqueum natura fuerit, idest frigidum, facilè esse gelabile: quare quantumuis paucum sit calidum naturale, humidum verò quantumuis multum, & excedens quantitate, si multum etiam sit propria caliditate calidum, sicuti est cùm natura pingue, leue, viscosum existit, & aereum, nunquam gelu adstringetur. Quòd si istorum relictis interpretationibus hominem minus caloris habere quàm maiora animalia fateri cum Aristotele velimus; iam quod ipse inquit, hominem superare maius animal secundum quale; cùm ad quale maioris animalis, scilicet ad calorem referri nequeat, quia hunc ponimus ex eius sententia superare non superari; item neq; ad quantum, scilicet ad humorem eiusdem, tùm quia in quali, non in quanto hanc superationem Philosophus considerat, tùm quia in quanto ex eius itidem opinione superatur à maiori animali homo, non superat; reliquum necessariò erit, vt id totum ad humorem hominis referamus. quo posito primùm hoc euenit absurdi, quòd inter quale & quantum, non inter ipsa qualia, vt voluit Aristoteles, superationem hanc ponimus. Deinde in ipso homine tantùm eam agnoscimus; cùm inter maius animal & hominem illam constituat Aristoteles. Adhuc ratio superius aduersus Auerroem, Ephesium, & Leonicum allata, locum habet; ita enim calidum naturale superaret ipsum humidum; & sic humidum tanquam lōgè paucius quàm sit necesse, statim à calido absumeretur. Postremò hæc quoq; altera oritur difficultas; hoc enim ipsius dictum, si ad mathematicam lancem appendatur, falsum esse apparet; vt hunc esse vnum ex illorum numero locum, facilè aliquis inueniatur, qui dicat, in quibus ob mathematicarum ignorationē maximè recessisse eum volunt à vera philosophandi ratione: quod doctis quibusdam huius ætatis viris, certè non sine magna iniuria Præceptoris, video placuisse. sit enim humidum equi tanquam maioris animalis vt

6. calidum vt 4. quia humidum non superat ipsum calidum, vt superius dictum fuit; necessariò humidum hominis, quoniam superatur ab equi humido, rursusq; superatur à calido ipsius hominis, debet esse vt 2. nam si esset vt 3. calidum hominis, quod superare debet suum humidum, esset necessariò vt 4. & sic æquale calido equi: quod ijs aduersari, quæ ex Aristotele supra adducebamus, est manifestum; quibus ostensũ est maiora animalia ex illius sententia plus caloris simpliciter habere. Itaq; calidum hominis, vt superet suum humidum, sed tamen superetur à calido equi, erit necessariò vt 3. At enimuerò his ita constitutis, falsum erit hominem pluri ratione equum, maius videlicet animal, superare secundum quale, quàm ab equo secundum quantum superetur; longè enim maiori proportione 6. superat 2. scilicet quãtum equi quãtum hominis, quàm 3. 2. scilicet quale hominis suum quantum; cùm inter priores numeros tripla sit proportio, inter posteriores sesquialtera tantùm. quod & mathematica docet demonstratio; cùm enim medius numerus minor est maiore dato, & maior minore; habet maior datus ad minorem datum maiorem proportionem, quàm idem maior ad medium, & quàm medius ad minorem, quemadmodum ex quinto & septimo Elementorum mathematicæ professionis scientisimi elici tradunt. at in propositis numeris 6. 3. 2. medius est 3. qui minor est 6. maior 2. igitur 6. ad 2. maiorem habet proportionem quàm ad 3. & quàm 3. ad 2. quod & hac altera via demõstratur; sicuti enim rationem habentium ad eandem magnitudinem, quæ maiorem rationem habet, illa maior est; ita & è cõuerso inequalium magnitudinum maior ad eãdem maiorem rationem habet, quàm minor; vt eodem Elemẽtorũ libro quinto est demonstratum; quare ipsius 6. quàm 3. ad 2. maior erit proportio; & ex consequenti ipsius humidi maioris animalis proportio maior ad humidum hominis, quàm calidi hominis ad idem humidũ; quod erat ostendendum: itaq; & excogitata ab Aristotele proportio locum nequit habere.

Prop. 8. *Def. 20.* *Theor. 10.* *Theor. 8.*

Vera Aristotelis mens explicatur. Cap. 38.

QVid igitur pro clarissimi Præceptoris tuenda dignitate afferemus? Respõdemus itaq; nos difficultatis omnis ac erroris causam (nisi valde hallucinamur) in eo esse positam, quòd Aristotelis omnia, quæ ab eo de vno tãtùm vitæ principio disseruntur, scilicet de ipso humido primigenio ac radicali, videntur Interpretes ad alterum etiam principium referre; ad calidum videlicet innatum, quod φυσικὸν vocat Aristoteles; de quo in hac tota disputatione nullum verbum. Hinc dictum à nobis superius fuit, in hoc libello negotium omne circa humidum versari, de calido nihil ferè dici; è contra libello de Vita & Morte, & Respirat. disputationem vniuersam de naturali calido esse institutam, de humido ferè nullam. Hinc, sicuti & ex superiori tota disputatione, insignis patet illorum error, quorum dux Fernelius libro quarto de Naturali Parte Medicinę existit; qui innatum calidum per radicale humidũ definiunt, huiusmodi humidum innati calidi substantiam esse dicentes, ipsumq; innatum calidum esse definientes humidum primigeniũ insito spiritu, & calore vndiq; perfusum. quis enim est qui non videat, viros istos formam ferè per materiam definire, & pro ipsa forma materiam, pro eo quod nutritur, illud quod nutrit, ac nutrimentum ipsum vsurpare? Aristoteles autẽ, vt superius demonstrauimus, humidum primigenium caloris huius materiam esse dicit, ac pabulum, lignis flammæ ignisq; respectu ipsum similem faciens. secundo .n. de Ortu & Interitu nutrimentum materiæ est, quod autẽ nutritur comprehensum cũ materia, forma est & species; vt propterea solus inter simplicia ignis nutriri dicatur, solus & maximè formæ habere rationem. quanquam nec verè innatum calidum humidi forma; quia forma existens in subiecto non alterat subiectum, vt in Contradictionibus ad secundum de Ortu & Interitu Zimara inter cęteros animaduertit; itaq; & longè minus absumit, ac destruit: at radicale humidũ à naturali calido depascitur. quare, vt si quis diceret ignẽ esse ligna, & materiam, in qua ardet, & qua nutrit, vehementer erraret; ita & isti innatum calidum humidum primigenium esse dicentes, non minus à veritatis via videntur aberrasse. qui tamen dum ponunt, in his corporibus, quæ apta sunt, vt inflammẽtur, flammę sedẽ, & pabulum aereum quendam esse humorẽ; item primigeniũ humidum oleo perquàm simile esse, & innatum calidum alere, ac sustinere, non secus ac oleũ lucernæ lumen alit, ac sustinet; animaduertere facilè potuissent primigenium humidum cum aereo illo humore, atq; cum ipso oleo habere proportionem; innatum calidum flammę, ac lumini re-

Cap. 6. *Tex. 50.* *Cont. 5.*

ni respondere; proindeq; veluti si quis diceret humorem illum flammam esse, flãmęq; substantiam & essentiam, ac lucernæ lumen ipsum oleũ, in maximum certè erratum incideret; ita & simili errore eos irretitos innati calidi essentiam ac substantiam primigenium humidum efficere: haud quaquam animum intendẽtes, aliud esse dicere innati calidi substãtiam in hoc humido esse collocãdam, quod rectè est dictum; aliud ac omnino diuersum, natiui caloris substantiam hoc humidum existere, quod à vero est longè alienum. eo etiam altero nomine, non exigua digni reprehensione, quòd hoc ipsũ calidum calorem simpliciter in qualitatis genere constitutum, sedem in hoc humido habentem vidẽtur efficere, non substantiã. Neq; Galeni auctoritas primo secto Aphorismorum asserentis innati calidi substantiam aeream esse & aqueam, rectè intellecta, istorum (meo quidem iudicio) suffragatur opinioni; siquidẽ ipse Galenus eo loco innati calidi nomine totum intelligit aggregatum, calidum videlicet cũ ipso humido; non distinguit alterum ab altero; non separatam instituit, quemadmodũ & isti faciũt, de vtroq; considerationem: intelligens, vt exemplum de semine ab eo allatũ satis docet, non secus ac formatrix virtus, animalis scilicet calor, in humido illo aqueo, & aereo seminis inest, quo nutritur, sed alterius certè naturę ac potestatis; ita & in aereo illo aqueoq; humido natiuum calorem existere. in qua quidem humidi substãtia rectè Galenus agnoscit aqueam portionem; est enim humidum radicale mixtum, quare & non sine aqua. proinde Aristoteles magis ac minus aqueum hoc humidũ in animalibus pro locorum differentia esse dixit; & quod vocauit aereũ & pingue, non aquę esse omnino expers intellexit, sed aerem in eo prępualere. vt propterea audiendus Valeriola nõ sit, qui locorum Communium libro primo, non vidẽs qua ratione humidum aqueũ in radicali humido inesse necessariò debeat, hoc Galeni dictũ ita intelligẽdũ esse scriptis mandauit, vt æstimemus, humidum id, in quo natiuus calor situs est, humidum quidẽ instar aquæ esse, sed pingue, calidum, oleosum, non verè aqueum. Hoc igitur est, vt ad institutum reuertamur, quod istos omnes traxit in errorẽ; nullam enim inter hęc duo vitæ principia, inter innatum scilicet calidum & humidum radicale, differentiam agnoscunt; at verò Philosophus qui, vt superius vidimus, non parum ea distinguit, cùm inquit ea animalia vitæ esse longioris, quæ

Aphor. 14.

Cap. 15.

superantur quantitate humidi, si superent pluri ratione secundum quale quàm secundum quantum superẽtur; intelligit de quãto & quali solius humidi, non de quanto & quali calidi, quia de naturali calido non loquitur, & qualis nomine calorem intelligit ipsius humidi; ipsiq; humido admixtũ, cuius ratione humidum, calidum denominatur; non intelligit calidum naturale, cuius ratione humidũ nullo pacto potest per se calidum constitui: cùm ipso humido hoc calidum alatur tanquam materia, propterea; illud absumat, non in esse constituat. vult enim humidum minoris animalis, verbi causa, hominis, tametsi quantitate, & copia superetur ab humido maioris animalis, vt equi; ad vitam facere nihilominus longiorem, si calidius fuerit humido equi; adeò vt ipsum hominis humidum secundũ quale, scilicet caliditatis ratione, & (vt vno verbo explicem) suo calore superet calorem humidi ipsius equi maiori proportione quàm in quanto superetur. Sit enim exempli gratia humidũ radicale equi quãti & copiæ ratione vt 12. qualis & caloris ratione vt 5. humidum verò hominis radicale quanti & copiæ ratione vt 9. qualis & caloris ratione vt 8. dico ex Aristotelis sẽtentia hominem esse vitæ longioris, quia licêt secundum quantum, humidum maioris animalis superet humidum hominis ea proportione, quæ est inter 12. & 9. tamen secundum quale, ipsius humidum superat maioris animalis humidum, ratione maiori ac proportione quàm secundum quantum superetur; qualis est inter 8. & 5. respectu 12. & 9. quod vt facilius elucescat, dispositis numeris, quæ inter illos sint proportiones, & quæ earũ maior, quæ minor existat, perquiramus. atq; hîc proportionem vsitata à pluribus voce rationem, habitudinẽq; , demum cõparationem appello duarum quantitatum; licêt non me præterit Euclidi propriè, ἀναλογίαν, idest proportionem libro quinto similitudinem esse, comparationemq; rationum.

Def. 4.

	Quantum radicalis humidi.	Quale radicalis humidi, .i. calor hum. admixtus.
Maioris animalis .s. equi.	12	5
Hominis	9	8

His ita constitutis, primò ijs est perspicuum, qui vel leuiter in rebus mathematicis sunt versati, hasce proportiones, quas inuestigamus, ad genus proportionum rationale maioris inæqualitatis pertinere, quoniam maior quantitas cum mi-

nore confertur, qualis eſt 12. ad 5. & 9. ad 8. item 12. ad 9. & 8. ad 5. Secundò; cùm hoc proportionum genus in quinque ſpecies diſtribuatur, manifeſtum eſt proportionem numeri 12. ad 5. ad quintam ipſius ſpeciem ſpectare, ideſt ad proportionem multiplicem ſuperpartientem. enimuero maior quantitas 12. aliquoties continet minorem 5. quod conſtituit multiplicem proportionem, & inſuper aliquot eius partes aliquotas non conficientes vnam, quod facit ſuperpartientem proportionem. quandoquidem 12. complectitur bis 5. & duas præterea vnitates, quæ ſunt partes ipſius 5. aliquotæ non efficientes vnam. proportio nanq; multiplex ſuperpartiens definitur eſſe habitudo maioris quantitatis ad minorem, quando maior aliquoties minorem comprehendit, & partes aliquot adhuc eius aliquotas non efficientes vnam. Tertiò; quia hæc ſpecies habita ratione multiplicis in alias diſtribuitur; palàm eſt proportionem 12. ad 5. eſſe duplam ſuperpartientem; habita verò ratione numeri partium aliquotarum, eſſe duplam ſuperbipartientem; poſtremò habita ratione denominationis partium aliquotarum, eſſe duplam ſuperbipartientem quintas; enimuero 12. continet bis 5., ergo proportio eſt dupla. item remanet 2. videlicet duæ partes aliquotæ ipſius 5. ergo eſt ſuperbipartiens. demum 2. ſunt duæ quintæ partes ipſius 5. ergo eſt ſuperbipartiens quintas.
Quartò perſpicuum eſt, proportionem 12. ad 9. ad ſecundam ſpeciem rationalis proportionis pertinere, videlicet ad ſuperparticularem; quæ eſſe definitur habitudo maioris quantitatis ad minorem, quando maior minorem ſemel duntaxat continet, inſuperq; vnam eius partem aliquotam. quandoquidem 12. continet ſemel tantùm 9. & præterea 3. quæ eſt pars ipſius 9. aliquota tertia; ex quò & ſuperparticularis ſeſquitertia proportio inter 12. & 9. conſtituitur. Quintò patet, proportionem 9. ad 8. ad eandem hanc ſecundam ſpeciem pertinere; cùm inter 9. & 8. ſit proportio ſuperparticularis ſexquioctaua. ſiquidem 9. continet 8. duntaxat ſemel, & inſuper 1. quæ eſt octaua pars aliquota ipſius 8. Sextò notum eſt, proportionem 8. ad 5. pertinere ad tertiam ſpeciem; nempè ad proportionem ſuperpartientem; complectitur enim 8. duntaxat ſemel 5. & inſuper eius aliquot partes aliquotas, videlicet 3. non efficientes vnam aliquotam, quæ eſt ratio proportionis ſuperpartientis. & cùm aliquotæ hæ partes ſint tres, conficitur proportio ſupertripartiens; & cùm hæ tres partes quintæ ſint habita ratione denominationis illarum, conſtituitur inter 8. & 5. proportio ſupertripartiens quintas.
His ita conſtitutis inueſtigandum ſupereſt vtra maior ſit proportio 12. ad 9. vel 8. ad 5. Si enim monſtrabimus maiorem habere proportionem 8. ad 5. quàm 12. ad 9. & ſic quale humoris hominis ad quale humoris equi, quàm humoris equi quantum ad quantum humoris hominis; certè Ariſtotelicæ rationis vim ſatis à nobis eſſe explicatam arbitrabimur. quia enim hominis radicale humidum ſuperat equi, ac maioris animalis humidum radicale maiori proportione ſecundum quale, quàm ſecũdum quantum ſuperetur; idcircò homo, vt diuinè concludit Ariſtoteles, vitæ eſt longioris. Dictum igitur eſt proportionem 12. ad 9. eſſe ſuperparticularem ſeſquitertiam, 8. ad 5. ſupertripartientem quintas. quoniam autem propoſitis duabus proportionibus, ea dicitur eſſe maior (vt apud mathematicos eſt notum) cuius denominator maior eſt; ea verò minor cuius denominator minor eſt; inuẽtis harũ duarum proportionum denominatoribus, quod quærimus etiam inueniemus. Itaq; cùm denominator proportionis ſuperparticularis ſit vnitas cum parte illa aliquota, quam maior quantitas debet vltra minorem continere; perſpicuum eſt proportionis 12. ad 9. denominatorem eſſe $1\frac{1}{3}$. Item cùm denominator proportionis ſuperpartientis ſit vnitas cum illis partibus aliquotis non efficientibus vnam, quas maior quantitas debet vltra minorem comprehendere; palàm eſt proportionis 8. ad 5. denominatorem eſſe $1\frac{3}{5}$. at enimuero denominator $1\frac{3}{5}$ maior eſt denominatore $1\frac{1}{3}$; quare & proportio 8. ad 5. maior quàm 12. ad 9. quod etiam & denominatore prætermiſſo hac altera via demonſtramus. Si enim, vt tradunt mathematici, cùm duæ proportiones in numeris proponuntur, multiplicato antecedente prioris cum poſterioris conſequente, & antecedente poſterioris cum conſequente prioris; illa proportio eſt maior, cuius antecedens maiorem numerum producit; igitur quia antecedens proportionis 8. ad 5. maiorem producit numerum, quàm antecedens proportionis 12. ad 9. neceſſariò proportio 8. ad 5. maior erit proportione 12. ad 9. ſi enim proponantur duæ iſtæ proportiones 12. ad

9. & 8. ad 5. comperiemus posteriorem maiorem esse, quia huius antecedens 8. in prioris consequentem 9. ductus, procreat 72. & antecedens prioris 12. in consequẽtem posterioris 5. producit tantummodò 60. videlicet numerum minorem. quare & posterior proportio maior est; & si maior, ergo & hominis humidum pluri ratione superat maioris animalis humidum secũdum quale, quàm secundum quãtum ab eo superetur; ergo & longè calidius quàm humidum maioris animalis; ergo homo vitæ diuturnioris. quod & hoc alterum monstrat euidenter. quis enim est qui non videat, longè humidum vt 9. reddi calidius à calore vt 8. quàm humidum vt 12. à calore vt 5.? minorem enim humoris copiam à maiore caloris copia reddi calidiorem, quàm maiorem humoris copiam à minore caloris copia, vel lippis & tonsoribus est notum.

Ostenditur superiori recepta interpretatione omnem tolli difficultatem. Obiter cur homo erectus, reliqua animalia prona, & quadrupeda. Theodorus redarguitur.
Cap. 39.

HAec igitur, vt fundamentum efficaciamq; Aristotelicæ rationis pro virili monstraremus. quibus quidem receptis omnis aufertur difficultas; cuncta illa absurda, quæ Auerrois supra, Ephesij, D. Thomæ, ac Leonici objiciebamus interpretationibus, penitus tolluntur. Nam primò his positis non tribuimus hominis radicali humido plus caloris quàm sit ipsum humidũ; ideo verè aereũ in eo ponimus tẽperamẽtum; verè magis humidum quàm calidũ pro materia naturali calido subijcimus. ponimus enim humidum in eo esse vt 9. calorem humido admixtum vt 8. Secundò non impertimur homini maiorem naturalis calidi copiam, quàm humidi radicalis: de calido enim naturali non loquimur; de quo si loqueremur, dicendum nobis videretur, si humidum radicale in homine est vt 9. calidum naturale vt 6. & fortasse vt 3. esse debere; si humidum radicale in maiori animali est vt 12. calidum naturale esse debere vt 8. fortasse vt 4. Tertiò Aristotelis verbis admoniti comparationem facimus quanti & qualis humidi radicalis in homine, ad quantum & quale humidi radicalis in maiori animali. Quartò tandem ac postremò non tribuimus homini plus naturalis calidi simpliciter quàm maiori animali, sicuti neq; etiam plus humidi; sed maiori animali plus simpliciter calidi & humidi concedimus. quod enim dicimus calorem humori admixtum maioris animalis esse vt 5. hominis verò vt 8. hoc quidem non est homini ampliorem naturalis calidi copiam simpliciter tribuere; cuius ratione animalia plus vel minus caloris dicuntur habere: sed inter humidum radicale vtriusq;, comparationem caloris ratione instituere; & radicale humidum hominis, idest materiam pabulumq; naturalis calidi facere calidius quàm radicale humidum maioris animalis; quo pacto optimè tẽperatum, aereum, & pingue euadens, difficilius gelu stringi, exsiccariq; potest; proindeq; aptius, diuturniusq; pabulum se præbet naturali calido, & multò longioribus temporum impendijs absumendum, vt supra ex Problematis ostendimus. est enim materia ipsius; quod etiam eiusdem Aristotelis est memorato libelli de Longitudine & Breuitate Vitæ loco asserẽtis, nisi alimentum sumministretur. τὸ φυσικὸν θερμὸν τὸ πρῶτον πεπτικὸν ἀναλίσκειν τὴν ὕλην, εν ᾗ ἐστι. idest naturale calidum primum concoctiuum absumere materiam, in qua est. quibus verbis materiæ nomine radicale humidum intelligit, vt rectè D. Thomas, & Leonicus exposuerunt. Quod verò dicebamus Aristotelis esse sententiam, animalia maiora plus caloris esse nacta; hoc intelligendum est naturalis, & insiti in corde caloris ratione habere veritatem, quod alterum est vitæ principium; incrementiq; & magnitudinis causa efficiens. item intelligendum est maiorem caloris copiam huiusmodi talia simpliciter habere, sed non sui corporis proportione; quare & difficultas nulla. quis enim est qui non videat, in boue, equo, camelo simpliciter maiorem esse copiam innati calidi quàm in homine? Homo autem ex Aristotelis sententia plus caloris quàm cętera animalia proportione sui corporis habet, ideo solus ὀρθὸς, idest erectus, reliqua prona; vel saltem ὀρθότατος, idest omniũ erectissimus, vt libello de Respirat. dictum fuit, atq; hoc sensu cęteris calidior. Erectus enim solus est, si finalem ex Præceptore causam quæris libro quarto de Partibus Animalium, quia ipsius substantia diuina est; si efficientem, quia proportione sui corporis ampliorem calidi naturalis copiam in corde habet, vt nos ex eo libro tertio docebamus; quam sanè efficientem causam potissimum videtur expressisse tertio libro de Partibus Animaliũ his

Cap. 3.

Cap. 13.

Cap. 10.

Cap. 6.

his verbis interprete Theodoro de pulmone differens Aristoteles. Calor enim est, quod vim obtinet augendi. Sanguinis autem copia caloris indicium est. Corpora etiam melius erigit (intelligendum enim, caloris copia) quamobrem homo cęteris erectior est omnibus. est enim αἰρέσα θερμότης, quemadmodum loquitur quarto de Partibus animalium Aristoteles, idest caliditas, cuius est munus erigere, in homine corporis proportione maior; quare quibus minor corporis proportione euehens caliditas, talia quadrupeda fiunt, quia nequit anima pondus sustinere; caret enim idoneo instrumento; tanta scilicet caliditate, quæ possit euehere. ex quò & talium partem superiorem ab ano ad caput porrectam, magnam esse inquit Aristoteles, vt libro quarto ostendimus aduersus Theodorum; partem verò inferiorem, & quæ sustinet pondus, motumq; exercet, paruam minimèq; superiori respondentem; vnde & superiorem illam partem vocat Aristoteles. τὸ σωματῶδες, τὸ βάρος, demum, τὸ μέγα. idest corporeum, pondus, magnum; nempè quia lōgè maior sit pars quàm altera, & inferior. vt ampliore corporis hac parte existente, ideoq; ampliore facto in hanc corporis partem pondere, vergere in terram corpora sit necesse. nam talis verborum illorum sententia est. διὰ πλείονος (scilicet ἄνωθεν, hoc enim aduerbium ex superioribus est subaudiendum) γινομένου τοῦ βάρους, καὶ τοῦ σωματώδους, ἀνάγκη ῥέπειν τὰ σώματα πρὸς τὴν γῆν. nimirum. Propterea ampliori facto in superiore parte pondere, & corporeo; necesse est ad terram corpora vergere. Atqui Theodorus sic ea interpretatus est. Quamobrem concretione, & pōdere grauiore opprimente, corpora vergere in terram necesse est. qua quidem interpretatione nōnullis fortasse existimādi dare posset occasionem, Philosophum hoc loco crassiora brutorum corpora efficere, hominis tenuiora; idq; tanquam causam subiicere, cur bruta non sint apta ad mentis participandam, exercendamq; operationem, homines sint apti; cùm tamen de crassitudine corporum, & tenuitate (quæ duo τὸ παχὺ, & τὸ λεπτὸν solet appellare) nil hoc loco loquatur Aristoteles: sed quadrupedum corpora cum hominum corporibus conferens, illa prona esse dicat, quia non adsit tantus calor, qui pondus possit sustinere, & superior pars corporis eorum maior, ideoq; ponderosior, corpulentiorq; existat, & proinde ad mentis operationem exercendam inepta; quoniam pondus tardiorem reddit mentis, sensusq; operationem: homines verò erectos, quia tantus adsit calor, qui possit erigere; superiorq; corporis illorum pars contrario modo sit disposita; ideoq; hominis solius officium intelligere.

Cap. 10.

Cap. 61. & 62.

Adhuc de causa erectæ in homine figuræ: nonnulli obscuri Aristotelis loci explicantur.

Cap. 40.

SEd vnde digressi sumus eò redeamus; hæc enim propterea adiecimus, vt eorum veritas, quæ hac de re libro quarto aduersus Theodorum disseruimus, magis eluceat. dicebamus autem ob calorem in corde ampliorem, vt libro tertio à nobis positum fuit, hominem erectum natura esse; quod & libello de Respirat. legimus explicatum, eo loco, vbi dicit Aristoteles, animal (hominem .s.) plurimo, & purissimo sanguine vtens, erectissimum esse, & sursum ad Vniuersi sursum solum habere, διὰ τὸ τοιοῦτον ἔχειν τοῦτο τὸ μόριον. idest. quia talem habet hanc particulam; quorum verborum sententia est, hominem erectissimū esse, non quidem quia talem particulam .s. purissimum sanguinem, & tenuissimum habet (tametsi id Leonico video placuisse) sed quia pulmonem talem habeat .s. maximè sanguineum & calidum. nam verbis illis. τοῦτο τὸ μόριον, .s. talem particulam, ex paulò superioribus subaudiendum est, μάλιστα ἔναιμον, καὶ θερμὸν, idest maximè sanguineum, & calidum. per τὸ μόριον enim loco illo pulmonem Philosophus intelligit, vt rectè sic Ephesius docet. ἐν δὲ τῇ λέξει τῇ, διὰ τὸ τοιοῦτον ἔχειν τοῦτο τὸ μόριον, τοῦτο τὸ μόριον τὸν πνεύμονα φησί. .i. Verbis autem illis. propterea quòd talem habet hanc particulam; particulam hanc pulmonem dicit. enimuero de eo est quæstio sub eadem voce instituta verbis illis paulò ante. διὰ τί δὲ τοῦτο τὸ μόριον ἔχουσιν ἔνια. idest. qua autem de causa hanc particulam nonnulla animalia habeant. ex quò & cùm addidisset. διὸ καὶ τὰ μάλιστα ἔναιμον ἔχοντα τὸν πνεύμονα, καὶ θερμὸν, μείζονά τε τοῖς μεγέθεσι. idest. ob id & maximè sanguineum habentia pulmonem, & calidum, corporis magnitudine maiora existunt; subdens postea. καὶ τό γε καθαρωτάτῳ καὶ πλείστῳ κεχρημένον αἵματι τῶν ζώων, ὀρθότατόν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος. καὶ τὸ ἄνω πρὸς τὸ τοῦ ὅλου ἄνω ἔχει μόνον, διὰ τὸ τοιοῦτον ἔχειν τοῦτο τὸ μόριον. idest. Atq; inter animalia purissimum, ac plurimum habens sanguinem, homo,

Cap. 13.

homo, erectissimus est, & sursum ad ipsius Vniuersi sursum habet solus, quia talē habet hanc particulam. necessariò per τοῦτο τὸ μόριον. idest per hanc particulam, non quidem sanguinem plurimum, purum, ac tenuem, sed pulmonem maximè sanguineum, & calidum intelligit: adeò vt caloris copiam, nō sanguinis tenuitatem & puritatem erectæ in homine figuræ his verbis causam nobis afferat. talem enim habet pulmonem homo, quia plurimum in corde habet calidi naturalis, vt eodem loco docet Aristoteles. nam quemadmodum libro secundo de Animalium Ortu idem admonet. τῆς θερμότητος τῆς φυσικῆς ὅρος ὁ πνεύμων, ὅσων ἔναιμος ἐστι. idest, vt ego interpretor. Naturalis calidi terminus est pulmo, quibuscunq; est sanguis. siquidem cum veteri Interprete lego τὸ αἷμα pro ἔναιμος; cùm nil ad veritatem sententiæ, & integritatem vox, ἔναιμος, facere possit; quin potius sententiam ipsam falsam reddat, vt Deo concedente alio loco demonstrabimus. vetus enim Interpres sic. Caliditatis autem naturalis terminus pulmo est, quorumcūque sanguinem habent. & Suessanus ex veteri alia (vt reor) translatione. Eorum, quorumcunq; sanguis est. Enimuero sententia est, in animalibus sanguine præditis pulmonem esse terminum naturalis caliditatis, idest (vt Philoponus rectè in Commentarijs interpretatur, τὸν ὅρον κανόνα exponens) regulam, qua caloris copiam maiorem, vel minorem, demum qua caloris mensuram in illis cognoscamus. quę enim inter sanguinea pulmonem non habent, minus naturalis calidi habent; quæ habent; magis. item quæ pulmonem habent magis sanguineum, ac mollem, nec fungosū, nec siccum, durumq;, maiorem naturalis calidi copiam sunt adepta. quare vel falsò, vel certè obscurè nimis sic locum hunc Gaza interpretatur. Caloris verò naturalis ratio pulmone describitur sanguinis compote. neq; enim vox, ὅρος, rationem hîc dicit, ac definitionem, ita vt rei essentiam respiciat, vt plerunq; solet apud Aristotelē; sed terminum, ac metam, atq; vt Philoponus rectè dicit, regulam; & pulmo præterea semper sanguinis est compos, nunquā expers; licèt magis, vel minus compos. Hinc Suessani lapsus insignis; qui auctoritate fortasse Theodori deceptus, rationem pro principio hîc sumi dicens; omnino perperam principium caloris, & sanguinis pulmonem esse inquit; quo nil magis ab Aristotele dissentaneum dici potest; cùm non pulmo, sed cor Præceptori principium sāguinis, & fons existat, naturalisq; caliditatis. Addit autem Philosophus, quibuscunq; sanguis est. quia caloris terminus, ac mensura non sumitur in eorum transitu, quæ sanguine carent ad sanguinea, à pulmone, sed ab ipso sanguine; plus enim naturalis calidi habent sanguinea, tametsi pulmone careant, quàm sanguinis expertia, vt eodem loco paulò supra dicit Aristoteles: quare in huiusmodi talibus non pulmo, sed sanguis terminus est, & regula, qua calidi naturalis mensuram agnoscamus. At enimuero, vt ad institutum reuertamur, si pulmo, ipsiusq; qualitas terminus est, quo calidi naturalis quantitas in animalibus sanguineis, & pulmonem habentibus definitur, ac terminatur; si sanguinea, quæ pulmonem habent, plus calidi naturalis possident non habentibus; si quæ sanguineum magis, adhuc plus habent caloris; rectè loco ex libello de Respirat. supra citato concludit Aristoteles, hominem, quia maximè sanguineum, & calidum pulmonem habeat, esse erectissimum, & solum sursum ad Vniuersi sursum habere. quia enim pulmo terminus est calidi naturalis; talis in homine existens, plurimum huius calidi illum in corde habere monstrat, calidiq; mensuram in homine definit: vt hac de causa erectissimus inter animalia existat. quare magnus Leonici meo quidem iudicio error, dum in sanguinem ipsum, potissimumq; in ipsius puritatem, & tenuitatem, causam, cur homo erectæ sit figurę, ex Aristotelis sententia hoc loco refert, ita scribens. De homine postea verba facit, quem erectæ dicit esse figuræ, & habere id, quod in ipso sursum vocatur, ad illud, quod in Vniuerso est sursum, consentiens, & benè quadrans; quoniam inter cætera, inquit, animalia plurimo pro corporis sui mole, & tenuissimo, necnon purissimo vtitur sanguine. Cùm erectæ hominis figuræ causa Aristoteli calidum sit naturale sui corporis proportione plurimū in corde residens: pulmo autem quatenus calorem hunc participat, & quatenus maximè sanguineus existens, magni huius caloris in corde residentis est argumentum; tùm demum sanguis sua copia easdém ob causas; est enim Aristoteli libro tertio de Partibus Animalium ἡ πολυαιμία θερμότητος σημεῖον. idest, sanguinis copia caloris indicium. quam veritatem idem Leonicus mox his verbis fassus est; vt mirum sit quomodo veram, primariamq; causam deserens, hūc

Cap. 2.

Cap. 6.

effe-

effectum in sanguinem, eiusq; copiam, puritatem, & tenuitatem supra retulerit. Quoniam enim (inquit) homo circa cor, & pulmonem plurimam, & vegetam habet caliditatem, locaq; illa copioso abundant sanguine, cùm calidum eum esse oportet, tùm erectæ staturæ inter reliqua animalia. hæc ille; quo loco cautior factus, & veram affert causam, cordis scilicet calorem, & nõ quidem sanguinis puritatem & tenuitatẽ, vt supra, adducit, sed solùm copiam; quã nihilominus debuerat prætermittere; cùm, si modò aliquid sanguis faceret, non quatenus multus & copiosus faceret, sed quatenus copiosior existens, maiorem caloris copiam & indicaret & afferret: quatenus enim purus, & tenuis nullo modo; sed potius ad contrarium; quia tenuitas, puritasq; in humano sanguine non caloris sint opera Aristoteli, sed frigiditatis, vt nos libro quarto ex eo ostendimus. Nec obstat quidquam, quòd purior sanguis libro quarto de Animalium Ortu dicatur esse calidior; nam eo loco puriorem sanguinẽ vocat Aristoteles, qui comparatione humoris cruenti colore tantùm, non natura & essentia verum sanguinem imitantis, verus sanguis dici debet; proinde talem purum appellat, scilicet ab illo humore separatũ, & ideo calidiorem. at cùm de sanguine humano loquitur, purum eum appellat, vt libro secundo de Partibus Animalium declaratum est, quia minus sit crassus, minusq; terreni habeat, proindeq; minus sit calidus; idcircòq; talem tenuiorem esse dicit, & frigidiorem. Sed hactenus hæc, quæ ideo longius disseruimus, vt quæ libro tertio de vera erectæ in homine figuræ ex Aristotele causa diximus, firma maneant. ad institutã modò disputationem redeamus. dicebamus enim calidioribus locis ex Aristotelis libello de Long. & Breu. vitæ sententia diuturniorẽ animalia vitam ducere.

Cap. 57. & 58.

Cap. 1.

Cap. 2. et 4.

Confirmatur alijs Aristotelis testimonijs enarrata sententia. Locus quidam ex Problem. explicatur. Item locus alter quarto de Animalium Ortu. Theodorus redarguitur. Cap. 41.

HAnc igitur Aristotelis sententiã, quòd in calidiori tractu diutius viuant animalia, plerisq; etiam alijs in locis expressam videmus; nam Prob. sectione decimaquarta sic scriptum legimus. Cur diutius viuunt, qui locis calidis suam degunt ætatem? an quia natura sunt sicciore? firmius autem, diuturniusq; quod siccius est: mors autem putredo quædã est. An quòd mors caloris interioris refrigeratio est, refrigerari autem omnia solent ambientis aeris qualitate; qui vt locis calidis calet, sic frigidis friget: itaq; interiorem calorẽ ocyus, magisq; corrumpit. Hæc Aristoteles; quo loco non omnino assentior Theodoro in verborum illorum interpretatione. refrigerari autem omnia solent ambientis aeris qualitate: siquidem græcum exemplar ita habet. καταψύχεται δὲ πᾶν ὑπὸ τοῦ περιέχοντος καὶ ψυχροτέρου. quare, vt patet, reliquit vocem illam ψυχροτέρου, in qua totius sententiæ vis est collocata; quod haud quaquam vetus fecit Interpres, qui ita cõuertit. Infrigidatur autem omne à continente & frigidiore. erant igitur planius ad verbum meo quidem iudicio sic conuertenda. Infrigidatur autem vnumquodq; ab ipso continente & frigidiori. est enim hæc maior rationis propositio ac fundamentum, duo membra continens; alterum quòd rei omnis infrigidatio fit à continẽte; alterum quòd fit à frigidiori. si enim continens calidius sit quàm animal ipsum, quod infrigidatur, calefaciet vtiq; illud, non reddet frigidius; quin & vel putredinem creabit, vel etiam nimio calore suffocabit; vt in magnis æstibus aliquãdo solet euenire. quamobrem non erit verum ambientis qualitate omnia infrigidari, quoniam qualitas illa potest esse calor. quod contuens pulchrè Aristoteles addidit hoc alterum, & frigidiori. quo posito sic postea ratiocinatur. in locis calidis continens calidum est, in frigidis cõtinens frigidum; atqui acceptum est infrigidationem fieri à continenti, & frigidiori; igitur in locis frigidis insiti caloris fiet necessariò infrigidatio, proindeq; celerior ipsius maiorq; corruptio: vtrunq; enim adest; continens scilicet, & excellens frigiditas. qui etiam locus latissimè probat innato calido frigus vt contrarium Aristotelem opponere; ideoq; innatum calidum, secus quàm pleriq; existimauerint, ex eius sententia contrarium habere. infrigidationis autem voce libentius vtor, non refrigerationis, vt Theodorus; quoniam refrigeratio insito calori salutem affert, vt in Opusculo de Respiratione habemus, infrigidatio corruptionem. quare, vt eo libello inquit Aristoteles, infrigidatis alijs corporis particulis vita remanet; at ea infrigidata, quæ calorem insitum continet, statim mors sequitur; nimirum quia & ca-

Prob. 9.

Cap. 8.

lidum

lidũ ipsũ innatũ à cõtrario frigore corrũpitur. Inquit autem hoc Problemate diuinus Præceptor, qui in calidis locis degunt ob ſicciorem naturam diutius viuere, quoniam, vt ex ſuperioribus elicere poſſumus, humidum vitale illorum ob loci calorem eſt calidius, proindeq; ſiccius; videlicet aereum magis, ac minus aqueum. quod ſatis monſtrat Ariſtoteles adiungens, vt verbum è verbo exprimam, imputribilius eſſe (firmius dixit Theodorus) & diuturnius, quod eſt ſiccius: dictum nanq; ſupra eſt pinguia eſſe imputribilia, quia aeris ſunt, aer verò ad alia ignis, ignis autem putredinis expers: vt rectiſsimè dixerit ſecundo libro de Plantarum Cauſis Theophraſtus denſitatem, ſiccitatem, ſoliditatem, atq; pinguedinem in plantis cauſas eſſe vitæ perennitatis, contraria breuitatis. Hinc ſequenti Prob. ſubiungit, qui calida loca habitant, viuere diutius, quoniam calidum & humidum magis conſeruant: conſeruant enim quia calidius ipſum humidum ob loci naturam naciſcuntur, idcircòq; & diuturnius. at diuturniore humido exiſtente, ſcilicet materia, neceſſariò & calidum exiſtit diuturnius; qua de re infra dicemus. quamuis enim quantitatis ratione ob feruorem, ſiccitatemq; regionis humidum illis deficiat quanti ratione, quia tamen longè excellit qualitate, & pingue eſt, ac aereum, longiori tempore conſeruari poteſt, ac minus à calido naturali abſumi, minuſq; exſiccari; vt rectiſsimè memoriæ mandauerit Ariſtoteles locis illis calidum, & humidum magis conſeruari; dùm enim conſeruatur humidum ipſius calidi pabulum, calidum quoq; ipſum neceſſariò conſeruatur. Quod verò ad loca pertinet, hoc vehementer animaduerti velim; frigidorum calidorumq; locorum nomine extrema loca in præſentia Philoſophum intelligere, videlicet Scythica & Aethiopica, ac paulò minus calore & frigore excedentia; vt præcedenti libro oſtendimus, & infra etiam demonſtrabimus. Porrò autem nec diſsimilem ſententiam continent verba illa quarti libri de Animalium Ortu, tametſi explicatu difficillima, quæ Theodorus neſcio qua cauſa impulſus cum negatione legit; vt non parum ſubeat mihi Valeriolam demirari græci ſermonis ſcientiſsimum, qui tertio libro locorum Communium id non animaduerterit: vnde & falsò ꝙ lõgioris vitæ cauſa eſt, tãquam breuioris cauſam adducit. ſic enim ſcribit. Accedit & aeris nos ambientis, perpetuòq; nobis aſsidentis vt varia, ſic & continua, indeficienſq; alteratio; à qua interdum noſtri corporis ſubſtantiam diſsipari, & diſſolui æſtu nimio; interdum cogi, ac veluti gelari frigore; madeſcere imbribus; ſiccari ſqualore contingit. ob id Ariſtoteles cauſam, ne quoduis animal diù viuere poſſit, eſſe conceptis verbis affirmauit, quòd pro aere ambiente variè temperatur. At ſic ibi ſcripſit Ariſtoteles. αἴτιον δὲ τοῦ μὲν εἶναι μακρόβιον ὁτιοῦν ζῶον, τὸ κεκρᾶσθαι παραπλησίως πρὸς τὸν περιέχοντα ἀέρα. quæ ita ſonant ad verbum. Cauſa autem vt quoduis animal longo tempore viuat, eſt, quòd ſimiliter ad continentem aerem temperatur. Theodorus autem ſic habet. Cauſa ne quoduis animal poſsit diù viuere, eſt, quòd pro aere ambiente temperatur. fortaſſe ratione illa deluſus, quia calor & humor (quod temperamentum aeris eſt) ad putredinem magnam habent propenſionem; vt ſi animal ſic temperetur, diutius viuere non poſsit. niſi forſan dicamus (quod mihi facilius perſuadeo) librariorum incuria pro particula, vt, alteram hanc, ne, in contextu Theodori irrepſiſſe. quòd & eò probabilius eſt, quòd & Trapezuntius natione græcus eundem hunc locum transferens cũ affirmatione legit: ſic enim illum interpretatus eſt. Sed cauſa, vt longæ quidem vitæ quodq; animal ſit, ſimilis ad continentem aerem contemperies eſt. quod & ante illum vetus fecit Interpres ſic habens. Cauſa autem eius quod eſt eſſe longæ vitæ quodcunq; animal; eſſe ſimiliter contemperatum ad continentem eius aerem. Hunc locum explicans Auerroes, & affirmatiuã agnoſcens orationem, dicit ſic. Euenit autem hominis perduratio ex eius complexione, quæ ſimilis eſt complexioni aeris ambientis ipſum calidi & humidi. Albertùs eadem planè ſcribit. Ioannes Grammaticus ſilet. Auguſtinus Niphus nihil claro interpretis nomine dignum emittit, niſi quòd hanc ipſe quoq; notat inter græcum contextum, & Theodorum differentiam. Nos autem credimus ea ipſa, quæ ſuperius diſſeruimus, Philoſophum deſignare; videlicet animalia diutius viuere, ſi humidum non aqueum, proindeq; non frigidius, ſed ſi aereum, ideoq; calidius ſortiantur: propterea dicere, cauſam, vt quoduis animal diù viuat eſſe, quòd ſimile aeri recipiat temperamentum: intelligit enim de humidi radicalis temperatione, quam ſimilem aeri, videlicet aeream, calidioremq; vult eſſe; in quod quidem humidum in illi-

Cap. 16.

Prob. 10.

Cap. 11.

Cap. 19.

usq; conditiones libello de Longitudine, & Breuitate Vitæ, omnem refert, vt superius vidimus, longitudinis breuitatisq; vitæ causam. itaq; non intelligit de homine tantùm, vt Auerroes, ac Albertus existimauerunt, sed de cunctis animalibus; siquidē inquit manifestè ὁτιοῦν ζῷον, scilicet quodcunq; animal: quæ eò inquit esse diuturniora, quò & similiorem ad aerem temperationem fuerint nacta: neq; rursus intelligit de complexione corporis, sed de humidi radicalis temperamēto, quod aereum esse oportere definit ad vitę perennitatem, cum ijs omnino cōsentiens, quę de hoc ipso humido libello de Longitudine & Breuitate Vitæ tradita fuere; tametsi ex his inferre velit Aristoteles, hominem ideo esse longioris vitæ quàm pleraq; maiora, quia huiusmodi temperamentum perfectius recipiat, vt superius fuit expositum.

Superiora vberius confirmantur. *Cap.* 42.

Cap. 2.

HInc in Opusculo de Longitudine & Breuitate Vitæ idem affirmabat, cōtinentem aerem aut cooperari, aut contra operari; adeò vt hanc ob causam transposita diuturniora natura fiant, aut æui breuioris: neq; enim dicit, etiam si natura breuioris essent vitę, translata fieri longioris, vt perperam Leonicus arbitratus est; sed vtrunq; membrum ponit & exprimit; videlicet quæ transferuntur, si locum, aeremq; suæ naturæ magis accomodatum inueniant, diuturniora reddi; si contrarium, breuiora; quod etiam græcum exemplar apertè monstrat. Si enim principiorum vitalium tale fuerit temperamentum in animali, ipsumq; animal in simili loco & aere collocetur, vitam habebit cooperatione aeris ac loci, vt ita loquar, longè diuturniorem. Nec fortasse aberraret, qui diceret sententiam esse, vt animal diù viuat, causam esse, quòd similem habeat ad aerē, in quo degit, temperationem; adeò vt animalis temperamento aeris temperamentū conueniens existat, & familiare. quam interpretationem illud comprobat, quod supra ex septimo Physicorum adducebamus, sanitatem quandam ad continens esse commensurationem. quo etiam fortasse sensu dicere potuit loco superius memorato, quę transferuntur diuturniora esse, aut contra, prout aerem ad eorum temperamētum cōmensuratum inuenient, adeò vt cooperetur eorum diuturnitati, si commensuratus existat, contra operatur, si non commensuratus; sed priorem interpretationem libētius sequor. Intelligendum autem est, aerem locumq; ad hanc vitæ perennitatem concurrere ea ratione, qua ad naturam materiamq; conseruandam concurrit, non qua ad habitus, & dispositiones; idcircòq; & ratione similitudinis; quod satis superq; expositum antea fuit. quam veritatem acutè vidit Ephesius ita explicans hæc Philosophi verba. Aer autem continens si quidem fuerit similis temperamento corporis animalium, simul iuuat, & promouet ad ætatis extensionem; si contrarius obsistit, & vitæ cursum contrahit. habet enim græcū exemplar pro simili οικεῖον, & pro temperamento κρᾶσιν, quarum vocum priore similitudinem, posteriore elementorum, substantiæq; mixtionem Ephesius intelligit, proindeq; materiam ipsam. quam profecto crasim à dispositione, habituq;, & complexione distinguit, quam vocat symmetriam: quod & supra ex eo explicauimus, & hîc rursus ipsiusmet verbis repetere non piget: sic enim loquitur in Commentarijs super Opusculo de Respiratione, vt ego ad verbum interpretor. Quærere igitur contraria in excessibus, habet rationem. Verùm non vt ipse dixit (scilicet Empedocles) sed quando excessus quidem secūdum corporum symmetriam oritur (symmetriam enim habitum appellauit) tunc loca & tempora contraria quærenda sunt: quod in morbis facere solemus. quando autem excessus naturæ est, ac materiæ, ex qua genitum est animal, non sunt quærenda loca contraria: contrarium nanq; corrumpit non seruat: si enim excessus fiat secundum corporum symmetriam, quam ex tali elementorum mixtione habemus, & secundū quam benè valemus, & ægrotamus; si inquam huiusmodi excedentem symmetriam nacti erimus, tempora, & loca contraria quærere oportet: si verò excessus materiæ secundum constitutionem, quæ à principio fit, animalis extiterit, locus contrarius nō est quærendus: siquidem hoc est ipsa animalis natura, & in hoc substantia essentiaq; ipsius consistit, vt excessum habeat vnius trium elementorum; quare à contrario corrumpetur. non oportet igitur locum contrarium quærere, sed permanendum animali est in materiæ loco, à qua excessum habet; locus nanq; proprius, ac similis vnumquodq; seruat elementorum. Hæc ille; qua recepta interpretatione tanquam summè veritati, atq; Aristotelis verbis cōsentanea, iam non erunt illi audiendi, qui

hæc omnia ad complexionem transferunt; cùm, vt infra etiam demonstrabimus, locus potius contrarius non similis complexionem ipsam seruet; vt non malè Contradicentium Medicorum libro primo dixerit Cardanus, in regimine conseruatiuo aerem nunquam debere esse similem. quanquam Auerroes in sua Paraphrasi hãc ipsam duarum substantiarum calidi scilicet, & humidi commixtionem cordis complexionalem proportionem videtur appellasse, haud rectè mea quidē sententia adiungens, (si modo, vt videtur, id de duobus vitalibus principijs pronunciauit) vt clarius supra vidimus, causam vitæ diuturnioris copiam esse calidi & humidi; sed ita tamen, vt calidum vincat humidum, & virtus actiua passiuam. quo fortasse sensu D. Thomas dixit duas esse causas vitæ longioris, alteram complexionis diuersitatem; alteram diuersitatem regionis: verba illa explicans in principio Opusculi de Respiratione posita, quibus Philosophus docens, alterum animal altero longioris, vel breuioris esse vitæ, dupliciter sumi posse; videlicet si speciem cum specie comparemus, vel indiuiduum cum indiuiduo; vt hominem cum equo: vel cum alio homine; hanc eandem sententiam his verbis pronunciauit interprete Leonico. Ex hominum nanq; numero sunt qui longioris sunt vitæ; alij verò breuioris: diuersi secundum varia distantes loca. Quæ enim in calidis degunt locis nationes, longioris sunt vitæ; quæ verò in frigidis, breuioris; & qui eadem etiam incolūt loca hoc eodem discrimine differunt. Vbi D. Thomas voluit, qui homines loca distantia habitant, ob diuersitatem regionis diuersos vitæ terminos habere; qui in ijsdem commorantur, ob diuersitatem complexionis.

Tra. 6. ca. 3

Tex. 23.

Afferuntur aduersus hanc Aristotelis sententiam graues quædam dubitationes.
Cap. 43.

IAm verò aduersus hæc Aristotelis dogmata, præsertim ea parte qua ponunt, quòd in calidioribus locis degentes vitæ sint longioris, grauissimæ, & quæ penè inextricabiles ad hanc vsq; diem habitæ sunt difficultates, oriuntur. Primùm Hippocratis auctoritas aduersatur, qui in libro de Aere, Aquis, & Locis frigidorum locorum accolas longè esse viuaciores affirmauit: enimuero de locis ad Septentriones collocatis verba faciens, eorum respectu, quæ ad Austrum inclinant, proindeq; de frigidis locis loquens respectu calidorum, ita scriptum reliquit. Longæuos verò magis quàm alios hos homines esse par est. Secundò ipsamet vrget Aristotelis auctoritas, cùm, vt præcedenti libro vidimus, septimo Politicorum loca ad Aquilonem posita non solùm commodiora esse voluerit, sed etiam salubriora; itaut in frigidis locis diuturniorem vitam traduci existimauerit. quod & sensuum fide comprobatur; cùm inter alios Botherus Relationum Tomo secundo scribat, in Gothia, & Filandia frigidissimis regionibus mulieres miræ esse fertilitatis, homines diutissimè viuentes; cùm ad annum vsq; centesimum & quadragesimum perueniant. Tertiò Interpretum cogit hæsitatio, qui in contrariam sententiam alios omnes Philosophos abijsse testificantur. Vnde Iandunus in Quæst. ita scribit. Albertus dicit hic quòd accipiendo verba Philosophi sicuti iacent in littera, quòd non habent veritatem; immò dicit quòd ipse Philosophus dicit contra intentionem omnium Peripateticorum, qui aliquid sciuerunt de natura; quia omnes voluerunt quòd habitantes in regionibus frigidis sint longioris vitæ, quàm habitantes in calidis. quæ Alberti sententia Auicennæ testimonio roboratur, Secunda primi asserentis, habitantes in regionibus frigidis longioris esse vitæ quàm degentes in calidis; in quibus anno trigesimo senium incipere testatur. ex quò & Plinius Hyperboreos, qui ferè sub Polo sunt, quarto libro Naturalis Historiç diutissimè viuere memoriæ prodidit: videntur enim frigida & sicca loca putredini maximè resistere: vt hac etiam de causa Aquilonij flatus tanquam frigidi & sicci, saluberrimi esse censeantur. Quin & ipse Galenus, si non in frigidis, neq; etiam in calidis diutius viuere homines voluit, sed in ea regione, quam facit temperatissimā. Quartò ex eadem decimaquarta Problematum sectione maxima oritur difficultas; siquidem Aristoteles de ijsdem frigidis, calidisq; locis sermonem habens, in quibus breuius, diutiusq; viui scribit; & causam quærēs cur in frigidis homines sint animosiores, in calidis timidiores, hanc adducit, nec aliam vllam; quia in calidis locis homines sint natura frigidiores, & facilè infrigidentur, ideoq; timidiores; & loquitur præsertim de innato calido, à quo vita pendet: in frigidis verò locis calidiores, & idcircò audaciores: ex quò & frigi-

Cap. 11.

Quæst. 15.

Cap. 12.

dę regionis accolas octauo Problemate affirmat principium intra se vehemens augescendi obtinere. At hæc mirificè pugnant cum ijs, quæ sequenti nono Problem. docentur, & in Opusculo de Respiratione, vbi ideo in calidis locis definit Aristoteles viuere diutius animalia, quia secundum quale superent, scilicet secundum calidū, vt supra exposuimus; in frigidis breuius, quia infrigidentur, humidumq; facilè gelabile habeant. Si enim insitum calidum ob antiperistasim, lociq; frigiditatem habent potentissimum; igitur & humidum longè calidius quàm calidæ regionis habitatores; igitur non facilè gelabile: qui sanè calidæ regionis habitatores si ob contrariam causam principium habent, quod facilè infrigidetur, iam & necessariò humidum facilè gelabile habebunt: quod tamē illis, qui in frigidis locis commorantur, conuenire affirmabat Aristoteles. Quintò calida loca, præsertim excedenter, de quibus loquitur Aristoteles, sicca sunt, qualia & Aethiopica, vt supra tetigimus; igitur in illis longè minorem humoris vitalis copiam habebunt animalia quàm ad vitam diutius protrahendam sit necesse; calor enim vehemens, & siccitas humorem siccant vehementer; itaq; falsò scripsit Philosophus decimo Problemate, qui hęc loca habitant, magis humorem seruare: oportet .n. ob allatā causam in huiusmodi locis insignem in quanto oriri defectum. at quantum ipsum, humoris scilicet vitalis copiam, vitæ longioris alteram esse causā statuit Aristoteles. quo igitur pacto dicere potuit in calidis locis plus humoris calorisq; animalia habere? ideoq; esse viuaciora? at id videtur asseruisse cùm posuit, eandem ob causam, ob quam maiora animalia diutius viuunt, in calidis locis vitam ijsdem esse longiorem: maiora nanq; animalia maiorem humoris copiam habere rationi est consentaneum, vt Philosophus concludit. Sextò si in calidis locis excedenter vita est diuturnior, igitur falsò pręcedenti libro ex Hippocrate, & Aristotele cōclusum fuit, in optimè temperata regione vegetiora, robustiora, maioraq; animalia oriri, proindeq; viuaciora; cùm vitæ longitudo virium ratione consistat, vt secundo libro de Plantarum Causis docet Theophrastus. videtur enim, si hæc vera sunt, non in locis calidioribus, & caliditate excedentibus, sed in moderatis vitæ longioris animalia esse oportere. Septimò dubitatio est de eo, quod addidit gelationē auferre augmētū, cùm posuisset antea in frigidis locis humidum esse magis aqueum, ideoq; facilè gelabile; plantas autem, ac animalia, quæ non sumunt nutrimentum, corrumpi, quia naturale calidum absumat materiam, in qua existit: enimuero si animalia in frigidis locis degentia intereunt, quia deest illis alimentum; ergo non quia humidum habeant magis aqueum; ergo non quia huiusmodi humidum gelu stringatur; demum non ex natura humidi, & ex causa intrinseca, sed ab extrinseca causa, & per accidens, ob inopiam videlicet alimēti habebunt animalia, vt locis frigidis ocyus consenescant, & intereant. Octauò in controuersiam meritò vocari potest, quod Philosophus inquit, quæ animalia in quantò deficiunt, dummodo in ipso quali superent, esse viuaciora, quia humidum ipsum non aqueum habeant, sed aereum: siquidem hoc est, quòd ipse designat, cùm dicit in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ huiusmodi humidum neq; facilè esse gelabile, neq; facilè exsiccabile; & citato Problemate horum hominum naturam esse ficciorem; quibus siccius humidum animalibus illis existere, quia minus sit aqueum, aereum magis significauit. cùm enim aer sit primum humidum, vt secūdo de Ortu, & Interitu fuit definitum, & ideo humidior quàm ipsa aqua; videntur potius animalia illa, quæ tale humidum nacta fuerint, in quanto etiam abundare; adeò vt dicendum sit, quæ aereum humidum habent, maiorem humidi copiam, quæ aqueum minorem sortiri; demumq; humidum humidius non siccius, vt ita loquar, quia sit aereum, adipisci. Hæc est quæ se se nobis offert sylua maximarum dubitationum; quam superiori nostra recepta, atq; animaduersa interpretatione nihil erit negotij excidere, funditusq; diuellere. quod vt clarius appareat; aliorum explicationes in medio ponam, ostendens nullam nobis mōstrare viam, qua tantis difficultatibus emergamus.

Cap. 12. — Quæst. 15. — Sect. 14. — Cap. 15. — Tex. 6. & 3. — Tex. 23.

Alberti, D. Thomæ, Leonici afferuntur solutiones circa tres priores dubitationes, & refelluntur. Auerrois adducitur interpretatio.

Cap. 44.

TRes priores dubitationes, quę in vnam tandem redeunt, vt Albertus labefactaret, dixit (Janduno citato loco referente) per calida loca temperata esse intelligenda; sicut & calidum in mixto quoq; tem-

temperatum intelligimus: per regionem frigidam, intensè frigidam. cùm enim ibi calidum non sit adurens, homines propterea diutius in ea viuere. quam sententiam D. Thomas quoad temperiem regionis sequi videtur verbis illis. Et intelligendum est, quod dictum est de calidis regionibus, temperatè: quæ enim sunt in calidis excellenter, sunt parua. Leonicus verò apertè eam amplexatur ita scribens in Commentarijs. Quo in loco animaduertendum esse censeo per calida loca hic intelligi oportere temperatas terrarum, cœliq; plagas; aut non multùm calore excedentes; quales sunt regiones, quæ tertio, quarto, quinto, sextoq; etiam subiectæ sũt climati. in ijs enim dicit, & sensu etiam percipitur, frigidæ complexionis animalia, & sanguinis exigui, vt serpentum genus est vniuersum, & ea, quæ squammis teguntur animalia, magna esse. ostreacea quin etiam, quæ sanguine penitus carent, ob tepidiorem cęli tractum in mari rubro magna reperiri asseuerat. Nam eadem (vt diximus) vitæ & augmenti causa caliditas est humida, idest calidum in humido sibi proportionato & pingui degens. quamobrem in calidis etiam insigniter regionibus, vt apud Aethiopes, & Indos, quæ pauci sunt sanguinis animalia ad maximas corporum moles excrescere dicũtur, quod illorum naturæ deficit cœli excellenti præstante calore. Verùm Iandunus adducta quæstione interpretationem hanc ex eo refellit, quòd tametsi vera dici posset, tamen Aristoteli penitus est contraria; qui in Problematis idem de insigniter calidis locis, non de temperatis videtur statuisse. qua in re Ludouicum Septalium virum eruditissimum habet sectatorem, qui in Commentarijs super libro de Aere, Aquis, & Locis quæstionem hanc luculenter edisserens, Alberti, & eorum, qui cum eo consentiunt, interpretationem tribus rationibus redarguit. quanquam & illud quod à nonnullis adiungitur, in libro de Longitudine & Breuitate Vitæ ob eandem causam positum esse in locis calidis vitam esse longiorem, ob quam masculi fœminis sunt viuaciores, si ea firma maneant quæ supra disseruimus, magnam habet difficultatem; cùm Aristoteles ob eandem causam in locis calidis id euenire dixerit, ob quam maiora minoribus sunt diuturniora; maiora verò diuturniora esse, quia non solùm copiosius, sed calidius etiam humidum nanciscantur, vt latius supra exposuimus; mares autem

Com. 2. p. 12.

viuaciores esse, quia calidiores, quod & longè videri diuersum, & non exiguum scrupulum inijcere supra dicebamus; qua de re infra accuratè disputabimus. Et sanè, vt aliorum rationes nunc tacitus prætereã, quo pacto per calida loca temperata intelligere possimus, equidem non video; cùm Philosophus calida loca, & frigida inter se conferat tanquam extrema, vt supra admonuimus, & calore ac frigore excedentia. quod in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ satis clarè significauit, de mari rubro mentionem faciens, quod in calidissimo tractu est collocatum: item de anguibus, ac lacertis; quorum animalium ad maximam molem augmentum libro octauo Historiarum in Aphrica, & Arabia fieri notatum reliquit: quas quidem regiones caliditate excellere nemo potest dubitare. nam & de testatis sic dixit loco illo. In mari rubro testata omnia mira quadam magnitudine augentur. de lacertis. In Arabia lacerti magnitudine cubitum excedũt. tandem de anguibus. In Aphrica magnitudo Anguium mira. vt propterea libro secundo de Partibus Animalium dictum ab eo videatur in Aphrica, locisq; alijs calidis & siccis complura ex eorum genere, quæ non pariunt animal, crescere mirum in modum. cuius quidem historicæ narrationis causas in Opusculo de Longitudine & Breuitate Vitæ, videlicet in hoc loco, quem tractamus, eleganter, vt videmus, tradit Aristoteles. vt prætereã (quod acutè Iandunus vidit) ex Problematis horum interpretationem repudiari, vbi ea omnia, quæ de frigidis calidisq; locis Philosophus inquirit, videlicet, cur efferis sint moribus, & aspectibus; cur timidiores & animosiores; cur vitæ longioris & breuioris; cur corpore magno locis illis existant; de eis inquirit, tanquam calore, & frigore excedentibus, vt statim primo Problemate testatus est: quod nos etiam superiore libro demonstrauimus. quibus ea consentiunt (vt quæ ibi tetigimus, clarius hoc loco explicemus) quæ septimo Politicorum habentur de Asia, & Europa tanquam de regionibus frigore, & calore excedentibus disputata: enimuero Europæ nomine Scythiam potissimum intellexit Aristoteles; Asiæ nomine, non eam Asiæ partem, quæ ad ortum est collocata, vt Petrus Victorius existimauit: ad ortum enim, & occasum, vt secundo Meteoron fuit definitum, neq; frigoris vllus est, neq; caloris excessus; sed per Asiam, Aphricam eiusq; partẽ, quæ

Cap. 28.

Cap. 9.

Sect. 14. Prob. 1. 8. 9. 10. 15. 16.

Cap. 7.

Cap. 5.

quæ vocatur Aethiopia more Hippocratico designauit; vt Orbem nostrum eo loco in tres partes videatur Aristoteles diuisisse, quemadmodum Hieronymus Mercurialis vir excellens omni genere laudis in Annotationibus super libro Hippocratis de Aere, Aquis, & Locis animaduertit: Veteres enim vt ex Hippocrate constat, ac præcedenti quoq; libro monebamus, Orbem in duas tantum partes diuidebāt, vt idem Mercurialis notatum reliquit, quem Septalius postea secutus est; in Europam videlicet, & Asiam, sub qua Aphricam complectebantur. quare nulla est dubitatio Aristotelem calidorum, ac frigidorum locorum nomine in his verbis, quæ ex Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ suscepimus enarranda, extrema intelligere, videlicet Scythica & Aethiopica, quæ secundo Meteoron latitudinis Orbis ratione tāquam caloris, & frigoris limites præfixit; scribens extremos frigiditatis terminos Meotidem esse, & extrema Scythiæ loca, caliditatis Aethiopica. quod & eò magis mihi persuadeo, cùm videam, ipsum libro sexto Historiarum Aethiopicorum locorū habere mentionem; in illisq; capras, & oues diuturniorem ducere vitam affirmare, quàm in nostris regionibus. Quæ autem in Problematis tradita sunt, quod attinet ad causas vitæ longioris, & breuioris (idéq; est iudicium de his, quæ in Politicis sunt disputata) in nulla re ab eis, quæ in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ docentur, esse dissentanea, paulò supra à nobis ostensum fuit. quare Leonicus inter omnes huius opinionis sectatores tota, vt aiunt, videtur aberrare via, non solùm quòd loca calida interpretatur temperata, aut non multùm calore excedentia; verùm quòd talia tertij, quarti, quinti, & sexti climatis loca esse affirmat. clarissimum namq; est ex libri præcedentis disputatione, quintum, & sextum præsertim clima eo sensu, quo Leonicus putat, temperata dici non posse; longe minus calore excedentia; cùm clima sextum maximè circa finem illius inter ea loca, quæ frigiditate excedunt, sit omnino collocandum; vt mirum sit, quod Arabiæ, ac locis, quæ mare rubrum alluit, & Aphricæ conuenire voluit Aristoteles, Leonicum Ponto, regionibus videlicet oppositis, tribuere. Præterea in quinto climate Græciam inueniri, Aristotelem verò suam regionem in Problematis, ac septimo Politicorum ab illis, quas frigidas, calidasq; ibi vocat, seiunxisse; vnde nulla ratione potuit Leonicus calidorum locorum nomine quintum clima intelligere, ac sextum longè minus. Quòd si, vt ipse inquit, etiam apud Aethiopas, & Indos Aristotelis dictum habet veritatem, quid amabò est, quod nos cogat per calida loca temperata audire? nam & cur per frigida temperata etiam non intelligimus? quare decipere lectorem videretur mihi Aristoteles non docere, si dum temperata loca animo concipit, calida postea, vt nos de industria torqueat, & cruciet, vel frigida vocat; absurdè extremis vtens, vel abutens potius, ad medium significandum. quod tam longè à vero, atq; ab eius more distat, quàm quod maximè. Itaq; qui ita dicunt, perperam & iniquè volunt Aristotelem cogere, vt excedenter calida, & frigida temperata appellet; vt frigida dicens, intensè frigida intelligat, calida dicens, temperatè calida; quæ omnia sunt ab omni probabilitate aliena. Auerroes, vt verum fatear, se se nescit explicare; nam in prioribus interpretandis Philosophi verbis, in quibus habetur, calidioris regionis accolas, quàm frigidioris vitam habere longiorem; calida loca, calida & humida exponit; frigida, frigida & sicca; atq; inquit habitantes in regionibus calidis & humidis longioris esse vitæ, quàm habitantes in regionibus frigidis, & siccis. mox verò alia expendens verba, quę eandem repetunt sententiam, tametsi in calidis, & humidis regionibus diutius viuere homines affirmat, id tamen per accidens contingere scribit; addens pra terea caloris, humorisq; loci ratione angues etiam reddi diuturniores. Verba hæc sunt. Et qui habitant in regionibus calidis & humidis, sunt longioris vitæ; & hoc accidit propter accidens, scilicet propter paucitatem putrefactionis, & serpentes, qui sunt multæ humiditatis, & caloris, sunt lōgioris vitæ quàm serpentes, qui sunt in locis calidis & siccis, aut frigidis & siccis, aut frigidis & humidis. Demum in calce Paraphraseos de calidis, & humidis locis nullam faciens mentionem, frigida & sicca præfert calidis & siccis, quia calidus locus comburens sit, & consumens, vt ipse inquit, humorem naturalem; & ideo nequeat nisi per accidens, vitam reddere diuturniorem; videlicet quatenus putrefactio, quæ ex humore oritur, minus in eo propter loci siccitatem locum habere queat; cùm alioqui frigida loca & sicca, quia vtraq; putrefactionis causa careant ob caloris

Cap. 5.

Cap. 19.

Sect. 14.
Prob. 8.
Cap. 7.

loris externi, & humoris inopiam, ad perennitatem vitæ magis facere videantur.

Auerrois reijcitur sententia, & Ianduni. Antonius Cittadinus redarguitur. Cap. 45.

SEd hæc Auerrois interpretatio animum non implet; primùm enim Aristoteles de calidis, & siccis locis videtur intellexisse; quod de Aphricæ tractu, de quo loquitur, negari non potest. Vnde nono Problem. quemadmodum supra etiam tetigimus, natura ficciore hos homines appellauit tanquam in ficciore loco generatos; ideoq; illorum humidum siccius nominauit, vt Septalius quoq; acutè vidit: quin etiam hoc idem in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ significauit. Deinde falsum est ex Aristotelis sententia locum calidum, & humidum per accidens ad vitæ facere longitudinem, vt latius infra probabimus; vt interea taceam, si vera sunt, quæ de calidis, & siccis locis in extrema Paraphrasi ipse disserit; nullam esse rationem, cur calida & humida loca paucitatem habeant, vt ipse inquit, putrefactionis; cùm potius ad putredinem gignendam summè propensa esse videantur, & magis quàm calida & sicca; quoniam non solùm eam habeant putrefactionem, quæ à calore est, sed eam etiam, quæ prouenit ab humore: vnde & frigidis, siccisq; locis ex diametro opponuntur. Tandem si frigida, & sicca loca vitæ longioris causa sunt, igitur falsò Præceptor insignem hanc dotem, & proprietatem locis calidis impertitus est. Auerrois ergo his de causis explicatio nulla. Iandunus triplici excogitata distinctione omnem tolli difficultatem arbitratur: ex parte complexionis; ex parte mortis; ex parte regionis. si enim calidam cōplexionem animo versemur, in frigidioribus locis hanc esse diuturniorem, si frigidam, in calidioribus esse affirmandum: idq; apertè docuisse Preceptorem Iādunus profitetur, cùm dixit animalia frigida, sicut angues, lacertos, testata in calidis locis esse viuaciora; atq; hæc Iandunus de complexionis, ac regionis distinctione. quod verò ad mortem pertinet, cùm duplex ipsa sit, extinctio videlicet, & marcor, extinctio verò, vt ipse declarat, ob humidi copiam, calorisq; inopiam oriatur; cùm scilicet humoris redundantia calidum obruitur: marcor è contra, cùm nimius calor humorem absumit pauciorem; inquit, Philosophum asseruisse, mortis illius respectu, quæ vocatur extinctio, in calidis locis vitā esse longiorem; nimirum quia feruor siccat humidum, nec finit illud redundare. cùm alioqui alterius mortis ratione, quæ marcor dicitur, in frigidioribus locis vita sit perennior, quoniam externum frigus humidum fouet, atq; proinde aptius ad resistendum calori reddit. Sic ergo ex huius viri opinione calidioribus locis vitam esse longiorem dixit Aristoteles frigidæ complexionis, & mortis, quæ extinctione gignitur, habita ratione. Verùm dum hæc lego apud hunc virum, statim in mentem venit, non sine magna causa à Ioanne Pico Mirandula viro præstantissimo de illo in Conclusionibus positum esse, quòd pleraq; peripatetica dogmata peruersè, & erroneè intellexerit, ac deprauauerit; cùm nihil magis hoc ipso à Philosophi mente alienū possit excogitari, quod Iandunus ad hanc tollendam difficultatem in medio posuit. siquidem Aristoteles vniuersaliter, & absolutè nulla addita cautione, semel & iterum in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ in calidioribus locis diutius animalia viuere pronunciauit; idemq; confirmauit in Problematis; igitur id, siue frigidam, siue calidam cogitemus complexionem, veritatem habere censuit. quod enim ad hoc probandum de frigidis animalibus ex Philosopho Iandunus affert, merum est figmētum: enimuero primùm Aristoteles, vt ex ipsius verbis luce meridiana clarius apparet, non dicit eiusmodi animalia in calidis locis esse viuaciora; sed tantùm maiora generari; deinde non quia frigida sint, ideoq; locorum qualitatibus contraria, diutius in locis calidis viuere ea ponit, vel esse maiora, sed quia radicale humidum in prima constitutione calidius locis illis genita recipiant, propterea q; magis aereum, & aptius ad resistendum calido naturali, ne citò ab eo absumatur. item quia naturale calidum maius, perfectius, demum longè efficacius nanciscuntur; quod clarius etiā ex Aristotele infra explicabimus. quare nullum est apud Philosophum de complexione verbum, quæ totius corporis dicit temperamentum, & à vitalibus principijs plurimùm differt, vt supra monuimus, ac aliquando potest principiorum vitalium temperationi repugnare; sed de ipsis hisce vitalibus principijs sermo est, de calida scilicet & humida substantia, ac de illorum natura, qualitatibus, proportione. Hinc Antonij Cittadini error insignis, qui libro tertio Auscultationum Iāduni fortasse verbis

Sect. 14.

Cap. 8.

verbis deceptus, vt calidiora corpora in locis frigidioribus, frigidiora in calidioribus salubrius degere ostenderet, testem adduxit Aristotelem, de illius sententia in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ asserentem, animalia, quæ sunt natura frigidiore, in calidis regionibus vitam ducere longiorem, in frigidis breuiorem. Atqui ipse Philosophus, priusquam de frigidis animalibus faceret mentionem, docuit reliqua etiam animalia in calidioribus locis esse diuturniora; intelligens in cunctis speciebus id habere veritatem; ita vt hominem, equum, asinum in calidioribus locis vitæ esse longioris censuerit; & de cęteris eodem modo. quare non de frigidis tantùm, sed de illis etiam, quæ calida illorum respectu sunt, & appellantur, verum esse existimauit, quòd in calidis locis diutius viuant. itaq; à complexionibus Ianduni ducta ratio nulla. Deinde quis est, si propriè loqui velimus, qui ferre posit, quod Iandunus inquit, illud mortis genus, quod vocatur extinctio, humoris redundantia fieri? quandoquidem Aristoteles in Opusculo de Respiratione apertissimè docuit, extinctionem insiti caloris à contrario effici: at calori contrarium frigus, non humidum. Demum non exiguam apud me habet difficultatem, quod postremo loco Iandunus addit, vitam mortis illius ratione, quam marcorem ipse appellat, in frigidis regionibus esse diuturniorem: enimuero externum frigus, vt sectione decimaquarta Problematum monstrauit Aristoteles, insitum calidum auget, redditq; potentius. itaq; tantum abest, vt humorem fouere posit, vt potius causa sit, vt citius à calore absumatur. pręterea frigus siccandi vim etiam habere quatenus calorem fugat. quem humor sequitur; item & humorem facilè conglaciare posse, si aqueus existat; aufert enim gelatio incrementum, nutritionem fieri prohibens. ex quò & naturale calidum materiam, in qua est, absumit, quemadmodum pulchrè libello de Longitudine, & Breuitate Vitæ indicauit Aristoteles, vt illud etiam mortis genus in frigidis regionibus his de causis facilius, & citius posit euenire.

Cap. 3. 10. 14.

Prob. 8.

Aliæ quædam afferuntur interpretationes, ac refutantur. nonnulla præmittuntur ad allatas dissoluendas dubitationes necessaria.

Cap. 46.

SVnt duæ aliæ interpretationes, altera illorum, qui mortem duplicem esse statuentes, naturalem, quæ alimenti defectu extincto naturali calido oritur; & accidentalem, quæ vel à putredine fit, vel à caloris extinctione per contrariam frigiditatem; Aristotelis dictum accidentalis respectu intelligendum esse volunt. Altera Niphi, qui non vniuersaliter Philosophi verba accipienda esse dixit, sed tantùm complexionis frigidæ, & humidæ respectu. de quibus in præsentia nihil dicam; tùm quia ex superioribus facilè confutantur, tùm quia Ludouicus Septalius illas abundè reiecit. Ioannes Bodinus, qui in Hist. Methodo hanc tetigit quæstionem, nutare videtur; ac modò in hanc, modò in illam partem inclinare: primùm enim statuit, cùm vita diuturna calido, & humido sustineatur, par esse ad Septentrionem diutius viui; verùm Aristotelicæ rationis parum memor, non tollit difficultatem; humidum enim in frigida regione aqueum est, & ex consequenti non potest esse calidum, vt Philosophus concludit; ideoq; facilè gelabile. mox dicit, Australium vitam longissimam esse, Veterum ac Iuniorum testimonio doceri, quoniam, tametsi calore & humore copioso non abundant, excrementa pauca habent, quæ senectam & interitum afferre omnium consensu putantur; quam sententiam postea libro quinto de Republica secutus est. Sed Aristotelis mentem non percepit, qui in calidioribus locis, si non quantum in humido quale abundare voluit, quod magis refert; idcircòq; hac ratione non illa, diutius ibi vitam protrahi existimauit. Tandem statuit locis calidioribus & Australibus vitam esse diuturniorem, quia annosæ cornices, quæ nil ferè caloris, minus etiam humoris habent, elephantes, palma, aurum, adamas, quæ vitam ducunt diutissimam, & à se ipsa nunquam interitum sentiunt, in Australibus locis oriantur optima; quorum nulla ferè ad Septentriones. At mirum quo modo cornix sine humore & calore viuat. Erant igitur viro subtilissimo, qui Veterum dogmata posthabenda censet, huius rei causæ adducendæ. Alij nonnulli, qui fortasse postremi his temporibus huic quæstioni manus admouerunt, per calida loca excedenter calida intelligunt, sed quæ tamen in siccitate parum excedant, aut certè in passiuis, in humore scilicet & siccitate, habeant temperiem. cœterum sicuti hæc valdè mihi probatur opinio quoad excedentem locorum caliditatem; ita & valdè mihi

mihi dubium, quod de ſiccitatis temperie ponit; cùm Ariſtoteles multùm etiam ſicca loca videatur intellexiſſe; vt anguium exemplo ſupra demonſtrauimus: quos in Aphrica adeò magnos oriri memoriæ prodidit. ex quò, vt toties monuimus, ſiccioris eſſe naturæ in Problematis homines in calidis locis degentes affirmauit; & cœlum Aethiopicum ad vitæ conferre diuturnitatem, ouium, caprarumq; docuit exemplo. Nec obſtat quòd ſiccitas, vt ſecundo de Ortu Animalium idem prodidit, longè à vita videatur eſſe remota; nam præterquámquòd aliud eſt ſiccitatem in principio vitali conſtituere, aliud in ipſo loco, & regione; intelligitur tunc vitæ obeſſe ſi excedat: ſi .n. modum retineat, auget eam magis quàm humiditas frigori ſociata, quia calori coniungatur: tametſi humiditas calori iuncta, quod pertinet ad vitæ diuturnitatem cauſandam, infinitis partibus ſiccitatem antecellat, vt infra dicam. quod diuinè contuens Ariſtoteles, in calidioribus locis, & ſiccioribus vitam lógius protrahi quàm in frigidioribus, ſiue exiſtant humidiora, ſiue ſicciora, rectiſsimè pronunciauit; quoniam, vt toties diximus, vitale humidum minus aqueum in illis reddatur, & magis aereum; proindeq; ſiccius, & qualitatis ratione optimè temperatum; vt meritò in Opuſculo de Longitudine & Breuitate Vitæ idem dixerit, plãtas, tametſi ſiccæ exiſtant, & terreſtres animalibus eſſe diuturniores, quia humidum minus aqueum, pingue, & viſcoſum ſortiantur. quo ex loco diſcere poſſumus, ſiccitatem non ſemper vitæ perennitati aduerſari. omnes enim plantæ calorem, & humorem ſibi inſitum poſsident, ſicuti etiam animalia; quorum duorum beneficio viuunt, vt primo Hiſtoriarum admonet Theophraſtus; atq; denſitas, ſiccitas, ſoliditas, atq; pinguedo, vt ex eodem ſupra notauimus ex ſecundo libro de Plantarum Cauſis, reddit illas perenniores. Nihil igitur officit, ſi in quanto ratione ſiccitatis defectus oriatur, dummodo valde inſignis non ſit defectus, quoniam in quali longè vberior fiat compenſatio, quæ potiſsima cauſa Ariſtoteli eſt vitæ perennitatis. Vtrum autem in calidioribus, & humidioribus locis ſit vita diuturnior quàm in calidioribus & ſiccioribus, infra diſputabimus. Quid igitur in tanta difficultate dicendum erit, poſtquam nulla harum interpretationum ſatisfacit; mihi certè videtur ea adhibita diſtinctione, quam ex Opuſculo de Reſpiratione attulimus, & qua in hoc Ariſtotelis loco interpretando non ſemel ſupra vſi ſumus, ſuperioriq; noſtra recepta explicatione, nullo negocio omnes labefactari dubitationes; præſertimq; tres priores, quæ omnium habentur difficillimæ: ſummamq; dogmatis huius Ariſtotelici apparere veritatem. Dictum ſuperius eſt, aliud eſſe materiam ipſam, naturamq; materiæ, ac ſubſtantiæ, & exceſſum, qui in materia eſt, conſiderare; aliud ac longè diuerſum, habitus, diſpoſitiones & complexionem, & in habitibus exceſſum. Dictum eſt, atq; Ariſtotelis concluſum auctoritate, habitus ipſos locis contrarios eſſe, materiam verò contrariam inueniri, eſſe impoſsibile. Poſitum eſt, excedentes habitus à locis contrarijs conſeruari, videlicet calidiores à frigidioribus, frigidiores à calidioribus. Acceptum eſt, ſalutem, contrarietatemq; hanc in proprijs, ac ſimilibus materiæ locis, ac iuxta temporum anni mutationes quærendam eſſe. Explicatum eſt, aerem, ac tempora loci interdum naturam induere, quia materiam ipſam reſpiciant, ideoq; dicere ſimilitudinem; è contra locum ipſum temporum etiam virtutem æmulari, ideoq; reſpicere habitus, ac diſpoſitiones, & contrarietatẽ præſeferre. Expoſitum eſt, Ariſtotelem calidi & humidi nomine ſubſtantiam non accidens, proindeq; materiam, materiæq; naturam intelligere, & in ipſa materia exceſſum. tandem monſtratum eſt calidiora loca ea ratione ad vitæ perennitatem facere ipſum exiſtimaſſe, quia materiam ipſam, humidum nempè radicale, ac primigenium ſic gignant temperatum, vt diutius valeat perdurare, & de naturali calido eadem eſt ratio. His igitur poſitis, ac receptis, quàm facile ſit allatas dubitationes labefactare, ſequens demonſtrabit diſputatio.

Cap. 1. Cap. 4. Cap. 3.

Tres priores ex octo ſuperius allatis ſoluuntur dubitationes. tollitur ex Hippocratis, & Ariſtotelis dictis omnis contrarietas. obiter Hippocratis mens in libro de Acre, Aquis, et Locis circa hominum edacitatem, ac bibacitatem explicatur.

Cap. 47.

TRes priores dubitationes vnam offerre difficultatem dicebamus; ad hanc quid reſpondendum, patet nunc ex ſuperioribus euidenter. cùm enim locus vel materiam reſpicere, vel habitus poſsit; ac

primo modo similis, secundo contrarius esse debeat; nihil mirum est, si Aristoteles loca ipsa considerans prout ad vitaliũ principiorum substantiam gignendam, fouendamq; conferunt, absolutè pronunciauit in calidioribus vitam esse diuturniorem: videbat enim naturas illas tanquam in simili, & idoneo loco genitas, aptiores oriri ad vitam producendam; item loci familiaritate, ac similitudine quodammodo perfici, foueri, conseruari. quòd si excedentes habitus, idest ipsas corporum complexiones animo versemur, iam & loca ipsa contraria esse, in illisq; salubrius, ac diutius degi satis constat. quo sensu Aristoteles in Opusculo de Respiratione, vt supra vidimus, habitus caliditate excedentes in frigido, frigiditate, in calido positos seruari magis affirmauit. atq; in eandem sententiam Galenus tertio secto Aphoris. ad æstatem frigidas & humidas naturas optimè affici, ad hyemem calidas & siccas. loca enim hoc modo temporum mutationes, ac naturam representant. itaq; inter Hippocratem & Aristotelem nulla est dissensio; nulla in ipsius Aristotelis dictis contradictio: siquidem Hippocrates non regionum diuersarum status, ideoq; non loca insigni interuallo remota, sed eiusdem regionis, ac loci situs, ac positus ad flatus, ac Solem diuersos considerauit, quemadmodum acutè eruditissimus Septalius quoq; animaduertit, Europeum temperamentum, & Græciam potissimum respiciens; sicuti & septimo Politicorum Aristoteles. item vtrique (quod nos ad rectè tollendam difficultatem necessariò censemus addendum) loca ipsa habituum materiæ respectu, quos passim temperamenta vocant, & complexiones, non ipsius materiæ ratione ob oculos sibi posuerunt.. quo pacto verissimum est ad Orientem ac flatus Orientales, & ad Septentriones aspectus esse salubriores, quia putredinem arcent, salubrius, efficaciusq; refrigerant, ac similia causant, ad commodam valetudinem summè necessaria; nec tanta est respectu flatuum Aquilonarium frigiditas, quæ vitalia principia lædere queat; vel primigenium humidum aqueum reddere, præsertim si ventorum rigor ille aspectu ad Orientem, & flatus Orientalis aura temperetur: de qua re superiore libro dictum fuit. Itaq; & in regionibus etiam illis calidioribus, in quibus diutius viui dicit Aristoteles, verum erit loca ad Aquilonem posita, & vrbes, homines habere longæuos magis: atq; si hoc sensu interpretes illi affirmarunt, vitam esse in frigidioribus locis diuturniorem, recipiendi sunt; si verò, vt videtur, de regionibus insigni seiunctis interuallo intellexerunt, sunt omnino deserendi; cùm, vt diximus, non de diuersis, contrarijsq; regionibus, sed de diuerso, contrarioq; in eadem regione vrbiũ, locorumq; situ Hippocrates, & Aristoteles loquantur, Græciam potissimum ob oculos habentes, ac medium temperamentum. Hinc qui ea, quæ differit Hippocrates de illarum vrbium situ, & proprietatibus, ad vniuersales Orbis regiones transferre volunt, ingentes ad scopulos statim appellunt; ad quos quidem affixisse nauim nonnullos video recentiores, dum Hippocratis dictum illud expendentes, quòd in vrbibus ad Septentriones inclinantibus edaces natura gentes sint, & non multùm bibaces; idq; ad glacialis plagæ habitatores transferentes, se se mirificè torquent, vt ostendant quo modo verum esse possit, Scythas, ac Germanos, qui omnium testimonio bibacissimi sunt, & vini appetentissimi, ex Hippocratis tamen decreto non bibaces dici debeant, sed edaces. ex quò & Hippocrati Aristotelem conciliare coguntur, qui tertia Quæstionum sectione idem docuit; cùm tamen tàm verum sit in vno eodemq; tractu vrbes ad Aquilonem positas edaciores homines habere, vt scripsit Hippocrates, quàm bibaciores, si modò id regionis ferat temperamentum; quàm verum etiam est glacialis plagæ accolas cum alijs gentibus comparatos, quæ vel mediam plagam, vel exustam colunt (de qua re nullum ibi verbum habet diuinus Senex) longè esse bibaciores quàm edaciores. Nam in Scythia, & glaciali tractu potentissimus internus corporum calor existens, corpora ipsa calefacit, & exsiccat, ideoq; necessariò sitim generat; cùm sitis excalescente corpore oriatur, vt vigesima septima Quæstionum docet Aristoteles: item huiusmodi calor pulmonem eorum (qui maximè etiam sanguineus est) reddit calidiorem. at sitis, vt tertio de Partibus Animalium habemus, ac vigesimaseptima Quæstionum, & ea maximè animalia infestat, quæ pulmonem sanguineum habent, & membri huius calore potissimum efficitur; nec sedatur, donec membra corporis omnia humorem commodum sibi attraxerint, sicuti neq; etiam & fames, vt vigesima secunda Quæstionum scriptum legimus. atq; hæc causa est, cur pleno etiam humoris ventre,

Cap. 13.

Prob. 7.

Prob. 1.

Ca. 6. et 8.

Prob. 4.

Prob. 2.

vt inquit Aristoteles, sitis non sedatur. At cęteris paribus, & vbi frigiditas perpetuò non excellit, vt in Europęo temperamento, Aquilonia vrbs horum flatuum beneficio ventriculi calorem vnit, ac roborat, proindeq; digestionem reddit longè celeriorem, ac meliorem, & famem excitans homines propterea efficit edaciores; adeò vt suo modo Hippocratis dictũ, vbi etiã homines bibaciores sunt, locũ habeat; cùm in ciuitatibus Aquilonijs tales sint edaces magis quàm in Austrinis; tametsi generaliter vbiq; bibaciores existant. Ratio autem (vt obiter id non prætereamus) cur qui multùm edaces sunt, multùm etiam bibaces esse nequeant, quod pulchrè eo loco adiungit Hippocrates & cõcludit, facilè ex Aristotele in Opusculo de Respiratione elicitur docente, ieiunia calefacere, & sitim gignere; alimentum verò ingrediens refrigerationem; quoniam internus aer, si immotus existat, quod contingit per ieiunium, semper calefiat; si verò moueatur, quod euenit alimento ingrediente, refrigeretur, & refrigeret: sequitur enim ex his, cùm sitis frigidi, & humidi sit cupiditas, vt alimenti ingressu plenioris, plenissimè frigiditatis appetitui satisfiat; & cùm nullum siccum sine humido sit, vt non semel Præceptor admonuit, aliqua etiam ex parte humidi cupiditati: ex quò & vigesimanona Prob. Quæstione quinta dicebat Aristoteles, sitim duarum rerum esse libidinem, potionis scilicet & cibi; & Quæstione sexta, sitim res duas desiderare, cibum atq; refrigerationem: quò fit, vt qui edaciores sunt altera ferè sublata, altera remissa nimio esu sitis causa, bibaces minus necessariò existant. sed ad propositum reuertamur.

Cap. 3.

Plenius superiora confutantur. Cap. 48.

HIs igitur ita constitutis, quod etiam ex nonnullis de vitæ ad Septentriones longitudine afferebamus, perspicuum est Aristotelico dogmati non aduersari: nã diutius calidioribus locis viui scripsit Aristoteles quàm frigidioribus, non tamen negauit in frigidioribus vitam esse diuturnam posse. itaq; etsi in aliquo glacialis plagæ loco ob regionis proprietatem, vt in Gothia, & Filandia ad annos centum, & quadraginta vita producatur; longè nihilominus diuturnior, si auctorum credimus testimonijs, tùm veterum tùm recentiorum, ad exustam plagam est vitæ terminus; cùm in ea ad tercentesimum vsq; homines, & quatercentesimum annum vita potiri, sint qui testificentur. certè vetustissimus auctor Ctesias in Persicis Indorum vitæ spatium esse centum viginti, & triginta, & quinquaginta annos memoriæ prodidit, quin etiam & ducentos. Hinc legimus apud nonnullos Memnonem Aethiopiæ regem quingentesimum annum expleuisse. Hinc Xenophon scribit in ea regione vitam ad annos vsq; sexcentos produci: ac nostra ætate Franciscus Aluarez in Aethiopica Historia litteris mandauit, se Abunam Aethiopiæ Pontificem vidisse, qui, cùm annorum centum esset & quinquaginta, robustam, ac sanam adhuc vitam agebat; vt non sine ratione Leo Afer libro primo Descriptionis Aphricæ scriptis consignasse videatur, in Barbariæ montibus homines centesimo anno viridẽ senectam ducere, & florentissimam. Quare & hinc quod libro præcedenti reliquimus indefinitum, perspicuè iam habemus explicatum; videlicet sine vlla dubitatione in ardentiori plaga, quemadmodum docuit Aristoteles, vitam esse diuturniorem; nec vllum esse absurdum, tametsi humoris minus ibi homines habere asseueremus, in glaciali magis, ideoq; hos ad augescendum esse aptiores, vt memorato loco dicebamus; quoniam non eadem omnino causa est longitudinis vitæ, & augmenti. ex quò & pulchrè dicebat Aristoteles sectione decimaquarta Problematum, vt vitæ augmentiq; causas distingueret, locorum frigidorum accolas non quidem viuendi, sed augescendi vehemens principium intra se obtinere. ad augmentum enim pręsertim oportet vt naturali calido magna humidi copia subijciatur; atq; vt dicam apertius, oportet vt in radicali humido sit quantum: at ad vitæ perennitatem, in humido ipsum quale præsertim esse debet; adeò vt planè leue, pingue, & aereum euadat. siquidem ita temperatum idoneum est caloris pabulum, vt ex tertia Problematum sectione supra docebamus, tempore longè diuturniori illi resistens. quod ad vitam facit longiorem. Quod verò ad Auicennæ pertinet auctoritatem, cùm ipse de iisdem illis regionibus loqui videatur, in quibus Problematum decimaquarta sectione homines timidiores esse docet Aristoteles, magnos, & longæuos; certum est, ipsum Auicennam hac in re ab Aristotele discedere, quin etiam & ab ipsa ratione, ac experientia: nam & diutissimè vitam locis illis protrahi ple-

Prob. 8.

Prob. 5.

pleriq; , vt paulò ſupra vidimus, fidem faciunt; & ab Ariſtotele ratio adducta id ſuadet; quanquam & illud dignum eſt animaduerſione, quòd non tamen in frigidis affirmet diutius viui, tametſi calidiora reſpuat. Plinij dictum illud fabuloſum eſſe ipſemet videtur indicare. qui rurſus libro ſeptimo eandem hanc attingens quæſtionem, Veterum teſtimonio vitam in calidioribus locis ſtatuit eſſe longiorem.

Cap. 2.

Oneſicritus (inquit) quibus in locis Indiæ vmbræ non ſint, corpora hominum cubitorum quinûm & binorum palmorum exiſtere, & viuere annos centum triginta, nec ſeneſcere, ſed, vt medio æuo, mori. Crates Pergamenus. Indos, qui centenos annos excedant Gymnetas appellat, non pauci Macrobios. Cteſias gentem ex his, quę appellatur Pandoræ in conuallibus ſitam annos ducenos viuere. & mox. Artemidorus in Taprobana inſula longiſsimam vitam ſine vllo corporis languore traduci. Demum Galeni auctoritas non aduerſatur; quoniam aliud eſt temperata loca conſiderare, aliud extrema cum extremis conferre, vt infra planius dicam; vnde in temperatis fortaſſe locis vita erit diuturnior quã in calidioribus, ſed tamen in his, quàm in frigidioribus erit perenior. itaq; tres priores dubitationes omnino nullæ. quod vt planius eluceat, duo nobis agenda ſuperſunt. Primò dubitatio quædam diluenda eſt, quæ aduerſus ſuperiora de diuerſis lõgioris vitæ, & magnitudinis cauſis à nobis tradita, oriri poſſet. Secundò quod de locorum acceptione vel materiæ, vel habituum reſpectu diximus, eſt apertius explicandum.

Quędam aduerſus ſuperiora adducitur dubitatio, & diluitur. locus Ariſtotelis obſcurus reſtituitur, & explicatur. Cap. 49.

DIctũ ſuperius eſt, non eandẽ eſſe ſimpliciter cauſam magnitudinis, & vitæ longioris. at enimuero huic dicto è diametro videtur aduerſari Ariſtoteles in Opuſculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ eandem augmenti cauſam, & vitæ lõgioris efficientis verbi illis. τῆς τε γὰρ αὐξήσεως ἡ θερμὴ ὑγρότης αἰτία, καὶ τῆς ζωῆς. ideſt, augmenti enim calida humiditas cauſa eſt, & vitæ. quibus, vt palàm eſt, calidam humiditatem & incrementi, & vitæ longioris cauſam agnoſcit eandem. quandoquidem vt & ſupra dixi, & mox fuſius aperiam, cum veteri Interprete legendum. θερμὴ ὑγρότης, vt nos ex eo reſtituimus. qui ſic habet. Augmenti .n. calida humiditas cauſa, & vitæ. & non ὑγρὰ θερμότης, ideſt humida caliditas, vt perperam, meo quidem iudicio, impreſſa habent exemplaria: item verbis poſtremis illis, τῆς ζωῆς, ſubaudiendum ex ſuperioribus, μακρᾶς, aut πολυχρονιωτέρας, vel aliquid ſimile. cùm non de vita ſimpliciter, ſed de vita longiore ſermonẽ habeat Ariſtoteles, cauſas adducẽs, cur locis calidiorib⁹ animalia diutius viuãt. Sed certè hęc Philoſophi verba nil ſentẽtię noſtre officiunt rectè cõſiderata; quãdoquidẽ ſi quis mentis aciem intendat, videbit & iã poſitam paulò ſupra ab eo cauſã explicare, cur eadem animalia locis calidioribus vitæ ſint longioris; item aperire cauſam, cur animalia frigidiora maiora exiſtant in locis calidis. dictum nanq; ab eo fuit, vt ſuperius vidimus, eadem animalia in calidis locis diutius viuere ob eandem cauſam, ob quam & maiora animalia vitæ ſunt diuturnioris, & ob quam, quæ natura frigida animalia exiſtunt (proindeq; & naturaliter corpore parua) inſigne accipiunt incremẽtum. ex quò & eadem de cauſa additum, in calidis locis huiuſmodi talia eſſe magna, vt ſerpentes, lacertos, ſquammoſa; & in rubro mari oſtreacea. quare & vt horum omnium, ac præſertim poſtremi huius eandem eſſe cauſam demonſtraret, hæc verba adiecit; inquiens locis illis calidam humiditatem huiuſmodi talibus & cauſam eſſe incrementi, & vitæ longioris. quibus & quæ nam eſſet cauſa ab eo ſuperius poſita explicauit, & cur frigidiora animalia calidis in locis conſpiciantur magna, pulchrè ſimul aperuit. dictum nanq; ab eo ſupra fuit, quemadmodum ſuperior noſtra explicuit diſputatio, maiora animalia non ſolùm quanti ratione, ſed qualis, immò & magis, vitæ eſſe longioris; quia ſcilicet humidum radicale habeant valde calidum. itaq; rectè adiungit ob eandem cauſam eadem animalia calidis locis eſſe diuturniora; eorum enim humidum ob loci temperamẽtũ valde calidũ exiſtit; item humidũ ſi calidũ fuerit, facilius à naturali calore ſuperatur, proindeq; extẽditur facilè & dilatatur: quare & rectè addit ob eandem cauſam diutius in calidis locis viui, ob quã frigida animalia ad inſigne in eis perueniunt incremẽtum. illorum enim humidum, quod ex propria natura valde habent copioſum, quia ſit calidius locis illis, facilius à naturali calido, alioqui ob eorum naturam pauco & imbecillo, ſuperatur, vt ad

Cap. 3.

maius incrementum valeant peruenire. Rectè igitur concludit Aristoteles, calidam humiditatem causam esse augmenti & vitæ longioris: non enim propterea dixit eandem esse simpliciter causam augmenti & vitæ longioris calidam humiditatem in omnibus animalibus, & vbiq; locorum: adeò vt quæ maiora sunt, ea & vitæ longioris, vbiq; esse velit necessariò; sed dixit calidam humiditatem vtriusq; effectus locis illis simul iuncti esse causam in vno animali, scilicet & augmenti, & vitæ longioris; secus autem si hæc alijs in locis seiuncta consideremus. Si enim eadem esset simpliciter causa magnitudinis, & vitæ longioris, omnia maiora animalia & locis omnibus vitæ essent, minoribus, diuturnioris; quod tamen hominis exemplo falsum esse eodem libello supra docuit Aristoteles, confirmauitq; libro quarto de Animalium Ortu his verbis. Sed non omnia maiora sunt viuaciora. homo enim plus temporis quàm quoduis animal viuit excepto elephante, quod quidem vsu adhuc fide digno nouerimus; quanquam homo minoris est incrementi quàm veterina, & alia multa: quod idem vndecimo Problemate decimæ sectionis iuxta Theodori partitionem scriptum legimus. enimuero ad augmentum à vita longiore separatum in humido quantum, vt supra monebamus, potissimum spectatur: sed ad vitam præterea longiorem potissimum quale; quod euenit, cùm humidum valde calidum existit; quod ostendere volens hoc loco Aristoteles, propterea signatè dixit, ἡ θερμὴ ὑγρότης, idest calida humiditas, vt optimè vetus legit Interpres, non ἡ ὑγρὰ θερμότης, idest humida caliditas, vt impressa habent exemplaria, quæ Leonicus secutus videtur. dixit enim, humiditas, vt monstraret se loqui de humido radicali; cui vocem alteram adiecit, calida, vt valde calidum esse hoc humidum ostenderet; quemadmodum supra explicauerat ad vitæ diuturnitatem esse oportere. Si enim dixisset caliditatẽ Arist. nõ humiditatẽ, à superiori sua disputatione discreparet; in qua humiditatẽ, sed quidẽ valde calidam, vitæ longioris esse causam, non caliditatem humidam cõstituit. siquidem scripsit. ὥστε δεῖ μὴ μόνον πλῆθος εἶναι ὑγροῦ, ἀλλὰ τοῦτο καὶ θερμοῦ. quo loco perspicuum est verbis illis, ἀλλα τοῦτο, subaudiendum esse ex superioribus, scilicet τὸ πλῆθος ὑγροῦ εἶναι πλῆθος καὶ θερμοῦ. vt sit sententia, oportere quidem non solùm copiam esse humoris, sed hanc ipsam humoris copiam calidi quoq; copiam esse. quæ quidem Aristotelis verba eò tendunt, vt doceant de radicali humido, nõ quidem de naturali calido esse sermonẽ; ipsiusq; radicalis humidi, prout naturali calido opponitur, illiusq; materia euadit aptior ad diutius perdurãdũ, cõditiones explicari. quare ne dissentiret à se ipso, ne præter institutionem pro materiali subijceret nobis efficiẽtẽ, vnaq; relicta causa ad alteram magno cũ errore transitum faceret, concludere debuit, in huiusmodi talibus non caliditatem humidam, sed, vt vetus habet Interpres, humiditatem calidam causam esse incrementi, & vitæ longioris. quod & alterum hoc docet euidenter; Aristoteles enim paulò post causam adducens contrarij effectus in contrarijs locis; videlicet cur in frigido tractu animalia & vitæ breuioris oriantur, & minora; ita subdit, non quidem in calidũ ipsum, sed omnino in humidum, in eiusq; conditiones huius rei causã referens. ἐν δὲ τοῖς ψυχροῖς τόποις, ὑδατωδέστερον τὸ ὑγρὸν τὸ ἐν τοῖς ζώοις ἐστιν, διὸ εὔπηκτον. idest. In locis autem frigidis aqueum magis est humidum, quod in animalibus est, & ob id facilè gelabile. ex quò & subdit exigui sanguinis animalia, ac sanguinis expertia, aut non generari in locis, qui ad Septentriones sunt, neq; terrestria in terra, neq; aquatilia in mari, aut si generantur, minora certè, & breuioris esse vitæ, quia gelatio auferat incrementum, & nutritionẽ; gelatio inquã humidi, quod sua natura locis illis aqueũ existẽs, ideo εὔπηκτον .i. facilè gelabile supra esse dixit. si .n. calidi nutritio parcior fiat, vitam reddi breuiorẽ necesse est; ex quò & subdit Arist. alimentum nisi assumant animalia, interire, ac naturale calidum primum concoctiuum, materiam in qua est, absumere. si humidum non facilè extendi possit, ac dilatari, minora esse corpora est necessariũ. Vtrunq; autem euenit, si humidum aqueum sit, & consequenter sua natura facilè gelabile. Itaq; meridiana luce clarius apparet, Philosophum tùm superiori disputatione, tùm sequenti, omnem longitudinis vitæ causam in ipsum humidum referre; propterea q; citatis verbis humiditatem calidam, non caliditatem humidam dicere debuisse. Hinc verò quàm rectè superiori libro positum sit, & paulò supra repetitum, quia non eadem sit omnino causa longitudinis vitæ & incrementi, ad Septentriones homines esse proceriores posse, tametsi vitæ sint breuioris, apertius elucet; item homines ibi

Cap. 10.

ibi proceros esse posse, tametsi alia animalia parua existant, præsertim pauci sanguinis, & exanguia; quanquam humidum radicale in cunctis animalibus sit sua natura, vt rectißimè inquit Aristoteles, locis frigidis aqueum magis, & facilius gelabile. quia enim à copia humidi maximè ducitur causa auctionis, vt superius est visum, si modò non fuerit humidum adeò aqueum, & ex consequenti adeò frigidum, vt gelu adstringatur (ex quò & decima Quæstionum alimenti, humorisq; ratione maris animalia quàm terræ maiora esse scriptum legimus) hominibus verò locis illis magna adest humidi copia; cui sanè humido, quemadmodum superius est ostẽsum, ob hominis propriam naturam, cuius aliam hac in re esse ideo rationem quàm cęterorum animalium memorato libro dicebamus, tanta adest caliditas, vt non facilè gelu adstringi patiatur, naturali calido potenti etiam existente, meritò corpora in insigne attolluntur incrementum: sed quia hoc ipsum eorum humidum, humidi illorum comparatione, qui in locis calidis degũt, magis est aqueum, & facilius gelabile, ideoq; minus calidum; meritò habent vitam breuiorem. humido enim hominum locorum frigidorum non adest tanta mensura caliditatis, vt faciat illos adeò longæuos, quemadmodum calidorum locorum habitatores; sed non deest tanta, vt impediat illos non esse proceriores: atq; hoc est, quod superiore libro dicebamus, aqueum, quod in hoc humido est sic affectum, diuturnitati vitæ reluctari, sed non corporis augmento. At è contra animalia pauci sanguinis, & exanguia, quia sua natura humidum valde aqueum habent, & ad Septentriones longè magis; iurè locis illis non oriuntur, vel omnino exigua. est enim eorum humidum ibi omnino εὔπηκτον, idest facilè gelabile; quare & magnitudinem illis eripit, & vitæ diuturnitatem. calidioribus verò locis, quia huiusmodi humidum, quod sua natura copiosum habẽt, calidius adipiscuntur, meritò maiora gignuntur, & vitæ longioris.

Prob. 54.

Difficilis quædam mouetur dubitatio, & dissoluitur de causa in mare, & fœmina vitæ longioris. Item adhuc de causis magnitudinis animalium. Cap. 50.

SEd aduersus ea, quæ dicta sunt, non exigua oritur difficultas; Aristoteles enim dum totam pendere ab humido longitudinis vitæ causam tradit, de marium fœminarumq; vitæ termino loquens (quod & supra vocabamus in dubium) ab ipso calido hanc causam petit. siquidem scribit apertè. Natura autem &, vt in vniuersum dicam, mares fœminis longioris vitæ. causa autem quia calidius animal mas est quàm fœmina. At calidius animal est mas ratione naturalis calidi in corde siti, quod lõgè habet quàm fœmina copiosius, vt ab eo libro quarto de Animalium Ortu fuit demõstratum. itaq; secus quàm superiori, & sequenti disputatione in alijs fecerit Aristoteles; in mare longioris vitæ causam, non ab humido radicali, sed à naturali calido ducit, idest non à materiæ, sed ab efficientis conditionibus; à quo quidem efficiẽte Decima Quæstionum magnitudinis itidem marium causam fœminarum respectu ductam videmus. dixit enim. Cur mares corpore maiori ex toto penè sunt, quàm fœminæ? Vtrum quòd mares calidiores fœminis sunt: quæ res vim obtinet augendi. quanquam & libro primo de Animalium Ortu in viuiparis cur fœminæ sint corpore minores, aliam causam traditam legimus, menstruorum scilicet profluuium, quod tamen à superioribus non dissidet. Pulchra quidem & difficilis dubitatio, quã duplici responsione puto diluendam. Primùm dicere possumus, quia eiusdem sunt speciei mas & fœmina, sed tantùm calidi in corde insiti ratione contraria, vt quarto de Animalium Ortu ostensum fuit; cùm in humido nulla fortasse sit differentia, sed in calido tantùm; ab ipso calido, non ab humido in illis longioris vitæ causam esse petendam: calidior enim mas existens, melius coquit, digerit, excrementa absumit, sanguinem gignit longè præstantiorem, demum corpus vniuersum lõgè melius nutrit, regit, ac moderatur; quæ omnia ad vitam producendam non parũ conducunt. omnes enim particulæ, & totum animalis corpus calidum habet naturale, cuius principium in corde existit, vt pulchrè libello de Respiratione est definitum. itaq; iurè mas vitæ diuturnioris, quia calidior. Secundò dicere possumus in humido quoq; radicali esse differentiam; si enim calidum in mare perfectius, copiosiusq; ergo & humidum melius dispositum; pro humidi .n. dispositione calidi est mẽsura, & perfectio, quod Aristotelis est tertia Quæstionũ sic differentis. ἀσθενὲς δὲ ἐστι τὸ θερμὸν, τῷ τὴν ὕλην εἶναι τοιαύτην ἐν ᾧ ἔτι σώζεται, καθάπερ τὸ καλάμινον πῦρ. καὶ γὰρ τοῦτο διὰ τὴν τῆς ὕλης ἀσθέ-

Cap. 1. Prob. 10. Cap. 19. Cap. 1. Cap. 2. Prob. 5.

ἀσθένειαν, ἀσθενέςερόν ἐςι τοῦ ξυλίνου. ideſt, vt ego interpretor, cùm non omnino aſſentiar Theodoro. Imbecille autẽ eſt calidum (loquitur autem de calido naturali) quia talis ſit materia, in qua adhuc ſeruatur, quẽadmodum ignis in arũdine. etenim hic ob materiæ imbecillitatem, debilior eſt igne, qui in ligno eſt. Cùm igitur oculatiſsimus videret Ariſtoteles, quòd marem ponens animal calidius, ſimul & quoad humorem, melius diſpoſitum ad vitam lõgius protrahendam eundem ponebat, ab ipſo calido, vt legentium ingenia de more exerceret, humore relicto cauſam duxit; videbat .n. rem in idem redire. Atq; hinc habes cur ab ipſo humido cauſam longioris vitæ potiſsimum petat Ariſtoteles; quia .n. materia calidi eſt, & pro eius diſpoſitione calidum diſpoſitum inuenitur (nam vt barbarè, ſed verè colligunt ex Auerroe eius ſectatores, ſecundum merita materiæ formæ dantur) ab ipſo humido longioris vitæ cauſa potiſsimum trahenda venit. Proinde Leonici inſignis fortaſſe error, qui in loci ſuperius memorati explicatione à Pręceptore recedens omnem vitæ diuturnioris cauſam non in ipſum humidum, in eiuſq; conditiones, ſed in alterum vitæ principium ſpreto humido potiſsimum refert, ſcilicet in ipſum calidum; addens (quod magis eſt) hoc idem ſuperiori diſputatione Ariſtotelem docuiſſe. Leonici verba à nobis etiam ſuperius allata, ita habent. Maior enim, & copioſior in maioribus eſt caliditas. caliditatis autem ſocia, vitæ eſt prolixitas, vt retrò eſt declaratum. & paulò poſt. Nam eadem, vt diximus, vitæ & augmenti cauſa caliditas eſt humida, ideſt calidum in humido ſibi proportionato, & pingui degens. Cuius & hoc alterum meo quidem iudicio hoc loco erratum; quòd eandem ſimpliciter eſſe cauſam putat incrementi, & vitæ longioris; quod falſum eſſe ſupra demonſtrauimus. qua in re lapſus eſt ante illum Epheſius, à quo ſua ipſe omnia accepit. Scripſit enim. μακροβιωτέρα δὲ τὰ ἐν θερμοῖς τόποις διὰ τὴν αἰτίαν κ) τὰ μείζω· πλεῖον γὰρ κ) ἐν τοῖς μείζοσι τὸ θερμόν. ideſt. Vitæ autem longioris ſunt quæ in calidis exiſtunt locis, ob eam cauſam, ob quam & maiora. plurimum enim in maioribus calidum. Et paulò poſt. ὡς τῆς θερμότητος αἰτίας οὔσης τῆς αὐξήσεως. εἰ δὲ τῆς αὐξήσεως, κ) τῆς μακροβιότητος. quod eſt. Tanquam caliditas cauſa ſit augmenti. ſi autem augmẽti, & vitæ longioris. Sed certè cùm non ſemel ſuperius, & libro præcedenti à nobis dictum ſit, humidum incrementi cauſam eſſe materialem, calidum efficientem (quod inter alios Iandunum in Quæſt. video animaduertiſſe) ex quò & nos libro memorato ab vtroq; principio tanquam ab efficiẽti & materiali, videlicet à calido, & humido proceritatis cauſam ducebamus; nam & de calido tanquam de efficiente Hippocrates primo ſecto Aphoriſmorum. τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ θερμόν. ideſt. Quæ augeſcunt plurimum habent innati calidi. & poſt illum Præceptor tertio libro de Partibus Animalium. τὸ θερμὸν αὐξητικόν. ideſt. calor eſt, quod vim obtinet augendi. & Problematum decima ſectione ijſdem planè verbis. & decimaquarta ſectione. ἐν γὰρ τοῖς θερμοῖς, κ) ὑπὸ τοῦ θερμοῦ αὐξανέται. ideſt. Quippè cùm in calidis & à calore incrementum ſequatur. quo ſenſu & à nobis libro tertio poſitum, calorem cauſam eſſe magnitudinis; & loco ex Problemate ſuperius citato ab Ariſtotele, marẽ, quia calidius ſit animal, maiorem fœmina exiſtere. vnde nulla eſt contradictio. De humido verò tanquam de materiali ſecundo libro de Partibus Animalium. πάντα ἐξ ὑγροῦ λαμβάνει τὴν αὔξησιν. quod eſt. Cuncta animalia ex humore capiunt incremẽtum. Theodorus legiſſe videtur pro αὐξήσει τροφὴν, an rectè, alio loco ventilabimus. & libello de Longitudine & Breuitate Vitæ in humidi naturam & conditiones relatum videmus, quòd maiora calidis locis, minora frigidis animalia oriantur. vt propterea Hippocrates eodem primo ſecto Aphoriſmorum, cùm antea dixiſſet, quæ augeſcunt plurimum habere innati calidi, quod de pueris maximè habet, admonente in Commentarijs Galeno, veritatem; quaſi materiam pararet efficienti, literis mandauerit, ipſos pueros humidis cibis eſſe nutriendos. Cùm inquam hoc ita ſit; idemq; in longioris vitæ cauſa locum habeat, videlicet materialis cauſa ſit ipſum humidũ, efficiens ipſum calidum, vt pleriſq; in locis indicauit Ariſtoteles; ad magnitudinemq; quantum in vtroq; principio potiſſimum requiratur, in humido præſertim; ad longiorem vitam potius quale: non eſt meo quidem iudicio aſſerendum, vt ſuperius quoq; dicebamus, eandem eſſe penitus cauſam, vt Epheſius & Leonicus videtur crediſſe, vitæ longioris & incrementi; quod ſatis ſupra, niſi fallor, fuit demonſtratum. vt diuinè memorato libello, vbi & hominẽ diuturnioris eſſe vitæ quàm nonnulla maiora traditum videmus, & cauſam

Quæſt. 13. *Aph. 14* *Cap. 6.* *Prob. 10.* *Prob. 8.* *Cap. 2.* *Aph. 16.*

ſam cur ita ſit talem explicatam, videlicet quòd ſint μακροβιοτέρα τὰ λειπόμενα τῷ πλήθει τοῦ ὑγροῦ, ἐὰν πλείονι λόγῳ ὑπερέχῃ κατὰ τὸ ποιὸν, ἢ λείπεται κατὰ τὸ ποσόν. ideſt ad verbum. quia ſint vitæ longioris, quæ ſuperantur quantitate humoris, ſi pluri ratione ſuperent ſecundum quale, quàm ſuperentur ſecundum quantum. incrementi, magnitudiniſq; cauſam, ſcilicet quantum in ipſo humore, à cauſa longioris vitæ, ſcilicet ab ipſo quali in humore ſeiunctam habeamus. maiora enim illa animalia humidum habent copioſius quàm homo, & ideo fortaſſe maiora; ſed non calidius, & ideo vitæ breuioris. Vtrum autem humidum radicale tantùm cauſa ſit incrementi, an etiam & aliud in corpore humidum; alio loco diſcutiemus. Sed iam, cùm ſublata dubitatio ſit, quæ ſuperiora conturbare poterat, ſupereſt vt caput alterum expediamus; quod de locorum acceptione diximus vel materiæ reſpectu, vel habituum, fuſius explicantes.

Quod de locorum, temporumq; acceptione materiæ, vel habituum reſpectu ſuperius dictum eſt, vberius explicatur. Cap. 51.

HAc igitur de re vt paulò plenius diſſeramus, illud primò cogitandum, corpus animalis ex primis, ſimplicibuſq; rerum naturis terra, aqua, aere & igni conſtare; adeò vt harum aliquæ magnitudine molis, ac pondere, aliquæ poteſtatis vi & efficientia reliquas ſuperare videantur: quod quidem ſuperius diximus Ariſtotelem materiam, ac materiæ naturam, in ipſaq; materia exceſſum appellare. conſiderandum rurſus ex harum permixtione varias enaſci temperamentorum differentias, quas materiæ habitus, ac diſpoſitiones idem vocat: qua de re etiam abundè ſupra dictum fuit. tertiò demum & illud animaduertendum, in hac corporis ſtructura aliquid præterea eſſe aliud, quod illi inhæreſcit, ac aſsidet; innatum videlicet calorē & primigenium humidum, quorum virtute corpus vitam agit: quæ duo ſicuti ſubſtantiæ ſunt, ac naturæ quædam ſimul ſociatæ, ac permixtæ, corporis compactioni è quatuor elementis reſpondentes; ita & ex illorum permixtione, vt ſupra indicauimus, temperamentum quaſi quoddam oritur varium, quod habitus ac diſpoſitio vocari poteſt: non ſecus ac ex quatuor elementorum mixtione varias in corpore ipſo enaſci temperamentorum differentias dicebamus. cùm igitur animalia ipſa vel in aqua, vel in terra & aere, quin etiam & in igni, eo tamen ſenſu, quo diximus, gigni, verſariq; deprehendamus, vel ſaltem ad hæc elementa ordinem habere; locorum nomine hæc nobis erunt intelligenda. quę quidem ſi ad vtranq; materiam referantur, oportet eſſe ſimilia; ſi ad vtriuſq; materiæ habitus ac diſpoſitiones, contraria eſſe neceſſe eſt. cuius quidem rei aperta ratio illa ſe ſe nobis offert ſuperius explicata, quòd cùm ad materiam animalis contrarietatem locus habet, neceſſariò animal interimit, ſi ad eam materiam eſt contrarietas, ex qua corpus conſtat ipſius; vt ſi in aqua, vel in igni terreſtre animal collocemus, aquatile in aere ac terra: diſſoluit enim & corrumpit ſua contrarietate, quia maxima eſt, ſubſtantiæ ac elementorum permixtionem; videlicet corpus ipſũ animalis, & materiam. quo ſenſu dicebat tertio de Anima fortaſſe Ariſtoteles, tãgibilis excellentiam animal corrumpere; nimirum quia ſua cõtrarietate toti animalis corpori, ac materiæ, ex qua exiſtit, aduerſetur; vt iam ſi ſaluum futurum eſt animal, ſimilem locum eſſe oporteat. Item ſi ad materiam, quæ vitalia principia deſignat, loci eſt contrarietas, animal ſimiliter corrumpit; vel ſi non corrumpit, quia non eſt tanta in contrarijs efficacia, certè vitam illius reddit neceſſariò breuiorem. quo fortaſſe ſenſu dicebat in libello de Longitudine, & Breuitate Vitæ Ariſtoteles, tranſpoſita reddi æui breuioris; item in locis ad Septentrionem collocatis nonnulla animalia non gigni, demum eadem animalia in frigidioribus locis vitæ eſſe breuioris, in calidioribus longioris. ſubſtantiæ nanq; & materiæ, videlicet duabus illis naturis, quæ vitalia principia conſtituunt, huiuſmodi loci contrarietas interitum molitur. vnde ſi tanta eſt, quæ vel calorem vitalem extinguere, vel primigenium humidum congelare ſtatim poſsit, ſtatim interimit quod iam genitum eſt animal, vel ortum ipſius impedit; ſi non tantas habet vires, quoniam id tamen breui temporis ſpatio ſaltem in nonnullis poteſt efficere, neceſſariò animalis vitã reddit breuiorem. Quòd ſi ad vtriuſq; materię diſpoſitiones loca ipſa referamus, iam cur eſſe contraria oporteat, ſatis eſt manifeſtum: excedentes enim habitus coercendi ſunt, & illorum exceſſus remittendi; at id fieri non poteſt niſi loci, vel temporum contrarietate. idcircò hoc munus maximè eſſe temporum anni pro-

Tex. 67. 68.

Cap. 3.

propriam supra dicebamus, quoniam sua vicissitudine, ac mutatione annua eas afferunt contrarietates, quæ optimè excedẽtes materiæ habitus coercent, & redigunt ad mediocritatem. atq; hoc est, quod supra positum est, loca ipsa cùm ad materiæ habitus referuntur, temporum naturam quodammodo induere; quod Aristotelis est prima sectione Problem. perspicuè asserentis, locorum mutationes temporis anni cuiusdam esse mutationes. Mutationes etenim (inquit) flatuum, ætatum, atq; locorum pro temporis cuiusdam mutatione accipi debent. quam profectò sententiam in Opusculo de Respiratione confirmauit, dicens excedentium habituum remissiones in proprijs vniuscuiusq; materiæ locis esse perquirendas, & secundum temporum mutationes. quibus quidem in verbis loca ipsa temporibus iungens, temporum ipsorum naturam loca præseferre, ac imitari, cùm excessus habituum coercent, ac reuocant ad mediocritatem demonstrauit. habet enim, exempli gratia, ipsa terra plures partes ac regiones, quæ ob varium positũ ad cœlum, & ventos variam habent temperationem; ita vt, quasi annuæ quædam tempestates, aliæ alijs frigidiores, calidiores, ficciores, ac humidiores esse comperiantur; proindeq; ad eas animalium profectiones tanquam ad temporum anni mutationes esse videantur. Hoc autem quo pacto fieri posfit, quo modo idem locus, & similis & contrarius esse queat, iam supra expositum fuit; iam dictum loca ipsa quatenus ad corporis ex quatuor elementis permixtionem referuntur, atq; ad materiam ipsius corporis, & materiæ excessum, præualens elementum designare; vt exempli gratia in terrestri animali terram, in pedestri aerem, in aquatili aquam; quatenus verò materiæ habitus respiciunt, varias dicere eiusdem loci & elemẽti partes, temporumq; varias in ipso factas mutationes. ex quò & locus idem similis erit, & contrarius, sed diuersa ratione; similis quidem quatenus idem est semper elementum; contrarius quatenus alia pars illius calidior alia existens, vel frigidior, excedenti habitui potest aduersari. quod etiam eadem ipsa frigidior pars, vel calidior secundum annuas temporum mutationes præstare potest, tametsi animal non discedat, nec locum mutet. Quod verò pertinet ad vitalia principia, addimus in præsentia non solùm loci vnius ab alio diuersitatem, puta elementi ab elemento contrarietatem, materiæ illorum noxam afferre, sed eiusdem loci varias partes; dummodo inter se insigniter distent: ita vt idem locus quatenus annuas temporum mutationes experitur, aliasq; huiusmodi extrinsecas, & accidentales persentit alterationes, satis sit ad eam contrarietatem afferendam, quam excedens principiorum vitalium habitus exposcit. exemplo res tota doceatur, quod perceptum illustriorem, ac verè pleniorem illius cognitionem faciat. Si terrestre, respiransq; animal cogitemus, terra, aerq; illi circunfusus locus erit, vt præualens elementum, similis huic animali, & familiaris, materiæ, ex qua corpus ipsius constat, ratione; & quantacunq; distantia loca animal quærat, dummodo in aquam nõ mergatur, semper in simili quoad materiam loco permanebit. quoniam autem vbiq; ferè terrarum anni tempora pro locorum positu mutantur; hac quidem ratione locus habitibus materiæ contrarius esse poterit. quod idem erit dicendum, si diuersos terræ tractus consideremus, quatenus variam recipiunt ad æstus & frigora temperationem. Item quoniam hi diuersi tractus tùm ob loci qualitatem & formam, tùm ob positum ad flatus, ac Solem peculiare quoddam temperamentum sibi adsciscunt; adeò vt alicubi & locus & aer à prędominio frigidus & humidus, vt sub Vrsa, vel frigidus & siccus, vel calidus & humidus, vel calidus & siccus sentiatur; idq; adeò illi proprium est, vt, tametsi quatuor tẽporum mutationes in eo eueniant, nihilominus proprij semper temperamenti vestigia seruet; hinc euenit, vt huius peculiaris temperamenti ratione locus vel similis, vel contrarius vitalibus principijs, eorumq; materiæ esse dicatur. quo sensu calidiora loca tanquam similia conseruare ipsa vitalia principia, vitamq; reddere diuturniorem, frigidiora tanquam contraria vel perimere, vel longè reddere imbecilliora, vitamq; reddere breuiorem, dicebat Aristoteles; cùm alioqui idem hic locus, & aer, quatenus annuis temporum mutationibus alteratur, ac flatuum, pluuiarũ, similiumq; accidentium ratione frigidior redditur, vel calidior, vitalium principiorum habitus ac dispositiones vel lædere possit, vel iuuare. qui profectò habitus cùm nil aliud sint, si vitalia principia in recto statu permanent, quàm calor quidam excedens ab innato calido emanans, ideoq; refrigeratione opus habens, hinc huiusmodi aer, & locus refrigeratione tantùm

Prob. 3.

Cap. 13.

salutem habitui potest afferre, &, quod idem est, contrarietate.

Aristotelis Hippocratisq; loca nonnulla declarantur. Plenius explicantur superiora.

Cap. 52.

HOc sensu dicebat in Opusculo de Respiratione Aristoteles innatum calidum à continente aere refrigerari; eundemq; aerem, si ob æstus vel frigora, ob temporumq; mutationes insigniter afficiatur, vel simili qualitate ad excessum ducẽdo, vel contraria extinguendo, principium ipsum corrumpere: cùm enim habitus excedit, morbum gignens potest animal perimere. vt prætereanm tunc ipsum tempus loci naturam induere, & tanquam contrarium materiæ aduersari, & sic interitum afferre; sicuti & sua similitudine materiam ipsam seruare potest. quo sensu vere pueros salubrius degere, eodemq; hoc tempore calorem innatum esse copiosiorem primo & tertio Aphor. secto dicebat Hippocrates. atq; loci ad principia vitalia contrarietatem considerans Aristoteles, quin etiam & ad excedentem habitum similitudinem; & consensionem libro secundo de Animalium Ortu notatum reliquit locis frigidis, vt in Scythia, asinos gigni nõ posse. atq; eius hæc est oratio. Ad hæc frigidum animal asinus est: quamobrem locis frigidis gigni non potest; vt potè sua natura impatiens frigoris, veluti apud Scythas, & eorum finitimos. Nec verò apud Gallos, qui supra Hispaniam colunt, genus id animalis est: nam ea quoq; prouincia frigida est. Hinc admissarios etiam non vt equæ sic asinæ æquinoctio admonent, sed æstiuo solstitio, vt tempore calido pulli nascantur: eodem enim tempore parit, quo coierit: Neq; enim loci frigiditas huius animalis naturæ perniciem molitur solius excedentis habitus ratione, qui in excessum frigiditatis inclinat, sed etiam vitaliũ principiorum causa, ac proinde materiæ ratione. quo sensu dicebat in Opusculo de Respiratione Aristoteles animalia quę pauci sanguinis sunt, ac dixeris penè quæ natura maximè frigida existunt, in locis quæ ad Vrsam sunt, vel non exoriri, vel minora oriri, ac vitæ breuioris, quia illorum humidum primigenium gelu adstringatur. ex quo & hinc elucet (contra quàm paulò supra dicebamus, eundem locum materiæ similem habitui contrarium diuersa tamen ratione facientes) eundem etiam locum, sed alia tamen & alia ratione, habitui similem, materiæ contrarium esse posse: Scythicus enim aer frigidissimus habitum asini frigidum ducit ad excessum, illumq; idcirco perimit: itaq; similitudine lædit. at vitalibus principijs eadem frigiditate perniciem affert, humidum conglacians; quæ quidem principia ob frigidum huius animalis temperamentum maximè indigent calido loco, & aere; vt propterea dicat Aristoteles tempore calido & gigni pullos naturaliter, & excludi: quare & contrarietate nocet non similitudine. atq; hæc etiam causa est, cur simpliciter & absolutè in frigidiori tractu animalium omnium, hominum etiam (qua de re supra est dictũ) vita sit breuior, vt diuinè docuit Aristoteles, quàm in calidioribus: frigus enim, quamuis antiperistasi per accidens iuuet (quod & paulò infra dicturi sumus) nihilominus quia per se etiam agere non prætermittit, & efficaciter agere; cùm multùm ibi possit, aliquantisper superans, sicq; principiorum vitalium materiæ repugnãs, primigenium humidum aqueum magis, vel saltem aereum minus producit, & aliquo pacto illud conglacians vitæ terminum necessariò reddit in frigidioribus locis breuiorem; ex quo & non parum obest. Eodem ferè sensu quarto de Animalium Ortu scriptum legimus in generatione, sterilitate, maris vel fœminæ procreatione loca ipsa, & alimenta inter se differre. vbi sic Aristoteles, si apertius quàm Theodorus græca latina faciamus. Differt autem regio à regione circa hæc (scilicet generationem, sterilitatem, maris vel fœminæ procreationem) & aqua ab aqua ob easdem causas: quale enim quid alimentum efficiatur maximè, & corporis dispositio ob ambientis aeris, & eorum, quæ ingrediuntur, temperamentum, præsertim ob aquæ alimoniam: huius enim vsus plurimus est. atq; in omnibus aqua alimento est, etiam siccis: quamobrem aquæ crudæ & frigidæ aut sterilitatem, aut partum fœmineum faciunt. causæ autem ab eo superius allatæ sunt calor & frigiditas: quare si dispositionem, & habitum respiciamus, loca contrarietate auxilium præstabunt (quo fortasse sensu paulò supra dicebat Aristoteles flatus Aquilonios, & aspectum, ad maris facere feturam; Austrinos ventos & aspectum, fœmineum partum procreare; nimirum quia Aquilonius flatus non solùm excessum tùm innati caloris tùm seminalis corrigere potest, sed antiperistasi calorem ipsum

Aph. 15. *Aph.* 18.

Cap. 6.

Cap. 3.

Cap. 2.

ipsum reddere ad operandum potétiorem) si materiam adiuuabunt similitudine; quod frigidarum aquarum exemplo docet Aristoteles, quæ, cùm alimenti habeant rationem, ideoq; materiam respiciant, contrariæ existentes multùm nocent. quod idem in loco & aere veritatem habet; qui si nimia frigiditate vitalibus principijs aduersetur, quorũ opera semẽ procreatur, vel sterilitatis erit causa, vel fœminei partus. Hinc verò illius causa elucet, quod præcedẽti libro reliquimus nõ cumulatè explicatũ; videlicet cur frigus, si nõ valde superet, per accidensq; cõcurrat, mariũ generationi, fœcunditati, proceritati, ac similibus prodesse posit; quod tñ sterilitatis, abortus, demũ læsionis omnis causã esse posuimus; vt præter rationem videatur, ad hæc omnia qualitatem hanc conferre: si autem valde superet, ac per se agat, è contra plurimùm obesse, quandoquidem, cùm non valde superat, agẽdo per accidens, ad principiorum vitalium habitum refertur, nec materiæ opponitur; ideoq; contrarietate iuuans enarrata commoda producit: cùm valde superat, agendo per se, quia materiam respicit, ad illamq; habet contrarietatem, obest maximè ipsa lædens contrarietate; propterea; animal destruit, vel generationem impedit, aut sexum fœmineũ causat: vnde quod libri quarti initio de eo dictum est, materiæ præsertim ratione intelligendum est habere veritatem. Hęc autem omnia qua de causa contingant; cur necesse sit, corporum materiam, vt lædatur, elementum permutare, & ex vno in aliud migrare; idq; & illi, & eius habitibus interitum afferat; vitalium verò principiorum materia ex mutatione ad diuersas vnius elementi partes læsionem hanc recipiat; item quare diuersa vnius elementi loca, & tempora anni habituum excessui officiant, non materiæ, ex qua corpus cõstant; materiam verò vitalium principiorum lædant, non solùm habitus ipsius: horum inquam omnium causas attingere non est difficile, quoniam enim robustior, potentior; ignobilior (vt ita dicam) est corporis ex quatuor elemẽtis permixtio, ideo familiarem huius corporis materia locum nacta, videlicet proprium elementum, non timet ad varias ipsius elementi partes profectionem, vel temporum anni mutationẽ; quia nullam facit mutationem magnam, nullamq; experitur cõtrarietatem suę substantiæ ratione. at quod ab ipsa emanat excedens temperamentum, tanquam accidens quoddam ac longè infirmius, huiusmodi permutationes meritò persẽtit, quoniam minor contrarietas potest illud commouere: itaq; vel ducitur facilè hac de causa ad excessum, vel ad moderationem. at si materia ad contrarium elementũ transitum faciat, quia maximam perpetitur mutationẽ, & in contrariũ substãtię ratione abit locum, necessariò corrumpitur, cùm non posit vim illius sustinere; vt meritò mutationem hanc primo libro de Plantarum Causis Theophrastus magnam quandam mutationem appellauerit. dissoluta autem elementorum permixtione, reliqua omnia pessundatum iri necesse est, ac præsertim habitus ipsos, qui materiæ inhærescunt, & assident; cùm accidentis esse, vt loquuntur Scholæ, sit inesse. Sic principia vitalia, vt infinitis partibus nobiliora, atq; ad resistendum inefficaciora, non tantùm ad elementum alterum mutationẽ pertimescunt, sed ad eiusdem elementi insignes distãtias; quin etiam & temporum insignes mutationes; pro quanto ex locorum diuersitate, vel temporum à solito temperamento discessu magno frigidior, humidiorq; aquea humiditate factus aer, quasiq; hoc modo alterius elementi, aquæ videlicet, naturam induens (quod illi contingere posse Theophrastus libro quarto de Plantarum Causis ita scribens. & aer si ea frigiditate fit, quæ » non flatilis, sed aquatilis quædam constet, » satis docet) quodammodo vitalibus prin- » cipijs, quæ substantiam natura sua calidiorem, & sicciorem, ac aeream exposcunt, ad elementum alterum mutationem factam ac discessum, repræsentat: minor .n. illis satis est mutatio, vt afficiantur. quorum habitus ac dispositiones, quoniam longè minimam adhuc requirunt contrarietatem, vt alterentur, nulla necessariò loci indiget, aut temporum mutatione; sed ambientis ipsius in eodem loco & anni tempore qualitas est satis. Sed hactenus de tribus prioribus dubitationibus: nunc ad alias dissoluendas orationis aciem dirigamus.

Cap. 27.

Cap. 13.

Aliæ duæ soluuntur dubitationes, quarta, & quinta, tollitur ex Aristotelis dictis omnis contrarietas. Cap. 53.

QVartam dubitationem ipsemet Aristoteles pulchrè mihi videtur expedire; cùm dicit citatis Problematis naturas locis, ac temporibus contrarias esse oportere. Naturæ nanq; nomine habitus, ac dispositiones materiæ intellexit, vt superius

exposuimus. quibus rursus in verbis loca ipsa cum temporibus coniungens, loca (quod non semel supra monuimus) temporũ naturam induere, ad ipsas relata dispositiones demonstrauit. Intelligit igitur in frigidioribus locis homines esse animosiores, quoniam principiorum vitalium habitus, videlicet calor, qui ex innato calido emanat, ob antiperistasim, aerisq; externi frigiditatem introrsum repulsus minus potest euaporare; quare & calidiores illos homines reddit, proindeq; ferociores. atq; hoc sensu innatum calidum potentius esse in hominibus illis octauo Problem. pronunciauit: quæ sanè fluens ab innato calido qualitas cùm in calidioribus locis exitum habeat longè faciliorem, quoniam ambiens aer non resistit; idcircò & refrigerari horum locorum habitatores scribit Aristoteles. Verùm hoc aliud omnino est ab eo, quod vitam reddit diuturniorem: siquidem, vt superius vberrimè est demonstratum, hoc ab ipso humido pendet primigenio, ab eiusq; potissimum qualitate, atq; cùm innato calido proportione: quandoquidem humidum, cùm in frigidioribus locis ob superius allatas causas suę substantiæ ratione sit magis aqueum, & frigidius, iurè, & meritò illorum vitam reddit breuiorem. Nec obstat, si dicamus caloris, qui effluì nequit, vi in frigidis locis reddi ipsum posse calidius; nam huiusmodi humidum, vt ad vitam producendam sit idoneum, non innati calidi ratione, vt superius vidimus, calidum dici potest, non accidentali aduentitiaq; qualitate calidum esse debet, sed, vt ita loquar, innata, ac substantiali. Nec rursus obstat si dicamus, calorem huic humido admixtum, quia ob iam dictam de calido innato rationem, non exhaler, reddi potentiorem, & sic huiusmodi humidum calidius effici: nam cùm sit natura frigidius, & aqueum magis, non habet tantum caloris admixtum, vt id pati fortasse possit. Sic ergo videmus dubitationem quartam nullius esse ponderis, nullamq; esse inter octauum, ac nonum Problema, & ea, quæ in Opusculo de Longitudine & Breuitate vitæ disseruntur, contrarietatem; cùm aliud sit vitalium principiorum habitus, quod octauo Problemate factum est, aliud eorundem substantiam considerare, quod Prob. nono, & in Opusculo de Longitudine & Breuitate Vitæ factum cernimus; ideoq; calidorum locorum habitatores quoad substantiam calidius humidum, aereumq; magis habere possint, proindeq; esse viuaciores: è contra in frigidioribus locis degentes, idem humidum quoad substantiam frigidius, & magis aquosum valeant, quin etiam & debeant accipere; quod vitæ breuioris illos reddit. iam enim supra vidimus insignia locorum, interstitia necem substantiæ principiorum vitalium machinari. Cùm ergo dicimus, si frigidæ regionis habitatores innatum calidum potentius habent, quia non detur fluenti ab eo calori facultas exeundi ob externi aeris frigiditatem; igitur & humidum longè calidius quàm calidioris regionis habitatores adipiscuntur; igitur magis aereum, ac minus gelabile: & è contra si calidæ regionis habitatores frigidius innatũ principium habent; igitur & humidum magis aquosum; igitur & facilè gelabile; perspicuum, consequentias esse nullas; quoniam non calidum naturale, non accidentalis calor sit, & aduentitius, qui humidum primigenium quoad substantiam calidius possit reddere, ac proinde aereum; sicuti neq; aduentitia frigiditas, qualis in calidæ regionis habitatoribus videtur locum habere, huiusmodi humidum sua natura tale, in aqueum permutare, ac facilè gelabile efficere. hac enim in re principiorum à primordio facta mixtio, illorumq; natura, substantia, & proportio in primis est attẽdenda. Cęterum quod hoc loco dicimus de humidi radicalis differentia refrigeratæ plagæ habitatorum, videlicet quoad substantiam aqueum esse, & imbecillius; per comparationem, vt patet, ad exustæ plagę habitatores intelligendum est habere veritatem; cùm alioqui simpliciter sumptum, & ad se ipsum comparatum, melius dispositum sit quoad substantiam, & oriatur, vt paulò infra demonstrabimus, quàm eorum humidum radicale, qui Europęum cœlum experiuntur, ac temperamentum; quemadmodum & aliquo modo in Problematis indicasse Aristotelem satis cõstat: quod & de naturali calido ob antiperistasim locum habet, immò & longè magis; quò fit vt ad Septentriones hac de causa & fęcundissimæ mulieres, & longæ vitæ homines inueniãtur, vt de Gothia superius & Filandia dicebamus. Ad quintam facilis itidem ex superioribus est responsio; non dixit enim Aristoteles absolutè, ac simpliciter, maiora animalia esse diuturniora, quia plus humidi habeant, sed etiam quia plus calidi sortiantur; immò & longè magis qualitatis ratione quàm quantitatis; quod satis supra exposuimus. Vnde inter maiora animalia

malia, quæ paulò minora sunt, vitæ esse diuturnioris hac de causa affirmauit. Sic ergo tametsi in calidioribus locis ob siccitatem quanti defectus oriatur, quoniam tamen non ita deficit humidum, quin multum etiam sit, & ob temperamentum regionis in quali lõgè superat, quia aereum, pingueq; efficiatur; ideo in locis illis animalia dixit Aristoteles esse diuturniora; ideo adiunxit ob eandem causam id euenire, ob quam maiora sunt viuaciora: sicuti enim maiora non solùm ob quantum, sed longè magis ob quale, longæua magis sunt: ex quo & inter illa, ea, quæ in ipso quali superant, tametsi in quanto deficiant, diuturniora existunt; ita & ob eandem causam in calidioribus locis animalia vitam ducũt longiorem; quoniam, tametsi siccitatis illorum ratione in quanto defectus oriatur, longè fit vberior in quali remuneratio.

Sexta labefactatur dubitatio. item & septima.
Cap. 54.

AD sextam dicimus, aliud esse extrema loca, & distemperata, caloreq;, vel frigore excedentia inter se conferre; aliud cum medijs & temperatis: proinde si calidiora cum frigidioribus tanquam extremũ cum extremo comparemus, quemadmodũ in Opusculo de Longitudine & Breuitate Vitæ fecit Aristoteles, ac in Problematis; calidiora ob allatas rationes quoad vitæ perennitatem esse præferenda. si hæc ipsa calidiora loca cum temperatis, aliam omnino esse rationem; idcircò iurè & meritò in temperata regione, qualem Aegyptum, partemq; illam Asię esse Hippocrates, & Aristoteles censuerunt, animalia vitam traducere longiorem esse existimandum; quoniã, cùm regionis illius locus, & aer à prædominio moderatè calidus sit, & humidus, tanquam principijs vitalibus maximè consentiens, ad vitæ diuturnitatem maximè facit, ac reliquis omnibus antecellit; cùm vitalium principiorum substantiæ sit maximè similis, ideoq; sũmè familiaris, ac idoneus; vt hac de causa robustissima vitalia principia in huiusmodi locis animalia nanciscantur; cùm ob regionis calorem, calidum naturale gignatur valde potens; prætera ob humorem, proindeq; ob consensionẽ cũ aereo tẽperamento, cùm suo tẽperamẽto aeris tẽperamentũ maximè referat, ac æmuletur, humidum primigenium aereum, pingue, leue, viscosum, demum ad vitę perennitatem aptissimum producatur. nam & hoc est quod supra ex quarto de Animalium Ortu in medium adducebamus, si animal, idest si primigenium humidum simile aeri temperamentum recipiat, vitam habere longiorem; enimuero hoc pacto non solùm qualis ratione excedit, quia multum calidum sit, sed etiam quanti, quia multùm sit humidum ob loci consensionem; qui cùm suo temperamento ad humiditatem inclinet, humidi primigenij copiam producit vberiorem. atq; hæc causa est cur humida & calida loca sint calidis & siccis, quod pertinet ad vitæ perennitatem, præferenda; quod enim regionis siccitas de quanto demit, in humida largè compẽsatur; vnde vtraq; causa, quantum scilicet & quale perfectè in illa locum habet: ob caloris enim abundantiam valde calidum humidum existit, ideoq; aereum, & pingue, nec facilè gelabile; ob copiam humiditatis, multum; & idcircò non facilè exsiccabile. neq; huiusmodi in quanto redundantia humidum aqueum reddere potest, quoniam par ferè adest copia caliditatis, vnde aereum temperamentum exactè representat. Nec obstat quòd calida, & humida loca, vt quæ ad Austrum inclinant, ex Hippocratis, & Aristotelis decreto summam ad putredinem dicantur habere propensionem; nam aliud omnino est ventorum respectu locum aliquem humidum esse & calidum, & sic aduentitia causa & qualitate; aliud proprij situs, aeris temperamenti, ac naturæ ratione, atq; ob positum ad solem. Vnde Hippocrates, vt superius explicauimus, Aegyptum, ac illam Asiæ regionem, quia ad Auroram collocata esset, atq; à frigiditate & caliditate excedenti remota, huiusmodi recipere temperamentum docuit: tametsi enim tempora anni solitas mutationes in ea quoq; faciant, nihilominus aer, quemadmodum alijs quoq; in locis vsu venit, proprij temperamenti semina perpetuò retinet. quod quidem eò facilius ibi efficit, quòd ipsa tempora in suis mutationibus summam seruant moderationem. quare sine vlla dubitatione dicendum est, huiusmodi regionem, tanquam optimè tẽperatam, esse ad vitam diutissimè producendam præ cæteris aptissimam. locum enim, & aerem familiarem obtinere, & idoneum in his maximum est, & horum omniũ causa, vt pulchrè libro tertio de Plantarum Causis admonuit Theophrastus. Aegyptiacum verò aerem, ac locum talẽ esse, iam libro quarto eiusdem Theophrasti, Aristotelis, insuper Herodoti, & Hippocratis testimo-

Cap. 10.

Cap. 1.

ſtimonio abundè demonſtrauimus: quod animaduerti potiſsimum cupio tanquam ad noſtram diſputationem ſummè neceſſarium; atq; ad cauſas adducendas, cur in Aegypto cuncti viuãt octomeſtres, in Grȩcia pauciores, ad omnemq; tollendam difficultatem; nam huius rei gratia hæc omnia à nobis diſputantur. Non eſt igitur, vt redeamus ad rem, cur aliquem terreat ſexta difficultas. Hoc autem loco (vt rem magni momenti tacitus non prætercam) optimè temperatum accipimus primo modo ex duobus illis, quos libro quarto iampridem poſuimus; atq; hoc ſenſu regionẽ hanc optimè temperatam eſſe dicimus: quo pacto temperamentum optimum ad corporeas refertur actiones; quales fȩcunditatẽ, corporis magnitudinem, optimam habitudinem, vitæ perennitatem eſſe, neminem latet. Nam ſi ſecundo modo optimè temperatum accipiamus, quale Europæum eſſe temperamentum iam declarauimus, alia omnino ratio eſt, immò & ferè contraria. atq; hæc cauſa eſt, cur ſiue frigidiora, ſiue calidiora loca, ſiue primo modo optimè temperata inſpiciamus, &, quod in idem redit, illa temperamenta contemplemur; haſce corporeas actiones, proceritatem videlicet, fȩcunditatem, vitæ perennitatem, ac ſimilia longè magis in illis vigere inueniamus quàm in Europæo temperamento; cùm iam ſuperiore libro demonſtratum ſit in Scythico cœlo, ac Aethiopico, ſed præſertim in Aſiatico homines longè fȩcundiores, maiores, diuturnioriſq; vitæ inueniri. Et ſanè pulchrè naturæ decreto factum eſt, vt quod temperamentum animi dotes efficit præſtantiores, virtutes corporis producat imbecilliores. Nam præterquàmquòd magnæ & crebræ mutationes, quemadmodum memorato libro diximus, quæ huius temperamenti propriæ ſunt, vt Hippocrates voluit, corruptiones inuehunt genitali ſemini, ac generationi, & malignitates; ex quò & fȩcunditatem, proceritatem, ac ſimilia tollunt; non eſt tantus in aere calor, & humor, vt vitalia principia fouere, robuſtaq; efficere; vt naturale calidum valde multum, & potens, vt primigenium humidum valde aereum gignere poſsit: quare & à calidioribus locis huiuſmodi temperamentum fȩcunditate, vitæ longitudine, corporum proceritate, & ſimilibus ſuperatur. item non eſt tantum frigus, vt antiperiſtaſi, ſi nõ eadem, certè non valde minora vitalibus principiis valeat beneficia impertiri; quare & à frigidioribus vincitur. Quæ quidem duô pulchrè ſectione decimaquarta Problem. videtur Ariſtoteles oſtendiſſe, ſcribens ſuæ regionis homines, & quod in idem redit, huius temperamenti accolas & principium internum in ſe imbecillius continere, & frigore lædi & conſtipari. quibus vtraq; eos ratione lædi perſpicuè demonſtrauit. Demum temperatiſsimus calor non adeſt, ac humor, qui conſenſione poſsint eadem, ac longè præſtantiora cauſare. ex quò & Aſiatico temperamento longè etiam eſt inferius. quod ſanè Aſiaticum temperamentum contra quàm in animi producendis ornamentis libro quarto euenire dicebamus, iure hac in re cȩteris omnibus antecellere ponimus. neq; enim ſiccum eſt, ſed humidum; neq; adeò calidum vt Aethiopicum; quare nimia ſiccitate & caliditate nõ lædit. item neq; vllas experitur magnas, quibus noceat, mutationes, vt Europȩum. poſtremò neq; nimio humore, vel ſiccitate, & frigiditate, vt Scythicum, vllam affert læſionem. quod ſanè Scythicum tẽperamentum, tametſi antiperiſtaſi multùm iuuet, his tamen excedentibus qualitatibus, vt ſupra diximus, & frigore præſertim, quia ſuperat, non parum obeſt; vt, quemadmodum ſuis locis admonuimus, propterea & abortiones interdum, & partus difficultates efficiat, & ſterilitates. Itaq; Aſiaticum temperamentum ad principia vitalia optimè temperata producenda longè omnium eſt aptiſsimum. vt meritò præcedenti libro à nobis dictum fuerit, & Aſianos quoad ſubſtantiam robuſtiorem habere naturalem calorem quàm Europæos, & huius rei cauſam præſenti libro explicari; quàm certè facilè aperit ſuperior diſputatio. Septimam facilè expediemus, ſi memoria repetamus, primigenium humidum pabulum eſſe ex Ariſtotelis ſententia innati calidi; quoniam ergo ad loca frigidiora humidum gelu ſtringitur, & idcircò non poteſt calidum ſufficienter enutrire; hac de cauſa rectiſſimè inquit Ariſtoteles, calidum ipſum materiam, in qua eſt, ſcilicet humidi partem ad nutriendum aptiorem abſumere; mox verò abſumpto alimento periclitari, quoniam reliqua pars gelu iam adſtricta nutritioni non ſit idonea: itaq; difficultas nulla. Intelligit enim non de alimento extrinſeco, ſed de ipſo humido primigenio Philoſophus.

Prob. 8.

Octa-

Octaua soluitur dubitatio. grauis quædam ex Aristotelis dictis tollitur contradictio.
Cap. 55.

OCtauæ, ac postremæ, quæ pulcherrima est, ac fortasse omnium difficillima, quid respondeamus non facilè occurrit; cùm ob rei obscuritatem, & Philosophi varia dicta, in diuersas sententias Interpretes abierint; atq; inter eos alij sint, qui negent aerem esse primum humidum, id aquæ tribuentes, vt D. Thomas in secundum de Ortu, & Interitu; alij verò hoc ipsum constanter affirment, ac tueantur. Et certè nisi Aristotelis mentem, nisi verba accuratè expendamus, maximè hac in re accusanda ipsius videbitur inconstantia. Si enim humidum illud est, quod proprio termino interminatum, facilè terminabile est termino alieno, vt secundo de Ortu & Interitu, & quarto Meteoron constantissima, verissimaq; est sententia ipsius, absq; vlla controuersia ab omnibus recepta; aer autem maximè tale, atq; vt idem ipse quarto libro de Cœlo manifestis verbis dixit, magis tale quàm aqua; siquidem scripsit. εὐδιαίρετον μὲν οὖν τὸ εὐόριστον. ἢ μᾶλλον τὸ μᾶλλον. ἀὴρ δὲ μᾶλλον ὕδατος τοιοῦτον. ὕδωρ δὲ γῆς. idest. facilè diuisibile quidem igitur, quod facilè terminabile; & magis, quod magis. aer autem magis tale quàm aqua; aqua autem quàm terra. igitur & aer magis humidus quàm aqua. est enim μᾶλλον εὐόριστον, quemadmodum inquit Aristoteles, idest, vt ita loquar, magis facilè terminabilis termino alieno: vt meritò Philosophus secundo de Ortu & Interitu aerem ipsius esse humidi magis, non solùm sociæ qualitatis respectu pronunciauerit, videlicet caloris, vt D. Thomas & sectatores voluerunt; sed simpliciter quoq; & vniuersaliter, ad aquam etiam facta comparatione. quod acutè Ioannes Grãmaticus contuens hac ipsa de causa, quia humidi definitio magis aeri conueniat quàm aquæ, scilicet facilè esse terminabile termino alieno, difficilè termino proprio; aeri non aquæ humidum primò tribuisse Aristotelem scribit. Sed si hoc est, quo modo eodem secundo de Ortu & Interitu libro paulò infra Præceptorem non puduit perspicuis verbis affirmare, μόνον δὲ εἶναι τῶν ἁπλῶν εὐόριστον τὸ ὕδωρ? idest solam inter simplicia aquam facilè esse terminabilem? quo modo, quarto Meteoron confirmare, maximè propriè humidum esse ipsius aquæ? humidi corpus aquam esse? demum materiam esse corporum aqueum humidum, & siccum terreum, ideoq; & aquam, & terram? hæc enim cum superioribus è diametro pugnare nemo est qui nõ videat. Respondemus igitur aliud esse cõsiderare elementa ipsa, ipsorumq; principia, & causas calidum, frigidum, humidum, siccum, vt per se sumuntur, ac solitariè, in ipsisq; existunt elementis; aliud & longè certè diuersum, vt veniunt ad mixtionem. primo enim modo ipsum humidum ob allatam superius rationem aeri conuenit; secundo modo aquæ. Hinc Aristoteles nunquam dixit vel aquam inter simplicia solam esse facilè terminabilem, vel humidum maximè propriè esse ipsius aquæ, nisi de ipsa agens mixtione; nam & secundo de Ortu & Interitu eo ipso loco, vbi inquit solam aquam inter simplicia facilè esse terminabilem, hoc non alia de causa inquit, nisi quia differit de mixtione; probare volens omnia mixta corpora, quæ circa medij locum sunt, ex quatuor elementis esse conflata. Cùm enim terram tanquam in terræ loco genita habeant; aquam, vt pulchrè subdit Aristoteles, necessariò debent habere; quia mixta compositaq; omnia corpora oporteat esse terminata, terra autem sine aquæ admixtione nequeat terminari, quia sola inter simplicia aqua in mixtione facilè sit terminabilis terræ mixta, & sociata; ideoq; & terram ipsam, & quod est in ea siccum difficilè terminabile, contra propriam naturam facilè reddat alieno termino terminabile: est enim humidum aqueum sicco terreo causa terminationis, vt mox ex quarto Meteorõ dicemus. at si hæc duo elementa mixta habent, ergo & contraria, aerem scilicet, & ignem necessariò habent; oportet enim priorum vires obtundi, ac remitti si mixtio est facienda; cœteroqui non mixtio, sed auctio fieret superantis, vt primo de Ortu & Interitu habemus explicatum; sed obtũdi remittiq; non possunt nisi à contrarijs; contrarium autem terræ aer, aquæ ignis. debent enim elementorum vires, vt mixtio fiat, quodammodo æquari, vt mox subdit Aristoteles, & nisi æquentur, mutantur ad inuicem elemẽta, nõ fit eorum mixtio. ex quò & carnes, & ossa, & reliqua huiusmodi ex elementis fiunt, frigido quidem facto calido, & calido frigido, & sic de cœteris, vt sequenti libro idem docet Aristoteles. Itaq; & hoc est, quod quarto Meteoron diuinè explicat, ipsum siccum humido terminari operantibus actiuis: & clarius

Marginalia: Sup. tex. 33. Tex. 9. Tex. 1. Tex. 45. Tex. 23. Com. 15. Tex. 49. Tex. 28. 30. 48. Tex. 49. Tex. 88. Tex. 48. Tex. 5.

Tex. 28.

rius infra (qui locus ea, quæ modò ex secundo de Ortu & Interitu adducebamus, solus explicat) esse τὸ ὑγρὸν τῷ ξηρῷ αἴτιον τοῦ ὁρίζεσθαι, efficiq; ἑκάτερον ἑκατέρῳ οἷον τὰ κόλλα. quod est humidum causam esse sicco, vt terminetur, & alterum alteri fieri veluti gluten. loquitur enim hoc quoq; in loco de mixtione; & quoniam hoc proprium est humidi ipsius aquæ, & sicci ipsius terræ, vt sensus ipse monstrat, cùm aeris humidũ cum ipso sicco ignis admixtum, vel etiam cum sicco terræ, id efficiendi non habeat potestatem, nulliusq; ab alio terminationis ipsius sicci sit causa; idcircò adiungit maximè propriè humidum esse ipsius aquæ, siccum terræ, atq; hac de causa omnia corpora quæ hîc sunt terminata, non sine aqua & terra esse; item humidi corpus aquam esse, materiam esse siccum, & humidum, proindeq; aquam & terram; demum aquam & terram corporum esse materiam, & ideo animalia in aqua tantùm ac terra generari. Facit autem id fortasse aqua quia ἀναπληστικὸν humidum habet, idest repletiuum (qua

Tex. 10.

de re secundo de Ortu & Interitu egregiè Aristoteles) quod aer non habet; vt pulchrè obscurissimo illo duodecimo problemate vigesimæ quintæ sectionis idem docuit: de cuius vera explicatione grauissimos viros meritò video dubitasse. habet autem humidum repletiuum, vt Alexandro libro

Cap. 6.

primo Naturalium Quæstionum placuit, quia aere est crassior; aeris enim humidum ob ipsius tenuitatem ferè euanescit, ideo non potest facere sicco terreo admixtum veluti gluten, quod humidum aqueum ob suam crassitudinem facile efficit. Itaq; & hoc sensu, idest mixtionis ratione, humidũ dicitur esse aquæ maximè proprium, & magis quàm aeris. quo quidem sensu Alexan-

Com. 22.

dri verba illa in Commentarijs super quarto Meteoron intelligenda sunt habere veritatem, quibus inquit, in aqua magis quàm in aere humidum præualere. scribit enim. Ponit autem humidi quidem aquam esse, sicci verò terram; hoc est aquam ab humido specificari, à sicco verò terram: propter hoc enim ex corporibus habentibus humiditatem & siccitatem, passiua hęc sũt, aqua scilicet, & terra. At verò & ignis etiam siccitatem habet, & aer humiditatem: verùm, quoniam hæc ab his virtutibus nõ specificantur, passiua non sunt. Quanquã nisi inutiles fingere velimus conciliationes, non video quo modo illud tueamur, ignem & aerem habere siccum, & humidũ, sed τῷ μὴ κατὰ ταύτας τὰς δυνάμεις εἰδοποιεῖσθαι, vt ipse loquitur, idest quia non formantur, specificantur, dixeris clarius, denominationem recipiunt ab his potestatibus, non dici passiua. etenim estò id habere veritatem in aere cum aqua mixtionis ratione comparato; certè in eodem per se sumpto, sicuti & in igne, non habet veritatem; quia

Tex. 2[?].

vt secũdo de Ortu, & Interitu admonemur, ἀὴρ ὑγροῦ μᾶλλον ἢ θερμοῦ. πῦρ δὲ θερμοῦ μᾶλλον ἢ ξηροῦ. idest. aer humidi est magis quàm calidi, ignis verò magis calidi quàm sicci. vt necesse sit contra Alexandri sentẽtiam, si Præceptori credimus, ignem & aerem his potestatibus εἰδοποιεῖσθαι, idest formari, & specificari.

Alia quædam difficilis dubitatio labefactatur. Superiora plenius cõfirmantur. Homeri locus quidam declaratur.

Cap. 56.

HInc alterum illud habemus labefactatum, quod tertio de Elementis Cardinalem non parum torsit Contarenum; quodq; insolutum videmus eum reliquisse. si enim humidum & siccum passiua sunt, quo pacto agendi vllam, humefaciendi scilicet exsiccandiq; habebunt potestatem? Aristoteles enim quarto Meteoron apertè

Tex. 1.

actiuas esse qualitates, quæ humefaciant, & exsiccent, memoriæ mandauit. At ex aduerso si passiua tantùm sunt siccum & humidum, quo pacto inter se contraria, & cõtraria secundum tactum secũdo de Ortu &

Tex. 8.

Interitu esse ponuntur? contraria enim, vt

Tex. 87.

idem admonet primo eiusdem operis, quæ communicant in materia, agunt vicissim,

Tex. 25.

& patiuntur. ex quò & secundo libro apud ipsum, cùm siccum quod est in igne, ab humido, quod est in aere, superatur, ex igne fit aer; quare & humidum & siccum non passiua tantùm, sed etiam actiua. ob eandemq; rationem, secus quàm superioribus verbis visus est dicere Alexander, ignis & aer sunt passiua. Similis igitur responsio tollit funditus difficultatem; si enim siccum & humidum per se, & vt contraria, & in generatione consideremus, verè sunt actiua non passiua solùm; sicuti & calidum & frigidum passiua non actiua tantùm: si vt in ipsa mixtione, vel in mixtis corporibus facilè, vel difficilè terminabilia sunt, passiua tantùm; nam & operantibus actiuis humido siccum terminatur; & ijsdem agentibus quod iam siccum est, humidum redditur, & quod humidum è contra siccum. cùm enim siccum sit difficulter alieno ter-

mino

mino terminabile, ideoq; difficulter misceri cum alijs possit, ac terminari (nam primo de Ortu & Interitu diuisibilium & passiuorum facilè terminabilia, sunt facilè miscibilia) necessariò eget humido aqueo, vt reddatur facilè terminabile termino alieno. quare terreum siccum in mixtione proprium terminum videtur amittere, acquirere alienum; è contra humidum aqueũ acquirere proprium, amittere alienum; vt propterea antequam id patiatur ἀόριστον dicatur a Præceptore in fructib⁹ quarto Meteoron & agnoscatur, perspicuè asserente nullũ humidũ absq; sicco maturescere. Hoc autem fit totum operantibus actiuis; dicũtur enim facilè & difficilè terminabile, eò quòd aliquid sicci & humidi natura patiatur, vt quarto Meteoron docet Aristoteles; quare & meritò siccum & humidum passiua; meritò subeunt materiæ rationẽ; materia enim est passiuum sua natura; meritò siccum terreum, & humidum aqueum corporum dicuntur esse materia; horum enim duorum elemẽtorum tantùm humidũ & siccum passiua sunt, vt eodem libro scriptum legimus; videlicet actiuarum qualitatum actione facilè vicissim terminabilia: nimirum quia humidum aqueum sicco terreo causa sit, actiuis operantibus, vt terminetur, & facilè terminetur termino alieno, interim ex ipsius sicci societate habens ipsum humidum, vt facilè proprio termino terminetur, vt paulò supra illustrissima sẽtentia significauit Aristoteles; fiunt enim vicissim admixta veluti gluten; quod ipsius passionis est proprium; quia terminari nil aliud quàm pati aliquid esse videatur, vt superius dicebamus. primum igitur humidum aer sine vlla dubitatione apud Aristotelem. Ratio autem D. Thomæ ad probandum aquam esse aere humidiorem, fortasse non cogit; frigiditas enim aquæ sociata, non solùm facit ad se fluere humidum, sed etiam ipsum humidum compingit & conglaciat, ideoq; & exsiccandi habet quoq; potestatem; & propterea ipsum à se humidum expellendi. quare non secus ferè ac ipse calor humiditati inimica; quẽadmodum & è contra amica dici potest, sicuti & calor: quia vtraq; humefaciendi habent potestatem. Sic & Sectatorum rationes, vt Mondragonensis, & aliorum ex his fundamentis facilè soluuntur: qua de re aliàs dabitur occasio disserendi. Vtrum autem alij pro hac grauissima tollenda difficultate aliquid attulerint, asserentes humidum aquę magis conuenire, nõ quia verè sit aere humidior, sed quia plus humectet, quos Valesius primo Cõtrouersiarum, & in Commentarijs super quarto Meteoron sequitur. Vtrum inter hos Vicomercatus super eodẽ quarto Meteoron, vt hosce scopulos effugeret, rectè dixerit, quia humidi duo sunt propria, vnum proprijs terminis non claudi, alterum alienis facilè contineri; primo modo aerem esse magis humidum, quoniam alienum terminum minus quàm aer aqua elabitur; secundo modo aquam; alij viderint: certè Aristoteles dicẽs humidum illud esse, quod facilè termino alieno terminatur, ipsum aerem primum humidum videtur fecisse, & longè aqua humidiorem; quia longè facilius alieno termino terminetur. item adiũgens solam aquam inter simplicia esse facilè terminabilem; ipsumq; humidum proprijssimè hac ipsa ratione dici aquæ esse; non quia aqua humectet magis, eam aere videtur fecisse humidiorẽ, sed eius, quod est facilè esse terminabile ratione; enimuero vt hoc monstraret loco memorato quarti Meteoron, cùm præfatus esset humidũ esse facilè terminabile, siccum difficilè terminabile, moxq; adiecisset non aliter inter se affici atq; obsonium & condimenta; nimirum quia humidum sicco causa sit vt terminetur, & alterum alteri veluti gluten existat, & ob id corpus, quod terminatum est, ex vtroq; constare; statim conclusit maximè propriè in elementis humidum aquæ esse, siccum terræ: nempè vt nos doceret humidum tanquam facilè terminabile, sed tamen exposito modo acceptum, ad ipsam aquam maximè propriè pertinere; vt palàm sit non maioris in humectando potestatis, sed eius, quod est facilè esse terminabile ratione, humidum maximè propriè Aristotelem aquæ tribuisse; quod istorum video considerasse neminem. Sed ad nõstra redeamus. Cùm igitur, quod ad corporum pertinet mixtionem, aqua, tanquã materiam potissimum repræsentans, primum humidum existat, rectissimè Aristoteles, quę animalia primigenium humidum minus aqueum habent, ficciora videtur appellasse. Vnde nulla est contradictio; cùm aliud sit aeris naturam solitariam contemplari, aliud elementa vt materia mixtorum & corporum fiunt, considerare. Cur autem aquam & terram corporum esse materiam dicat Aristoteles, cùm alia etiam duo elemẽta materię subeant rationẽ; & an sibi ipsi repugnet, dũ omnia elementa mixtorũ esse materiam secundo de Ortu & Interitu

Tex. 89. Tex. 20. Tex. 1. Tex. 30. Tex. 28. Com. 39. Tex. 28. Tex. 49.

Tex. 28.

teritu affirmat; quarto autem Meteoron id ipsum terrę & aquę esse propriū, definit, satis ex superiorib' est perspicuū. Hinc autē quàm rectè Diuinus Poeta Homerus induxerit Menelaum Iliados. H. sic dicentem, dum Achiuis mortem precabatur.

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ, καὶ γαῖα γένοισθε .i.

Sed vos quidem omnes aqua, & terra fiatis. facilè est attingere: quoniam enim doctissimum Vatem non latebat, terram potissimum, & aquam ex Philosophorum decreto corporum esse materiam; in terram & aquā quasi in materiam, ex qua genita erant illorum corpora, Achiuos redire oportere, vt illorum mortem designaret, pulchrè cecinit. Cœterum nimis multa de locorum differentia, & temperamentis, qua ratione ad partum, fœcunditatem, vitamq; animalium, ac similia concurrat; ac de alijs dubitationibus, quæ inter disputandum occurrerunt: in quorum quidem tractationē eò diligentius, ac plenius incubuimus, quòd nullum inuenerimus, qui primus nobis in tantis difficultatibus, ac tenebris facem prætulerit; & quòd erant hæc omnia cognitu necessaria, vt grauissimæ septem posteriores allatæ, tùm libro tertio, tùm præcedenti dubitationes facilius à nobis, ac funditus dissolui possent; veræq; causæ extarent ex intima Aristotelis philosophia excerptæ (vt veritatem legentes à fontibus potius hauriant quàm riuulos consectentur) cur plures in Aegypto octomestres superuiuant, in Græcia pauciores; illudq; inter cœtera præsertim elucere, an propterea octauo geniti partus censendi sint locis nostris non vitales: quæ omnia huic quinto libro supersunt attexenda.

Sexta, septimaq; dubitatio ex duodecim libro tertio propositis dissoluuntur. ostenditurq; qua ratione ex tribus vitæ octomestriū ab Aristotele septimo Historiarū allatis causis, prior in Aegypto, ac similibus regionibus locum habeat.

Cap. 57.

DVo igitur sexta, septimaq; dubitatione maximi momenti quærebamus; principiò quid causæ sit, quòd locorum differentiam in octauo tantùm mense, ac partu octomestri septimo de Historia Animalium Aristoteles consideret. deinde cur tres illæ causæ ab eo adductę, mulierum videlicet commoda ad exactum tempus vteri gestatio, facilior partus, ac fertilitas maior; fętus tametsi monstrosi aliquid habētis salus & cōseruatio, in Aegypto similibusq; regionibus locum habeant; ibiq; octomestres vitales reddant. Hi scrupuli quàm facilè tollantur superioribus perceptis, omnibus nunc arbitror esse conspicuum. quoniam enim, vt tertio libro abundè declarauimus, octomestris partus imperfectionis aliquid habet, quia deficit à perfectione septimestrium, ac nonomestrium, & decimestrium; idcircòq; minus vitalis est; locorum verò differentia tùm ad vitam simpliciter animalibus impertiendam, tùm ad breuiorem, vel longiorem illis tribuēdam, plurimùm facit; ita vt in his, quæ naturalem quasi quandam in ortu contrahunt imbecillitatem, suas vires efficacius exercere videatur; idcircò rectissimè, ac diuinè admodum, vt ferè omnia solet, Aristoteles de octomestribus sermonem habens, peculiariter hanc tetigit locorum differētiam. Similiter quod septimo loco quærebatur, luce solis clarius apparet ex his, quæ superius fuerunt disputata; in quo tamen explicando aliquanto longior nobis texenda est oratio. Tres causas adducere Philosophum septimo Historiarum vitæ octomestrium in Aegypto, locisq; similibus libro tertio iam vidimus; primam esse explicauimus, quòd mulieres ibi εὐεκφόροι sunt. quam vocem duo significare dicebamus; primò mulieres ad exactum tempus vterū gestare; adeò vt non abortiant, sed maturum pariant; quod ἐκφέρειν propriè designat; secundò intra gestationis tempus nil incommodi illis contingere, quod particula, εὖ, adiuncta pulchrè exprimit. cùm enim possint mulieres ad exactum tempus vterum gestare, sed tamen gestationem totam laboriosam, ærumnosamq; experiri; vtrunq; incommodum primam causam tollere voluit Aristoteles; adeò vt secundum illum non solùm temporis ratione maturū parere mulieres illas efficiat, sed etiam facilem habere gestationem. Secundam causam diximus ad fertilitatem pertinere, atq; ad partus facilitatem. neq; enim, cùm inquit Aristoteles. καὶ φέρουσι τε πολλὰ, ῥᾳδίως καὶ τίκτουσι. vlla est necessitas, vt aduerbium, ῥᾳδίως, ad verbum, φέρουσι, referamus; quasi sententia sit, multosq; simul facilè & ferre mulieres illas, & parere; quemadmodum Trapezuntius, Theodorusq; fecerunt; quorum alter sic transtulit Aristotelis orationem. multosq; simul facilè & ferunt, & pariunt. alter verò sic. Facilè multi efferuntur, pariunturq;. quo pacto quod in prima

Cap. 4.

Cap. 4.

prima explicatum est, scilicet gestationis facilitas, id totum inutiliter, ac pręter morem esset in secunda repetitum. Sed vox illa, ῥαδίως, ad sequens verbum, τίκτουσι, referenda est; vt sententia sit, mulieres illas plures ferre, idest, vt libro tertio interpretabamur, plures concipere: quod ad fertilitatem palàm est spectare. item faciléq; parere, quod pertinet ad partus facilitatem. quam interpretationem veterem secutum esse Interpretem video verbis illis. Ferunt multa, & facilè pariunt. Præterquàmquod si etiam ad verbũ, φέρουσι, vocem, ῥαδίως, referamus, quia non vnus tantùm, sed multi facilè gestari dicantur; id ad fertilitatem magis spectare videbimus, quàm ad commodam, facilemq; gestationem; vt nil, quod in priore explicanda causa positum sit, in secundæ explicatione repetitum videatur. Tertiam causam declarauimus fœtui imperfectioni, si qua est, quodammodo subuenire; ita vt vel eã corrigat, vel certè non adeò illi permittat aduersari, vt mors sit fœtui ex ea pertimescẽda. has enim tres causas perspicuè Philosophũ septimo Historiarum expressisse, abundè aduersus Theodorum, ac Trapezũtium libro tertio ostendimus. qui in eo loco conuertendo alteram cum altera visi sũt confundere. qua in re (vt hoc etiam, præter ea, quæ libro memorato diximus, in præsentia adijciamus) longè grauior fuit lapsus Trapezuntij; qui sic Aristotelis verba transferens, vt ibi etiam diximus. Octo verò mẽsium in Aegypto quidem, & in quibusdam alijs locis, vbi benè parturiũt mulieres, facilè multi efferũtur, pariũturq;, & nati etiam si prodigiosi sint, viuere possũt. videtur voluisse, sententiam esse, in Aegypto ac locis ijs, vbi benè parturiunt mulieres, multos octomestrium facilè efferri, & excludi, ob eandemq; causam multos, etiam si prodigiosi sint, dictis locis viuere posse. adeò vt vna tantùm sit causa à Philosopho allata, tùm vitæ octomestrium in Aegypto, tùm eorum, qui prodigiosi nascuntur; felix videlicet, facilisq; partio. cui quidem sensui Aristotelis græca verba mirificè aduersari, quibus tres à nobis expositas causas distinctè ponit, facilè quisq; ea legens confitebitur. Cur igitur hæ tres causæ in Aegypto, ac regione alia similem temperiem nacta locum habeant, facilè erit ex superiori disputatione aperire; quoniam enim æqualissima habet Aegypti regio tempora, nec vllas magnas crebrasq; ad æstus, ac frigora mutationes experitur; idcircò mulieres ibi vel nunquã abortiunt, vel rarissimè; atq; intra pariendi tempus nullũ perpetiũtur incõmodũ. Dictũ nanq; superius est ex Hippocratis & Aristotelis sententia, maximas temporum mutationes causam esse abortionis, laboriosæq; gestationis, quoniam seminis compactioni corruptiones inferant; quin etiam & loci intemperiem, cùm scilicet frigiditate excedit, vel caliditate vincit, ac socijs qualitatibus; quia desit materia fœtui alendo idonea, ac necessaria, vel nimis abundet; similesq; aliæ causæ vigeant, quę à locorum pẽdent intemperie. quo sensu dicebat diuinè Hippocrates in Opusculo de Aere, Aquis, & Locis, mulieres in locis ad Septentriones, & ad Austrum positis & sæpè abortire, & difficulter parere, & gestationem experiri laboriosam; è contra verò in locis ad ortum collocatis, quia temperatissima sint, valde esse fœcundas, & facilè parere. enimuero sic de mulieribus illis locutus est. Et fœminæ isthic valde fœcũdæ sunt, & facilè pariunt. vbi nullam fecit de abortu mentionem, quia vel nullum fieri, vel rarissimum locis illis existimauit. quod profectò temperamentum Asiatico, Aegyptiacoq; simillimum esse, immò & longè perfectius in hac regione reperiri, libro quarto demonstrauimus; vt non immeritò in vteris, qui fœcundi futuri sunt, Hippocrates hanc ipsam moderationem quinto Aphoris. secto requirat. quo loco ita scirbit. Quæcunq; frigidos, & spissos vteros habent non concipiunt; & quæcunq; præhumidos vteros habent, non concipiunt; extinguitur enim in eis genitura: & quæcunq; siccos magis, & adurentes: nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcunq; verò ex vtrisq; mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.

Cap. 4. | Aph. 62.

Hippocratis mens clarius explicatur. Quo modo aliæ duæ causæ in Aegypto locum habeant.

Cap. 58.

HAec Hippocrates; quorum ea quæ de frigidis vteris, humidis, & moderatis dicit, respondere illis, quæ de mulieribus ad Septẽtrionem, Austrum, & Ortum habitantibus in libro de Aere, Aquis, & Locis dicta sunt, facilè videbit, qui verba inter se contulerit. quo loco Galenus in Commentarijs mulieres, quæ frigidos habent vteros, vel steriles esse, vel si concipiunt, fœtum non posse enutrire notans, alimenti autem defectum causam esse abor-

Aphor. 31 & 37. tiendi eodem secto infra affirmans, perspicuè monstrat, mulieres in frigidis, quæ superent, locis degentes, si conceperint, ad abortiones esse propensas. quod memorato Opusculo affirmare Hippocratem cōtra multorum opinionem quarto libro dicebamus; nonoq; rursus planius dicemus. Nec tamen pugnant hæc cum superioribus; in quibus frigida loca ad fœcunditatem facere, ac similia ponebamus: siquidem primùm Hippocrates tota illa disputatione, vt non semel admonuimus, nō de locis insigni interuallo distantibus agit, sed de vrbibus ob cœli aspectum inter se diuersis, in eodem tamen tractu collocatis; & quod magis est, huiusmodi tractum supponit in Europęo temperamento esse positum; in quo frigus lædere posse, quia superare valeat aliquando, supra ostendimus. Deinde, quod acrius vrget, frigus sumit prout materiæ opponitur non habitibus; neq; enim ob externum ambientisq; frigus & aspectum, quod ad habitum referri posset, id euenire inquit; sed ob aquarum frigiditatem & cruditatem; quod quidem tanquam ad nutritionem pertinens, animalis omnino materiam respicit, ac substantiam. quare in Aquilonia vrbe aquarū frigus, quia non secus ac frigida vteri natura, vitalium principiorum materiæ aduersetur, effectus illos causabit: & de calore, vel humore in Austrina eadem est ratio. Erit igitur in Aegypto, vt ad nostra redeamus, his de causis & commoda, & ad exactum tempus gestatio; proindeq; ad hāc regionem prima causa optimè quadrabit. Rursus quoniam à prædominio Aegypti temperies calida est & humida, atq; corporearum operationum respectu temperatissima, vt iampridem fuit explicatum; idcircò mulieres loco illo fęcundissimę sunt, & ad plures sæpè, facileq; gignendos, ac pariendos maximè idoneæ: multiparum namq; esse animal hominem caloris, & humoris ratione ex Aristotelis sententia libro tertio monstratum est, quoniam seminis natura talis est. atqui in calida & humida regione semen maximè abundare est necesse. Non me tamen præterit, Plinium, Solinum, aliosq; nonnullos, Trogi auctoritate Aegypti omnem fœcunditatem non tam in aeris temperamentum, quàm in Nili aquas referre, tanquam in veram causam; quod & ob earum euenire nitrositatem aliqui scripserunt; adeò vt vitæ quoq; octomestrium in ea regione causam hāc aliquis fortasse reperiatur, qui recipiat. sed quātum id habeat firmitatis, facilè quisq; iudicabit; præsertim si grauissimū virū Senecā audiet, hac de re tertio Naturaliū Quęstionum ita disserentem. Quare aqua Nilotica fœcundiores fœminas faciat, adeò vt quarundam viscera longa sterilitate pręclusa ad conceptum relaxauerit; quare quædam in Lycia aquæ conceptum fœminarum custodiant, quas solent petere, quibus parum tenax vulua est, quid ad me attinet? pono ista inter temerè vulgata. Item vbi maximè clemens aer est, nec magnis, crebrisq; mutationibus obnoxius, ibi facilè partum excludi supra diximus; vt minimè laboriosa fœtus editio eo loco existat. at Aegyptum huiusmodi aere circunfundi, talesq; temporum experiri mutationes, satis constat; iure igitur & meritò Aristoteles sæpè mulieres in Aegypto geminos, ac multos gignere, & facilè parere septimo Historiarum memoriæ mandauit: quod quidem clarissimum est ad secundam causam pertinere: quare & secunda causa locum in Aegypto potissimum habebit. Demum quoniam, vt vberrimè supra expositum est, in Aegypto ob propriā & innatam, quam habet, vt ita loquar, ad calorem & humorem regio ipsa temperationem, diutissimè animalia viuunt; & principia vitalia ibi optimè quanti, & qualis ratione temperata, ac disposita, proindeq; robustissima recipiunt; partus, tametsi monstrosi aliquid habeat, & imperfectionis, nihilominus viuet à loci benignitate, ac virtute propria adiutus, quod tertia causa requirebat. Itaq; & tertia causā in Aegypto maximè vigebit.

Li. 7. c. 3. Li. 1. c. 3. Cap. 25. Cap. 4.

Qua ratione tres explicatæ causæ, quę in Aegypto locum habent, octauo genitos ibi vitales reddant

Cap. 59.

VErùm his expositis, qua ratione hę tres causę octomestres in Aegypto vitales reddant, in similibusq; regionibus, quę eādē habent tēperationē; ꝙ secūdo loco in septima dubitatione quærebatur, superest, vt qua maiore possumus breuitate disseramus. Ostensum est tertio libro ex Aristotelis sententia, octomestrem partum per se ac sua natura esse vitalem, tametsi minus quàm septimestrem & nonomestrem; ita vt quātùm est meritò sui, nisi extrinsecus aliquid obsistat, siue id sit maior quàm illi naturaliter cōueniat cōtracta imbecillitas, vt in nonomestribus aliquando videmus, qui

debilissimi oriuntur; siue cœli inclementia sæuior; siue parentis incommoda valetudo, ac debilitas, aut gestatio, partusq; laboriosior; siue huiusmodi aliud aliquid; semper vitalis, & victurus in lucem veniat; nimirum quoniam, etsi natura est imperfectior, non tamen imperfectio, & imbecillitas est tanta, vt non possit non sustinere partus labores, si modum ob extrinsecum aliquod accidens non excedant. Dictum præterea est, octomestrem dupliciter considerari, vel per se talem, vel per accidens; ac per se octomestrem esse, qui ex materia, quæ octauo maturescere exposcat, conformatus, ipso octauo mense maturus in lucem venit; per accidens verò octomestrem, qui, cùm natura esset septimestris, vel nonomestris, octauo mulieris abortione eijcitur potius quàm verè pariatur. Demum de incommodis & abortionibus, quæ octauo mense contingunt, abundè est disputatum; ostensumq; non solùm ex octauo genitis eos interire, qui per accidens tales sunt, sed illos etiam interdum, qui per se octomestres existunt, vt in nonomestribus, ac septimestribus contingere videmus. Cùm igitur quę interitum sunt octomestribus allatura, ex his causis pendeant; omnia verò in Aegypto ob tres illas enarratas causas sufficienter tollantur; iure & meritò ob eas ipsas octomestres in Aegypto magis vitales statuuntur. Primùm qui octomestres per accidens sunt, periclitantur, quia suo tempore non oriuntur; item qui, tametsi per se sint octomestres, in incommoda gestatione longè facti imbecilliores, propterea laboribus partus obruuntur. At prima causa in Aegypto his incommodis medetur; quoniam enim commodè in hac regione mulieres vterum gerunt, atq; labores nullos, vel longè placidiores experiuntur; non potest hac de causa per se octomestris reddi imbecillior. item quoniã ad exactum tempus ferunt vterum, neq; abortiunt, nisi rarissimè; octomestres per se non per accidens in lucem edunt. quod profectò dum ponit Aristoteles, dum locis illis dicit octomestres esse vitales, vbi mulieres ad exactos menses vterum gerũt, nec abortiunt, satis perspicuè monstrat (quod & maximè quidem animaduerti cupio, & non semel libro tertio indicauimus) eos tantùm octomestres alijs in locis de illius sententia periclitari, qui non verè, nec per se octomestres sunt, sed omnino abortiones quædam, ac præter tempus geniti suæ maturitatis. Secundò pereunt octauo mense editi, quoniam interdum ex materia minus ad illos producendos idonea conformantur; item quia partus aliquando labores, adeò ob cœli inclementiã vel aliquid aliud simile, vehementes sunt, vt illis nequeant imperfectiores natura existentes, & imbecilliores resistere; tametsi etiam antea toto gestationis tempore nil incommodi perpessi fuerint. at enimuero secunda causa his omnibus in Aegypto remedium adhibet; quoniam enim sunt ibi mulieres fertiliores, & geminos sæpè concipiunt, ac enituntur, vt notauit Aristoteles; sunt etiam & necessariò ad octomestres producendos natura propensissimæ. Iam enim tertio libro monstratum est, octauum mensem homini quatenus ab vnipari animalis natura recedit, & paucipari naturam induit, tempus esse pariendi naturale; nimirum quia hac de causa breuiore tempore gestare, & maturum parere debeat. quod quidem Philosophus docere volens, vt ostenderet mulieres Aegyptias ad partus gignendos natura octomestres valde esse dispositas, acutissimè dixit eas esse fertiliores; ac mulieres fertiliores octomestres parere vitales affirmauit. Cuius diuinum artificium Albertus Magnus primùm, mox Suessanus cùm non perciperent, vocem hanc, fertiliores, longè à Præceptoris mente discedentes, robustiores interpretati sunt, viriumq; robur significare crediderunt. Rursus quoniam in Aegypto ob allatas rationes facilè mulieres pariunt, non possunt octomestres molestia, ac difficultate partus oppressi periclitari. Tertiò naturalis illa imperfectio, de qua tertio libro abundè egimus, solet interdum, si augeatur, octomestribus interitum afferre; dictum nanq; ibi est, octauo genitos à perfectione septimestrium, & nonomestrium deficere, ideoq; præter naturam quodammodo aliquid in se continere, gigniq; imbecilliores, ac vitales minus; ita vt hac de causa, si huiusmodi augeatur imbecillitas, plerunq; emoriantur. cùm enim octauo genitus natura imbecillior sit, & vitalis minus, etiam si maturus exeat in lucem, ac suo tempore; si partus ob cœli inclemẽtiam, vel alia aliqua de causa solito sit laboriosior, morte facilè deletur, quia non tantum habeat roboris, vt hosce labores queat sustinere. Atqui tertia causa in Aegypto huic malo mirabiliter occurrit; cùm enim octomestris ibi gignatur robustior ob principiorum vitalium vim, ac fortitudinem;

dinem; proindeq; quantùm est loci ratione imperfectionis minus habens; iure quicquid imperfecti in illo est loci virtute roboratum, correctumq; nullam potest fœtui afferre læsionem; vt vberrima ex loci natura compensatione facta ipsius partus labores, si qui extent, & excedant naturæ modum, facilè ferat. quos tamen in Aegypto labores modum plerunq; non excedere, supra vidimus; cùm gestatio in ea regione, & partio valde sit commoda ob allatas rationes. quod diuinè significare volens Aristoteles adiecit, monstrosos etiam partus in Aegypto viuere posse: qua quidem re nos admonuit, si monstrosi partus (quos crebrius apud Aegyptios, quàm alibi generari ipsum memoriæ prodidisse tertio libro ostendimus) longè octomestribus imperfectiores, ac sua natura non vitales, & qui laboriosissimè & incommodè gestantur, pariunturq;, in ea regione ob principiorum vitalium robur viuere possũt; multò magis esse rationi consentaneum, vt credamus, & fateamur, octomestres partus sua natura vitales, ac naturales, tametsi reliquis imperfectiores, in ea regione si nascantur, vita potiri: quæ quidem ab ipsa experientia ducta ratio tantum mea sententia habet ponderis, vt hanc per manus traditam ad hæc vsq; tempora octomestriũ infelicitatem ex omni euellere memoria videatur. Quòd si monstrosos Aristotelem vocasse (quæ multorum fuit opinio) octomestres quoq; dicere velimus; quod tamen vt credamus nullam esse probabilitatem libro tertio ostendimus; tunc ex eodẽ libro memoria repetendum, monstrosi nomine non quod maximè propriè monstrosum sit, sed tantùm quod à rectissimo rei naturæ tramite desciuerit, Aristotelem intellexisse; ac ab eo, quod maximè ei conuenit, atq; vt ipse loqui solet, non simpliciter, sed quodammodo est præter naturam, & monstrosum: quo sensu in extremo Opusculi de Animalium incessu vniuersum ostreaceum genus mutilum & imperfectum; vitulumq; marinum, ac vespertilionem inter quadrupeda (species alioqui à natura intentas) peruersa appellauit. Sic ergo videmus (vt quæ plenius diximus, paucis cõcludamus) his tribus expositis causis sufficienter cuncta ea in Aegypto tolli, ac in simili regione, quæ octomestres partus reddunt non vitales. cùm enim iam satis ex tertio libro, & ex superiori disputatione sit perspicuum, octauo genitos mori, vel quia imperfectio eorum naturalis (quæq; illa causa fuerit) aucta illos ad interitum ducat; vel quia ex materia oriantur ad eos producendos minus apta; vel tandem quia incommodè gestati ac editi, seu extra propriæ maturitatis tempus in lucem veniat: certè eo quod inquit Aristoteles, monstrosos partus in Aegypto viuere, quod est imperfectionem partus loci benignitate, ac temperatione corrigi, ac longè reddi minorem; plenissimè tollitur primum, quod positum est octomestribus aduersari. eo verò quod dicit, in ea regione mulieres esse fœcundiores, secundum. tandem altero illo, quod ibi ponit commodè gestari fœtum, ac suo tempore; tertium; vt in nulla fortasse philosophiæ parte quàm in hac ipsa videatur admirabilior Aristoteles, in qua naturam partus octomestris nobis explicat. Hinc verò alij viderint quàm rectè Apponensis, ac cœteri causas, cur in Aegypto viuant octomestres, explicauerint; de quibus libro decimo commodius dicetur. quàm rectè hac de re inter istos senserit Fracastorius, de quo interim hic nõnulla sunt dicenda, affirmans, vt secũdo libro vidimus, ideo in Aegypto octauo genitos superuiuere, quia regionis bonitate defectui maturitatis satisfiat. Satisfit enim bonitate regionis non quidẽ defectui maturitatis, qui nullus est in octomestri; cùm sua natura maturus, ac perfectus, quantùm est temporis ratione eo mense oriatur; sed vel ijs, quæ extrinsecus aduenientia obsunt, abortumq; causare solent; vt inclementiæ aeris, laborioso partui, ac gestationi, & similibus; vel imbecillitati, ac imperfectioni, quę octomestriũ est propria, & quæ nullum in eis dicit defectũ maturitatis, nullam ratione tẽporis partus imperfectionẽ. Verùm his ita cognitis, quòd rectissimè scripserit diuinus Pręceptor in Aegypto, & quibuscunq; alijs in locis hæ causæ vigeant, octauo genitos nasci vitales; ita ut non secus ac septimestres, & nonomestres plures ex illis superuiuant, pauciores moriantur, satis arbitror esse manifestum. neq; enim putãdum est omnes omnino octomestres locis illis vita potiri, ipsum existimasse; sicuti neq; etiam septimestres omnes, ac nonomestres cuncti locis nostris superuiuunt; cùm vbiq; locorum quantacũq; partus sint perfectione donati, ob materiæ inordinationem, quæ semper maleficiũ machinatur, non pauca imperfecta eueniant, ac præter naturam.

Reliquæ dubitationes labefactantur.
Cap. 60.

ERat octaua dubitatio, quid locus cōferat, & quo modo concurrat ad vitam partui impertiendam; quauè ratione illum magis, minusq; vitalem reddere valeat. Verùm huic difficultati quid respōdendum sit, adeò ex superiori disputatione clarum est, vt id nostram amplius non desideret orationem. Iam enim dictum est, locum ipsum tùm ad materiam animalis, tùm ad habitus, ac dispositiones referri oportere; idemq; in vitalibus principijs habere veritatem: habituumq; ratione contrarietate, ratione verò materiæ similitudine & consensione ad ortum, fœcunditatem, partum, vitam longiorem, robustioremq; conferre: è contra verò si habituum ratione loci similitudo adsit, materiæ ratione contrarietas, sterilitates, abortiones, vitæ breuitatem, imbecillitatemq; oriri; adeò vt ferè hæc omnia locis ipsis accepta referantur. Demum iam expositum est, vitæ perennitatem potissimum ex innati calidi, ac primigenij humidi temperatione, natura, quantitate, & qualitate, ex horumq; duorum inter se proportione ortum ducere; hæc verò omnia à locorum temperamēto, & qualitatibus potissimum dependere. quare quid conferat, & quo modo locus ad vitam, partumq; animaliū concurrat, & ad similia, abundè fuit explicatum. Item quod nona dubitatione quærebatur, videlicet quid sit, quod Philosophus inquit, octauo genitos monstrosi aliquid habere, facilè diluitur tùm ex ijs, quæ paulò supra diximus, tùm ex ijs, quæ plenius libro tertio disseruimus. Primùm enim Aristoteles non dicit hos partus monstrosos esse, vel monstrosi aliquid in se continere. deinde si dicit; imperfectionem illam, quæ octomestribus naturalis est, his verbis designat; quam & propterea in Aegypto quoq;, tāetsi in optima, quod ad hanc rem pertinet, ac temperatissima regione, illis conuenire voluit: eorum enim natura talis est suæ substantiæ ratione; cuius rei causas abundè libro memorato aperuimus. Cur autem in Græcia seruentur pauciores, & an hæ causæ in ea locum queant habere; quod decima difficultas vocabat in dubium, facilis est responsio; cùm enim Græcia temperamenti ratione ab Aegypto non parum distet, vt quarto libro abundè monstrauimus; tres illæ causæ, quæ octauo genitos in Aegypto magis vitales reddunt, minus in ea possunt: difficilior enim ibi gestatio est, ac maius abortiendi periculum ob insigniores, crebrioresq; temporum anni mutationes; quod ad primam causam diximus pertinere. Item Græcarū mulierum partus laboriosior ob eādem rationem, ac illarum natura sterilior; ideoq; ad materiam gignendis octomestribus idoneam subministrandam minus apta; ad vnum enim ac singularem concipiendum, pariendumq; magis est propensa, quod secundæ causæ aduersatur; idq; totum ea ratione locum in hac regione habet, quia est Aegypto Septentrionalior, proindeq; frigidior, ac siccior, sed potissimum quia magnis, crebrisq; mutationibus est patentior. vt enim superius ostendimus, in huiusmodi locis & abortus contingunt, & sterilitates, & partus difficiles. ex quò & in talibus regionibus crebriores obseruantur euenire abortiones. Quanquam generaliter in humana specie frequentius ea etiam fortasse de causa contingunt abortus, quàm in alijs animalium speciebus; quia, cùm multiplex habeat tempus pariendi, & menses multos, vnicuiq; mensi tùm propria, tùm aliorum mensium imminent incommoda, & abortiones, vt libro tertio expositum fuit; exempli gratia nono, septimi, octaui, decimi; & de reliquis idem iudicium. quare & abortus fiunt crebriores. at alijs speciebus vnicum est tempus præfinitum; ab vnico verò tempore difficilius contingit naturam aberrare; itaq; meritò in illis nō fiunt adeò frequentes abortus. Tandem (quod tertiam causam respicit) quoniam Græciæ locus, & aer non est adeò vitalibus principijs consentiens vt Aegyptius, idcircò hac etiam de causa minus in ea regione viuunt octomestres; habent enim vitalia principia imbecilliora; vnde quod in illis quodammodo præter naturam est, non adeò benignitate aeris, & clementia corrigitur vt in Aegyptiaca regione, & emendatur; quare minus laboribus partus possunt aduersari. Cùm igitur illæ causæ, quæ octomestres reddunt viuaciores, minus in Græcia locum habeant, idcircò & minus in hac regione hi partus superuiuunt, idest plures illorum morte delentur. Verùm (quod secundo loco in hac decima dubitatione quærebatur) quia, tametsi minus locum habent, idest vires in ea habent longè imbecilliores, locum nihilominus habent; viuunt tamen in Græcia octomestres. Nam in hac ipsa regione non semel & ge-

& geſtatio commoda ad exactum tempus, & mulieres fertiles, & ob cœli ſtatum, parentumq; temperamentum principia in fętu vitalia robuſta animaduertuntur. Eadem reſponſio vndecimæ dubitationi ſatisfacit, quæ percuntabatur, quid de locis noſtris hac in re ſentiendum videatur: noſtra enim loca in eodem climate ſunt collocata; quare eadem ferè in illis ratio viget. Nec ſi quiſpiam opponat, eò quòd ad Septentrionem magis poſita ſunt, maius idcircò ex illis periculum octomeſtribus imminere; adeò vt hac de cauſa, ſi in Græcia perpauci ſeruantur, apud nos nulli ſeruari debeant; certè momenti aliquid nobis obijciet: quin potius octauo genitos noſtris locis vitaliores eſſe quàm in Græcia oſtendet; vt qui iſta dicunt contra ſe plagas texere videantur. Enimuero, quemadmodum libro quarto, & paulò ſupra vidimus, vbi maius in aere frigus viget, dummodo tantum non ſit, vt omnino ſuperet, antiperiſtaſi vitalia principia reddit robuſtiora. quod Ariſtotelis auctoritate ex Problematis demonſtrauimus aſſerentis, refrigeratæ regionis homines principium augeſcendi intra ſe vehemens obtinere; quin etiam & ipſius Theophraſti tertio libro de Plantarum Cauſis docentis ob eandem rationem, non ſolùm in calido tractu, vt in Aphrica; ſed etiam in frigido, vt in Thracia, ac Ponto ſpectari fertilitatem: quod enim in calida regione per ſe calor facit, idem in frigida conſtipatus frigore, ideoq; robuſtior factus, agere ſolet; vt meritò ſcripſerit Theophraſtus frigus conſtipando ſemina meliora reddere, & fœcundiora; quippè cùm radice robuſtiore plus alimenti trahatur, & incrementum poſtmodum citatiùs veniat. Hinc, vt nõnulli referunt, in Angot Aethiopię prouincia toto anno ſeritur, ac metitur. Hinc nonnullæ Glacialis Plagæ regiones adeò fœcundæ ſunt, vt hominum lepidè à quibuſdam appellentur officinæ; quod ſuperius de Gothia, & Filandia aſſerebamus. quare cùm noſtra loca aliquanto ſint Græcis frigidiora, octomeſtrium vitalia principia robuſta magis, ac valentia reddere poterint, & ipſos propterea octomeſtres vitales magis efficere; vt ferè quod in Aegypto loci conſenſio cum vitalibus principijs facit, eiuſdem contrarietas, ideſt frigiditas paulò excellentior quàm in Græcia, antiperiſtaſi locis noſtris operetur, quod tanquam maximi momenti vehementer cupio lectores animaduertere.

Cap. 28.

Cap. 27.

Poſtrema duodecimaq; supereſt ſoluenda dubitatio; quæ, cùm totius negocij ſummam contineat, diligentius erit nobis ventilanda: quærit enim, vtrum hæc omnia, quòd ſcilicet perpauci octomeſtres in Gręcia, ac locis noſtris ſeruentur, plures pereant; quòd monſtrifici aliquid dicantur habere, ſimileſq; conditiones; ſimpliciter, & abſolutè non vitales illos reddant, ita vt abortio quædam (quæ multorum fuit opinio) octomeſtris partus cenſendus videatur. Qua in re illud primùm diligenter cõſiderare legentes volo (quod & tertio libro, & alibi ſæpè diximus) aliud eſſe quærere, an octomeſtres per ſe ac ſimpliciter vbiq; locorum naturaliter vitales oriantur, vel an per ſe ac ſimpliciter oriantur minus vitales, & æquè tales cunctis in locis; demum an per ſe ac ſimpliciter oriantur vbiq; non vitales. Quod enim ad primum pertinet; quoniam tertio libro firmiſsimis rationibus probatum eſt ex Ariſtotelis ſcriptis excerptis, & apertiſsima ipſius auctoritate, octauo genitos, qui per ſe tales ſint, naturaliter eſſe vitales, ac naturales partus; eò quòd homini ſuæ ſubſtantiæ ratione id conueniat, vt maturum, ac vitalem octauo menſe pariat; ſine dubio dicendum erit, vbiq; locorum octomeſtres per ſe, ac ſimpliciter vitales oriri: quod enim eſt natura, immobile eſt, & vbiq; eandem vim habet, quemadmodũ ignis, qui & hîc & apud Perſas vrit, vt quinto Nichomachiorum perbellè dicebat Ariſtoteles; & ſi nõ vrit, hoc eſt per accidẽs, & propter impedimentũ, vt octauo Phyſicorũ ſimul cum Præceptore notauit Auerroes. Vnde & ipſe Ariſtoteles quarto de Animalium Ortu hac permotus, vt cenſeo, ratione, octomeſtres nullo habito locorum reſpectu, nulla facta locorum mentione, abſolutè ac ſimpliciter vitales pronunciauit. Rurſus quod ſpectat ad ſecundum, diſtinctione quadam eſt veritas determinãda: ſi enim imperfectionem illam octomeſtriũ conſideremus, cuius ratione minus quàm ſeptimeſtres, & nonomeſtres vitales ſunt, iam & hoc ſenſu per ſe, ac ſimpliciter vbiq; locorum & vitales minus, & æquè tales eos exoriri pronunciandum erit, & in Aegypto, & in Græcia, & locis noſtris; quoniam id eſt octomeſtribus naturale; quemadmodum oſtendimus, vt vitales minus quàm ſeptimeſtres, ac nonomeſtres in lucẽ exeant. Quòd ſi externas, & accidentales cauſas reſpiciamus, ſiue hæ ſint temporum mutationes, ſiue locorum temperamenta,

Cap. 7.

Tex. Com. 32.

Cap. 4.

siue aliquid aliud parenti, ac fœtui extrinsecus accedens, quod vel lædere illum, vel iuuare posit; iam & hoc sensu octomestres quibusdam in locis oriri vitales magis, in quibusdam alijs vitales minus, dici poterit; quemadmodum de Græcia, Aegypti respectu dixit Aristoteles. Postremò circa tertium quod positum est, an scilicet hi partus non vitales per se, ac simpliciter oriri dicendi sint; iam meridiano Sole clarius apparet, si id affirmetur, ab omni esse ratione alienum; cùm superioribus libris contraria propositio, quòd scilicet octauo geniti per se, ac simpliciter vitales in lucé exeant, & experientia, & ratione, & Præceptoris auctoritate satis superq; à nobis sit demonstrata. quare audacter affirmare non reformido, nullam esse causam, cur cé-seamus (quod postrema quærebat dubitatio) iam dictas conditiones octauo genitos reddere non vitales; idcircòq; eorum sententiam, qui contrarium tenent, ab Aristotelis philosophia, ac veritate ipsa toto, vt inquiunt, diametro esse dissentaneam. quod sequenti disputatione fusius monstrabimus.

Quot ex Aduersariorum sententia conditiones octomestres reddant non vitales. item quòd prima, & secunda locum non habeant.
Cap. 61.

IVuat igitur hanc tueri plenius, ostendereq; veritatem, qua nil sanctius philosophanti esse debet. siquidem hæc summa est totius difficultatis, in hoc posita est vis tota contrariæ opinionis: volunt enim, vt paulò supra dicebamus, aduersarij, octomestres partus non esse vitales, nec viuere posse, nisi hoc pro miraculo contingat, ac omnino præter naturam; idq; ex iam positis conditionibus colligere profitentur: quæ omnes ex superioribus disputationibus diligenter enumeratæ, quinque numero comperiuntur esse. Prima quòd Aristoteles velle videatur monstrosi aliquid eos habere. Secunda quòd in Græcia perpaucos superuiuere affirmet. Tertia quòd pro maxima locorum parte vel non gigni, vel non viuere innuat. Quarta quòd omnes ferè infelices hos partus esse asserant. Quinta, & postrema quòd non vitales locis nostris magistra experiétia, & duce omnes ferè arbitrentur, ex quò & nullam sui ortus certam, ac definitam causam habere statuentes, in eodem cum illis gradu eos collocant, qui vel quinto, vel sexto mense in lucem veniunt. De quibus omnibus, vt veritas clarius eluceat, sigillatim sunt nobis nonnulla differenda. Ac primùm, vt quantum valeat prima cõditio, videamus, sumatur illud pro fundamento, quo vniuersa nititur Aristotelis philosophia, naturam nihil frustra facere, nihil superuacaneum, nihil mancum. Hoc posito sequitur, cùm ipsa natura, vt tertio libro probatum est, octomestres producat, idq; sit humanæ speciei naturale; tametsi ob dictas eo loco causas imperfectionis, imbecillitatisq; aliquid illis impertiatur, tantum nihilominus roboris eis suppeditare, vt labores partus, qui naturæ modũ seruent, queant sustinere, & huiusmodi alia, quæ aduersantur. Si enim hanc non haberent potestatem, frustra ab illa producerentur, ac natura ipsa in necessarijs deficeret. quare conditio prima, quòd monstrifici aliquid hi partus dicantur habere; quæ si modò octomestribus ab Aristotele tribuitur, cuius rei iam diximus nullam esse probabilitatem, nil demum aliud quàm dictam designat imbecillitatem, ac imperfectionem; non poterit octauo genitos reddere non vitales; sed tantùm, vt suo loco expositum est, vitales minus. Secundò & alterum illud, vt quantum habeat virium secunda conditio teneamus, tanquam maximi momenti animaduertendum; cùm hæc omnia, facilior scilicet, & difficilior vteri gestatio; abortus, vel partus; fœcundior, vel infœcundior mulierũ natura; laboriosior partus, vel commodior; tandem octomestrium imperfectio maior, vel minor, in proposito ab externis, & accidentalibus causis dependeant, nõ ab ipsa natura octomestrium; firmiter idcircò pronunciandum esse, quòd pauciores in Græcia, alijsq; in locis seruentur, plures in Aegypto; per accidens contingere: propterea ex hac altera cõditione, leuissimè cõcludi, octomestres partus nõ esse vitales; sed illud tantùm haberi, minus alicubi ipsos esse vitales, aliud præterea nihil; vt enim suo loco ex Aristotele docuimus, ars, quod ex accidéti est, nihil curat. quare vel ingens hic aduersariorũ latet æquiuocatio, vel iniuria subest captionis; dum ex eo, quòd minus alicubi sit partus hic vitalis, eum nullo modo vitalem esse concludere volunt; cùm tãtum distét inter se, minus aliquid esse vitale, & non esse vitale; quantum album, & nigrum, quantum esse, & non esse, demumq; quantum ipsa contradictoria, vt tertio libro clarius explicauimus.

Tertia conditio reijcitur. Cap. 62.

HInc Aristoteles, quod & tertiæ conditionis ostendit leuitatem, tametsi in Græcia longè minus quàm in Aegypto hos partus vitales esse septimo Historiarũ affirmaret, non tamen non vitales esse dixit; vt quocunq; in loco oriantur, dummodo in eo nasci, ac viuere homo possit, vitales omnino venire in lucem (quanquam ibi seruentur pauciores) existimauerit: vt omnino falsò in tertia conditione positum sit, pro maxima locorum parte octomestres, vel non gigni, vel non viuere Aristotelem existimasse. cùm enim hæc sit propria quædam speciei humanæ passio, & affectio, vt tribus illis temporibus maturum partum edat; certè affectio hæc, vbicunq; versabitur, orietur, ac viuet hæc ipsa species, tanquam eius naturam necessariò consequens, de sententia Præceptoris locum habebit. Atqui inter Historias, tametsi plura loca, in quibus vel non gigni, vel non versari alia animalia, Aristoteles percenseat, nullum tamen commemorat, vt præsertim ex quinto, & octauo libro fit perspicuum, in quo hominem gigni, ac viuere non posse dicat. quod enim secundo Meteoron scriptum legimus, æstuosissimos, ac frigidissimos tractus non posse habitari; possibile & impossibile pro eo, quod facile ac difficile est, sumptum esse, vt non semel apud ipsum, satis constat. Nec sanè sine magna ratione factum est, vt quod animal inter omnia solum est diuinitatis particeps, & cuius gratia reliqua videntur procreata, vbiq; etiam locorum viuere possit; hinc n. magis, ac magis conditoris Dei diuitias, ac summam in eum liberalitatem cognosceret valet, cognoscẽdoq; admirari. Itaq; si nullus locus est, in quo homo exoriri, ac viuere non queat; quod iam nostris temporibus est manifestum; cũ eas omnes regiones, quas nimio æstu, vel frigore inhabitabiles Antiqui existimarũt, habitatoribus refertas Nostrates inuenerint; nullus etiam erit, in quo oriri, ac viuere non queat octomestris. quare tertia conditio nullam etiam, qua nitatur, habebit rationem. quæ quidem vt funditus deleatur, duo sunt nobis hoc loco demonstranda, ac primùm illud; si aliqua etiam reperiatur regio (vt cum aduersarijs liberaliter agamus) in qua octomestres viuere non posse illis concedatur; quam tamen vel non reperiri, vel difficulter inter disputandum demonstrabimus; si tamen hos partus idcircò non vitales simpliciter pronunciare audeant, rem ab omni philosophia alienam eos affirmare. Hoc vel ex eo patet euidenter, quoniam simili ratione, qua isti id probant, oppositum probari facilè potest: sicuti enim ex eo, quòd alicubi non viuant octomestres, non vitales volunt esse pronunciandos; ita & ex eo, quòd alicubi viuant, vitales dicendi erunt: non enim maior est ratio de vno, quàm de alio. at vitale, ac non vitale opposita sunt, propterea; de eodem simpliciter, & æqualiter nequeunt affirmari. quare fatendum aduersarijs erit, vel simpliciter hos partus esse vitales locorum ratione, secundum quid non vitales; vel è contra simpliciter non vitales, secundum quid vitales. At enimuero denominatio omnis primo, ac sexto Physicorum fit à superabundanti; quamobrem cùm multò plura sint loca, in quibus octomestres vitales oriantur; statuendum erit, secus quàm aduersarij opinẽtur, hos partus simpliciter esse vitales. Sed quòd longè plura loca sint, quæ octauo genitos vitales producant, quàm quæ suæ in illis perniciei radices agentes suam prodant malignitatem, satis etiam apertè experientia nixus indicauit septimo Historiarum Aristoteles, ea tantùm commemorans, in quibus hi partus viuunt, nullamq; ponens regionem, in qua nequeant superuiuere. quare falsò tertia conditio ponit, ipsum pro maxima locorũ parte indicare, hos partus non esse vitales. Nam in Græcia, & locis proximis viuere eos affirmauit, tametsi pauciores: quæ verba, vt tertio libro ostensum est, quarti climatis partem, & quintum totum fortasse designant: in Aegypto omnes; cui regioni consimiles docuit inueniri. Nam dixit. „In Aegypto, ac locis illis & c. item paulò post „ dicens non solùm in Aegypto, sed etiam pluribus locis geminos nasci, ac sæpè nasci, hanc eandem veritatem indicauit; si enim, vt tertio libro, & paulò supra ex eo vidimus, quæ mulieres plures vno concipiunt, gestant, ac pariunt, eędem promptisimæ natura sunt ad octomestres vitales enitendos; pluribus verò in locis Aristotele teste id mulieres efficiunt; igitur plura erunt loca, in quibus mulieres ad producendos vitales octomestres habebunt aptitudinem.

Cap. 18. *Cap. 28.* *Cap. 5.*

Quod

Quòd tertia conditio locum non habeat, plenius confirmatur. Cap. 63.

SEd & illud quoq; hanc veritatem probat euidenter; si enim climata percenseamus, vix vno excepto, de quo nil habemus, quod tutò experientia duce vel pro nostra, vel pro aduersariorum parte affirmemus, cuncta alia inueniuntur octomestribus vitam impertiri. Nam de tertio nulla est dubitatio, cùm Aegyptum hoc comprehendat; de quinto, quod Græciam, & bonam Hispaniæ partem continet, ac nostra loca Aristotelis, Plinij, & Auicennæ auctoritate idem est concludendum. siquidem Aristoteles in Græcia, & locis proximis, Plinius in Italia, Auicenna in Hispania octauo genitos superstites euadere testificantur, vt tertio libro, & in Disceptatione animaduertimus. quod quidem perspicuè probat, si qua sunt loca octomestribus infensa, ea certè non esse in nostro tractu collocata. Verùm si tertiũ, & quintum clima octauo genitos recipiunt, igitur & quartum, quod interiacet; hoc enim & summam habet probabilitatem, & sic esse, quod libro tertio ex Alberto diximus de terra Adekil, probat euidenter; quæ Assyriam, Mesopotamiam, ac Babyloniam cõprehendit: quæ quidem regiones ferè omnes in quarto climate collocantur. De primo autem, & secundo, si verum est calidioribus locis principia vitalia robustiora esse, vt supra ex Aristotele monstrauimus; hanc verò causam vitæ octomestrium esse potissimam, vt in superioribus similiter ostendimus; iam probabile erit, octauo genitos hæc climata alere. Sextum verò clima hos partus non respuere Brasaola, & Cardanus vtriq; medici, vtriq; in Galeni familia magni, vtriq; illius climatis alumni iam apertissimè in Disceptatione probauerunt; quorum dicta in illorum serie, qui octomestribus fauent, collocauimus. Quòd si tandem ad septimum clima tanquã in aram aduersarij confugiant, in eoq; octomestres non oriri vitales affirment, vide quid sequatur. Principiò nullius hoc docent testimonio; quin potius, si firma manent, quæ supra ratione, atq; experientia, Aristotelisq;, ac Theophrasti auctoritate probauimus; videlicet frigidissimos quoq; tractus & mulieres fœcundissimas, & vitalia principia robustissima procreare, necesse erit vt fateamur, septimo quoq; climate octauo genitos nasci, & facilius etiã superuiuere, quàm locis nostris. Deinde quid tandem hinc habebunt, quod octomestribus perniciem moliatur? non sunt hi partus in septimo climate vitales, igitur non sunt simpliciter vitales, non sequitur: nam & hoc supra iam fuit demonstratum. Notat Aristoteles octauo de Historia Animaliũ Asinos in Scythia nullos esse, nullos gigni, nullos viuere. cuius rei causam, vt supra vidimus, secundo de Animalium Ortu in huius animalis refert frigiditatem. Similiter alia quædam animalia nonnullis alijs in locis nec gigni, nec viuere, & memorato libro, & in Opusculo de Respiratione memoriæ prodidit: ex quò & quarto de Animalium Ortu notatum reliquit, quibusdam in locis frigiditatis causa animalia quædam vel non gigni, vel si gignantur, infœcunda, & sterilia permanere, aut tandem si generent, vel solas fœminas, vel sæpius producere. quorum omnium causas supra ex eodem adduximus. Item Hippocrates in Opusculo de Aere, Aquis, ac Locis scripsit, mulieres, quæ in Austrinis degunt locis, sæpissimè abortire, apud Scythas steriles esse. Verùm quòd Aristoteles idcircò asinum, ac reliqua non vitalia esse dixerit; quòd de partubus illis idem affirmauerit Hippocrates, nullibi reperio. vnde si quispiam ex his & animalia illa, & homines nec locis illis, nec alibi nasci natura vitales concludere vellet, hoc certè non solùm doctis viris nõ arrideret, sed sibi putarent deridendum.

Cap. 28. Cap. 6. Cap. 8.

Alia causa affertur, cur tertia conditio locum non habeat. item quarta, & quinta confutantur. Cap. 64.

HIs igitur, etiam si aliquis concedatur esse locus, in quo non viuant octomestres, non propterea concludi posse, hos partus non esse vitales, abũdè mihi videor demonstrasse: hoc enim primo loco probandum proposuimus. quare & hoc alterum modò demonstremus, si liberalius adhuc cum aduersarijs agentes longè plura esse loca concedamus, in quibus octauo geniti non viuant, longè pauciores, in quibus viuant, contrarium nihilominus illis esse statuendum; videlicet quoniam alicubi vitales hi partus oriantur (quod præsertim de Aegypto, & Græcia Aristoteles asseruit) simpliciter eos esse vitales. cuius dicti rationẽ hanc tertio Topicorum Philosophus affert, quia, quod alicubi fit, atq; est, simpliciter esse dici debet. Sic enim ibi Aristoteles. Eodem

Cap. 4.

» dem autem modo considerandum & in
» ijs, quæ ſecundum quid,& quando, & vbi:
» nam ſi ſecundum quid contingit, & ſim-
» pliciter contingit. Similiter autem & quã-
» do, & vbi. nam quod ſimpliciter eſt impoſ-
» ſibile, neq; ſecundum quid, neq; ſecundũ
» vbi, neq; ſecundum quando contingit.
quo loco ſic in Commentarijs Alexander.
» Item ſi alicubi eſt Hyppocentaurus, vel
» Scylla, & ſimpliciter erit. item æſtate ſa-
» nus, ſimpliciter ſanus. & ſanus in Græcia,
» & ſimpliciter ſanus eſt; & corpus alicubi
» exiſtens, & ſimpliciter eſt. Sic ergo ex A-
riſtotelis ſententia quemadmodum qui in
Græcia ſanus eſt,vel alio in loco, ſimplici-
ter ſanus eſt dicendus; ita & qui partus in
Aegypto,aut in Græcia vitalis eſt, ſimpli-
citer vitalis eſt pronunciandus. atq; hoc
eſt quod tertio libro dicebamus, hæc duo,
quòd ſcilicet aliqui in Græcia ſuperuiuant
octomeſtres, quòd in Aegypto ſeruentur
plures,magni eſſe momenti ad demonſtran-
dum, hos partus ſimpliciter, ac per ſe na-
turales eſſe, & vitales. quod etiam alia
concluditur ratione, ex ijs pariter ducta,
quæ de Aegypto aſſeruntur, vt ſequenti ca-
pite aperiemus. Nec inſtantiæ illæ, quas
aduerſus hunc locum ſecundo Topicorum
affert Ariſtoteles, ijs, quæ dicimus,offici-
unt, vel concluſionem hanc noſtram red-
dunt infirmiorem; quandoquidem ſi quis
Philoſophi verba accuratè conſideret, vi-
debit his noſtris nihil aduerſari. Quid igi-
tur dicent aduerſarij? an viuere quidem
interdum hos partus, ſed ob tres priores
conditiones miraculoſum id eſſe, & mon-
ſtri loco, ac prodigij? At conditiones il-
las nullam habere firmitatem, iam ſupra eſt
oſtenſum. qua rurſus reſiſtent captione?
An cõceptam de octomeſtrium infelici-
tate opinionem obijcient? an experien-
tiam, qua compertum tradunt, locis no-
ſtris hos partus non ſuperuiuere? hoc e-
nim ſolum ex duabus poſtremis conditio-
nibus deſperatiſsimũ illis relinquitur per-
fugium. At nobis in peripatetica ſchola
conſtitutis nihil obuerſatur quod pleriq;
dicunt de octomeſtrium infelicitate, ac de
ipſa circa eorum mortem periclitatione;
tanquam videatur ab experientia ſumptũ,
propterea q; fidem faciat; quod etiam ter-
tio libro Ariſtotelis auctoritate ex Opu-
Cap. 1. ſculo de Diuinatione per ſomnum adduce-
bamus. nam primò quàm ſit horum in-
firma experientia quàm nutabunda, tùm
Veterum, tùm Recentiorum teſtimonia in
Diſceptatione à nobis allata,qui ſe contra-
rium expertos eſſe literis mandarunt, vi-
delicet non raros adoleuiſſe octomeſtres,
ſatis docent; Hieronymũ .n. Confortum,
Horatiumq; Eugenium, vt alios multos
interim omittamus, Vetuſtioreſq; miſſos
faciamus, magni in arte medica nominis;
diximus hos partus noſtra ætate obſeruaſſe
vitales. ad quorum periclitationem con-
firmandam nunc addo; cùm ſuperioribus
mẽſibus Diſceptationem miſiſſem meam ad
Alexandrum de Angelis è ſocietate Ieſu,
quo cum magna ſum familiaritate coniun-
ctus, virum optimis moribus,ac omni ſciẽ-
tiarum genere ornatum, in eoq; ipſo ſum-
morũ virorum cętu maximè illuſtrem, ſed
præſertim in peripatetica philoſophia emi-
nentiſsimum; cuius & publicè docen-
dæ in eorum Gymnaſio primario mune-
re magna cum audientium & voluptate,
& vtilitate fungebatur; illiq; eſſet ſupe-
riorum iuſſu Siciliam verſus docendi
cauſa proficiſcendum: non poſt multos di-
es virum hunc literatiſsimum ſcripſiſſe ad
me, cùm Diſceptationem meam Vincentio
Biſſo totius illius Regni Archiatro viro in
medicina ſummo,ac literarum omnium ſci-
entiſsimo dediſſet perlegendã; ex eo audi-
uiſſe, ſe in ſua praxi quàmplurimos octo-
meſtres vitales in Sicilia obſeruaſſe, quo-
tidieq; obſeruare: idemq; illi confirmaſſe
excellentiſsimum virum Pompeium Ferra-
rium artibus omnibus expolitum, ac pri-
mario loco medicinam Palermi profitentẽ:
hoſq; viros literatiſsimos,& in philoſophia
ac medicina, in Hippocrate, Galeno, Ari-
ſtotele maximè verſatos ſententiam noſtrã
tanquam verò conſentaneam mirificè am-
plexari. qui etiam adiecit ad excellentiſ-
ſimorum illorum virorum experientiæ cõ-
firmationem, ſe in ea ipſa vrbe inter ſocios
R. P. Ioſephum Vernacallum reperiſſe, iã
extremam ferè agentẽ ſenectutẽ, qui ſe eſ-
ſe octomeſtrem teſtabatur; vt tantorum
teſtium auctoritate opinio noſtra confir-
mata ab inuidorum calumnijs omnino
tuta eſſe videatur. Sed quid plura? dum fe-
rè hic liber imprimitur, ecce Vrbini (qua-
ſi natura re ipſa conatibus noſtris voluerit
opitulari) tres octomeſtres ex diligenti
mulierũ parientiũ obſeruatione oriuntur;
primus mẽſe Septẽbris 1596. ſecũdus ge-
mino partu diſpari ſexu mẽſe Martio 1597.
tertius mẽſe Octobris eodẽ anno; qui tam-
etſi imbecillitate donati quadã ac tenuita-
te, tãquã imperfectionis huius partus alio-
rum reſpectu argumẽto, nõ tñ illicò morte
deleti ſunt, vt ſtultorum prędicat, quorum
ma-

magnus est numerus, opinio; sed & ad multos dies vitam produxerunt, & adhuc viuunt; vt si in posterum moriantur, iam non amplius dici possit, ex ipsius octaui mensis, ac partus octomestris infelicitate illos mori, sed ex aliqua alia causa, non secus ac alijs partubus videmus euenire. quanquam si id accidat, statim prestò erit, qui dicet, ob octaui mensis infelicitatem diem suum obijsse; vt octomestris certè partus vicem doleam, qui ob iam falsò cōceptam de eo opinionem ea lege nasci videtur, vt omnibus fortunæ telis eius vita sit proposita. Aduersariorum igitur ab experientia ducta ratio nulla, cùm illis & Veterum, & Recentiorum contrariam experientiam opponamus. Deinde etiam si concedamus hanc vulgarem, quam supponunt, experientiam verã esse; iam quo pacto hęc vulgaria dicta accipienda sint, & quantum probent, idem ipse Philosophus pulchrè memorato ex libello de Diuinatione loco demonstrauit. somnia vel omnes existimare, vel certè plures, significationem aliquam habere scribit Aristoteles; at id paulò post neq; semper verum, neq; de omnibus somnijs esse verum, idem docuit Aristoteles. quid igitur? an experientiam repudiauit? non certè; sed huiusmodi dictum ad philosophiæ lancem appendens partim verum esse, partim falsum ostendit; neq; enim omnis experientia probat apud ipsum, vt sæpè inter Historias, sed perspicuè in calce quarti de Anim. Ortu admonitum legimus, sed tantùm ἀξιόπιστος, idest fide digna. hæc autem fuerit, quæ nō quidem mulierculas, aut vulgares, imperitosq; homines habeat tantùm auctores, sed quæ grauissimorum virorum iudicio, qui verè iudicare possint, fuerit comprobata. Nam & hoc sensu illud ab Hippocrate primo de Dięta vsurpatum habet veritatem. „ ὀφθαλμοῖσι δὲ δεῖ πιστεύεσθαι μᾶλλον ἢ γνώμῃσιν. „ idest. oculis autem magis credere oportet, „ quàm opinionibus. quo sensu illud etiam quarto libro de Animalium Ortu dictum „ accepimus. Tùm etiam exectis alterum „ testem hoc idem accidere quidam aiunt nō „ verè, sed rem coniectantur futuram ex cō„ sentaneis; atq; anticipant, quasi ita sit, pri„ usquam ita fieri videant. qui sanè locus præterquamquòd nos admonet modo non dissimili octomestrium hostes deceptos, coniectura potius anticipantes, quàm vera obseruatione de huius partus infelicitate sententiam diuulgasse; de summa etiam Aristotelis in periclitatione

Cap. 1.

diligentia fidem facit; cùm non sit consentaneum, ipsum in eum incurrisse errorem, quem in alijs reprehendit. vt si octauo genitos & in Aegypto plurimos, & in Græcia aliquos natura vitales nasci scripsit; talesq; partus locis illis natos, experientia compertum, ad senectutis annos peruenisse; non quidem scripserit, coniectans rem futuram ex consentaneis anticipando quasi ita sit, priusquàm ita fieri viderit, sed diligenti, & vera permotus obseruatione.

Plenius quarta & quinta conditio reijciuntur. Cap. 65.

ET sanè de hoc vulgari concursu egregiè quodam in loco mihi philosophatus videtur Cardinalis Caietanus vir grauissimus his verbis. Quòd autem iam „ communis facta sit hodie ista opinio, ex eo „ reddi opinionem probabilem, quia probabile est, quod multis videtur. sed pro„ babilitas hæc vulgarem auctoritatem non excedit, & eisdē contra ponitur, quod pro„ babiliter in veritate est, quod videtur sapi„ entibus, qui, vt patet ex supradictis, cō„ trariam secuti sunt opinionem. Vulgus au„ tem probabile in apparentia non in verita„ te consistit. vt meritò apud Hippocratem „ libello de Septimestri Partu non mulierum vulgus probet, nec mulieres omnes experientiam efficiant, sed tantùm quæ iudicio sunt præditæ. siquidem inquit. liceat autē „ & volentibus aliud dicere (scilicet vulga„ ribus, quibus non est fides adhibenda) quæ „ verò iudicio prædita sunt, & c. Quò & „ tendit illud, de quo grauiter ab Aristotele octauo Physicę Auscultationis admonemur, indecorum esse philosopho, quicquã in philosophia sine ratione opinari, nedũ affirmare. Hinc primo Topicorum probabile definitur, nō solùm quod plurimis, sed etiam quod sapientibus videtur, & non solũ quod omnibus, vel pluribus sapiētibus, sed quod μάλιστα γνωρίμοις, idest ijs, qui omnium consensu cęteris sapientia præstare creduntur. Hinc tertio libro de Animalium Ortu vulgarem Aristoteles reijcit cōmunemq; opinionem, vna cum Hippocrate, & Alcmeone falsò arbitrantem, pullum ex vitello generari, ex albumine nutriri. At „ auibus (inquit) hoc idem in ouo natura „ constituit. Sed contra quàm homines pu„ tant, & Alcmeon Crotoniates ait. vt pa„ làm sit communem istam sententiarum cōspirationem non debere semper veritatis ama-

Cap. 1. et 8.

Cap. 2.

amatorem ab ipsius veri indagatione reuocare. Hoc igitur idem videre videor in hac nostra quæstione Philosophum egisse; scripsit enim septimo Historiarum, vt tertio libro vidimus, communem fuisse in Græcia sententiam, octauo genitos non superuiuere; & si aliqui superstites fierent, propter conceptam de illorum infelicitate opinionem, non existimari octomestres, sed mulieres sui conceptus initium latuisse; ideoq; verè esse septimestres, vel nonomestres, putari. At insigni huic mendacio Aristoteles resistens, id neq; de omnibus octomestribus verum esse, neq; locis omnibus demonstrauit. Nec obstat, quod omnes, vel plures existimant, præstare fidem, tanquam ab experientia ductum, vt inquit Aristoteles; nam ad eam fidem, quam omnium consensus facit, comprobandam, « satis est quòd in nonnullis, & alicubi hæc « habeant veritatē; quadam ex parte vera comperiantur. satis est ad communem de « illorum infelicitate conceptum sustinēdū, « quòd magistra ratione, ac duce naturaliter « octomestres reliquis partub⁹ imperfectio« res esse inueniantur. satis est ad experien« tiæ veritatem; quòd plures mori locis no« stris obseruentur. quare aduersarij omni« no iniuria in eodē gradu cum illis, qui mē« se quinto, vel sexto oriuntur, illos collocant; iniuria nullam sui ortus definitam habere causam dicunt. quæ enim talia sunt, neq; sæpè fiunt, neq; locis plurimis, neq; certas, ac naturales habent causas, ad quas « referantur: quemadmodum habere octo« mestres tertio libro demonstrauimus. Sed « de his conditionibus, ac de postrema dubitatione nimis multa: hæc enim ad eam dissoluendam, ad ipsasq; conditiones refellēdas fere satis esse videntur; quæ eò magis censenda sunt habere veritatem, quòd Iureconsulti non harum conditionum vllā; non locorum vllam differentiam; non vtrū plures vno in loco seruentur, in alio pauciores; non quòd alij alijs sint imperfectiores; neq; an superuiuant, cùm nati fuerint; neq; si aliquo extrinsecus obsistente cogātur interire, cùm vitales partus, vel non vitales pronunciarunt, videntur respexisse; sed tantùm humanæ speciei naturam, naturæq; proprietatem; idq; solùm ad vitalem, naturalemq; partum constituendum expostulasse, aliud præterea nihil, vt totus vinus ad nullum declinans mōstrum iusto tēpore, idest non ante septimum, neq; post decimum vtero egrediatur; sicq; naturæ lege ex intrinsecis principijs, ac suæ substantiæ ratione viuendi habeat potestatem; vt libro nono clarius dicemus. ex quò &, vt alibi etiam animaduertimus, septimestres Hippocratis auctoritate receperunt, tametsi horum plures periclitari, pauciores superuiuere idem asseruerit. Eademq; de causa vno partu quinq: nasci posse admiscerunt, vt suo loco vberius videbimus: idq; fieri posse vbiq; locorum visi sunt concedere, cùm nullum exceperint; tametsi pleraq; sint loca adeò mulierum fœcunditati aduersa, vt in illis tot numero fœtus vel nullo modo concipi; vel si concipiuntur, non gestari; vel si gestantur, non oriri; vel demum si oriuntur, nutriri, ac viuere nullatenus queant, nisi rarisimè; in quibus tamen si nascerentur, quamuis illicò interirent, Iurisconsultorum decreto legitimi partus essent arbitrandi.

Cap. 4.

Ostenditur Theophrasti auctoritate locorum naturā non adeò in animalia posse, vt illorum propria natura non sit magis attendenda. item exponitur quid ex eo, quod dicit Aristoteles, in Aegypto octomestres omnes superuiuere, concludatur.

Ca. 66.

POstremò illud vehementer animaduerti velim, tametsi loca multùm possint in animalium conformatione; propriam tamen ipsorum animalium naturam in eorum affectionibus, ac proprietatibus indicandis, magis quàm ipsa loca esse attendendam; adeò vt si aliquid naturæ propriæ ratione alicui conueniat, non sit fortasse timendum id loci aduersa qualitate tolli, ac permutari; vel penitus aboleri. cuius rei causam adeò pulchrè, & eleganter quarto libro de Plantarum Causis adducit Theophrastus, vt nihil supra: sic .n. eo loco scriptum reliquit. Nam quòd non » pari tempore semina perficiuntur, vt ani» malia, qualiscunq; regio sit, minus admi» rari debemus; genus enim animalium, quæ » potissima sint principia in se habet: semen » autem, & planta ex toto sua principia, vel » omnia in aere potius habet; vel certè ea » quidem, quæ ad germinationem, & om» nino ad generationem, corruptionemq; » pertineant. quamobrem qualis fuerit an» nus talis, & fructificatio, cùm cęteris in » rebus, tùm in celeritate, tarditateuè se» quitur. Hæc ille; quæ si vera sunt, vt pro» fectò sunt vero quàmsimillima; tametsi locus

Cap. 18.

cus aliquis circunfusi aeris qualitatibus octomestrium ortui, ac vitæ aduersetur; quoniam tamen animalia, contra quàm in Plantis eueniat, in se ipsis primò, ac præcipuè principia habent, quibus ad generationem, vitam, ac maturitatem promouentur; non in ipso aere; idq; magistra ratione, ac duce in perfectioribus animalibus magis habet veritatem; homo verò animal est infinitis partibus reliquis perfectius; non poterit huiusmodi locus naturam, ac interna principia superare, quæ octauo genitos vitales reddunt; itaq; neq; illos facere non vitales. quanquam, quod ad ipsa loca pertinet, maius fortasse aliquid Aristoteles, quàm quisq; ex philosophorum vulgo queat intelligere, eo, quod dixit, in Aegypto octomestres sine vlla difficultate superuiuere, nos docere voluit: quod & libro tertio, & paulò supra nobis dicebamus esse demonstrandum; probauit enim illa ipsa ratione (nisi hallucinor) octauo genitos partus esse omnino naturales, ac vitales, tametsi alicubi per accidens, loci videlicet ratione, vitales minus esse videantur. monstratur id, quoniam, vt Galenus tertio, & quinto de Simplicium Medicamentorum Facultatibus bellè notatum reliquit, optimè temperatus homo in his, quæ humanæ speciei conueniunt, dijudicandis pro mensura, & regulà accipiendus est; adeò vt quæ huic homini naturalia sũt; simpliciter humanæ speciei esse naturalia sint censenda. at verò optimè temperatus homo non potest reperiri nisi in optimè tẽperata regione, ac cęlo optimè temperato; aut saltem in tali loco maximè eum inueniri, rationi maximè est consentaneum. Hoc verò quo modo veniat intelligendum, cùm duplex sit optimum Hippocrati, & Aristoteli temperamentum, & quò ad corporeas operationes, & quò ad animi mentisq; præstantiam, satis quarto libro explicatum fuit. Cùm igitur quatenus ad corporeas spectat operationes, videlicet ad vitam, partum, fœcunditatem, ac similia, Aegypti regio sit temperatissima, & homines gignat optimè temperatos, vt memorato loco, & supra etiam demonstrauimus; iam homo in ea genitus pro mensura, & regula nobis erit accipiendus, qua cuncta humanæ speciei naturalia corporalium operationum ratione iudicemus; vt quæcũq; ibi homini naturalia sunt, simpliciter esse naturalia statuamus. Cęterum hominibus Aegyptijs partus octomestres maximè naturales esse deprehenduntur: viuunt

Cap. 8.
Cap. 4.

enim ibi omnes non secus, ac nonomestres, & pari ferè facilitate; igitur & simpliciter humanæ speciei naturales censeri debent. Quæ omnia acutissimè cogitans Aristoteles quarto de Animalium Ortu absolutè pronunciauit, octauo mense genitos vita potiri, & esse vitales; & septimo Historiarum tanquam maximum, idq; probans euidenter, obiecit aliter opinantibus, in Aegypto hos partus esse vitales; videbat enim diuinus vir, colligi hinc necessariò naturali ratione, octauum mẽsem per se, ac simpliciter esse vitalem, & omnino secundum naturam. sed quanta sit huius rationis vis, fusius in Disceptatione à nobis fuit explicatum; vt non sit propterea hoc loco id longiori oratione nobis demonstrandum. Quòd si minus eos viuere adiecit, imperfectionis illorum, & Græciæ, locorumq; nostrorum habens rationem, in quibus crebrius octauo mense geniti creduntur interire; id non tollit, octauum mensem partionem non habere naturalem; tùm ob allatas supra rationes, tùm quia optimè temperatorum hominum respectu, ac proinde eorum, qui Aegyptum incolunt, ægrotantium instar nostræ regionis gentes esse videantur, si ad sanos homines eas comparauerimus. quamobrem quid simpliciter, ac verè sit quò ad corporeas operationes humanæ speciei naturale, non ex nostris quidem, sed omnino ex illis erat Aristoteli iudicandum.

Cap. 4.
Cap. 4.

Duæ afferuntur dubitationes; primaq; dissoluitur. Cur Hippocrates nullam de octomestribus Aegypti fecerit mentionem.
Cap. 67.

VErùm obiecerit aliquis, quæ de octomestrium vita in Aegypto ex Aristotele attulimus, & quibus nostra maximè niti videtur disputatio, si quis diligenter cõsideret, parum habere firmitatis. Primùm Hippocrates, quem vel Aegyptũ peragrasse vniuersam obseruationis causa, vel certè res Aegyptiacas, quod pertinet ad naturæ rationẽ, magna diligentia scripsisse cõstat, vt ex Opusculo de Aere, Aquis, & Locis patet euidenter; nihil scribit, quòd octauo geniti in Aegypto viuant; quod sanè si verũ fuisset, verisimile non est eum latuisse; vt propterea, quia neq; hos partus viuere in Aegypto sciret, in Græcia autem obseruaret cunctos mori, fortasse adeò constanter asseruerit, nullo modo octomestres nasci vitales. Secundò Herodotus, Diodorus Siculus,

cultus, qui illius regionis historiam scripserunt, pluresq; res naturales animaduersione dignas adnotarunt; causas etiam nonnullarum adiungentes; hac de re nec verbum quidem: vt fortasse aliquis inueniatur, qui dicat his similibusq; rationibus permotus, Historiarũ libris parũ fidei esse adhibendũ; vt potè qui ab Aristotele venatorum potius, proindeq; valde rudiũ hominum relatu, quàm constanti aliqua periclitatione conscripti videantur. Verùm neq; etiam hæc, tametsi prima facie probabilia appareant, vel Aristotelis dignitatem labefactant, vel sententiæ nostræ veritatem. Nam primùm quòd Hippocrates Aegyptũ adierit, mihi non constat: certè in eius vita id non legitur; & quod maximum est, Diodorus Siculus Rerum Antiquarũ libro secundo, græcos viros doctrina excellẽtes commemorans, qui eruditionis gratia, vel obseruationis Aegyptum lustrarunt, Hippocratem non percenset; scribit enim.

Cap. 6.

" Nunc qui Græci sapientia, & doctrina præditi in Aegyptum priscis temporibus transierunt, vt leges, & doctrinam illorum perciperent, recensebimus. Scribunt eorum sacerdotes in sacris contineri libris, trãsisse primùm ad Aegyptios Orphęum, Musæum, Melampodem, Dædalum, Homerum Poetã, & Spartanum Lycurgum. deinceps Solonẽ Atheniensem, Platonem Philosophum, ac Samium Pythagoram, Eudoxũ quoq; Mathematicum, ac Democritum Abderitem, & Inopidem Chium. quare tametsi diligẽter, & verè Aegyptiaci cœli, ac regionis tẽperamentum, & vires in Opusculo de Aere, Aquis, & Locis pingere nobis Hippocrates videatur; non tamen id necessariò probat ipsum in Aegyptum trãsisse, cùm id ab alijs discere potuerit, qui ibi extiterũt. Deinde esto, Aegyptum Hippocratem peragratum, an necesse fuit, nil eorum illum latuisse, quæ in ea regione fiunt? an necesse fuit quæcunq; didicit, ac in Aegypto obseruauit, literis mandasse? Constat .n. generalia tãtùm, scilicet temporũ anni tẽperationem, regionis, hominum, cęterorũq; animalium formam, ac virtutem quòad vitam, fœcunditatem, ac similia, idq; totum generaliter, in Opusculo de Aere, Aquis, & Locis docere voluisse, quod satis præcedẽs liber demonstrauit. Verùm dices, scripsit Hippocrates de Octomestri partu, quare si hoc illi notum erat, nullo pacto fuerat prętermittendum. At enimuero hoc fortasse nostram mirificè comprobat de huius viri mente, si quis accuratè consideret, in hac perdifficili quæstione sententiam. arbitramur .n. nos, vt fusius octauo libro explicabimus, Hippocratis scopum in Opusc. illis fuisse, tãquã medici, ac sẽsati artificis, causa reddere, cur moriãtur, qui octauo nascẽtes obseruantur mori, quod fortasse in Græcia cunctis vidit euenire, quos mense illo nasci obseruauit; haud quaquam vniversale hoc definire voluisse, quòd nullus octomestris queat naturaliter superuiuere; quæ sanè quæstio ab eo non poterat pertractari, nisi etiam & vniuersa de humani partus natura quęstio pertractaretur; quod quidem tanquam in sola positum speculatione, ad ipsum fortasse tanquam medicum non pertinebat; si modò verum est, quod octauo de Placitis Hippocratis, & Platonis Galenus notat, Hippocratẽ semper, ac meritò se à similibus pertractandis quæstionibus abstinuisse. ex quò & apud Galenum legimus, hac de causa non esse medici partes, vt de mixtione, de animæ substantia, alijsq; similibus disputationem instituat; atq; hoc fuisse Hippocratis cõsilium, illud suadet euidẽter, quòd Polybus, qui eadem ætate floruit, grauissimi viri testimonio, Plutarchi scilicet libro quinto de Placitis Philosophorũ (à quo & Galenus libello de Historia Philosophica non videt dissentire) plures in Gręcia octomestres superuiuere, expertus fuit; vt non sit probabile, quemadmodum in Compendio dicebamus, quod discipulum non latuit, præceptorem ignorasse. quare, si diuinare liceat, probabiliq; vti cõiectura; rationi est consentaneum existimare, Hippocratem ex vna parte proprijs permotum obseruationibus, quibus octauo prodeũtes cognouit periclitari; ex altera, tùm Aegypti Historia, tùm discipuli periclitatione, quibus hos ipsos partus superuiuere docebatur, tanquam versantem in ancipiti, non quidem vniuersale illud definire voluisse, an oẽs octomestres vbiq; locorum geniti moriantur, sed hoc tantùm vnum, cur periclitantur, qui hoc mẽse nascentes cõperiuntur interire. atq; hinc fortasse causa elucet, cur, quòd in Aegypto viuant octomestres, etiam si id eum non latebat, nullam fecerit Hippocrates mentionem. id enim, vt clarum est, ad illum artificem, qui hanc quęstionem generaliter pertractare vellet, videbat pertinere; item ad illum, qui cur viuerent octomestres, qui superuiuere obseruantur, susciperet inuestigandum; non ad illum, qui causam, cur moriantur, qui obseruantur mori, docere profiteretur; vt meritò primo libro de Vsu Par-

Cap. 3. 4. 5.

Cap. 18.

Cap. 8.

Partium literis Galenus mãdaſſe videatur, de humano corpore Hippocratem (quod mea ſententia in partus negotio potiſsimum habet veritatem) quædam omnino prætermiſiſſe, quædam verò dixiſſe obſcurè, perperam tamen nihil. Sed an Hippocrati id notum fuerit, & ſi fuit, cur ſilentio potuit præterire; fidem verò, quòd prçterierit, Ariſtotelicæ narrationi, & auctoritatem non derogare, ſatis oſtendimus.

Secunda tollitur dubitatio. Item Herodoto quanta ſit fides adhibenda. loca quædam Ariſtotelis, & ipſius Herodoti expenduntur.
Cap. 68.

NVnc ad ea veniamus, quæ ex Herodoto, & Diodoro nobis obijciebamus; ac primùm, quod ſpectat ad Herodotum, perſpicuum eſt, ipſum in ſua Hiſtoria bella potius, mores, tùm ſacros tùm profanos, ſitumq; regionis, ac huiuſmodi alia recenſere; res naturales occaſione potius quadã attingere, & tanquam in tranſcurſu; vt non ſit mirum, ſi de octomeſtribus nil ſcripſerit. nam & de fœcunditate mulierum in Aegypto, quam omnium auctorum conſenſus comprobat; quòd ſcilicet plerunq; geminos, & plures in ea pariant regione: item quòd monſtra crebro in eadem oriantur ac viuant, quod Cardanus libro duodecimo de Subtilitate inter recentiores tãquam verum recepit (quæ omnia notauit Ariſtoteles) nihil etiam dixit. Prætereo, ipſum quoq; Herodotum in hac hæreſi fuiſſe, vt crederet octauo genitos nullo modo eſſe vitales, quantum ex eius verbis coniectari queo. nam in Erato, videlicet libro ſexto, Demarati matrem partus tempora recenſentem introducens, octauum facit illam prçtermittere. Herodoti autem „ hæc eſt oratio. Verùm quod tibi præcipuè „ exprobrant inimici, quòd Ariſton, quum „ ei te natum eſſe nunciatum eſt, multis au„ dientibus negauit te ſuum eſſe, quia tem„ pus decem menſium non exiſſet; per inſci„ tiam talium rerum illi hoc verbum excidit. „ nam mulieres nouem etiam menſium, ac „ ſeptem menſium partum edunt; non om„ nes decimum menſem explentes. Ego au„ tem fili ſeptimeſtrem te genui. quare etiam ſi audiuit in Aegypto hos partus viuere, tanquam temerè vulgatum verum eſſe non credens, tacere potuit. Poſtremò tantùm abeſt, vt quia id non ſcribit, falſum eſſe arbitrari debeamus; vt hac maximè de cauſa quoniam ab eo relictum fuit, cum veritate conſentire ſit dicendum. nam leuiſſima plerunq; mandaſſe monimentis hunc auctorem, præſertim quod pertinet ad res naturales, non ſemel admonuit Ariſtoteles. Hinc ridet geniturã Aethiopũ atram, tùm in Hiſtorijs, tùm ſecundo libro de Animalium Ortu: quod tamen Herodotus in Thalia, videlicet libro tertio, non eſt veritus aſſerere his verbis. Horum omnium, quos „ recenſui, Indorum coitus in propatulo eſt, „ ſicuti & pecorum. Color ſimilis, ac proxi„ mus Aethiopico. genitura, quam in mu„ liere emittunt, non alba, quemadmodum „ cęterorum hominum, ſed atra, vt color cor„ poris, Aethiopes quoq; emittunt. Hinc libro tertio de Animalium Ortu meritò Herodoto iratus, fabulatorem eum appellat, quòd ſeminis deuoratu conceptus in piſcibus fieri ſcripſerit. Itaq; (inquit) cùm eã „ non cernant, captu, ſiue deuoratu ſeminis, „ & ouorum, quem exploratum habent, mo„ uentur vel piſcatores, vt ſtultam illam, & „ vulgarem rationem de conceptione piſciũ „ afferãt; quam & fabulator Herodotus ſcri„ bit. quaſi ſeminis deuoratu piſces imple„ antur. Cuius etiam ſententiæ eodem capite ſupra meminit; eamq; iam pridem libro quinto Hiſtoriarum de coitu piſcium agẽs explicauerat. quibus locis ijs aſſentior, qui legendum putant perpetuò, ἀνακάπτειν, & ἀνακαψεις, quod eſt deuorare, vt Theodorus, vel vt Trapezuntius interpretatur, ſorbere genitale ſemen; non autem ἀνακάμπτειν, & ἀνακάμπσεις, quod eſt reflectere, vt Ioannes Grãmaticus legiſſe videtur in Cõmentarijs, ac vetus Interpres, habẽtq; perperam omnes vulgati codices vno excepto Sylburgiano. Eſt autem Herodoti locus, quem citat Ariſtoteles, in Euterpe, videlicet ſecundo libro, vbi ſic legimus. ἡγέονται „ δὲ οἱ ἔρσενες ἀπορραίνοντες τοῦ θοροῦ· αἱ δὲ ἑπόμε„ ναι ἀνακάπτουσι, καὶ ἐξ αὐτου κυίσκονται. quod „ eſt ad verbum. Præcedunt maſculi ſpargẽ„ tes genituram; fœminæ verò ſequentes ab„ ſorbent, & ex ea concipiunt. Nam, vt do„ ctiſsimus Budęus animaduertit, ac res ipſa docet, ἀνακάπτουσι, pariter hoc loco legendum eſt, quod eſt abſorbere, & deuorare, non cum vulgatis codicibus, ἀναλάμπουσι, vel cum Laurẽtio Valla, ἀνακάμπτουσι, quod eſt reflectere. quare cùm leuiſſima hæc, & ab omni ratione aliena Herodotus ſcribat; alia multa videatur prætermiſiſſe grauia, & vero conſentanea; certè eius teſtimonio Ariſtotelis narratio de vita octomeſtrium in Aegypto non videtur redarguenda; præſertim cùm ex Photio habeamus, Cteſiam ve-

Cap. 2.

Cap. 5.

Cap. 5.

 tuſtiſ-

tustissimum auctorem in Persicis, qui & res Aegyptiacas scripsit, ferè in omnibus repugnantia Herodoto narrasse; illumq; in multis mendacem appellasse, & fabularum scriptorem. certè Plutarchus grauissimus auctor in Opusculo de Herodoti malignitate, qui eius mendacia, & figmenta velit recensere, multis opus esse habiturum libris, memoriæ prodidit.

Adhuc secunda dubitatio confutatur. quid de Diodoro circa rerum Aegypti naturalium relationem sentiendum. Item quanta fides Historiarum libris Aristotelis sit habenda. Cap. 69.

SEd ad Diodorum veniamus, de quo verissimè similia dici possunt. is .n. ritus, sacrificia, bella, nili naturam, inundationẽ, causas inundationis, regum tempora persecutus est; de rebus naturalibus nihil, seu parum dixit; idq; etiam parum aptè; vt nil sit mirum, si hanc historiam prætermiserit. Nam libro primo de crocodilo, & fluuiatili equo agens, & fœcundissima esse hæc animalia docere volens, id probat, quia singulis annis pariant; inepta certè ratio, ac prudenti historico, non philosopho tãtùm indigna: inquit enim de crocodilis loquẽs. (Cap. 3.)

» Eorum ingens est multitudo in flumine, &
» stagnis propinquis; tùm quia fœcunditate
» excedit (singulis .n. parit annis) tùm quia
» perrarò capitur. & de equo. Fœcundissi-
» mum prole animal, vt quod singulis annis
» pariat.

At certè in senatu philosophorum equa sterile animal, siue dicere velis non fœcundum; item camelus, elephas, quæ omnia animalia singulis annis parere solẽt; quare longè melius Aristoteles, qui libro quinto Historiarum ad hanc fortasse crocodilorum fœcunditatem animũ intendẽs, hoc animal oua circiter sexaginta parere memoriæ prodidit. (Cap. 33.) De his certè, quod tertio de Animalium Ortu idem dicebat de piscatoribus Aristoteles, verè dici potest, saltẽ quantum est rerum naturaliũ ratione. (Cap. 5.)

» οὐδεὶς γὰρ αὐτων οὐδὲν τηρεῖ τοιοῦτον τοῦ γνῶναι
» χάριν. idest. horum nemo aliquid tale co-
» gnitionis gratia obseruauit.

qui enim cognitionis gratia obseruant, non solùm quę rerum naturalium generibus videntur inesse, obseruare debent; quod esse faciendũ Aristoteles libro secundo de Anim. Ortu admonuit, sed ὅσα δοκεῖ ἀληθῶς καθ' αὑτὸ ὑπάρχειν. idest. quæ per se verè inesse videntur, vt grauissimè idem quarto docuit Physicorum; quod quidem istorum video fecisse neminem; vt propterea adeò vana, ac leuia scripsisse videantur. (Cap. 6.) (Tex. 30.) quare nulla est ratio, vt ex horum scriptis Aristotelis Historiam summa fide, ac diligentia, summis laboribus, regia auctoritate, & impensis ab eo conscriptam, redarguamus. quod & postremum refellit postremo loco supra allatum. estò enim relatu venatorum, ac piscatorum multa eum scripsisse; nonne & quæcunq; referebant, diligentissimè Philosophus expendit? & an vera essent, explorauit? nonne proprijs oculis vidit multa, cùm anatomem omnium ferè animaliũ fecerit, quæ commemorat? nonne vbi opus fuit, & venatorum falsas relationes, & piscatorum condemnauit? nam & loco nuper citato quinti Historiarum de genituræ deuoratu piscatorum opinionem repudiauit; & sexto libro (id ipsum libro tertio de Animalium Ortu confirmans) venatorum pariter, quinetiam & quorundam philosophorum deliramenta circa auium generationem, & duplex hyenæ, & trochi genitale reiecit; dicens stultè, ac insigni errore hæc narrari; (Cap. 32. Cap. 5. et 6.) quod non rarò & alibi fecit in ijsdem libris: vt maiori diligentia nullus vnquam liber cõscriptus videatur, sicuti neq; etiam maiori auxilio, & fortuna; Alexandro, nimirum, magno Rege (vt Plinius pulchrè narrat) inflammato cupidine animalium naturas noscendi, delegataq; hac commentatione Aristoteli summo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum in totius Asiæ, Græciæq; tractu parere iussa; omnium quos venatus, aucupia, piscatusq; alebant, quibusq; viuaria, armenta, aluearia, piscinæ, auiaria in cura erant; ne quid vsquam genitum ignoraretur ab eo: quos percõtando, quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus condidit. (Lib. 8. Cap. 16.) quos omnes tùm metu pęnæ perterritos, quoniam iussio Regis vrgebat, tùm spe illectos præmiorum, summa diligentia obseruasse cuncta credẽdum est; vt nil sit mirum si solus potuit Aristoteles & pleraq; scire, quæ alios latuerunt, & aliorum detegere errata, ac redarguere. Præterea Philosophum in libris, quos de causis scripserat, lectorem passim ad Historiarum libros ammandare, tanquam ad eos, quibus summam, certamq; fidem vellet esse adhibendam.

Superiora plenius confirmantur. Demonstratur quam rectè scripserit Aristoteles octauo genitos in Aegypto superuiuere. Cap. 70.

AT enimuero estò, quæ de octomestrium in Aegypto vita scripsit Aristoteles, neq; ab alijs se audiuisse, neq; experientia comperisse, neq; alios auctores, qui res Aegyptiacas scripserunt, mandasse monimentis (quod tamen postremum grauissima Plinij auctoritas plenè redarguit, qui nõ solùm, quę circa Animalium Historiam scripsit Aristoteles, sed quæ etiam ignorauit, tradere professus, vt libro octauo testatur; & qui diligenti, sub felicitate summaq; p Orbẽ vniuersum potestate imperij Romani, facta obseruatione, pleraq; colligens, libro septimo translatitium esse scribit, in Aegypto octauo gigni) nonne & sola duce ratione id necessariò debuit Aristoteles affirmare? Quòd in Græcia nonnulli ex octauo genitis viuant non solùm ipse Aristoteles, sed ante illum Polybus Hippocratis discipulus, & Diocles Charystius, Hippon Metapontinus, Euriphon Gnidus, Plutarcho referente, & Censorino, scriptis mandarunt, & se obseruasse testati sunt. at hoc posito, & recepto sequitur necessariò, in Aegypto, tanquam in regione, quæ vel Hippocratis, Herodoti, ac Diodori testimonio sit omnium fœcundissima, vitæq; animalium plurimum conferat, hos ipsos partus longè magis esse vitales. Nam de Hippocrate, iam libro præcedenti vidimus, in Asiæ illa temperatissima regione, quam Aegyptum ipse vocauit, ex illius sententia fœcundiora, viuaciora omnia gigni; at verò Herodotus de hac eadem regione generaliter sic in Euterpe. Venio ad plura de Aegypto referenda, quia plura, quàm alia omnis regio mirabilia habet; & præter omnem regionem exhibet opera relatu maiora. vt nil sit mirum, etiam si nullo alio in loco viuerent octomestres, in Aegypto fieri superstites scripsisse Aristotelem. Tandem Diodorus libro tertio sic scribit. Videtur autem Sol regioni ad meridiem positæ plurimam gignendi virtutem afferre: propterea q; plurima in eis locis varia, ac pulchra animantia natura fieri. Eadem causa & in Aegypto crocodili, & fluuiatiles equi & c. quo & nititur altera ratio illa à me libro tertio, ac supra etiam explicata, quæ mea sententia vim hac in re habet demonstrationis. Si enim in Aegypto tanquam vitæ animalium amicissima monstra etiam sępius quàm alibi gignuntur; & viuunt, cur in hac regione octomestres naturales partus non viuent, tametsi partuum respectu, qui sunt perfectiores, quadam sint donati imperfectione? vt hinc palàm sit præstantissimum Philosophum ab ipsa compulsum ratione, non solùm ductum experientia, literis mandasse, octauo genitos in Aegypto esse vitales. Postremò si quis pertinaciter instaret, Hippocratem Aegyptum peragrasse, ipsiq; omnia Aegypti cognita fuisse; quid responderent aduersarij, si Clementis Alexandrini, ac Plutarchi auctoritate diceremus, Opuscula illa de Septimestri, & Octomestri Partu, Hippocratem auctorem non habuisse? certè ex tanto, & tàm graui teste nil se habere tutum, quod obijcerent Aristoteli, & partui octomestri, fatendum illis esse oporteret. quod tamen nos nec dicendum esse credimus, nec dicere volumus; qui, tametsi eos libellos ex Hippocratis prodijsse officina censeamus, & fateamur, non tamen omnes omnino octauo genitos in eis putamus repudiari, vt octauus liber demonstrabit; ideoq; constanter asserimus, inter Hippocratem, & Aristotelem nullam hac in re esse dissensionem. Verùm quòd ex Hippocratis, Herodoti, aliorumq; testimonio, qui de rebus Aegyptiacis tractarunt, nil habeatur, quod Aristotelis redarguat historiam, satis (arbitror) fuit demonstratum. Itaq; his totã iam videor quinto hoc libro de natura partus octomestris Aristotelis opinionem enarrasse; in qua quidem explicanda, si ea, quæ dixi Sole ipso illustriora, & clariora sunt; si omnia dixi hausta è fonte naturæ; si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat; item Aristotelis verbis, & ratione, idest incorruptis, atq; integris testibus; si infantes, pueri, si mutæ etiam bestiæ penè loquuntur magistra, ac duce natura, nihil esse iniquius, quàm vitali partui vitam denegare; iam quæso octomestrium hostes exaudita quasi ipsius naturæ voce, sic eam firmè, grauiterq; comprehendant, vt nil audeant in posterum de illorum pernicie cogitare. Nunc Hippocratis opinio proximis tribus deinceps libris, sexto videlicet, septimo, & octauo narranda superest: qua quidem in re non solùm cum

Cap. 16.
Cap. 5.
Cap. 12.

iurisprofessoribus, sed cum Medicis ferè omnibus maius mihi negotium parari video; ea maximè de causa, quòd in eorum animis insederit, inueterataq; sententia fuerit, Hippocratem omnes octomestres partus omnino enecare; quod ex quamplurimis operum ipsius locis colligi inquiunt apertisimè, qui sigillatim adducendi sunt sequentibus libris, atq; accuratè ventilandi, vt veritas pro virili elucescat.

FINIS QVINTI LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA

LIBER SEXTVS.

Proponuntur loca ex Hippocrate potiora, in quibus ipse octauo mense genitos superstites non esse videtur asserere. Cap. I.

DIVINI Hippocratis mens enarranda est veterum philosophorum magistri, ac præsertim Aristotelis hoc quidem ordine, vt primùm loca, vel omnia, vel saltem potiora legentium oculis subijciamus, quæ ex multorum opinione octomestribus aduersantur; deinde verum illorum sensum exquiramus, atq; an id verè dicat Hippocrates, videamus. exactissimam interim illorum omnium disputationem instituentes, quæ ad ea intelligenda cognitu sunt necessaria: quæ tot, tantaq; sunt, vt vix tribus sequentibus libris commodè à nobis potuerint comprehendi. Primùm igitur illud ex libello de Carnibus, seu de Principijs in medium adducunt, vbi diuinus Senex septimestres vitales esse scribens, de octomestribus ita statuit. ὀκτάμηνον δὲ γεννόμενον, οὐδὲν βιοῖ πώποτε. quod est ex Calui conuersione. Mense autem octauo nullus vnquam vixit. vel vt Cornarius. Octimestris autem natus nullus vnquam vixit. Seu vt Lalamantius. At octauo mense editus nullus vnquam viuit. aut demum vt Ludouicus Mercatus, quemadmodum secũdo libro patuit. Octimestris verò generatus nulla ratione viuit. in quem locum egregiam scholam faciens ipse Lalamantius Heduus Medicus eruditissimus, notat, tametsi rationem citatis verbis non reddat Hippocrates, qua fiat, vt octomestris partus minimè sit vitæ compos, argumẽto tamen à contrarijs ducto licere eam facilè colligere. cùm enim astruat ibi diuinus Senex septimestres, & nonomestres partus idcircò vitales esse, quòd plenas, & integras septimanarum decadas nulla excurrẽte septimana sunt consecuti; certè octomestres ideo vitales non esse voluit, quòd plenas septimanarum decadas non expleuerint. Septimestris nanq;, vt declarat Hippocrates, qui confecto mense septimo nascitur, integras tres septimanarum decadas explet, decimestris quatuor item integras, vnde & vitæ fiunt compotes. constat enim vna septimanarum decas diebus septuaginta; atq; tres decades septimannrum sunt dies 210. quod est spatium septimestriũ. quatuor verò decades dies sunt 280. quod spatiũ cõficit nonomestrium, seu, vt verius dicam, eorum, qui decimestres ab Hippocrate propriè appellãtur. Octauus verò mensis initium dat quartæ decadi hebdomadarum, vt qui illo mense etiam confecto nascantur, tres tantùm decadas hebdomadarum cum quatuor septimanis quartæ decadis fint consecuti: vnde cùm ad integræ decadis quartæ perfectionem sex septimanæ deesse comperiantur, fit, vt octomestris, quia scilicet plenas, & iustas septimanarum decadas non est consecutus, viuus quidem nascatur interdum, sed diù viuere nullo modo possit. Secundo loco enigmaticum illud oraculũ ex libello de Alimento tanquam octomestribus infestissimum affertur, vbi sic scriptum reliquit Hippocrates. Ἐς ἐκπλωσιν ΣΜ. οὐκ ἔστι καὶ ἔστι. idest ex Lalamantio. Partus ducentorum quadraginta dierum non est, & est. qua ieiuna, concisa, & pugnante oratione indicat de cõmuni ferè sententia, eum, qui octauo mense natus sit (octauus enim mensis diebus ducentis quadraginta circũscribitur) natum quidem viuum esse, sed quia non ita diù victurus sit, esse non videri. quam explanationem Sabinũ quoq; illustrẽ Hippocratis interpretem secutum fuisse, primo libro ex Gellio, Tiraquelli placita referentes, demonstrauimus. & quidẽ tàm multa sunt, quæ Hippocrates in hanc sententiam videtur protulisse, vt nil sit mirum, si ex schola medica permultos in hanc perduxit opinionem, octomestres scilicet partus, nullatenus de eius mente viuere posse. Nam & libello de Septimestri, & Octomestri Partu, ne aliunde testimonia mendicemus, sæpissimè idipsum decantasse visus est: primùm enim libello de Septimestri Partu (quod tertio considerandum hîc subijcio) ita scripsit. Si enim in his

Schol. 20.

his laboribus succedant, vt in conspicuum prodeat puer, impossibile est superstitem esse ob prædictas affectiones, quas ego octimestres perimere dico, immò etiam multos decimestres. Et paulò post (quod in ordine quartum erit expendendum) monens de partu mulieribus fidem non esse derogandam. Quæ verò iudicio præditæ sunt, & victoriam de hac sententia pronunciant, semper dicunt, ac testãtur, nasci septimestres, & octimestres, & nonimestres, & decimestres, & vndecimestres, & ex his octimestres non superstites manere, alios superesse.

Quinq; alia adducuntur loca, quę videntur octomestribus esse contraria.
Cap. 2.

IAm verò neq; hæc tantùm octomestribus videntur aduersari, sed alia plura loca idem sonant; siquidem memorato Opusculo infra (quod quinto erit considerandum) ita scribit. Quicunq; autem natus fuerit in his quadraginta diebus, eum impossibile est superstitem manere; ægrotanti enim adhuc ipsi in vtero transmutationes, & afflictiones post partum accedunt. loquitur enim hîc Hippocrates de sexto quadragenario, qui octauum mensem ambit, in quo ægrotare fœtum ipse censuit, vt paulò infra his verbis apertissimè declarat. Alter quadragenarius est, in quo circa octauum mensem fœtus in vtero ægrotant, de quibus hic totus sermo institutus est. Sextò octomestribus negotium facessit, quod initio libelli de Octomestri Partu scriptum in hanc sententiam reperitur. De octomestri Partu sic sentio. Impossibile est, vt duas consequenter succedentes afflictiones pueri ferre possint, & propterea octimestres non superstites manere. Contingit enim ipsos consequenter affligi, tùm ea, quæ in vtero fit afflictione, tùm ea, quæ in partu accedit; & ob id nullus octimestris vitalis est. atq; huc tendunt, quæ in ijsdem opusculis de octaui mensis scribit infelicitate; nempè rectè mulieres asseruisse, difficillimè se octauo mense vteros ferre: item si fętus mancus oriatur, censendum esse hunc octauo mense fortiter ægrotasse. Septimò

Sect. 6.

& illud maximè aduersatur, quòd secundo Epidemicon Hippocrates menses enumerans partui naturali idoneos, octauum videtur reliquisse; sic enim scribit. Puer nutritur septimo mense, aut nono, aut decimo; & voce firmatur, & robur sequitur, & manibus validus fit. Octauò alterum illud sexti eiusdem operis oraculum reluctari plurimùm videtur. Quicquid in septuaginta mouetur, in triplicitate perficitur. & quicquid in nonaginta mouetur, in triplicitate perficitur. enimuero hoc in loco, vt Ludouicus Mercatus etiam animaduertit, septimum, & nonum tantùm menses videtur recipere. Nonò demum repugnat, quod in eandem sententiam scriptum video libro primo de Diæta, vbi Hippocrates septimo itidem, ac nono perfectũ nasci partum affirmans, octauum videtur repudiare. Hæc igitur Hippocrates; vt nullus ex tot, tantisq; auctoritatibus relinqui videatur locus dubitandi, præiudicatam à tot iam seculis ipsius opinionem hanc esse, & nullam aliam, octomestres partus nullatenus posse vita potiri: vt Iurisperiti, qui Iurisconsultorum exemplo tantopere Hippocrati tribuunt, iusta de causa eos reiecisse videantur, imperfectos, abortiuos, ac illegitimos partus esse pronunciantes. Quæ omnia cùm mecum ipse diù, multùmq; cogitarem; tametsi graue non videretur hac in re aduersus Hippocratem cum Aristotele in sententiam ire; quando non cuiusuis auctoritati, sed rationi tantùm, & experientiæ fides sit adhibenda; vnde & aduersus Hippocratem in plerisq; Galenus, vt egregiè Valeriola libro quinto Enarrationum Medicinalium ostendit; aduersus Platonem, quin etiam & vniuersam veterum Philosophorum turbam Aristoteles; & aduersus Gnidos Medicos ipsemet Hippocrates pro veritate steterunt; præsertim cùm neq; hoc vnum tantùm sit, in quo Aristotelem ab Hippocrate desciuisse multi docti viri arbitrantur; cùm de genituræ ortu, & natura; de fœminarum semine; de pullorum ortu ex vitello, vel albumine; de Austri flatus origine; de ventorum essentia, ac de alijs multis dissensisse à præceptore Hippocrate Aristotelem communis opinio credat: vt nil propterea mirum videri debeat, si alter octauo mense genitos omnino reijceret, alter eosdem vitales esse scriberet. hæc inquam cùm animo versarer, atq; Aristoteli in hac quæstione assentiendum esse, deserendum Hippocratem, nulla apud me esset dubitatio; quoniam tamen grauiter admodum patiebar, duo clarissima, ac præcipua totius reipublicæ literariæ lumina, quorum potissimũ sententias adamamus, in vlla re, sed præsertim in tanta, nedum diuersas, sed contrarias etiam habuisse opiniones; idcircò

Sect. 8.

Enarrat. 2.

cœpi

cepi cogitare, an id mihi contingere posset, quod in quibusdam alijs euenit; vt scilicet spes aliqua orietur huius litis componendæ. Cùm enim in Anemologia abũdè à nobis ostensum sit, nullam esse inter Hippocratem, & Aristotelem de Ventorum natura dissensionem, licèt motum aeris ventum esse Hippocrates asseruerit; secũdo libro de Hippocratica anni ratione de origine Austri nullam; primo de Monstrifici fetus formatione nullam demum de geniturae ortu, & natura, ac de mulierum agẽdi modo, fauẽte DEO, simus ostẽsuri: nõ desperabamus, si accuratius ad veritatis normã rem hanc reuocaremus, idem posse de octomestri quoq; partu demonstrari: ac factũ quidem est, vt post diuturnam hęsitationẽ nõnulla succurrerẽt, quę litem omnem, & contrarietatem funditus auferre viderentur. quæ quidem non ideo adducimus, vt aliorum dogmata nouo nostro dogmate euertere profiteamur; sed vt nostris, qualescunq; sint, laboribus veritati pro virili opitulemur.

Ann. 3. sup tex. 18. lib. de Ventis.

Sect. 3.

Com. 3. part. 14.

Aph. 18.

Qua methodo Hippocratis vera sententia de partus octomestris natura venanda sit, proponitur indagandum. Cap. 3.

SI igitur ad ea primùm, quæ libello de Principijs ab Hippocrate dicuntur, animum intendamus; si quod nam fuerit ibi consilium ipsius, consideremus, & quis scopus disputationis; si locum illum cum alijs Hippocratis verbis conferamus, ingentem quidem videbimus tantis tenebris lucem accendi; quonẽ modo reliqua eius loca interpretanda sint, facilè assequemur. Tractans enim ibi plura de singularũ partium corporis humani principijs diuinus Senex; item de corporis augmento: atq; augescere hominem vbi conspicuus euadit scribens; conspicuum verò fieri maximè à septennio vsq; ad decimum quartum annũ; & in hoc tempore tùm maximos ex dentibus, tùm alios omnes nasci, postquam exciderint hi, qui ab alimento in vtero capto nati sunt: item augescere etiam in tertium annorum septenarium, in quo adolescens fit, vsq; ad quartum, & quintum septenarium: quin & in quarto septenario dentes enasci plerisq; hominibus duos, qui sapientiæ dentes appellantur. cùm de augmento humani corporis hæc dixisset, ac de tempore ortus dentium; considerãs Senex sapientissimus se his omnibus septenarij numeri maximam vim esse in natura humana gubernanda ostendisse, vt id clarius doceat, non multò post tantum naturæ arcanum vberius explicare aggreditur; nempè septendiariam esse hominis vitam, hoc est naturam humanam ea lege conditam, vt septenaria hæc periodus & dierum, & mensium, & annorum potissimum eam moderetur; ita ut plurimis, & maximis mutationibus his temporibus reddatur obnoxia, & quasdam quasi crises efficiat, & accessiones. Hinc ait citato loco, genitură, postquam in vteros peruenit, & concepit mulier, in septem diebus conformari; quod tamen dictum quo modo intelligendum sit, ne cum altero de sex dierum genitura libello de Pueri Natura pugnet; quin etiam & cum alio illo ipsius dogmate à nobis tertio libro allato, quòd trigesimo die mares, quadragesimosecundo fœminæ, & non antea articulentur; partim ipso tertio libro diximus, partim infra etiam extremo hoc libro dicemus. Hinc addit ad idem comprobandum, si quis in septem diebus nihil edat, & bibat, plerunq; emori. Hinc demum septimo mense, & decimo genitos esse propterea vitales, octauo autem editos nequaquam, quia septenariam hanc periodum retineant illi; hi verò non retineant. Quod totum vt euidentius probet, admonet non secus in partu contingere, quod in acutis morbis, & magnis capitis vlceribus vsu venit; vt scilicet, sicuti huiusmodi hęc dies habent proprios ad septenarij rationem subductos, in quibus iudicantur, vel in bonum, vel in malum; sic & partus dies proprij sint, & menses, ex quibus, si in illis edatur, de vita, & morte pueri sit decernẽdum; atq; hæc est Hippocratis oratio. Habet autem & septimestris partus tres denarios, seu decadas hebdomadarum, & in vnaquaq; decade septuaginta dies. Tres verò hebdomadarum decades ex toto sunt dies ducenti & decem. Quin & morbi acutissimi sic hominibus fiunt præteritis diebus hebdomadis dimidiæ, aut vnius, in quibus iudicantur, & moriuntur, aut sani euadunt: & tertij generis in vndecim diebus, hoc est vna & dimidia hebdomade: & quarti in duabus hebdomadis: & quinti in duo de viginti diebus, hoc est duabus & dimidia hebdomadis. At verò alij morbi non habent, vt certa sententia pronunciari possit, quãto tempore homines ab ipsis sani euadant. Ad eundem modum etiam vlcera magna in capite, ac reliquo corpore, quarto die inflammari incipiunt, in septem autem inflammatio sedatur; aut etiam quat-

» quatuor & decem, aut duodeuiginti. Si
» quis autem diligenter medeatur, & vulne-
» ra in capite magna in hoc tempore non se-
» deantur, homines moriuntur.

Superiora fusius explicantur. Ostenditur, Hippocratem duplicem in rebus naturalibus periodum agnouisse. Cap. 4.

HAnc sententiam cùm viderent quidam oculati medici repetitam libello de Septimestri Partu, statim in eam abiere opinionem, vt dicerent crisimorum dierum lege humanos partus esse iudicãdos; enimuero Hippocrates clara admodum oratione hoc idem his verbis sentire loco illo visus est. Verùm enimuero conceptus, & abortus, & partus mulieribus in eo tempore, in quo etiam morbi, & sanitas, & mors omnibus hominibus, fiunt. hæc verò omnia partim secundum dies, partim secundum menses, partim secundum dierum quadragenarios, partim secundum annum significationem sui præbent. In omnibus enim his temporibus insunt ad vnumquẽq; & vtilia multa, & hostilia multa. Ex vtilibus igitur sanitas, & augmentum contingit: & ex contrarijs morbi, & mors. Dies quidem igitur maximè insignes in plurimis sunt primi, & septimi, multùm potentes in morbis, & multùm in fętibus. Nam plurimi abortus in his diebus fiunt; nominantur autem tales effluxus, non abortus. Verùm alij dies intra quadragesimũ insignes quidem minus sunt, multi verò iudicant. Cęterum in mensibus eadem, quæ in diebus fiunt, iuxta rationem insũt. Menses enim mulieribus sanis singulis mẽsibus apparent, tanquam peculiarẽ in corporibus vim mensis habeat. Vnde sanè septimi menses his, quæ vterum gestant, fętus in principium perfectionis constituũt. Pueris verò, vbi septem menses a natiuitate impleuerunt, tùm alia vtilia in corporibus fiunt, tùm dentes in eo tempore apparere incipiunt. Eadem ratio est etiam in decretorijs diebus; si quidem fortassis vna cum his, quos recensui, coniungere quis velit, historiæ, ac cognitionis gratia referuntur. Etenim medicum, qui ægrotorum salutem rectè coniectare volet, animaduertere quidem oportet, & cõtemplari omnes dies; ex paribus verò decimum quartum, & vigesimum octauum, & quadragesimum secundum. Hic enim terminus ponitur in quibusdam harmoniæ rationi, & integer, ac perfectus numerus: verùm ob quam causam, longius fuerit in præsenti exequi. Hæc ille; quę quidem Hippocratis oracula cùm attentè considerarem, atq; inter se conferrem, videns dierũ quoq; parium in eis haberi mentionem; etenim dixit. ex paribus verò decimum quartum & c. statim in mẽtẽ venit, eiusdem Hippocratis decreto primo Epidemicon duplicẽ in natura accessionem reperiri; alterã quæ diebus paribus, altera quæ imparibus fieret; siquidem ita statuit diuinus Senex loco illo. (Sect. 3.) Quæ verò paribus diebus exacerbantur, paribus iudicantur. Quorum autem exacerbationes in imparibus fiunt, ea imparibus iudicantur. quem locum Galenus ita explicat. (Com. 3. part. 14.) Primùm itaq; dicit, decretorium diem esse parium dierum quartum: inde sextum: post hunc in plerisq; exemplaribus est scriptus octauus, tùm decimus & c. Vnde & infra idem Galenus (Aph. 18.) in eandem senteutiam, de paribus diebus sermonem habens, scripsit. Atqui vbi quarto die vrinæ nigræ permanerent, & accessiones fierent diebus paribus, si quidem ætate, & robore virium repugnasset, ad octauum diem ægrum suffecturum probabile erat: sin secus, die sexto diem suum obiturum esse. quæ quidem omnia docent abundè duplicem in natura periodum inueniri; parem alteram, alteram imparem, quibus mutationes, & crises plurimæ in ipsa eueniant: & paris quidem ordinem ita progredi, vt quartus, mox sextus, deinde octauus, decimusq; & reliqui eadem ratione considerentur; imparis verò rationem ita spectari, vt primum locum tertius habeat, deinde quintus, mox septimus, nonus, & vndecimus sequantur. quod totum memoria tenens optimus Hippocratis enarrator Galenus primo libro de Dieb⁹ Decretorijs, hũc paris, imparisq; periodi progressũ τῶν παροξυσμῶν ἀναλογίαν, idest accessionum proportionẽ vocauit; (Cap. 8.) & paulò post notatum reliquit, (Cap. 11.) periculosis symptomatis præsentibus vna cum aliqua concoctionis nota quarto die apparente iudicium, si paribus diebus accessio fiat, sexto expectandum esse; quòd si hunc excesserit, octauo; si imparibus, septimo.

Quæ de periodo pari, & impari dicta sunt, vberius comprobãtur: demũ qua methodo de octomestri partu ex Hippocrate iudicãdũ, aperitur. Cap. 5.

HInc axioma illud Medicorum ortũ habuit,

Cap. 1. buit, à Galeno tertio libro de Diebus Decretorijs confirmatum, acutos morbos imparibus, longos paribus decerni, & iudicari; quod tamen malè tutum alicui videri

Part. 11. posset animaduertēti, quarto Epidemion ita Hippocratem scriptū reliquisse. Sexta Virgini iudicata, sexta reuerterunt. iudicata verò sunt omnia per sextam. In his temporibus sexta, & octaua iudicabantur. his enim acutos quoq; morbos, non solùm lōgos paribus interdū ostēdit iudicari. quē locū ita Valesius explicauit; eius nanq; enarratio tota afferenda est, vt hinc facilè sequenti disputatione ostendamus, quantùm hi octomestrium hostes sibi cōstent. inquit igitur sic. Nimirum illis temporibus sextā, & octauā contingit esse iudicatorias. Id quod certè fieret, quòd morbi essent acutissimi, & mouerentur per pares. Nam vt acutissimi, qui per impares mouentur, finiuntur septima; ita qui per pares, finiuntur sexta, aut octaua. Quæ omnia si ad veritatis normam expendamus, probāt apertissimè, vt superius dicebamus, duplici periodo naturam vti, quarum altera imparibus vel diebus, vel mensibus, vel annis res ipsas metiatur; paribus altera: vt meritò libello de Ventorum Signis monumētis mādauerit Theophrastus, duplicem hanc periodum respiciens, Aquilonares flatus vt plurimum imparibus diebus, Austrinos paribus iudicari. quod & Plinius sic ex Ve-

Cap. 47. terum itidem monimentis secundò libro confirmauit. Septentriones impari ferè definunt numero: quæ obseruatio & in alijs multis rerum naturæ operibus valet. quin etiam & hoc addendum (quod maximè notandum venit) easdem hasce periodos interdum ex eiusdem naturæ decreto eidem rei conuenire, si genus, vel speciem spectes, non tamen indiuiduum; licèt altera illarum conueniat magis, vt paulò supra acutorum exemplo Valesij auctoritate ostendebamus. ex genere enim, vel specie acutorum alij imparem, alij interdum parem periodum admittunt; sed non tamen idem numero acutus, qui parem sectatur, in impari terminum habebit. quod quidem cùm pleriq; non animaduerterent, ab Hippocratis vera sententia, in multis, præsertim in natura octomestris partus indaganda, toto cœlo aberrarunt. quandoquidem hoc iacto fundamento, atq; hac recepta veritate, facilè ad omnes illas auctoritates, quæ octauo mense genitos interimunt, vt suo loco ostendemus, responderi potest. Porrò vtranq; hanc periodum rebus per-

multis naturalibus conuenire, sed maximè imparem, sæpè clamat Hippocrates multis in locis; sed potissimum, præter ea, quæ adducta sunt, quarto etiam de Ratione Victus acutorum, scribēs signorum multa fieri in die impari, magis quàm pari; ex quò

Aph. 61. & quarto libro scribit Aphorismorum, nisi die impari febris reliquerit, recidiuæ esse periculum. quo tamen in loco Galenus, ne paribus diebus, secus quàm alibi scriptum fuit, iudicandi potestas ablata videatur, pro impari, iudicatorio, legendum esse consulit. dimensionem enim recipere vt plurimum periodo impari natura exposcit, & eam totis viribus affectat; vt hinc solos dies impares potentes esse ad iudicandum de Hippocratis sententia nonnulli, tametsi malè, statuant: cùm à pari periodo, eodem teste, natura non abhorreat: vnde

Cōtex. 83. tertio Epidemicon Larissa Virgo, cùm febri esset soluta sexta die, amplius non recidit. quod quidem Aristoteles considerans, quasi eos redargueret, qui solam imparem periodum, ac per septenariū, hebdomadasq; progredientem admittunt, in

Cap. 17. calce septimi Politicorum aperto ore pronunciauit, eos, qui per hebdomadas ætates diuidunt, vt plurimum egregiè falli; cùm naturæ diuisionem sequi oporteat: quasi diceret naturam hominis non in omnibus septenariam periodum sequi, & imparem, sed parem quoq; affectare; idcircò naturam ipsam rei sequendam, inspiciendamq; esse. Causam autem, atq; vt Hippocrates appellat, naturæ necessitatem, cur septenariam hanc periodum, & imparem ipsa potissimum exprimat, & affectet, & cur in septem tàm multa in ea dispensentur; ad finem libelli de Principijs, & Opusculo de Septimestri Partu idē ipse Hippocrates, vt quod magis curiosa ingenia desiderant subticeret, se alibi dicturum promittit; nos autem dum hìc venari cogimur, & aperire, vt temporum, mensiumq; humani partus cum diebus crisimis consensionem, causamq; consensionis assequi valeamus; item cur parem quoq; periodum natura non despiciat (quoniam Hippocratis, & Galeni mente hac de re non perspecta, nullo modo eorum sententia de Octomestris Partus natura attingi potest) magnam illam, ac perdifficilem nobis prouinciam dari cernimus, vt dierum criticorum causam explicemus: qua in re, licèt summa auctorum dissensione certetur, varijs tamen sententijs prætermissis, quæ ad veritatis similitudinem videtur nobis

 bis

bis esse propensior, quatenus disputationi huic opus erit, breuiter percurrenda est; atq; diuinum auxilium implorandum, vt tàm graui opere, quod sibi locus iste depoposcit, pro dignitate perfungamur.

Cur de criticis diebus hoc loco disputatio instituta; quid tractandum. Galeni de dierum crisimorum causa ex Ioanne Pico sententia.
Cap. 6.

PErquirenda igitur dierum crisimorum causa, vt hinc eorum consensio eluceat cum partus temporibus, causaq; consensionis; item cur tantopere imparem adamare, & hebdomadicam periodum natura videatur: causa nanq; cognita dierum crisimorum, quæ sit etiam ista necessitas apparebit, vt per septenos tùm dies, tùm menses, tùm annos, insignes in ipsa eueniant mutationes; item qua ratione diem septimum, & quadragesimum, dierumq; quadragenarios, ac menses septimos in fœtibus tantum posse dixerit Hippocrates; demum cur naturę lege humanus partus septimo mense ineunte maturescat. quo loco inter disputãdum de climatericis annis, de quibus tàm mira multi finxerunt, quædam non iniucunda afferemus; tentantes an rei tantæ causam, & longè, quàm alij fortasse fecerint, probabiliorem, inuenire valeamus; peripateticisq; dogmatibus magis consentaneam. Verùm in crisimorum dierum causa inuestiganda totus disputationis nostræ scopus in eo versabitur, vt Galeni mentem hac de re aperiamus, quem veras, naturalesq; illorum causas, Hippocraticæ, peripateticæq; philosophię summè consentientes (quanquam plerisq; in Arte etiam Medica primarijs reclamantibus) non dubitamus tertio libro de Diebus Decretorijs explicuisse: quorũ in Galenum ipsum argumentationes, vt veritas magis eluceat, primo loco adducendæ nobis sunt, vt eas post expositam Galeni mẽtem pro virili parte refellamus. Vexarunt autem præ cęteris hac in re mirificè Galenum Ioannes Picus, Fracastorius, Manardus, Valeriola, Valesius in Philosophia, ac Medicina eminentissimi. Quorum Picus totius belli dux, & auctor tertio libro in Astrologiam ipsius sententiam ita explicat. Galenus, inquit, ad Lunam referens dies iudicatorios, duplicis meminit lunaris influentiæ; quarum altera sit à Sole, cuius accipit Luna lumen, altera à Signis obliqui orbis, quæ motu proprio singulis mensibus permeat Luna. Tùm ponit ex sententia Astrologorum, quasiq; experientia cõprobatum, in oppositis locis, atq; quadrangulis magnas à Luna commotiones excitari; quod tàm in habitudine eius ad Solem, quàm etiam ad Signa nulla Solis habita ratione verum esse contendit. Ad Solem; quoniam cùm fit Luna diuidua (fit autem in quadrangulis ferè locis à coitu) rursus cùm impletur, quod in oppositis locis est, aeris statum, & tempestatem immutet. Ad Signa per hunc modum; vt quicquid cęperit posita Luna verbi gratia in Tauro, semper accidat in ea re mutatio, cùm peruenerit Luna deinceps ad Leonem, & Scorpium, & Aquarium; quæ sunt loca Tauro tetragona, vel aduersa. Confirmat hoc auctoritate Aegyptiorum asseuerãtiũ, si in alicuius genitura Ariete (quod pro exemplo sit) stellæ felices insederint, natum benè se habiturum, quoties Luna aut Taurum, aut quadrata signa, vel opposita permeauerit: contra malè, si infelices. Hinc putat Galenus criticorum dierum causam fieri euidentissimam. sunt enim præcipuè critici septimus, & quartusdecimus: peruenit autem Luna septimo die ad signum ab illo quartũ, quod tenuit inchoante morbo; decima verò quarta ad signum oppositum; cùm septem & viginti diebus & tertia ferè diei parte restitutionem suam absoluat. Cùm igitur Luna in his locis, quadrangulis scilicet & aduersis, citet commotiones, efficit per hos dies, septimum scilicet & quartũdecimũ, quibus ad ea loca peruenitur, vt morbi quoq; tumultus excitetur; ad salutem quidem ægritudine prospera; ad mortem perniciosa. Quoniã verò putauit Galenus diem vigesimum criticum esse, non vigesimum primum, quod credidit Archigenes; elaborauit reddere rationem, quo modo ipse quoq; vigesimus dies septimus esset: & primùm hoc nec absurda, nec difficili probatione monstrauit. Nam cursus quidem Lunæ diebus 27. & horis octo adiectis consumantur; quod si in quatuor hebdomadas partiaris, erit hebdomada quælibet ex diebus sex horis 20. quare hebdomadæ tres dies dabunt 20. horasq; 12. quocirca vigesimus primus dies, hoc est hebdomadicus tertius in Lunari cursu, partim ad vigesimum diem naturalem, partim ad 21. pertinebit. Nam eius horæ 12. vigesimum terminabunt, reliquæ primum & vigesimum inchoabunt. atq; ita fiet critica commotio die vigesimo perueniente Luna ad secundum quadrangulũ

Cap. 16.

in hebdomada scilicet tertia. Rursusq; eandem non effugiet rationem, si ad vigesimam primam naturalem diem defferatur, quod in acutis solet ægritudinibus euenire, sicut illud in diuturnioribus; harum ambitu quidem per pares, illarum per impares numeros discurrente. Hoc postquã dixerat ipse Galenus, nouum commentum excogitauit, per quod colligeret aduersus Archigenem vigesimam totam esse criticã, vigesimam primam non esse: inquiens ex tempore, quo ad Solis coitum Luna redit, quod dierum est 29. hor. 12. demendos esse dies tres, quibus Luna non apparet obruta Solis radijs (ferè enim tres dies occulitur) quoniam tùm vim permutandi inferiora non habet; & reliqui erunt dies 26. horæq; 12. atq; hos dies, quod est cœli spatium lucentis Lunæ, peragrationis mensi, qui est dierum 27. hor. 8. esse adijciendos; vt summa sit dierum 53. hor 20. eiusq; medietas dierum 26. hor. 22. quod spatium cogitauit Galenus mensura non irrationabili positioni dierum criticorum, quasi cùm dimidium existat dierum, quibus Luna permeat Zodiacũ, & à Sole illuminatur, duplicẽ etiam in se Lunaris influxus potestatem complectatur: & quæ scilicet est à Signis, & quæ à Sole: quarum vtranq; fieri commotionem in morbis etiam verisimile. atq; hic postea numerus à posterioribus ex Galeni auctoritate mensis medicinalis dictus est: sicuti eum, qui dierum est 29. hor. 12. synodicum, & coniunctionis; qui ex diebus 26. hor. 12. manifestæ visionis, seu apparitionis, illuminationisq; qui ex 27. & horis 8. peragrationis mensem vocant. Ex hoc igitur inuento quod volebat Galenus assequebatur aduersus Archigenem; nam si totus mensis dierũ est 26. hor. 22. erunt hebdomadæ huius mensis singulæ ex diebus sex horisq; 17. cum dimidia; quare medietas mensis dies 13. hor 11. itaq; septimæ diei naturalis primæ horæ vsq; ad decimam septimam, ad septimam quoq; medicinalis mensis diem spectabunt, proptereaq; erunt criticæ; reliquum diei ad octauum medicinalem diem pertinebit; decimaquarta dies naturalis vndecim tantùm habebit primas horas ex postremis decimęquartę medicinalis, cuius antecedentes horæ 13. cum decimatertia die naturali computabuntur. tertiam verò hebdomadam medicinalem, cùm sit hebdomada quælibet dierum 6. horarum 17. cum dimidia, patet terminari in vigesima die naturali tantùm quatuor horis & dimidia parte horæ superexcedentibus, quæ in vigesimam primam referuntur. Atq; ita conficitur quod Galenus in primis optabat, & cuius gratia hoc totum commentũ fabricatus est, vt dies vigesima longè magis quàm vigesimaprima hebdomada consequentiq; ratione critica putaretur. Hęc est Galeni sententia à Ioanne Pico viro sũmo explicata, quam proprijs etiam ipsius verbis in medium adduximus. reliquum modò est, vt quibus eam rationibus vir tantus reijcere conatus sit, breuiter videamus.

Ioannis Pici in Galeni enarratam sententiam argumentationes, quod pertinet ad medicinalem mensem, mixtumq; Lunæ influxum, ac virtutem à Sole receptam. Cap. 7.

CRisimos dies, quos iudicatorios dixeris, ad Lunam referri tàm falsò, quàm superstitiosè inquit Ioannes Picus. quod vt latius probet, Galeni expositam opinionem multis labefactare argumentationibus tentat, & longa oratione: quæ omnia sic premere in præsentia consilium est, & perstringere, vt satis nobis videatur, si illa attingamus. Cùm autem Galenus, mensẽ faciens medicinalem, & apparitionis mẽsem cum peragratorio miscens, mixtum quasi quendam influxum introduxisse videatur, qui præcipuè dies crisimos excitaret; idcircò Ioannes Picus, vt nullum Galeno, eiusq; sectatoribus relinqueret locum, quo se se recipiant, aggreditur demonstrandum, non solùm dies crisimos ad Lunam referri non posse, siue receptam à Sole, siue a Signis virtutem in ea consideremus, sed neq; etiam mensis huius, mixtiq; in eo influxus ratione: atq; primo loco hoc postremum membrum sic refellit. Luna si in quadratis loco alicui primordiali Signis, vel oppositis commotiones suscitat; rursusq; cùm quadrangulis, & oppositis Solis radijs illuminatur; non igitur hos ab ea euentus expectare possumus prętérquàm his temporibus, quibus altero illorum modorum se habet, si de illis scilicet causis euentus expectatur. at medicinalis mensis cum nullo horum temporum congruit, nec cum vtroq; simul; igitur mixtus in eo influxus omnino nihil. Probatur id, quoniam dicendum est Lunam vtroq; tempore parere tales effectus pro cuiusq; temporis habitu, & constellatione: at misceri

vtriusq; constellationis virtutem in eo tẽpore, quo nulla illarum constellationum inuenitur, nõ alio argumento quàm quòd tempus illud medietas sit summæ vtriusq; temporis simul connumerati; hoc planè delirium videtur. nam seruari, constariq; horum virtutem in eo tempore, quo ista non sunt, nimis absurdum, & commentitium. Hac ratione arbitratur Picus Galeni dogma mirificè conuelli; quasi in hebdomadis istius sui mensis medicinalis, & eius medietate vim istam excitatricem esse putauerit, non autem in hebdomadis, aut medietate mensis, quo à Sole Luna illuminatur, vel Zodiaci signa percenset: vt huius mensis vis ad Astrologicos nullos influxus redigi posit; hoc est nec ad quadrata, vel opposita signa, nec ad quadrangulares oppositasuè Lunæ cum Sole stationes. Secunda ratio talis est; si mensis huiusmodi medicinalis per mixtum quasi quendam influxum receptæ à Sole, & à Signis virtutis dies crisimos regit, ac moderatur; igitur vtraq; simul regit, ac moderatur; at qui crisimos dies Lunæ cursibus coaptare conantur, nunc quidem hoc, nunc illud tuẽtur, nunquam vtrunq; simul: igitur mixtus huiusmodi influxus omnino nullius. Quæratur enim cur quartadecima dies critica sit, ad peragrationis mensem se recipient; quoniam per eam diem ad opposita signa Luna deueniat; cùm medicinalis mẽsis ratio non sufficiat. siquidem hebdomada eius secunda in diem 13. naturalem incurrit; supersuntq; ex ea hor. 11. tantùm ad quartamdecimam pertinentes. quare hoc modo dies 13. naturalis plus critica pronuncianda erit quàm decimaquarta, cùm illa horas 13. criticas, hæc tantùm vndecim habeat. Hic ergo relicta virtute mixtionis, & factitij mensis ad peragrata Zodiaci spatia confugient, quorum ratione dies decimaquarta horas 16. habere inuenitur; proindeq; plus esse critica monstratur. Contra vt 20. diem criticam faciant mense Galeni non peragrationis vtuntur. Tertia obiectio, quæ & secundam quoq; rationem comprobat, talis est. Si quis ægrotet pridie quàm Luna coeat, habeatq; diem septimam criticam; id ex influẽtia potestatis tàm à Sole receptæ quàm à Signis esse nequit, cùm maximam partẽ eorum dierum sicuti nec lumine Sol Lunã afficit, ita nec solari virtute nos Luna auctore ipso Galeno; itaq; non mixto influxu, sed eo tantùm, quem à Signis habet, septimam Luna criticam faciet. Quarta. Hic Galeni mensis naturæ moneta non videtur percussus; ita enim excuditur quasi tres dies Luna semper à Sole obtegatur, ideoq; mensis manifestę visionis dierum 26. hor. 12. à Galeno supponitur; ex cuius mixtione cum peragratorio mense, æqualiq; mox diuisione Galeni mensis prodit. At & mane quandoq; conspicitur priusquã Sol exoriatur; & vespere eius diei nouaculari facie: quod & experientia indicat, & testatur Alphraganus. Atq; hæc Picus aduersus hunc Galeni mensem, ac mixtum influxum. Quòd verò synodici mensis ratione ob virtutem à Sole receptam (quam & solidam, & naturalem esse fatetur, ad eamq; maximè dies criticos pertinere, si nos morbi semper in nouilunio aggrederentur) crisimos dies Luna non efficiat, vnica hoc modo probat argumentatione. Si quis in nouilunio non ægrotet, nec diei septimæ Luna dimidia, nec quartadecimæ plena respondebit; in quibus quadrangularis & aduersa Soli configuratio ciet humores; igitur virtutis à Sole receptæ ratione Luna dies criticos non moderatur.

Ioannis Pici rationes quòd Luna virtute à Signis recepta criticos dies causare nequeat. obiter Hippocratis à Pico allata, eiusdẽq; Pici opinio de causa dierum crisimorum.

Cap. 8.

Restat tertium, ac postremum membrũ ad peragratorium mensem pertinẽs, atq; ad virtutem à Signis receptam. quod multis rationibus Ioãnes Picus impugnat, tanquam fortasse id, quod passim vero magis consentaneum, plerosq; credere Medicos videbat; quarum prima hæc est. Virtus, quæ à Signis ducitur, aut nulla est, aut si qua foret, ad criticos dies nullo modo spectabit; itaq; illorum causa ad hanc ipsã virtutem referri nequit. postremum hoc vnica ratione probat Picus, quia plerunq; die septima, & quartadecima, in quibus crisis fit, & commotio, per hos dies Luna vel in quadratis locis, vel oppositis non reperitur; non igitur de hac signorum permutatione commotio illa suscitatur. Id verum esse nemini dubium, cui Lunares motus non ignoti; nam cùm inferiora permeans epicycli velocius Luna fertur, sexta die ad quadrata signa pertingit, & decimatertia interdum ad opposita; cùm verò superiora, tardius circumfertur, non prius quàm die octaua, vel nona quadran-

drangularis sit loco. Quòd si respondeant, ob hanc causam interdum illas quoq; dies criticas fieri, aliquid dicerent, si, cùm Lunæ cursus est tardus, tunc octaua, vel nona die commouerentur humores; cùm verò velox, sexta; cùm medio quodam modo se haberet, septima. Verùm non hoc obseruatio docet; sed vsu frequenter euenit, vt Luna quidem pigriore septima det iudicium, interdum & sexta; concitatiore verò differantur commotiones ad octauam & nonam: quod aduertentes plurimi Medicorum, pernegarunt hunc ordinem in morbis à natura seruatum à Lunaribus cursibus dependere. nec qui aliter prodiderũt, quicquam induxit, quàm vel amor astrologicarum rerum, vel auctoritas Galeni. Atq; hæc Ioannes Picus ad probandum, si qua foret Lunæ virtus à Signis accepta, ad criticos dies nullo modo spectare. Quòd verò nulla sit huiusmodi virtus his rationibus nititur ostendere. Prima est, quia nulla ratio dicit Lunam, cùm ad signum ab eo loco quartum peruenerit, vel septimum, in quo fuerit inuadente morbo, suscitare in humoribus agitationem; idcircòq; Galenum rationis loco Aegyptiorum attulisse auctoritatem, quos tamen sexto de Simplicibus Medicinis delirij notauit. Quòd si cum Neotericis vrgeas, signa quadrata, vel opposita contrarias habere qualitates; propterea, cùm peruenerit Luna ad loca illis, quæ tenuit inuadente morbo, inimica, consequi, vt inter morbum atq; naturam pugna oriatur; respondet Picus nullam id habere firmitatem, cùm hoc accepto fundamento sequatur, alijs quoq; diebus, tertia, duodecima, aut decimatertia, vel decimaquinta bellicum canere Lunam morbo, atq; naturæ oportere; quia ad signa veniat plus discrepantia à primordiali signo, quàm ea, quæ currente septima, vel decimaquarta percurrit: Ac si respondeant nõ esse inter hæc signa aspectus colligationẽ; prçterquàmquòd obijci posset istam aspectuum rationem nullam esse; si tamen concedamus esse aliquam, non deseruit propositæ quæstioni; quoniam hîc Lunam planetis alijs non configuramus, sed id solùm aduertimus, vt ad locum contrarium deferatur illi, quem prius occupabat. cui etiam positioni hæc prætereа mirificè aduersantur, quia si facit effectum primo cõtrarium Luna, eò quòd ad locum contrariç deuenit qualitatis, oporteat etiam eam, si in signo frigido & sicco morbum excitauit, in calidis humidisq; collocatam aduersus morbum naturam excitare; siue illud signum sextum, siue secundum, siue alio numero, quem malueris, computetur. item cùm ad trigona signa peruenerit, morbum confirmare; quoniam, sicut quadrata signa discordant, ita trigona concordant: ad quæ cùm Luna vndecima die ferè deferatur, erit vndecima noxia statuenda; quæ tamẽ à Medicis inter salutares criticas numeratur. Secunda ratio talis est: commotiones malæ fiunt die sexta, octaua, decima, duodecima, decimasexta, decimaoctaua; quorum ratio ex Luna reddi nõ potest; cùm per hos dies vel ad tetragona Luna proueniat, vel in locis nullo aspectu cum ægritudinis signo colligatis: nam sic vel bonas fieri conueniret, vel nullas. Itaq; traditæ criticorum dierum obseruationes à Medicis ex Lunæ motu rationem habere nõ possunt. Tertia ratio: quaterni quiq; dies citra vigesimum vim habẽt; vltra vigesimum septeni, non quaterni; vt 27. 34. & 41. quẽ cùm excesseris, vigesimi critici inueniuntur, vt 60. & 80. tùm 100. & 120. quæ omnia à Luna causam habere non possunt. Quarta ratio; hunc per septenarios progressum videmus alibi quoq; in naturæ operibus obseruatum, vbi nulla suspicio de Lunæ motu, vel Solis, vt in ipsis quoq; morborum periodis; cùm, sicut septimo die acutæ, ita diuturnæ, vt scribit Auicennas, sçpe septimo mense, septimo anno, quartodecimo, vigesimoprimo solent terminari: itaq; ratio à Lunç motu ducta omnino nulla. Quinta, & postrema; si cœlestia corpora, & Luna causa essent dierum crisimorum, qui apparet ordo in illis non seruaretur; nec certi dies, vel semper, vel plerũq; critici essent; sed aliàs alij crisim afferent. nam si Luna Marti, Soliq; iungeretur, citaret influxus commotionem; si Saturno tardaret; ac pro vario stellarum positu varia contingerent, nec illud esset statum, vt sexta dies tyranica crudelitate perimeret, septima regia benignitate liberaret; sed & constellationibus noxijs septima, & salutaribus sexta numeraretur. Hæc sunt aduersus Galeni positionem Ioannis Pici rationes; quem si roges de Hippocratis sententia, respondet, ipsum crisimorum dierum ordinem retulisse ad numeros, quos libenter natura obseruare soleat: si ex ipso suam scisciteris opinionem, dicit ita naturç cursus impleri plerunq; in rebus non ob constellationes ad hæc tempora comparentes, quæ nullç reperiuntur, sed ob occultam proprietatem, conditionemq; rerum

illa-

illarum, quibus ita plerunq; vsu venit : sic enim natura comparatū esse, vt (quod scribit ipse Galenus) per dies impares acuti morbi moueantur ; qui verò lentiores, diuturnioresq; per pares. propterea sub finem capitis concludit dierum crisimorum causam in materiam redigi debere , in particulatemq; aliquam laborantis hominis proprietatem.

Quid senserit Galenus secūdum Fracastorium; eiusq; in Galenum obiectiones, quòd nec synodici, nec periodici mensis ratione Luna crises moderetur. Cap. 9.

HActenus de Ioanne Pico ; videamus nunc quid Hieronymus Fracastorius luculentus rei Medicæ scriptor , & in primis eruditus aduersus Galenum in libello de Causis Criticorū Dierum excogitauerit. is stomachi plenus,& quærelarum, maximè queritur solos Medicos rerum suarū , suiq; muneris oblitos ab Astrologis seductos , persuasosq; , illorum opinionem secutos esse , dierum criticorum causam omnem Lunæ ascribentes : propterea Galenū pręcipuè se mirari, qui alioqui tantus philosophus , tàm accuratus, & medicinæ parens, ac veluti deus, tàm facilè persuaderi potuerit,vt facultate propriæ artis neglecta, præstigijs alienæ inuolui passus sit. Astrologorum verò opinionem à Galeno receptam hāc esse inquit Fracastorius. Quòd Lnna crisimos dies moderetur,quia per septenarios dies crises incedant , circaq; illas potissimum fiant;Luna verò ipsa per septenarios dies , & cœli quartas, rebus,quę hîc sunt, impetum quendam, & vim ingerat ; vt nil aliud censendum sit septenarias illas commotiones immittere crisibus,quā Lunam. Dupliciter autem cùm Lunæ conuersiones dimetiamur ; & per reditum ad Solem,quem mensem ciuilem vocant;& per reditum ad certum punctum in Zodiaco , quem Lunarem appellant mensem:in vtroq; quidem mense manifestum esse Lunam per cœli quartas , & septenarios dies commotionem , impetumq; rebus hîc inferre. de mutationibus enim in ciuili mense factis testimonium illos reddere , qui circa maritima versantur : & illos, qui circa rustica. de mutationibus, quæ in Lunari mēse efficiuntur , Astrologos , & præsertim Aegyptios ; quibus credendum esse Galenus præcipit , ac penè minatur. Hanc sententiam multis modis impugnat Fracastorius. Primùm ab experimentis ducta testimonia negat ; inquiens satis esse clarum circa maris crementa, & decrementa (quos æstus vocant) non maiorem commotionē per quadraturas Lunæ fieri ; quin etiam & maiores ventos , ac tempestates non circa septimam Lunæ diem , sed circa quintam exsurgere Nautis omnibus esse notū;quod Virgilius , & Hesiodus quoq; notarunt : vt minimè verum sit per cęli quartas commotionem maiorem rebus omnibus Lunam dare . Estò enim testacea fortasse, & crustacea, & id genus sub quadraturis Lunæ excitari magis , & nutriri , & pinguescere melius ; cùm id eueniat , non quia Luna in quarta Cœli sit , sed ob id magis, quòd tūc tantum demittitur luminis , quantum sufficiens est ad fouendum eorum animalium calorem, humoremq; pro alimento suggerendum; nil propterea hæc exempla ad crises facere, quæ à maritimis accipiuntur . Eandemq; circa rustica esse rationem; cùm ab Agricolis quædam semiplena Luna maximè fiant , non certè alia de causa, quàm vt extrema effugiant , hoc est coniunctiones, & oppositiones ; quorum vtrunq; quibusdam rebus obesse solet ; hoc quia nimij humoris est , illud quia exigui caloris . Quod verò in ore vulgi est per quartas Lunæ mutari aeris constitutiones , & serenitates,& pluuias,& id genus,mendacissimū esse vel ipsi vulgo esse notum. Atq; hæc Fracastorius de synodico mense , atq; de acceptis ab ipso per Lunæ motum experimentis . Quod verò de Lunari , & periodico mense dicitur , in quo Cœli quartas vim habere maximam , Astrologorum Aegyptiorum auctoritate Galenus affirmauit exemplo eorum , qui ægrotant Luna eo in puncto existente, in quo enati illi sunt;Aegyptiorum inductionem hanc nil habere firmitatis ostendit Fracastorius ; cùm vix probabilis secundum quid esse videatur : quod fusius apud ipsum quisq; videre poterit . præterquàmquòd etiam si dentur omnes Aegyptiorum obseruationes ; concedantur Nautarum, Agricolarumq; testimonia ; fateamur mouere Lunam fortius per quartas cęli vtriusq; mēsis;mouere per quartas natalicij puncti fortius;non tamen hinc crisium omniū causas reddi posse constet. cùm multæ crises sint,quæ extra quartas vtriusq; mensis , extra quartas natalis fiant : eò quòd rarissimè contingat, vt septenarij morborum dies cū septenarijs Lunæ coincidant. Cęterum quoniam videbat Fracastorius nōnullos esse responsuros,hęc loco exempli posita esse,sed ita rem accipi-

oportere, vt quocunq; in puncto quis ægrotauit, Luna per quartas cœli ad eum punctum commotionem inferat; vt si heri Dion, hodie Callias in morbum incidit, per suam septimam Dioni, per suam Calliæ Luna impetum det; quare & ad omnes crises concurrere, sed per septenarios cuiq; suos; idcircò accipiens primùm crisim esse localem motum humorum, responsionem hanc duabus rationibus reijcere conatur, quemadmodum sequenti capite videbimus.

Quòd Luna per Cœli quartas ad morbi punctum humores non commoueat. obiter quomodo cœlestia corpora agant in hæc inferiora secundum Fracastorium.

Cap. 10.

PRima igitur Fracastorij ratio hæc est, probans Lunam per Cęli quartas ad ęgrotationis punctum relatas crises regere non posse, si Luna hunc motum facit, vel eam vim, facultatemq; mouendi humorem per se, & (vt aiunt) essentialiter habet, vel ab alio acquirit, aut loco, aut aspectu, aut reflexione luminis, aut alio; sed non ab horum vllo; igitur nullam vim habebit humorem hunc commouendi: si enim essentialiter id haberet, non in septima magis quàm in octaua moueret, & nona; quæ enim per se insunt, semper insunt, & idem semper operantur. Si verò ab alio acquireret, quicquid sit illud, si vnum ita determinatum est, quales sunt quadraturæ, & oppositiones, & quartæ natalis puncti; tùm solùm mouebit Luna, cùm in eo erit loco, aut aspectu, aut alio; recedens autem non mouebit. Si vnum determinatum non est, sed talia sunt omnia puncta, in quibus quis ægrotet, vt per septimam cuiq; suam efficacior sit Luna (quod tamen valde mirum videri debet) sic ergo, quia singulis diebus quisq; ægrotare potest, quæ vni octaua erit, alteri erit septima: proindeq; Luna quotidie eundem effectum faciet. At idem effectus si fiat diebus singulis, oportet & causam continenter eandem esse; diuersa enim si sit, eundem effectum non faciet. si igitur à loco acquirit Luna eam vim, omnia quidem loca successiuè, & puncta omnia eandem habebunt vim; quare & quocunq; in loco fuerit Luna, idem semper operabitur: proindeq; non septima tantùm, verùm & octaua, & nona mouere humorem poterit. Quòd si vrgeas, non moueri in octaua Dioni humorem, quoniã illi septima non est, respõdet Fracastorius, quòd punctus, aut locus septenarius alteri sit, respectum quendam esse forinsecus venientem, quem & nos facimus; respectus autem nihil ipsos per se agere, nisi in re, & in causa mutatio aliqua sit. non igitur à loco vim hanc Lunam habere posse. Eademq; dicantur si Luna eam vim ab aspectu acquirit, aut reflexione, aut alio. Secunda ratio talis est. Actio omnis non nisi contactu fit; Cœlum autem, ac sydera, cùm huc non pertingant, agunt quidem per aliquid huc demissum; id verò aliquid spirituale est; spirituale autem intelligendum qualitatem contrario carentem, quæ in momento diffundi solet, quale lumen, & si quid aliud eiusmodi demitti à Cœlo potest. spiritualium autem actiones quatuor sunt &, nõ aliç, vt Fracastorius supponit, quod in libris de Contagione se ostendisse testatur. Primùm videntur qualitates illas producere posse, quæ primæ vocantur, vt lumen videmus calorem facere, quocunq; id modo fiat. Secundò videntur & vim trahendi, & fugandi habere, quod in Herculeo Lapide, Adamante, & Electro cernimus. Tertiò possunt in Animalium membra modò tristitiam, & displicentiam, & modò suauitatem, & voluptatem ingerere. Quartò, ac postremò id possunt cognitioni representare, vnde effluxere. Verùm nullo horum mediante concurrere ad crises Luna potest; ergo & nullo modo: quicquid enim horum detur, vna quædam communis ratio contra est, particulares autem multæ. siquidem primùm quicquid ponatur superuacaneum est, ac sine necessitate; siue enim spirituale illud calorem generet, nostrumq; eo modo augeat; siue trahere, vel fugare dicatur; siue displicentiam, stimulumq; in membra ingerere (nam cognitionem ad crises faciendas præbere nemo est qui dixerit) incassum ponuntur omnia; quando ea in nobis omnia sunt, quantum sit satis, calor, propulsatio, stimulus. Deinde particularius inquirendo, spirituale à Luna huc demissum non videtur ad crises concurrere quatenus alicuius primarum qualitatum est productiuum; etenim qualitas hæc nonnisi calor esse potest, quia concoctione crises fiunt, calor autem sit qui coctionem operatur; at spirituale à Luna demissum calorem producens lumen est. At certè lumen non vna die magis quàm alia calorẽ suggerit, nisi quò plus ad terram reflectitur; quod in Luna accidit, quò plus luminis à Sole recipit; recipit autem conti-

nen-

nenter plus, quò magis ab eo remouetur: quare cùm octaua, & nona die abscedat à Sole magis, vtiq; & in ijs calorem apportabit maiorem semper, quàm in septima; itaq; octaua, & nona crises magis operabitur. Si verò dicamus spirituale operari aut trahendo humores, aut fugando; triplex occurrit difficultas. primùm enim quæ se se inuicem trahunt, aut pellunt, omnia finem in natura habent, quo sic mutuò conseruentur; hæc quidem repellendo cótraria, illa trahendo affinia: at inter Lunam & humores nostros hic finis esse non potest; neq; enim inimicitiam vllam cum humoribus Luna habet, nec trahendi necessitatem, quo aut conseruet, aut conseruetur. Secundò quæ se se trahunt, omnia eò vsq; se se trahunt, quò in vnum coeant, nisi impediantur; trahi autem humores ad Cœlum nemo dixerit: impediri verò Lunam, ac Cœlum perpetuo tempore à fine suo, diuinum corpus, & immortale, inconueniens non paruum est. Tertiò si spirituale illud vim eam trahendi aut fugandi habet; semper quidem per se trahet, & non magis septima, quàm octaua. Demum nec dici potest spirituale illud vti triste receptum displicentiam in membra ingerere, atq; ea incitare ad expulsionem faciendam, quæ crisis dicitur; siquidem maiorem sic displicentiam die septima non ingereret quàm octaua, vel nona, si per se eam inimicitiam cum membris haberet; deinde & illud valde mirum Dioni triste esse spirituale hoc in septima, Calliæ verò non.

Manardi in Galenum obiectiones. *Cap.* II.

HAec igitur sunt, quæ Fracastorius Galeno obijcit, aut saltem potiora, à parente Medicinæ hac vna in re discedere ausus; qui Ioannem Manardum decimoquinto Epistolarum accerrimum Galenicæ sententiæ hostem habuit sectatorem. is enim Galeni posthabita auctoritate, multa in eius dictis notare profitetur digna reprehensione. Primùm quòd ipse tertio de Diebus Decretorijs dixit, duo in primis esse omnium, quæ fiunt, prima principia, vnum quod ex inferiori materia exordium capit, aliud quod ex Cœlestibus, id minus rectè dictum putat; quoniam duobus hisce principijs alia duo superaddenda à bonis philosophis discamus, in inferioribus quidem humanam mentem, in superioribus cunctis & Cœlestibus, & terrestribus imperantem diuinam potestatem, & inseruientem illi supernarum mentium innumerabilem cateruam. Secundò illud reprehendit, quod Galenus addit, absq; ordine esse quæcunq; ab inferiori hoc principio; cum ordine verò quodam, & ornatu semper progredi, quæ à Cęlestibus proficiscũtur; eò quòd sciamus tàm Cęlestia quàm terrestria certo ordine esse à summo opifice constituta; multaq; hîc & esse, & fieri cum ordine, quæ ordinem suum vel à propria natura, vel à potestatibus Cœlo potétioribus nanciscuntur. ex quò & videmus elementa quocunq; modo Cęlestia corpora voluta sint, nunquam à proprio ordine recessisse: plantas radices deorsum, ramos sursum semper misisse: pisces aquas, aues aerem, metalla terræ viscera, quocunq; versa sint sydera, nunquam deseruisse: vt nulla fuerit propterea Galeno necessitas, vt pro reddenda crisimorum dierum ratione, ad Solem, vel Lunam confugeret. Tertiò notat illud nequaquam sequi, etiam si demus Solis virtute quatuor anni tẽpora fieri, ex terrestri limo animalia gigni, fructus ad maturitatem duci; propterea morbos eius peculiari vi, ac Lunæ ad salutem, vel mortem iudicari; eò quòd Sol morborum agat curationes, sicuti & reliqua, calore suo viuifico, quem plus minusuè vario motu, ac lumine nobis impertitur: idcircòq; fiat, vt ægritudines æstate inchoantes, in qua ex Solis ad nos accessu maximè incalescimus, hyeme ob frigus recessu eius nobis contingens resoluantur; atq; è contrario quæ hyeme cęperunt (vt Hippocrates docuit) calore æstatis euanescant. Verùm quia hoc perpetuum nó est, neq; eundem ordinem semper seruat; cùm plerunq; contingat vt æstiui morbi ante hyemem, & hyemales ante æstatem finem vel bonum, vel malum sortiantur; nil ad referẽdam dierum crisimorum causam in Lunam hinc sumi posse: eò quòd si ea quæ à Sole in morbis fiunt, qui princeps est summus vel Galeno teste inter Cęlestia sydera, non sunt firma, & rata; multò minus ea esse possint, quæ à Luna eius vicaria mutuatum tantum lumen nobis impartiente proficiscuntur; vt dierum crisimorum perpetua, & constás ratio nullo modo in eam referri queat: ex quò & Galenum ipsum refellere Manardus videtur, quòd Lunæ in mense peragrationes Solari per annum periodo similes fecerit in morborum discussione; ita enim scribit. Quare nescio an " eius operatio in quatuordecim diebus " ope-

Cap. I.

„ operationi Solis in sex mensibus in soluendis morbis rectè à Galeno comparetur. Quòd si dicamus aspectuum, quos cum Sole facit, ratione Galenum Lunæ hanc virtutem esse impertitum; respondet Manardus, hoc certè dictum ad tuendum dogma aliquid facere, si omnes ægroti labi in morbos Luna silente inciperent; verùm cùm hoc rarissimè contingat, id potius Hippocraticam dierum crisimorum doctrinam destruere, quàm adstruat. Quartò Galeni dictum illud reijcit, quòd Luna, dum luce caret, quæ apud nos sunt, alterare non sufficiat; cùm enim tribus diebus magna ex parte à coitu id contingere dicat, sequi necessariò videtur, quocunq; morbi die nouilunium euenerit, vt nulla alteratio perpetuo triduo in hæc inferiora à Luna fiet, ita nullum eo tempore posse eius virtute in morbis iudicium fieri; vt propterea mensem à Galeno inuentum, quem ipse ex tempore, quo Luna totum signiferum circulum peragrat, & ex tempore, quo nobis visibilis est, fabricauit, triduo illo, quo lucem ad nos non mittit, cadere omnino necesse sit, veluti altera cadente columna, qua sustinetur. Hæc Manardus; quæ cum exposuisset, Galeni mente vberrimè de mensis medicinalis compositione elucidata, alias rursum nonnullas affert aduersus illum rationes, quas præterire modò consilium est, quando eædem ferè sint cum illis, quas è Ioanne Pico superius adduximus.

Valeriolæ, & Valesij aduersus Galenum rationes, obiter quæ fuerit Hippocratis opinio de causa criticorum dierum secundum illos.

Cap. 12.

Nec Valeriola, quanquam medicus, ab his Galeni hostibus dissentit locorum Communium libro tertio; tametsi horum iaculis, nullo proprio Galeni dogmata ferire videatur. qui de Hippocratis mente dierum crisimorum causam in naturæ motum ordinatum, & septenarij numeri vim, potestatem in natura ipsa, ac dignationem referendam esse inquit. quam sanè ad septenarij vim relatam causam Varroni grauissimo viro placuisse video; qui in primo librorum, qui inscribuntur Hebdomades, septenarij præstantiam explicans, vt Gellius libro Noctium Atticarum tertio auctor est, notatum reliquit de Veterum opinione discrimina periculorum in morbis maiore vi fieri in diebus, qui conficiuntur ex numero septenarii, eosq; dies omnium maximè, ita vt Medici appellant, κριτικὸς, ἢ κριτιμὸς videri, primam hebdomadam, & secundam, & tertiam. Ac Medici omnes ferè alij, qui postea secuti sunt, Galenum hac in re deseruerunt, ea præsertim commoti difficultate, quòd si ipse Lunam illuminationis influxu dies crisimos gubernare voluit, iam interlunio nulla crisis effici queat, quod experimēto aduersatur; si peragratione per Zodiacum circulum, & aspectibus; frustra tres illos dies ex synodico mense demendos esse decernat: ex quò & compositum illum, quem medicinalem vocant mensem, adeò vniuersa Medicorum schola irridet, vt apertè fateatur, qui magis quàm Galenus deliraret in eo excogitando, se vidisse neminem. Quæ omnia Valesium Galeni amantissimū (vt reor) tandem coegerunt, qui decimo Controuersiarum Auerroem redarguens, crisimorum dierum causam nō in Cœlestia corpora, & Lunam ipsam, sed in proportionem agentis ad materiam aduersus Galenum referentem; & Galeni ipsius opinionem sequi, & laudare, & mensem medicinalem non improbare visus est, & dierum decretoriorum vim in Lunæ errores referre; vt in Commentarijs super Hippocratis Prognostico mutata sentētia, Galenum relinqueret, compositumq; ab eo mensem penitus improbaret, nil magis figmento simile inueniri posse scribens; ea permotus ratione, quam ante illum Ioannes Picus excogitauit, quòd mensis ille nullum Lunæ motum, aut passionem consequatur; illiq; tempori neq; affectus Lunę, neq; motus quidem certus respondeat: vnde & cùm reliqui omnes Medici, quin etiam & Philosophi Galenum in tradenda crisimorum dierum causa Astrologorum sententiam secutum esse dicant; Valesius contra propriam ipsum habuisse censet ab Astrologorum dogmatibus dissentaneam; atq; Astrologos potius præferendos quàm Galenum arbitratur: statuens cum ipsis Astrologis non in synodicum mensem; non in mensem illuminationis, ac longè minus in Galeni mensem crisimos dies tanquam in suam causam esse referendos, sed in mensem omnino periodicum, atq; in Lunæ per illum aspectus ad eum punctum, in quo primo cępit homo febricitare: qui sunt tettagonus, aut medius potissimum, deinde trinus, ac sextilis. qui sanè periodicus mensis licèt, vt duo reliqui, illegitimus sit, & irregularis, statum non habens tempus, cer-

Cap. 7.

Cap. 10.

Ca.2. et seq.

certumq; , in quo compleatur ; eò quòd non eadem hora , quin etiam , neq; die propter Lunæ motum modò celerem , modò tardum aspectus fiant ; non tamen certum ratumq; dierum crisimorum ordinem impedit , quoniam hæc varietas (vt Valesius inquit) vnius aspectus tempori non posit addere , aut detrahere plus quàm diem ; vt propterea aspectus medius plerunq; incidat in decimum quartum diem ; dimidium aspectus tetragoni plerunq; intra quartum ; sextilis in fine quintæ diei ; aspectus quartus , siue tetragonus inter septimum ; rursus aspectus quartus post medium in vigesimũ diem incurrat. Quòd si ex Valesio sciscitεris quæ fuerit Hippocratis sententia de causa dierum crisimorũ, respondet ipse in Commentarijs secundæ sectionis Aphorismorum, diuinum Senem Pythagoricorũ doctrinam de numerorum virtute respexisse , qui quaternarium , ac septenarium magnifaciebant : propterea Aphorismo illo quasi huic numerorũ perfectioni videretur vim dierum crisimorum tribuere , cùm dixisset. » Contemplabilis autem vndecimus . quasi causam redderet, addidisse. ipse enim est quartus alterius septimanæ, atq; mox. cõtẽplabilis rursum & decimus septimus , ipse .n. est quartus à quartodecimo , septim⁹ verò ab vndecimo. quibus in quaternarij, ac septenarij potestatem dierum decretoriorum vim videtur retulisse . quam tamen sententiam refellẽdam idcircò Valesius dicit , quòd satis cõstet non propterea morborum mutationes incidere in quartos, & septimos dies, quòd quarti , ac septimi sint ; sed quòd aspectus quidam Lunæ in quartos , & septimos dies incidant.

Aph. 23.

Ponuntur ex Peripateticorum, ac Medicorum schola ad veram dierum crisimorum causam indagandam septem fundamenta.

Cap. 13.

HAec igitur sunt , aut saltem grauiora , maioriq; digna animaduersione, quæ Medicæ Artis Alumni in communem eorũ Pręceptorem, Medicinæq; parentem asperè nimis , & insolenter inuehentes afferre solent; quæ nos, licêt non medicæ professionis , sed addicti Philosophiæ , vt de Arte Medica optimè pro virili mereamur , tanquam veritatis amantissimi refellere proposuimus . & cùm medici sit dies crisimos in curandis ægris obseruare ; illorum verò causam inquirere philosophi potius fortasse munus ; operepretium facturos arbitramur (quando id multùm intersit disputationis huius nostræ) si ex peripateticis fontibus veras dierum crisimorum causas hauriamus ; quas tamen communissimas , & vniuersales , vt nostro conuenit instituto , tradere profitemur ; Medicis interea relinquentes diligentiorem illarum inuestigationem, crisimorumq; dierum in morbis computandi rationem , quouè modo , & quatenus id liceat : simul etiam demonstrantes Galenum ipsum in nulla re philosophicè magis se gesisse, in nulla re Aristoteli (a quo tamen cùm potuit tàm libenter discessit) fuisse magis consentaneum ; vt nec Galeni mentem , nec disputationis ipsius scopum, nec rationum robur , aut fundamenta procul etiam videantur aspexisse, qui illi adeò acriter restiterunt . quod eò libentius facere aggredimur , quòd ipse Præceptor eosdem hos dies & cognouit, & approbauit , scribens sic quinto libro Historiarum interprete Theodoro. » Mutationes verò & transitus in figuras alias trinis, aut quatrinis diebus parti maximæ peraguntur; sicuti in morbis quoq; dies decretorius euenit . vel vt Trapezuntius longè magis consentiens cum græco contextu . » Permutationes autem fiunt in plurimis aut in tertio , aut in quarto die, sicut in ægrotationibus accidit crisis. Mihi tamen sic placeret magis . » Mutationes autem eueniunt plurimis ternario dierum , vel quaternario, quemadmodum & morborum crises contingunt . Verè enim Aristoteles non quidem in morbis diem decretorium euenire , vt voluit Theodorus , sed morborum crises per dierum triades & quaternarios contingere scribit. quorum omnium causas in calce quarti de Animalium Ortu videtur designasse, vel certè iecisse fundamẽta , ex quibus facilè hauriri valeant , vt suo loco infra admonebimus . Cœterum quàm leues istorum sint in Galenum obiectiones , facilè cuiq; vera ipsius sententia exposita perspectum erit ; quod tùm commodius ostendemus , vbi antea ex Peripateticorum , & Medicorum schola præfati nonnulla tanquam totius disputationis fundamenta , veram crisimorum dierũ causam explicauerimus : à qua ne minimum quidem Galenum discessisse, postea demõstrabimus . Crisim igitur , vt primo loco id accipiamus , apud Medicæ Artis professores generaliter sumptã , subitam in morbo , qui absolutè acutus natura sit , mutationem dicere, siue ad salutem ægri fuerit,

Cap. 20.

siue

siue ad perniciem, atq; eam, quæ antecedit, agitationem, humorumq;, siue concocti sint, siue inconcocti, eiectionem quādam, omnibus arbitror esse compertissimum, qui vel prima attigerunt Medicæ Artis rudimenta. Secundò; perfectam crisim, quæ verè crisis nomine dignanda sit, ipsiusq; naturam maximè aperiat, quia rectum sui iudex sit, & obliqui, subitam ad sanitatem dicere conuersionem, cōcoctiq;, natura morbum superante, noxij humoris expulsionem; ita vt per excellentiam subita hæc in melius mutatio crisis mereatur appellari, satis tritum est in Medica Schola. qua recepta quidem veritate alterum hoc maximi momenti pro tertio fundamento elicitur; videlicet crisim naturæ esse operationem, & proinde ordinatam. quod ex Aristotele probare possumus tertio de Ortu Animalium, & sępissimè alibi, præsertimq; octauo Physicæ Ausculationis asserente, semper quod secundum naturam est ordinem habere, eorumq; quæ natura cōstant, nil esse inordinatum; eò quòd natura cunctis ordinis sit causa. Sicuti etiam ex secundo patet fundamento, quia perfecta crisis concocti humoris expulsio est, non sine concoctione eam fieri; proindeq; nec sine opera innati caloris expultricisq; facultatis; est enim insitus calor, qui digerēdo & concoquendo cibos humoresq; conficit, suisq; applicat locis, quasi naturalis quidam architectus, vt in libello de Sensu & Sensili inuebat Aristoteles; ita vt crisis, & insiti, naturalisq; caloris auxilio indigeat, quoniam concoctio omnis per se caloris munere efficitur, & hac ipsa facultate, ad quam omnis pertinet expulsio: adeò vt non externum tantùm agens, sed internum quoq;, & subiectum, materiaq;, circa quā agens ipsum operatur, contemplanda sint in crisimorum dierum causa inuestiganda, & ipsa morbi natura: & cùm insitum calorem dico, animam, virtutemq; animæ ipsius moderatricem peripatetico more intelligo; quia, vt perbellè secundo de Anima Præceptor admonuit, eorum, quæ natura constant, terminus est, & ratio, quæ animę potius quàm ignis, & rationis quàm materiæ propria sunt; vnde calor concausa, non simpliciter causa statuendus est. quo posito illorum elucet error, qui crisim definientes, localem humorum motum tantùm eam esse dixerunt: quibus, ne dum crisis naturam aperuisse, sed nec etiam aspexisse procul, demonstrarunt. Quartò; cùm ordinata sit quædam res crisis, ordineq; progrediatur, certis fieri eam diebus necesse esse; si enim proprios dies non haberet, sed incertos, casu omnino efficeretur. qui verò longinqui temporis vsu, & periclitatione à maioribus nostris Hippocrate pręsertim obseruati sunt dies crisium certi, statiq;, & quotidie obseruantur, esse, 4. 7. 11. 14. 17. 20. secundum aliquos 21. item 27. secundum aliquos 28. adhuc 31. 34. 37. 40. secundum aliquos 42. in qua sanè dierum enumeratione illud considerandum, quod Galenus secundo libro de Diebus Decretorijs admonuit, 17. 20. 40. experientia magis; 18. 21. 42. ratione magis cognosci. atq; inter hos criticos vocatos quosdam esse præcipuos, & quasi principes; quosdam principatu minores, liquet inter medicos: quemadmodum & alios indicatiuos, & quasi nuncios eius crisis, quę in die principe futura est: item incidentes dari dies, & medio quodam modo se habentes. de quibus omnibus in præsentia disserere non est consilium, sed tantùm crisimorum dierum causam, quatenus ad nostram conducit disputationem, generaliter inuestigare. Quintò; quoniam crisis concoctio ferè quædam est, & concoctione efficitur; concoctio verò calore nostro insito, ac naturali; naturalis verò calor in operibus obeundis ambientis aeris temperatura eget, atq; ad agendum stimulatur, & quasi excitatur ac regitur; ex quò & pro aeris temperamento coctiones modò meliores, perfectioresq;, modò imperfectiores effici palàm est; crisim temperamēto aeris egere, ita vt pro varia ipsius ratione non solùm perfectior, imperfectiorq; efficiatur, verùm etiam & simpliciter efficiatur: quod etiam & alia hac ostenditur ratione; crisis nanq; mutatio est quædam in corpore nostro facta; omnis enim subita mutatio Galeno, ac Medicis crisis appellatur; at mutatio in corpore nostro tùm efficitur, vel maximè efficitur, cùm ambiens aer mutatur: quod plerisq; in locis Aristoteles docuit, sed apertissimè in extremo quarto de Animalium Ortu, vbi aerem pro Solis, Lunæq; circuitu affici, proindeq; cuncta alia, quæ in ipso oriuntur, perspicuè asserit: cuius etiam rei illustre attulit eiusdem Operis secundo exemplū, scribens pro ambientis temperatione, vētorumq; differentia fœtus vel mares, vel fœminas gigni; nimirum quia, vt paulò infra ipse inquit, qualitatem quandā ex continentis aeris temperamento nostri corporis dispositio maximè recipiat; adeò vt

Cap. 10.
Tex. 15.
Tex. 41.
Cap. 4.
Cap. 2.

aſpectus quoq; ad Auſtrum, vel ad Aquilonem Paſtorum teſtimonio plurimum poſſit; ex quò & ſic de hac tota decernit quæſtione. Ita (inquit) minimo interdum momento cauſa datur caliditatis, aut frigiditatis. hæc verò cauſam complent generationis. Quæ verba (quod pertinet ad criſium negotium, dierumq; criſimorum) maximè memoriæ mandari cupio; quod in præſentia vel digito monſtraſſe ſatis nobis erit; atq; id totum in ægro magis quàm in ſano corpore locum habere planum infra erit. Sextò omnem in ambiente aere mutationem, temperationem, ac varietatem ex Cœli, aſtrorumq; motu, ſed Solis ac Lunæ potiſsimum oriri; vt ſint qui credant, propterea in ſacris literis Solem & Lunam Orbis terrarum rectores eſſe dictos: & quæ fiunt per annum, ac diem in aere mutationes, à Sole ipſo; quæ verò per menſem à Sole, & Luna excitari, & luce meridiana clarius eſt, & in peripatetica ſchola receptiſsimum; quin etiam & ex allata ſuperius Ariſtotelis auctoritate manifeſtum. De qua re nos plura in Anemologia diſſeruimus. Septimò; cùm omnis in aere facta aſtrorũ motu alteratio, ac mutatio ad calorem, vel frigus ſit, atq; ad ſocias qualitates; calor verò & frigiditas tanquam actiuæ qualitates inſtrumenta naturæ ſint, quibus cuncta gignit natura ipſa, & operatur; quin etiam & tollit, ac diſſoluit: & quæcunq; in ea fiunt, moderatione, ac proportione harum qualitatum producantur; quod Ariſtotelis eſt ad finem quarti de Animalium Ortu ſic ſcribentis. Calores enim & frigiditates cum moderatione quadam generationes, ſine moderatione corruptiones efficiunt. & eiuſdem libri initio. Sed moderatione, quæ intercedat, opus eſt. nam omnia quæ vel natura, vel arte efficiuntur, ratione aliqua ſunt. Calor autem ſi valde ſuperat exſiccat humorem, ſi multùm deficit, non concernit; ſed medij rationem ad rem condendam ſeruari requiritur. aſſerendum eſt criſim harum qualitatum ratione à natura effici, ac proportione.

Sap. 13.

In Ann. 21 & ſeq. in li. de Si. Pluu.

Cap. 2.

Octo alia iaciuntur fundamenta.
Cap. 14.

CAeterum tantum eſt veritatis pondus, vt hæc iacta tot fundamenta ad eam ſuſtinendam non ſufficiant; vt propterea adhuc alia octo ponere cogamur. Dicimus ergo octauò, cùm naturæ opera cuncta ſuã habeant menſuram, hæc autem periodus ſit cuiuſq; rei cõſentanea; quod ſic pulchrè ſecundo de Ortu & Interitu docuit Ariſtoteles. Ideo & tempus, & vita vniuſcuiuſq; numerum habent, & hoc determinantur. Omnium enim eſt ordo; & omne tempus, & vita menſurantur periodo: ſed tamen nõ eadem omnia: ſed hæc quidem minori, hæc autem maiori: his enim annus, his autem maior periodus eſt menſura. aſſerendum eſſe criſes propriam habere periodum, quæ illas dimetiatur. Nonò; cùm periodi, quibus res ipſas natura metitur, ex Ariſtotelis ſententia in extremo quarto de Ortu Animalium tot ſint, ac tales. Periodum (inquit) appello diem, noctem, menſem, annũ, & tempora, quæ ijs deſcribuntur; atq; etiam Lunæ traiectiones. ſunt enim Lunæ periodi complementa, & ſilentia, & interpoſitorum temporum ſectiones; ita enim cùm Sole configuratur. menſis nanq; communis amborum periodus eſt. periodus verò ſit menſura rei; fatendum erit criſim aliqua harum periodorum mẽſurari. cùm autem neq; ad plures menſes, neq; ad annum, neq; ad diem vnum criſes pertineant (ſi criſes maximè propriè, & prout in acutis morbis locum habent accipiamus) verùm dierum aliquem numerum ſibi adſciſcant pro menſura; menſem ipſum, mẽſiſq; partes periodum eſſe criſium naturæ conſentaneam, & quæ naturaliter illas dimetiatur, ſine vlla dubitatione erit concedendum. Decimò; quoniam hæ periodi in Solem, & Lunam referuntur, ab horumq; ſyderum pendent motionibus, quod Ariſtotelis eſt citato loco quarti de Animaliũ Ortu; menſtruaq; periodus in Lunam potiſsimum refertur; confiteri etiam neceſſum erit periodum criſium menſuram ad Solem, & Lunam, ſed præſertim ad Lunam pertinere: rerum enim minus principalium periodum rerum magis principalium periodum ſequi, vt ibi illuſtriſsima ſententia docet Ariſtoteles, rationi eſt conſentaneũ. Vndecimò; quia, vt nos in Anemologia monſtrauimus, inferiuſq; monſtrabimus, periodus menſura eſt rei, ideſt ortus durationis, interitus, vel inſignis alicuius alterius mutationis, quatenus caloris frigiditatiſq; menſura eſt; quibus qualitatibus tanquam inſtrumentis, vt ſuperius tetigimus, haſce molitur natura operationes; dicendum erit menſem, eiuſq; partes, eatenus eſſe criſium periodum, quatenus termini ſunt, ac menſura harum qualitatum, quæ ob Solis, ac Lunæ motum in aere ipſo per menſem, eiuſq; partes generãtur: quod

Tex. 57.

citato extremo quarto de Animalium Ortu perbellè significauit Aristoteles. quo loco cùm periodos enumeraſſet, caloris & frigiditatis ſtatim meminit; nimirum vt oſtenderet harum qualitatum ratione periodos deſcribi. ac deinde terminos tùm principij, tùm finis dictarum qualitatum motus Solis, & Lunæ obtinere addidit (quã Philoſophi ſententiam clarius in huius libri calce explicabimus) concludens ambientem aerem periodò Solis, ac Lunæ affici, ac neceſſariò cum eo ſimul cuncta, quæ in illo oriuntur, vt ſupra quoq; dicebamus. quibus latiſsimè monſtrauit ſublunarium rerum periodos in Cęleſtium corporũ periodos hac eſſe de cauſa referendas. Duodecimò; quoniam annus, menſis, dies tẽpora ſunt, tempora verò ipſa dichotomijs diſtinguuntur, vt diuinè Theophraſtus libello de Pluuiarũ Signis his verbis notatũ reliquit. Ac primùm ſumendum eſt dichotomias, ideſt bipartitas diuiſiones æquali portione factas, tempora ipſa diſtinguere: quamobrem oportet harum ratione annũ, menſem, ac diem contemplari. item quia in dichotomijs potiſsimùm fiunt aeris mutationes; quod ſimiliter Theophraſti eſt perſpicuè memorato loco aſſerentis, ſi mutatio in aere fieri debet, in dichotomijs maximè effici: affirmandum erit criſes ipſas, quia menſtruo fiunt ſpatio, & aeris ſequuntur mutationem; mutationeſq; sũt & ipſæ quædam; in ipſis effici dichotomijs, quæ menſtruum diſtinguũt interuallum, ac partiuntur. Dichotomiæ verò nomine nil aliud quàm æqualem in duas partes anni, menſis, ac diei, partiumq;, quibus tempora hæc integrantur, diuiſionem, quam mutatio aeris comitatur, intelligendum eſſe, in Anemologia abundè monſtrauimus: ſimul etiam & cauſam adducentes, cur in dichotomijs aeris fiant mutationes. Decimò tertiò (quod in idem redit) quia criſis morbi eſt iudicium, & mutatio, intenſio, vel remiſsio; demum ſolutio; morbi verò iudicantur maximè, mutanturq;, intenduntur, remittuntur, ac tolluntur in temporum mutationibus; quod Ariſtoteles problem. tertio primæ Sectionis apertè docuit, & cauſam adiecit; dicere cogimur criſes in temporum mutationibus maximè contingere; proindeq; in mutationibus menſtrui interualli. Decimoquartò; quia criſis ipſa, huiuſmodiq; naturæ motus per dies criticos in morbis acutis omnibus conuenit indiuiduis humanæ ſpeciei, & ſemper, niſi aliquod contingat impedimentum, vel deordinatio, aut ſaltem vt plurimùm; nulli dubium eſſe poteſt proprietatem, & operationem hanc & ſpecificam eſſe non indiuidualem, & ab intrinſeca forma ſpeciei emanare: probatum enim à nobis eſt in priori Parte de Maris Aeſtu ex D. Thomæ opinione, quæcunq; proprietates, & operationes omnibus indiuiduis conueniunt, & ſemper, ab intrinſeca forma ſpeciei prouenire. Decimoquintò ac poſtremò illud tanquam vero ſummè cõſentaneum accipiendum eſt, corpora ægrotantia vel leuiſsimas in aere factas caloris, & frigiditatis mutationes perſentire: quod Ariſtotelis eſt quinto de Animalium Ortu aſſerentis, quæ imbecilla, vitioſaq; ſunt cauſa parua, exiguoq; momento immutari. His iactis, receptiſq; fundamentis, facile modò erit veram, naturalem, ab omniq; ſuperſtitione, ac leuitate alienam criſimorum dierum cauſam inuenire; quod ſequenti capite demonſtrabimus.

In Ann. 22 in li. de Pluuiarũ Sign. — *Cap. 3.*

Vera cauſa dierum criſimorum magni animalis exemplo proponitur inuenienda. demonſtratur Orbem hunc noſtrum horas, dies, menſes, annoſq; criticos habere.

Cap. 15.

ARiſtotelis eſſe morem, vbi vel magni, vel parui mundi, hominis inquam, naturam, ac proprietatem aliquam inquirit, alterum ſæpè cum altero comparare; magnum animal cum paruo, paruum cum magno viciſsim conferre; vt quod in vno tenebricoſum apparet, alterius exemplo clarius doceat, apertiſq; obſcura aſſequatur; ijs arbitror eſſe compertiſsimum, qui in eius ſcriptis vel leuiter etiam verſati fuerint. nam & propterea ſecundo Meteoron cauſam allaturus cur in regionis alicuius parte alia imbres, in alia ſiccitates dominentur; idem hac in re contingere ſcripſit, quod & in noſtro corpore, ſi ſuperior, & inferior venter contrario modo diſponantur. & eodem libro infra, vt clarius terræmotuum cauſam doceret, tremorum ac pulſuum exemplo, qui in noſtro fiunt corpore, eam explicauit; inquiens, ſicuti horum in nobis cauſa ſpiritus, qui intercipitur, virtus eſt, ſic & ſpiritum in terra ſimilia facere: vt meritò octauo Phyſicæ Auſcultationis hunc in modum argumentetur. Si autem in animali hoc poſsibile eſt fieri, quid prohibet non accidere & in vniuerſo? ſi enim in paruo mundo fit,

Cap. 5. — *Cap. 8.* — *Tex. 17.*

Cap. 7. » sit, & in magno. ex quò & secundo de Partibus Ainmalium, vt fluxionum, quæ è cerebro oriuntur, causam exponeret, magni animalis exemplo eam aperuit; dixit enim. » Quod simile generationi imbrium euenire » intelligendum est, quoad paruum cum ma- » gno conferre licet. Nec profectò mirum, cùm homo inter cętera animalia solus ad Vniuersi habitū sit institutus, vt idem primo de Historia Animalium præclara sentētia notatum reliquit. Itaq; nos Præceptorem ipsum imitati, si in magno mundo quasi in ingenti quodam animali crises fieri, & dies, mensesq;, & annos criticos inueniri demonstrabimus, & qua de causa; vt in paruo postea & crises ipsas, & dies, & menses, & annos crisimos pari ratione ostendamus reperiri, facilè crediderimus, quod iam proposuimus esse consecutos. Crisim concoctione fieri, & humorum eiectionem esse quandam, supra prima, & secunda suppositione diximus. item ordine quodam progredi, ita vt certa habeat tempora, tertia, & quarta accepimus. rursus & mutationem esse quandam, & in dichotomijs effici, & maximam sui causam habere ambiētis aeris mutationem, suppositione quinta, duodecima, & decimatertia definiuimus. Similia magnum hoc animal experiri nunc Aristotelis, & Theophrasti auctoritate demonstremus. Aristoteles Problematum sectione vigesima sexta ita scribit. Cur Auster post pruinam spi- » rare soleat? An quia pruina nisi facta con- » coctione haud vnquam consistere potest; » mutatio autem post concoctionem purga- » tionemq; fieri in contrarium solet: Aquilo- » ni autem contrarius Auster est. Hanc eandem quæstionem ita tractat in libro de Vētis Theophrastus. Post niuem autem, & » pruinam spirat Auster (vnde & prouerbiū, » spirat Auster post pruinam) quoniam ni- » ues, & pruina concoctione, & purgatio- » ne facta cadunt: post concoctionem verò, » & purgationem mutatio in contrarium fie- » ri soleat; Aquiloni autem contrarius est » Auster. Atq; ob eandem causam post plu- » uias, & grandines, ac eiusmodi aliquas » tempestates sæpènumero venti cessant: » hæc enim omnia, & similia concoctiones » sunt quædam, & purgationes. Hæc illi; at quid quæso est grandinis, pluuiarum, pruinæ ortus, quàm vaporum, humorumq; expulsio quædam, qui iam concoctione parati fuerant? siquidem hæc omnia concoctione facta gigni, quin etiam & concoctiones esse quasdam affirmat cum suo doctore Aristotele Theophrastus. ex quò & idem ipse Aristoteles Meteoron libro tertio Typhonem Ecnephiam esse inconcoctum in eandem sententiam scripsisse videtur; itaq; commodissimè crises appellabuntur. fiunt enim concoctione quadam, & noxiorum ferè humorum sunt eiectiones: quæ duo crisis naturam maximè exprimunt. neq; enim Vniuerso ambientiq; deest calor, cuius opera concoctio fiat; vt meritò in Opusculo de Sensu & Sensili Aristoteles calorem hunc quasi magni animalis cum insito animalium calore contulerit ita scribens. Quod itaq; facit in ex- » terioribus corporibus exterior calor, hoc » qui in natura internus animalium, & plan- » tarum. ex quò & quarto Meteoron nunquam deficere calorem in aere, neq; etiam hyeme significauit. quod & ante illum pulchrè Hippocrates in libello de Natura Humana notatum reliquit: annum, ambientem videlicet aerem, ac Vniuersum conferens cum ipso corpore; in ipsoq;, perinde ac in corpore humores quatuor, qualitates quatuor inueniri docens; nec illorū vnam deficere posse, quin omnia pessundatū eāt. quo autē pacto grādo, nix, pruina, ac similia, quæ frigiditatis opera fiunt, concoctione effici dici possint, alio loco disputabimus. Quòd si crises mutationes sunt, stataq; habent tempora, in quibus eueniant, in dichotomijsq; efficiuntur, pręcipuamq; habēt causam in aere factam mutationem caloris, & frigiditatis; pluuias, grandines, niues, & pruinas certa quoq; habere tempora, in quibus oriantur, atq; tempora hæc esse dichotomias; oriri verò propter factam in aere caloris, & frigiditatis mutationem, apertissima sententia est Theophrasti in libello de Pluuiarum Signis sensuum fide comprobata; quo loco per anni, mensis, dieiq; dichotomias in aere maximè fieri mutationes, & sæpissimè docet; idq; totum caloris & frigoris ratione, vt nos latè in Annotationibus monstrauimus. si enim diurnas inspicias mutationes, per diei partes, ac dichotomias hæ quidem efficiuntur; vt horas ferè criticas in Vniuerso videas inueniri; cùm quarta, septimaq; ineunte temporali, vndecima, decimaquarta incipiente, decimaseptima, vigesima, ac vigesimaquarta iuxta diei partitionem à Theophrasto positam diurnæ mutationes sint expectandæ. quas quidem horas in morbis summo artificio Hippocratem obseruasse in Anemologia demonstrauimus. vt nil sit mirum si

primo

Margin notes: Cap. 7. — Cap. 15. — Prob. 3. — Tex. 49. — Cap. 10 — Cap. 4. — Tex. 8.

primo Epidemicon in Epigenis fratribus incipientis morbi, ac redeuntis horam adnotauerit; in Philisco mortis horam; si sexto eiusdem operis apertè præceperit, morbi horam esse obseruandam. Rursus si mẽstruas contempleris mutationes, hæ per Lunæ ad Solem cõfigurationes solent euenire; de quibus sic Theophrastus citato loco. » Similiq; modo res euenit in singulis » mensibus; plenilunia enim quadrati radij, » & sextiles in duas æquales partes mensem » diuidunt. Si ad annuas demum animum intendas, hæ quarto quoq; ineunte mense, & septimo oriuntur. à solstitio enim ad solstitium sex integri menses intercedunt; à solstitio ad alterum æquinoctium menses tres. itaq; quarto, & septimo incipiente mutatio imminet. de quibus quidem omnibus temporum horum diuisionibus, ac mutua inter se proportione vberrimè in Anemologia egimus. Nec defuere qui certos quoq; annos esse scripserint, quartum scilicet quenq;, & septimum, quibus tempestates reuertantur. de qua re sic etiam Plinius ex Veterum monimentis secundo » libro. Omnium quidem (si libeat obserua» re minimos ambitus) redire easdem vices » quadriennio exacto Eudoxus putat, non » ventorũ modò, verùm & reliquarum tem» pestatum magna ex parte. vt iam crisimos dies, horas, menses, & annos in magno Mundo videas reperiri.

Ann. 30. in li. de Pluu. Signis.

Cap. 47.

Quæ sit corporis nostri cum Vniuerso similitudo aperitur. obiter de mensis, ac anni partibus quædam. Cap. 16.

PORrò autem eadem lege, eodem ordine, pariq; causa & dies, & menses, & annos crisimos in homine esse facilè monstratur. de diebus enim criticis ex superioribus satis clarum est; menses verò quasi crisimos eundem habere, Hippocrates non semel notatum reliquit; qui in Opusculo de Natura humana quicunq; morbi hyeme augescunt, æstate desinere, quicunq; vere fiunt, autumno terminari, dixeris septimo ab eorum principio ineunte mense scriptum reliquit: item & libello de Septimestri Partu, ac de Principijs menses crisimis diebus comparauit, singulis septem mensibus ingẽtes humana corpora experiri mutationes quasi septimo quoq; die docens: quod de annis etiam demonstrauit, scribẽs annorum septenarijs multa & mira corporibus humanis euenire: huiusq; rei experientia testis est, quæ climatericis annis maxima nobis imminere testificat: de qua quidem quæstione, quod ad annos & menses spectat, infra, vbi de crisimorum dierũ causa dictum fuerit, nonnulla disputabimus. Cęterum inter hæc omnia, quæ maximè diebus crisimis respondent, si magnũ hoc animal paruo comparaueris, illæ profectò mutationes sunt, quæ in menstruo spatio contingunt per Lunæ ad Solem configurationes: siquidem, si à nouilunio incipias, quarta, septima, vndecima, decimaquarta die, quibus diebus Luna sextili, tetragono, trigono, oppositoq; radio à Sole aspicitur, mutationes in aere, quasi crises quædam, potissimum eueniunt. Ac die ferè 20. ab interlunio triquetrum rursus conficit cum Sole aspectum, non longè à die 24. quadratum, non longè à 27. sextilem absoluit. quæ omnia de medio motu & medijs Syzygijs intelligenda sunt, vt in Theoricis docemur: inter quas, & veras maximum interuallum nunquam implet horas quindecim, vt inter cęteros Rheinoldus in Prutenicis adnotauit. Atq; ad hæc Plinius animum intendens ita libro decimonono scriptum reliquit. Sunt & ipsius » Lunæ octo articuli, quoties in angulos So» lis incidit, plerisq; inter eos tantùm obser» uantibus præsagia eius; hoc est tertia, se» ptima, vndecima, decimaquinta, decima» nona, vigesimatertia, vigesimaseptima, & » interlunium. atq; apud Macrobium de Lunari per septenarios progressu elegans extat primo libro de Somno Scipionis disputatio: vt nulli dubiũ esse debeat, in his Lunæ articulis ambientem aerem, & alia simul cum eo immutari; quod Theophrastus citato loco sic expressit eleganter. Terrenis enim rebus, inquit, Luna muta» tionem infert vt plurimum quarta; sin mi» nus octaua: atq; si per id temporis non fit » mutatio, certè fiet plenilunio. item à ple» nilunio ad octauam mensis decrescentis, ab » octaua ad quartam, inde ad numiniam, idest » ad calendas, & silentem Lunam redeũdum. » Gignit autem hasce Luna in aere mutationes, quatenus variam luminis à Sole mensurã recipiens, varios caloris in eo producit gradus, & frigiditatis, ita vt Solis virtute hãc habere potestatem videatur: quod Aristoteles quarto de Animalium Ortu apertissimè docuit, ita scribens. Luna autẽ » principium est propter Solis societatem, » receptumq; lucis: fit enim quasi alter Sol » minor. quamobrem conducit ad omnes » generationes, perfectionesq;: calores e» nim & frigiditates cum moderatione qua» dam

Cap. vlt.

Cap. vlt.

» dam generationes, sine moderatione cor-
» ruptiones efficiunt. Quibus verbis monstrat Lunam ideo concurrere ad rerum generationes, quia calorem parit, & frigiditatem, quæ generationes efficiunt: has verò producere qualitates, quia Solis lucem participans quasi Sol minor eius munere fungitur; proptereaq; alterum esse principium. Hinc tritissimum illud, pro Lunarium aspectuum ratione quatuor mensis partes oriri, quatuor anni partibus in temperatione respondentes; de qua re nos plura in Anemologia: atq; pulchra extat Alexãdri sententia primo libro Problematum à nostra minimè dissentiens, qui interluniũ, & plenilunium solstitijs, quadraturas æquinoctijs respondere diximus: ita vt ab interlunio ad primam quadraturam hyberna mensis pars vigeat; inde ad plenilunium verna; à plenilunio ad secundam quadraturam æstiua; mox ad interlunium autumnalis: quanquam non me latet Macrobium primo libro de Somno Scipionis in communi illo errore versari, vt velit nascentem Lunam vernam inchoare tẽpestatem. Sextiles verò & triquetras cõfigurationes has rursus quatuor partes æqualiter secare; ita vt in totum octo fiant partes totidem annuis proportione respondentes, in Anemologia itidem citato loco fusè explicauimus. quibus omnibus simul iunctis octo fiunt dichotomiæ in mense toto diebus octo crisimis respondentes; in quibus eueniunt quasi crises quædam in aere mutationes. vt sextilis aspectus, qui die quarta fit, criticæ diei quartæ respondeat, quadratus qui septima, trinus qui vndecima, oppositus radius, qui decimaquarta ferè euenit, ad dies criticas quartam, septimã, vndecimam, decimamquartam quadrare videantur: & de reliquis eodem modo. sicuti enim octo sunt in mense dichotomiæ, & articuli, qui totum mensem comprehẽdunt, ita & dies octo critici 4. 7. 11. 14. 17. 20. 24. & tandem 27. mensem ferè complẽt vniuersum, medicinalemq; omnino conficiunt, vt infra patebit.

Annot. 30. in lib. de Pluuiarum Signis.
Prob. 66.

Eadem hæc consensio vberius explicatur. item ostenditur criticos dies dichotomias esse, & qua de causa. cur dies quarta critica sit & primum inter criticas locum habeat.
Cap. 17.

QVanta igitur sit hæc in re inter magnũ paruumq; Mundum, ac animal similitudo, & consensio, facilè iam quisq; cognoscet, qui hæc rursum omnia in humano corpore particularius considerabit; vt eosdem dies crisimos, eandemq; habentes causam, in illo esse inueniat. Dictum est suppositione prima, & secunda crisim, diesq; criticos in simpliciter acutis morbis potissimum locum habere; concoctiq; humoris crisim esse expulsionem, proindeq; subitã in melius conuersionem. Suppositione tertia, & quarta ordine progredi, cùm naturæ operatio sit, certosq; propterea habere dies, in quibus fiat. At si crisis ordine progreditur, certosq;, ac statos dies habet, in quibus fiat; igitur nec alios vllos, nisi quartam, septimam, vndecimam, decimamquartam, & qui sequuntur: quod hac probatur ratione. rerum enim sublunarium periodi, ac minus principalium, Cœlestium corporum, ac rerũ magis principalium periodos sequuntur, vt suppositione decima ex Aristotele probatum fuit; & quæ in dies mutationem recipiunt, in Lunares periodos referuntur, ita vt crises à Lunæ motionibus dependeant: at Lunæ periodi vel nullos alios dies, vel hos maximè sibi exposcunt. cùm enim nil sit aliud nostra sententia sequi res sublunares Cœlestium corporum periodos, quàm determinatis temporibus iuxta illorum motum mutationem perpeti, & alterationem; hasce verò patiantur hæc nostra mutationes, quia vel calore, vel frigore stimulantur, & excitantur; quæ qualitates de illorum motibus causam habent; crisis verò concoctio sit quædam; concoctio autem calore fiat, & à naturali calido animæ instrumento; sequitur ex his omnibus, vt, quo tempore, quibusq; diebus calor stimulatur, & quasi roboratur, concoctionem perficiat, qua perfecta fit statim crisis. at roboratur per illos dies, mutationis, quæ in aere fit, superuenientis ratione; scilicet quarta, septima, vndecima, decimaquarta; igitur & his diebus meritò crises eueniunt. fiunt autem in his diebus mutationes, quia dichotomiæ sunt; quod hac monstratur ratione. Si enim conuersio, mutatioq; morbi crisis est; igitur, quia morbum tollit, vel remittit, ac demum indicat, in mutatione temporis euenit; temporum enim mutationes sunt, quæ morbos iudicant, vt suppositione decimatertia dictum est, & Aristotelis auctoritate comprobatum. At temporum mutationes dichotomiæ afferunt, quod suppositione duodecimã accipiebatur: temporis verò mutatio fit, quia mu-

mutatur aer frigoris, vel caloris ratione; igitur crisis à morbi die, & principio in menstruo spatio, quod dies critici sectantur, vt suppositione nona habetur, tùm efficietur, cùm mutatio harum qualitatum in aere continget. at enimuero sensibiliter in aere calor, vel frigus, harumq; qualitatum gradus non variat à morbi principio in menstrua periodo, nisi die quarta: siquidem ab interlunio dies 4. 7. 11. mutationes gignunt; qui dies per quaterniones progrediuntur: igitur prima dies critica à morbi principio quarta erit, & dichotomia. quod Hippocrates considerans in Prognosticis memoriæ prodidit simplicissimas febres, ac signis firmatas securissimis quarto die iudicari, ac solui; deterrimas, ac signis affligentes difficillimis, quarta itidem die interimere. atq; Galenus secundo de Diebus Decretorijs exactè peracutas quarta die finire notatum reliquit. sicut enim ab interlunio quarta die non antea adeò sensibiliter variat caloris gradus in aere, & frigiditatis, vt in ea fieri mutatio aeris dicatur; proindeq; aliæ res, quæ in eo sunt, mutationem hanc persentire possunt (in qua quidem die sic euariat caloris gradus, & frigiditatis, quia Luna in hexagona configuratione existens medium obtinet locum, & situm inter nouilunium ipsum & primam quadraturam, proinde tantum luminis possidet, tantũq; demittit, vt hanc in aere causare valeat mutationem; ex quò & dies quarta dichotomiæ nomine dignatur, quia totum spatium quod est ab interlunio ad primã quadraturam æqualiter secat) ita & à morbi principio ægrotantis corporis respectu die quarta adeò euariat aer caloris, vel frigoris ratione, vt insitum stimulans calorem causa esse queat, vt suum ipse opus perficiat; idest concoctioni finem imponat: qua quidem peracta iam necessariò expultrix facultas ad paratum, concoctumq; eijciendum humorem excitatur, & quarta die crisis euenit; proindeq; dies quarta inter criticas in ordine prima est: quæ idcircò dichotomiæ subit rationem, quoniam periodi criticorum dierum habito respectu ipsius partem primam, ac primam periodũ æqualiter bipartitur, totum dierum interuallum, quod à morbi initio est ad diem septimam, æqualiter in duas partes seiũgens, quod dichotomiarum esse officium supra dicebamus. etenim septimanam simplicem, ac primam criticorum dierum periodum putandam esse Galenus secundo libro de Diebus Decretorijs auctor est; itidem & perfectam periodum paulò ante eodem opere, quia medium in ea ab vtroq; extremo ęqualiter distans sumi possit: quibus acutè docuit hanc necessariò conditionem ad constituendam periodum concurrere, vt medium in ipsa æqualiter ab vtroq; remotum extremo sumi possit. nam & propterea diem quartum non esse periodũ dicit, sed periodi veluti dimidium, quoniã septimana dupliciter diuisa, vt ipse subdit, quartus sectionem accipiens primi quaternionis terminus est, secũdi initium: vt hinc facilè discas quartam in acutis morbis diem necessariò dichotomiam esse habendam; vt propterea eodem loco minores periodos quaterniones Galenus videatur appellasse.

Cap. 12.

Cap. 9.

Cap. 2.

Cap. 9.

Fusius explicatur, cur dies quarta sit primò critica: item cur septima post quartam.

Cap. 18.

AT enimuero hoc posito sic licet argumentari. Mutationes temporũ morbos iudicant, sed dichotomiæ temporum sunt mutationes, ergo morbos iudicant; verùm dies quarta dichotomia est, ac prima dichotomia, igitur & primò morbum iudicat. ac demonstratione circulari sic regredi possumus ab effectu ad causam; dies quarta morbum iudicat, igitur temporis mutatio est, igitur dichotomia. dichotomiæ nanq; tempora distinguunt, ac si mutatio futura est, in illis maximè efficitur, vt suppositione duodecima dictum est; distinctio verò omnis in temporibus, scilicet in anno, mense, ac die iuxta mutationem, caloris scilicet, & frigiditatis differentiam, sumitur, vt in Anemologia diximus. itaq; dichotomia iam factam à calore, vel frigore mutationem, distinctionemq; hanc notat; quam in menstruo spatio non ante diem quartam effici diximus, quia secunda die, aut tertia non adeò variat Lunæ motus, proindeq; nec luminis mensura ab accepto morbi, vel cuiusq; alterius rei principio, vt sensibilem vllam harum qualitatum differentiam eius respectu gignere in aere valeat: die verò quinta, & sexta iam ferè pręterijt vna cum propria luminis mensura, & proportione respondente mutatio hæc, & differentia qualitatum; vt quarta vel tantùm adducere illam queat, vel maximè, quia totius spatij medium obtinet. atq; hinc omnis oritur dichotomiarum potestas, vt fusius in Anemologia

Ann. 30. in li. de Pluu. Sign. et Apolog. li. 2. cap. 2.

Ann. 21. et 22. in li. de Pluuiarum Signis.

mologia disseruimus: quæ enim ibi hac de re explicata sunt, ad hæc intelligenda, tùm ad ea, quę inferius dicemus de mensibus, & annis climatericis, legisse omnino necessũ est: vt hinc facilè quisq; cognoscat quàm verè loco illo à nobis dictum fuerit, Theophrastum iacto dichotomiarum fundamento difficillimarum simul quæstionum veritatis indagandæ iecisse fundamenta. Iure autem crisis mutatio est, ac post crisim mutatio fit; siquidem crisis concoctio est, & concoctione efficitur: at concoctione facta mutatio fit in contrarium, vt supra ex Aristotele, ac Theophrasto docebamus: verùm morbo contraria sanitas; igitur post crisim rectissimè in sanitatem fit cõuersio. Nec mirum esse debet si ante diem quartã perfici concoctio nequeat, si modò naturæ ordo retineatur, atq; antequam sensibilis hæc in aere mutatio fiat; etenim calores, & frigiditates, vt supra non semel diximus, cum moderatione opus perficiunt, sine moderatione destruunt, vel imperfectè efficiunt: verùm moderationem hanc ambientis congrua temperatio, & mutatio superueniens insito calori impartit; hæc verò non nisi die quarta oritur: igitur & per id temporis meritò concoctio absoluitur. Nec rursus mirum si in tàm breui spatio, die scilicet quarta temperatio hæc, mutatioq; gignatur; vel magis quarta quàm tertia, siue quinta; siquidem quantùm est ex parte materiæ acuti morbi, cùm magni sint, & ad suum vigorem celeriter properent, in pauco tempore magnas faciunt mutationes; quod & idem est ac iudicari, vt pulchrè Galenus in secundum sect. Aphorismorum notatũ reliquit: quãtùm verò est meritò agentis, vel minimo momento, vt superius ex Aristotele docuimus, causa datur caloris & frigiditatis, proindeq; ortus, perfectionisq; operis; ac vel minimum quidem calori, vel frigori additum, aut subtractum ipsum potest opus impedire; vt nulla nos tenere debeat admiratio si & die quarta, si nec tertia, nec quinta moderatio illa, congruaq; mutatio oritur qualitatum, qua in re, quod ad propinquum agens ac materiam pertinet, illud etiam, quod acutè tertio Colliget ab Auerroe scriptum legimus, locum habere potest, causam dierum crisimorum in temporis spatium, quod iuxta agentis proportionem ad patiens naturæ decreto concoctio ipsa, vt perfectè fiat, exposcit, referente; videlicet ideo quarta primùm die, ac sequentibus eodem ordine crisim fieri,

Cap. 8. *Aph. 23.* *Cap. 9.*

quia tantum tempus agens naturaliter requirat ad perfectam concoctionem faciendam; eò, quòd, vt ipse subdit, non in omni tempore, quod aduenit, patitur patiens ab agente, quia quodlibet habet tempus proprium comparatione, quam habet agens cum patiente; & hoc potest cognosci in rebus artificialibus; quia mensuræ temporum decoctionis in rebus artificialibus diuersificantur. Eadem ratio in alijs diebus crisimis, qui dichotomiarum itidem naturam induunt, locum habet; si enim præ humorum copia, aut cruditate nimia, vel præ sua imbecillitate insitus calor, aut propter ambientis intemperiem, vel ob naturam morbi, qui nõ simpliciter sit peracutus, primo quaternario concoquere, die scilicet quarta, & prima dichotomia nequeat, septimo opus peraget; scilicet secundo quaternario, & secunda dichotomia: ex quò & Galenus libro secundo de Diebus Decretorijs morborum non exactè peracutorum diem septimam terminum esse dixit.

Cur alij dies post septimam, idest 11. 14. 20. *critici existant. Cap.* 19.

Similibus de causis iudicium ad diem vndecimam, vel decimamquartam, & vltra deferri necesse erit; vnde Galenus citato loco exactè acutos die 14. iudicari, non exactè acutos die vigesimo asseruit. Simpliciter nanq; acutorum terminum diẽ 14. esse Hippocrates secundo sect. Aphorismorum, & in libro de Ratione Victus in acutis, Galenus libro secundo de Diebus Decretorijs tradiderunt. quæ quidem crises per quaterniones omnes progrediuntur; vt meritò in Prognosticis scripserit Hippocrates acutos morbos per quatuor ad viginti terminari; miris nanq;, & innumeris modis præter morbi, humorumq; differentiam pro varia hominum temperatura insitum calorem affici, & vel roborari, vel impediri posse in singulis dichotomijs, & mutationibus, quæ in aere fiunt, ita vt modò opus perficere possit, modò in sequentem illud dichotomiam retardare cogatur, rationi omnino est consentaneũ: quas quidem varietates humanus intellectus nullo modo, aut difficulter attingere valet. Recta autem euenit ratione vt simpliciter peracutorum dies 4. terminus sit, non exactè peracutorum septima, exactè acutorum 14. non exactè acutorũ 20. (quãquam Hippocrates in calce Opusculi de Prin-

Aph. 23. *Cap. 11. 12*

Principijs quinq; his morbis terminos adscribit iuxta medium ac finem trium septimanarum, videlicet 4. 7. 11. 14. 18. vbi decimumoctauum non 17. criticum agnoscit, & acutorum terminum nō 20. secus quàm Galenus cum reliqua Medicorum schola postea docuerit; de qua quidem difficultate, sicuti & de alijs omnibus ad veram crisimorum dierum rationem ex Hippocrate dignoscendam pertinentibus, abundè in libris de Hippocratica anni ratione disseremus) enimuerò cùm acutus morbus ob vim ingentem corpus in motu, & perturbatione maxima constituat; quam diutius natura ferre nequit, vt Galenus tertio libro de Diebus Decretorijs auctor est; proptereaq; celeriter huiusmodi morbus iudicari debeat (vt qui ex motus specie acutus nuncupetur) quiescendumq; ei hac dę causa celerrimè sit; veluti qui ad proprium finem properet, quemadmodum Galenus pulchrè citato loco ostendit (nam idem est celeriter moueri ac ad terminum confluere, vt ipse subdit) iurè & meritò exactè peracutus primum, ac breuissimum terminum sua natura habet tanquam acutissimus, scilicet diem quartam; non exactè verò peracutus, tanquam acutus minus, longiorem, scilicet diem septimam, secundum videlicet terminum, & quaternionem; quo quidem termino preterito, cùm magis ac magis morbi celeritas remittatur, naturalis iudicij terminus in diem 11. ad summum in 14. profertur, videlicet ad tertium, & quartum quaternionem. Quanquam & hac etiam de causa exactè acutorum ab Hippocrate, & Galeno terminus rectè decimusquartus dies positus est, à morbi enim die Luna maximè distantem oppositumq; locum, & contrarium die decimaquarta tenet; vnde & luminis ratione contrariam affert in aere tēperationem. quę enim maximè distant cōtraria sunt, vt secundo Meteoron, & sæpè alibi docet Aristoteles: itaq; & mutationem portendit ingentem; vt die 14. iudicium omnino fieri sit necesse. At posito die 14 tanquam termino septimus necessariò dichotomia erit, quia periodum totam, totumq; spatium dierum 14. in duas partes æqualiter distinguit; quod munus esse dichotomiæ non semel supra affirmauimus. atqui si septima dichotomia est, igitur & critica necessariò; mutationem enim affert corpori ægrotanti, ambientisq; respondet mutationi. eademq; methodo dies 4. (de quo tamen supra dictum est) & 11. & dichotomiæ esse inueniuntur, & criticæ, quia spatium dierum, quod est à prima ad septimam, à septima ad decimāquartam, æqualiter secant; proindeq; afferunt mutationem cum aeris mutatione consentientes: itaq; in exactè acutis morbis meritò 4. 7. 11. 14. crisimi dies habebuntur. nec turbet nos septimam diem ad decimamquartam non esse sic mediam, vt quarta est in septimana; etenim, vt dichotomia sit, satis est, vt spatium vniuersum æqualiter seiungat; non secus ac solstitia, & æquinoctia in annuo tractu, Lunæ ad Solem configurationes in menstruo à Theophrasto dichotomiæ constituuntur. Eademq; de causa dies 20. termini subit rationem, quia à decimoquarto septimus est, à decimoseptimo quartus; ferè enim morbus diem decimamquartam pertransiens longi morbi induit naturam; vnde non ante 20. terminum habet, vt Galenus ex Hippocratis dogmate monstrauit: ex quò & morbi ex prolapsu acuti, & per decidentiā die 40. simili ratione finiuntur. quanquam Archigenes diem 42. illorum terminum agnoscat, qui non diem 20. sed 21. magis criticam esse censuit; quod non semel Hippocrati videtur placuisse. de qua re longè maior quęstio est alio loco fusè à nobis vētilāda; cùm ad decimamquartam vsq; nulla de diebus crisimis sit inter Medicos dissensio, vt Galenus secundo de Diebus Decretorijs notauit. omnes enim sine controuersia criticos agnoscunt 4. 7. 11. & 14.

Cap. 7. Cap. 6. Cap. 4.

De Archigenis & Galeni dissidio circa diem 20. & 21. quid sentiendum.
Cap. 20.

EGo tamen vtriusq; sententiam sine errore admitti posse existimo, præsertim quod pertinet ad Lunæ actionem, ambientisq; aeris mutationem, & agentem causam externam, quin etiam & internam; calorem videlicet insitum, & virtutem expultricem; vt meritò non rarò ab Antiquis obseruatum fuerit, diem 21. crises afferre, à Galeno proditum, vt supra vidimus, quòd dies 21. & 42. crisimi sunt, ratione haberi: quanquam si materiam ipsam intueor, & morbi naturam, Galeni opinionem præferre cogor. Cùm enim morbus, qui decimumquartum diem pertransit, ad 20. vel 21. pertingens acutus sit, acutiq; naturam retineat, licèt non exactè acutus dici mereatur, vt Galenus secundo de Diebus Decretorijs admonet; idemq; de morbis, qui ad

Cap. 12.

ad 40. vel 42. perueniunt, hisq; diebus iudicantur, dicendum sit; qui ex delapsu, & decidentia acuti vocantur, atq; dierum terminum hunc tanquam vltimum habent; necessariò ob causas superius allatas breuiorem terminum hi morbi, quatenus acuti, exposcunt; ita ut magis illis sit secundum naturam, si vigesima die, quàm si vigesimaprima; si 40. quàm si 42. finiantur, iudicenturq;. cuius rei & hæc altera ratio afferri potest; natura enim pugnans semper cum morbo, & coquens materiam per tot dies, scilicet à primo ad 20. & 21. cùm superet, nil mirum si accelerat; ita vt die 20. crisim compleat: sunt enim tàm dies 20. quàm 21. critici, sed si crisis die 20. eueniat, signum est maioris in agente virtutis, quia celerius opus perficit, ac materię minus contumacis, vt quæ minus resistat. vt meritò Hippocrates, quem Galenus secutus est, videatur diem 20. prætulisse, veluti in quo felicior crisis obseruaretur; proindeq; & 40. præposuisse. qui tamen nulla alia ratione crisimi fiunt, nisi hac vna, quòd dichotomiæ induunt naturam. si enim decimumquartum vt coniunctum accipias, quemadmodum in facienda computatione docuit Hippocrates in Prognosticis, & secundo secto Aphorismorum (quo pacto non secus ac in coniũctis proportionib⁹ quinto Nichomachiorum euenire docuit Aristoteles, vno perinde ac duobus vtimur, bisq; sumimus) vigesimus erit à septimo decimusquartus, à decimoquarto septimus, à 17. quartus, atq; inter 1. & 40. medius; ita vt omnino dichotomiæ subeat rationem, totam hanc acutorum periodum æqualiter secans.

Aph. 24.

Cap. 3.

Hippocratis verba in Prognosticis hęc sũt.
» Itaq; primus impetus hunc in modum finitur (scilicet quarta die) secundus verò ad septimum producitur; tertius ad vndecimum; quartus ad quartumdecimum; quintus ad decimumseptimum; sextus ad vigesimum. Hi ergo ex morbis acutissimis per quatuor ad viginti ex additione terminantur: fieri verò non potest vt horum vllum integris diebus eximiè numeretur,
» & secundo secto Aphorismorum. Septimorum quartus index est; alterius septimanæ octauus initium. Contemplatorius rursũ vndecimus; hic enim quartus secundæ septimanæ. Contemplatorius iterum decimus septimus; hic enim quartus est à decimoquarto, septimus autem ab vndecimo. Hæc ille; quibus, vt perspicuum est, nulla alia ratione hos dies criticos facit, nisi

Aph. 24.

quia quarti ac septimi sint, videlicet, vt nos supra diximus, & infra ex eodem Hippocrate & Galeno vberius suo loco demõstrabimus, æqualiter huiusmodi spatia diuidunt, proindeq; naturam dichotomiæ induunt, ac imitantur. quòd si diem 21. & 42. vt Hippocrates aliquando velle visus est, cum Archigene velis anteponere; tunc tertiæ septimanæ decimusquintus initium erit non decimus quartus, & dies 21. septimus erit à decimoquinto, totumq; numerum dierum 42. æqualiter seiunget, dichotomia itidem existens. Hinc patet qua ratione scriptum à nobis fuerit in Anemologia, hos dies, quia dichotomiæ sint, meritò crisimos sapientem Vetustatem appellasse quasi iudices; quod sensisse Galenum quoq; infra ostendemus: neq; enim Medicus iudex est, vt sibi ipsis blandientes, propriæq; professionis nimis amatores ijdem ipsi Medici profitentur; verùm potius ipsi præconis munere funguntur, iudicium ac sententiam à iudice die prolatam propria voce declarantes. siquidem pro crisis iudicijq; modo, & natura in die critica facta, vel non critica ægrotum periturum, vel euasurum augurantur. At dies hi meritò dicti critici sunt, ac iudicatorij, quia verè iudicant, suntq; iudices; iudicis enim prouinciam eatenus suscipiunt, quatenus, dichotomiæ cùm existant, periodosq; acutorum morborum proprias in duas æquales partes seiungant, bipartitores sunt, & medij; idest bifariam æqualiter diuidunt tempus durationis acutorũ morborum, & ad æqualitatem redigunt; quod proprium esse iudicis officium citato loco ex Aristotele ostendebamus; proindeq; hac via ius dicere videntur, ac sententiam proferre.

Ann. 21. in li. de Sign. Pluuiarũ.

Quæ sit causa dierum criticorum agens, externa & interna. vera hac de re Hippocratis recitatur opinio.
Cap. 21.

Verùm vt propositæ quæstionis veritatem clarius assequamur, quod superius dictum est de agente causa tùm externa, tùm interna dierum crisimorum, ac materiali vberius explicandum est; ita enim formalem, ac finalem inueniemus; cùm non agens tantùm causa externa in hac tractanda quæstione, quod pleriq; fecerunt, sed interna quoq;; nec agens tantùm, verùm etiam & materia, circa quam agens versatur, probè veniat dignoscenda, si verita-

ritatem ipsam attingere velimus. Interna itaq; agens causa, vt hinc ordiamur, calor insitus est, qui concoquit humores, & facultas expultrix, quemadmodum tertia suppositione positum fuit; nec vllum est absurdum plures agentes causas vnius esse effectus, cùm subordinatæ inuicem sunt, & altera ab altera pendet, alteriusq; præsupponit actionem; nisi etiam dicere velimus (quod mihi magis placet) expultricem hac in re instrumenti potius subire rationem. ex quò & quia insitus, complanatusq; noster calor ambientis aeris temperatione regitur, excitaturq; ad obeũdas actiones; temperatio verò hæc penes caloris frigiditatisq; potissimum mensuram in aere attenditur; licèt humoris quoq; , & siccitatis ratio habenda sit: quæ profectò qualitates naturæ sunt instrumenta in omni re peragenda; frigiditasq; omnis & caliditas propter Solis, ac Lunæ motum in ipso aere generantur; idcircò pro externa causa ambientis temperies, varius scilicet caloris, & frigiditatis in eo gradus, Sol demum ac Luna accipienda sunt: quod à quinta suppositione vsq; ad octauam expositum fuit; adeò vt quæcunq; has qualitates, illarumq; gradus vel augere in aere possunt, vel remittere, vt ingentes flatus, insignes pluuiæ, ad crises ipsas suo modo concurrant; & si consentiant, in diebusq; crisimis eueniant, iuuare; si è contra dissentiant, in alijsq; contingant diebus, plurimùm nocere, atq; naturæ ordinem turbare possint. externas autem has qualitates, calorem scilicet & frigiditatem, intelligimus ea ratione concurrere, ne quis credat contrarijs rebus eandem paremq; tribuere nos potestatem, quatenus insitum calorem afficiunt, illumq; reddere imbecilliorem possunt, vel potentiorem. qua in re & illud diligenter animaduertendum, maximas aeris mutationes, ad frigus, calorem, flatus, pluuias, ac similia non parum dierum crisimorum ordinem turbare posse; vt qui maximè ex proportione inter agentes internas causas, & externas conseruetur. Quoniam autem periodus, quæ crisimos dies metitur, menstruam naturã refert; menstrua verò periodus à Luna potissimum pendet, eiusq; viribus gubernatur; externa, ac remota crisimorum dierum causa agens, & gubernatrix Luna dicenda erit, quatenus pro varijs ad Solem configurationibus mensem regit, varios caloris, & frigoris gradus in eo, eiusq; partibus producens. quod à nona ad duodecimã vsq; suppositionem explicauimus. Cùm enim crisis superueniens iudicium sit morbi, qua vel augeri, vel remitti, vel tolli omnino morbum contingat; iudicium verò omne morbi mutationes temporum efficiant, vt supra ex Aristotele docebamus; mutationes verò temporum in dichotomis fiant; critici demum dies dichotomiæ sint; verè crises in criticis diebus eueniũt, tanquam in dichotomijs, temporumq; mutationibus. ægrotans nanq; corpus, siue, vt verius dicam, insitus in eo calor, expultrixq; facultas in die critica ambientis aeris persentiens mutationem ob variam Lunæ cum Sole factam configurationem (quia leuissimam quamque sentit propter maximum corporis motum, vt decimaquinta suppositione dictum fuit) ad perfectè agendum excitatur, ad actionemq; suam perficiendam; proindeq; expultrix ad concoctum paratumq; humorem eijciẽdum insurgit. propterea criticos dies cũ diebus Lunæ, ipsiusq; cum Sole aspectibus summam habere consensionem dicebamus, ac similitudinem. ac sanè Hippocratem dierum crisimorum agentem hanc causam agnouisse (quod alio loco vberrimè monstrabimus) facilè ij concedent, qui mentis aciem ad ea, quæ in libro de Natura Humana, ac de Septimestri Partu, item in libro de Pueri Natura scripta sunt, intendere voluerint. cùm enim dixisset conceptus, abortus, & partus mulieribus in eo tempore fieri, in quo etiam & morbi, & sanitates omnibus hominibus; hæc verò omnia partim secundum dies, partim secundum menses, partim secundum dierũ quadragenarios, partim secundum annum significationem sui præbere (quo loco σύμπασιν ἀνθρώποισιν dicens, idest cunctis hominibus morbos eodem tempore, ac ijsdẽ diebus iudicari, crisim ipsam, huiusmodiq; in his diebus naturæ iudicium, quod decimaquarta suppositione dicebamus, proprietatem specificam esse docet, omnibusq; propterea indiuiduis commune) cùm hæc inquam dixisset, statim ita subdit. Cæterum in mensibus eadem, quæ in diebus fiunt, iuxta rationem insunt. menses enim mulieribus sanis singulis mensibus apparent, tanquam peculiarem in corporibus vim mensis habeat. quibus eadem, pariq; de causa menses, ac dies iudicandi morbos, aliasq; insignes afferendi mutationes, habere potestatem apertè significat; nimirum quia mensis, vt ipse acutissimè addit, vim peculiarem habeat in nostro corpore,

quod

quod expurgationum exemplo cóprobat, quæ per mensem mulieribus excitantur: vt eadem omnino de causa in nobis dies crisimos habere potestatem velit. at vnde vim hanc mensis recipiat, satis clarè idem auctor libello de Natura Pueri explicauit, scribens, quia mensis partes calore differunt, & frigiditate, hanc verò differentiã, harumq; qualitatum vim corpus muliebre percipit, ideo in illo menstrua commoueri (qua de re vberius sequenti libro dicturi sumus) adeò vt caloris, & frigiditatis ratione, & propter variam harum qualitatum mutationem tùm dies, tùm menses, tùm annos, & morbos iudicare, & alia omnia diuinus Senex omnino censuerit. at ortus, varietasq; harum qualitatum in mẽse à Luna ducitur; itaq; dierum crisimorũ vel Hippocrate consentiẽte Luna ipsa moderatrix agensq; causa externa, ac remota. Idemq; concluditur ex eleganti eiusdem disputatione in libro de Natura Humana; causa enim ægritudinis omnis Hippocrati est eo loco quatuor humorum sublata symmetria; vbi enim mutuò in corpore temperati fuerint facultate & copia, & maximè permixti pro temperamenti ratione, sanum corpus omnino est; si horum quid minus, aut amplius fuerit, aut separatum ab alijs, statim morbus oritur. verùm hi pro ambientis aeris temperatione, pro tẽpestatum mutatione, pro vario caloris & frigiditatis gradu augentur, vel remittuntur, rediguntur q; ad symmetriam, vel trahuntur in contrariam affectionem, quod apertissimè ipse testatus est; ex quò & illustrissima sententia memoriæ prodidit, propterea eos morbos, qui oriuntur hyeme, vel augescunt, æstate minui, & finiri; qui vere fiunt, autumno tolli; itaq; ex Hippocratis decreto qua ratione annus, ac Sol anni moderator, & custos iudicat hos morbos, & discutit, qui longi natura sunt, & annuam periodum, mensium videlicet plurium consectantur; eadem mensis, ac Luna mẽstrui spatij gubernatrix acutos mormos, qui breues sunt, & menstrui spatij parte exposcunt mensurari, discutiet & iudicabit; eadem enim est, parq; ratio: adeò vt sicuti mensis quartus ac septimus longos potissimũ iudicãt, ita & dies quartus & septimus breues & acutos: at ob mutationem in aere factam, variamq; temperationem caloris & frigoris ratione, lõgi morbi mense quarto & septimo iudicantur; quare & similis aeris temperatio, in eoq; facta mutatio menstrua, ac Luna ipsius causa, die quarta & septima, alijsq; sequentibus breues, & acutos iudicabit, proindeq; tanquam dierum crisimorum causa agens externa agnoscenda erit; de interna enim agente iam supra diximus.

Quæ sit materialis, formalis, finalisq; causa dierũ crisimorum. Item cur noxiæ crises in diebus criticis eueniant, tantusq; in his diebus appareat ordo.

Cap. 22.

MAterialis verò, vt ad nostra redeamus, humores illi sunt, qui acutos morbos creant; demum ipsum corpus humanum: siquidem circa hanc materiam insitus calor, & facultas expultrix operantur. quæ quidem materia, & agens, cùm in omnibus idem sint specie, meritò effectus omnibus humanæ speciei indiuiduis communis est; vt affectio hæc ab intrinseca speciei forma ortum omnino ducat, quemadmodum suppositione decimaquarta dictũ fuit; criticiq; dies ijdem sint omnibus, licêt insigniter distent inter se temperatura; cùm enim agens causa externa, & interna, & materialis eadẽ omnibus sit, propterea passio naturã speciei, nõ indiuiduorum insequitur, laborantisq; hominis proprietatem particularem. Formalis causa actus ille expellendi, eiectioq; ipsa humorum erit. Finalis demum duplex, & noxiorum expulsio, quibus natura liberare se vult, ac leuare; & ægrotantis salus; de perfecta in crisi loquor, quæ subita conuersio in salutem esse definitur. Nec miretur aliquis imperfectam crisim, quæ videlicet perniciem ægroto affert, ijsdem decretorijs diebus effici, solitumq; ordinem retinere; quod videri posset absurdum, cùm in noxia crisi materia formam superet, ac naturam; qua in re nullus esse ordo debet, cùm materia inordinationis omnis origo sit, & causa; etenim primùm mala crisis vt plurimùm, si Galeno credimus, extra diem indicatorium incidit; qui libro secundo de Diebus Decretorijs bona iudicia fieri sæpissimè in die septimo, mala raró, è contra sexto mala crebrò notatum reliquit; ita vt plerique sexto moriantur: quod totum præter naturam euenit, & cùm materia formam superat, ac propter materiæ indefinitionẽ, à qua omnis oritur inordinatio, vt Galenó quoq; placuisse infra suo loco demonstrabimus: atq; hæc causa est cur extra alios etiam dies decretorios (neq; etiam incidentes excipio) crises aliquando fiant.

Cap. 4.

Dein-

Deinde si in diebus iudicatorijs, quę ęgrotis mortē prænunciant, crises contingant (quod grauissimi viri crediderunt; ex quò & Valesius in Prognosticis qui morituri sunt, leuius, faciliusq; in die critica mori notatum reliquit; addens ex Epidemicis libris constare, plures occubuisse septimo, ac decimoquarto, quàm sexto) hoc tamen suam habet rationem, & mea quidem sententia duplicem. Prima est, quoniam noxia etiam crisis non sine naturæ, & formæ efficitur actione; siquidem cùm omne agens agendo repatiatur, vt Peripateticum axioma est, insitus calor, tametsi patiatur, superetur q; à materia, cùm nequit coctionem perficere, nihilominus quoq; agit; ex quò & natura semper agit licèt etiam patiatur; & cùm certat, si succumbit, eundem ordinem tenet; neq; enim cedit nisi quarta, & septima die, vel vndecima, aut decimaquarta, idq; ob eandem causam: mutatio enim superueniens noxam ipsi præ sua imbecillitate affert, atq; eam cadere in materiæ facit potestatem. Secunda causa est, quoniam, vt diuinus Præceptor secundo de Ortu & Interitu admonebat, æquale tempus est generationis & corruptionis, quæ fit secundum naturam; sed contingit sæpè in minori corrumpi propter ad inuicem confusionem: quod quidem, quò magis res perfectior erit, eò magis verum erit; vt potè in qua confusio minus locum habeat, atq; vt in calce quarti de Animalium Ortu eandem dissoluens quæstionem dicebat Aristoteles, materiæ indefinitio, aliorumq; principiorum concursus. itaq; cùm perfecta crisis generationi, imperfecta corruptioni respondeat, naturæ lege æquale, idemq; tempus vtriusq; esse debet; proindeq; malam crisim ijsdem diebus fieri rationi est consentaneum. cùm .n. insitus noster calor perfectissimus sit; maximèq; respondeat stellarum elemento, ordinem etiam sua natura maximè affectat; vnde qua superat proportione materiam, dum illam coquit, eadem etiam ab illa superari expostulat. Atq; hinc causa etiam elucet, cur summus in his diebus decretorijs appareat ordo; cùm enim effectus omnis suæ causæ quantùm potest exprimat similitudinē; nulla verò sit res in hac inferiori plaga nostro calore Cęlo similior, elemētoq; stellarum, quod ordinatissimum est, omnisq; rerum nostrarum ordinis causa; iurè euenit, vt insitus noster calor exactū ordinem in hac sua operatione retineat, cęlestesq; periodos imitetur. etenim, vt ad finem quarti de Animalium Ortu docebat Aristoteles, natura ita sibi vult, vt Solis, Lunæq; periodis, ac numeris generationes rerum, & obitus numeret, sed exquisitè id facere nequit propter materiæ indefinitionem; & quod multa principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones sępè impediant. vt iam si quò magis perfecta res est, eò magis huic naturæ decreto parere potest, consonum omnino esse videatur (quod tantopere tamen damnarunt in Galeno pleriq; Medicorum) crisimos dies Lunæ periodos imitari, & quoad magis possunt exprimere, ita vt illis omnino mensurentur.

Tex. 58.

Difficillima, & pulcherrima proponitur dubitatio, ac dissoluitur. cur dies septima, & decimaquarta reliquis potentiores.

Cap. 23.

VErùm hîc maxima oritur difficultas, quæ Medicos ferè omnes induxit, vt Galenum non solùm relinquerent, sed & mendacij etiam condemnarent. Dictum superius est suppositione decima, ac probatum Aristotelis auctoritate, periodos Lunæ menstruos ipsius esse cum Sole configurationes; hasq; periodos dies crisimos metiri, causariq; quatenus varios caloris, frigiditatisq; gradus in aere gignētes mutationes in illo causantur, quæ insito calori nostro stimulos admouent, illumq; alliciunt ad agendum: intendi nanq; ipsius vires, ac remitti pro Cœli statu vario, ac ambientis temperatura, sicuti & reliquorum omnium agentium naturaliū, iamdiù in Peripatetica schola receptissimum est, nosq; tetigimus in Anemologia, & supra diximus; adeò vt nobis cum magno animali summam hac in re esse similitudinē affirmemus. Cæterum aspectus hi certos habent dies, in quibus fiant, ab interlunio incipientes, ex quò & in magno animali iusta de causa in ipsis aspectuum diebus crises eueniunt, aerisq; mutationes; nam quarta die ab interlunio Luna in sextili est, septima in quadrato, vndecima in trino, decimaquarta in oppositione: quibus tēporibus ob insigniter variatam luminis mensuram varium redditur in aere temperamentum; atq; id in Luna semper eodem modo contingit nullam recipiens varietatem, in aere vt plurimum. itaq; si dies crisimi ab illis regerentur, illorumq; causa crises euenirent, oporteret, vt Galeno medi-

Ann. 30. in li. de Sign. Pluuiarū.

Medici obijciunt, omnes vel interlunio, vel aliorum aspectuum tempore ægrotare. ita enim per Lunæ silentia labente aliquo in morbum septimo, quia diuidua, magnam, decimoquarto, quia plena, maximam habens Luna alterandi vim, ac potestatem, acutum morbum iudicaret; parq; ratio, si morbus in alio aliquo aspectus die incideret, locum habet: quod quidem si contingeret res nulla egeret indagatione. Atqui hoc si statuatur, absurdissimum est, & à veritate alienum; cùm indeterminata sint morborum initia, & quouis die corripi quis ægritudine possit, & ex consequenti quouis Lunæ die valeat morbus incipere; proindeq; quælibet ad Solem Lunæ extra vllum aspectum positio in singulo morbi die contingere: quo pacto nulla dies magis quàm quæuis alia indicatoria dici merebitur; eò quòd morbo inuadente secundo Lunæ die, sexto non septimo tetragonus, & decimotertio non decimoquarto oppositus continget aspectus: quin etiam & quæ Petro configuratio contingit septimo, qui interlunio cępit ægrotare; Dioni sexto eueniet, quem secunda ab interlunij die morbus inuasit; Frãcisco quinta, qui tertia die à nouilunio in morbum incidit: & de reliquis eodem modo. Itaq; vel crisimi dies Lunæ aspectibus non regũtur, quod tamen positum supra à nobis fuit, ac receptum; vel homines acuto morbo in aspectibus Lunæ tantùm affligari incipiunt, quod sensuum fide falsum experimur; vel demum Lunæ aspectus, si crises efficiunt, etiam cùm non sunt, habebunt potestatem, quod dictu videtur absurdissimum, ac simile deliramento. Pulchra dubitatio, plurimumq; continens difficultatis, & obscuritatis; quam tamen si pro dignitate labefactare potero; aut veram crisimorum dierum causam à me inuentam esse gloriabor; aut saltem verius, fusiusq; ex Galeni scriptis explicatam, suumq; Galeno honorem, & gradum meo labore redditum, gaudeam vehementer. Respondeo igitur vel ipso Galeno admonente suo illo medicinali mense, vt infra suo loco planum faciam, dichotomiarum, aspectuumq; Lunarium calculum, & rationem nõ esse à nouilunio, vel quouis alio Lunari aspectu in ægrotis ineundam, sed à die ipsa, momentoq; ægritudinis, à qua crisimi etiam dies Hippocratis, Galeniq; decreto numerãtur. cuius rei ratio est, quoniam diuersam, vel contrariam in aere temperationem ægrotanti corpori, quatenus tale est, non simpliciter Lunares aspectus afferunt, sed periodi, cursusq; Lunares quatenus ad ęgrotans corpus referuntur; & cum loco, in quo tunc Luna erat, diuersos, contrariosq; aspectus efficientes, diuersas contrariasq; luminis mensuras adducunt. Vnde si quis in morbum incidat die quinta à nouilunio, huic non quadratus Lunæ aspectus diuersum pro morbi principio, vel contrarium affert temperamentum, qui inde ad secundam diem efficitur; proindeq; neq; dies secunda crisim affert; sed omnino à morbi initio dies quarta, vel septima, vel decimaquarta; quoniam per id temporis Luna mensuram luminis in aere effundit, ac demittit insigniter vel diuersam, vel contrariam ab ea, quam in morbi principio emittebat; eiq; proportione respondentem.

Idcircò si quis ægrotet duobus diebus ante plenilunium, non biduo, cum ipso scilicet plenilunio, crisis fiet ordinatè, & naturaliter, sed quatriduo ob allatam rationẽ. Verùm quoniam Lunæ aspectus hi, qui ad Solem referũtur, per se & simpliciter sumpti, etiam si cum aliquo non comparentur, magnas habent vires; propterea euenit, vt illorum causa, non solùm ob materiæ ineptitudinem, vel caloris innati, expultricisq; virtutis imbecillitatem, vel ob accessionum robur, non rarò crisimorum dierũ ordo interturbetur: vt scilicet aspectus etiam die crisis eueniat, incitato ante statũ tempus ab aspectus efficacitate calore, & expultrice virtute: vt hac de causa aliquãdo secunda, vel tertia, sexta, vel octaua à morbi principio die crises fiant; quod tamen præter vnum Galenum Medicorum nullum video animaduertisse. Sic ergo Lunares aspectus, mensuraq; luminis Lunæ cum die morbi comparandi sunt, atq; cum ea lucis portione, quã tunc Luna possidebat; enimuero sicut interlunia, quadraturæ, & plenilunium diuersa; contrariaq; sunt, ita & dies primus post quadraturam, & primus post plenilunium diei primo post interlunium, primoq; post aliam quadraturam opponuntur; eandemq; diuersitatem seruant, & contrarietatem: ac de sequentibus diebus eadem ratio est. Vnde qui ægrotat tertia die à nouilunio, tertia à sextili, tertia à quadrato radio, tertia à trino, tertia demum ab oppositione crisim expectare debet; quia dies hi morbi diei opponantur mensuræ lucis, proindeq; temperiei in aere genitæ ratione. Hinc patet, cur cuiq; ęgroto sui dies crisimi sint, sed tamen ijdem omnibus, licêt insigniter

tem-

temperatura vicissim distent ; & cur qui Dioni sextus est , Platoni septimus esse possit ; alij octauus , sed tamen cui septimus fuerit , illi tantùm criticus. Hinc claret, qua ratione quisq; Lunæ dies(quod tãtopere multos fatigauit) possit etiam esse indicatorius, sed eundem tamen ordinem retinens. Hinc demum elucet, quare septimus , ac decimusquartus (quod Galenus libro primo de Diebus Decretorijs notatũ reliquit.) potentia , ac dignitate cęteris antecellant : septimus enim quadrati aspectus, decimusquartus oppositi, quadraturę videlicet , ac pleniluuij , vel interlunij pro Lunæ statu morbi tempore retinent rationem ; idcircò maiores afferunt ægrotanti corpori , insignioresq; mutationes; & propterea efficaciores , potentioresq; ad iudicandum. die nanq; decimaquarta in distanti maximè loco ab eo, quem in morbi die obtinebat , Luna reperitur ; igitur & in contrario : itaq; & contrariam affert temperationem maximè remota . die verò septima mediam distantiam occupat , idcircò & parit etiam insignem : quanquam si morbi naturam inspicias , septimus decimoquarto præferendus veniat , quoniam breuior terminus acuto morbo natura congruentior.

Cap. 4. 5.

Alia iuxta Ptolemæi Placita eiusdem dubitationis solutio. Lunares aspectus per quot dies vires habeant ex eodem.

Cap. 24.

POsset etiam Ptolemæi receptis fundamentis aliter responderi, quod tamen in idem redit ; Lunares nanq; aspectus , vt compertum est experientia , mutationes , quas portendunt, non solùm eo momento, quo exactè absoluuntur , sed tribus diebus antea , totidemq; post causare valent : quod secundo libro de Iudicijs Astrorum sic Ptolemæus docuit eleganter . Tertia ratio est subtilioris cuiusdam obseruationis intensionum , ac remissionum. In hanc cadunt configurationes Solis, & Lunæ particulares non solùm interlunij & pleniluni nij , sed etiam horum mediæ, idest quadratæ. Vbi animaduertendum ante tres ferè dies omnium tempestatum significationes existere solere ; aut etiam post tres nõnunquam exæquati itineris lunaris erga Solem cadunt. & singulorum istorum status, neq; istorum modò, sed etiam aliarum figurarum , vt sexangulæ , & triquetræ . atq; hoc quidem non euenit sine ratione naturali ; materia enim, in quam cęlestis agens causa agit , exhalationes videlicet ac vapores, adeò interdum parati sunt, vt, cùm primùm aspectus vires habere incipit , actionem recipiant ; interdum verò adeò indispositi, vt diuturniore tempore egentes, si vinci debent , vix dum prætereuntis eiusdem potestate superentur . quòd si rectè dispositi sint , iam in ipso ferè aspectus die mutationem recipiunt . At hoc posito sequitur necessariò , cuiq; aspectui dies sex ad agendum esse tribuẽdos ; ex quò & quis nouilunio ægrotans, die etiam duodecima, & 17. vel saltem 13. & 16. quantùm est virium aspectus ratione, mutationem persentire poterit . Verùm quia non solùm externa agens causa, sed interna quoq;, & materialis ad crisim, crisisq; ordinem cõcurrũt, vt suppositione tertia acceptum fuit , quibus insitũ natura est, vt certis suisq; diebus crisim efficiant ; ideo si ordinatè crisis fiet, non 12. vel 17. non 13. vel 16. sed decimaquarta efficietur , quia huiusmodi ordo ex proportione interni agentis ad materiam huic motui conueniat. mirum nanq; est, vt rectissimè Contarenus secundo libro de Elementis notatum reliquit , quantum in generatione rerum omnium faciant materia , cæteræq; causæ proximæ, quæ sub Cęlo sunt ; vt plerunq; eueniat, si quis ex causis tantùm cęlestibus rationes harum rerũ mortalium contemplari voluerit , non habita ratione materiæ , cęterarumq; causarum mortalium , quæ sępenumero euariãt, facilè eum labi , plurimumq; errare . proinde quis tertia die ægrotans à nouilunio, tertia à plenilunio crisim habens , pleniluni virtute eam habebit ; cuius vires ad tres vsq; dies post extenduntur : atq; de cęteris aspectibus eadem ratio est . quo modo nulla dies mensis erit , quæ in aliquẽ aspectum non referatur , ad aliquamq; , & certam Lunæ configurationem non pertineat . enimuero, si dies tantùm quatuor, duos scilicet ante, ac duos post, non solùm sex, vt Ptolemæo placet , singulis Lunæ aspectibus , qui octo sunt , tribuamus, cunctos mensis dies sibi eos adsumere videbimus , in quibus vim habeant hæc inferiora commouendi . Cęterum his ita explicatis compertissimum esse cuiq; arbitror , Lunares configurationes crises, crisimosq; dies omnino moderari , quemadmodum supra à nobis positum fuit; non occulto quidem influxu , aut motus, aspectusq; hostilis , vel benigni ratione , vt plerię; somniarunt, somniassęq; Galenum crediderũt;

Cap. 12.

sed quatenus varios in aere ambiente, habito principij morbi respectu, ob variam luminis mensuram caloris, frigiditatisq; gradus pariunt, proindeq; ægrotans corpus vario modo afficiunt, internas agentes causas excitantes, opemq; illis ferentes, vt inceptum opus perficere queant: quod peripateticis decretis mirificè consonat, quæ cuncta naturæ opera ratione aliqua fieri ponunt, proportioneq; & moderatione caloris, & frigiditatis effici, quæcunq; secundum naturam efficiuntur. quæ omnia in suppositionibus sufficienter pro institutæ disputationis scopo exposita sunt. ex quibus etiam patet, non propterea sequi, cunctos, qui acuto morbo corripiuntur, in ægrotationem hanc ipsis aspectuum articulis incidere oportere; vel hosce Lunæ aspectus, etiam cùm non sunt, vim suam exercere posse; nam temperationem, quæ illorum causa in aere oritur, habita ad morbi diem ratione, spectandam esse superius docuimus; quæ, dum luminis quantitas, aspectusq; viget ipsi respondens, locum habet: præterquàmquòd & Ptolemæi quoq; auctoritas nodum hunc dissoluit.

Altera proponitur dubitatio, & dissoluitur. Quid concoctio sit, quid inconcoctio. quo modo ambientis mutatio insito calori opem ferat. Cap. 25.

SEd & alia superest dubitatio diluenda; non enim vlla apparet ratio quomodo insitus calor, expultrixq; facultas ad coquendos humores & expellendos ab his, quæ in ambiente fiunt, mutationibus iuuari possit, vel quoquo modo excitari; vt propterea dicere cogamur cõsensione mutationis, temperamentiq; huius in aere aduenientis cum internis agentibus causis crises fieri: præsertim cùm, si ad calorem mutatio fiat, hebetari potius insitus propterea calor debeat, vt in æstate contingit; si ad frigiditatem, à contraria qualitate remitti: vt nullo modo, aut multò imbecillius tùm suo munere fungi ipsum oporteat. Respondemus concoctionem perfectionem esse à naturali calido ex oppositis passiuis, vt quarto Meteoron docet Aristoteles; & quamuis principium sit perfectionis à caliditate propria, quæ inest, aliquid tamen exterius auxiliari; quod eiusdem est Præceptoris paulo infra citato loco. insuper tunc finem adesse concoctionis, & perfectionem ipsam, cùm victa fuerit materia & humiditas; propterea & sanitatis signa, quæ talia, & vrinas, & egestiones, & omnino superfluitates, dici concocta, quia indicent caliditatem propriam dominari humido. Demum inconcoctionem imperfectionem esse propter indigentiam propriæ caliditatis; indigentiam autem caliditatis frigiditatem esse: quæ itidem omnia ex eiusdem ore emittuntur eodem loco. At his positis sequitur obiectionem esse nullam; si enim calor insitus concoctionem faciens ab aliquo externo adiuuari potest, ergo & ab aere, eiusq; temperamento, & mutatione; nec sequitur, si ad calorem mutatio fit, insitum calorem debilem reddi; nam primùm alia ægrotantis corporis ratio est, alia sani; deinde alia ratio caloris, est ac frigiditatis, prout fit in hyeme, & æstate, vel prout fit in toto mense. nam ambientis calor insigniter auctus, vt in æstate, potest vires caloris naturalis hebetare, virium nimia propter maximam corporis raritatem facta resolutione; sicuti & excedens frigus hyeme extinguere illum potest, aut retundere: sed auctus moderatè vt in mense, vires potest augere ipsius, si cum illo consensionem habeat, ac proportionem; quemadmodum vere contingere primo secto Aphorismorum diuinè docuit Hippocrates, & Galenus in Commentarijs: quo tempore ob calorem ambientis proportionatum robustissimus naturalis calor redditur ad agendas coctiones. quin etiam & frigiditas aeris ob antiperistasim caloris vires non parùm augere potest: ex quò, vt ijdem docent, & hyeme coctiones longè meliores efficiuntur. contingit tamen propter varia hominum temperamenta alicuius insitum calorem à superueniente mutatione lædi, vt pro concoctione inconcoctio fiat; alterius contra iuuari; quæ res causa est, vt dies critica vel bonam, vel malam crisim habeat; vniq; sit salutaris, alteri verò infelix, & noxia, perniciemq; afferat. proinde si Dion, Platoq; eadem die in acutum morbum incidant, propter complexionis nihilominus varietatem, ac materiæ differentiam septima ob dictam causam Platoni perfectam crisim adducet, & salutarem, Dioni noxiam & imperfectam; vt prætereà & tritũ esse in philosophia, & etiam supra à nobis acceptum, ambientis temperatione ac mutatione calorem insitum extimulari, ac iuuari plurimum, vel lędi; vt rectissimè libello de Longitudine, & Breuitate Vitæ scripserit Aristoteles, ipsum continens vel cooperari, vel contra operari. Sed hactenus

Tex. 14.

Tex. 15.

Aph. 15.

nus de vera causa dierum crisimorum; satis enim pro ea inuenienda, explicandaq; laborauimus. Nunc ostendendum nobis est, Galenum eandem hanc, quam exposuimus, sententiam habuisse: græcè etiam ipsius verba, vbi opus fuerit, non latinè tantùm adscribentes, vt, si quæ Interpretis vitio obscuritas oriri posset, auferatur.

Septem prima superius iacta fundamenta Galenum antea posuisse, demonstratur.

Cap. 26.

DE Galeni igitur opinione acturi primùm ea omnia, quæ præmisimus, ipsum quoq; & præmisisse, & supposuisse ostendamus. Secundò eam nostri corporis cum Vniuerso in diebus crisimis, quam tetigimus, consensionem agnouisse, monstrabimus. Tertiò omnes præterea causas, quas nos adduximus, posuisse. Præmissum fuit igitur à nobis primo loco crisim perfectam, & salutarem esse concocti humoris expulsionem; id Galenum voluisse primo, & tertio libro de Crisibus satis constat, item tertio de Diebus Decretorijs: quo loco docet optimas fieri crises, cùm iam omnia in animantis corpore concocta fuerint; & paulò post, naturam ex accessionis violentia defatigatam, si non succumbat, sed postero tempore recreari, ac refici incipiat, paulatim morbum concoquere; ita vt sine vlla dubitatione censuerit, humorum concoctionem insiti caloris beneficio factam (siquidem calor naturalis est apud ipsũ sexto de Morbis Vulgaribus concoctionum opifex) ad perfectam crisim efficiendam necessariò concurrere. Dictum est præterea crisim naturæ esse operationem, & idcircò ordinatam, & proportionibus definitis, ac ordinatis periodis progredientem: id tàm clarè his verbis ab ipso pronunciatum est secundo libro de Diebus Decretorijs, vt nihil supra. Naturalem (inquit) esse conuenit, qui hæc iudicet, & persuasum habere, naturam prorsus sufficere, & summa quadã prouidentia corpori nostro prospicere: item proprijs etiam motibus ordinatis, si quid aliud, ita & ipsam vti. Hæc ille; quo iacto fundamento postea concludit, quia natura res sit quædam ordinata, & quia, cùm materiam superat, proportionibus quibusdam definitis, ac periodis ordinatis motiones in ipsa fiant, idcircò decretorios dies, quoniã naturæ sint operationes, ordinatis periodis effici, definitisq; operationibus. Adhuc positum est calorem naturalem, virtutemq; expultricem crises efficere, insitumq; calorem vnà cum hac ipsa virtute necessariò ab ambiente aere alterari; quorum primum eodem tertio libro Galenus docuit apertissimè ita scribens. Cæterum vt in ventriculo, sic in singulis corporis partibus alienorum expultrix facultas esse ostendebatur, quæ meo quidem iudicio & crisim in morbis efficit; atq; propterea optimæ fiunt, cùm iam omnia in animantis corpore concocta fuerint. alterum verò non solùm toto illo tertio satis euidenter significauit, à Sole & Luna aerem affici, alterariq; scribens; item à Luna mensem, idest aerem, in menstruo spatio per septimanas immutari, alteratoq; aere simul & nostra corpora affici, ac mutari; sed & alibi sępisimè hoc idem significauit: nam in Arte Medicinali corpora nostra necessariò ab aere alterari posuit, & modum rationemq; explicauit; quatenus scilicet, aut calefit, aut frigefit, exsiccatur, vel humectatur: & primo de Morbis Vulgaribus corporum nostrorum temperaturas cũ aeris permutatione affici necessariò, ac permutari non semel dixit. vt propterea scripserit ex Hippocratis decreto primo secto Aphorismorũ, innatum calorem nostrum ambientis qualitate, ac temperie vel lædi plurimum, vel iuuari; præsertim in efficiendis concoctionibus. Dictum insuper est omnem ambientis menstruam mutationem in Lunam esse referendam: quod Galenus eodem tertio libro sic ponit. etenim menses hæc (scilicet Luna) perpetuò ordinat. & paulò post. Luna verò particulares cuiusq; mensis dies disponit. & mox, postquam Lunares ad Solem recensuisset aspectus. Quare mensem à Luna alterari secundum septimanas iam est perspicuum. & paulò infra. περίοδοι δ' εἰσιν αἱ μὲν δι' ἡμερων ἀριθμοῦ τινὸς, αἱ δέ διὰ μηνῶν. αἱ μὲν δὴ διὰ των ἡμερῶν ἑβδοματι, καὶ εἰσὶν, καὶ πρὸς τὴν σελήνην ἀνήκουσιν, αἱ δὲ διὰ μηνῶν εἰς ἥλιον ἀναφέρονται. idest ex nostra interpetatione. Periodi hæ quidem numero aliquo dierum constant, hæ verò mensium: & quæ quidem diebus constant, septimanæ sunt, & in Lunam referuntur; quæ verò mensibus, in Solem. Et quod magis est eodem loco non multò post dimidium Lunaris periodi, quod à plenilunio est ad interlunium, æstati, partem alteram ab interlunio ad plenilunium hyemi similem fecit: quod paulò supra quinti capitis initio significauerat, dicens, quẽadmodum Sol annum disponit, ordinatq;

Cap. 8.
Cap. 2.
Cap. 8.
Cap. 85.
Aph. 15.
Cap. 2.
Cap. 3.
Cap. 5.
Cap. 7.

vniuersum, sic & Lunam mensem ipsum moderari penes alterationem, quam per septimanas patitur. quibus significauit modo non dissimili Lunam mensem in quatuor partes diuidere iuxta temporum, mutationumq; aeris diuisionem, perinde ac Sol suo vario motu quatuor tempestatum in anno sit auctor; vt nulli dubium esse queat, mensem ipsum, eiusq; partes, ac mutationes, quæ in mensis partibus, ac diebus fiunt, à Lunaribus periodis, à Lunæq; cum Sole configurarionibus de Galeni mente dependere: quod totum ipse à Præceptore sumpsit quarto de Ortu Animalium ita scribente. Sol enim per totum annum hyemem, atq; æstatem facit; at Luna per mensem id agit: quod ita fit non accessu discessuq; Lunæ, sed alterum increscente Luna, alterum decrescente. Et in extremo eiusdem operis idem Aristoteles Lunæ periodos, ipsius cum Sole configurationes appellauit, mensem propterea communem Solis ac Lunæ periodum appellans; vt hac in re palàm sit summam esse Galeni cum Aristotele consensionem. Rursus acceptum est mutationem hanc, quę in ambiente à Luna efficitur, nullam esse aliam quàm frigoris, & caloris ortum, siue harum qualitatum intensionem, & remissionem. quod satis ex superioribus cuiq; est manifestum, Aristotelem primùm, deinde Galenum existimasse; qui tertio de Diebus Decretorijs sæpissimè dicens omnem vim inferiora hæc alterandi Lunam à Sole habere quatenus eius luminis sit particeps, simili modo ac Solem, ipsam Lunam alterare significauit; caloris videlicet, & frigiditatis ratione. præterquàmquòd & cùm efficere Lunam hyemem, ac æstatem in mẽse docuit, hoc idem apertissimè videtur indicasse. Adhuc positum est his qualitatibus tanquam instrumentis crises, diesq; crisimos Lunam moderari; quod tanquam vero maximè consonum & arbitratum esse Galenum, & docuisse, vel inde palàm est, quoniam ipse Lunam crisimos dies regere dixit quatenus aerem, & reliqua cum eo alterat; alterare verò frigoris, calorisq; ratione. item quoniam libro decimoquarto de Vsu Partium perspicuè scripsit, in calorem & frigus, in calidiq; & frigidi differentiam, & inæqualitatem tanquam in vnum principium, si modò physici simus, particulares omnes actiones nobis esse referendas; vt nil apertius ab eo dictum vnquam videatur.

Cap. 2.

Ca. 2. 3. 12.

Cap. 4.

Ostenditur octauum, nonum, decimum, ac vndecimum fundamentum Galenum posuisse. Demonstratur Lunam ex ipsius mente virtute tantùm, quam à Sole recipit, agere in hæc inferiora, et crisimos dies moderari.

Cap. 27.

SEd quatuor alia, quæ iecimus, fundamenta, octauum scilicet, nonum, decimum, ac vndecimum egregiè multò antea à Galeno iacta fuisse ostendamus. Acceptum igitur in illis fuit, cùm omnium sit mensura, crises mensuram habere propriam, & periodum; hanc verò dierum quodam numero constare, proindeq; menstruam esse, & ad mensis partes pertinere; propterea in Lunam esse referendam. Quorũ primum secundo libro, & tertio de Diebus Decretorijs Galenus affirmauit, docens crisim, quia operatio naturæ sit, certam definitamq; periodum habere; alterum tertio libro, ea scilicet de causa, quia mensis, eiusq; partes Lunæ motu, aspectibusq; regantur, ac diuidantur, quemadmodum ex Aristotele superius probauimus; ex quò & Galenus non minus verè quàm eleganter pronunciauit, quæcunq; in dies rebus sublunaribus contingunt, experientia esse comprobatũ, horum causam Lunam habere, maximèq; ipsa in diametris & oppositis stationibus alterare; nec vlla alia ratione, vt supra diximus, nisi frigus, & calorem producendo, ipsasq; in aere causando mutationes; vt Galenus non tanquam fatidica quædam anus (quod pleriq; somniarunt) in tradẽda dierum crisimorum causa ad syderum, Lunæq; occultas vires, & proprietates confugisse videatur, sed ad qualitates manifestissimas, calorem scilicet & frigus, quas motu intercedente astra producunt, producendoq; aerem alterant, ac immutant. in alicuius enim Cęlestium corporũ periodum Galeno tanquam bono peripatetico crisium periodum, ac dierum crisimorum fuisse reducendam, satis supra ex Præceptoris mente monstratum est, perspicuè asserente in extremo quarto de Animalium Ortu recta fieri ratione, vt rerum minus principalium periodi rerum magis principalium periodos sequantur: vt nesciã an dicam, ridendam esse, vel lugendam potius eorum temeritatem, qui Galeno hac in parte contradicunt. Præterea positum est Lunam omnem hanc vim aerem alterandi & reliqua cum eo, Solis ratione habere; nimirum quatenus lucis eius sit particeps, pro-

Cap. 2.

Cap. 1.

Cap. 5.

proindeq; calorem gignit, & frigiditatem: quod & supra tetigimus; & Aristotelis est quarto de Ortu Animalium asserentis, Lunam principium esse, generandi scilicet, & alterandi sublunaria hæc, propter Solis societatem, receptumq; lucis; per mensemq; hyemem facere, & æstatem incremento luminis & decremento, vt superius vidimus; ex quò & quasi alterum, ac minorem Solem Lunam appellauit; quod fecit quoq; Theophrastus in Opusculo de Pluuiarum Signis, à quibus ne minimum quidem Galenum desciuisse tertio libro de Diebus Decretorijs adeò euidens est, vt nulla ferè egeat probatione. nam & secundo capite ita locutus est. » Magna sanè & Lunæ opera in » hac rerum substantia apparent; verùm So- » lis effectibus posteriora. etenim menses » hæc perpetuò ordinat, idq; euidèter adeò » in marinis belluis; quanquam & hoc ipsũ » Solis beneficio debet. & paulò post. Igi- » tur fructus auget, incrassatq;, animalia » implet. Ad hæc menstruorum statum tem- » pus mulieribus conseruat. item comitia- » lium circuitus custodit, inde quòd Solis » plus, vel minus participat. ex quò & Lunam in omnibus Sole indigere dicit, eiusq; esse ὑπαρχον, idest vicariam tanquam maximi regis; ita ut quicquid efficit, eius quasi iussu, & virtute efficere videatur. & tertio » capite dicit sic. Luna verò particulares » cuiusq; mensis dies disponit paruæ muta- » tionis facultatem habens: eamq; non sim- » pliciter ex se, verùm ex Solis aspectu. Demumq; capite duodecimo epilogans omnia, quæ disputauerat (quem locum vtinã maximè obseruassent Galeni calumniatores) postquam causam retulit dierum crisimorum in Lunam; postquam medicinalis, periodiciq; mensis fecit mentionem; postquam ad suam roborandam sententiam Aegyptios astrologos in testes adduxit; tandem postquam oppositis, quadratisq; radijs Lunam hæc nostra alterare, commouereq; quasi motu suo, nullam faciens lucis mentionem, testatus est; quibus ad Astrologicos influxus ipsum confugisse tanquam ad aram omnibus, quot quot illum vexarunt, arbitrandi dedit suspicionem; ita de Lunæ potestate in crisimos dies, potestatisq; causa suam rursus nobis sententiam » perspicuè aperuit. Et sumens (inquit) prin- » cipium non Astronomis tantùm, vel na- » turalibus Philosophis, sed Agricolis quo- » q;, & Nautis, hominibusq; omnibus re- » ceptum, Lunam videlicet terrestrem pla- » gam veluti vicariam quandam magni regis Solis immutare, ipsius periodos crisi- » mos dies sequi demonstraui. Hæc ille, adeò quidem manifestè, vt nullus nisi magnus quidam veterator, apertè eum ludificari, & calumniari volens, sententiam hanc reprehendere possit; quæ & sensui, & rationi, & peripateticis dogmatibus mirificè apparet consentanea: vt meritò Philosophis naturalibus receptam Galenus asserat. etenim si Luna immutat terrestrem plagam, idest terrena omnia, tanquam ministra Solis, eiusq; virtute; igitur ob societatem, quam cum ipso habet; igitur ob lucis receptum; igitur configurationum, quas cum ipso facit, ratione; igitur quatenus varia recepta luminis mensura calorem, & frigus in aere producit, diuersasq; illi affert mutationes. at eadem de causa aperto ore clamante Galeno dies crisimos regit suis periodis, ac moderatur; quo modo igitur suarum rerum, suiq; muneris Medicinæ Parens oblitus, ab Astrologis seductus, & persuasus, illorum sequitur opinionem? quo modo facultate propriæ artis neglecta alienę prę stigijs patitur inuolui? Medicus enim à Philosopho suæ artis principia sumit; at nullum firmius, nullum clarius principium est in philosophia peripatetica, quàm Solem ac Lunam inferiora hæc alterare aerem alterando, caliditatis, & frigiditatis ratione. Verùm cùm hi Galeni dicta oscitanter acciperent, nec possent assequi intelligentia, quo pacto Luna dies regere iudicatorios valeat, nullo alio agẽdi modo in ea posito præter eum, qui in lucem refertur, in variasq; ipsius ad Solem configurationes; occultas vires, Aegyptiorumq; superstitiones somniare coacti sunt; tam falso Galenum easdem recepisse, ac posuisse arbitrantes, quàm falsum dogma est, quod ipsi Galeno imponunt, quamq; alienum ab ipsius mente; quod infra clarius etiam demonstrabimus, nunc ad propositum reuertamur.

Duodecimum fundamentum probatur ex Galeno; pluribusq; monstratur, Lunares ad Solem aspectus, de ipsius mente dichotomias esse.

Cap. 28.

ACceptum fuit pro duodecimo fundamento hos aspectus periodosq; Lunares, quæ criticos dies metiuntur, dichotomias esse; idcircòq; aerem alterare, & vnà cum eo corpus ægrotans habita diei, in quo morbus incepit, ratione; habitoq;

tem-

temperamenti respectu, quod per id temporis in aere vigebat: eò quòd in dichotomijs mutationes maximè fiant teste Theophrasto; vt propterea crisimi dies, qui crises metiuntur, nil sint aliud ipsi quoq; quàm dichotomiæ crisium tempora distinguentes. Hoc sensisse Galenum facilè ostendam. Primùm quòd aspectus Lunares simpliciter sumptos, prout ad Vniuersum referuntur, exactéq; interlunium, quadraturas, pleniluniumq; dicunt, dichotomias esse ipse agnouerit consentiens cum Theophrasto, quæ tertio de Diebus Decretorijs libro scripta sunt, faciunt testatissimum; quo loco oppositioni, ac plenilunio ideo magnam vim tribuit Galenus alterandi, quia dichotomia sit, dichotomięq; munere fungatur, dicit enim. ἐφεξῆς δὴ διάμετρος στάσις, ὡς ἂν διορίζουσα καὶ δίχα τέμνουσα τὰς ἐναντιωτάτας τῆς σελήνης διαθέσεις, ἰσχυροτάτη τῶν ἄλλων ἐστίν. quod est. Deinceps diametra statio, tanquam diuidens, & in duas æquales partes secans maximè contrarias Lunæ dispositiones, aliarum configurationum validissima est. dicit enim, vt videmus, oppositionem, tanquam δίχα τέμνουσαν Lunarem periodū, ingentes habere vires; itaq; & διχοτόμιαν illam facit, & quatenus dichotomia est, vim hanc illi tribui. quo loco malè Interpres postrema verba, ἰσχυροτάτη τῶν ἄλλων ἐστίν, transtulit, omnium est validissima; cùm Galenus dicat aliarum, nequaquam omnium; eò quòd coitum cęteris antecellere dixerit, post coitum plenilunium: qui locus Manardi opinionem funditus dirimit, qui per silentia Lunæ nullam fieri in his inferioribus mutationē Galenum censuisse, pertinaciter cōtendit. Sed, vt redeam ad rem, dies, menses, annos, horūq; partes δίχα τέμνειν, & διχοτομεῖν munus esse dichotomiæ (vnde & nomen ductū est) in Anemologia diximus. Primum enim dichotomiæ officium est per cōtrarias maximè dispositiones tempora distinguere, atq; hoc pacto syderis, cuius motus tempus illud mensura est, contraria loca designare: facit autem id dichotomia, cùm totum temporis tractum in duas æquales seiungit portiones; ita enim loca, punctaq; maximè distantia, proindeq; & contraria significat sydus posidere. quæ enim maximè distent secundo Meteoron Aristoteli contraria sunt, vt supra diximus. atq; dichotomia, quæ id præstat, prima dignitate est, quia maximam affert mutationem, maximam differentiam. Sic, cùm totus annuus tractus duodecim mensibus cōstet, solstitia, & æquinoctia dichotomiæ sunt, quia illum in duas æquales partes partiuntur, proindeq; Solem contraria loca posidere monstrant, ideoq; temperamenta afferre contraria, mutationesq; maximas. hyems enim contraria ęstati est; ver autumno in qualitatibus. eadem lege diem ipsū in libro de Pluuiarum Signis diuidebat Theophrastus, atq; ante illum Hippocrates, & Aristoteles, vt nos citato loco demonstrauimus. quam etiam diei partitionē diuinus Plato perbellè significauit, paruum annum, referente primo Meteoron Olympiodoro, diem ipsum appellans. meridies enim, & merinoctium principes in illo dichotomiæ, ortus & occasus. Alterum dichotomiæ officium est mutationē quadam tantùm ex parte contrariam designare, quod euenit cùm non amplius totū temporis tractum, sed partes quasdam illius distinguit; sicuti æquinoctia sunt in annuo spatio solstitiorum respectu, quæ anni dimidium, scilicet menses sex, & tempus, quod à solstitio ad solstitium intercedit, in duas æquales partes diuidunt: vnde non contraria omnino temperamenta notant, sed quadam tantùm ex parte. Hyemi enim cum æquinoctio Arietis succedit ver, vna tantùm qualitate hyemi oppositum, altera consentiens; & de autumno æstatis respectu eadem ratio est. Atq; hæc causa est cur diuinè dixerit Theophrastus in libro de Pluuiarum Signis, dichotomias tēpora distinguere, & si mutatio fieri debet, in dichotomijs maximè effici.

Cap. 3. — Ann. 21. in li. de Pluu. Sign. — Cap. 6. — Ann. 30. in lib. de Pluuiarũ Signis. — Act. 9.

Superiora plenius confirmantur. Item ostenditur de Galeni opinione crisimos quoq; dies esse dichotomias.

Cap. 29.

EAdem hæc igitur Galenus cogitans, vt ad propositum redeamus (hæc enim pauca diximus, vt dichotomiarum naturā explicaremus, & cur mutationes in aere moueant, afferantq; ostenderemus) atq; ex purissimis Peripateticorum fōtibus veritatem hanc hauriens, plenilunium oppositionemq; maximam vim habere dicit, quia sit dichotomia, & dichotomia quidem princeps. maximè nanq; contrarias dispositiones Lunæ æqualiter diuidit; ex quò & cùm in opposito est, loca ipsam maximè distantia, & propterea contraria, posidere monstrat, vt supra dicebamus; idcircòq; omnino contrarias afferre in aere mutationes. Nec latuit illum alterum di-

dichotomiarum officium, cùm scilicet iam partes non totum ipsum æqualiter dichotomiæ beneficio diuiduntur; nam & paulò post, Lunæ quadraturas ideo vim habere subiungit aerem alterandi, quia illa duo tempora contraria incrementi lucis, & decrementi æqualiter secant. ita .n. loquitur.
» ἐφεξῆς δὲ ταύτης τῆς συνόδου τε καὶ τῆς πανσελήνης
» αἱ διχότομοι δύο μέσον ἑκάτερα τέμνουσα, τὸν μὲν
» τῆς αὐξήσεως χρόνον ἡ προτέρα, τὸν δ' αὐτῆς μειώ-
» σεως, ἡ δευτέρα. Quod est, vt nos ad verbũ
» interpretamur. Post coitum verò & pleni-
» lunium duæ sequuntur quadraturæ, vtraq;
» per medium secans; prior quidem augmen-
» ti tempus; secunda tempus decrementi.
Hæc ille; quibus clarum est interlunio & plenilunio primas tribuere, mox quadraturis, quia per medium, idest æqualiter spatia, quæ interiacent inter plenilunium & interlunium, seiungant: vt iam latissimè pateat & Lunares aspectus dichotomias esse Galenum voluisse, & propterea menstruum spatium distinguere, in eoq; afferre, ac notare mutationes; vt hæc scribens in abditissima peripateticæ philosophiæ arcana penetrauerit: cùm hæc omnia ante illum in libro de Signis Pluuiarum doceat Theophrastus. Cęterum sicut Lunares ad Solem configurationes dichotomias esse Galenus censuit, ita & dies crisimos eadẽ lege progredi arbitratus est; ita vt nil aliud sint & ipsi de illius mente quàm dichotomiæ, quemadmodum & Lunæ periodi, à quibus pendent; quod & nos supra dicebamus; & ipsum Galenum existimasse superest nunc vt demonstremus. Ac primùm quo amabò alio fundamento secundo libro de Diebus Decretorijs quartum, septimum, vndecimum, demum decimumquartum crisimos esse monstrat, nisi hoc vno, quòd dichotomiæ munere funguntur? ita nanq; scribit. Vbi enim prima hebdomas bifariam
» diuisa fuerit, quartus sectionem recipiens
» qualis finis futurus erit prænunciat. & se-
» cunda similiter. quomodo igitur non quis
» intelliget septimanam quanq; perfectam
» quandam esse periodum? cùm medium ab
» vtroq; extremo æqualiter distet, & propte-
» rea ad ambo communionem similem obti-
» neat? nam quartus morbos, qui primo die
» non cessarunt, soluit. vndecimus rursum,
» quos septimus non discussit. Quòd si mor-
» bus maior sit quàm vt quarto die crisim ac-
» cipiat, dies quidem quartus præparat, finẽ
» verò imponit septimus; pari modo qui sep-
» timo non desierunt, vndecimo die natura
» soluere molitur, atq; sic in ipso vel decernit, vel ipsi decimoquarto præparat. Hæc »
Galenus; quibus luce meridiana clarius est, propterea eum diei quarto vim tribuere iudicandi, quia dichotomia sit septimanam bifariam æqualiter partiens: medium nanq; esse dicit quartum diem ab vtroq; extremo, primo scilicet, & septimo, æqualiter remotum; quod dichotomiæ esse proprium superius monuimus; ex quo & septimanam periodum esse perfectam argumentatur: quibus nos docet, vt supra etiam tetigimus, ad perfectam periodum constituendam hanc necessariò concurrere conditionem, vt medium habeat ab vtroq; extremo æqualiter seiunctum. Eadem de causa vndecimum criticum esse ostendit, quia inter septimum, & decimumquartum medium obtineat. eandemq; sententiam eodem libro infra expressit, scribens quartũ diem ne periodum quidem euidenter esse, sed periodi veluti dimidium, eò quòd septimana dupliciter diuisa quartus sectionem accipiens primi quaternionis terminus est, secundi initium; quibus dichotomiam quartum esse demonstrauit. quod etiam tertio fecit libro apertissimè, quaternioni, quia naturam induat dichotomię, vim tribuens iudicandi. siquidem ita locutus est. ἡ μὲν γὰρ τετρὰς, ὅτι διχοτμηθείσης »
τῆς ἑβδομάδος ἀποτελεῖται, καὶ διὰ τοῦτο μεγάλην »
ἔχει δύναμιν, ἔμπροσθεν εἴρηται. idest. etenim »
quaternio, quòd septimana in duas partes »
secta perficitur, & ob id magnam vim ha- »
bet, antea dictum est. Hæc ille; quod to- »
tum à præceptore Hippocrate desumpsit, apertè ad finem libelli de Principijs quartæ diei vim impartiente iudicandi, quia septimanæ sit dimidium; cuius loco illo hæc est oratio maximè digna animaduersione. Quin & morbi acutissimi sic hominibus fi- »
unt præ cęteris diebus hebdomadis dimi- »
diæ, aut vnius, in quibus iudicantur, & »
moriuntur, aut sani euadunt. & tertij ge- »
neris in vndecimi diebus, hoc est vna & di- »
midia hebdomade; & quarti in duabus he- »
bdomadis. & quinti in duodeuiginti die- »
bus, hoc est duabus & dimidia hebdoma- »
dis. vt iam compertissimum cuiq; esse debeat, hæc Galeni, Hippocratisq; loca non omnino oscitanter consideranti, dies crisimos dichotomias esse, dichotomiæq; ratione diuidi; quod nos supra etiam abundè ostendimus. quartus enim primam septimanam diuidit, vndecimus secundam, septimus primam terminat, decimusquartus secundam: qui etiam ab vndecimo est quartus. vnde omnes accipiunt vires,

Cap. 2.

Cap. 9.

Cap. 8.

quia

quia dichotomiæ induunt naturam.

Decimumtertium fundamentum à Galeno iactum ostenditur. item vim dierum crisimorum ipsum in ambientis mutationem retulisse. decimumquartum, ac decimumquintum fundamentum comprobantur ex eodem.

Cap. 30.

IAm verò suppositum etiam fuit in decimotertio fundamento Aristotelis auctoritate ex prima sectione Problematum, morbos iudicari à superueniente temporis mutatione; ita vt crises, cùm iudicia morborum sint, hac ipsa de causa fiant statis illis, ac certis diebus, quia totius menstrui temporis mutationes sint quædam: nam & hoc est, quod supra dicebamus, dies crisimos dichotomias esse: siquidem hoc modo mutationis sunt prænuncij. Hoc Galenus apertissimè docuit tertio libro de Diebus Decretorijs; vt, si quis mentis aciem accuratè in ipsius verba intendat, hac de re nullo modo dubitare possit; quandoquidem, cùm dixisset periodorum alias dierum numero constare, alias mensium; & quæ dierum numero constant, in Lunam quæ verò mensium, in Solem esse referendas; ambasq; periodos eodem modo fieri; videlicet, vt ego explico, quatenus horum syderum motus mensuræ existentes calorem frigusuè illorum motu genitum, vel harum qualitatum varios gradus afferunt, ac notant; statim adiecit, vt harum periodorum in morbis iudicandis vim, ac potestatem demonstraret, & causam potestatis, ab Hippocratis dictis esse ordiendum, qui æstiuos morbos hyeme solui, hybernos æstate notatum reliquit: quibus docuit, pari de causa decretorios dies acutos morbos iudicare, ac hyems & æstas, annuęq; tempestates, & mutationes diuturnos, annuosq; iudicant, & tollunt; vnde ita statim sequit. " αὕτη μὲν σοι προθεσμία κρίσεων ἐςὶ, χρονίων τὲ καὶ " ὡς ἂν εἴποι τὶς ἐνιαυσιαίων νοσημάτων, οἷα περ ἐν τοῖς " ὀξέσιν ἡ τῆς ιδ. quod est ex nostra interpre- " tatione. Vicissitudo quidem hæc hyemis, " & æstatis statum tempus iudiciorum est in " longis morbis, & quasi dicas annuis; quę- " admodum & in acutis dies decimaquarta. Proinde subdit, vt mensem æstatem, ac hyemem habere demonstraret (quod nos supra ex Aristotele docebamus) totius periodi Lunaris dimidium tempus, quod ab interlunio est ad plenilunium, annui tractus interuallo respondere, quod ab initio hyemis est ad æstatis vsq; principiũ; quod verò à plenilunio est ad interlunium cum eo spatio habere proportionem, quod ab initio æstatis est ad hyemis vsq; principium. etenim annum totum primò in hyemem, atq; æstatem quasi in duas quasdam principes partes, ac magnas differentias Veteres diuidebant, vt ex Galeno in Disputationibus de Hippocratica Anni ratione demonstrabimus; de qua re quædam etiam in Anemologia diximus: ver propterea, & autumnum quasi harum partium particulas quasdam facientes. quòd si vtraq; hæc spatia, scilicet & quæ hyemem, æstatemq; conficiunt, & quæ ab interlunio ad pleniluniũ vsq; à plenilunio ad interlunium sunt, in duas partes diuidamus, in acutis morbis septimanam constituemus, vim habentem iudicandi, vt idem Galenus acutissimè addit; in diuturnis stellarum innerrantium significationes, quibus ver, æstas, autumnus, hyems describuntur. Veteres enim innerrantium apparitionibus annuarum tempestatum initia notasse, & qua de causa in libris de Hippocratica Anni ratione dicemus, tetigimus etiam in Anemologia. Cœterum ex hac Galeni diuina disputatione quid quæso aliud elicimus, quàm quod supra dicebamus, videlicet dies iudicatorios quatenus mutationem afferunt, notántq; ambientis, idcircò vim habere in morbis acutis iudicandi? hoc enim necessariò ex hoc Galeni loco concluditur, dum in eo ponitur diem 14. in acutis vel hyemi, vel æstati respondere, septimanam (scilicet diẽ septimam) veri, vel autumno. tempora enim anni quatuor nil aliud sunt, quàm ambientis mutationes; propterea Galenus inquit quatuor anni tempora manifestis ambientis aeris mutationibus distingui. Verùm quo modo mutationes temporũ morbos iudicent, egregiè tertio problemate primi secti declarat Aristoteles, inquiens, quia mutationes hæ ad frigus, vel ad calorem sunt, ad humorem, vel siccitatem; harum verò qualitatum excessus morbos committunt; secunda demum valetudo earum mediocritas est quædam; propterea, si per humidam frigidamq; materiã morbus constiterit, tempus accedens contrarium illam tollere posse, proindeq; & morbum iudicare; & de reliquis eodem modo: de quo quidẽ Philosophi loco iam libro quinto disputauimus. itaq; & pari de causa crisimi dies acutas ægritudines iudicabunt. quod & rursus citato loco Galenus confirmauit, non solùm diei decimoquarto in acu-

Prob. 3.

Cap. 7.

Apol. li. 2. Cap. 2.

Apol. li. 2. cap. 2.

acutis iudicandi tribuens potestatem, sed etiam septimo; non solùm hyemi, vel æstati in diuturnis, sed etiam temporibus intermedijs. quod fecit, vt doceret, vnde septima in acutis morbis iudicandi habeat » potestatẽ. atq; eius hæc est oratio. Rursus » & alio modo. quemadmodum septimana » acutorum morborum decretoria est, sic » temporis annui mutatio diuturnos mor» bos discutit, vt in hyeme quidem constitu» tum morbum ver dissoluat; in vere consta» tum æstas: simili ratione per æstatem con» tractum autumnus, in hoc paratum hyems. Quid ergo clarius? sic acutum morbum septimana iudicat, vt diuturnum mutatio annui temporis; igitur simili de causa, quã supra ex Aristotele exposuimus; igitur dies critici quasi annuæ quædam mutationes morbos iudicant, vt superius ex Hippocrate probauimus; ac medicinalem propterea mensem, qui diebus ferè 27. apud Galenum integratur, in suas partes distribuunt; quemadmodum Lunares configurationes mensem ipsum, & annuæ tempestates annum vniuersum: vt hinc mira Galenum arte (veluti fusius infra demonstrabitur) ipsum excogitasse Solis lumine clarius appareat. à quo quidem cùm ipsius calumniatores animi oculos auerterint, mirum est quomodo iacentes in tenebris veritatis lucem se respicere posse crediderũt. Demum decimũquartum, ac decimũquintum fundamentum ab eo iacta esse nemo negare poterit, qui secundo de Diebus Decretorijs ipsum scripsisse obseruabit, naturam nostri corporis moderatricem, & quæ conceptus effingit, ducitq; ad perfectionem, corporiq; nostro præstat incrementum, eandem crisimos dies, crisesq; ipsas causare; item vbi agit de optima nostri cor« poris constitutione asseruisse, imbecillas, « intemperatasq; naturas à causis morborũ « facillimè corripi: quod de laborante cor« pore morbo præsertim acuto verum esse « nemo inficias ibit. ex quò & rectissimè « tertio de Diebus Decretorijs scriptum le« gimus ab eo, ægrotans acuto morbo cor« pus, tanquam in motu ac perturbatione « vehementi constitutum, mutationibus ac« comodatum esse. sequitur enim ex his & naturam non cuiusq; indiuidui propriam, sed specificam, sed communem crises causare; & ægrotantia corpora vel leuissima quaq; mutatione commoueri; quod vtro« q; fundamento acceptum fuit. Cęterum hactenus monstratum sit quæ nos iecimus sententiæ nostræ fundamenta à Galeno iam

Cap. 2.

Cap. 7.

pridem posita fuisse; nunc reliqua persequamur, easdem & ipsum dierum crisimorũ causas agnouisse demonstrantes, summamq; hac in re corporis nostri cum Vniuerso consensionem.

Galeni vera opinio de crisimorum dierum causis proponitur enarranda: ac primùm ostenditur nostri corporis in critico negotio cum Vniuerso consensionem ipsum agnouisse.

Cap. 31.

Corporis nostri (quod pertinet ad crisium negotium) vt planius rem hanc difficillimam explicaremus, magnam & miram cum Vniuerso consensionem primo loco aperuimus haustam ex fontibus peripateticis; hanc eandem Galenum ante nos excogitasse, satis constat tertio libro de Diebus Decretorijs; cùm totis quatuor capitibus, à secundo videlicet ad quintum vsq; nil ferè aliud ipse moliatur, nisi vt & ratione, & experientia ostendat, per Lunares aspectus aerem immutari alterariq; huiusmodi mutationes crises appellans; vt fateri cogamur eandem hanc consensionem ipsum animaduertisse. nam quarto præsertim capite sic inquit. ἀσφαλὴς οὖν ἡ κρίσις ἀ» ποτελεῖται τῆς ἐν ὅλῳ τῷ μηνὶ γενησομένης καταστά» σεως ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν ἡμερῶν, ἐν ᾗ πρώτη καὶ » σαφὴς ἡ σελήνη. idest, vt nos interpretamur. » Certa igitur crisis futuri status totius mẽ» sis secundo die promitur, in qua & prima » & manifestè Luna apparet. qui locus in Anemologia explicatus est à nobis diligenter aduersus Galeni calumniatores. Verùm hîc mutationem, quam Luna portendit, cùm primùm se se nobis aperit, crisim, vt liquet, appellat; quin &, quod magis est, paulò post eodem capite, vbi de his mutationibus, quæ in Lunaribus aspectibus fiunt Arati etiam adducto testimonio disseruisset, rationem affert cur crises eas dicat: inquit enim. Omnis autẽ velox mu» tatio crisis appellatur. Vnde & mox de » quadraturis agens, ac de mutationibus, quę in illis fiunt, earum ratione, quæ eueniunt plenilunio, apertissimè illas aerem iudicare testatur; atq; eius hæc est oratio. ταύτης δ' ἀσθενέστεραι μὲν ἀλλὰ κρίνουσαι μὲν καὶ αὐ» ται τὸ περιέχον, αἱ διχότομοι στάσεις εἰσὶν. quod » est. Hac imbecilliores quidem, sed aerem » ambientem nihilominus iudicantes, qua» dratæ sunt stationes. Quibus statuit non » quadraturas tantùm, sed plenilunia magis, » proindeq; reliquas Lunæ configurationes

C. 2.3.4.5

Am. 28. in li. de Plun. Sign.

Cap. 5.

aerem ipsum iudicare: vt iam hi dies in toto menstruo tractu crisimorum dierum munere fungantur, viamq; monstrent, quæ ad veram nos ducit eorum causam, & naturam cognoscendam: cùm par ferè ratio in vtrisq; locum habeat. quam profectò viam, vt videmus, rectissimam Galenus nobis, tritamq; reliquit; vt sibi semitam non sapere, totumq; ignorare iter veritatis videantur, qui hac in re Galeno contradicunt: vtinã, cùm norint spe falsa & fallaci erratum esse, redeant in eam. Hæc igitur, quòd pertinet ad nostri corporis cum Vniuerso consensionem in crisium negotio, dierumq; crisimorum. Quòd verò ad causas spectat, clarũ est ex superiori nostra disputatione, agentes externas duplices à nobis esse positas, scilicet ambientis aeris mutationes in menstruo spatio factas, & Lunam suo motu harum mutationum causam; internas itidem duplices, insitum videlicet calorem, & virtutem expultricem, siue vnicam dicere velimus, ipsum insitum calorem, cùm expultrix instrumenti loco esse possit; vel potius naturam ipsam, animæq; virtutem, quæ calorem ipsum, corpusq; regit nostrũ, ac moderatur; materialem humores, qui acutos morbos creant, demum humanum corpus; formalem actum illum expellendi; finalem tandem noxiorum expulsionem, ægrotantisq; corporis salutem. Rursum ex eadem patet disputatione, diebus crisimis nos vim iudicandi eatenus esse impertitos vel etiam Hippocratis testimonio, quatenus dichotomiarũ induunt naturã; vt propterea critici dicti sint, quia iudicis munere fungantur. Postremò elucet ex ea, aspectus ac mutationes in ambiente factas, quæ crisimorum dierum causæ sunt, non simpliciter ad Vniuersum esse accipiendas, sed ad diem morbi referendas esse; hac vna via postea difficillimam illam dubitationẽ labefactantes, quæ Galeni alumnos ab eo fecit esse discordes: superest nunc vt ostendamus, ex ipsius Galeni scriptis hæc omnia clarissimè haberi.

Causæ dierum crisimorum quatuor ex Galeno explicantur. item cur dies hi dicantur crisimi ex eodem.

Cap. 32.

PRimùm igitur, vt ab hoc ordiamur, externas, internasq; hasce causas Galenũ agnouisse, partim supra monstratum est, partim secundum caput legentibus secundi libri, & primum tertij de Diebus Decretorijs fit manifestum: nam & quid aliud significauit, cùm secundo libro eum statim admonuit, qui dierum crisimorum causas indagare velit, sibi esse in verba naturalis philosophiæ iurandum? omninoq; sibi persuadendum naturam prorsus sufficere? item summa quadam prouidentia nostro corpori prospicere? demum proprijs motibus ordinatis vti? vnde & admirabilem hunc in operibus obeundis naturæ ordinem cõceptuum, formationis, maturitatis, partusq; exemplo docet. his enim omnibus naturam, quæ nostrum regit corpus, agentem dierum crisimorum esse causam, & ordinis omnis, qui in illis apparet, demonstrauit; natura nanq; nostra Galeno primo secto Aphorismorum insitus est calor, qui idipsum Hippocratis comprobat auctoritate. Nec enim aliud quicquam (inquit) est natura animalium præter hoc calidum secundum Hippocratis opinionem. & paulò supra. Neq; enim aliud quicquã animal ab initio efformauit, sicuti neq; rursus adauxit, aut vsq; ad mortem enutriuit, præterquàm iste calor innatus. Hæc igitur natura, quæ, vt citato loco secundi libri de Diebus Decretorijs habetur, corpori nostro prospicit, effingit, nutritq; illud, crisimorũ dierũ agens causa est; at natura huiusmodi calor est innatus. De virtute autem expultrice supra ex Galeno dictum est, quæ etiam ab eadem hac natura temperatur. Hinc verò insignis illorum error apparet, qui videntes tertio libro Galenũ crisimos dies Lunæ adscribere, nullã internam agentem illorum causam autumarunt in nobis ipsum agnouisse: cùm tamen hoc loco apertè Galenus naturam nostram, & agentem hanc internam causam seiungat à Cœlesti, & externa agente, ita scribens paulò post. Si iam hæc crediderit, mireturq; artificium pariter & ordinem naturæ, recordatus iterum quantum ipsa superetur prouidentia & ordine à cœlestibus, inordinationem quandam, puto, substantiæ motui connatam tribuet. Atq; pulchrum omne quod hîc pulchrum sit, atq; etiam ordinatum, & artificiosum ex supernis innasci dicet, inordinatum & erraticum ex materia, quæ hîc versatur prouenire. Vnde cùm libro tertio duo illa principia statuit tanquam fundamenta inuestigandæ causæ dierum crisimorum, quæ & prima rerum omnium, quæ fiunt, principia esse inquit verbis illis. Porrò causas horum ratione nobis indagantibus duo prima omnium, quæ fiunt, principia esse sta-

Aph. 15.

Cap. 8.

statuenda videntur; inordinatum videlicet, quod ex hac mundi materia proficiscitur; ordine verò ornatuq; procedens semper, quod cęlestibus originem fert acceptam: omnia siquidem in hoc orbe ab illis decus, & ornamentum capessunt. non est intelligendum cęlestia tantùm corpora, & materiam ipsam posuisse (qua in re mirificè Manardus hallucinatus est) sed naturam quoq; nostram, agentemq; causam internam, quam τῆς ἐκ τῶν κατ' οὐρανὸν ἀρχῆς nomine intellexit. nam & hoc est quod inquit, principium hoc ordine ornatuq; progredi, ornatumq; hunc à cœlestibus originem ducere. ordo enim est propria rerum sensibilium natura, vt tertio de Cœlo admonet Præceptor; natura inquam vt forma. Ordo nanq; omnis ratio, vt octauo Physicæ docemur Auscultationis, forma verò ratio, proindeq; causa omnis ordinationis. At forma omnis materialis à Cœlo secundum Peripateticos, quam secundo libro de Diebus Decretorijs τὸ καλὸν perbellè Galenus vocitauit cum Aristotele omnino consentiens, qui primo libro de Partibus Animalium, secundo de eorundẽ Ortu formam, pulchrum, ornatumq; omnem ex Cœlo inferiora hæc habere notatum reliquit; vt hinc facilè eluceat quàm rectè nõnulli scripserint in Galenum inuehentes, benè esse, vt ab hoc labore Lunam, & beata illa corpora liberemus; quæ Aristotelico decreto omnem inferioris Mundi vim, & facultatẽ Cœlestibus regi lationibus afferente, non multa, vt scripserunt ipsi, sed omnia (de naturalibus rebus loquor) penes nos faciunt, & à nobis, & à natura multa fieri sinũt, sed non tamen sine ipsis. & sanè quàm bellè Galenus naturam hanc inferiorem Cęlestis respectu inordinationis aliquid habere dicat, quàm sit consonum hoc Præceptori, viderint illi, qui ea animaduertere voluerint, quæ hac de re libro tertio diximus. item qui Disputationem nostram de causa motus Ventorum legerint. Quod verò ad materiam spectat, ipsam esse turbationis, inordinationisq; omnis causam secundo de Ortu & Interitu, & in extremo quarto de Animalium Ortu habemus explicatum; vt Aristotelis genium in hac tota sua disputatione Galenum omnino habuisse satis cõstet. Materialem verò causam ipsum attigisse, eiusq; naturam considerasse, vel inde fit perspicuum, quòd septimum ob acutorum morborum naturam anteponendum dixit; quòd 20. magis criticam, quàm 21. esse contendit: cùm breuior omnis terminus acuto morbo quatenus tali magis sit naturalis. quanquam & quia morbus iam longus sit, ideoq; per pares dies accessiones admittat, id contingere Galenus scribat; vt materiam omnino illum considerasse euidens sit ac manifestum: demum quòd crisium ordinem non rarò interturbari accessionum violentia scribit, quod sic tertio libro explicauit. Adhuc autem magis accessionum violentia crises ante tempus incidere compellens, ipsarum ordinem perturbat. Postremò formalem, finalemq; causam Galenum explicasse illi in dubium vocare nequeunt, qui animaduertent, cum literis mandasse, naturam, vt noxia expellat, crisim efficere; hancq; ipsam crisim, si loquamur de perfecta, subitam esse ægrotantis corporis ad salutem conuersionem. Quòd verò dies crisimos dichotomias esse quasdam, ideoq; iudicãdi habere potestatem Galenus censuerit, iam satis supra probatum est. Iudicis autem officio eos fungi, quatenus scilicet æqualem faciunt periodi, quæ crisium propria est, diuisionem, indeq; ductum esse nomen, id in Commentarijs super Hippocratis Prognosticis inuenio ab eo eleganter explicatum, hac de re ita loquente.
ἡ γὰρ κατὰ τὰ νοσήματα κρίσις ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς δικαστηρίοις μετενήνεκται, σημαίνουσα τὴν ὀξύῤῥοπον ἐν νόσῳ μεταβολήν. quod est. Crisis enim, quæ in morbis fit, à iudicationibus, quæ in iudiciali foro à iudicibusq; fiunt, translata est; significans velocem in morbo mutationem. quæ quidem sententia, vt potè à Galeno posterius scripta, magis probanda est quàm ea, quæ habetur tertio libro de Crisibus; quòd scilicet à vulgari, & imperito quodam ægroti periclitantis spectante cõturbationem, indiciumq; fieri exclamante, crisis nomen dicamus ortum habuisse. Nam & hoc est, quod supra afferebamus, in Anemologia à nobis esse dictũ, iudicatorios dies ideo crisimos à sapienti Vetustate fuisse appellatos, quasi Iudices, quia iudicis officio fungantur; quatenus naturam dichotomiæ induentes ęqualem faciunt totius periodi crisium diuisionem; quod esse iudicis officium Aristotelis auctoritate demonstrauimus.

Tex. 24. Tex. 15. Cap. 1. Cap. 1. Cap. 11. Tex. 58. Cap. 7. Com. 3. p. 1 Cap. 8. Ann. 21. in li. de Pluu. Signis

Quomodo ex Galeni mente per hebdomadicas periodos Luna inferiora hæc commoueat. item qua ratione, vndeq; periodi, aspectusq; Lunares computandi secundum illum. Cap. 33.

PRobauimus Galenum causas dierum crisimo-

simorum à nobis allatas iam pridem doctè, & grauiter exposuisse; in Lunamq; & eius motum agẽtem externam causam retulisse: non quòd occulto influxu, aut proprietate, vel leuissimo alio pseudastrologorum inuento criticos dies moderari illam velit, crisesq; mouere; aut periodico suo motu quatenus motus est; verùm ea tantùm ratione, quatenus vario motu variam luminis mensuram nacta, varias etiam caloris, & frigiditatis in ambiente facit mutationes. Superest nunc (quod postremo loco à nobis in grauis dubitationis illius solutione disputatum fuit) vt ostendamus hosce aspectus, & hanc Lunaris luminis varietatem non simpliciter ad Vniuersum comparatione facta, sed ad morbi diem, & principium Galenum computasse; nonnulla demum de mense ab eo inuento adiungentes: vt quod insigni ingrati animi vitio ipsius Alumni maxima repræhensione dignum in suo Præceptore existimarunt, summum tenere appareat & laudis, & admirationis gradum. Ac primùm quid aliud tertio libro de Diebus Decretorijs docere voluit (postquam à secundo capite ad quintum vsq; de Lunæ potestate in hisce commouendis rebus, potestatisq; eius causa disputauit, monstrans ob eam, quam cum Sole habet, societatẽ, ob lucisq; receptum, huiusmodi vim ipsam habere; ideoq; per eas, quas cum Sole facit configurationes, inferiora hæc alterare; propterea; multa de Lunaribus aspectibus, de coitu scilicet, exagonis, quadratis, triquetris, oppositis radijs disserens; ac de mutationibus, quæ sublunaria hæc in illorum articulis patiuntur; simulq; aperiens per hebdomadas Lunam sicuti & hasce luminis in se recipit vices & alterationes, ita & inferioribus impertiri; addens præterea hæc non Philosophis tantùm, & Astrologis, sed & Nautis, & Agricolis, & cuiq; tandẽ de populo nota esse, & aperta) quid, inquã, aliud docere voluit, nisi aspectus dari Lunę ad cuiusq; rei principium proprios, quãdo eodem quinto capite tanquam veritati summè consentaneum posuit, mensem, aerẽ videlicet ipsum, per hebdomadas à Luna alterari, proindeq; cuiusq; rei principiũ per hebdomadicas Lunæ periodos magnas efficere mutationes? explicans paulò post hasce periodos hebdomadicas tetragonas esse, & oppositas stationes loco, quem, cùm res ipsa incepit, Luna obtinebat, penes motum ipsius periodicum per Zodiacum circulum acceptas; idcircòq; necessariò per hebdomadas progredientes; quoniam vniuersum circulum diebus 27. ipsa permeat, ex quo & sic concludit ex nostra ad verbum interpretatione. Quæcunq; enim in dies cunctis rebus, quæ sunt, contingũt, horum Luna obseruatur causam habere, & maximè res ipsas per tetragonas, ac diametras stationes alterare: si enim in Tauro Luna existente conceptio seminis fiat, vel partus, vel omnino alterius cuiusq; rei principium, vbi Luna Zodiacum perambulans ad Leonem, & Scorpium peruenerit, magnas in ea re causabit mutationes. Verùm in Leone tetragona statio septimanæ vnius est, opposita verò in Scorpione duarum hebdomadarum. Sic & cùm ad Aquarium peruenerit, secundus tetragonus in tertiam hebdomadam incurrit; idq; necessariò fit, quoniam Luna, vt antea dictum est, dierum 27. spatio, vniusq; diei tertia parte totum Zodiacum percurrit. Si enim totũ Zodiacum eam tanto tempore pertransire oportet, manifestum est quartã ipsius partem in septem propè diebus esse expedituram. atq; huius quidem rei maximè meminisse ad futura iuuat, tetragonam scilicet Lunæ stationem septem integris diebus non circunscribi. Hæc ille; qui non idcircò tetragono, vel opposito aspectu hæc nostra alterare Lunam dicit, quasi his aspectibus, quatenus tales sunt, hanc tribuat potestatem; vel quatenus hostiles; vel quia in Tauro, Leone, vel Aquario, alioue quouis signo facti sint; vel demum quia periodicũ Lunæ motum in Zodiaco distinguant, vt falsò pleriq; crediderunt; sed (quod maximè animaduerti cupio) quia per hebdomadas progrediantur; per hebdomadas verò, vt superius doctè idem docuit & eleganter, alterationes in Luna fiant, videlicet variæ luminis Solaris receptiones; Luna autem ipsa, quicquid potest in hæc inferiora, Solis munere possit, ac beneficio; hæ autem luminis varię per hebdomadas vices in Luna receptę, vt rem totam in suas primas causas resoluamus, in menstruo spatio, perinde ac Sol in anno, caloris frigiditatisq; in ambiente mutationes gignant; hasce verò mutationes pariant, quia in hebdomadica periodo tanta luminis acquisitio efficitur, vel amissio, vt calor, vel frigus oriri possit, vel harum qualitatum gradus sic intendi, vel remitti, vt mutatio in aere omnino efficiatur; siquidem hanc veram esse Galeni mentem, qui ipsius totam disputationem accuratè considerauerit, facilè videbit; illud enim semper animo versandum, Galenum initio libri

libri tertij tanquam suæ tractationis fundamentum accipere, Lunam, quidquid potest in hæc inferiora, totum Solis posse, nec vllius alterius rei beneficio, ob lumē quod ab ipso recipit; idemq; in orationis cursu sæpe repetere, tandemq; concludere in fine disputationis: vt non possit postea, nisi à seipso dissentaneus, ipsius Lunę potestatem vel in aspectus hostiles periodico eius motu factos, vel in aliquid aliud referre; vt verba paulò supra allata per se accepta sine vlla superioris disputationis consideratione, proindeq; oscitanter, ac superficietenus inspecta, sonare alicui videbuntur. quanquam & cur periodicus Lunæ motus à Galeno consideretur, grauis causa est, inferius à nobis explicanda; nunc ad institutum redeamus. Eadem luminis variati ratio locum habet in quaternarijs; quod profectò lumen cùm in periodis alijs præter eas, quę per quaternarios, ac hebdomadas fiunt, talem in Luna mensuram non accipiat, vt hasce gignere in aere possit mutationes, meritò alij dies præterquàm quarti ac septimi, vt iam supra expositum fuit, nullam habent aeris, vel cuiusq; rei alterandæ potestatem. atq; hæc causa est cur quadratæ, ac diametræ stationes sint potentissimæ; quam Galenus sexto capite tanquam primam, & à Philosopho petendam prætermisit.

Quæ superius dicta sunt, vberius comprobantur.
Cap. 34.

HAs igitur periodos Lunæ hebdomadicas, vt ad institutum redeamus, à cuiusq; rei principio computandas esse superioribus verbis Galenus satis apertè admonet, dum tetragona, oppositaq; signa numerat à signo illo, quod in rei ortu Luna possidebat, ac principio. Quod etiam nō semel infra inuenio ab eo repetitum. Nam & hoc est quod dixit eodem tertio libro ad sexti capitis finem, colligens ex superiori disputatione verbis illis. πρὸς τὴν ἰδίαν οὖν ἀρχὴν ἅπαν πρᾶγμα τὰς ἐφεξῆς περιόδους ἁπάσας ὁμολογούσας ἔχει. quod est. Igitur ad proprium principium res omnis periodos, quæ sequuntur, vniuersas habet consentaneas. quæ sententia illustrissima est, & Galeni ingenio, ac eruditione digna. Sunt enim cuiusq; rei principio periodi consentientes hebdomadicæ; hæ verò in Luna ex periodico motu petendæ sunt, cuius rei causam infra explicabimus. quod idem Galenus nono capite perspicuè explicauit, inquiens Lunæ per Zodiacum periodum proprijs cuiusq; rei principijs esse accomodatissimam. Quibus omnibus nos docuit, periodum morbo iudicando maximè consentaneam ab ipso morbi principio esse computandam: quod sic capite septimo significauit ex nostra interpretatione. Omnes igitur morborum mutationes, quæ sigillatim eueniunt, vel ad proprium ipsorum principium, vel ad conuersionem ambientis aeris fieri necesse est. ac mutationum quidem earum, quę ad proprium principium sunt, Lunam esse causam putandum est. earum verò, quæ ad ambientis fiunt mutationem, in toto quidem anno Solem, in singulis autem mensibus Lunam. Ex his autem contingit validissimas quidem mutationes esse proprias vnicuiq;, per hebdomadam videlicet, contingentes. quanquam & ipsis quodammodo misceri eas, quæ ex aere eueniunt, putandum est; vt meritò ex eo, quod semper eodem modo fiunt, in id incidant, quod vt plurimum euenit. Hæc ille; sed vnde totum id collegit Galenus, quod his verbis docet, & concludit? hoc enim maximè legentes animaduertere cupio: sanè ex nullo alio, nisi ex eo, quod paulò supra ostenderat, Lunares periodos eadem de causa morbos acutos iudicare, qua & Solares iudicant diuturnos: nimirum quatenus variā afferunt ægrotanti corpori mutationem. nam & propterea 14. diem in acutis hyemi ac æstati comparauit; quin etiam & plenilunio, ac nouilunio; septimū quadraturis, & temporibus intermedijs; quibus docuit apertissimè, ex nulla alia causa has in iudicandis acutis morbis periodos vim habere: vt Galeni mentem rectè attingere nemo possit, qui summa diligentia septimi huius capitis sententiam non inquirat. Morborum igitur acutorum mutationes, seu dicere malis crises, ad proprium principium referri debent Galeno teste; videlicet, vt supra ab eodem expositum fuit, periodis debent ad proprium illorum principium consentaneis mensurari. sunt autem hæ Lunæ hebdomadici per Zodiacum cursus relati ad morbi diem locumq;, quem ipsa in morbi initio possidebat; quos propter variam luminis mensuram vim habere, ægrotantiq; corpori afferre mutationem, supra ex eodem demonstrabamus.

Pulchra mouetur dubitatio, ac tollitur de duplici aspectuum Lunarium genere, duplicique; morborum mutatione ex Galeno. quæ superiori capite dicta sunt plenius explicantur. Cap. 35.

VErùm hîc maxima oritur difficultas; Galenus enim aeris in mense factas à Luna mutationes, ac morborum mutationes hac de causa euenientes, mutationibus illis opponit, quæ ijsdem contingunt proprij principij ratione: quas nusquam ab aeris mutationibus dependere dixit. itaq; falsum omnino esse videtur, quod supra dicebamus, mutationem in aere factam acutum morbum iudicare; ac Lunam, quatenus varia luminis mensura aerem alterat, simulq; ægrotans corpus, crises in acutis causari. Proinde Galenus in motus Lunaris, aspectuumq; potestatem, in occultamq; aliquam illius virtutem, & influxum dierum crisimorum causam videbitur retulisse, non in aeris mutationem caloris, frigorisq; ratione à Luna genitam. vt rectissimè à Neotericis, Philosophis simul, & Medicis Galenus reiectus videatur, ac repræhensus; qui Lenia Astrologorum, superstitiosaq; principia non admittunt, sed tantùm naturæ, ac Peripateticæ philosophiæ consentanea. Respondeo (quod supra etiã tetigimus) Lunares aspectus duplices Galenum efficere; quorum alios quidem ad Vniuersum refert, ideoq; cõmunes vocat; in quibus simpliciter fieri aeris mutationem dicit: sunt autem hi Lunæ cum Sole configurationes, scilicet interlunium, plenilunium, & quadraturæ; quæ quidé configurationes mutationis omnis, quæ menstruo spatio in aere fit, causæ sunt, vt supra diximus, causam etiam adducentes: alios verò refert ad ægrotans corpus, quos tetragonos, oppositosq; vocat, demum hebdomadicos; quos ad rei cuiusq; principium refert, idcircòq; proprios appellat. quos quidem non dicit aerem alterare, quia verè illi non afferunt mutationem vniuersaliter, & simpliciter Vniuersi respectu, & corporum reliquorum; sed tantùm corporis ægrotantis, seu alicuius alterius rei primordij habita ratione. cęterum has quoq; Lunæ periodos hebdomadicas ad proprium morbi principium relatas ægrotans corpus nulla alia de causa posse alterare, nisi hac vna, quòd ob variam lucis mẽsuram varios, cõtrariosq; caloris, frigiditatisq; gradus principij morbi ipsius respectu producentes, aerem ipsum, proindeq; corpus ægrotans afficiunt, supra ex eodem Galeno monstratum est; quem omnem Lunæ dedisse potestatem ob Solaris lucis receptum, ideoq; & diem 14. & septimam morborum iudicatrices, tempestatibus annuis, & configurationibus comparasse ostendimus: vt in nullum alium sensum ipsius verba trahi possint, nisi violenta, ac peregrina aliqua interpretatione violare illa velimus. quod cuique verba etiã quinti capitis consideranti palàm erit: vt hoc altero perillustri testimonio veritatem hãc roboremus, quæ proprios hosce, quos Galenus vocat, refertq; ad proprium rei principium, aspectus, non aliunde vires habere docent, prǽterquàm ex Solaris luminis receptione. etenim cùm ibi Galenus, post disputationem de varia recepti luminis à Luna per hebdomadas mensura, conclusisset, manifestum esse ea de causa mensem, idest aerem ipsum à Luna per hebdomadas alterari, ita statim subdit, si græca latina faciamus. "Quòd autem aliæ cunctæ res simul alterentur, hoc quidem non adeò omnibus cognitum est, sed tantùm huiusmodi hæc accuratè obseruantibus in confesso est. ac post conceptionem seminis gestatio omnis, & post editionem auctio nihilominus, omneq; rei principium magnas habet alterationes per hebdomadicas periodos. omnia enim quæ in dies eueniunt cunctis, quæ existunt, horum Luna obseruatur causam habere, & maximè illa alterare per quadratas, & diametras stationes."

Superiori capite Galeni adducta auctoritas explicatur. Cap. 36.

HAec ille; quibus manifestè statuit cunctas res alias ideo à Luna alterari per hebdomadas, quia mensis, & aer per hebdomadas ab ea alteratur; quod latinus Interpres sic expreſsit eleganter. "Quòd autem aliæ res vniuersæ inde quoq; mutantur & c. habet enim græcum exemplar. ὅτι δὲ καὶ τὰ ἄλλα σύμπαντα πράγματα. idest vt nos transtulimus. Quòd verò simul, scilicet cum mense & aere, aliæ res vniuersæ alterationem recipiant & c." Itaq; quia alteratur per hebdomadas aer, ideo reliqua per hebdomadas à Luna recipiunt alterationem; ex quò & subdit, vt exemplo id doceat, gestationem, auctionemq;, omneq; demum rei principium per hebdomadicas periodos alterari: neq; enim rem nouam aggreditur

ditur docendam; ex quò & Interpretem nō
» probo, qui sic locum transtulit. Ad hæc
» post seminis conceptionem & c. sed eam,
quam superius docuit, exponit, horumq;
exemplo comprobat. vnde & græcus con-
» textus ita habet. καὶ ἡ μετὰ τὴν σύλληψιν. & c.
ac sententia est, quia mensis, & aer à Lu-
na per hebdomadas alterantur, propterea
& gestationem, & auctionem, & cuiusq; rei
demum principium per hebdomadas ma-
gnas edere alterationes. ex quò & sic ego
argumentor. Morborum mutationes, quę
à proprio principio pendent, hebdomadi-
cæ sunt; at cuiusq; rei hebdomadicæ mu-
tationes ideo fiunt, quia mensis & aer à
Luna per hebdomadas mutantur, alteran-
turq;; igitur propriæ morborum mutatio-
nes per hebdomadas factæ inde ortum ha-
bent. Quòd si sequēti sexto capite Astro-
logorum Aegyptiorum affert opinionem,
qui occulto influxu Lunam, prout benefi-
cis, vel maleficis stellis configurata fuerit,
sublunaribus rebus salutares, vel noxias af-
ferre per hebdomadas mutationes existi-
mabant; id quidem totum in medium Ga-
lenus profert, vt aliorum placitis (vti mos
est) ac testimonijs, eam, quam explicaue-
rat, probet sententiam; non quidem vt il-
lorum principijs, & dogmatibus pro causa
dierum criticorum adducenda vti velit.
Cap. 12. quod verum esse illi fatebuntur, qui ani-
maduertere voluerint, ipsum in calce libri
tertij colligentem quicquid de Lunæ dixe-
rat potestate in criticis diebus moderādis,
non Astrologorum occultis influxibus eā-
dem hanc Lunæ vim adscripsisse, sed, vt su-
pra quoq; monebamus, magni regi Soli,
qui suum Lunæ cōmunicans lumen, hunc
laborem ei delegauit: quod etiam initio li-
bri testatus est. ita vt quicquid Luna in
hæc inferiora potest, tanquam Solis mini-
stram, eiusq; virtute ob receptæ lucis be-
neficium posse eam velit. quod ipsius ver-
ba faciunt testatissimum, quæ hîc rursus
afferre non pigebit, quibus ita scribit.
» Et principium accipiens non Astrologis
» tantùm, vel naturalibus Philosophis rece-
» ptum, sed & Agricolis, & Nautis & cun-
» ctis hominibus; videlicet Lunam, tanquam
» à magno rege Sole delegatam, locum, qui
» circa terram est immutare; ostendi dies
» crisimos ipsius periodos sequi. quibus lu-
ce meridiana clarius est, eum velle, idcircò
crisimos dies Lunæ periodos sequi, quia
Luna ipsa tanquam ministra Solis, videlicet
ob eam, quam cum ipso habet societatem,
ob lucem, quam ex illo fęneratur, vim ha-
bet aerem, qui terram ambit, aliaq; simul
immutandi. Nam & hoc est quod septimo
capite verbis licèt obscurissimis inquit,
ex illis, quæ disputauerat, colligi, validis-
simas mutationes esse proprias cuiusq;
morbi per hebdomadas contingentes; quā-
quam & putandum sit huiusmodi mutatio-
nibus quodammodo misceri eas quoq; mu-
tationes, quæ ex aere ortum ducunt; vt
meritò ex eo quod semper eodem modo hæ
fiunt, in id incidant, quod vt plurimum
euenit. mutationes nanq; vtrasq; Galenus
pulchrè misceri docet, & quas aeris vocat,
scilicet communes factas, & ad Vniuersum
in Lunæ aspectibus; & proprias, quas ad
illarum differentias, ad proprium rei prin-
cipium euenientes appellat. quod rectissi-
mè ab eo factum est, eò quòd propria mu-
tatio à communi quodammodo pendeat;
quin etiam & contingere possit, propriam
& communem in idem concurrere; quod
euenit cùm morbus aliquem inuadit inter-
lunij tempore, aut plenilunij, aut reliqua-
rum, quæ intermediæ sunt, cum Sole Lu-
næ configurationum. quod quidem verbis
illis licèt obscurissimè Galenus nostra sen-
tentia significauit. ex eo quod semper eo- »
dem modo & c. Lunæ enim ad Vniuersum »
factæ configurationes, quæ semper eodem
modo fiunt, si in alicuius morbi principio
eueniant, tùm propriæ euadunt; & in id
incidunt quod plerunq; euenit. nimirum
quia plerunq; contingit, vt morborum mu-
tationes in proprijs ad morbi principium
aspectibus, & periodis fiant, quanquam a-
liter fieri possit; vt cùm extra dies criticos
crisis efficitur.

Vera medicinalis mensis ratio ex Galeno aperitur.
Cap. 37.

HAnc ego Galeni arbitror fuisse mentē;
qui, vt mea fert opinio, nil aliud suo
illo mense medicinali ostendere voluit, quā
hanc communium, & propriorum aspec-
tuum commixtionem: nimirum quia pro-
prij à communibus vires accipiant, tametsi
proprij & ad morbi principium relati cri-
sium sint causæ. quod & verum esse facilè
quisq; sibi persuadebit, qui illum viderit,
vbi nono capite mensem condit medicina-
lem, eadem hæc repetere; mutationes am-
bientis communiter factas cum proprijs ad
morborum principia relatis misceri opor-
tere dicens: ita vt proprios aspectus non si-
ne communium virtute, & admixtione ef-
ficere crises autumauerit. nam & primo
loco

» loco dicit sic, vt ego interpretor. Quoniā
» autem non solùm periodus Lunę, sed & mē-
» struum tēpus apparitionis aliquam habet,
» vt dicebamus, potestatem. etenim ipsa
» per Zodiacum periodus maximè consenta-
» nea est proprijs rei vniuscuiusq; principijs.
» Rursus autem & menstruum apparitionis
» tempus aerem alterans, qui terram ambit,
» communiter omnibus nobis conducit & c.
» & paulò post. Quoniam igitur alteratio-
» nes dicebamus corporib⁹ nostris fieri, par-
» tim quidem proprias, partim communes.
» proprias quidem, vt ad propria principia
» relatas; communes, quia ambiente vtamur;
» & quæ sequuntur. At hîc non ne commu-
nes quoq; alterationes ad crises conferre docet? non ne menstruum apparitionis tē-pus potestatem ad commouendas crises habere statuit? Quòd si periodicum Lunę motum accipit, id facit, vt rectum, congruentemq; ad morborum principia numerandi modum doceat; nam & hoc est quod supra dicebamus, Galenum alia graui causa permotum, periodicam Lunæ motionem considerare: non quòd in eam, Lunæ referat potestatem; etenim & synodicus mēsis periodicum Lunæ motum supponit, quin etiam & per illum ipsum constituitur. at nō poterant, variæ luminis Lunaris vices ad morbi principium, ac diem relatæ synodico Lunæ motu rectè notari (synodicumq; voco in præsentia eum, qui Syzygias Lunares ad Solem signat) propterea quòd non omnes in aspectuum Lunarium, qui ad Vniuersum fiunt, articulis, ægrotant; ideo periodico Galeno vtēdum necessariò fuit, qui à morbi die & momento initium ducere potest, proindeq; & potest à morbi principio computari: ita vt per aspectus Luna similes illis, quos ad Vniuersum facit, crises moderetur. nam & hoc est quod supra idem docebat, septimum in morbis acutis, ac decimumquartum quadraturis, nouilunijs, ac plenilunijs respondere; demum annuis à Sole factis mutationibus. septima enim die Luna in quadrato aspectu est cum signo, quem obtinebat in morbi principio; decimoquarto in opposito. Verùm quia hi aspectus luminis ratione vim habent, quatenus aerem ob variam, quam in ipsis possidet Luna luminis mensuram, ægrotantis corporis ratione alterandi habent potestatem; propter eaq; vires quodammodo ex aspectibus ad Vniuersum factis recipere videntur; idcircò rectissimè Galenus vtrunq; tempus, & motum vtrunq; misceri iussit, tùm illuminationis, tùm peragrationis; mensem excogitans medicinalem, qui à principio & hora morbi computari posset; ipsum pulchrè constituens dierum ferè 27. qui dierum terminus in criticam diem incurrit, atq; cum Lunæ motu, & inambulatione per totum Zodiacum mirificè consētit. à quo quidem principio dies quarta mutationem affert aeri talem, & proinde ægrotanti corpori ob Lunæ motum, & ob variatam motus huius ratione luminis in ea mensuram, quæ insitum calorem commouere potest; ideoq; ipsa quarta dies principij morbi ratione nomen meretur dichotomiæ, non secunda, & tertia, vt supra nō semel diximus; & de reliquis diebus crisimis eadem ratio est. & sicut in hac sublunari plaga alia sunt, quæ interlunio magis quàm plenilunio, alia è contra, alia etiam quæ magis per quadraturas recipiunt mutationem pro temperamenti ratione, & caloris insiti mensura, & qualitate, ad ambientisq; temperiem proportione; ita & in ægrotis contingit. alij enim potius quarta, alij septima, vel vndecima, alij decimaquarta magis sentiunt in aere factam principij morbi respectu mutationem pro insiti caloris, quem habent, mensura, & ad dictas mutationes proportione; & pro materiæ, humorumq;, qui morbum causant, temperamento. & sicut in Lunari mense dichotomiæ sunt interlunium, & plenilunium, quia, cùm hos facit Luna aspectus, in contrarijs locis versatur; id autem quia maximè distat; quæ verò maximè distant contraria sunt, vt supra expositum fuit: ita & à loco, in quo erat Luna cùm morbus incepit, à primordialiq; signo, die 14. in contrario est, & maximè distanti, idcircòq; cōtrariam ægrotanti corpori, & insito calori affert in aere temperationem: vt iure & meritò mutatio fiat in contrariū respectu morbi ad salutem, respectu vitæ ad mortem, si crisis perniciem est allatura. eademq; ratio est si crisimos, qui post 14. sequuntur, dies videlicet 17. 20. 24. & 27. consideres: qui sanè dies 27. mensem medicinalem rectissimè terminat, quia Lunam ad eundem reducit locum, quem in morbi principio possidebat. vnde & periodum omnem Lunarem complet; vt hac maximè de causa mensem hunc à Galeno inductum videas, & excogitatum ex apparitionis tempore, & periodico Lunæ motu compositum; videlicet vt hac sua admixtione doceret, monstraretq;, aspectus Lunæ communes, & ad Vniuersum factos, qui mensem apparitionis metiuntur, ab eoq; pendent, cum pro-

prijs concurrere ad crises commouendas: ita vt sine communibus nequeant proprij suas vires exercere. qui propter indeterminata ægrotationum principia, quæ singulis diebus incipere possunt, iuxta periodici motus rationem definiẽdi erant; vt hinc (quod nobis supra probandum proposuimus) summa laude dignum hoc Galeni inuentum esse appareat secus quàm ipsius alumni existimauerint. tacuit autem cur huiusmodi mensem induxerit (vt liberè dicam quod sentio) eiusq; naturam minus aperta disputatione explicauit, vt artem cælaret, causamq; ab eo dierum criticorum inuentam naturalibus principijs maximè consentaneam, cognitu obtusis ingenijs redderet difficiliorem. idq; arbitror eos mecum vel inuitos esse fassuros, qui animaduertere voluerint, Galenũ, dùm medicinalis huius mensis quantitatem & definire vellet, & alijs docere (rem profectò cuiq; vel mediocriter in Astrologicis supputationibus versato notam) adeò ingenti, Dijs etiam inuocatis, verborum apparatu explicuisse, adeò longa orationis serie, obscuris adeò ambagibus, suis illis media, quinta, sexagesima, centesimauigesima, & ducentesimaquadragesima diei particulis, vt nullam doceri posse in tota Arithmetica arte rem profiteri videatur in obscuro magis hac ipsa delitescentem. quod cùm ante nos Cardanus Contradicentium Medicorum libro primo adnotasset, Galenicæ tamen disputationis in reliquis artificium à nobis supra explicatum nõ attingens, ausus est scribere, non esse facile explicare, quot modis in ea Galenus ridiculus existat. qua certè in re longè magis ipsius comẽtum mouere risum debet; quòd causam, cur dies 20. potius quàm 21. vim habeat decernendi, in Solem docet esse referendam; quia sicut Luna alligatur motibus Solis, sic Sol duorum superiorum: quò fit, vt cùm Saturnus & Iupiter singulis annis 20. conueniant, ita & Sol naturam illorum imitans vigesimo die naturam moueat. quæ omnia delirantium somnia esse videntur, atq; ab omni ratione aliena; in eo etiam altero plurimum peccans, quod adiungit, Auerroem tertio Colliget Galenum reprehendere, quòd dierum crisimorum causam ex Luna petat; cùm tamen tantùm absit, vt Auerroes eo loco Lunam reijciat, vt dierum crisimorum causam, tametsi remotam, esse fateatur.

Tract. 3. Contrad. 2.

Cap. 9.

Falsò Galeno imponi, quòd Luna, dum silet, criticos dies non moderetur, & crises non commoueat, non alteret hæc inferiora. Cap. 38.

NEc propterea adeò rudis ingenij Galenus fuit, adeò demens, tàm sine oculis, tàm sine mente vixit, vt hunc condens mensem medicinalem, per Lunæ silentia alterari hæc sublunaria noluerit, vel Lunam crises commouere, licèt ex synodico mense tres illos dies demendos statuat, vt apparitionis tempus definiatur; nam periodico recepto Lunæ motu iam necessariò sequebatur, per coitum quoq; Lunæ beneficio, ac virtute crises fieri. Si enim exempli gratia Luna in primo Arietis gradu Soli iungatur; ægrotetq; aliquis die tertia ab interlunio; hac eadem tertia synodici mensis die, medicinalis mensis incipiet. si itaq; transeat morbus hic sine vlla crisi diem 20. & 24. fiatq; crisis die 27. à morbi principio, proindeq; mensis medicinalis die vltima, quod & esse potest, & contigisse Hippocratis auctoritate secundo de Diebus Decretorijs Galenus adnotauit puellæ in Abderis exemplo, quam die 27. sudore longo iudicatam retulit diuinus Senex; patet in hoc casu crisim euenire die 29. mensis synodici Luna ad nouam coniunctionem cum Sole properante: quo tempore Luna ipsa ad eundem locum redit, quem in morbi principio possidebat, aspectumq; mutationi idoneum ægrotanti corpori affert; vnde & crisim meritò commouet: & tamen viget ferè interlunium; ac per coitum Luna Galeno concedente dies crisimos moderatur. Cœterum ipso interlunio aerem, & inferiora hæc plurimum alterari Galenum voluisse, abundè in Anemologia aduersus ipsius calumniatores demonstrauimus: qua in re illud nunc addere volumus, tantum abesse vt nullam silente Luna fieri Galenus in hęc inferiora mutationem censuerit, vt omnium maximam in ea effici per id temporis existimauerit. siquidem ita scripsit libro tertio de Diebus Decretorijs. „Vehementiores igitur mutationes existunt per Lunæ „coitus ad Solem, adhuc per plenilunia. & „paulò post, vt supra annotauimus, primum locum mutationes obtinere, quæ per coitum fiunt, mox quæ eueniunt plenilunio apertè scripsit: ita vt per interlunium factas alterationes omnino præferre videatur. Quòd si capite præcedenti omnem

Cap. 4.

Ann. 28. in li. de Plum. Signis

Cap. 3.

Lunæ poteſtatem à Sole dependere Galenus ſtatuit, & quatenus ab ipſo lumen recipit; vt cùm priuatur lumine, nil eam omnino poſſe velle videatur; ex quò & ita perſpicuè ſcribit. πάντα γὰρ ἃ δρᾶν πέφυκεν, ἀμυδρὰ γίνεται, μηνοειδοῦς γενομένης αὐτῆς. ἅπαντα δὲ ἰσχυρὰ πεπληρωμένης. quod eſt. Omnia ſiquidem, quæ facere nata eſt, vbi falcis figuram repręſentat, languida fiunt; inualeſcunt omnia, cùm plena fuerit. ac paulò poſt concludit, Lunam Solis auxilio in omnibus indigere. & quarto capite, tribus diebus, quibus circa coitum inuiſibilis eſſe ſolet aliquando, & luminis expers, nullam habere vim hæc noſtra alterandi; ſiquidem inquit. ἐν αἷς οὔπω τὰ παρ' ἡμῶν ἀλλοιοῦν ἱκανή. quod eſt. in quibus nondum quæ apud nos ſunt, alterare valet. Ex quò & adiungit, in idem quodammodo redire & tempus periodici motus ipſius, & τῆς εἰς ἡμᾶς ἐνεργείας, ideſt actionis, quam habet in hæc inferiora, virtutiſq; alteratricis. quod infra nono capite confirmare viſus eſt; vbi rurſus aſſeruit, tribus diebus circa coitum ἄκριτον eſſe τὸ περιέχον, quod eſt ex communi ſententia, vt in Anemologia notauimus, nil per id temporis Lunam de aere decernere; nullamq; habere ad ipſum alterandum poteſtatem; quæ omnia Lunam, cùm caret lumine, nihil poſſe de Galeni mente in hæc inferiora, docere videntur, proindeq; nec criſes commouere, nec dies criſimos gubernare; quod Picus primùm, deinde Manardus, ac pleriq; alij crediderunt: hæc certè omnia recte intellecta nihil officiunt; nam ſi diligenter perpendantur, nullo modo concludunt per Lunæ coitum hæc inferiora non alterari, Lunamq; ipſam per id temporis criſes non commouere, Galenum aſſeruiſſe; quæ ſi dixiſſet, atrociter quidem cum ſemetipſo pugnaret, vt potè qui contrarium (quemadmodum ſupra vidimus) omnino affirmauerit; ſed cùm aliud omnino ſit, Lunam lumine agere, eiuſq; vi ac poteſtate terrena alterare; aliud in ipſo interlunio ob luminis defectum, proindeq; & Lunæ ratione hæc noſtra alterari; quo quidem tempore alterationem effici ipſam, & eam quidem inſignem Galenus voluit, vt ſatis ſuperiora docuerunt, ſed non tamen luminis præſentia; hinc rectè idem aſſeruit (actionem, quam lumine medio Luna efficit, reſpiciens) circa coitum Lunam ipſam hæc noſtra non commouere; nimirum quia tunc tanquam luminis expers, non poſsit hoc inſtrumento aerem alterare. Atq; hoc Galenum voluiſſe, illud perſpicuè monſtrat; quòd tertio capite vidėmus quam paulò ſupra dixit, τὴν εἰς ἡμᾶς ἐνεργείαν, ideſt in hæc noſtra actionem, mox, τὴν πρὸς ἡμᾶς φάσιν, ipſum interpretari, ideſt ad nos apparitionem; quod tempus nono capite τῆς φάσεως χρόνον, ideſt apparitionis tēpus appellauit, & ἐν ᾧ σαφὲς ἔχει φῶς ἡ σελήνη, ideſt in quo Luna manifeſtum habet lumen. Itaq; magna quidem ex Galeni mente apud nos interlunio fit mutatio, alteratioq;, vt ipſe loco memorato manifeſtè docet, ſed nō tamen alterationē hanc Luna luminis præſentia efficit & poteſtate, ſed potius luminis abſentia, quod allatis paulò ante auctoritatibus docere voluit, aliud præterea nihil. ſicut enim ipſa latio Ariſtoteli ſecundo de Ortu & Interitu non ſolùm generationem facit perennem, quia τὸ γεννητικὸν adducit, ſcilicet Solem ipſum, ſed etiam quia abducit; ita & generatio, alteratioq;, quæ à Luna efficitur, non ſolùm incremento lucis ac præſentia, ſed etiam decremento efficitur & abſentia proindeq; & interlunio locum neceſſariò habere debet; Lunaris enim lucis cremento & decremento ſimile effici, quod acceſſu Solis & receſſu in hæc inferiora, iam ſupra ex Ariſtotele explicauimus, qui pulchrè libro quarto de Animalium Ortu docuit, decrementum Lunaris luminis Solis receſſui reſpondere, incrementum acceſſui. Hinc habes cur tres ex ſynodico menſe dies demendos eſſe Galenus dixerit; id enim fecit, vt tempus in quo manifeſtè iam Luna colluceſcit, ac in nos lumine agit, definiret; non vt per interlunium hæc noſtra non commoueri, à Lunaq; tunc dies criſimos non gubernari, vt perperam multi crediderunt, demonſtraret. Admiſcet autem periodico tempori tempus apparitionis, non ſolùm vt diem 20. magis criticam eſſe oſtendat, ſed vt communes aſpectus, quemadmodum ſupra dicebamus, cum proprijs ad criſes efficiendas concurrere doceat; idcircò hos aſpectus miſceri non ſolùm capite nono vbi de die 20. diſſerit, ſed antea capite ſeptimo iuſsit. Probat autem apparitionis temporis ratione diem 20. eſſe magis criticam, quia apparitionis tempus, vt ipſe inquit, aliquid demit de periodico tempore; igitur & hebdomadam reddit breuiorem; ita vt tertia hebdomada proximior 20. quàm 21. eſſe inueniatur. facit autem id Galenus vt oſtendat, ſicut Luna eſt, quæ criſes moderatur, & cuius periodos periodi criſium ſequuntur; ita & in his criſium periodis veſtigium quoddam apparitionis temporis videri

Ann. 28. in lib. de Pluu. Sig.

Tex. 55.

Cap. 2.

videri impressum: imitari enim inferiora hæc Cœlestium periodos quoad possunt, vniuersa Peripateticorum turba cum Præceptore secundo de Ortu & Interitu euidenter confitetur, asserente simplicia corpora circularem suo motu imitari lationem. rationi nanq; consentaneum est, vt rerum minus principalium periodi rerum magis principalium periodos sequantur, vt supra eiusdem Preceptoris auctoritate tam crebrò docuimus.

Tex. 59.

Dubitatio quædam aduersus ea, quæ dicta sunt, affertur, ac soluitur. Qua ratione aspectus Lunæ ad Vniuersum facti dierum crisimorum ordinem turbare valeant secũdum Galenum.

Cap. 39.

CAeterum aduersus ea, quæ dicta sunt, non leuis oritur dubitatio; cùm enim per Lunæ aspectus ad Vniuersum fiant mutationes in aere, ac longè maiores quàm per aspectùs, qui ad diem morbi referuntur; cur & ægrotans corpus illas non sentit? cur earum vi non alteratur? si enim in maxima positũ agitatione leuissimis quibusq; mutationibus commouetur; ergo & grauioribus multò magis? Respondeo primùm, illas percipere corpus ęgrotans, ideo non rarò earum vi dierum crisimorum ordinem interturbari, & confundi; quod & nos supra tetigimus, & Galenus tertio de Diebus Decretorijs perbellè indicauit, tãetsi à Medicorum nullo id in eius scriptis videam obseruatum. cùm enim capite septimo dixisset, quæ ex ambiente proueniũt mutationes ęgrotanti corpori, misceri proprijs in crisibus commouendis, ita statim subdit. Adhuc etiam & magis crisimorum dierum ordinem turbat violentia accessionum, crises ante tempus erumpere cogens, vt posterius dicemus. Ad hæc varia ægrorum in se peccata, Medicorumq;, si Medici appellandi sunt non artis corruptores, qui hoc seculo permulti sunt. Nec minus illa, quæ ægris propter ministerium non ritè administratum, & illa, quæ extrinsecus accidunt nonnunquam, vt prius diximus. Cœterum si magis violentia accessionum turbat ordinem dierum criticorum, ergo aliquid supra Galenus explicauit, quod hũc eundem ordinem confundit, licèt minus. Atqui nil aliud vel etiã fingentibus occurrit, quàm mutationes ex ambiente ægro contingentes; nam & hoc est, quod eodem libro infra dicit, menstruum apparitionis tempus aliquam vim habere, ambientemq; aerem alterãdo omnibus communiter cõferre: quod quidem totum rectissimè dictum apparet. si enim quinta, vel sexta à morbi die Lunaris cadat aspectus ad Vniuersum, timendum maximè erit, ne tunc crisis erumpat non expectans diem septimam; vt potè ambientis mutatione corpore ægrotantis stimulato. atq; hoc etiam incidentes dies non leuiter adiuuat; si .n. in quintam, aut nonam huiusmodi communes incurrant aspectus, non solùm accessionum robur, & violentia, sed mutationis vis crises in illis erumpere compellet. Secundò respondeo, non quamlibet mutationem alterare, sed propriam, sed congruentem; proportione enim respondens, moderatusq; calor, & frigus perfectiones efficiunt, & generationes, vt toties supra inculcauimus. cùm ergo mutatio, quæ ad Vniuersum fit, non sit propria morbi principio, nec respondens proportione, meritò vel non afficit, vel malè. nec quidquam obest, si dicas mutationem longè minorẽ fieri in aere ob aspectum ad morbi principium respondentem, ideo magis communi mutatione affici ægrum oportere; nam pleraq; sunt, quæ non commouentur ingenti, sed tantùm leuiori tanquam illorum naturæ proportione respondente cõmouentur; Hechini enim Lunaribus, & menstruis, quæ longè minores sunt, non annuis, ac Solaribus afficiuntur. Atqui ea humani corporis natura est, vt, si per acutũ morbum in mutatione, alterationeq; constituatur, in mutationibus itidem, quæ alterationi huic proportione respondent, commoueatur. Præterea alia est euidens naturalisq; ratio: mutatio enim quælibet fit in contrarium; verùm ægrotanti corpori quatenus tali plerunq; mutationes ad Vniuersum factæ, non sunt mutationes, quia non exactè in contrarium. incidat enim exempli gratia quis in acutum morbum biduum ante plenilunium; huic in plenilunio, quadratura, & interlunio facta mutatio non erit exacta mutatio, quia non in contrarium; sed tantùm cùm Luna fuerit triduum ante quadraturam, & interlunium; quas quidem Lunæ peragrationes morbi principio proportione respondentes, qui non animaduerterit, frustra laborabit Galeni mentem, naturalemq; simul, ac veram causam dierum crisimorum intelligere. Verùm hactenus de Galeni sententia, quam & iam pridem habuisse Hippocratem nos alibi fusius monstrabimus,

Cap. 7.

Cap. 9.

& supra tetigimus. quod & ipse Commentario tertio in Prognosticis profitetur, scribens Hippocratem primùm decretoriorum dierum naturam cognouisse, & caussam indicasse generationis eorum, à se in tractatu de Diebus Decretorijs explicatã; qua rursus sic exposita iam facillimè omnes Aduersariorum obiectiones dissoluuntur, quod sequens caput indicabit.

Demonstratur Ioannem Picum in Galeni enarranda sententia plurimum aberrasse. prima ratio ipsius labefactatur.

Cap. 40.

PAtet igitur Ioannem Picum primùm in Galeni sententia explicanda aberrasse, duplicem putans ponere illum Lunarẽ influentiã: quarum alterã à Sole Luna recipiat, alteram à Signis. etenim, vt supra ostensum est, quicquid Luna potest in hæc inferiora, Solis virtute potest ex Galeni dogmate; ob eam scilicet, quam habet cum ipso societatem, suam lucem participans: itaq; vnica tantùm à Galeno Lunaris statuitur influentia. Hinc ruunt alia, quæ Picus adiungit vniuersa; quãdo omnem vim, quam in oppositis locis, & quadrangulis existens Luna habet hæc inferiora commouendi, totam habeat Solis beneficio ob variam lucis mẽsuram ad rei principium, quã commouet, vt satis supra monstratum fuit. vnde falsò Picus scribit, nulla Solis habita ratione Lunam suam virtutem in hæc nostra exercere Galenum censuisse. quæ nanq; de Tauro, Leone, Scorpio, Signisq; alijs à Galeno sunt dicta, omnia dicta sunt, vt Lunares ad rei cuiusq; principium aspectus, lucisq; proinde in ea varietates demonstraret; doceretq; quando fiant, quouè modo, & qua via cognosci à nobis possint, & computari. vnde aspectus hi non à Signis potestatem nanciscuntur, sed à lumine tantùm Solis, vt explicauimus. & quicquid ex Astrologorum schola à Galeno excerptum est, ad hanc probandam veritatem positum est; nimirum per hebdomadicas periodos Lunam inferiora hæc commouere; non quidem pro caussa acceptum, & fundamento; quod Scriptoribus fræquens est, aliarum scientiarum testimonio propriam cupientibus positionem confirmare. Quod verò subiungit Picus, Galenũ diem 20. secus quàm Archigenem nõ 21. criticam putasse, cautè venit accipiendum; cùm satis constet ex Galeni scriptis, diem 21. non penitus è crisimorum numero ipsum seiungere: quin potius, si longus morbus sit, & impares habeat accessiones, criticum omnino fateri; sed illud tantùm cum Hippocrate contendere, vt diem 20. magis esse criticam ostendat. quod tertio libro sic perspicuè habemus. Cur autem (inquit) vigesimus, & vigesimus primus, multò magis vigesimus decernat, explicabo. quod fortasse coegit Picum, vt mox eodem capite affirmaret, Galenum negare vigesimamprimam criticam esse. Nec verum penitus autumo, quod idem Picus verisimum arbitratur; mensem videlicet medicinalem ea tantùm de causa à Galeno excogitatum, vt diem 20. criticam esse demonstraret; cùm etiam ob id, quin & maximè, credamus illum inuentum, vt communes aspectus cum proprijs concurrere doceret ad crises commouendas. Quod verò idem subiungit, quibus diebus Luna occultatur, nullam vim permutandi hæc habere inferiora Galenum existimasse, hoc & supra falsum esse probatum est, & fusius in Anemologia demõstratum. Cęterum si in explicanda Galeni mẽte Ioannes Picus aberrauit à scopo, iam & necesse fuit eum in coijciendis in illam telis plurimùm quoq; ab eodẽ deuiasse; quod & hinc demonstrare aggredimur. Prima nanq; ratio aduersus mixtam, quam ipse arbitratus est Galenum posuisse Lunarem in mense medicinali virtutem, facilè vel indediluitur, quòd ex superioribus sit perspicuum, Lunam rem aliquam commouere, cùm in quadratis, oppositisuè Signis reperitur loco alicui primordiali, quia ob eam, quam possidet, luminis mensuram, diuersam cõtrariamq; rei affert temperationem, ac mutationem; idcircòq; quodammodo communium, quos ad Vniuersum facit, aspectuum ratione hanc efficere commotionem: itidem manifestum sit mensem medicinalem à morbi die esse inchoandum. sequitur enim ex his falsum esse medicinalem mensem cum nullo horum temporum congruere, cùm semper cum priori conueniat tempore, quod periodici Lunaris motus est mensura, tametsi aliquibus horis sit breuior; conueniatq; etiam cum posteriori, quatenus eo modo, quem in superioribus exposuimus, communes aspectus cum proprijs ad commouendas crises commiscentur. Itaq; non fuit adeò Galenus demens, vt putaret in hebdomadis mensis medicinalis vim istam inesse excitatricem, quia mensis hic medietas sit summæ vtriusq; tẽporis simul connumerati; sed vim hanc illi impertitus est, quatenus medicinalis mẽsis

Cap. 9.

Ann. 28. *in li. de Pluu. Signis.*

varias Lunæ à primordiali signo, reiq; principio metitur peragrationes, aliamq; proinde, ac aliam in suis hebdomadis Solaris luminis mensuram repræsentat: quare argumentatio nulla.

Tres aliæ Pici tolluntur dubitationes. item de consensione sublunarium causarum, & cœlestis nonnulla. rursus ex Galeno quòd Luna silens crises commoueat.

Cap. 41.

AD secundam respondemus, mensem medicinalem per mixtum influxũ non receptæ duplicis virtutis, scilicet à Sole, & à Signis, dies crisimos moderari, sed vnicæ tantùm à Sole emanantis potestatis; cùm quicquid Luna potest in hæc inferiora Galeno teste, Solis munere possit; quod voluisse ipsum abundè supra demonstrauimus: vnde nullam recipit Luna, nullam mensis medicinalis virtutem à Signis. Cęterum quia Solaris hæc virtus à Luna recepta ad proprium quoq; rei principium refertur; hinc mixto quodam influxu, proprio scilicet & communi, Galenus mensem medicinalem, ac Lunam ipsam regere crisimos dies memoriæ prodidit. quo quidem recepto mense facilè diem 14. criticam tuemur, non 20. tantùm; cùm satis sit secundæ hebdomadæ horas illas vndecim in diem 14. criticam incurrere; propterea quòd non sit necesse inferiorum operationes Cęlestium corporum motibus exactè respõdere; quin etiam & fieri id nequeat ob materiæ indefinitionem. quod Aristotelis est in calce quarti de Animalium Ortu perspicuè docētis, naturam quidem hanc inferiorem id sibi velle, vt Cęlestium corporũ numeris generationes, & obitus numeret, sed exquisitè id facere non posse. quare satis erit ad effectum producendum vt Cęlestis causa aliquo modo consentiat: quæ quidem consensio cùm primùm adest, interna agensq; causa inferior iuxta propriæ naturæ propensionem ad agendum excitatur. nam & hoc est, in quo plurimùm multi nostra sẽtentia aberrarunt, putantes, quasi idem sint actio mathematica & naturalis, esse necessarium eo ipso momento, quo Lunaris configuratio absoluitur, crisim, seu alium quemlibet effectum in hæc nostra excitari: quod cùm obseruarent non fieri, constanter pernegarunt, crises à Luna regi; eò quòd interdum 13. interdum 15. exempli gratia die oppositio absoluatur: & in reliquis aspectibus idem cõtingat ob Lunæ motum modo ocyorem, modo pigriorem; crises verò certos habeant. quod tamen nec fieri potest, nec est necesse (atq; hoc maximè perpendant legentes oro) nec fieret cum ratione. fieri siquidem non potest, quia actio omnis naturalis in tempore fit, & latitudinem habet; vnde quantacunq; in materia dispositio inueniatur, agens causa tempore eget; idcircò Luna non potest momento, quo aspectum exactè conficit, crisim commouere. Cęterum neq; id necesse est, quia non est aspectus, quatenus talis, qui commouet; ita vt opposito, tetragono, trigonoq; insit ista virtus; sed luminis ea est mensura, quam aspectus tẽpore Luna possidet, quatenus varium caloris, frigorisq; gradum ipso aspectu medio in aere gignit, & causat mutationem. at mutatio hæc non in ipso tantùm aspectus momento locum habet, sed & paulò ante, ac paulò post; idcircò prudenter Ptolemæus cuiq; Lunari aspectui sex dies ad agendum tribuebat; quia nimirum mutatio, quam ipse affert aspectus, tribus diebus ante illum incipiat vires habere, ac tribus diebus post perduret. Demum id fieret præter rationem, quia res sublunares ob materiæ indefinitionem exactè Cœlestium cursus sequi non possunt, temporeq; omnino egent tùm ad agendum, tùm ad agentis recipiendam actionem. Nec propterea sequitur cùm primùm aspectus vires habere incipit, crisim commoueri oportere; ideoq; ante diem septimam, vel decimamquartam: nam quia non Cęlestis tantùm externa concurrit causa, sed interna; natura inquam nostra, insitusq; calor, qui hunc ordinem seruare exposcit; idcircò ordinara crisis nonnisi certis illis diebus potest euenire. Nec rursus Cęlestis propterea causa incassum ponitur, cùm adsit interna & particularis; quoniam sine Cœlesti interna & inferior nihil potest, aut nihil saltem ordinatum; cùm omnis naturalis actio à Cœlo pendeat, omnisq; inferior hæc agentium naturalium virtus à Cęlestibus lationibus gubernetur, vt primo Meteoron docet Aristoteles; rationiq; sit consentaneum, vt toties ex eodem inculcauimus, periodos rerum minus principalium, periodos sequi rerum magis principalium. Verùm cùm alij Cęlestem tantùm causam considerarent, ac superiorem interna posthabita, & inferiori; alij internam satis esse crederent sine Cœlesti, iure ex vtroq; grege nulli in foribus steterunt *Cap. 2.*

veri-

veritatis. His igitur ita constitutis clarũ est nullam esse necessitatem ijs, qui vera Galeni dogmata sectantur, ac defendunt, modò hoc, modò illud tueri, vt Picus obijcit; & quasi Protheos quosdam varias accipientes formas nunc factitium mensem induere, nunc peragratorium; cùm nil aliud sit medicinalis mensis quàm peragrata Zodiaci spatia, omnis verò Lunæ peragratio non aliunde Galeno vim recipiat quàm è Solari luce, quam fęneratur. Ad tertiam quid dicendum satis ex superioribus est perspicuum; tantum enim abest vt nullam fieri in his inferioribus commotionem per Lunæ silentia censuerit Galenus, vt maximas fieri per id temporis existimauerit: quod & hoc rursus loco eiusdemmet verbis apertissimis probare non pigebit, quæ in nullum alium sensum possunt extorqueri.

Cap. 8. Tertio de Diebus Decretorijs Lunares ad Solem configurationes Galenus enumerãs, mirẽq; hæc nostra in illarum articulis commoueri scribens, sic loquitur de falcatis, & ,, prætumidis apparitionibus. At omnium ,, extremæ obscurissimæq; aeris nos ambien- ,, tis conuersiones in falcatis, in curuisq; ap- ,, paritionibus fiunt; magis autem in curuis. ,, nulla siquidem in eis magna mutatio, sicut ,, in falcatis, apparet. Quare nec Aratus ma- ,, lè ipsas neglexit tãquam obscuras existen- ,, tes; conuenitq; eos laudare, qui de his scri- ,, pserunt, tanquam ne vel minimum quidem ,, omittentes. At in plenilunijs conuersio- ,, nes, & his adhuc magis in cõgressibus pro- ,, prium hoc præter cęteras habent. Verùm hîc nonne sermonem Galenus habet de mutationibus in aere factis Lunarium cõfigurationum ratione? habet enim græcum e- ,, xemplar, τροπαὶ τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος, quod rectissimè ambientis aeris conuersiones interpretatum est. has igitur falcata Luna, & curua imbecillissimas omnium esse admonet, quia in his aspectibus nulla magna in aere mutatio eueniat: itaq; cùm mox subdit, conuersiones in plenilunijs factas proprium id habere; certè nil aliud dicit, quàm conuersiones, quæ fiunt plenilunio, esse potentissimas, quia id proprium habeant, quòd scilicet in illis magna fiat in aere mutatio, & conuersio, quæ res curuis, & falcatis aspectibus non conuenit; quod etiam supra affirmauerat. cęterum nonne subdit, & his adhuc magis cõuersiones, quę fiunt in congressibus, proprium hoc habere? quod est & conuersiones, mutationesq;, quæ in coitu fiunt, magis adhuc habere proprium, vt magnæ sint, magisq; aerem immutent quàm, quæ fiunt plenilunijs? quamobrem & aeris mutationes, proindeq; rerum aliarum, maiores fieri silente Luna quàm in alijs aspectibus Galenus statuit. Pici igitur obiectio nullius est ponderis, cùm maximam partem eorum dierum, tametsi lumine Sol Lunam non afficit, Solari tamen nos virtute Luna promouet; quia ob eam, quam cum ipso habet societatem, luminis tunc expers, non secus ac Sol suo recessu & obitu, aerem alterat, & hæc inferiora; itaq; non influxu, quem à Signis habet, qui nullus est de Galeni mente; sed ob ipsius cum Sole societatem Luna, etiam cùm silet ægrotans pridie interlunij corpus afficiens, septima à morbi principio die crisim excitabit, quia tunc contrariam morbi principio adducet temperationem ob variatam luminis in ea insigniter mensuram, vt supra explicauimus. Quarta ex his, quæ in Anemologia disseruimus, facillimè tollitur; tùm etiam ex superioribus. neq; enim Galenus tres dies Lunam semper à Sole obtegi scripsit, neq; id existimauit; sed tantùm longissimum occultationis limitem trium dierum concludi interuallo. quòd autem non ante diem tertium Luna insigne lumen effundat; quod scilicet & valde sensibile sit, & manifestè vmbram gignat, quemadmodum tertio de Diebus Decretorijs Galenus cõtendit; id sensui adeò euidens est, vt nulla egeat probatione: quare Galeno, qui manifestum apparitionis tempus describere voluit, tres illi dies demendi necessariò erant.

Ann. 28. in lib. de Pluu. Sig.

Cap. 9.

Aliæ Pici rationes dissoluuntur.
Cap. 42.

SEd nec maioris momenti vnica illa ratio est, qua Ioannes Picus monstrare profitetur, Lunam virtute à Sole recepta crisimos dies regere non posse; cùm satis supra ostensum à nobis sit, nullam esse necessitatem, vt in configurationibus ad Vniuersum factis acuti morbi nos adoriantur; verùm totam Lunaris luminis rationem ad ipsius ægrotationis principium, ad morbiq; diem esse referendam; cum quo proprios aspectus facit Luna, qui proprias morbis afferunt mutationes, vt iam pridẽ expositum fuit: vnde perinde euenit ac si in configurationibus ad Vniuersum factis quis ægrotaret; quasi ægrotans corpus sua interlunia, plenilunia, & quadraturas habere videatur: de qua re supra satis est dispu-

ſputatum, quanquam & illud non prætereundum, Luna plena, & dimidiata, non eſſe quadrangularem, & aduerſam configurationem, vt Picus velle videtur, quæ cōmouet humores; ſed ipſam potius luminis menſuram; vt quia dimidia eſt & plena ob cauſas iam ſupra allatas, non quia quadrāgularis & aduerſa, faciat commotionem. Interea tamen notare oportet tanti hominis iudicio hanc, quam à virtute de Sole recepta ducimus rationem dierum criticorum, dummodo aptari illis poſsit, ſolidam naturalemq; cenſendam eſſe. Sed & iam ea refellamus, quæ pertinent ad Lunæ peragrationem; ea tamen parte, qua nobis videntur aduerſari. neq; enim omnia reijcimus; cùm & nullam ex Signis virtutem Lunam recipere nos quoq; fateamur; & Galenum profiteamur exiſtimaſſe. Quod igitur Picus inquit, ſi aliquam etiam virtutem à Signis Lunam recipere concedamus, hāc criticos dies regere non poſſe, contendēs plerunq; die ſeptima & decimaquarta, in quibus criſes fiunt, Lunam in quadratis locis, vel oppoſitis non reperiri: eò quòd tardiorem interdum, vel celeriorem motū habeat; vt propterea ex Signorum permutatione criſis nequeat ſuſcitari; hoc Galeni dogmati nihil obeſt. neq; enim ipſe à Signis Lunam vim recipere vllam arbitratus eſt; neq; ab aſpectibus, quatenus ſcilicet tales ſunt, vel ſextiles, vel quadrati, vel oppoſiti, vel hoſtiles, vel benigni; neq; tandem à motu ipſo; ſed omnem habere Lunam poteſtatem exiſtimauit à lumine Solis, quod recipit, atq; à varia ipſius mēſura; cuius varietatis ratione vario modo aerem alterat nunc ad frigus, nunc ad calorem; proindeq; in ægrotante corpore criticam ſuſcitat commotionem. itaq; cū die ſeptima, & decimaquarta variata luminis menſura modò creſcentis, modò decreſcentis has gignere valeat mutationes, meritò die ſeptima, & decimaquarta criſes fiunt. neq; ob id eſt neceſſe vt exactè Luna quadratum, vel oppoſitum efficiat aſpectum, quemadmodum ſupra vidimus; vel hoc potius Signum quàm aliud obtineat. quare à varietate motus ducta Pici ratio omnino nulla; cùm Galeni recepta poſitione, ſiue pigriore Luna ſiue concitatiore, ſeptima nihilominus, ſi naturæ retineatur ordo, dare iudiciū debeat; eò quòd internæ etiam cauſæ non externæ tantùm concurrant; quibus ſatis eſt illa conſenſio, quam variati luminis ratione ſeptima, vel decimaquarta affert; vnde & ſi pigriore Luna criſes in octauum differātur, & nonum; ſi eadem concitatiore ſexta properando eueniant; id totum fieri præter naturam cēſendum eſt, & ob materiæ indefinitionem, internarumq; cauſarum indiſpoſitionem.

Pleraq; alia à Pico dicta refelluntur; cauſa dierum criſimorum ab eo allata refutatur.

Cap. 43.

IAm verò quæ in prima, & ſecunda ratione poſita ſunt, nullam eſſe hanc à Signis receptam virtutem contendentibus, tanquam veritati conſentanea, & Galeni placitis omnino recipimus; quādo & nullā à Signis mutuari Lunam poteſtatem ipſe quoq; autumauerit. Quæ verò in tertia dicūtur & quarta, quaſdam habēt cautiones; primùm enim quòd quatuor quiq; dies vltra vigeſimum vim non habeant, non videtur verū; cum 24. 27. 31. 34. 37. inter criticos etiam connumerentur. deinde ſi per ſeptenarios quoq; fieret progreſſus poſt diem vigeſimam, & per viginti poſt 40. nihilominus, quæ ephimeram habent mutationem, in Lunam referri oportet; ideſt quæ dierum ſpatio, non menſium, vel annorum commutantur. poſt diem nanq; 20. ſepteni dies magis quàm quaterni afferunt mutationem, quia morbus non exactè, nec propriè acutus eſt, ſed lōgi induit naturā; vnde & corpus non in tanta poſitum eſt alteratione; ex quò & maiore opus habet mutatione, vt natura ad criſim efficiendam excitetur; quā nō niſi longius tēpus afferre poteſt, ideſt ſeptima dies, non quarta. ſeptima nanq; , & decimaquarta maiores effici mutationes Galenus non ſemel indicauit. Eandem habent rationem, quæ vigeſimo quoq; die mutationes experiuntur: morbi enim principio ac ipſi morbo, naturæ, ætati, temperamēto, loco, omnia hęc reſpondent; vt meritò primo libro de Diebus Decretorijs ſcripſerit Galenus, ei, qui præſcius eſſe cogitat diei de morbo iudicaturi, ætates, naturas, anni tempora, & loca eſſe cognoſcenda. Item quæ Picus addit ex Auicenna, Lunę per ſeptenarios progreſſum alibi quoq; in naturæ operibus videri obſeruatum, vbi nulla eſt ſuſpicio de Lunæ motu, vel Solis; cùm, ſicut ſeptimo die acuti morbi, ſic & diuturni ſæpè menſe ſeptimo, vel anno, quartodecimo, vigeſimoprimo habeant terminari; longiſsimè recedunt à veritate, atq; ab Hippocratis opinione; iamq; explanatam à nobis de Galeni mente ſententiam probabiliſsimam effi-

Cap. 11.

efficiunt. supra nanq; dictum est, ex Hippocratis decreto æstiuos morbos hyeme iudicari, autumnales vere, & è contra, atq; ex Aristotele tantæ rei allata ratio est; propter mutationem videlicet superueniétem. atqui huiusmodi mutationum Sol auctor suo motu; ex quò & ex Galeno quoq; docebamus, diuturnorum morborum mutationes in Solem referri oportere. itaq; nó iam suspicio adest, & coniectura Solis motus, sed certum omnino exploratumq; extat testimonium. qua in re illud diligenter notare oportet; mensem septimum ineuntem ideo tantam in iudicandis morbis habere potestatem, quia contrariã morbo affert temperationem propter Solis sitũ contrarium, qui radiorum, lucisq; ratione vel propinquus existens, vel remotus mutationem rei affert ingentem. atq; hinc septimi quiq; menses suam vim acquirunt, vt infra etiam planius explicabimus. respondent enim Aequinoctijs, & Solstitijs. demum in mutationibus Lunaribus interlunio & plenilunio, vt superius ex Galeno monebamus. & sicut non est necesse quemq; Solstitijs, & Aequinoctijs ægrotare, sed quocunq; die incidat in morbum, inde ad septimum mensem, sexto videlicet præterito, quasi Solstitium, & Aequinoctium illi contingit, proindeq; mutatio (nam si exempli gratia aliquem morbus corripiat Sole initium Tauri possidente, huic mutatio imminebit eodem ad Scorpij initium deiecto) ita non est necesse, vt quis interlunio, plenilunio, & quadraturis in acutam labatur ægritudinem; sed quacunq; die ægrotet septima, vel decimaquarta à morbi principio & die mutationem patietur, quia principij morbi ratione loca, quæ diebus illis Luna possidet, vel interlunij, vel quadraturæ, vel plenilunij munere fungantur. & sicut Sol, non quia in Scorpio sit, non simpliciter quia moueatur, vim habet in longis morbis immutandi; sed propinquitatis, vel longinquitatis ratione, quatenus vario situ radijs suis varios parit caloris, frigorisq; gradus; ita & Luna, non quia in quadrato, vel opposito sit Signo primordiali, quod incipiente acuto morbo possidebat, sed variati luminis ratione similes adducit in eo mutationes; vt rectissimè & diuinè admodum Galenus tertio de Diebus Decretorijs diem septimam, & decimamquartam in acutis morbis, plenilunijs, interluniis, & quadraturis; hæc verò omnia mutationibus annuis, quas Sol in longis affert, similia fecerit. quibus

Lib. 3. Cap. 7.

Cap. 7.

pari, similiq; de causa Lunam in mense, Solem in anno morborum producere mutationes docuit, crisesq; Lunam excitare. Demum quintam rationem vt refellamus non est opus; cùm Galenus nullam in Luna cum reliquis erronibus Marte, Ioue, Saturno societatem, & configurationem in diebus crisimis moderãdis necessariam esse velit; sed tantùm Aegyptiorũ illud placitũ ad suam roborandã positionẽ adduxerit, ad Lunęq; vim in hęc inferiora magis ac magis ostẽdendã. Quòd verò Hippocrates in numerorum vim dierũ crisimorũ causam non retulerit, vt Picus censuit, superius ostendimus. in occultam verò proprietatem, conditionemq; criticorum dierum causam non esse referendam hi facilè concedent, qui mecum ipsi considerabunt, eos, qui talia dicunt, re vera non respondere quæstioni, sed confugere ad proprietatem, quod faciunt, qui causarum sunt ignari; cùm hoc genere responsionis facilis sit cuiusq; nodi, etiam si Gordius esset, dissolutio. Tandẽ vt in materiã, ac in particularem aliquam laborantis hominis proprietatem causam eius, quod cũ ordine, & ferè semper cõtingit, redigamus, omnibusq; speciei humanę indiuiduis, vt supra ex Hippocrate ostendimus, est cõmune, quemadmodum extremis verbis Picus iubet; hoc vniuersæ philosophiæ, sed potissimum peripateticæ aduersatur; quæ passim clamat, inordinationem omnem à materia oriri, affectionesq; cunctis vnius speciei indiuiduis communes à nulla indiuiduali proprietate oriri posse; quæ rursus ordinem omnem à Cœlo inferiora hæc recipere statuens, cogit nos, vt à Cœlo esse ordinis causam dierum criticorum fateamur; dicente Præceptore in extremo quarti de Animalium Ortu (quod tàm crebrò & tàm libenter in hac disputatione inculcamus) maximè esse rationi consentaneũ, vt rerum minus principalium periodi rerum magis principaliũ periodos sequantur. Verùm de Ioanne Pico satis; cuius refellendi prouinciam non me latet à Curtio quoq; viro eruditissimo susceptam fuisse: quis autem nostrum melius, aliorũ sit iudiciũ; nũc cum Fracastorio in arenam descendamus.

Fracastorij diluuntur rationes. explanatur vberius quo modo Luna crises moueat, quaue ratione moderetur. Cap. 44.

PAri facilitate occurrendum Fracastorij obiectionibus; quem profectò longè magis

magis mirari licet quàm Galenũ, dùm experimenta ab heroicis vsq; obseruata temporibus, vt Præceptori aduersetur, negare audet. verùm sic plerunq; euenit, vt, dum alijs contradicere studemus, absurdissima quæq; & ponere cogamur, & defendere. id à me dictum est, quoniam, cùm duo sint, quæ Fracastorius conuellere tanquam fundamenta à Galeno posita profitetur; alterum per Lunæ aspectus, ob receptamq; à Sole lucem inferiora hæc à Luna alterari; alterum ob vim à Signis, quartisq; Cœli acceptam eandem habere Lunam potestatẽ: sicuti postremum hoc iure credimus reiectum à Fracastorio; ita & primum iniuria confutatum. nam quis amabò vel Philosophus est, vel Nauta, vel Agricola, qui per Lunæ ad Solem configurationes magnas in hæc inferiora excitari commotiones nõ fateatur duce ratione, atq; experientia? quod enim ipse inquit de maritimis æstibus, per quadraturas minores cerni, hoc nullius est momenti: quin potius illi omnino refragatur. minores enim tunc fiunt, quia plenilunio, & nouilunio commouentur ingentes; cuius rei causam nos in Disputationibus nostris de Maris Aestu adduximus. at hoc per hebdomadas inferiora hæc Lunam commouere facit testatissimũ; quamobrem mirum quod Fracastorius asserit, per quartas Lunæ mutari aeris constitutiones, esse mendacissimum; si quartarũ nomine interlunia, quadraturas intelligit, ac plenilunia: cùm non Ptolemæus tantùm, cęteriq; Astrologi, sed ipsemet Aristoteles cum Theophrasto, vt nos in Anemologia ostendimus, id ipsum velint, ac fateantur. Quod verò ab Hesiodo de quinta Luna dictum est, atq; postea ad illius imitationem à Virgilio confirmatum, aliam habet rationem; Hesiodum enim superstitiosius Lunares dies obseruasse, nemo est qui ignoret: vnde hoc non tollit, quin per Lunæ configurationes ad Solem, &, quod idem est, per hebdomadas inferiora hæc mutationem patiantur. Itaq; vel nolente Fracastorio huiusmodi exempla ad crisium veram causam indagandam plurimùm conducunt; nam sicuti propter variatam luminis in Luna mensuram omnia illa alterantur, ita & quarta, septima, decimaquarta crises fiunt à morbi die, quia tunc tantum Luna demittit luminis, quantum sufficiens est ad calorem tantum, vel frigus in aere causandum, siue ad has sic intendẽdas qualitates, vel remittendas, quantum opus est vt interna causa excitetur, commoueaturq; ad agendum, ad suumq; opus perficiendum: vel exiguum etenim momentum causam interdum esse frigiditatis, & caloris; huiusmodi verò hæc generationis rei ipsius, pulchrè quarto de Animaliũ Ortu memoriæ tradidisse Aristotelem, non semel superius notauimus. Hinc aliæ Fracastorij rationes, quæ nobis negocium facessere videri alicui possent, facillimè dissoluuntur (nam quæ vires à Cæli quartis, & punctis, vel Signis receptas impugnant, nostro dogmati non officiunt) dicimus .n. Lunam per spirituale aliquod huc demissum crises efficere, spiritualeq; id lumen esse, ad crisesq; concurrere quatenus primarum qualitatum est productiuum; caloris per se, & cùm in Luna crescit, frigiditatis, cùm decrescit; eo modo quo Sol suo recessu corruptionis, frigiditatisq; causa dicitur esse, quin etiam & generationis; nec tamen incassum poni, & sine necessitate: eò quòd, tametsi calor in nobis sit, non tamen sine corporum Cęlestium influxu, & actione satis esse possit ad suas obeundas operationes, quemadmodum superius ex Aristotele docuimus. Sicut enim Sol & homo hominem generant, ita & insitus noster calor simul cum cœlesti causa operatur; & nisi ipsa consentiat, vel non agit, vel perperam: frigus autem, quia naturæ instrumentum est, & insitum coaceruando calorem ob antiperistasim illum excitat ad agendũ, ad opusq; absoluendũ, cõcurrit ad crisim; nã vt pulchrè quarto Meteorõ scripsit Aristoteles. ποιητικὸν τὸ ψυχρὸν ὡς φθαρτικὸν, ἢ ὡς κατὰ συμβεβηκὸς. idest frigus efficiens vt corruptiuum; vel vt ex accidenti. ex quò & comburere interdum dicitur, & calefacere, non vt calor, quemadmodum pulchrè subdit Aristoteles, sed quia calorem colligat, aut eum vndiq; coarctet. Fiunt autem hæc omnia proportione quadã & ratione, quoniam, vt illustrissima sententia docet Præceptor quarto de Animalium Ortu, omnia quæ fiunt arte, vel natura, ratione aliqua fiunt, medijq; rationem seruari requiritur, vt opus perficiatur; ex quò & ratio Fracastorij nulla. etsi enim Luna, quò plus luminis à Sole recipit (recipit autem continenter plus, quò magis à Sole remouetur) maiorem caloris copiã suggerat, vt propterea octaua & nona, quia tunc magis à Sole abscedat, maiorem gignere calorem debeat quàm septima; non tamen, quanquam calore crises excitat, efficacius illas, vt Fracastorius putat, octaua & nona commouere debet. causa autem

Ann. 25. in lib. de Plun. Sig.

Cap. 2.

Tex. 30.

Cap. 2.

patet ex his, quę modò ex Aristotele attulimus; cùm enim ad rem condendam medij rationem seruari requiratur; quoniam, quę natura efficiuntur, ratione aliqua sunt; calor, cùm vel deficit, vel excedit, prohibet potius, nil conducit ad opus obeundum: & de frigiditate eadem est ratio. quare cùm quarta, vel septima, vel decimaquarta à morbi die ob variatam luminis in Luna mensuram tantus in aere vigeat vel calor, vel frigus, quantum res ipsa requirit, vt medij ratio seruetur; iure per hos dies crises naturę lege comouentur. Atque de Fracastorio satis hęc esse videātur; quæ enim ad attractionem, & fugam pertinent, nihil Galeno, vel nobis officere palàm est.

Manardi rationes in Galenum diluuntur.
Cap. 45.

SEd quid dicemus de Manardo? qui vsq; eò in Galenum commotus est, vt inflāmatus, & furens reprehensionibus, quasi abstractus à sensu mentis, non solùm causam ab ipso de diebus criticis traditam refellere videatur; non solùm illa reijcere, quæ Galenus nimis cupidus propriæ firmādæ opinionis non sine aliqua nota leuitatis ex Aegyptiorum Astrologorum schola in medium attulit; sed ea quoq;, quæ ex peripatetica philosophia idem excerpsit, omnino redarguere: vt Galeni vicem doleat, quòd Theologica etiam principia ad causā dierum crisimorum indagandam posuisse non videatur. inquit enim primo loco, postquam duo à Galeno posita principia recitauit. » Nos autem duobus hisce principijs alia duo superaddenda à bonis philosophis didicimus; in inferioribus quidē humanam mentem, in superioribus cunctis & Cęlestibus, & terrestribus imperantem diuinam potestatem, & inseruientem illi supernarum mentium innumerabilem cateruam. Sed amabò est ne Manardo bonus philosophus Aristoteles? at ipse nusquam Angelos commemorauit, multo minus pro principijs rerum naturalium: cùm verò philosophi Cœlum statuunt principium, simul & beatas mentes intelligunt, quin & magis, cęlestium corporum motrices; simulq; & principium primum, à quo & Cęlum pendere, & naturam duodecimo primæ philosophiæ docuit Præceptor. *Tex. 38.* itaq; non erant hæc Galeno tanquam fixa & rata, omnibusq; nota vberius explicanda. Quòd verò ad humanam mentem spectat, non video quid ipsa possit ad crises commouendas, nisi quatenus medicinæ habitu induta Medici fungatur officio. si enim illam tanquam actionum causam contemplemur, quod Manardus velle videtur, iam non sola potest afferri; cùm septem primo *Cap. 10.* Rethorico Aristoteli causæ sint actionum, fortuna, vis, natura, consuetudo, ratio, ira, & cupiditas; vt longè plures prætermissæ ab eo fuerint quàm à Galeno. Sed & hoc alterum ex superioribus reperēdum; Galenum ipsum non Cęlestia tantùm corpora, sed formale quoq; principium intellexisse: duo enim fecit principia, alterum inordinatum, alterum ordinatum; hoc verò duplex, Cęlestia corpora, & formale principium ex illis ortum ducens, vt suo loco supra ostendimus; itaq; nulla fuit causa Manardo, vt hac in re Galenum reprehēderet. Secundo loco vbi Galenum redarguit, quòd absq; ordine esse dixerit, quæcunq; ab inferiori principio proueniunt; cum ordine, quæ à superiori & Cœlesti; loquitur sic. » Nos scimus tàm Cęlestia quàm terrestria, immò & quæ supramundana appellantur, certo ordine esse à summo opifice constituta: multaq; hîc & esse, & fieri cum ordine, quæ ordinem suum vel à propria natura, vel à potestatibus Cœlo potētioribus nanciscuntur. At quæso quid opus Galeno fuit criticorum dierum causam quærenti de potestatibus Cœlo potentioribus cogitare? Hoc enim Theologicum arcanum est, nilq; in tractanda causa dierum criticorum necessarium, nisi inter miracula criticos dies adscribere velimus. Philosopho nanq; peripatetico, qualem fuisse Galenū tertio suo libro de Diebus Decretorijs profitemur, nil Cœlo potentius, nil intelligentia sine Cœlo agit; omnis rerū sublunarium ordo à Cœlo est. Sed videat Manardus, dū radices deorsum habere plātas scribit, vt sine Cœlo eas deorsum emittere illas probet, ne ingentem à Galeno recipiat plagam, qui Aristotelicorum dogmatum memor sursum ex secundo de Anima *Tex. 38.* radices in plantis esse dicet. Tertio loco Galenum damnat Manardus, quòd Lunam morbos acutos iudicare scripserit simili ratione, ac Sol quatuor anni tempora gignēs diuturnorum agit curationes: quod Galenum existimasse, perbellèq; tertio de Die- *Cap. 7.* bus Decretorijs scripsisse, nos supra demōstrauimus. cœterum hac in re tantum est laudandus Galenus, quantum ex sententia Manardi reprehendendus; ita vt hoc totius critici negotij fundamētum dici mereatur.

Nec Manardi ratio aliquid roboris habet: nam sicut Sol suo viuifico calore, quē plus minusuè vario motu, ac lumine nobis impertitur, diuturnos morbos iudicat, & discutit; vt, qui calore oriuntur, tollantur frigiditate, & è contra; sic & Luna viuifico calore, quem plus minusuè pro varia, quam à Sole recipit, luminis mensura effundit; quasi annuas mutationes in mense causans certis diebus crises commouet: & veluti in diuturnis perpetuum non est hoc, neq; eundem ordinem semper seruans; cùm aliquando æstiui morbi ante hyemem, hyemales ante æstatem, quin etiam (vt addamus quod Manardus prætermisit) ante tēporis superueniētis mutationem finem vel bonum, vel malum sortiantur; ita & in acutis non est perpetuum vt in diebus criticis crises eueniant: hinc enim incidentes dies, hinc non critici crises afferunt. Vnde maximè mirum Manardum in eo Galenum reprehendere, quòd Lunæ operationem in quatuordecim diebus, operationi Solis in sex mensibus in soluendis morbis comparauerit. Aristotelem nanq; Lunam hyemem ac æstatem luminis cremento & decremento efficere quarto de Animalium Ortu memoriæ prodidisse, superius notauimus; vt nō tàm cum Galeno quàm cum ipso, ac peripateticis certamen Manardo sit ineundum. enimuero si mutationes temporum in mense Luna creat; mutationes autem tēporum morbos iudicant, crises verò morborum sunt iudicia: igitur rectissimè dictum à Galeno fuit Lunam in menstruo spatio acutos morbos, perinde ac Solem in anno diuturnos, iudicare. Nec est necesse, vt hæc locum habeant, quemadmodum Manardus obijcit, vt superius toties demonstrauimus, ægrotos omnes silente Luna in morbos labi. Quarto loco quod Manardus Galeno imponit, dùm Luna luce caret, inferiora hæc nullam pati alterationem, in Anemologia falsum esse, quin etiam & non semel supra, demonstratum est, vt locus hic non desideret amplius orationem meam. Hæc igitur satis esse iudico ad Manardi tela reijcienda.

Cap. 2.

Ann. 28. in lib. de Pluu. Sig.

Valeriolæ, ac Valesij aduersus Galenum argumentationes reijciuntur.

Cap. 46.

DE Valeriola autem nil ferè nobis in præsentia dicēdum est, cùm nihil ipse noui adducat aduersus Galenum: quod verò addit, Hippocratem crisimorum dierū causam potestati numerorum adscripsisse, manifestam habet falsitatem, vt ex superiori disputatione est perspicuum. quin etiam & alijs Medicis non propterea refellendam esse Galeni opinionem, quòd ex apparitionis mense tres illos dies præcipiat esse demendos, supra satis ostensum est: cùm id nō tollat, quin silente Luna crises eueniant, eiusq; virtute commoueantur, vt demonstrauimus. Demum palàm est Valesii in Galenum censuram non esse recipiendam: estò enim Galenum non Astrologorum opinionem, sed propriam secutum esse, quod nos quoq; libenter confitemur (neq; enim astrologicos influxus commentus est, sed veras, sed naturales, sed summè peripateticas causas attulit dierum crisimorum; primas nempè qualitates, quæ naturæ sunt instrumenta, calorem scilicet & frigus, ad quod vnum principium debere quicunq; physicus sit, particulares omnes reuocare actiones decimoquarto de Vsu Partium grauiter admonuit: item naturam ipsam, & cęlestiū corporum motiones harum qualitatū causas) quòd Astrologica placita præferenda sint, nullo pacto concedimus; quæ dum crisimos dies in periodicum Lunæ mensē quatenus talem referunt, non sunt audienda; eò quòd Luna non motu simpliciter, non aspectibus, non recepta à Signis, vel peragratione, vlla virtute hæc nostra alteret, sed lumine à Sole recepto, quatenus vel crescēs, vel senescens aerem atterit; atterendo attenuat, attenuando calefacit, aut contrarias gignit in eo affectiones; vt omnis ipsius actio, contra quàm Valesius cum Astrologis existimauerit, in synodicum mensem, ac in mensem illuminationis necessariò sit referenda, proindeq; in mensem medicinalem: eò quòd Lunæ motus ac passio, secus quàm Valesius credidit, illum consequitur, illiq; affectus Lunæ & motus certus respōdeat; cùm nil aliud sit medicinalis mensis, vt supra vidimus, quàm mensura peragrationis Lunæ, ac receptæ sensibilis lucis: vt, cùm nihil motus & peragratio possit sine suo instrumento, quod lumen est, rectissimè illuminationis mensem Galenus excogitauerit. Quin etiam & alterum illud nō exiguam habet difficultatem; nam prætérquàmquòd in periodicum motum, ac mensem, atq; in aspectus Lunæ per illum, dierum crisimorum causa referenda non est; neq; etiam Valesius sequendus in aspectuū istorum enumeratione; cùm nullus (quod viderim) Astrologus præter exagonum, tetragonum, trigonum, ac oppositionem, di-

Cap. 7.

midium tetragoni aspectus considerauerit. qua tamen in re illud maximè placet, quod Valesius notat, tametsi irregularis sit hic Lunæ motus, proptereaq; tempus non habeant certum aspectus, in quo compleantur; non tamen id criticorum dierum ordinem impedire, quoniam huiusmodi varietas non tantum aspectus tempori addat, aut detrahat, vt consensionem cum die critica tollat. hoc enim longè magis veritatem habere arbitramur in aspectibus luminis ratione ad morbi diem relatis, siue etiam in synodico mẽse ad Vniuersum acceptis; quẽadmodum superius tetigimus. Quòd verò Hippocratem Pythagoricum facere Valesius velit, non recipio: neq; enim ipse in quaternarij, ac septenarij potestatem retulit vim dierum criticorum, quatenus numeri sunt, aut tales numeri; ex quò & Galenus tertio libro de Diebus Decretorijs numeris traditam hanc vim plurimùm irridens sic grauiter scripsit. Neq; enim septimi, vel quarti numerus crisis author est, sed, quòd Luna innouante ac terrena immutante, motuum quoq; periodos ad hos principes numeros venire contingat, meritò in ipsis tanquam stata alterationum tẽpora inueniuntur. quippè non à numeris sed à Luna mutationes terrenis adueniant. sed, vt acutissimè idem Galenus exposuit, quaternarium, ac septenarium ideo prætulit, quia in acutorum periodo quartus dies, ac septimus dichotomiæ naturam induunt; æqualiterq; periodum acutorum totã, illiusq; partes bipartiuntur: de qua re supra vberrimè egimus. Verùm longius fortasse pro præsenti instituto de diebus decretorijs, ac de vera illorum causa ex Hippocratis, Galeniq; sententia disputatum est: quod tamen necessarium fuit, non solùm vt Galenum, postquam occasio tulit, à Neotericorum calumnijs tueremur (nam quod ad Hippocratem attinet, loca omnia cõtrouersa ad criticum negotium pertinẽtia annuente Deo in Disputationibus nostris de Hippocratica Anni Ratione ventilabimus) verùm etiam, quod magis nos permouit, vt dierum crisimorum causa cognita humani etiam partus causam agẽtem externam agnosceremus; quoniam idem sit de vtrisq; iudicium, dicente Hippocrate in libello de Septimestri Partu, conceptus, & abortus, & partus mulieribus in eo tempore fieri, in quo & morbi, & sanitas omnibus hominibus eueniunt; hæc verò omnia partim secundum dies, partim secundũ menses, partim secundum dierum quadragenarios, partim secundum annos significationem sui præbere; videlicet suas perpeti mutationes. & mox, dies primos & septimos multùm potentes esse in morbis, & in fœtibus, pluresq; alios dies intra quadragesimum de vtrisq; iudicare. demum in mensibus eadem fieri, quæ in diebus; eandemq; esse de mensibus, ac diebus decretorijs rationem. quorum omnium causis cognitis illud alterum summè necessarium innotescit (quod ad hanc vsq; diem à nemine video satis explicatum) cur dierum septenarij, quadragenarijq; mensium, & annorum septenarij tantas in natura rerum, ac præsertim humana, in morbis, & fœtibus exerant vires: cùm enim res naturales in continuo motu fluxuq; sint, nec idem in eodem statu vel momento permanere possit; haud aliter ac horam progredientem non sentimus, progressam sentimus (vt aliquando à Ioanne Lalamantio doctè animaduersum video) ita mutationes, quæ in singula ferè momenta corporibus nostris contingunt, & sunt (vt ita dicam) in fieri sex diebus, mensibus, & annis, nec ita euidenter perspiciuntur; septimis quibusq; die, mense, & anno tanquam progressæ sint, & in facto esse, euidentius multò perspicimus; ita vt septimo die, mense, & anno (vt scilicet variæ res sunt) magnæ in rerum natura mutationes fieri deprehendantur, quæ antea visæ sint insensibiles. quod idem de medijs horum temporum articulis locum habet: omnia enim hæc pares similesq; habent causas, vt superius diximus. quod in annis iam locus est vt demonstremus; postea ostensuri cur cuiq; rei die septima à suo principio, sed conceptui præsertim humano, mutationis periculum immineat; cur quadragesimo; demum cur mense septimo.

Cap. 8.

Periodus quid, & quotuplex secundum Aristotelem. Humanæ vitæ periodus duplex recensetur ex sacris literis.

Cap. 47.

VNiuscuiusq; rei tempus & vitã numerum habere, numeroq; determinari, quoniam omnium ordo sit; & tempus omne, ac vitam periodo mensurari, non eadem tamen omnia, sed maiorem alijs, alijs verò minorem periodum mensuram esse, supra ex Aristotele docuimus. quod ante illum Diuinus Plato in Timæo significauit, dicens animalium compositionem ab ipso generationis exordio certis temporũ

cur-

curriculis terminari; idq; & genus vniuersum pati;& animal vnumquodq; ab ortu fatale viuendi spatium in se ipso continere. vt meritò idé Aristoteles in extremo quarto de Animalium Ortu scripserit omnium tempora & generationum, & gestationū, & vitarum id sibi naturaliter exposcere, vt proprijs ac naturalibus periodis mensurétur: nimirum quia periodus à cœlestium corporum motionibus pendeat, ac gignatur; motio autem cęlestium corporum caloris, frigiditatisq; sit causa; calor demum ac frigiditas causa cuiusq; rei ortus, vitæ, durationis, & corruptionis: vt periodus, quatenus cœlestis motionis imago est & mensura, nil demum aliud esse videatur quā mensura harum qualitatum, quatenus ad proprium cuiusq; rei ortum, durationem, vitam, interitum concurrunt. siquidé hoc est, mea sententia, quod Philosophus designat memorato loco, dum generationes, gestationes, vitasq; animalium commemorans, periodisq; naturaliter hæc tria mensurari sibi exposcere dicens, vt huius rei causam afferat, vt ostendat, quare periodis dimensionem recipere desiderant; postquā quid periodi nomine audiendum sit exposuit, & qua ratione Lunares motus inter periodos sint collocandi; statim subdit calores & frigiditates cū moderatione quadam generationes, sine moderatione corruptiones efficere; simul enim & generationes nominans intellexit alia duo superius ab eo posita, vitas scilicet & gestationes; ac dicere tandem voluit, quia calor & frigiditas cum moderatione generationes, gestationes, ac vitas animalium efficiunt, sine moderatione destruunt; caloris verò & frigiditatis, siue dicere velis moderationis & immoderationis harum qualitatum, tùm principium tùm finem motus Solis ac Lunæ obtinent; nimirum quia suis motionibus has causant qualitates, & in ipsis excessus & moderationes; hi verò motus periodi sunt, ac temporibus definitis mensurantur; idcircò generationes, gestationes, ac vitas periodis horum syderum naturaliter mensurari; vt periodi nomenclatura ferè à calore in frigus factam mutationem, & è contra Philosophus intelligat, harumq; ratione qualitatum periodū velit definiri: quod pulchrè etiam Theophrastus primo libro de Plantarum Causis videtur significasse; periodum tempus definitum dicere innuens, & ver hyemis respectu, parturitionis plantarum ratione, periodi finem constituens; simileq; affirmans in animantibus euenire. Nam & propterea loco memorato Aristoteles diem, noctem, mensem, annum, Lunæq; ad Solem configurationes percenset, & tempora, quæ ijs describuntur: ac generationis quidem nomine tàm eam, quæ in vtero fit, intelligit, videlicet ipsam conceptionem, & articulationem, quàm eam, quæ posterius, cùm fœtus in lucem venit; ideoq; generationi perfectionem adiungit, quia ipsa perfectio, fœtusq; maturitas generationis, quæ posterius fit, videlicet ipsius partus est causa: per gestationem verò tempus totum, quod à conceptione est ad partum intelligit; per vitam totum temporis tractum, in quo animal vita fruitur. quamobrem hæc omnia naturaliter suas habere periodos dicens, quæ illa metiantur; dimetiendi verò habere periodos potestatem, quatenus calores, frigiditatesq; afferunt, & harum qualitatum sunt mensuræ, quemadmodum supra dicebamus; conceptionem, gestationem, partum, vitam in calorem & frigiditatem tanquam in suas causas esse referendas docet euidenter, harumq; qualitatum opera effici monstrat, si moderationem seruēt; destrui si non seruent; adeò vt ex ipsa immoderatione effluxio, abortus, ac mors sequantur, quæ conceptioni, gestationi, partui, ac vitæ sunt contraria & corruptionis nomine à Philosopho intelliguntur: vt iam hoc recepto fundamento facilè eorum omnium, quæ circa hominis generationē ad senectutem vsq; & mortem eueniunt, causas ex Aristotele addiscamus; videlicet conceptionis, vitæ, gestationis, partus, effluxionis, abortus, mortis, demumq; illarum mutationum, quæ per ætates, & climatericos annos, atq; per dies crisimos in morbis corporibus humanis eueniūt. ideoq; rectissimè à nobis supra dictum sit, dierum etiam crisimorum causas, vel certè fūdamenta, vnde facilè hauriri queant, hîc à Philosopho iaci. & sanè, vt alia nunc missa faciamus (quod ad præsentem pertinet disputationem) generatio, definiente Aristotele, est prima participatio cum calido nutritiuæ animæ; vita mansio huius; iuuentus primæ refrigeratiuæ particulæ augmentatio; senectus huius decrementum; status horum medium; mors, & corruptio secundum naturam calidi marcefactio, & dixerim penè refrigeratio particulæ, quæ calorem hunc continet. quibus omnibus est perspicuum calore & frigiditate vitam vniuersam mensurari: ita vt periodus vitæ mensura, harum qualitatum, quatenus viuenti

Cap. 14.

uenti has afferunt mutationes, ſit menſura. at qualitates hæ à Cœleſtium motibus vel oriuntur, Solis præſertim, ac Lunæ, vel certè gubernantur, omnemq; recipiunt varietatem; terminum enim tùm principij tùm finis caloris & frigiditatis, ſiue dicere velimus moderationis & immoderationis harum qualitatum motus horum ſyderum obtinet, vt adducto loco quarti de Animalium Ortu ſcribere Ariſtotelem paulò ſupra dicebamus. itaq; periodi, quæ motuũ Solis ac Lunæ menſuræ ſunt, vitarum rectiſsimè menſuræ erunt. At periodi plures inueniuntur, ſicut & horum ſyderum plures motiones: nam dies, nox, menſis, annus, & tempora, quæ ijs deſcribuntur, ſimul etiam, & Lunæ ad Solem configurationes periodi nomine dignari debent ex ſententia Præceptoris. Cœterum periodi, quæ dierum ſunt, in Lunã referri expoſcũt, vt ſupra, ex Ariſtotele, Galenoq; monebamus; quæ menſium plurium, & annorum, in Solem ipſum. Vitam igitur hominis periodum, qua dimenſionem recipiat, ſibi naturaliter expoſcere, periodumq; hanc annorum eſſe, proindeq; in Solem referendam, tùm per ſe euidens eſt, tùm ex ſuperioribus manifeſtum. At enimuero periodum ad humanam vitam dimetiendam congruentiſsimam 84. annorum eſſe ſtatuunt Sapientiores duce experientia; vt rectiſsimè Staſeas peripateticus, & Plato, Cenſorino de Die Natali referente, in eo terminum humanæ vitæ defixiſſe videantur. cui veritati Sacræ

Pſalm. 89.

Literæ adſtipulantur, cùm in Pſalmis ſcriptum ſic habeamus. „ Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorũ in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Nec ſemel Galenus memoriæ prodidit decrepitam ſenectam, tertiamq; ætatem ſenectutis, quam πέμπλον vocari ſcribit, videlicet quia ipſi pompa funebris iam paretur, octauageſimo & circiter terminari. quòd ſi longiſſimum terminum figere volumus, is iubente Domino Geneſeos ſexto, vt inter alios monet Ioſephus primo libro Antiquitatum (tametſi non deſint qui aliter locum hunc accipiãt) centum & viginti annorum erit ſtatuẽdus.

Cap. 5.

„ Sic nanq; ibi legimus. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntq; dies illius 120. annorum. qui numerus decimum ſeptimum terminat annorum ſeptenarium, & decimum octauum inchoat, nos in præſentia minorem terminum, cui duodecimus ſeptenarius finem imponit, conſiderabimus tanquam frequentiorem.

Periodus humanæ vitæ cur dichotomijs diſtinguenda; cur annorum ſeptenarijs humana corpora ingentes perpeti mutationes ſoleant. ætatum diuiſio quam habeat rationem, & in quot partes fiat. Cap. 48.

PEriodus omnis, quia tempus quoddam eſt, dichotomijs diſtinguitur; harum nanq; auctore Theophraſto officium eſt tẽpora diſtinguere, vt ſuo loco ſupra admonuimus: itaq; humanæ vitæ periodus dichotomijs diſtinguetur. At dichotomiæ officium eſt in duas æquales partes tractum temporis vniuerſum partiri, parteſq; ipſius; quod ſatis ſupra explicatum eſt: itaq; ſi annorum 84. ſumma diuidatur æqualiter in duas partes, dichotomia incidet prima in annum 42. ſi partem hanc rurſus à primo anno ad 42. ſecabimus ęqualiter, annus 21. in dichotomiam incurret; ſi ſpatium, quod eſt à 42. ad 84. inſurget 63. & de reliquis idem iudicium. At hinc cauſa elucet cur per annorum hebdomadas, ſeptenarioq; numero ſapiens Vetuſtas vitam hominis fuerit dimetita, quod etiam Ariſtoteles ſeptimo Politicorum notatum reliquit: item cur Hippocrates tãtoperè in libro de Principijs ſeptenario dierum, menſium, annorumq; numero tribuat, dicens hominis vitam ſeptendiariam eſſe, dierum, menſium, annorumq; ſeptenarijs ingentes perpeti mutationes. de diebus enim dictum eſt ſupra dicemuſq; poſtea, & de menſibus; de annis nunc pauca differenda; de quibus ſic eo loco diuinus Senex. „ Atq; hoc donec homo integer augeſcat: augeſcit autẽ vbi conſpicuus euadit; conſpicuus verò fit maximè à ſeptennio vſq; ad decimumquartum annum, & in hoc tempore tùm maximi ex dentibus, tùm alij omnes naſcuntur, poſtquam exciderint hi, qui ab alimento in vtero capto nati ſunt. Augeſcit & in teritum annorum ſeptenarium, in quo adoleſcens fit, vſq; ad quartum, & quintum ſeptenarium. Quin & quarto ſeptenario dentes enaſcuntur pleriſq; hominibus duo, qui ſapientiæ dentes appellantur. Hinc elegans ille liber ab Hippocrate editus de Hebdomadibus, qui iniuria temporis amiſſus eſt. ſeptimus nanq; quiſq; annus ob allatam ſuperius cauſam, vt eleganter docebat Seneca, ætati ſignum imprimit: primus enim ſeptenarius totius ſpatij annorũ quatuor-

Cap. 16.

decim

decim eſt dimidium, ergo & dichotomia; duo verò primi ſeptenarij dimidium terminant quarti ſeptenarij, ſcilicet annorum 28. quin etiam & ſecundus ſecat æqualiter ſpatiũ ab anno ſeptimo ad 21. vt iam duodecim habeas annorum ſeptenarios maximè conſiderandos, quorum vltimus humanæ vitæ vt plurimum naturalis terminus habetur. 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63. 70. 77. 84. qui omnes dichotomiæ induunt naturam, proindeq; mutationem aliquam corpori humano portendunt; quoniam, vt pulchrè ſupra ex Theophraſto notabamus cauſam afferentes, ſi mutationes fieri debent, maximè fiunt in dichotomijs. Habet autem hoc totum ſummam rationem; quandoquidem ſemper laborat animal, vt perbellè ſeptimo Nichomachio: notauit Ariſtoteles; non ſolùm quia omnia cum labore facit, ſed quia in eo omnia labuntur ad interitum: omnia nanq; in motu ſemper ſunt, & fiunt, aut corrumpuntur, vt in Opuſculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ idem memoriæ tradidit; vnde & ſempiternæ paſsionis dogma ortum fortaſſe habuit à Galeno primo de Tuenda Sanitate pro vero receptum, ſi eo ſenſu illud accipiamus, vt perpetuam quandam dicat inualetudinem; quatenus omne genitum corpus, ſicuti & ortus, ita & interitus cauſas ab initio ſecum natas habens, naturali quodam morbo laborat, quia in ſenectutẽ, mortemq; perpetuo labitur; & cùm in ipſo ortu calidum ſit & humidum, mutatur in ſiccitatem, ac frigiditatem; ex quò & ſenectutem morbum quẽdam naturalem rectiſſimè appellabat Ariſtoteles: in quam ſanè internam pugnam mixtorum corporũ nonnulli cùm animum intenderent, dixerunt naturam in homogeneis corruptionis principium paſsiuum tantùm eſſe, in etherogeneis verò etiã actiuum; idcircòq; homogenea ſua natura nullum habere certum terminum durationis, etherogenea verò, certam periodum, quam ſuperare non poſsint. quæ cùm ita ſint, neceſſe eſt hominem in vitæ curſu temperamentum mutare, idq; nõ ſemel: atq; hinc ætatum diuiſio ab Hippocrate tradita, ab Ariſtotele, & Galeno recepta, ac repetita ortum ducit, ac rationẽ. ſunt enim ætates perpetuę huius noſtrę inualetudinis ferè mutationes, & quaſi criſes quædam. ſempiternæ nanq; paſsionis dogma hinc maximè habere credimus demonſtrationem, non tantùm ex rebus non naturalibus; licèt aliter primo Controuerſiarum Valeſio placere videam. cùm enim omnis morbus tempora habeat, in quibus iudicetur, euenit rectiſsimè, vt anni, quibus ætates diſtinguũtur, & quibus nouum aduenit temperamentum, quaſi critici dies ſint quidam, hanc noſtram perpetuam iudicantes inualetudinem. Sunt autem ætates auctore Galeno in librum Hippocratis de Salubri Diæta, & octauo de Placitis Hippocratis & Platonis numero quatuor prima & communiſsima diuiſione, quatuor anni temporibus ſimul, & humoribus quatuor proportione reſpondentes; videlicet τ͂ παίδων, ἀκμαζόντων, παρακμαζόντων, & γερόντων, puerilis, iuuenilisq;; conſiſtens; inclinans; & ſenilis. cuius rei gratia ſcriptũ eſt ab Hippocrate tertio ſecto Aphoriſmorum, per tempora anni vere quidem, & prima æſtate pueros, & qui hos ſequuntur ætate, optimè degere, & ſanos eſſe maximè: æſtate verò, & autumno vſq; ad aliquid ſenes; reliquum & hyeme, qui mediam ætatẽ habent. quam ſentẽtiam luculenter exprimens quinto de Animalium Ortu Ariſtoteles memoriæ prodidit, homines ſuis ætatibus hyemem æſtatemq; agere; illiſq; per ætatem ver, æſtatem, autumnum, hyememq; euenire. ætates nanq; nil ſunt aliud quã totius vitæ curſus mutationes quædam, perinde ac quatuor anni tempora annui tractus. quanquam libello de Reſpiratione totam hominis vitam tripliciter idem partiri videatur, in iuuentutem ſcilicet, vigorem conſiſtentiamq;, ac in ſenectutem, augmenti, ſtatus, ac decrementi primæ refrigeratiuæ particulæ ratione; ex quò & ſecũdo Rethorico iuuenum, & ſenum, quos πρεσβυτέρους, & παρηκμακότας vocat; item eorum, qui in flore ætatis ſunt, mores tantùm recẽſet. Eſt autem harum prima vocata pueritia; quæ prout pubertatem comprehendit (ex quò & Celſus libro ſecundo. maximèq; » omnis pueritia primùm circa quadrageſimum diem, deinde ſeptimo menſe, tùm ſeptimo anno, poſtea circa pubertatem periclitatur) quin etiam & adoleſcentiam, anno 25. terminatur veri reſpondens, & ſanguini. ſecunda eſt florens ætas, & conſiſtens, quam iuuẽtutem, ſi Galeno credimus, Hippocrates in libro de Salubri Dięta appellauit; ſicq; octauo de Placitis Hippocratis, & Platonis eam ipſe dixit; cui 35. annus finem imponit, æſtati conueniens & bili. tertia iam inclinans, quæ anno 49. finitur, autumno perſimilis, & atræ bili. reliquum eſt ſenectutis hyemi reſpondens, ac pituitæ.

Cap. vlt. *Cap. 2.* *Cap. 5.* *Cap. 7.* *Aph. 18.* *Cap. 3.* *Cap. 13.* *Cap. 1.*

Aetatum diuisio exactior ex Hippocrate, & Galeno. Cap. 49.

VErùm si, vt Hippocrates ostendit tertio secto Aphorismorum, & alibi, particularius has ætates diuidamus, prout insignes homini per vitæ cursum contingere mutationes compertum est, erunt in totũ numero nouem constituendæ: quarum prima νεογνοὺς παῖδας tertio secto Aphorismorum comprehendit, ideſt paruos, nuperq; natos puerulos: de qua sic Hippocrates. [*Aph. 24.*] [*Aph. 28.*]
» Plurimæ autem passiones puerulis indicã-
» tur, nonnullæ quidem in quadraginta die-
» bus, nonnullæ in septem mensibus, non-
» nullæ verò in annis septem. Vnde huic septimum annum finem imponere palàm est; tametsi ex Aphorismo 25. subdiuidi hæc ætas posset: quam quidẽ adeò scrupulosam partitionem consultò nunc prætermittimus. illustre quidem interuallum, cùm eo tempore ex Theologorum sentẽtia rationis vsus homini accedat; qui, vt declarant, nil aliud est quàm vsus liberi arbitrij, & suarum operationum esse dominum; ex quò, & septimum agens annum, non antea, sponsalia ex legum decreto per verba de futuro contrahere potest; nimirum quia eo accedente tempore, vt pulchrè diuus Thomas quarto Sẽtentiarum explicat, cùm triplex sit gradus vsus rationis, primus, cũ quis neq; intelligit per se, neq; ab alio capere potest; secundus, cùm ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad intelligendum; tertius, cùm ab alio iam capere potest, & per se ipsum considerare: primò, inquam septenario accedente, quiescentibus motibus, ac humorum nimio fluxu remisso, quorum excedenti copia ratio omnino consopita delitescebat, secundus rationis vsus status adueuit; ex quò & tunc homo contractui aptus est, & proinde spõsalibus. Hinc, vt adiungit D. Thomas, pueri septennio confecto ad scholas ponũtur; quod aliquo modo Aristotelis est septimo Politicorum asserentis duas esse ætates, in quas necessarium est disciplinas diuidere; vnam post septimum annum, vsq; ad pubertatem, alteram à pubertate vsq; ad annum vigesimum primum. Secunda Pueritia dicta à septimo anno ad decimumquartum extenditur. Tertia Pubertas, quam annus decimusquartus inchoat Galeno in tertiũ sectum Aphorismorum teste, terminat verò annus 25. vt idem quinto Secto de Hippocratis mente admonet: vocanturq; hi Galeno ἔφηβοι. & μειράκια, ideſt ephebi, & adolescentes. atq; hanc ætatem mediam esse inter pueritiam & consistentem idem ipse in librum Hippocratis de Salubri Diæta notatum reliquit. quanquam subtilius Galenus rem expendens quinto Secto Aphorismorum à decimo octauo ad 25. esse μειρακίων ætatem voluit; videlicet adolescẽtiam, quam mediam inter τὴν ἥβην, & ἀκμὴν ideſt inter pubertatem & florem ipsum ętatis, & consistentiam tertio secto esse dixit. tametsi Modestinus Iurisconsultus plenam pubertatem decem & octo annis definiat. nam & hoc fortasse est quod septimo Politicorum dicebat Aristoteles, qui per hebdomadas ætates diuidunt plerunq; non benè facere, sed naturæ diuisionem esse sequẽdam. neq; enim septenarium hunc per annorum hebdomadas progressum improbare voluit, veluti qui septenarij vim in natura non ignorauit; ex quò & quarto, sextoq; libro de Animalium Historia insectorũ generationem, pisciumq; gestationem septenarijs dierum describi, ac distingui memoriæ prodidit; ac post illum Theophrastus libro sexto de Plantarum Causis numerum hunc principalissimum, ac naturæ familiarissimum appellauit; tametsi id præcipuè saporum ratione proferre videatur: vt meritò Marcus Tullius in libro de Somno Scipionis dixerit, hunc eundem numerum rerum omnium ferè esse nodum. qua de re etiam Marsilium Ficinum in librum tertium secundæ Aeneadis Plotini, & in extremo libro de Vita producẽda legere possumus. sed id tantùm fortasse intellexit Aristoteles, non expletis semper, integrisq; hebdomadis annorum ętatem esse definiendam; quia 18. non 21. 25. non 28. earum nonnullæ vel monente natura initium capiant. cuius tamen loci, vt alibi notatũ est, aliæ etiam possunt esse interpretationes. A 25. verò ad 35. (quam dicimus iuuẽtutem) ætatem videlicet τῶν νεανίσκων, Galenus præcitato loco ex quinto Secto esse cẽsuit. Ab hac postea ἡ παρακμὴ ideſt ætas declinans incipit, & ad duas sequentes annorum septimanas extenditur auctore Galeno in tertium sectum Aphorismorum, ideſt à 35. ad 49. Inde succedit senectus, quam triplicem esse Galenus docet extremo quinto libro de Sanitate Tuenda: primam τῶν ὠμογερόντων, ideſt eorum, qui cruda viridiq; adhuc senecta sunt, quiq; adhuc obire ciuilia negocia possunt; quam nonam septimanam nos terminare credimus, ideſt annum 63. Secundam, cui aptè nomen ipsum senij cõuenit, & propriè γῆρας dicitur, quam putamus

[Marginal notes, left: *Decretal. 6 si infant.* — *Dist. 27. q. 2. art. 2.* — *Cap. 17.* — *Aph. 27.* — *Aph. 7.*; right: *Com. 7.* — *Aph. 9.* — *Aph. 29.* — *Cap. 17.* — *Cap. 20. 17* — *Cap. 4.* — *Cap. 7.* — *Cap. 20.* — *Aph. 30.*]

tamus ad decimam extendi septimanam, videlicet ad annum 70. in hac enim ætate iam plenè frigiditas, & siccitas dominantur; ex quò & Aristoteles senectutem, γῆρας quasi γεηρὸν, idest terrenum quid, dictam quinto de Animalium Ortu eleganter memoriæ prodidit; nimirum quia sit sine calore, vt idem subdit, & cum calore deficiat humor; vt siccitas frigiditasq; terreæ videlicet qualitates, in ea imperium teneant. Tertiam autē decrepitam, quam duodecima septimana terminari arbitramur, scilicet anno 84. atq; hæc de ætatum diuisione, ac initijs dicta sint pro præsenti instituto.

Cap. 3.

Climaterici anni qui, & quot; & qua de causa ex nonnullorum sententia periculosi.

Cap. 50.

PAtet autem ex his, cùm ætas annorum sit decursus corporis temperamentum immutans; quia sic naturæ fert conditio, quemadmodum supra dicebamus, vt corpus humanum nequeat diù in eodem statu permanere; quòd sit omni genito corpori corruptelæ interitusq; connata necessitas; hæ autem mutationes nisi annorum spatijs certis cõtingere non possint; patet, inquã, ex his, necessariò annis illis, quos recensuimus, tanquam ætatum, mutationumq; harum notis, ac mensuris, mutationes quasdam corporibus humanis imminere; eò quòd in his annorum articulis mutentur temperamenta; & calidius, humidius, siccius, ac frigidius corpus fieri ipsum oporteat; humoresq; quatuor alternatim dominari: cùm quod in anno tempus, id in vita hominis sit ętas; quod tamen ne vt perpetuum intelligi debet, sed vt plerunq; fiat: cùm, prout calidior, frigidior, humidior, aut siccior aliquis est, etiam celerius, aut tardius, vel pubescat, vel senescat, vt aliquando rectissimè Galenus admonebat. Cęterum his ita cognitis perspicuum etiã est, quid sit de climatericis annis, & scalaribus (quod tantoperè ingenia omnia torsit) sentiendum; quos ętati, vitæq; humanæ notam imprimere, & ægrotationes plerũq; afferre, longinqui temporis vsu, ac periclitatione perceptum est (ex quò & Varro in libris de Hebdomadibus, vt Gellius refert tertio Noctium Attic. pericula vitæ, fortunarumq; hominum, quæ climacteras Chaldęi appellant, grauissima quęq; fieri affirmabat septenarijs) & vnde hanc habeant potestatem, quauè de causa: vt, quod credebatur obscurius, his iactis fũdamentis nil hoc ipso videatur apertius. Climaterici enim, idest scalares, ita dicti, quia vitam hominis quasi per scalarum gradus quosdam peragant, habentur quartus, septimus, decimusquartus, 21. 28. 63. referente Leuino Lemnio libro secũdo de Occultis Naturæ Miraculis; quibus Censorinus de Die Natali, Valesius in Sacr. Philosoph. addunt 42. 49. 70. 81. & 84. quem idem Censorinus vitæ terminum de Staseæ Peripatetici auctoritate constituit, vt supra dicebamus, cuius verba huc afferre non pigebit. Staseas, inquit, Peripateticus ad has Solonis decem hebdomadas addidit duas, & spatium plenæ vitæ quatuor & octoginta annorum esse dixit. quem terminum vitæ si quis præterit, facere idem, quod stadio dromi, ac quadrigæ faciunt, cùm extra finem procurrunt. Hetruscisq; libris fatalem ætatem hominis duodecim hebdomadibus describi Varro commemorat. Hactenus de Censorino, qui ideo Solonem decem annorum hebdomadas humanæ vitæ terminum præfigisse scribit, quoniam, vt apud Herodotum libro primo habemus, hunc viuendi limitem ipse Solon expressit, dum Crœsum regem alloqueretur. Proponamus enim (inquit) homini terminum vitæ ad septuaginta annos. Omnium autem difficiliores, & periculosissimi habentur, vt idem Censorinus refert, quos ternæ hebdomades conficiunt, 21. 42. 63. 84. Verùm præ cæteris ab alijs putantur periculosiores 49. & 63. quòd prior septenarijs in se multiplicatis, alter septenarijs & nouenarijs assurgat. sed tamen præferunt 63. ea de causa, vt Leuinus refert, cui in Commentarijs in tertium Epidemicon videtur Valesius subscribere, & alij omnes, quòd duo annorum numeri sint septimus, & nonus, qui plerunq; rerum, viteq; immutationem, ac grauia pericula inuehant; quò fit vt sexagesimustertius, qui ex vtroq; multiplicato componitur, non sine periculorum aceruo ingruat. Hinc dicunt, Gellio libro decimoquinto referente, Augustum sibi gratulatum, suæq; incolumitati abũdè prospectum existimasse, quòd suæ ætatis annum 63. euasisset. siquidem hic annus senibus infestissimus obseruatur; vt nonnulli scripserint, nil in humana natura admirabilius videri, quàm annum 63. senibus ferè omnibus vltimum esse. addit Cẽsorinus de Veterum sententia, septenarium ad corpus, nouenarium ad animum pertinere, ideoq; 63. periculosissimum existimari, quia corpori & animo inuehat mutatio-

Cap. 10.

Cap. 32.

Cap. 7.

Cap. 7.

rationes. Verùm nugæ hæ sunt, nec vllam habent firmitatem; quando nulla in numeris sit virtus, vt superius Galeni ostendimus auctoritate; idcircoq; annus 63. ceteris periculosior esse nequeat, quia ex septenario & nouenario simul multiplicatis oriatur. nec magis probabilia sunt quæ ex Censorino retulimus, vt illorum confutatio non desideret orationem nostram. Nos horum omnium causam apertissimam, ac naturalem facilè erui posse ex superioribus arbitramur, vt sequenti capite ostendemus, tametsi Seneca ita scribens. Sic in hoc studio multa delectant, pauca manent; licèt nescias quæ ratio Oceanum effundat ac reuocet, quare septimus quisq; annus ætati signum imprimat. sciri eam non posse, se credere demonstrauit.

Vera causa affertur cur climaterici anni periculosi sint, mutationesq; aliquas humano corpori inubeant. Cap. 51.

CLimaterici anni, quod dictum superius est, veluti gradus quidam sunt scalæ humanæ vitæ, similes diebus decretorijs. iudicant enim hominis vitam ac ætatem, & sempiternam ægritudinem, afferuntq; corpori mutationem, quod Hippocrates in Opusculo de Septimestri Partu significauit, scribens morbos, sanitates, aliasq; huiusmodi mutationes suos habere dies, menses, & annos, in quibus eueniant. nam & propterea scriptum reliquit secundo Epidemicon illustrissima sententia, morbi interceptionem non posse fieri nisi in die legitima, neq; quidem principium fieri posse nisi in die illegitima, & mense, & anno legitimo: item necesse esse, legitimo die, mense, & anno hominem obire. legitimos nanq; annos, vt Valesio placuit in Commentarijs, qui climaterici vocantur, appellauit; quoniam hi, perinde atq; dies crisimi acutos morbos, ætatem, vitamq; hominis, perpetuamq; illius inualetudinem iudicant, ac sempiternam passionem, morbos plerunq; afferentes; quin etiam, & si corpus ægrotũ sit, sanitatem; quanquam & de huius loci interpretatione infra nonnulla adijciemus. sunt enim veluti articuli quidam ætatum, & dichotomiæ, proindeq; mutationem afferunt; per ætates enim mutari animantes in contrarium solent, vt Prob. sectione quarta notat Aristoteles; omnis enim mutatio in contrarium, & ex consequenti difficilis plerunq; ac turbulenta: siquidem omnis mutatio à praua natura est, quia indigentiæ causa, & quia natura non est simplex, vt in calce septimi Ethicorum scriptum legimus. sublunaris nanq; natura hæc, quia indiget, propterea mutationem admittit. nam & hoc est quod perbellè sectione prima Problematum dicebat Aristoteles, mutationem omnem morbosam esse, ætatisq; mutationem motu esse facilem, id est, vt in Anemologia explicauimus, instabilem & incertam. mutatio nanq; ætatis in extremis consistit; extrema verò principia sunt, & fines; nempè principia sequentis, fines præcedentis ætatis, proindeq; motu facilia; inclinãt enim in aliam temperationem. igitur meritò ætates, si corpus sanum est, ægritudinem, si è contra, sanitatem non rarò adducunt: nec vlla res est in natura vniuersa, quæ apertiorem habeat causam. cùm enim humores in ætatum temporibus alterentur, & qualitates, ac temperamentũ immutetur, quid mirum si in annis, qui ætates illas, vel illarum partes signant, humanum corpus morbos, & pericula experiatur? ægrotationibusq; fiat obnoxium? nam & ad hæc animum intendens Hippocrates tertio secto Aphorismorum, singulis ætatibus proprios morbos adscripsit: de qua re sic etiam in Coacis Prædictionibus egregiè disputauit, Horum morborum, inquit, nullum ante pubertatem fore expectandum est. Verùm ab anno decimoquarto vsq; ad quadragesimumsecundum natura corporis morborum omnis generis ferax fit. Rursus ab hac ætate vsq; ad annos 63. non fiunt strumæ &c. Est quidem quartus annus pueris climatericus; at hic septenarium primum seiungit æqualiter quasi dies quarta primam septimanam, igitur iurè mutationem portendit: vt rectissimè scripserint aliqui, infantes circa annũ quartum maximè periclitari. totius enim infantię, quæ ad septimum vsq; extenditur, medium continet annus quartus: & de septimo, ac decimoquarto eadem ratio est. immutatur enim temperamentum aliquo pacto, & alterantur qualitates, præsertimq; actiuæ, quæ naturæ sunt instrumenta; & insitus complãtatusq; calor suam ipse quoq; recipit alterationem; vnde insignes in corpore eueniunt mutationes: vt enim prima Quæstionum sectione pulchrè docet Aristoteles, ætatis mutatio tanquam temporis mutatio quædam est; siquidem scribit. Mutationes etenim flatuum, ætatum atq; locorum pro temporis cuiusdam mutatione accipi debent. quare si mutationes tẽporum in ijs, qui benè valent morbos creant,

Sect. 6. Prob. 4. Prob. 15. Apol. li. 1. Cap. 3. Aph. 24. & seq. Prob. 3.

Aph. 3. ant, vt iam pridem tertio Aphorismorum secto scripsit Hippocrates, ac memorato loco Philosophus confirmauit, simul etiam & causam adducens. quid mirum si ætatum mutatio morbos affert, cùm temporum quædam mutatio existat? quid mirum si decimusquartus climatericus habetur? de cuius mutatione sic Aristoteles libro septimo Historiarum. Mas autem primùm semen genitale magna ex parte incipit ferre anno peracto bis septimo, simul etiam & pubescere incipit eo tempore, vt stirpes semen laturas primùm florere Alcmeon Crotoniata ait. quo loco de mutatione vocis, de mutatione habitus corporis, vt sit vel sanitari, vel morbo habilius, plura legere possumus; eadem fœminis contingere scribens tempore pariter eodem.

Bodini de climatericis annis reijcitur opinio. item cur 49. & 63. sint periculosiores.

Cap. 52.

IAm verò si ita res est, Ioannes Bodinus nullatenus audiendus videtur, qui in Methodo Historica, & libro quarto de Republica contra rationem, contra Veterum auctoritatem, demum contra experimentum senarium fœminis tribuens, septenarium maribus, climatericos mulieribus ex senarijs compositos esse dicit, 6. 12. 18. & qui sequuntur eadem lege, climatericos fœminis faciens; ex septenario maribus, & nouenario multiplicatos: volens sicut septenarius, & nouenarius hominibus initium nascendi tribuere solet, ita quoq; numerum ex vtriusq; propagatione coalescentem exitium afferre; quæ omnia leuissima sunt, & plena erroris. etenim, tametsi fœmina extra vterum citius pubescat, floremq; ætatis recipiat, ac senescat, vt apertissima sententia est Præceptoris quarto libro de Animalium Ortu; hæ tamen in illa mutationes septenariam periodum sectantur; ita vt anno exacto vndecimo pubes exempli gratia fœminę incipiat, quam mas decimoquarto accipit, decrepita senectus, cùm mari vel media, vel prima aduenit. atq; hoc est quod septimo Historiarum dicebat Aristoteles circa idem tempus & pubem, & menstrua fœminis oriri. Ac de alijs climatericis (redeundum est enim ad propositum) eadem ratio est; neq; enim in præsentia exactè negocium id ventilare consilium est; nam, quia aut ætatis initium, finemuè signant, & afferunt, vel ætatis spatium æqualiter diuidunt, proindeq; humorum, qualitatum, temperamentiq; prænunciant mutationem, corpori idcircò mutationem portendunt. ex quò & 18. 25. 81. & alij huius generis, tametsi septenarium non terminent, climaterici sunt, quia septenarium æqualiter diuidunt; eandemq; in annis vim habent, ac quartus & vndecimus in diebus Decretorijs. nam annus decimusoctauus tertium septenarium secat æqualiter; annus 25. quartum; 81. duodecimum: & de reliquis idem iudicium; ex quò & dichotomiæ induunt naturam prænunciandi habentes propterea potestatem; significant enim imminere mutationem: quod pulchrè indicauit Hippocrates libello de Septimestri Partu, dicens & morbos, & sanitatem per annos ἐπισημαίνειν quod verbũ mutationem à syderibus illatam significare solet. cùm enim docente Aristotele, vt in Anemologia notauimus, sit τὸ ἐπισημαίνειν, mutationem afferre, ac prænunciare; iurè inquit Hippocrates morbos, & sanitates secundum annos prænunciari, quia hi, quos diximus, anni superuenientes mutationem afferant, portendantq; in morbum, vel sanitatem, & in alias consequentes affectiones. Atq; hinc causa elucet, cur annus 63. lõgè sit omnium periculosissimus; est enim viridis, crudæq; senectutis finis, & eius, quæ propriè senectus est, principium; quoniam ante hoc tempus ab anno scilicet 49. ad 63. labi quidem ætas in frigiditatem cęperit inclinante iam, & consenescente corpore, quod cùm fit, omnis ætas labitur in frigiditatem, vt quinto de Ortu Animalium docet Aristoteles; sed nõ tamen cœperit esse exactè frigida: vnde iã anno 63. frigiditas, & siccitas qualitates vitæ aduersantes plenum in corpore dominium accipiunt, excrementitiaq; humiditas insigniter redundare incipit; cuius ratione secundo de Temperamentis, & alibi senectus sua natura sicca, humida Galeno dicitur. quare nil mirum si in tanta mutatione corpora humana non rarò periclitari coguntur: nec in clarissima luce ad densissimas tenebras confugere oportet, & septenarij, nouenarijq; fingere potestatem. Eademq; de causa annus 49. maximè est infestus; senectuti enim dat principium; vnde frigiditas, & siccitas imperium tenere incipiunt. & de reliquis eadem ratio: afferunt enim climaterici omnes mutationẽ aliquam, & qui maiorem afferunt, periculosiores habendi sunt. Sic dicebat Aristoteles septimo Politicorum finẽ gignẽdi viris esse annum circiter 70. mulieribus circiter

Cap. 6. Cap. 1. Ann. 44. in li. de Trãq. & Ser. Sig. Cap. 4. Cap. 16.

50. intelligens 49. quorum alter inclinantem ætatem terminat, alter mediam senectutem; vt iurè mutationes afferāt insignes. Sic citato loco circiter 50. vigere in homine intelligentiam scripsit, intelligens pariter, vt satis clarè innuit, inclinantis ætatis finem, annum scilicet 49. septenario terminatum: quod secundo Rethoricorum expresse docuit; affirmans corpus anno 35. animam 49. in vigore esse; quod tempus ad generationem aptissimum esse voluit, extendiq; posse vsq; ad 56. vel circiter, octauum, vt reor, respiciens septenarium; quia senescentium fœtus iam sint irrobusti. ex quò & quarto de Animalium Ortu ab codē proditum est, nouellam, & senescentem ætatem, magis quàm florentem, fœminas generare, quia in altera calor nondum perfectus est, in altera deficit: quibus etiam nos admonet, iurè mutationes huiusmodi fieri in his ætatum articulis, quia insitus calor aliam & aliam per ea tempora mensuram recipiat, ac potestatem, quod nos supra dicebamus.

Cap. 14.

Cap. 2.

Nonullorū aliorum opinio, refellitur de causa annorū climatericorū. De duplici eorundem genere Valesij sententia reijcitur. Cap. 53.

Cap. 32.

PRoinde Leuinus Lemnius de Occultis Naturæ Miraculis libro secundo audiendus non est, qui hanc climatericorum annorum potestatem admirans, in Cœlumq; vsq; suspiciens, de illorum causa ita statuit. Qua autem ratione per illos annorū circuitus morbi plerunq; incrudescant, à nemine hactenus explicatum est. ego eò id euenire conijcio, quòd certis annorum periodis corpus humanum magnam humorū collectionem, & redundantiam congesserit; quorum motu, atq; agitatione morbi excitantur. cùm enim natura ad immodicam repletionem deuenerit, ac conceptacula humorum plenitudinem perferre nequeant, in morbum erumpere necesse est. Hæc ille; cui tamen non leuia obijci possunt. cur enim potius certo illo annorum spatio, idest 42. 49. 63. natura ad immodicam illam repletionem deueniat, nō magis 40. 44. 59. ac reliquis, nulla ex hac positione ratio adduci potest; vt prætercam plerosq; in climatericis ægrotare, in quibus nulla apparet causa repletionis: neq; enim morbi omnes ex plitoria, vt Medicis est notum. Nec magis probabile est, nisi fortasse & longè absurdius, quod Lalamantius ex Astrologis refert, verba enarrans Hippocratis in Opusculo de Principijs, vt climatericorū causam adducat: videlicet quia septimo quoq; anno vitæ humanæ imperiū ad Saturnum redeat (à Luna enim incipere volunt hoc dominium) ab eoq; ad Lunam; tùm propter tantum à Saturno ad Lunam, vel è contra à Luna ad Saturnum quasi à supremo scalæ gradu ad imum subitum & repentinum vel ascensum, vel saltum, vel lapsum; tùm etiam quia Saturni vim, &, vt vocant, influxum in crassa præsertim materia importunè susceptum quasi venenum esse volunt; septimo quoq; vitæ anno, vtpotè climaterico, hominibus cladem, periculum, calamitatem, morbum, aut etiā exitum imminere. hæc enim tanquam leuissima præsto esse, qui neget, nemo dubitare potest. vt prætercam hanc in humanum corpus dominandi Saturno potestatē tùm in Disceptatione à nobis, tùm libro decimo & ratione naturali, & Aristotelis, & Ptolemęi auctoritate esse ereptam. quam tamen ante illum Ficinus in libro de Vita Producenda videtur posuisse; in hanc eandem planetarum per dies dominationem crisimorum dierum causam referens. Similes difficultates Henrici Rantzouij sententiam vexant in Cathalogo Virorū excellētium, causam climatericorum in Saturnum pariter referentem, non dominij annorum ratione, sed quatenus (vt ipse inquit) plerunq; est peregrinus & mortalium interfector, & quatenus singulis ferè septem annis ad quadratum loci; aut si minus, ad contrarium naturæ signi, vnde egressus est, peruenit; quæ quidem omnia tùm à vera Philosophia, tùm à puriori Astrologia, qualem nobis Ptolemæum profitemur tradidisse, valde sunt aliena. Longè igitur rationi, ac naturali lumini congruentior allata à nobis causa censeri debet; nimirùm temperamenti, complexionisq; mutationem, humorum, qualitatumq; alterationem climatericis causam dare omnis infelicitatis; tametsi in sanitatem, salubremq; habitum fieri mutatio, vt supra quoq; dicebamus, in illis posit: ex quò & Hieronymus Cardanus in Commētarijs super libro de Septimestri Partu, dùm hos annos irridens ab Hippocrate tamen, ac Aristotele receptos, vt demonstrauimus, dicit nunquam melius degisse quàm annis climatericis; eorum vim ac potestatē confirmare videtur vel inuitus. mutationem enim aliquam in illis corpus perpessum esse suum, licèt in melius, se deprehendisse monstrat. cùm enim sanitas, vt pulchrè deci-

Schol. 1.

Cap. 20.

Cap. 3. decimo Ethicorum docet Aristoteles, etsi terminata sit, suscipiat tamen magis & minus, intensionem ac remissionem; eò quòd, vt satis supra expositum est, non eadem, vnaq; corporis temperatio in eodem permaneat, sed remittatur, ac languescat, & aliquandiu permaneat: eòq; differat, quòd magis & minus est, intendaturq; & remittatur: profectò intensiones huiusmodi ac remissiones, quæ in toto vitæ tractu eueniunt, climaterici anni notant, proindeq; necessariò afferunt mutationem in meliorẽ habitum, vel in deteriorem, in bonamq; vel malam valetudinem; vt non solùm melius interdum sana corpora degant his currentibus annis, quemadmodum paulò supra Cardani exemplo docebamus, sed si morbosa sint, vim medicamentorum in climatericis efficacius sentiant, ac recipiant, quam alijs temporibus videntur reiecisse; adeò vt ex grauissimis morbis valeant euadere. quod pulchrè, sed obscurè tamen video tertio Colliget ab Auerroe his verbis significatum. Et aliquando accidit à generatione, ficuti accidit leprosis; & maior pars talium fit ab hæreditate, aut propter coitũ cum menstruata in diebus, quos dixit Zacharam; quia lepra à beneficio medicinarum curam non recipit, nisi fiant tẽpore crisis annorum; quod natura ordinauit: & hoc testificatur mirabilis Zacharam, & ego expertus sum. Hæc ille; quibus, vt est perspicuum, leprosa corpora vi medicamentorum nil iuuari inquit, nisi medicamenta tempore crisis annorum adhibeantur; videlicet cùm climaterici anni aduentu futuræ mutationis iudicium naturæ decreto impendet; quod & se expertum esse testificatur. Nam & hoc est, quod inquit, se experientia didicisse; non, vt nonnulli volunt, quòd ex coitu cum menstruata oritur leprosus infans, vt sequenti libro etiã dicemus. Sunt autem omnibus hominibus climaterici cõmunes, quia, vt de dieb⁹ criticis dicebamus, ætatis mutatio proprietas sit, & passio speciẽ humanã consequens, nõ indiuidua; quod manifestè libello de Septimestri Partu docuit Hippocrates, scribens cũctis hominibus esse commune, quòd morbi, sanitates, vtiliaq; multa & hostilia per annum fiant; anni quidem nomine ætatum annos intelligens, & climatericos, in quibus huiusmodi mutationes hominibus contingunt. vnde, licèt temperaturis homines maximè inter se differant, nihilominus vt plurimùm ijsdem annis ætates mutant. quanquam & hæc temperamentorum differentia, sicut de ijsdem diebus crisimis dicebamus, non parum possit interdum climatericorum ordinem, ac vim interturbare; vt, sicut non omnibus ægrotantibus in diebus crisimis iudicium euenit, sed non semel extra illos; ita & non omnibus vel mutatio, vel morbus, vel mors, vel sanitas in climatericis. Nec vlla est necessitas vt duplex illud climatericorum crisimorumq; annorum genus à Valesio positum recipiamus; quod ex duplici vitæ humanæ termino in sacris literis constituto, breuiori annorum 80., longiori 120. faciendum ipse in sacra Philosophia argumentatur; inquiens, vt sunt duplices morbi, alij acuti, alij chronici, quorum vtriq; habent suos dies decretorios, non tamen eosdem, sed acutorum decretorij sunt dies impares, præcipuè septenarij, chronicorum vigesimi, sexagesimi, octogesimi, centesimi; ita duplicem esse vitæ productionem, quandam plurimis communem, quandam paucis, ijsq; viuacissimis contingentem; & vtranq; habere suos climatericos, seu mauis dicere decretorios annos; ac priori quidem climatericos esse eos, qui per septennia numerãtur, & per nouennia; posteriori, qui numerantur per decennia. etenim, vt supra tetigimus, etiã longior terminus in sacris literis expressus septenarij habet rationem; cùm decem ac septem annorum expleat septenarios: ex quò & omnes in vtroq; numero, ac termino climaterici anni in idem ferè redeunt. quo loco illud maxima dignum est obseruatione; sicuti annorum postremus terminus est centesimus & vigesimus, ita & diem 120. omnium dierum criticorum finem ab Hippocrate primo Epidemicon constitui supremum; cùm deinceps non diebus, sed mensibus & annis crises eueniant, vt Galenus secundo de Diebus Decretorijs memoriæ prodidit. cuius rei tantæ mira consensio alibi ad eius inuestigandam causam nos excitauit. Enneatici autem anni quòd nulli sint; quòdq; nullam ex nouenario numero habeant potestatem, illi facilè concedent, qui animaduerterint, ex septenario æqualiter in climatericis diuiso eos omnem habere virtutem, & qui hac lege nõ progrediuntur, nullam vim habere.

Cap. 7. — Cap. 7. — Cap. 13.

Mira climatericorum annorum cum diebus decretorijs consensio explicatur.

Cap. 54.

Verùm hactenus de climatericis annis; quos summam cum diebus crisimis iurè

iurè diximus habere consensionem, causãq; parem; propterea quòd, sicuti septimi dies potentes maximè sunt in morbis iudicandis, ita & septimi quoq; anni in iudicãda hominis vita, ætateq; (quod ad morbos præsertim attinet, ac valetudinem) & sempiterna illa passione: & sicut per quaterniones crisimi dies progrediuntur, ita & anni quoq;; quod de 4. 18. 25. ostensum est. quanquam & hac in re hæc esse inter criticos dies, & climatericos annos differentia videtur, quòd in climatericis non fit semper per quaterniones progressus; itẽ quòd per disiunctas, integrasq; septimanas fit cõputatio; ex quò, cùm duplex sit dierum secta, vt pulchrè Galenus secundo de Diebus Decretorijs notat; altera, quæ de ordine est decimiseptimi, in qua septimanæ integræ non accipiuntur: altera de ordine decimioctaui, in qua septimanæ disiunctæ computantur, & integræ; climaterici anni ad decimioctaui sectam videntur pertinere; cùm non 17. 20. 40. & 80. sed 18. 21. 42. 84. scalares esse inueniantur. cuius rei causa fortasse est, quoniam potentiores dies, & qui verè critici habentur, ex secta 17. existentes, in morbis acutis locum habent, in quibus celerrima est naturæ motio, & crebrior, ocyor, vehementiorq; mutatio, vt suo loco supra diximus. vnde in his & per quaterniones fit necessariò progressus, & interdum per coniunctos; & dies 17. magis quàm 18. 20. magis quàm 21. dies 40. magis quàm 42. apta est ad iudicandũ; quia morbus sua natura tanquam acutus ad finẽ properat: vnde breuior terminus magis est illis naturalis. at climaterici dicunt temperamenti mutationem, quod non adeò celerem mutationem admittit; quò fit vt primi ferè tantùm septenarij, in quibus natura hominis vegetior, potentior, ac mobilior reperitur, diuisionem per quaterniones patiantur; item vt progressus vniuersus per septenarios disiunctos, & integros efficiatur. Præterea in hoc altero inter eos consensio est, quòd, sicut critici dies naturam humanam, insitumq; calorem pro agente interna causa habent; pro materiali humores, qui morbos gignunt; pro externa agẽte ambientis temperiem, ac mutationem ad principium morbi relatam, demum Lunam mutationis illius causam; ita & climaterici, crisesq;, quas ipsi afferunt, pro interna agente causa naturam hominis habent, insitumq; calorem, ac temperamentum; pro materia humores, qui morbos causare possunt; pro externa agente ambientis temperiem; & mutationem ad ortus principium relatam, ac Solem causam ipsius; ita vt frigiditatis, caliditatisq; ratione omne in vtrisq; negociũ absoluatur. cùm enim causa, cur animal quoduis possit diù viuere, sit, quòd pro ambiẽte aere temperatur, vt pulchrè quarto de Animalium Ortu docuit Aristoteles, nosq; libro quinto fusè explicauimus; ambiens verò aut cooperetur, aut contra operetur, vt libello de Longitudine & Breuitate Vitæ idem admonet, caliditate scilicet, frigiditateue tanquam instrumẽtis; quia caliditas, & frigiditas cum moderatione quadam causæ sunt ortus, & perfectionis, & augmenti; extra moderationem decrementi, & interitus, vt in superioribus ex eodem statutum à nobis fuit; demũ hominis vita augmento, statu, ac decremento caloris insiti, refrigeratiuæq; particulæ definiatur; iurè euenit vt per tot Solis circulationes, quatenus hasce gignunt qualitates, finis humanæ vitæ imponatur, quot necessariæ sunt ex proportione agentis ad materiam ad pulmonem exsiccãdum. etenim temporis tractu membri huius contracta ariditas Aristoteli in Opusculo de Respiratione causa est caloris interitus, proindeq; mortis naturalis, quæ vltimo senio aduentat. sicut enim quod valde imbecille est, cùm primum hanc sentit qualitatum differentiam, labitur in interitũ; quod in ephimero videmus animali, vt quinto Historiarum refert Aristoteles, cuius imbecillissima natura, statim ac prima afficitur mutatione, aboletur, neq; alteram sustinere, expectareq; potest; ita & naturæ robustiores, perfectioresq; lõgè plures exposcunt recurrentium harum mutationum vices; vt meritò homo, qui potentissimam habet temperationem (plus enim temporis quàm quoduis animal viuit excepto elephante, vt quarto de Ortu Animalium memoriæ prodidit Aristoteles) nonnisi pluribus redeuntibus hisce mutationibus & temperamentum mutare, & ætates variare, & demum labi in interitum debeat. nam & hoc est, quod secundo de Ortu & Interitu idem dicebat, alijs annum, alijs maiorẽ periodum esse mensuram. at periodi, circulationesq; Solis temperationem hanc naturaliter dissoluentes, & mutationes, quæ ab illis in aere fiunt, vt plurimùm circiter 84. esse sensuum fide inueniuntur; quę profectò circulationes aerem alterando, & proinde corpus, temperamentum ipsius certo decurso spatio necessariò immutant, ætatemq; proinde variam reddunt; vnde alij cli-

Cap. 4

Cap. 10.

Cap. 2.

Cap. 14.

Cap. 19.

Cap. 10.

Tex. 57.

climaterici anni ortum habent; ac tandem in tanta temporis longinquitate desiccato pulmone marcescit ignis, insitusq; calor, ac mors sequitur: postremusq; climatericus aduentat. vt hinc discamus agentem externam causam, quæ climatericis annis potestatem tribuit, ambientis esse superuenientem mutationem, demum Solis circulationem illius causam, quemadmodum de diebus crisimis dicebamus; cum quibus etiam vel summam in eo altero habere climatericos annos consensionem palàm est, quòd dichotomiarum naturam induāt, hac de causa vim habentes iudicandi, mutationesq; afferendi: quæ omnia cùm plenè supra monstrata sint, superest nunc nobis inuestigandum, cur septimi dies, & quadragesimi, demum cur septimi menses tantam habeant in corpore humano, ac præsertim in partu iudicando potestatem; ita enim quare septimo, nono, ac decimo mense nascātur naturaliter homines, perspicuum fiet; & an octauus mensis cœlestis periodi, & mutationis, quæ in ambiente fit, ratione (quod pleriq; negasse videntur) partionem habere naturalem posSit. cuius rei gratia vniuersus de diebus decretorijs, climatericisq; annis disputandi labor à nobis susceptus est; cùm horum ignorata causa, hoc etiam alterum necesse esset ignorari.

Cur dies septimus in partu adeò potens sit, proponitur inuestigandum. Difficilis tollitur ex Hippocratis dictis contradictio; Cardaniq; de ea iudicium confutatur.

Cap. 55.

QVantum septimus dies in partus formatione posSit, abundè docuit Hippocrates in Opusculo de Principijs, item in libris de Natura Pueri, ac de Septimestri Partu; vt tantam admirans diuinus Senex potestatem, exclamauerit vitam, ætatemq; hominis septem dierum esse. Si enim semē, postquam emissum fuerit in vterum, dies septem intus permaneat, conceptio efficitur; de qua re absq; dubio intellexit Hippocrates in libello de Natura Pueri, cùm Genituræ sex dierum fecit mentionem: nosq; de ea abundè libro sequenti disputabimus. Post conceptionem absolutam, iam inde ad septimam diem omnes ferè membrorum notæ in semine apparent, vt deperditiones docuerunt; quod in libello de Principijs idem memoriæ prodidit: vnde inter duo illa loca nulla est contradictio; quam, si vtrobiq; de septima à conceptione die sermo esset, nullo modo tollerent, qui dicunt in priori loco de septimo incipiente, in secundo de sexto completo, & absoluto Hippocratem esse locutum; quin etiā, quæ in libro de Principijs visa ab eo referūtur, veluti quædam vestigia, aut potius signa fuisse; quæ vel non viderat in sextæ diei fœtu, vel si viderat, recensere noluit; quòd ibi tantùm res existentes, non apparentes narrare intenderet. etenim hæc nullo pacto quadrare posSunt; cùm Hippocrates in libro de Principijs apertè dicat, vbi mulieres septima die conceptum perdiderint, elabi veluti carunculam quandam, qua in aquam coniecta omnia in ea membra cernuntur, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digiti, & crura, & pedes, & pedum digiti, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum; vt res omnino existentes, non apparentes narrare profiteatur: in Opusculo verò de Natura Pueri genituram in terram delapsam, quæ ad sextam diem in vtero permanserat, oui crudi, cui testa adempta sit, in interna verò pellicula inclusus liquor pellucescat, imaginem præseferre; ita vt delapsæ illius genituræ liquor in pellicula contentus rubeus, rotundusq; esset; in pellicula verò fibræ quædam albæ, crassæq; inesse viderentur cū cruore crasso, & rubro obuolutæ; circum autem pelliculam foris cruenta vestigia apparerent instar sugillatorum; iuxta mediū verò tenue quid emineret, quod Hippocrati vmbilicus esse videbatur; ac per illū spirationem extra & intro primam fieri. Quæ omnia si quis conferat, diuersissima esse comperiet; cùm in libro de Principijs iam conceptionem factam, absolutamq; supponat Hippocrates, dicens meretrices illas scire quando conceperint, & postquam conceperint, conceptum ipsum deperdere; vnde sic verba interpretanda sunt. » Postquam genitura in vteros peruenit, ita » vt conceptio facta fuerit, in septem diebus » habet quæcunq; corpus habere debet. etenim id sæpè se obseruasse testatur Hippocrates ex abortionibus meretricum; quas quidem quot quot die septima à cóceptione eiectas vidit, partes fœtus conspexit habere efformatas. cùm enim satis facilè mulieres, si animum intendant, percipere valeant, quando conceperint, vt idem postea subdit; quia, cùm perficitur, absoluiturq; conceptio, horrent mulieres, & calor, dētiumq; stridor consequitur, & conuulsio occupat tùm articulos, tùm totum corpus, vterumq; segnities, ac torpor; & si nō omnes,

nes, certè illæ, quæ, vt inquit Hippocrates, pura habent corpora, hæc patiantur; facile meretricibus illis fuit hæc ipsa percipientibus, quãdo cõcepissent deprehendere, Hippocratiq; indicare; & an prima, secunda, vel tertia, demum sexta, vel septima à conceptione die facta ab illis esset deperditio: vt rectissimè scripserit Hippocrates, id crebra periclitatione se esse expertum: item quod elabitur tunc, veluti carunculam quandam esse scribit; partesq; corporis omnes habere perspicuè efformatas. At in libro de Natura Pueri contraria ferè omnia enarrare videtur; neq; enim supponit factam esse conceptionem; quia dicit manifestè Cantricem illam audiuisse, quando mulier conceptura est in vẽtre, genituram non egredi, sed intus manere: vnde illa Cantrix de conceptione certa non erat, verùm tantummodo dubitabat; quia genituram sensisset non exiuisse; idcircò ne fieret, occurrere volebat. non enim statim, ac genitura in vterum emittitur, fieri conceptionem, sed hoc admirabile naturæ opus suum habere ordinem, sequenti libro ex Hippocrate suo loco ostendemus, diesq; circiter septem sibi vt plurimum exposcere. Deinde narrat delapsam genituram liquorem rubrum, pellucidumq; in pellicula habuisse contentum; nec verbum facit vllum, quòd carunculæ formam præseferret, vel quòd aliqua corporis pars iam efformata, vel delineata saltem in ea appareret; vt in cunctis differre historia, enarratioq; altera ab altera videatur; proindeq; fateri necesse sit, si Hippocratem tueri velimus, allatam supra à nobis sequendam esse interpretationem; quam apprimè ad Hippocraticam quadrare orationem meridiano Sole clarius apparet; & quã, cùm nec etiam procul Cardanus cerneret Contradicentium Medicorum libro primo, vt se ab his difficultatibus explicaret, librum de Carnibus, seu de Principijs Hippocratis esse negauit: quo certè pacto nodos omnes facilè dissoluemus. Cardani autem hæc sũt verba. Superest difficultas ex auctoritatibus; libro de Carnibus dicitur, quòd fœtus septimo die habet loca oculorum, nasum, nares, manus, digitos, pudenda: num hic liber potest dignus Hippocratis grauitate videri? Repugnat etiam his, quæ ille in libro de Natura fœtus scripsit, dum ancillæ abortientis narraret exemplum. At non repugnare, sed planè inter se consentire Hippocratis dicta, nostra suscepta interpretatione, satis constat. quare huiusmodi fuga docto homine videtur prorsus indigna.

Tract. 2. Contr. 8.

De allata superiori capite in Hippocratis dictis contradictione nõnullorum aliorum recitatur opinio, & aduersus locum de Carnibus octo dubitationes.

Cap. 56.

QVanquam et nonnulli postea Cardanũ secuti, absurdissimam sententiã hãc similiter arbitrantes, quæ rectè alioqui intellecta summo Hippocratis ingenio, & diligentia digna est; hac eadem de causa omni conatu ostendere non sunt veriti, eundẽ hunc librum ex eius officina non emanasse; idq; octo rationibus; quas & adducere, & redarguere est necesse. Prima est, quòd huiusmodi dictum experientiæ repugnat; cùm genituram à se conspectam dicant dierum decem & octo, dierum quindecim, dierum tresdecim, demum dierum vndecim; in quibus quidem genituris nulla apparebat articulatio; vt nec etiam in ea, quę die decimooctauo elapsa est, distinctio sexus notari posset: ex quibus omnibus dicunt esse concludendum, septem dierum spatio trium principiorum tantùm apparere rudimenta, aliud præterea nihil. Secunda; quòd in pullo, qui die 22. ab incubatione perfectus est, & absolutus, die septima nil aliud præter caput, & intestinorum inuolucra efformata appareant; vt longè minus in formatione hominis per id temporis articulatum aliquid cerni posse, videatur consentaneum. Tertia; quòd in Opusculo de Natura Pueri articulationis, formationisq; mẽbrorum distinctæ, qualem proponit Auctor libri de Carnibus, terminus dies in masculo trigesimus, in fœmina 42. præfigatur; vt delirio simile videatur, existimare hanc ipsam die septimo effici; adeò vt fetus, seu genitura habeat omnes partes actu distinctas, & manifestas, vt illius libri Auctor præsupponit. Quarta; quòd Hippocrates in Cantatricis genitura die sexta delapsa cruentum tantùm humorem, fibrasq; nonnullas, ac vmbilicum conspexisse testificetur; vt extra omnem sit rationem, vnius diei spatio, quod interest inter sextam & septimam diem, humorẽ illum massam carnosam effici & rudem, moxq; articulari. Quinta; quòd Aristoteles libro septimo de Historia Animalium mandauerit monimentis, fœtum die 40. articulatum cerni, antea nequaquam. Sexta; quòd ex hac positione falsa reddatur regula de pro-

Cap. 4.

por-

portione formationis ad motum, motus ad partum; eò quòd omnes tanquam axioma recipiant, fœtum die 30. aut 35. 40 aut 45. formari; hincq; tempora motus, & partus inueniant: quæ omnia planè iacebunt, si die septima formationem fieri recipiamus. quo posito necesse esset, quod gignitur tam breui temporis spatio suam consequi perfectionem, vt neq; etiam formica, non tantùm homo, adeò breui temporis interuallo oriri queat. Septima; quòd Auctor libri illius dicat die septima distinctionem apparere sexus, cùm tamen Galenus libro decimoquarto de Vsu Partium neq; etiam diutissimè, postquam semen in vterum cõiectum est, scripserit pudendum apparere. Octaua, & postrema; quòd hic Auctor velit decadem hebdomadum complecti dies 70. quod est Hippocrate indignum; qui, vt Galenus libro tertio de Diebus Decretoriis ostendit, diem 20. finem esse tertiæ hebdomadæ, ac principium quartæ voluit; adeò vt vnamquamq; hebdomadum decadem diem 67. non 70. comprehendere censuerit. Quòd si aliquis dicat dierum crisimorum computationem alio modo fieri debere in acutis morbis, quàm in vtero gerentibus; respondent, quemadmodum hæc computationum differentia facilè admittẽda est, sic ex opinione huius Auctoris id dici non posse; veluti qui eodem modo in acutis, & vtero gerentibus computet; cùm paulò post cõparationem inter acuto morbo oppressos, & prægnantes instituens, diẽ 18. non 17. crisimum faciat; quod ab Hippocratis doctrina mirificè abhorret. Hæc illi; quæ tametsi, vt pulchra & difficilia, eleganterq; & doctè disputata alium requirerent, qui maiore quàm nos sumus ingenio, & iudicio, vberioreq; Hippocraticorum librorum doctrina præditus, ad ipsa dissoluẽda incumberet, enitendum tamen pro viribus ea labefactare; quod nostra recepta explicatione non erit fortasse difficile.

Prima soluitur dubitatio. Cap. 57.

DIcimus igitur ad primam argumentationem, quæ ab ipsa experientia fidẽ sumit, Auctoris pariter illius experientiam illi esse opponendam, qui id crebra periclitatione ex meretricum abortibus se didicisse testificatur. Quid igitur? standum ne potius illius dictis vetustatis auctoritate roboratis? præsertim cùm omnibus sit notũ, longè maiore diligentia Veteres naturæ opera obseruasse nostratibus, rerumq; effectus: sed magis mihi placet, vtranq; experientiam esse recipiendam; quia vtraq; dierum septem numero variè computato constare queat. Computauit Auctor ille, siue dixerim verius Hippocrates, diem septimam à conceptione; computant isti (nisi fallor) à seminis eiaculatione; quod quantum intersit, supra vidimus. Quare quam isti genituram dierum 18. faciunt, ab eiaculatione dierum hunc numerum auspicantes (vt alia exempla nunc omittam) & quam, dum in ea inquiunt notari non potuisse sexum, reliquis tamen partibus articulatam videntur agnoscere; esset pariter Auctori huic dierum ferè totidẽ, si ab eodem principio dies percenseret. Item intelligunt isti de articulatione omnino absoluta; ille verò Auctor, vt libro tertio explicuimus, de omnium prima, cæterisq; rudiore articulatione. ex quò & non quidem absolutè carnem elabi, & decidere, sed ὥσπερ σάρκα, idest quasi carnem ait. item non absolutè dicit membra fieri manifesta, sed, si illa quasi caro in aquam conijciatur, apparere; nec solùm id sufficere, vt fiant manifesta, adiũgit; sed oportere vt illa caro in aqua, & per aquam conspiciatur. siquidẽ scribit apertè. ταύτην τὴν σάρκα ἐς ὕδωρ ἐμβαλλὼν σκεπτόμενο: ἐν τῷ ὕδατι & c. quod est. ,, Huiusmodi carnẽ ,, si in aquam cõieceris, in ipsaq; aqua inspe- ,, xeris & c. nimirum quia adeò inchoata, rudiaq; sint partium delineamenta, vt nisi in aqua, & per aquam cernantur, tanquam per medium crassius, obtutum effugiant; per crassius enim medium res maioris quantitatis videri, quàm re vera sint, immò & videri eas, quæ in tenuiori medio non apparerent, vel pueris est notum, & ratione in Optica demonstratum. Vnde nil mirum, si huiusmodi fœtus, vel carnem mauis appellare, eius respectu, qui quadragesimum trãsierit, informis dicitur, & inarticulatus. quo sensu ante trigesimum Hippocrates fętum inarticulatum esse in libro de Pueri Natura, Aristoteles ante quadragesimum septimo Historiarum ἄναρθρον κρεῶδες, idest carunculam quandam informem, memoriæ prodiderunt. quo loco notare est ad vnam tantùm rem Philosophum aqua vti; videlicet ad coagulationem; cùm dicit Auctoris huius imitatione, marem, qui die quadragesimo exit, si in quoduis aliud mittatur, diffundi, & disperdi, si in aquam frigidam, consistere tanquam positum in membrana; hacq; rupta fœtum ipsum apparere magnitudine formicæ maiusculæ, & membra iam inde omnia discreta. His enim docuit vti

Cap. 3.

 nos

nos oportere aqua ad cogendam humidam materiam, ex qua fœtus constat; quod sua frigiditate statim aqua facit: qua coacta nō addit, in aqua, & per aquam fœtum esse inspiciendum; quia scilicet tunc id non sit necessarium, iam longè absolutiore locum habente articulatione; sed addit, cùm materia ipsa constiterit, tunc membranam rumpendam esse, vt iam articulatus fœtus conspici queat. quibus significat & fœtum iam coagulatum ex aqua tolli, & rupta mēbrana solo aere medio efformatum videri; neq; esse necessarium, vt visu ex aqua percipiatur. quod quidem accuratissimus Philosophus omnino expressisset, nec vlla in re Auctore libri de Carnibus indiligentior, si id necessarium putauisset. at Auctor libri de Carnibus vtitur aqua ad coagulationem, & ad inspectionem; propterea carnem non solùm in aquam conijciendam iubet, sed in ipsa aqua inspiciendam; propterea adiungit, se vidisse corporis partes efformatas: quod istos in eadem carne, quam extra aquam conspexerunt, in genituraq; dierum 15. vel 18. non vidisse, non est mirum. vt hinc quanta diligentia res naturales Veteres obseruauerint, satis nobis fiat manifestum. quas autem isti dierum vndecim & tredecim genituras vocant, huic Auctori esse à conceptione dierum quatuor, & sex, facilè ex superioribus pernotescit; vt nil sit mirum, si neq; etiam trium principiorum in ipsis conspexerint rudimenta; prima igitur argumentatio nulla.

Alia septem soluuntur dubitationes.
Cap. 58.

AD secundam obiectionem, quæ Lalamantium in Commentarijs super eo loco induxit, vt, quam receperat paulò supra Auctoris sententiā, & veritatem, repudiaret; respondemus, pulli corpus, vt quod ob suam formam longè minus absoluta egeat articulatione; ob humidissimā materiam in qua constat, longè minus eam monstret; nil obstare, si septima ab incubatu die aliud quicquam præter caput, & intestinorum inuolucra effictum non repręsentat; eò quòd habita & suæ rudioris formationis, & humoris, in quo versatur, ratione, longè plus est die septimo in eo articulatum, quàm in homine etiam quadragesimo: vt prætercam, quia articulatio sequitur tēperamētum, perfectionē, cōditionem, proprietatem tùm virtutis opificis, tùm materię pro cuiusq; specici ratione; ex auium, vel alicuius alterius speciei tempore, ac modo articulationis, haud tutò de tempore, ac modo articulationis humanæ iudicari. nam & vrsus (vt alia interim animalia prætermittam) ac leo, sed vrsus pręsertim inarticulatā quandam trigesimo die ferè carnem parit, & informem; quare si idem fieri debet de articulatione hominis iudicium, vide quid sequatur. Eademq; de gestatione ipsa ratio est; quam tertio libro cum articulatione coincidere monstrauimus. vt meritò eodem ipso libro diceremus, ex ijs, quę in pulli articulatione eueniunt, & ortu, nil tutum firmumq; concludi posse de tempore gestationis humani partus; cùm & pro cuiusq; speciei natura, & differentia non parum varietatis articulatio, ac gestatio recipere debeat; & tanta sit humanæ speciei perfectio, in ipsaq; formatione elaboratio, vt non videatur esse comparationi locus. Tertiam, quæ libro tertio à nobis disputata sunt de quadruplici articulatione, facilè tollūt; Hippocrates enim in Opusculo de Natura Pueri trigesimo die marē efformatum apparere inquit, quod tamen negat Aristoteles; per id temporis, & vsq; ad quadragesimum caruncu-lam quandam informē esse affirmans. quid igitur? an contrarij inter se existimandi Magistri philosophicæ veritatis? non certè; sed alter paulò absolutiorem in fœtu articulationem requisiuit; ideo quæ ante trigesimum apparet, omnino reiecit. nam & hoc sensu dicebat Hippocrates libello de Septimestri Partu, exacto quadragesimo in maris articulatione omnia esse σφόδρα διάδηλα, idest valde conspicua; in fœminæ articulatione solùm ἀποφύσιας, dixeris longè rudiora delineamenta; ita vt protuberantiæ, & exortus potius partiū quàm certæ, & exactæ distinctiones appareant. quod quidem ea omnia, quæ libro tertio de articulationum distinctione, deq; varijs apud Veteres articulationum speciebus, ac terminis disseruimus, mirificè comprobat. quam sanè articulationum distinctionem, sicuti & motuum vidi magna cum voluptate Ioannem Costæum quoq; & animaduertisse, & posuisse, tametsi à nobis aliquātulum diuersum, in suo quodam docto, & eleganti libello de Humani Conceptus formationis, motus, ac partus tempore; qui dum hæc nostra sub pręlo essent, ad nostras manus peruenit; virum hac ætate literatissimum, de Medicina ac bonis artibus optimè meritum, & in Bononiensi Gymnasio professorem meritò primarium. Sic ergo vt ter-

Cap. 15. 16

tertia tollatur dubitatio, dicendum est eodem sensu ante trigesimum fœtum dici debere secundę speciei articulationis respectu inarticulatum; quia scilicet visu ex aqua tantùm ante id tempus percipi queat, & primæ solùm speciei respectu dici possit articulatus. Quartam iam superior labefactauit disputatio; dictum nanq; est ab eiaculatione sex dierum genituram in libro de Natura Pueri principium habere; à conceptione septem dierum carnem in libro de Carnibus; itaq; obiectio nulla. Quintæ solutio ex tertiæ pendet solutione. Ad sextam dicimus primùm, quàm infirma, quàm nutabunda sit ratio à proportione articulationis, motus, ac partus sumpta, satis in Disceptatione, ac libro decimo aduersus Medicos vel eorundem testimonio à nobis demonstrari; deinde addimus, regulam hãc à perfectiori articulatione, qualẽ dies trigesimus, & vltrà affert, esse sumendam; quę in quocunq; medio apparet; vtpotè iam constans in natura, atq; firma; non ab ea, quæ non nisi aquæ beneficio cerni potest; quare nil huic regulæ detrahitur. Septimã ex eo tollimus, quòd intellexerit auctor pudendum per id temporis fieri manifestũ, scilicet, vt de oculis dixit, pudendi locum & regionem; quasi tunc informis, ac omnino rudis, inchoataq; ipsius iam futuri imago, signum, ac principium, seu potius regio, ac locus appareat, in quo sit collocãdum: in cuius tamen obseruatione non leuem esse inter auctores differentiam, illi facilè concedent, qui animaduertent, Aristoteli pudendum, ac sexum 40. & 90. die esse manifestum, & genitalia; quæ tamen Galeno quàm diutissimè veniunt in conspectum. quod certè discrimen facilè tolletur, si considerabimus, Galenum de perfecta, & omnino absoluta pudendi articulatione intelligere, Aristotelem de longè rudiore. Postremò respondemus ad octauam, verè apud Hippocratem hebdomadum decadem constare diebus 70. cuius quidem veritatis illud firmissimum est argumentũ, quòd partus ille, qui ex quatuor hebdomadum decadibus constat. idem septem oritur quadragenarijs, qui diebus 280. vel Hippocrate in Opusculo de Octomestri Partu admonente integrantur; at nisi hebdomadum decas haberet dies 70., non possent quatuor decades septem quadragenarios æquare. Præterea quæ de hebdomadibus in calce illius libri dicta sunt, quem obscurissimum locum libro septimo explanabimus, sic hebdomadum decadas esse accipiendas testatum faciunt. Nec obest quidquam, dies crisimos aliter ibi computari. quo loco non me latet Ferdinandũ Mena virum doctissimum in Commentarijs super libello de Partu Septimestri, pro decimooctauo decimumseptimum reponendum esse arbitrari: nam & hoc idem in Epidemicis libris factitatum apparet, & in Opusculo de Septimestri Partu; quibus in locis non semel 18. dies videtur receptus; & libro de Septimestri Partu dies 28. & 42. perspicuè ponuntur; vt nulla potuerit ratione Ferdinandus existimare contextum libri de Carnibus esse corruptum. Quare ex hac varietate nullum potest peti argumentum, hunc, vel illum librum, hoc, vel illud dogma Hippocratis esse, aut non esse. quæ autem sit istius varietatis causa, non est præsentis instituti indagare. Verùm hactenus de his difficultatibus. Hoc igitur ratum, firmumq; habeamus, librum de Carnibus, quod ad hanc sententiam pertinet, nisi aliud obstiterit, esse Hippocratis, huiusmodiq; sententiam diuino ipsius ingenio esse dignam. quod idem Ferdinandus acutè considerans, loco memorato & eam tanquam Hippocraticam recipit, agnoscitq;, & magnis laudibus extollit; septem hosce dies, non secus ac nos, à conceptione enumerãs, eiectasq; per id temporis carũculas pręseferre perspicua omnia membra humani corporis cum Hippocrate non dubitans; quo loco fictam ideo illam vulgaribus carminibus nobis passim inculcatam cantilenã arbitrandũ esse admonet, quæ sex diebus lactis speciem conceptis seminibus ingenuè admodum elargitur, in alijs sanguinis, post quos carnis formam induci nõ antea confitetur, addens (res certè digna admiratione) post hos septem dies humanum fętum rationali anima informari; quoniã, qui vtero gerũtur, quàm primùm carnis speciem induunt, ac humano generi dicatum opificium sunt adepti, rationales sũt censendi. Quòd si hæc Hippocratis sentẽtia vera est, alij viderint quàm rectè scriptum à nonnullis videatur, hoc mirum esse magis quàm ex naturæ ordine esse potuerit, & hyperbolicè ab hoc Auctore dictum; vt videlicet intelligamus, delineamẽtis quibusdam rudibus partes singulas suis locis eo etiam exiguo tempore esse indicatas. proinde probabilius hęc omnia de die quadragesimo Aristotelem scripsisse, & moderatiorem esse illam de fœtu sextę diei relationem. Cùm enim videant isti ab eodem principio, scilicet ab ipsa cõceptione, om-

Com. 14.

nia huiusmodi tempora ducere, certè verè hyperbolicum, & maximè mirum, die septima delineamentis quibusdam quantumuis rudibus partes singulas esse indicatas, quæ sexta die nullis delineamentorum signis apparebant: sed & magis mirum diei 40. cõuenire ex Aristotelis sententia, quod diei septimæ hîc ab Hippocrate tribuitur. cùm infinitis partibus distinctior diei 40. conueniat articulatio vel ex ipsius Hippocratis sententia quàm septimo. At enimuero si nostram recipiamus explicationem, nihil his verbis mirum hyperbolicumq; contineri, satis nostra docuit disputatio.

Obiter de articulationum speciebus nonnullorum sententia confutatur; vulgata Aristotelici contextus lectio defenditur. Cap. 59.

QVoniam autem ijdem isti auctores (siquidem hæc altera illorum de articulatione sententia, postquam hoc loco datur occasio, nobis recensenda est) naturalium rerum & operationum terminos esse nõ sine latitudine temporis accipiẽdos, rectissimè admonentes, atq; varios tùm formationis, tùm motus limites ab Hippocrate tradi, acutè animaduertentes; addunt tamẽ, dùm de ipsa differunt fœtus humani articulatione, illud aliquid habere suspicionis, quod scripsit Aristoteles, maris formationem esse ad primum dierũ quadragenariũ, fęminæ verò articulationem non nisi quarto mense apparere; adeò vt in hac sententia incidisse mendum, & errorem arbitrandum esse dicant; cùm, quod de quadragesimi in mare formatione dictum est, non nisi de rudi possit intelligi; at quod de formatione fœminæ in quarto mense, non nisi de perfecta; sit verò à tanti viri auctoritate valde alienum, vt tàm paucis verbis æquiuocè de formatione fiat sermo. Quod sanè idem (nisi me fallo) de motu dicendum putant, asserentes, quod à Philosopho fœtum quadragesimo die moueri adnotatur, de obscuro quodam motu esse intelligendum non in maribus tantùm, sed etiam ferè, aut paulò post in fœmellis; quod de nonagesimo in fœmellis, ad motum, qui duplicato formationis tempore percipitur, generaliterq; omni fœtui conuenit, esse referendum; existimandumq; ex libris Hippocratis descriptum esse, sed mendosè in Aristotelis libris nobis traditum: adeò vt pro 90. omnino putent 80. restituendum; nempè quia de motu fœtus in maribus obscuro agere, continuataq; oratione de motu in fœminis manifesto loqui, alienum sit ab Aristotelis diligentia. Ego certè longè aliter arbitror sentiendum; ijs enim innixus, quæ libro tertio de quadruplici articulationis specie ex Hippocrate tradidi & Aristotele: qua in re explicanda primam speciem video istos omisisse, quæ die septimo à conceptione terminum habet; item & tertiam, quæ in mare die 40. in fœmina 90. accedit; aliam interim suggerentes mẽsium trium in masculo, in fœmina quatuor, de quà apud Hippocratem & Aristotelem nullum verbum. qua etiam in re Ferdinãdum Mena video super libellum de Septimestri Partu lapsum esse, duplicem tantùm articulationis speciem agnoscentem, primã quæ die septima fit; secundam, quæ in mare die 30. in fœmina die 42. locum habet. *Com. 14.*

Præterea illa recipiens, quæ ex ijsdem libro memorato attuli de varijs terminis motus, ac temporibus, facilè autumo omnem tolli difficultatem; vt quisq; nostra legens cognoscere poterit. Neq; meo quidem iudicio istorum opinio quadrare potest; cùm in Philosophi oratione nullum videam errorem, varietatem nullam. quod enim ipse inquit, fœminæ articulationem non nisi quarto mense apparere, intelligẽdum est, ipsomet explicante, tertio exacto mense .s. diebus 90. & quarto ineunte, vt suo loco à nobis expositum fuit; adeò vt 90. confecto, & 91. vel 92. currente apparere censuerit articulationem. nam & hoc est, quod infra dixit. finditur fœtus hoc eodem tempore &c. hoc enim tempus explicauerat in mare esse περὶ τὰς τετταράκοντα. idest circa 40. in fęmina περὶ ἐννενήκοντ' ἡμέρας. idest circa dies 90. & rectè ait, περὶ, idest, circa; nempè vt doceat non exactè die 90. in fœminis, sed potius paulò post hoc exactum dierum spatium, & sic circiter diem 90. videlicet die 91. 92. 93. fœmineum fętum articulatum apparere. siquidem, & hoc est quod postea concludit, fœminã ἐντὸς τῶν τριῶν μηνῶν. idest intra tertium mensem cõspici inarticulatam, si verò quartum attigerit, articulatam; attingit enim exacto 90. qui dies mensi tertio tricenario finem imponit, vt suo loco à nobis fuit explicatum. *Cap. 3.*

Itaq; cùm eadem sit bis repetita sententia, nullus propterea potuit in Aristotelis oratione incidere error, nulla mendi suspicio. vt interim non taceam, de eadem articulationis specie tàm in mare, quàm in fœmina Philosopho esse sermonem, scilicet de tertia specie à nobis dicta tertio libro; quæ im-

imperfectior est quarta specie, sed tamen perfectior secunda. Similia de motu dici debēt; valde enim absonum videtur, si mē-dosum dicamus esse Aristotelis contextum, cùm ipse perspicuè dicat, circa 40. marem, circa 90. fœminam moueri; mox adijciat, circa idem tempus fœtum articulari, scilicet marem circa 40. fœminam circa 90. tā-dem hoc fusius explicans concludat, marem die 40. inueniri articulatum, fœminam verò non nisi post tertium mensem; vbi per mensem tertium dies 90. intelligit. vt nullo pacto dies 80. ponere potuerit, quemadmodum isti videntur existimare. Nec mirum; nam sicut de mare loquens, & eius motu, ac formatione, obseruationi Hippocraticæ, quæ diebus 30. nitebatur, decem dies adiecit, & non 30. sed 40. accepit; ita diebus 80. in Epidemicis libris receptis, & expressis, ac motui dedicatis dies pariter decem voluit adiungere. atq; hanc Aristotelis sententiam excerptam esse ex libris de Diæta, libro tertio iam pridem monuimus. In eo verò, quod inquiunt Aristotelis dictum, fętum die 40. moueri, de obscuro motu verum esse non in maribus tantùm, sed etiam ferè, aut paulò post in fęminis; rectè meo quidem iudicio sentētiam temperant, & cautè loquuntur; cùm hæc alioqui assertio Hippocrati, Aristoteli, ac rationi reluctari videatur. Hippocrati quidem, quoniam ipse dixit in Epidemicis, quod citius discretum est, citius moueri; quibus verbis docuit articulationem, & motum pari proportione progredi, ac tempore eodem oriri. Aristoteli, quoniam ipse scripsit marem circa 40. diem, fęminam circa 90. moueri; quare nullo modo ante hæc tempora hoc certè motu marem voluit, ac fœminā moueri. demum rationi; quoniam quod citius discernitur, & articulatur, citius etiā mouetur, vt pulchrè Hippocrates docuit, confirmauitq; Aristoteles. quare siue imperfectum, & obscurum respicias motum, siue perfectum, & manifestum; semper verum erit, mares citius, fœminas longè tardius moueri; & ex consequenti falsum, circiter diem 40. vel paulò post fœminam moueri posse, eadem saltem motus specie. Non est igitur, etiam si motum fœtus consideremus, in Aristotelis oratione mendum; non est sermo de altera atq; altera motus specie. Sed ad nostra reuertamur.

Ostenditur cur dies septimi adeò in fœtibus sint potentes. Cap. 60.

Habet igitur, vt ad propositum redeamus, dies septima vim maximā tùm à seminis iactu in absoluenda conceptione; tùm à conceptu in partibus corporis efformandis; tùm à partu, vt mox ex Aristotele probabimus, in vita fœtui impertienda; vt rectissimè in Opusculo de Septimestri Partu septimi diei potestatem his verbis celebrauerit Hippocrates. Dies, inquit, quidem igitur maximè insignes in plurimis insunt primi, & septimi, multùm potentes in morbis, & in fœtibus: nam plures abortus in his diebus fiunt; nominantur autem tales effluxus, non abortus. quam sententiam septimo Historiarum confirmauit Aristoteles; addens plurimos pueros ante septimum à partu diem conuulsione interire, proindeq; nomina septimo die imponi, tanquam saluti iam pueri magis credatur. Nec tamen ab Hippocrate Aristoteles diuersus est, dùm libro septimo de Historia Animalium scribit euenire, vt die à conceptione decima mulieribus corpus totum grauius reddatur, oculorum caligines & dolores capitis moueantur; quasi non diem septimam, sed omnino decimam à conceptione præferre videatur; non inquā vlla est inter Philosophum, & Hippocratem hac in re contradictio: etenim alia illi hoc in loco mens est; cùm non respectu formationis dies Aristoteles consideret, sed respectu sanguinis menstrui retenti; qui sanguis, quia in corpore retinetur, & parcius ob fœtus exiguitatem absumitur circa primos conceptionis dies, vt idem eleganter quarto de Animalium Ortu docet, ante illumq; libello de Natura Pueri docuit Hippocrates: idcircò post decimum diem, quoniam insignis ipsius iam copia coaceruata sit, tentare mulieris corpus euidentius potest: ex quò & Aristoteles huiusmodi accidentium causam adducens mox ita scriptū reliquit. Quæ alijs maturius & ferè die decimo accidunt, alijs serius; prout magis minusuè ex materia superuacua tentantur. quibus clarissimè docet, redundantem materiam, videlicet sanguinem hunc retentū malas illas causare afflictiones: nam & propterea à partu purgationes fieri natura decreuit, vt ex Hippocrate suis locis non semel aperuimus. Hinc verò satis constat nil alind Plinium voluisse quàm Aristotelis sē-tentiam hanc exprimere, dùm sic septimo libro Naturalis Historiæ eleganter scripsit.

Cap. 3. Cap. 12. Cap. 4. Cap. 6. Cap. 6.

A con-

" A conceptu decimo die dolores capitis, o-
" culorum vertigines, tenebræq;, fastidium
" in cibis, redundatio stomachi, indices sunt
Cap. 4. " hominis inchoati. quod Solinus quoq; cõfirmauit. Horum omnium causas facilè adducemus, si ea, quæ de crisimis diebus disseruimus, ad memoriam reuocabimus; quod enim prima dies insignis maximè dicenda sit, eò quòd in ea res ipsa incipiat, siue morbus sit, siue conceptio, siue partus, satis apertum est: atq; hinc Galeno contradicere quis posset, qui diem primam criticam esse negat de Hippocratis sententia; siquidem ipse primam hoc loco cum septima iũgit, paremq; ferè in morbis cum septima habere dicit potestatem; quod crisimorum esse proprium nemo dubitare potest; tametsi nõ me latet Ferdinãdũ Mena aliter sentire. De die autẽ septima perspicuũ itidẽ est, cur maximè posit; insignem enim affert cuiq; rei, principij ipsius respectu mutationem, vt de die septima ad morbi diem relata dicebamus. si enim genitura in vterũ emittatur, inde ad diem septimam calor geniturae proprius, ac vteri, qui statim agere cęperunt, à mutatione ambientis roborati opus perficiunt, fitq; conceptio quasi quoddam de tota illa naturæ functione iudicium; vel è contra elabitur semen eadem die plerunq;, si conceptio non est futura, atq; eijcitur, excitata vteri expultrice à superuenienti mutatione: eademq; de causa die septima à conceptu manifesta quædam partium efformatio apparet. articulatio enim concoctio est quædam, vt tertio libro ex Aristotele docuimus; concoctio verò omnis calore efficitur; & cùm plures articulationes sint, vt vidimus libro memorato, iurè, vbi primùm calor mutationem persentit insignem, opus aliquo modo perficit, & primam absoluit articulationem: persentit autem die septima (quod supra satis probatum est) itaq; meritò die septima efformatus aliquo modo conceptus apparet. atq; hanc in semine, conceptu, & partu per hebdomadas dierum mutationem Galenus quoq; tertio de Diebus Decretorijs satis euidenter indicauit, dicens iuxta hebdomadicam Lunæ periodum seminis conceptionem, gestationem, & partum magnas perpeti alterationes. Nil ergo mirum si in fœtu iudicando septimam diem esse potentissimam scripserit Hippocrates; id enim cuiq; rei euenit, quæ dierum impari periodo exposcat recipere dimensionem, quemadmodum supra Galeni docuimus auctoritate, vt à suo principio die septima aliquam experiatur mutationem. propterea septimus dies iudicat tùm de conceptione, tùm de prima efformatione; quin etiam & à partu de vita fœtus pari de causa iudicium affert. morbus enim, qui ex ingenti humoris redundantia, vel ex tumore pueriliũ vexat (de qua re libro octauo dicturi sumus) septima à partu die discussus à superueniente mutatione tollitur, vel superans, ac vincens illum necat. Sed satis superq; quatenus ad institutum nostrũ spectat, cur septima dies tantùm valeat disputatum est. cuius propterea dignitatem præclarè poetas cecinisse hi facilè cognoscent, qui viderint, Hesiodum septimam diem Ioui sacram nominare, Orphęum Phæbo gratam. Nunc de quadragenario dierũ numero videamus.

Com. 14. super lib. de Sept. Part.

De quadragenarijs dierum cur tantam in fœtibus iudicãdis habeant potestatem, proponitur inquirendum. quædam rursus de septenarijs horarum, dierum, ac mensium maximi momenti afferuntur. Expẽditur locus quidã sacrarũ literarũ.

Cap. 61.

TRes Hippocrates dierum quadragenarios fœtui infestissimos esse docet libello de Septimestri Partu; primum à geniture eiaculatione, siue à conceptu; secundum à mense septimo, qui voluitur circa octauum mensem; tertium à partu. de quibus sequenti libro quædam; plura verò libro octauo dicemus ex ipsius mente. Hoc loco illud tantùm simpliciter considerandũ est, cur dierum quadragenarij, magis quàm alius dierum numerus, tantam in fœtibus iudicandis habere potestatem videantur. Hippocrates enim sic libello de Septimestri Partu de horum dierum numero statuit. Verùm alij dies intra quadragesimum insignes quidem minus sunt, multi verò iudicant. & mox. Eadem ratio est etiam in decretorijs diebus, si quidem fortasis vna cum his, quos recensui, coniungere quis velit historiæ ac cognitionis gratia; etenim medicum, qui ægrotorum salutem rectè coniectare volet, animaduertere quidem oportet, & contemplari omnes dies; ex paribus verò decimumquartum, & vigesimũ octauum, & quadragesimum secundum. Hic enim terminus ponitur à quibusdam harmoniæ rationi, & integer ac perfectus numerus. verùm ob quam causam longius fuerit in præsenti exequi. Contemplari autem sic oportet per ternarios, ac quaternarios;

Cap. 5.

» narios; ternarijs quidem omnibus copulatis, » quaternarijs autem duobus ad duos » connexis. At verò quadragenarij primùm » in fœtibus iudicant. & supra dixerat, conceptus, & abortus, & partus secundum dierum quadragenarios mulieribus significationem sui præbere. quæ quidem omnia veritati esse consentanea, docuit Hippocratem experientia; cùm & præter illos tres, quos supra diximus, quadragenarios, compertum sit experimento, dierum quadragenarijs partus æditionem absolui, & iudicari; quintoq; nasci fœtus vitales, & septimo quadragenario; sexto si oriatur, plerunq; periclitari. Causam igitur tantæ rei vt assequamur, ex superioribus disputationibus primùm illud ad memoriam reuocãdum est, cùm plures sint rerum periodi, aliasq; res dies, alias mensis, alias dierum quadragenarij, alias annus & tempora ex his composita metiantur: quòd huic rei vel dies vnica mensura sit, vt animali ephimero; illi vel quadraginta, vel alius criticus dierum terminus; quem γόνιμον vocat Hippocrates, vel mensis, vel annus, aut plures menses demum, aut anni; id totum à rei ipsius natura, & temperamento, agentisq; proportione ad materiam primò ortũ ducere. quòd verò dies magis septima, vel quadragesima, mensis magis septimus, demum septimus annus, ac dierum, mensium, annorumq; numerus eadem lege progrediens; id & à rei ipsius temperamento, & à Cœlestium corporum motu, Solis videlicet, ac Lunæ dependere; quia scilicet tanto tempore insignem afferre in aere soleant suo motu hæc sydera mutationem, & naturæ instrumenta, calorem scilicet & frigus insigniter variare. de qua re supra satis disputauimus. cùm enim tres sint periodi, dies, mensis, & annus; si hæc tempora seorsim contempleris, cernes ita à conditore Deo (magnum quidem naturæ arcanum) Vniuersum esse fabricatum, vt septima ineunte, currenteq; horum temporum parte magnæ ad Vniuersum fiant mutationes. Sunt enim diei partes horæ; at sexta præterita temporali, septima ineunte, cõtrariam semper in die Sol, à quo dies pendet, affert temperationem: sexta enim ab ortu temporali hora in meridie est, mox post sextam in occasu, deinde tanto præterito tempore in merinoctio; vt postremò eundem locum quarto senario confecto horarum petat. de qua quidem diei partitione quatuor anni tempestatibus respondente satis in Anemologia disputauimus. atq; hinc causa elucet

Ann. 30. in li. de Pluu. Signis.

cur maris æstus sexta quaq; peracta hora etiam æquinoctiali mutationem recipiat; senisq; crescat, senis verò decrescat ipsius aqua. habet enim id apertissimam in natura causam, tametsi à nullo ad hanc vsq; diem animaduersam, vt in Disputationibus de Maris Aestu annuente Deo monstrabimus. atq; hoc est, quod nos supra dicebamus, criticas quoq; horas de Hippocratis sententia inueniri; vt meritò Domini nostri Iesu Christi iussu, qui sine necessitate noluit miracula augere, vel multiplicare; & qui non semel etiam causis naturalibus, tanquam omnium conditor & dominus, vsus est; Reguli filium hora septima habeamus febrem reliquisse. Sic enim in sacris literis scriptum legimus. Quia heri hora septima reliquit eum febris. » erat enim hora illa naturæ lege aptior; vnde minus fuit miraculum quàm si quinta, aut alia eum febris reliquisset. Eundemq; in mense ordinem cernere licet. mensis enim partes dies sunt, mensisq; ipse à Luna regitur à nouilunio ducens initium; at septima quaq; die & paulò amplius Luna suas ad Solem facit configurationes, proindeq; mutationes in aere adducit. atq; hinc hebdomadæ, & dierum quadragenarij habent potestatem; vt hebdomadum decadibus, & quadragenarijs dierum, humanũ partum voluerit Hippocrates iudicari, non mensibus tantùm. demum anni partes menses sunt, annumq; Sol gubernat; verùm sexto præterito mense, septimo ineunte Sol Aequinoctia pertransit, ac Solstitia; proindeq; tempestates, mutationesq; gignit in aere cõtrarias, qua de re tota satis supra est dictũ; vt diuinitus admonita doceat Theologia Christiana, cùm Deus Mundum conderet, Solem in Ariete, atq; in Orientis angulo, Lunamq; vel Soli iunctam, vel oppositam condidisse. sic enim septenarij numeri vis tùm in horis, tùm in diebus, tùm in mensibus apparet, ac potestas à naturæ viribus ducta, non à superstitiosa virtute numerorum; quod in Anemologia quoq; aduersus Pythagoricos notabamus. instrumenta nanq; naturæ, calor scilicet & frigiditas, præsertim primarium ipsius instrumentum calor (siquidem igne operantur omnia, vt libello de Respiratione eleganter dixit Aristoteles, atq; vt superius ex quarto Meteoron vidimus, frigus per se efficiens corruptiuum est) insignem in articulis illis patiuntur alterationem, ac varietatem; vt vel inceptum perfici ab illis opus, vel destrui per ea tempora sit necesse. Hinc quę longiorem periodum re-

Ioan. 4.

Pereri. li. 1 Com. in Ge.

Ann. 37. in li. de Trãq. & Ser. Sig.

Cap. 10.

qui-

quirunt, plurium scilicet dierum, mensium, vel annorum; certo horum temporum numero, qui vel integri, absolutiq; septenarij, vel æqualiter diuisi seruet rationem, exposcunt mensurari; quia in articulis illis tanquam dichotomijs mutationes eueniunt, locumq; habent. dictumq; supra est quam mutationem ad Vniuersum Sol ac Luna efficiunt, eandem ad rei cuiusq; principium efficere; vt sicut septima die ab interlunio facit quadraturam, decimaquarta oppositionem; Sol septimo ineunte mense à Solstitio, & Aequinoctio aliud peragit Solstitium & Aequinoctium; sic à rei cuiusq; principio Luna septima ac decimaquarta die, Sol septimo mense incipiente, similes faciant aspectus; mutationesq; rei illi habita ad illius principium ratione similes afferant.

Cur dierum quadragenarij vim habeant in fœtibus iudicandi. obscurissima duo loca Hippocratis, & Aristotelis enarrãtur. alter Sacrarũ literarum locus explicatur. Quadam affertur de causa potestatis septimi, & quadragesimi diei opinio, & reijcitur. Cap. 62.

HInc ergo elucet, cur dies quadragesimus tantã in fœtibus iudicandis habeat potestatem; sumit enim suas vires à 42. quod superius allatis verbis significauit Hippocrates, inquiens numerum 42. integrum esse, ac perfectum, ac harmoniæ terminum. neq; enim Pythagoricus ibi est, ac Pythagoricorum more concentus intelligit, vel numerorum proportiones; sed harmoniæ nomine illud, quod diuinè Aristoteles primo Politicorum explicauit, nobis ob oculos ponit. dixerat autem Philosophus loco illo, quæcunq; ex pluribus constant, & vnum quid commune fiunt, siue ex continuis, siue ex discretis, in omnibus apparere & quod imperat, & quod paret, & hoc ex tota natura inesse animali; vt in his etiam, quæ expertia sunt vitæ, quoddam esse quasi imperium harmoniæ videatur. quibus nobis significauit, tunc inesse harmoniam & seruari, cùm quod natura dominari debet, imperium teneat. At sequitur ex his, in efformando fœtu diem 42. terminum esse harmoniæ constituendum, quoniam virtus formatrix, cùm superat, & imperium tenet in materiam, tanto dierum interuallo fœtum absoluit. diem enim quadragesimum communissimum, perfectissimumq; esse formationis terminum, tertio libro ex Hippocrate, & Aristotele docuimus; & dies 42. vltimus ab eodem Hippocrate formationis terminus ponitur in libro de Pueri Natura. At dies 42. sexto dierum septenario finem imponit, proindeq; in dichotomiam incurrit; nam si à nouilunio incipias calculum ducere, diem circiter 42. Luna plenilunium efficiet, proindeq; necessariò adducet mutationem. simileq; eueniet motus Lunaris ratione rei cuiq; à suo principio die quadragesima secunda. sed quoniam multa sunt, quæ sua natura ad exitum properant, hinc fit, vt iudicium plerunq; ad 40. deferatur, non ad 42. differatur. nam & propterea ex longis morbis pleriq;, qui acutorum nihilominus retinent quandam proprietatem, die 20. & 40. iudicantur, non 21. & 42. vt supra diximus. habet enim ferè quantum est motus Lunaris, ac superuenientis mutationis ratione quadragesimus dies parem cum 42. potestatem, quia est illi propinquissimus, omnemq; ex eo sumit virtutem. Nec me præterit Cardanum in Commentarijs super libello de Alimento diei 40. potestatem à Solis motu ducere; quia scilicet gradus 40. tertiæ partis, videlicet graduum 180. pars sit tertia; sed quàm firmum hoc sit fũdamentum ad vires diei 40 demonstrandas, alij viderint. Lunarem enim rationem longè esse probabiliorem, ac sensui rationiq; congruentiorem; ita vt ab eius motu omnis diei 40. vis deducatur; nemo est qui nõ videat; & satis nostra superior docuit disputatio. Sic ergo apertissimum est, cur dies septimi, & 40 à cuiusq; rei principio numerati, iudicium de re ipsa efficere possint, summamq; in Vniuerso habeant potestatem. cùm enim in Mundi fabrica Luna esset Soli iuncta, septima iam die ad primam quadraturam ipsam peruenisse necesse fuit: & si fuit opposita, ad secundam quadraturam; proindeq; singulis septem diebus magnas parere in aere alterationes necesse est; vt meritò Geneseos secundo legamus, Deũ Opt. Max. benedixisse diei septimo; meritò & quadragenarium, & septenarium numerum in Sacris literis tàm in naturæ operibus, quàm gratiæ adeò videamus obseruatum; quin etiam & in his, quæ ingẽti miraculo ex manu Domini prodierunt. nam & diebus 40. diluuium factum est, & quarto ferè expleto dierũ quadragenario, cùm obtinuissent aquæ terrã, regredi cęperunt; exindeq; die quadragesimo Noe Arcę fenestram aperuit; & columbæ emisio, & redditus

Cap. 3.

ditus ſeptenario dierum numero definitur. longumq; nimis, & moroſum eſſet recenſere, quæ, & quot ſeptenario, quadragenarioq; numero in Sacris literis patrata ſint. vt ex hac mira naturæ operum, & gratiæ in ſeptenario & quadragenario conſenſione, atq; inter ſe proportione, eundem eſſe & naturæ,& gratię Auctorem facilè agnoſcas; & quod rectiſsimè à Theologis dicitur,gratiam ipſam naturam perficere: ita vt corporalia ſpiritualium, naturalia ſupranaturalium, viſibilia inuiſibilium vmbram retinere quandam & imaginem videantur; atq; vt diuinè Apoſtolus dixit,Dei inuiſibilia à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur. Verùm, vt redeamus ad propoſitum, ſunt & alij quoq; dies præter 7. & 40. qui eadem lege progredientes habent iudicandi poteſtatem, vt de decretorijs diximus; quòd ſignificat citato loco Hippocrates, manifeſtè ſcribens, alios dies intra quadrageſimum iudicare, licèt minus ſeptimo, & ipſo quadrageſimo; eandemq; in his, & in diebus decretorijs eſſe rationem. omnes enim iudicant quatenus dichotomiæ induunt naturam, ac ſuperuenientis mutationis ratione. ac ſanè nil mirũ quadragenarios in humano fœtu iudicando tantum poſſe, cùm perfectiſsimum editionis tempus ſit dierum 280.; quòd ſanè interuallum quadraginta dierum ſeptenarijs integratur, ſicuti & ſeptem dierum quadragenarijs: vt meritò ſinguli quadragenarij de fœtu, fœtuſq; mutationibus promere iudicium poſsint, præſertimq; tres connumerati. in quorum ſingulis dies ſeptima eſt potentiſsima. formatio enim diebus quadraginta terminatur; ægrotatio, quæ fœtui circa octauum menſem, & ſextum euenit quadragenarium, diebus ſimiliter quadraginta; demum alia ægrotatio, quam ex partu fœtus cõtrahit, totidem dierum ſpatio finem recipit (quibus omnibus de rebus pleniſsimè libro octauo agemus, cauſas pro virili afferentes) idq; totum ob agentis ad materiam proportionem, tùm ob terminum ipſum dierum, qui ad iudicandũ ob cauſam ſupra allatam aptus eſt. vt meritò ab illarum principio ſeptimi dies numerati & 40. præter alios, ob mutationem, quæ rei euenit ambientis reſpectu, maximã habeant iudicandi, ac decernendi poteſtatem, vt in acutis morbis dies criſimi faciunt, ſeptimus præſertim, ac decimuſquartus. Hinc dicebat diuinus Senex in libello de Principijs, pleroſq; eorum, qui per dies ſeptem nil quicquam deguſtauerint, ſeptima à ieiunio die interire. quam Hippocratis ſententiam Varro grauiſsimus auctor in libris de Hebdomadibus cõfirmauit, ſcribens, vt Gellius refert tertio Noctium Atticarum, quibus inedia mori conſilium eſt, ſeptimo demum die mortem oppetere. calor nanq; inſitus mutationem ſeptima die ab inediæ, ieiunijq; principio ſuperuenientem nequit ſuſtinere; vnde auctus ſiue conſenſu, ſiue antiperiſtaſi ſe ipſum abſumit. quod quidem cauſam aperit, cur in Sacris literis habeamus Deum Opt. Max. Danieli in lacu leonum concluſo die ſexta prandiũ immiſiſſe per Habacuc, quem Angelus portauit, poſuitq; in Babylone. legimus .n. ſic in Daniele. Qui miſerunt eum in lacu leonum, & erat ibi diebus ſex. & mox. ſurgenſq; Daniel comedit; & paulò poſt. Venit ergo Rex die ſeptimo, & c. ex quibus perſpicuum eſt, Danielem die ſexta comediſſe, ac ante ſeptimum. permiſit enim Dominus,vt Daniel tãto dierum interuallo ſine cibo, & potu in lacu permaneret, quanto viuere poterat naturaliter: propterea (cùm niſi vbi opus eſt, miracula multiplicet) ante diem ſeptimam prandium angeli miniſterio Danieli miſit. fuiſſet enim alterum miraculum, ſi Daniel poſt ſeptimũ ſine cibo in vita permanſiſſet. ex quò & regula eſt Theologica, in locis Sacræ Scripturæ explicandis non eſſe multiplicãda miracula ſine neceſsitate. quod quidem cùm acutè Valeſius quoq; in Sacra Philoſophia viderit; neſcio an in tradenda huius rei cauſa ita fuerit oculatus. inquit enim ipſe ieiunum inteſtinum ſeptima die concreſcere, ideoq; illos mori, qui diebus ſeptem nihil edere, & bibere voluerint. at quærendum nobis reliquit, cur ſeptima die ieiunum hoc concreſcat inteſtinum: quare quis noſtrum melius, aliorum ſit iudicium. Hinc autem nec mirum, nec falſum videri debere, quod Cęſar libro ſexto de Bello Gallico narrat, Sextium Baculum etiam ęgrotum ad ſextam vſq; diem ſine cibo vixiſſe, palàm eſt; cuius hæc eſt oratio. Erat ęger in præſidio relictus. P. Sextius Baculus, qui primum pilum apud Cæſarem duxerat; cuius mentionem ſuperioribus prę-lijs fecimus; ac diem iam quintam cibo caruerat; hic diffiſus ſuæ, ac omnium ſaluti, inermis ex tabernaculo prodit. & c. ſi .n. diem iam quintam cibo caruerat, certè ſexta ieiunij vertebatur. Hinc rurſus nec falſum, nec mirum, nec præter naturam, quod Philo Iudęus narrat in libro de Vita Contemplatiua, Aegyptiacos Patres, in Heremo,

Rom. 1.

Cap. 10.

Daniel 14.

mo, qui maximis ieiunijs carnem macerabant, ad sextam diem ieiunos mansisse, sed tamen nunquam hunc terminum pertrãsisse. Nec desunt (inquit) qui prælautè accepto epulo sapientiæ copiosè præbentis sua placita, perdurãt duplum eius tẽporis, & vix sexto die gustant cibum necessarium. Hæc igitur mea sententia causa est, cur septimi & quadragesimi dies tantam in fœtibus iudicandis habent potestatem. Non me tamen latet doctissimos quidẽ viros reperiri, qui vt doceant, cur septenario hominis vita, fetusq; formatio gubernetur; cur quadragenarij dierum, mensiumq;, ac dierum septenarij in humano partu tantam habeãt potestatem; Hippocratis illud ex libello de Septimestri Partu in medium proferentes, quod dixit, vt in morbis, ita & in fœtibus maximè potentes primos esse dies, ac septimos: hoc ipsoq; nobis diuinum Senem significasse volentes, omnem de futuro partu cognitionem à conceptus temporis cognitione, & decursu ab eo in reliquum tẽpus, per septimanas pendere; nempè, quia, vt ex primo die septimanæ primæ initium est, ita & à septimana illa reliquorum & mensium, & quadragenariorum sit deductio: hanc nobis occultissimæ, & pulcherrimæ rei causam tradunt. quòd, cùm septenarius numerus ex ternario, & quaternario constet, ex harum septenarij partium nunc vnius, nunc alterius adiectione, & menses, & quadragenarij consistunt. si enim septimanæ addas ternarium, fieri denarium omnium numerorum integerrimũ, comprehendentem intra se omnes præcedentes numeros, & ex se alios omnes vsq; in infinitum repetentem. hunc enim bis repetitum, vicenarium parere; repetitum ter, trigesimum, repetitum quater, quadragenarium edere numerum; & ex perfectissimis numeris quaternario, ac decimo in se ductis constitutum, & insignibus omnibus fœtus motionibus dicatum: vt iam hinc constet, septenario maximè numero fœtum regi; eiusq; & conceptum, & formationem, & motum, & partum ad illius veluti legem esse institutum. Hæc isti; quæ tanquam doctè, & eleganter disputata nõ parum & laudamus, & admiramur; sed tamen si, vt ingenuè Philosophantes decet, liberè quod sentimus dicere velimus, illud primùm in istorum opinione nobis difficultatem affert, quòd nullam adducunt rationem, cur ipse septenarius, cur inquam primi, ac septimi dies tantam in fœtibus habeant potestatem; quorum virtutem in alios dies ponunt deriuare; adeò vt omnem à septenario nanciscantur potestatem: neq; enim dies alij ex septenario primo propagati vllam habebunt, nisi, & septenarius primùm aliquam habeat. Deinde haud satis fortasse probabile illis, qui rationem potius desiderant, quàm auctoritatem, ideo septenario hominis vitam, ideo humanum fœtum gubernari, ideo quadragenarios ex septenario gubernandi fœtus recipere potestatem, quia numerus 7. ex 4. & 3. constet; quia numero 7. addi possit pars eius 3. quia hæc pars addita denarium creat; qui bis, ter, quater repetitus, 20. 30. demum quadragenarium producit, cuius potestas tantum ab Hippocrate celebratur. hoc enim nil esse videtur aliud, quàm ad numerorum confugere proprietates, ac virtutes, hincq; tantarum rerum causas ducere; quas tamen scimus & ab Aristotele, & à Galeno plurimùm esse irrisas, & è Philosophiæ, ac Medicinæ schola iam diù explosas. Adhuc maximè mirum, quo modo & menses septem ab ipso primo dierum repetito septenario vires suas habere queãt. Postremò si hæc vera sunt, cur & eadem via cuiq; non licebit ostendere, vel senarium, vel quemcunq; alium numerum humani fętus esse moderatorem? quaternarius enim senarij pars est, non secus, ac septenarij: quin potius, si proprijs, ac Mathematicis terminis loqui velimus, non verè pars; quoniam non aliquota; neq; enim, tametsi numerus numeri, & minor maioris, maiorem tamen metitur, ac suum totum; quod proprium partis est, vt septimo Elementorum docuit Euclides; sed omnino partes; idest pars, quæ aliquanta dici solet. est enim 4. quatuor partes sextæ ipsius 6. sicuti & quatuor partes septimæ ipsius 7. at quaternarius senario additus denarium pariter facit, qui bis, ter, quater repetitus eosdem numeros producit: itaq; & senarius fœtum moderatur; quo tamen numero nil esse fœtui hostilius isti prædicant. Longè igitur melius, meo quidem iudicio, ex naturæ fundamentis, ac viribus, ex corporum Cœlestium motionibus, ac periodis, ex ipsamet rerum natura, septenarij tùm in diebus, tùm in mensibus, tùm in annis ducere potestatem. Sed de quadragenarijs hactenus, nunc postremum, quod superest, de mensibus, cur septimus, deinde nonus, ac decimus vim tantam habeant decernendi in partus editione, paucis explicemus: quærentes postea, an octauo in hac eadem re sit aliqua virtus tribuenda.

Def. 3. et 4.

Cur mensis septimus tantum possit. cur tempus sit pariendi naturale; cur fœtui principium afferat perfectionis. mensium consensio cum diebus decretorijs explicatur.

Cap. 63.

QVid igitur sit respondendum ad hanc quæstionem, satis ex superioribus est clarum; cuiq; etenim rei septimo mense ineunte à suo principio, proindeq; & fœtui, formationiq; ipsius, ingens imminet mutatio; quia Sol contrariam afferat in aere temperationem. sexto nanq; expleto mense dichotomia viget; vnde septimus in dichotomiam incurrit, proindeq; iurè affert mutationem. quod Sacræ literæ satis docent, dum narrant currente septimo, vt nonnullis placet, à diluuij principio mense Noe Arcæ fenestram aperuisse; septimo nanq; percurrente naturaliter mutatio imminebat; cuius quidem naturæ auxilia in miraculosis etiam operibus Deum interdũ non respuere, superiori capite notauimus. atq; hinc elucet cur septimo Historiarum scripserit Aristoteles, quarto, & octauo mẽse maximum impendere periculum abortiendi. quartus enim mensis dichotomia est, quia septimestre spatium æqualiter seiungit; propterea fœtui insignem affert mutationem; idcircòq; periculosus, vt conspicuus motus, & validior per id temporis nõ sine magna ratione in eo appareat. octauus verò septimum sequitur, ac fœtum excipit iam ingentem nactum mutationem (de qua re libro tertio dictum est; octauoq; rursus dicetur abundè) atq; hac de causa maximè periculosus. Hac igitur mutatione, quæ septimo incipiente euenit, natura ipsa excitata, ac stimulata, absoluit opus, formationem perficit, maturitati finem imponit, proindeq; partum opportunissimè excludit. atq; hoc est quod diuinè dixit in Opusculo de Septimestri Partu Hippocrates, mensem magnam in corporibus habere potestatem mẽstruorum fluxus demonstrare; proindeq; septimos quosq; menses fœtibus principium afferre maturitatis, ac perfectionis: dicere nanq; voluit, sicut mutationis ad calorem & frigus, quæ in mense euenit, ratione mulieribus menstrua commouentur: ita simili de causa mutationis, quæ ad calorem & frigus in anno fit, ratione, mensem septimum fœtui principium afferre maturitatis. excitari nanq; mulieribus mẽstrua ob caloris, frigiditatisq; factam in mense mutationem Hippocratẽ voluisse, supra de crisimis diebus agentes demonstrauimus, fusiusq; sequenti libro demonstrabimus. Verùm non solùm id pendet à Cœlesti periodo, Solisq; cursu, & superueniente mutatione; ita enim omnia animalia quarto, vel septimo mense ineunte partum ederent; sed ipsa natura corporis, quod formatur, ac temperatio, omnino concurrit. cùm enim formatio concoctio sit quædam, vt toties diximus; concoctio verò calore efficiatur; quin etiam & partes corporis à frigiditate producantur non à calore tantùm, vt secundo de Animalium Ortu docuit Aristoteles; iurè euenit, vt, pro externi caloris, & frigoris ratione, internus calor & frigus mutationem recipiant: ita vt facilius, vel difficilius opus perficere queant. at quanquam id ita sit, omnisq; in ambiente calor, & frigus à Solis, ac Lunæ oritur motionibus; harum tamen motionum, ac Cœlestium periodorum numerum propria sibi cuiusq; rei natura definit; adeò vt quot mutationibus harum qualitatum res, quæ effingitur, indiget sua natura, vt perfectionem assequatur; tot fieri Solis, ac Lunæ periodos oporteat, & circulationes harum mutationum causas. quare non solùm Cœlestium cursus, sed ipsa quoq; rei natura, quemadmodum dicebamus, consideranda venit: vt meritò scripserit diuinus Hippocrates, menses, quasi dies crisimos morbos, partum ipsum iudicare. habent enim menses partũ iudicantes summam cum diebus decretorijs consensionem, atq; cum ipsa crisi. nam sicut crisis concoctione efficitur, sic & partus concoctione: articulationem enim ipsam nil aliud esse quàm concoctionem, paulò supra dicebamus, tertioq; libro probauimus Aristotelis auctoritate; & sicut calor est, qui concoctionem operatur, quem tamen anima gubernat; ita & formatrix virtus calore tanquam instrumento formationem absoluit; atq; hęc causa est cur, licèt tertio mense confecto, & quarto ineunte in aere mutatio fiat; partus tamen non editur; nam sicut crisis, licèt fiat in aere mutatio, non euenit, nisi concoctio sit absoluta; quoniam non solùm externa causa, sed interna quoq; concurrit; sic & partus nisi concoctione, articulationeq; absoluta nõ editur. & quemadmodum mutatio aeris in mense insignis crisim vel turbare, vel noxiam reddere potest; ita & eadem mutatio in anno partum corrumpere potest; vnde Hippocrati hyems Austrina, ver Aquilonium abortiones plures generant. Sed & illa insignis conspiratio est, quòd

Cap. 4.

Cap. 4.

quòd pari de causa mensis quartus, ac septimus cum die quarto ac septimo habent indicandi potestatem; videlicet quia dichotomiæ naturam induant, vt supra dicebamus, hebdomadicum interuallum ęqualiter secantes. Demum in agente externa causa maximum esse consensum perspicuũ est; cùm, sicut Luna crisimos dies, sed non sine Sole; sic Sol menses partus, sed non sine Luna gubernet; vtriq; verò tùm dies, tùm menses ob caloris, & frigoris factam mutationẽ iudicandi habeant potestatem.

De causa maturitatis partus humani. Quare septimo, nono, ac decimo partus maturescat.

Cap. 64.

CAeterum, tandem vt finem faciamus, definitum huiusmodi humanæ parturitionis tempus à quinq; potissimum causis dependere, satis facilè monstratur; videlicet ab efficientis causæ ad materiam analogia; ab humani corporis magnitudine; à perfectione generationis; item à periodi natura, quæ humanum partum metitur; demum à natura ipsa mutationis. quoniam enim ea est agentis causę cum materia proportio, idest formatricis virtutis cum ipsis menstruis, vt tanto tempore, dimidio videlicet anno, & mensibus sex confectis, septimoq; incipiente, non ante, materiam ipsam perficere posit, & figurare; ideo & septimo primùm mense humanus partus principium accipit maturitatis; & quanquam alia, vt nonnullis videtur, huius rei causa quærenda non est, cùm nemo, nisi insanus, quærat, vt isti argumentantur, cur tantum ignis tantum roboris comburat in hora vna: tertio tamen libro à nobis ostensum est, ex peripateticis fontibus facilè eam hauriri; cùm Aristotelis intellecta disputatione statim eluceat, cur non ante septimum, cur septimo primùm humanus partus recipiat maturitatem; proindeq; & proportionis huius causa, & cur tantum sibi assumat temporis, neq; plus, neq; minus, pernotescat; qua de re memorato libro copiosè egimus. Rursus quoniam animantibus gestationis tempus magna quidem ex parte pro vitæ spatio, sed omnino pro corporum magnitudine descriptum est, vt ad finem quarti de Animalium Ortu docet Aristoteles, nosq; ex eo planius tertio libro explicauimus (ex quò & quæ maiora habent corpora, vterum longius ferre videntur) non citius quàm sexto præterito mense, & septimo ineunte humanus fœtus potuit maturitatem adipisci ob corporis humani magnitudinem, vt liber tertius clarius aperuit. Adhuc cùm eorum animaliũ ortus, quæ perfectam, & elaboratam habent generationem longiori tempore indigeat, quemadmodũ in Problematibus Philosophus berbellè notatum reliquit, (neq; enim, vt septimo Methaphisicorum admonemur, horum materia ex se ipsa moueri potest eodem motu, quo à semine mouetur) materia quidem hominis, cuius generatio elaborata maximè est, ac perfectissima, non videtur ocyus quàm mense septimo posse conformari. Item periodus humani partus mensibus constat; rei nanq; cuiusq; periodus, aut hora, aut dies est, aut mensis, vel annus, ac tempora, quæ ijs describuntur, vt fusius supra vidimus ex Aristotele: at periodus tùm rei maximè affert mutationem, vbi temperationem Cœli contrariam à priori, in qua genita fuit, ac incepit, ei adducit. proinde dicebat Hippocrates libello de Natura Humana morbos, qui hyeme incipiunt, æstate tolli, ac iudicari; qui vere oriuntur, autumno solui, & è contra, vt supra diximus; nimirum sexto mense exacto, septimo incipiente. at partus, Philosophis, & Medicis consentiẽtibus, morbus quidam longus est; iurè igitur sexto præterito mense, tãquam in propria periodo iudicatur, ac soluitur; septimo nanq; ineunte contraria à conceptu viget mutatio, perinde ac Solstitio altero, & Aequinoctio, vt supra dicebamus. atq; hoc est, quod diuinè Polybus Plutarcho libro quinto de Placitis Philosophorum referente significabat; dicens septimestrem tunc vitalem exire, cùm die à cõceptu 182. cum dimidio, mensibusq; sex in lucem venit; quia tanto tempore Sol à Tropico ad Tropicum decurrat: neq; enim hac sententia causam dimidij anni afferre Polybus voluit, vt Contradicentium Medicorum libro primo Cardanus existimauit, sic idcircò in illum inuehens, sed omnino perperam.

» Velut cùm Polybus apud Plutarchum quin-
» to de Placitis Philosophorum causam asi-
» gnare nititur dimidij anni, idest dierum
» 182. Solis motum à Tropico ad Tropicum:
» nam hoc est falsum, cùm ex tertio Magnæ
» Compositionis Ptolemæi Sol inæqualiter
» per Absidem moueatur, & Absidis opposi-
» tum & c.

sed meo quidem iudicio summo artificio sex à conceptu peractis mensibus ideo septimestrem vitalem oriri dixit, quia huiusmodi spatium similem ob Solis motũ afferat mutationem, perinde ac si à Tropico ad

Sect. 10. Prob. 64. Tex. 31.

Cap. 18.

Tract. 3. Contr. 8.

co ad Tropicum Sol decurreret; cùm habito principij generationis respectu conceptui suum tunc Solstitium eueniat, proindeq; maxima mutatio. quod Polybus ab Hippocrate præceptore edoctus significare volens, huiusmodi spatium, temporis spatio, quod Sol à Tropico ad Tropicum absumit, diuinitus comparauit; qua quidem comparatione nos docuit, septimestre hoc, quod vocatur interuallum, parem, ac Solstitia afferre mutationem; vt rectissimè à nobis libro tertio dictum sit, nobilissimam periodum nobilissimæ speciei pro primo maturitatis termino naturam tribuisse. Cur autē huiusmodi tēpus semestre cùm sit, septimestre nihilominus etiā sit, ac dici debeta, taleq; ab Hippocrate vocetur initio Opusculi de Partu Septimestri, sequenti libro aperiemus. Postremò mutationis ipsius natura causa quoq; est, cur fœtus septimo mēse edatur; si enim iam grauidæ mulieri ob periodi cursum, Cœliq; conditionem tunc mutatio imminet (nam fœtus cùm nascitur, Aristotele teste generationem mutat) mutatio verò omnis in cōtrarium efficitur; contraria autem editio est, exitusq; in lucē ipsi in vtero mansioni; iusta de causa per id temporis vitalis prodit infans. Hæc autem omnia causam proportionis agentis ad materiam, secus quàm nonnulli crediderint, aperire, nemo est qui non videat. Eademq; ratio in nono, ac decimo locum habet: quæ enim causæ faciunt, vt citius quā septimo partus humanus perfici non queat, ædem, vt septem quadragenarijs optimè perficiatur, operantur: de qua re fusius libro tertio disputauimus. nam & analogia efficientis ad materiam talis est, vt decimestre tempus maximè requirat; & magnitudo humani corporis non minori eget mensium interuallo, vt perfici optimè possit: perfectaq; & elaborata hominis generatio hoc idem expostulat. vt enim ex decima Problematum sectione elicimus, minora animalia, atq; imperfectiora breuiori tēpore, maiora, & perfectiora longiori conformantur. Demum periodi natura & mutationis decimestre hoc spatium potissimum requirunt. cùm enim noni finis, ac decimi mensis initium in dichotomiam temporis incidat, vt planius infra dicam, quia semestre spatium æqualiter ferè seiungit; dichotomia verò, vt abundè in superioribus demonstrauimus, vel penitus contrariam, vel saltem quadam ex parte contrariam semper afferat temperationem; iurè nono mense, ac ineunte decimo & partus tempus imminet, & fœtui mutatio. addi potest in spatio decimestri ex Hippocrate sexta causa, quæ ab hac ipsa pendet; scilicet quadragenariorum, & hebdomadarum ratio, quæ maximam in fœtibus vim habet, quia per septenarium progrediens, idest tempus septenario terminans, mutationem affert: exactis enim quadragenarijs septem, & quatuor hebdomadum denarijs, & quadraginta hebdomadibus partus hi promūtur in lucem.

Prob. 15. & 64.

Quòd mensis octauus periodi Cœlestis ratione pariendi sit tempus omnino naturale.

Cap. 65.

VErùm hactenus de septimo, nonoq; ac decimi initio. quid tandem de octauo dicendum? sanè ipsum esse periodi etiam ratione tempus pariendi naturale duce ratione oportet affirmare; quia dichotomiæ induat naturam, mutationemq; afferat. cùm enim ea sit dichotomiarum proprietas, & conditio, vt vel tempus, periodumq; totam rei alicui consentaneam, vel eius partes æqualiter seiungant in duas partes, vt in Anemologia abundè ostendimus, supraq; tetigimus; ex quò & non solùm diei, mensis, ac anni partes quatuor, sed, his ipsis quatuor æqualiter subdiuisis, octo omnino emergunt sibi mutuo miro consensu respondentes, in quibus mutationes aeris eueniunt; idq; totum Hippocrati, Aristoteli, Galenoq; receptissimum esse ibi ostendimus; si diuisionis huius habita ratione octauum mensem in dichotomiam incurrere demonstrabimus, profectò eum & periodi, & mutationis superuenientis ratione naturale esse tempus pariendi, videbimur sufficienter ostendisse: at in dichotomiam ipsum incidere hac probatur ratione. si enim sumamus menses, nonum expletum, decimumq; ineuntem in dichotomiam incidere diximus, quia sex mensibus tres addantur: vnde Sol mutationem partui affert insignem; perinde ac & aeri, & sublunari huic plagæ, cùm post Solstitium, Aequinoctium attingit; semestre illud spatium, quod est ad alterum vsq; Solstitium, æqualiter seiungens. cui quidem semestri spatio rectissimè Gorreus, vt secundo libro vidimus, diem decimamquartam respondere dixit; quia, sicut Sol sexto peracto mense cōtrarium locum possidet, proindeq; contrariam affert omnium qualitatum ratione temperationem, & propterea mutationem maximam; sic Luna post diem 14. contrarium tenet locum,

& contrarium in aere adducit temperamẽtum. Verùm tres illi mẽses æqualiter rursus diuisi alteram dant dichotomiã, & mutationem; qua methodo & octaua quæq; habetur anni pars, vt in Anemologia dicebamus; quarum aliquæ syderum innerrantium apparitionibus à Veteribus, Hippocrateq; præsertim notabantur. Sic ergo in toto partionis tempore tres menses, qui inter sextum intercedunt, ac decimi initium, & qui tempus pariendi perfectissimũ, periodumq; maximè naturæ humanæ consentaneam constituunt, si æqualiter diuidantur; huius diuisionis medium in octauum medium incurret: itaq; & dichotomiam creabit, proindeq; afferre poterit mutationem; igitur octauus mensis periodi, ac superuenientis mutationis ratione tempus esse conuincitur ad partus editionem naturale, ac idoneum. Idem monstratur si septem sumas quadragenarios; quinto enim quadragenario expleto, die scilicet 200. fœtus vitalis exit: at duo supersunt, qui dies 80. conficiunt; spatium igitur si id diuidatur æqualiter, remanent dies 40. qui, si addantur priori summæ, menses octo conficiunt; quod tempus, quia quadragenariorum ratione in dichotomiam incurrit, mutationem fœtui affert, proindeq; naturaliter illum ad exitũ promouet, ac stimulat. Præterea si quadragenarios propter vigesimum tantoperè Hippocrates, & Galenus obseruant; vnde dies ex ipsis vicenarijs, & quadragenarijs diebus coagmentatos maximè crisimos existimant; vt de 60. 80. 100. 120. sine vlla controuersia inter medicos constat; cur & diem 220. & 240. maximè crisimos non iudicabimus? si enim Medici à 120. 200. recipiunt, ac valde iudicatorium existimant, tãquam quadragenariorũ adiectione ortũ; iam & necessariò diem 220 vicenarij additione conflatum, ac diem 240. quadragenarij compositũ accessione, admittere eos necessariò oportebit: quæ ratio, mea quidem sententia, vim habet demonstrationis, ad probandum octauum mensem iudicatorium esse tempus, ac legitimum: dies enim 220. in tricenarij octaui decimum, dies 240. in postremum eiusdem diem incurrit. Item & hebdomadarum ratione octauus mensis partum habet naturalem; si enim dies 280. quia quadraginta hebdomadibus integrantur, & quatuor hebdomadum decadibus, partionem habent naturalem; & dies 210. quia hebdomadibus triginta, & tribus hebdomadum decadibus; quorũ dierum spatia alterum mẽses septem facit, alterum in decimum diem decimi mensis incurrit; cur & dies 231. qui triginta tribus hebdomadibus absoluuntur, partum non dabunt naturalem? at hi in diem 21. octaui mensis incidunt. Sic vides quo modo ad dichotomiarum, hebdomadumq; rationem non solùm septimus, nonus, ac decimus mensis, sed octauus quoq;, proindeq; omnia humani partus tempora ab Hippocrate adducta, ac recepta, mirificè quadrent; ipse enim, vt ex superioribus colligitur, vel mensibus, vel quadragenarijs dierum, vel hebdomadis, hebdomadumq; decadibus partus humani tempora metiri solet; ita vt his periodis velit illum iudicari. at septimestris minor, scilicet diebus 182. genitus, mensis ratione in dichotomiam incurrit, quia exit in lucem expleto sexto, septimo ineunte: item & quadragenariorum, & decadum ratione. nam dies 182. incidit circiter dimidium quinti quadragenarij, & dimidium ferè tertiæ decadis hebdomadum. Septimestris maior expleto septimo, & quinto confecto quadragenario, & tertia exacta hebdomadum decade venit in lucem. Decimestris nono mense expleto, septimo confecto quadragenario, & quarta hebdomadum decade. Quæ computandi ratio in octomestribus quoq;, vt vidimus, locum habet. nam & tertium anni totius quadrãtem secat æqualiter tẽpus octomestre, & exacto sexto quadragenario, vel circa eius dimidium, nasci potest octauo genitus, & ferè circa dimidium quartæ decadis hebdomadum, vel certè circa quartam ipsius partem. qui quidem omnes temporum articuli mutationem afferre, proindeq; tempus partui aptissimum adducere possunt: diximus enim supra dichotomias tempora, & temporum partes distinguere; & adducere mutationes; vnde in hebdomadum decade, quæ diebus constat 70. dies 35. erit dichotomia, & dies 17. eadem de causa sicuti dies 4. & 7. criticorũ dierum ratione. Cùm autem hæc dicimus, non propterea cum nobismetipsis pugnamus, qui in Compendio, infraq; libro octauo, minorem septimestrem ac plerosq; alios partus, præsertimq; octomestrem, exactam ad hebdomadas non seruare rationem pronunciamus: enimuero adductis locis intelligimus, non retinere hos partus hanc rationem, quatenus, vt libello de Principijs admonet Hippocrates (cui exactum ad hebdomadas numerũ partum seruare loco illo est, hebdomadum decadibus confectis

in lu-

in lucē exire) expletis exactè decadibus hebdomadum non nascūtur, quod tamen facit septem quadragenarijs genitus, & maior septimestris. quare aliud est, partum quadragenariorū, hebdomadumq; respectu cōtemplari, quatenus & quadragenarij, & decades hebdomadum, & ipsæ hebdomades diuidi possunt dichotomiarum ratione; aliud est, partum cōsiderare, quatenus exactā ad hebdomadum decadas seruat rationem, & numerum exactum; quod fecisse libello de Principijs Hippocratem satis constat. Hinc (vt redeamus ad rem) labores, & mutationes fętus in vtero eadem lege progrediuntur; quos pro fœtus temperamento tertio, quinto, septimo, nono; vel secundo, quarto, sexto, octauo, decimo euenire mēse, docebat Hippocrates, vt infra clarius explicabimus. omnia enim hæc pendent à dichotomijs. etenim secundus mensis in dimidium incurrit secundi quadragenarij, quartus tertiū quadragenarium terminat, sextus in dimidium quinti incidit: de octauoq; & decimo iam diximus. Rursusq; mēsis tertius primam hebdomadum decadem terminat, quintus secundam, septimus tertiam. demumq; si menses inspicias, nē multus videar hac in re, quartus, ac septimus summam habent potestatem eadem de causa; prout scilicet dichotomiæ induunt naturam. Nec obstat quod supra dictum est, sexto quadragenario fœtum periclitari, ægrotationemq; pati: nam id nihil officit, cùm omnibus fętibus non sit cōmune, vt libro octauo vberius ostendemus; proindeq; non tollit, quin quadragenarius sextus editionē partus habeat naturalē. Atq; hęc satis sunt ad demonstrandum imparis, & hebdomadicæ periodi ratione octauum mensem à naturali pariendi tempore non esse arcendum. Verùm quia huius sexti libri initio ex Hippocrate probatum est, duplicem in rebus naturalibus periodum inueniri; ita vt, sicuti aliæ impari die, mense, & anno mutationes perpeti exposcunt suas, sic & aliæ inueniantur, quibus naturaliter insitum sit, pari die, mense, & anno commoueri; iam quædam hac de re postremo hoc loco differenda sunt; tùm vt perspicuū fiat periodi paris ratione octauum mensem naturalissimum esse tempus pariendi; tùm vt eorum appareat labefactatio, quæ de vtraq; periodo initio disputationis huius proposita, relicta fuerunt citra enodationē.

Quòd in natura periodus par et impar locum habeāt, & qua de causa. Octomestris partus ad quam periodum pertineat, & cuius periodi ratione naturalis.

Cap. 66.

Dicebamus igitur ex Hippocrate, Theophrasto, & Galeno parem quoq; periodum in natura reperiri; at huius rei causam in varium rei ipsius temperamentum, variamq; agentis ad materiam proportionē reducendam esse, nemo mentis compos dubitabit. cùm enim naturales actiones determinatæ sint iuxta vires passi, & agentis; in quibus hæ vires variæ reperiuntur, his suus variusq; ad actionem constituatur agēdi terminus necesse est; quia inter se agens, & passū ꝓ vtriusq; natura certa quadā proportione dissident. Hoc probat euidenter ipsa accessionum, humorūq; ratio; quorum alios paribus diebus; alios imparibus Hippocratis docuimus ex primo Epidemicon auctoritate commoueri. quo loco Galenus nullam aliam affert causam, nisi quia natura per id temporis impari, vel pari die impellatur, exciteturq; ad humores illos excernendos. quanquam & id suā habet rationem à doctis viris excogitatam; cùm enim rei cuiusq; motus, aut continuus necessariò, aut intermissus esse debeat; qui verò humorum intermissus est, aut vna, aūt altera ad summum die intermittat, ac ferietur (qui enim longiorem reditus terminum habent, tanquam hi, qui rarissimè in natura locum habeant, in præsentia prætermittendi sunt) hinc omnis per dies pares, vel impares accessionis ratio ortum ducit. primus nanq; imparium dies criticus tertius est, parium verò quartus; quoniam secundus in neutro genere criticus esse quit; ita enim motus esset continuus non per interualla. at qui à prima die commouentur tertia, hi imparem periodum sequantur necesse est; qui exerunt quarta motionem, periodum parē. simileq; euenit in cunctis alijs rebus naturalibus, quæ similiter pari, vel impari die, mense, & anno mutationes perpetiuntur. Aristoteles autem prima sectione Problematum, cùm de quartana febri disputaret, in humorum robur, vel imbecillitatem, huius humorum motus differentiam videtur retulisse; ex qua causa facilè paris, imparisq; periodi ratio deduci potest, tametsi aliud in Commentarijs Apponensi videatur. Siquidem sic penultimo problemate locutus est. „Διὰ δὲ τοῦτο „καὶ συμφέρει θερμαίνουσα δίαιτα, ὅτι ἀσθενὴς ὁ τεταρταῖος

Prob. 58.

ταῖος πυρετός. εἰ γὰρ μὴ ἦν ἀσθενὴς, οὐκ ἂν τεταρταῖος ἐγένετο. quod est. Ob id autem & cōfert victus calefaciens, quia imbecilla est quartana febris; nisi enim esset imbecilla, quartana non fieret. Quare si qui imbecillus humor est, ob suam imbecillitatē quarto die mouetur, qui minus erit imbecillus tertia die faciet motionem; vt qui hoc ipso potētior est, motum habere continuū, singulis scilicet diebus, sit necesse. est autē quartana febris imbecilla, quia ex imbecilliore humore ortum ducit; videlicet ex atra bile, quæ est frigida; propterea pari & quarta quaq; die motum habet; at verò in tertiana motus impari fit, & tertia quaq; die, quia est potentior; ex humore enim prouenit potentiore, videlicet ex bile, quæ est calida; calidiorem enim humorem potētiorem esse frigidiori, atq; ad motus edendos ocyores aptiorē, nemo erit, qui neget. atq; hoc est, quod hoc problemate vult Aristoteles. Hinc, vt ad nostra redeamus, parem diem Austrini flatus terminum dicebat esse Theophrastus, Aquilonis imparem, vt huius disputationis initio notabamus. de qua re nos in Anemologia nonnulla. hinc in Moluchis gariophylorum prouentus quarto quoq; anno vberior, apud nos pirorum, pomorum, olearum, & glandium tertio quoq; anno. cùm enim virtus non sit infinita, quiete opus habet, in alijs plus, in alijs minus; vnde quiescere eam aliquādo ab effectu necesse est. Possunt autem hæc nostra eò libentius periodum sequi parem, quò Cœlestium corporum motus quoq;, ac periodus consentit; cùm mutationes illæ, quæ Solis, Lunæq; motus ratione septimo quoq; die, ac mense eueniunt, ad octauum quoq; extendi facilè possint; vt propterea Theophrastus in Opusculo de Pluuiarum Signis præcipere videatur, non tàm septimam, quàm octauam Lunam esse obseruandam. Iam verò parium dierum, periodiq; paris progressus talis ab Hippocrate citato loco ponitur, vt 4. 6. 8. 10. 14. & qui hac lege sequuntur, vim in ea dicamus habere iudicandi; imparis verò periodi, vt 3. in ipsa 5. 7. 9. 11. & reliquos simili modo progredientes iudicatorios existimemus. idemq; in Commentarijs Galenus confirmat. qua in re illud certè animaduersione dignum est, alio loco à nobis diligenter perquirendum; quos dies passim crisimos vocamus, ex vtriusq; periodi diebus esse compositos; cùm 4. 14. 20. pares sint, 7. 11. 17. impares, licèt Galenus 14. imparem esse contendat. At hoc posito, receptoq; fundamento videamus quid sequatur; si enim in partu humano iudicando pro die mensis accipiendus est, vt in Opusculo de Septimestri Partu Hippocrates admonuit; iam necesse erit vt fateamur, pares, imparesq; menses iuxta paris, imparisq; periodi naturam crisimos esse; ita vt in eo partu, qui temperamenti ratione, & ob proportionem agentis ad materiam periodum parem exposcit, quartus, sextus, octauus, decimusq; mensis sint iudicatorij: in eo autem, qui imparem requirit, tertius, quintus, septimus, & nonus; & in quadragenarijs idem fortasse locum habebit: cùm tertius, quintus, & septimus in periodo impari indicent; in pari autem quartus, sextus, & octauus. etenim quartus in sextum mensem, sextus in octauum incurrit; octauus magnam decimi partem comprehendit. Hanc veritatem ex fontibus Hippocraticis esse haustam, facilè quisq; confitebitur, qui ad ea, quæ sexto Epidemicon dicta sunt, mentis aciem intenderit; præsertim iuxta Calui interpretationem: habent autem sic Hippocratis verba loco illo. Primò labores per non paria fiunt, tertio, quinto, septimo, nono mense. Secundò per paria, quarto, sexto, octauo, decimo. Similiaq; eiusdem operis secundo scripta inuenies. At quid amabò clarius dici vnquam potuit? laborum enim nomine, vt palàm est, quæ fœtus à conceptu patitur ad partum vsq; intelligit; videlicet primam figurationem, motum primum, ægrotationem, demum exclusionem, ac similia; quæ omnia, cùm primò accedunt, parenti & fœtui per id temporis ingentem afferunt alterationem. Cæterum hæc in fœtu imparem periodum sectante imparibus mensibus cōtingere quasi crises quasdam, & accessiones docet Hippocrates; in eo verò, qui parem sequitur periodum, mensibus paribus. Quod Galenus sexto Epidemion huiusmodi sententiam explicans palàm in Commentarijs professus est. Labores (inquit) plerunq; accidunt tertio, quinto, septimo, nonoq; mense. & quarto, sexto, & octauo. Appellare solet πόνους Hippocrates, hoc est labores, pro eo quod ὠδῖνας, hoc est dolores, quandoq; ; vt etiam pro quauis molestia idem nomē vsurpat, vt hoc loco. significat enim omnia, quæ grauidæ patiuntur, quæ paulò ante fieri statis temporibus, & per circuitum dixit. ideo quibus potissimum mensibus accidant ipse declarat; tertio inquam, quinto, septimo, & nono, tanquam in mensibus imparibus, tùm verò

Anm. 43. in li. de Vent. Sign.

Sect. 7.

Sect. 3.

Aph. 33.

» verò quarto, sexto, & octauo tanquam pa-
» ribus.

Hippocratis locus explicatur: superiora fusius declarantur: item de his periodis plura.
Cap. 67.

Sect. 3.

HInc Hippocrates primo Epidemicon in ægroti decimitertij historia, mulierem trimestri fœtu grauidam vehementem febrem corripuisse narrat, aliaq; grauia symptomata: impari enim mense labores illos imparis periodi ratione mulierem eam inuasisse docere voluit. ex quò & dissidium illud facilè tollitur, quod libro decimoquinto Epistolarum tátoperè Manardum fatigauit: nulla enim in Hippocratis dictis est dissonantia, tametsi quarto secto Aphorismorum prægnantes à quarto ad septimum vsq; mensem purgandas doceat, si materia turgeat; quasi hoc Aphorismo tertius non rectè prætermissus, aut in Epidemia, temerè tacitis quinto & sexto, laudatus videatur. enimuero nō eadē est vtrisq; in locis Hippocratici consilij ratio; cùm in Epidemicis tertij mensis vim periodi imparis ratione in laboribus afferendis voluerit indicare; in Aphorismis verò tempora purgandis prægnantibus idonea recensere. vnde rectissimè tertiū prętermittit; quoniam, vt Galenus acutè in Cōmētarijs scribit, fętus mense tertio valde imbecillus est, nec adeò potēs, nec adeò vtero adhærens, vt vehemētes purgationis motus parēs sine illius offensione sustinere queat. septimum verò excludit, quoniam, cùm in eo fœtus sit ad exeundum propensissimus, nullis ad illum excludendum medicamentis videtur mater inuitanda. quo loco notare oportet Hippocratem vtranq; periodum complecti, dum quartum, quintum, sextumq; enumerat mensem; videlicet quartum, & sextum ob periodum parem, quintum ob imparem; nimirum vt doceat, inter menses, quibus labores & fœtus & mulieres prægnantes adoriri solent, ex vtraq; periodo hos esse ad eas purgandas, si materia turgeat, eligendos; atq; ex impari quidem quintum tantùm, quoniam tertius, & septimus ob causas iam expositas minus sunt idonei. Nullus igitur mētis compos vocare in dubium potest, Hippocratem in humano fœtu imparem, paremq; periodum non agnouisse; ita vt periodi paris ratione octauus mensis de illius sententia censendus sit naturalissimum tempus pariendi. quod sanè eò magis cum veritate consentit, quòd Medicorum omnium consensu partus longi morbi induit naturam; longus verò morbus pari dierum, vel mensium periodo, ijsdem ipsis simul cum eorum principe tertio de Diebus Decretorijs Galeno asserētibus, iudicium subit. Scripsit autem rectissimè Hippocrates sexto Epidemion, vt imparis periodi vim ostenderet & excellentiam, in gestatione fętus primò labores per imparia fieri, secundò per paria; quibus primas impari periodo tribuit. periodus nanq; impar principem in natura locum habet, rebusq; propterea naturalibus longè est communior: de quo quidem altero libri huius initio dubitabamus; cuius rei causa est ipsa Cœlestium corporum motio, & periodus; quæ periodum imparem reddit efficaciorē. cùm enim rerum minus principalium periodi rerum magis principalium periodos sequantur, vt in calce quarti de Animalium Ortu admonuit Aristoteles; septima verò ineunte hora, die, ac mense, Solis ac Lunæ motus ratione insignis in aere mutatio eueniat; iurè pleraq; pro temperamenti ratione per horarum, dierum, mensium, ac annorum septenarios suas edere amant motiones, mutationesq; efficere: cùm hac de causa septima hora, dies septimus, mensisq; septimus, idcircòq; & septimus annus maiores rei ipsi stimulos admoueāt: vt nil sit mirum si dies critici, & hominis ætates, climatericiq; anni, demum fœtus humani formatio, motus, ac editio hebdomadica potissimum hac lege progrediantur; vnde & necessitas apparet naturæ (quod ad finem libelli de Principijs Hippocrates tangebat) cur in septem tàm multa in ea dispēsentur: cuius tamē rei causam se alibi promisit explicaturum. Præterea sua natura periodū hanc imparem, & hebdomadicam ad res dimetiendas aptiorem esse, quatenus per septenarium progrediens medium in ea sumitur ab vtroq; extremo æqualiter remotum: quod & periodi maximè esse proprium supra ex Galeno monuimus, & in quarto die, mense, & anno cernere licet; qui dierum, mensium, annorumq; hebdomadas æqualiter secant; vnde & dichotomiarum naturam exactè exprimunt. quanquam & quod attinet ad imparem hanc periodum, cur vè humorum motus, morbus, sanitas, ac mors imparibus maximè diebus eueniant, & iudicentur, elegans extat causa ab Hippocrate quarto de Morbis explicata, à nobis verò in libris de Hippocratica Anni Ratione simul cum alijs de critico negotio ab eo traditis diligenter ventilanda; ibiq; osten-

Epist. 1.

Aph. 1.

Cap. 2.

ostendendum hoc nullo pacto ab ijs, quæ
alibi idem scripsit, dissentire. neq; enim
sequendos plerosq; Medicos putamus, qui,
cùm aliquid in Hippocratis scriptis legunt,
quod difficultatem, & contradictionem
præseferre aliquam videatur, statim facilè
sese expedientes, dicunt spurium esse, ab a-
lijsq; additum. Demum his de pari, impa-
riq; periodo receptis, alterum quoq; illud,
de quo initio quærebamus, elucet, quod
Galenus tertio de Diebus Decretorijs alijs
reliquit dissoluendum; videlicet, cur in a-
cutis morbis accessiones diebus impari-
bus, in longis paribus fiant. cùm enim a-
cutus morbus ex humore, materiaq; oria-
tur, quæ intermittit quidem, sed celerrimè
tamen mouetur, mobiliorq; est sua natura,
ac potentior, vt idem ipse Galenus eodem
loco demonstrauit; iurè tertia quaq; die
accessionem facit; proindeq; necessariò die
impari, nec in quartum eam differt, in quē
Aristotele teste imbecilliores humores dif-
ferunt motionem; vix enim per diem ali-
quantulum quiescere patitur humor; cur
autem nihilominus in acutis dies quartus
crisimus existat, alibi dicetur. At morbus
è contra longus ex materia, quæ mouetur
tardius, ortum habet, ideoq; necessariò
diutius quiescente; vt necesse sit paribus
diebus in illo fieri accessiones.

Difficilis quædam aduersus ea, quæ de pari periodo dicta sunt, mouetur dubitatio, & dissoluitur.
Cap. 68.

SEd aduersus ea, quæ & in Disceptatio-
ne, & huius libri initio de pari perio-
do dierum crisimorum ratione ex Hippo-
crate, & Galeno diximus, & hîc rursus
disputamus, ad eam dissoluendam obiec-
tionem, quæ ex septenario, & impari pe-
riodo sumitur aduersus octomestres; vide-
licet quòd quemadmodum acutorum mor-
borum alij per impares dies moti, impari-
bus etiam terminantur, alij autem per pa-
res motionem habentes, paribus iudican-
tur; quia scilicet in natura par, & impar
periodus inuenitur: ita & si eadem est, vt
libro de Septimestri Partu docebat Hippo-
crates, ratio numerorum dierum partus,
& crisimorum, cùm inter crisimos non im-
pares modò connumerentur, sed etiam pa-
res; non magis repugnet aliquos octauo
mense viuere, quàm aliquos sexta, vel octa-
ua die iudicatos esse; aduersus, inquam, hāc
totam nostram responsionem grauis quæ-
dam oritur difficultas; inuenietur enim
fortasse aliquis, qui dicat, eam quidem veri
speciem præ se aliquam ferre, sed, si ad exa-
men reuocetur, veri nihil continere; cùm
nō aliò illa Hippocratis verba referri posse
videantur libello de Septimestri Partu, vbi
decretoriorum dierum mentionem facit,
quàm, vt ostendant, quòd quemadmodum
in morbis dies aliqui sunt, quibus aut ter-
minantur morbi, aut ægri intereunt, ita in
mulieribus grauidis determinati aliqui
dentur menses, in quibus pariunt, & fœ-
tus aut viuit, aut moritur. Itaq; quemad-
modum, licèt sextum, & octauum diem in
morbis quibusdam decretorios esse conce-
damus, non sequitur tamen eos statim be-
nè decernere; ita verè dici non poterit, ea
ratione partum bonum fieri, & vitalē, quòd
octauo mense aliqui edantur in lucem. iam *Cap. 5.*
enim perspicuum esse Galenum primo de
Diebus Decretorijs, ita de sexto, & octauo
die esse loquutum. Sextum frequēter qui-
dem & ipsum, sed non septimo similiter:
nam & pauciores ipsum iudicare, & solu-
tionis modo plurimum differre. neq; enim
bonas, salubresq; ipsas esse, verùm malitio-
sas plurimùm; neq; si bonas solutiones,
omnino & perfectas; immò si perfectas, sta-
tim etiam cum fide. quia nonnūquam mor-
bus reuertitur, exactè licèt solutus esse vi-
deatur. quin etiam cum periculo, & ob-
scurè sextum diem iudicare, idq; ei maxi-
mè proprium esse, hoc quoq; diximus. &
paulò post. At sexti naturam nullus exac-
tè aliorum dierum imitatur. Si aliquando
autem in octauum diem, vel in decimum su-
bita morbi solutio incidat, similis ferè ei
est, quæ in sexta accidat; verùm raRò in his
soluitur, nec cum fide, nec benè, nec per-
fectè; insuper ad hæc obscurè simul, & ci-
tra notas; vnde alterius esse naturæ ipsi cū
supradictis ostenduntur. Propterea hæc *Sect. 3.*
omnia cùm respiceret Hippocrates tertio
Epidemicō, in duodecimo ęgroto sexto die
solutum esse morbum referens, cùm hoc il-
li insuetum videretur, addidisse, quòd die-
bus paribus dolores inualescerent, quòdq;
menses tunc primùm prodierint, & ideo
morbus non repetijt. quasi innuerit die se-
xta iudicationem factam esse, quòd diebus
paribus morbus moueretur, id tamen ra-
rum admodum esse, & quasi miraculi loco
habendum; cùm sextus dies pessimus sit,
malignus, mortemq; afferens, aut certè re-
cidiuam. quòd si quando hoc non euene-
rit, id aliquo superueniente ex accidenti
fieri; quemadmodum in hac virgine conti-
gisse narrat, cui cessata febre menstrua pur-

ga-

gamenta superuenere. Hæc igitur, quæ magni momenti esse videntur, si quis obijciat, sic nos ea putamus diluenda, vt dicamus, animaduertendum esse, non eo consilio nos memoratis locis dierum decretoriorum fecisse mentionem, si propriè dies decretorios intelligamus, qui hodie in acutis obseruantur, vt eadem penitus lege progredi dies, menses, ac tempora partus, qua & in acutis morbis hi dies progrediũtur, demonstraremus; sed tùm auctoritatem ex primo Epidemicon, tùm alias eò attulisse, vt ostenderemus in rerum natura duplicem periodum dari; alterã, quæ paribus diebus, mensibus, & annis; alteram, quæ imparibus iudicia, ac mutationes adducat; quo recepto fundamento non erit fortasse difficile, iam adductam labefactare dubitationem. quandoquidem, etsi Hippocrates libello de Septimestri Partu, de diebus decretorijs agens, volensq;, quemadmodum in morbis dies aliqui sunt, quibus aut terminantur morbi, aut ægri intereunt; ita in grauidis mulieribus determinatos aliquos & dies dari, & menses, in quibus vel partus fit, vel abortus, viuitq; fœtus, aut moritur; proportionem, & consensionem quandam inter dies decretorios, & partus tempora inducere videatur; non tamen id in omni partu locum habere dixit, si de diebus decretorijs strictè acceptis eum velimus intellexisse: inter quos scimus sextum, & octauum, vel non iudicare, vel plerunq; omnino ad perniciem. Quare satis erit, vt Hippocratis sententia in partu imparem periodum sectante, de quo præsertim eo loco agebat, habeat veritatem. Itaq; cùm arguitur, sicut, licèt sextum, & octauum dies esse decretorios concedamus, non tamen sequitur eos benè decernere; ita, licèt octauo mense partum fateamur excludi, nõ propterea sequi, eum esse bonum, ac vitalem; respondemus sextum, & octauum non benè decernere in morbis, qui imparibus diebus accesiones efficiunt, quod in acutis habet veritatem; in quibus dies maximè propriè vocari decretorij, ac tempora proportione illis respondentia, maximè etiam propriè locum habent; secus verò contingere, si morbi per dies pares habeant accessiones; in quibus sextum, & octauum benè decernere rationi est consentaneum, ipsaq; docet experientia.

Superius allata dubitatio plenius redarguitur. nonnulla ad periodum parem confirmandam magni momenti ex Hippocrate adducuntur.
Cap. 69.

HOc autem Galenus in vndecimo capite primi libri de Diebus Decretorijs non obscurè videtur indicasse, præsertim si sequamur vulgatam Guinterij, & Gadaldini interpretationem. Nam periculosis (inquit) symptomatis pręsentibus, vna cum aliqua concoctionis nota quarto die apparente, iudicium, si paribus diebus accesio fiat, sexto expectandum est; quòd si hunc excesserit, octauo: si in imparibus, septimo; bonis signis apparentibus septimo die morbus discutietur; etenim lætalia signa cum notis concoctionis nunquã euenerint. At hìc nõ ne Galenus perspicuè docet, sexto, vel octauo die iudicium fieri, si per pares fiat accessio? non ne si in malum fieri voluit, omnino reprehendendus, quia non dixit? nec meo quidem iudicio difficultatẽ facit, quod subdit, bonis signis apparentibus septimo die morbum discuti, ac dissolui, quasi sexto, vel octauo non dissolui intellexerit; nam, vt series monstrat orationis, cùm præfatus esset generaliter, iudicium fieri posse sexto, & octauo, vel septimo; sciretq; hoc iudicium vel bonum, vel malum esse posse; vel ad salutem, vel ad perniciem: statim adiecit, si bona appareant signa, septima die morbum discuti, scilicet bonum fieri iudicium, vbi nimirum imparibus diebus fiat accessio; quibus, & satis clarè docuit, si eadem bona appareant signa, sexto, vel octauo, si paribus fiat accesio, morbi pariter expectandam esse discussionem: quæ tanquam breuitatis amans tacere voluit, cùm manifestè ex superioribus sequi videret. atq; hoc quidem Galenum sensisse, verba, quæ sequuntur latissimè probant; etenim si lætalia signa cũ notis cõcoctionis nũquã eueniunt; igitur cùm adsunt concoctionis notæ, nil lætale expectandum; igitur & necessariò iudicium ad salutem. at aliqua concoctionis nota si quarto die appareat, accessioq; paribus diebus fiat, iudicium sexto, vel octauo die esse expectandum inquit; igitur ad salutem: neq; enim cum concoctionis nota lætale aliquid stare potest. Nec tamen sibi ipsi Galenus contrarius, cùm tàm crebrò inculcat sextum, & octauum vel non decernere, vel plerunq; ad malum; nam de illa serie dierum decretoriorum loquitur, in qua, cùm imparibus diebus fiat accessio,

sextus, & octauus hanc habent proprietatem; in qua tamen serie, & in quo accessionum genere, si quis in Galeni verba animũ intendat, videbit ipsum apertè concedere, diem sextum non semper ad perniciem iudicare, sed aliquando etiam ad salutem, tametsi cum difficilibus symptomatis, & cum periculo; nam libro memorato antequam ea dixisset, quæ aduersus nostram positionem supra attulimus, sic præfatus erat secundo capite. In sexto iudicantur, sed cum difficilibus symptomatis, & periculo non mediocri. neq; enim idem est Galeno iudicari ad malum, & cum periculo, vt paulò pòst idem declarat. periculosa enim illi iudicatio est, quæ cum symptomatis grauibus accidit, sed tamen cum salute; mala verò, quæ in ægri perniciem omnino desinit. Itaq; cùm dicit in sexto ęgrotos, ac morbos iudicari, sed cum difficilibus symptomatis, & cum periculo, sine vlla dubitatione intelligit de bona iudicatione, quæ vel ipso monente ad sanitatem desinit; ceteroqui ridendus esset, si ad mortem, ac perniciem iudicationem fieri intelligeret, eam cum periculo dicens euenire. quòd si ita subdit loco memorato, de iudicatione sexta die contingente loquens. Ad hæc absq; fide, imperfectè, obscurè, sine notis, & ad perniciem. non hæc quidem subdit, quia velit hasce omnes conditiones semper iudicationem die sexta factam comitari, quasi omnes in perniciem, & ægri mortem finire velit: sed, inter sextam diem, ac septimam comparationem faciens, & inter vtriusq; iudicationem; sexta die iudicationem contingentem illius respectu, quæ septima die euenit, imperfectam esse definit; adeò vt semper aliquam illarum sex conditionum, quas enumerat, eam velit comitari: quare falsum erit ex Galeni mente sextæ diei iudicationem semper mortem afferre. quod non multò pòst sic idem his verbis etiam significauit. Et si rarò interim ad meliora conuersionem in quarto die euenientem sextus excipiens iudicarit, incredibile est quanta cum perturbatione, periculo, & metu hoc fiat, quasi æger statim adeò fato sit functurus. & mox. Mihi equidem frequenter in mentem venit septimi diei naturã Regi assimilare, sexti verò Tyrãno. ille siquidem clementior tanquam bonus aliquis princeps ijs, quos iudicat, vel supplicij partem adimit, vel illustrat victoriã; hic è contrario vel pernicie illius, quem iudicandum accepit, gaudet, vel salutem dolet, quæritq; vbi animum expleat, & malè ægrum, qui in ipsum incidit, tractet, & longa punitione exerceat. At certè si ita iudicat, vt quasi æger mori videatur; igitur iudicat quidem magna cum perturbatione, sed tamen ad ægri salutem: si dolet salutem ægri, igitur iudicatio in eo facta sanum ægrum reddit; itaq; non semper ad perniciem. aliud namq; est dicere sextum decernere ad perniciem, & malè, scilicet malam semper habere iudicationem; aliud, & longè diuersum, septimi respectu longè imperfectiorem habere iudicationem. ex quò & Galenus tandem memorato loco concludit, sextum quidem è crisimorum numero non esse remouendum, ideoq; & iudicare, sed septimi respectu non κακῶς, idest malè; nempè quia, vt antea declarauerat, nosq; ex eo diximus, mala iudicatio in mortem ægri desinit, quam non semper sextus affert; sed ἐπιβόλως, & πονηρῶς, .i. vt rectè Guinterus interpretatus est, dolosè, & prauè. At enimuero hæc omnia rectè considerata, tantum abest vt nostrum dogma infirmum reddant, vt ipsum potius modis omnibus confirment; quinimmò magis etiam concedant, quàm nos postulamus. esto enim diem sextum prauè iudicare septimi respectu, sed tamen non semper ad perniciem, verùm etiam ad salutem; esto mensem octauum in partu iudicando eiusdem esse naturæ; quid aliud hinc habent Aduersarij, nisi imparem periodum longè esse perfectiorem quàm parem? quid aliud quàm septimum, ac nonum lõgè perfectius, longè frequentius ad salutem partus, ac vitam iudicare, quàm octauũ? quid aliud quàm octauo nascentes plerunq; emori? quod nos etiam libentissimè fatemur, qui tertio libro ex Aristotele ostendimus, octomestrem partum multò esse reliquis imperfectiorem. Sed vide quid hinc cogantur isti, velint nolint, nobis præterea concedere; si octauus mensis idem in partu, quod sextus dies in acutis operatur; igitur quia sextus dies etiã in his morbis imparem periodum sectantibus iudicat aliquando ad salutem, & octauus mensis in partu imparem periodum sectante, ad salutem, ac vitam iudicabit; quare & septimestrem, & nonomestrem nobis octauo mense aliquando vitalem dabit, & sic per accidens octomestrem, quod nullo pacto nos concedimus; qui à Præceptore admoniti octomestres tãtùm per se nasci vitales prædicamus. Itaq; cùm argumentamur, sicuti, licèt sextus & octauus sint in nonnullis morbis decretorij, non sequitur tamen statim

Cap. 4.

tim eos benè decernere; ita, etsi octauus in partu iudicet, non tamen propterea sequitur benè iudicare, bonumq; partū producere, ac vitalem; constat argumentationem nil habere virium; palàm est à sextæ diei natura petitam Galeni auctoritate rationem hanc omnino esse nullam: quoniam, vt ex eo supra ostendimus, falsum sit diem sextum semper malè decernere; cùm aliud omnino sit benè, vel malè decernere, quod salutem ægri, vel mortem dicit; aliud prauè, vel dolosè, quod iudicij dicit quidem imperfectionem, sed tamen vitam salutemq; ægri admittit: vt si etiam octauum mensem sextæ diei naturam sequi concedamus, & æmulari, non tamen hinc sequatur, non posse octauum mensem vitalem nobis partum dare; non secus ac sextus dies bonam affert iudicationem, & ad ægri salutem: quod vel ipsa Galeni verba aduersus nostrā positionem supra allata docet apertissimè; ita enim habent. Sextum quidem frequenter & ipsum, sed non septimo similiter; nā & pauciores ipsum iudicare, & solutionis modo plurimum differre. neq; enim bonas, salubresq; ipsas esse, verùm malitiosas plurimum; neq; si bonas solutiones, omnino & perfectas. At enimuero si die sexta factæ iudicationes malæ vt plurimùm, ergo non semper malæ; ergo & bonæ aliquādo; quod Galenus apertè fatetur, dicens. neq; si bonas solutiones, omnino & perfectas. & si idem de octauo mense iudicium, ergo non semper partus in eo non vitales, sed vitales aliquando; quod tamen Aduersarij negant posse euenire. Neq; obstat si dicamus, si bona solutio est octauo mense facta, si bonus partus, & vitalis, tamen esse imperfectum; quia solutio diei sextę, tametsi bona est, fit tamen Galeno admonente imperfecta; nam imperfectiores esse partus octomestres quàm alios, nos quoq; fatemur. Quòd si in ea serie dierum decretoriorum, in qua tamen imparibus diebus fiat accessio, imparq; periodus vigeat, ideoq; sextus, & octauus iudicent plerunq; ad perniciem, vel si ad bonum, saltem imperfectè, atq;, vt dicebat Galenus, prauè, & dolosè; hi tamen ijdem dies, vel ipso concedente, iudicant aliquando ad salutem; quid dicemus in altera dierum crisimorum serie in ijsdem saltem genere acutis sextum, & octauum efficere, in qua, cùm paribus diebus fiat accessio, periodus par habet imperiū? certè sine vlla dubitatione fatendum erit, sextum & octauum in huiusmodi talibus, secus quàm in alia serie contingebat, & iudicare plerunq; ad salutem, & perfectè, non prauè, aut dolosè; adeò vt nulla illarū conditionum, quæ diei sexto septimi respectu Galenus tribuebat, illis cōueniat; sed potius in talibus septima dies sexti subeat naturam, ac recipiat; non secus ac tertio libro septimum mensem, ac nonum octomestri per se perniciem afferre, si in illis eius partus contingat, dicebamus. Hoc vt significaret Hippocrates quarto Epidemìcon sic notatum reliquit. In his temporibus sexta, & octaua iudicabantur. quibus verbis bonas perfectasq; per eas dies contigisse solutiones intellexit. nam & propterea famulā Textoris sexta die sudasse subdidit, & esse iudicatam. Quòd si ijdem ipsi acuti morbi, qui & diebus imparibus iudicari sua natura exposcunt, & sexto, siue octauo iudicari vel ad malum, vel imperfectè; aliquando tamen & per dies pares iudicium admittunt, & iudicium ad salutem, & die sexta, vel octaua ad salutem iudicari; quid de partu octomestri parem periodum expostulante, & natura à partu, qui imparem sequitur, valde diuerso, dicemus euenire? certè omnis ratio suadere videtur, vt fateamur octauum mensem in eo benè decernere oportere. Quod autem ex tertio Epidemicō de Larissa Virgine, in duodecimi ęgroti enarratione nobis obijcitur; vbi ægrotum die sexto iudicatum quidem narrare Hippocratem, dicere aliquem posse ponebamus, sed miraculi loco, & potius ex accidenti aliquo superueniente; quia scilicet cessata febre menstrua purgamenta Virgini aduenerint; huius certè rei iudicem alium nullum quàm eundem Hippocratem volo; qui cùm enarrasset, Virginem sexta benè iudicatam, ita concludit, causam adducens. Huic non fuit recidiua, sed iudicata est. dolores paribus. quæ verba sic in Commentarijs eruditissimus Valesius explicat. Sed quî fieri potuit, vti die omnium pessimo, sexto inquam iudicaretur, & nulla successerit recidiua? cùm nisi diebus imparibus febris reliquerit, soleat recidiuare, vt in Aphorismo dicitur? ipsemet Hippocrates respondet, quia dolores diebus paribus. Nam, vt dicebatur primo Epidemicon, quæ paribus mouentur, paribus iudicantur. Quid clarius? non rarum admodum, non miraculi loco habendum, quòd sextus in hac Virgine benè iudicauerit, inquit Hippocrates; non quia menstrua superuenerint, vel aliud aliquod accidens, sextum iudicasse dicit, sed rationem adducit naturalem; quia

Sect. 3.

quia scilicet dolores paribus fierent diebus; nimirum quia humores sua natura tales essent, vt per pares accessiones haberent, quemadmodum Valesius doctissimè explicat, & eiusdem confirmat ex primo Epidemicon auctoritate. proinde, quod maximè animaduerti cupio, non imperfectá, infidam, periculosam, obscuram, sine signis sexta die iudicationem factam dicit; sed contrarias omnino habuisse notas, satis clarè innuit, fidam fuisse interim apertè dicens; nempè quia & diebus paribus fieret accessio, vt paulò supra dicebamus, & periodum parem sua natura humores admitterent; quod quidem ea omnia, quæ supra attulimus, mirificè comprobat. Itaq; rarum admodum, & præter naturam arbitrandum, quòd sextus in humoribus, qui imparibus diebus mouentur & periodo pari, benè iudicet, quod tamen aliquando euenire posse Galenus non diffitetur; non secus ac si octauus in materia imparem periodum sectante vitalem partum daret; sed non rarum admodum, nec habendum miraculi loco, nec præter naturam, quòd in humoribus, qui mouentur per pares, paremq; periodum affectant, sextus, vel octauus decernant ad salutem; sicuti neq; præter naturam, nec rarum admodum, nec miraculosum, quòd in materia parem periodum amante, octauus mensis, vitalem habeat partum, ac naturalem. & sicuti humores, & acuti morbi vt plurimùm imparibus mouentur, rarius paribus; ex quò & primo modo sextus, & octauus decernunt ad perniciem, & frequentius; & si benè decernerent, esset præter naturam: ita & materia, ex qua humanus formatur partus, vt plurimùm impari periodo mouetur, rarius pari; proindeq; primo modo octauus mensis gestationis tempus ad malum iudicat, & frequentius; & si ad bonum iudicaret, id præter naturam esset; secundo ad bonum, & rarius; & si ad malum iudicaret, eueniret omnino præter naturam. itaq; prorsus firma quæ de octauo mense, ac pari periodo sunt dicta.

Obscurissimus quidam locus Hippocratis explicatur.
Cap. 70.

HAec igitur de pari, impariq; periodo; quibus innixi (vt huiusmodi disputatio pulcherrima contemplatione concludatur) Hippocraticæ illius sententiæ veram fortasse mentem elicimus, miris certè tenebris circumfusæ; in qua, vt supra dicebamus, secundo Epidemion ipse inquit, quicunq; moriuntur necesse esse mori γονίμῳ ἡμέρῃ, καὶ γονίμῳ μηνὶ, καὶ γονίμῳ ἔτει. interpretantur passim, impari die, mense, & anno. ex quò & Valesius in Commētarijs dies crisimos, menses, annosq; climatericos censet esse intelligendos, qui impari periodo progrediuntur. Cui sanè interpretationi Hesychius, Erotianusq; adstipulātur, arbitrantes idem γόνιμον diem esse apud Hippocratem, quod & imparem; demum quod decretorium; cùm ferè impares dies decretorij existant, vt inquit Erotianus. At nos sicuti non improbamus tantorum hominum opinionem, ita nec eam vehementer probandam esse arbitramur. nam principiò nō omnes die, mense, & anno impari obeunt: at Hippocrates necesse esse ita fieri scribit: itaq; sic vult semper euenire. Deinde (vt alia interim prætermittam) ratio ipsa suadet, diuinumq; Hippocratis ingenium, & in scribendo artificium, non sine magna causa ipsum tritissimis, consuetisq; etiam apud eum vocibus omissis, scilicet ἄρτιον & περιττὸν, ad dies, menses, & annos pares, vel impares exprimendos, vt præsertim primo Epidem. constat; hac altera, γονίμῳ scilicet, hoc loco esse vsum. Arbitror igitur ego hac voce vtranq; periodum significare nobis ipsum voluisse, parem scilicet & imparem; ideoq; rectissimè addidisse, quicunq; obeunt, necesse esse, vt γονίμῳ die, mense, & anno moriantur: γονίμῳ inquam illis, quia ex temperamento pendeat naturæ illorum; adeò vt alij paribus, alij imparibus, sed omnes tamen γονίμῳ die, mense, & anno vitam finiant, prout illorū temperamentum expostulabit. Hinc rectissimè Valesius hanc vocem, γονίμῳ, nō tàm impari, quàm legitimo duxit esse interpretandam. Hinc Ferdinandus Mena vir vndecunq; doctissimus in Commentarijs super libello de Partu Septimestri, γόνιμον diē non tàm imparem significare, quàm præstātem annotauit: cùm enim γόνος, vt libro octauo ex Aristotele docebimus, idem significet interdum, quod fœtura, & materia, ex qua animal formatur; ad cuius tēperamenti pensum dies, menses, & anni pares, vel impares, periodusq; par, vel impar à natura animali impartitur, in quibus suas efficiat mutationes; quod & Plato in Timæo pulchrè significauit, cùm dixit, animalis compositionem ab ipso generationis exordio certis temporum curriculis terminari; pulchrè Hippocrates, vt ambas periodos complecteretur à materiæ tempera-

Sect. 6.

Sect. 3.

Com. 16.

mento

mento nascentes, ea voce vti voluit, quæ ab ipsa originem ducens, vtrãq; periodum exprimere posset; quasi dicere vellet, quicũq; moriuntur, cunctos die, mense, & anno γονίμω intermori, idest, qui materiæ temperamento respondentes, vim producendi habent, adducendiq; fœturæ, ac materiæ suas mutationes, ac proinde mortem; ideoq; verè merentur dici præstantes. Atq; hinc fortasse elucet, quid primo de Diæta γονίμων ἡλικιῶν nomine, dixeris ætatum, in quibus hominis vita suas recipit mutationes, veniat apud Hippocratem intelligendum. Indicauit enim annos climatericos, & iudicatorios materiæ illius; vt nil sit mirũ, si vnus annus vni, sit climatericus alter alteri, cuiq; τῶ γονίμος. Verùm obiecerit aliquis, si hæc proprietas, vt supra diximus, specifica est, quo modo indiuidualis esse potest? & pro indiuiduorum temperamento recipere varietatem? respondeo, speciem humanã hac in re latitudinem habere quandam, vt suo loco tetigimus, & vtranq; periodum admittere, parem scilicet, & imparem; sed quòd harum altera tãtùm locum habeat, ex indiuiduali fieri temperamento; licèt quæ periodus per septenarios, imparesq; numeros progreditur, sit efficacior, nobilior, & excellentior; vt soli dies impari periodo confecti ob id meruerint per excellentiam vocari indicatorij: ex quò & climaterici impares longè habentur potentiores. Sed satis modò cur dies septimi, menses, & anni, cur dierum quadragenarij tantum possint, disputatum sit (de quorum omnium potestate cùm plura Ferdinandus Mena super libello de Septimestri Partu dissereret, dicẽs rationem hanc, quæ septenarios, quadragenariosq; extollit, ceu diuinã quandã vim adeptos in fœtibus indicandis, eatenus à se amplecti quatenus illis explicat tempus statutum natura cuiq; actioni consumandę; quasi censuerit horum virtutis nullam naturalẽ rationem, sed solam experientiam afferri posse; an aliquid suo dignum protulerit ingenio, aliorum sit iudicium) satis monstratum, eadem, pariq; de causa annos, menses, & dies, quemadmodum diuinus dixit Hippocrates, decernendi habere in morbis & fœtibus potestatem; demum his de rebus obscurissimis, quas ante nos nullus ferè, nisi ad occultos cõfugiẽs astrorum influxus, tentauit explicare, dictum satis videatur: vt facilè culpam deprecari valeamus, si in tantis tractandis difficultatibus, nos aliquando scopum non attigisse, literatis viris videri possit. Iam nunc, cùm nullam partui octomestri periodi tùm Cœlestis, tùm propriæ humani fœtus ratione noxam imminere probatum sit; quid verè Hippocrates de illo senserit, inuestigandum aggrediamur, loca ab aduersarijs adducta expendentes; quod opportunè efficiemus, vbi antea pleraq; de septimestribus, ac decimestribus ab Hippocrate dicta, quæ apud eum in maximis adhuc tenebris delitescunt, atq; ad veram ipsius de natura partus octomestris sententiam assequendam cognitu sunt omnino necessaria, ex tãtis vmbraculis in Solem, ac puluerem perduxerimus: quod quidem pro virili sequẽti libro agere tentabimus.

Com. 19.

FINIS SEXTI LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA LIBER SEPTIMVS.

De septimestribus proponitur disputatio, & qua de causa. ac primùm proponitur indagandum, quo sensu dictum illud Hippocratis obscurissimum de computatione spatij septimestris veniat intelligendum. Galeni adducitur interpretatio.

Cap. I.

DIERVM crisimorum causa, & natura satis superq; præcedenti libro explicata est, & quam habeat cum tẽporibus humani partus societatem demonstratum. item & de causis maturitatis eiusdem Cœlestis periodi ratione plenè disputatum est; abundèq; ostensum, octauum mensem, quantùm est huius periodi respectu, partionem habere naturalem: duplicẽq; periodum, parem, & imparem naturam admittere: licèt impar ob septenarij vim communior efficaciorq; esse videatur. demumq; cur septenario dierum, mensium, & annorum numero in rebus naturæ moderãdis vis tanta insit, vberrimè expositũ. quibus ita cognitis facile modò erit verã omnium Hippocratis locorum, quæ præcedentis libri initio attulimus, sententiam attingere, quemadmodum sequenti libro demõstrabimus; ità vt nulla ratione ijs, quæ de octomestribus scribimus, aduersari videantur. hoc enim in libro, de Octomestri Partu ex Hippocrate in sequentibus dicturi, eiusdem exemplo de septimestribus, decimestribus, & vndecimestribus, sed de septimestribus præsertim aliqua prius veniunt disputanda; cùm octomestris natura planius tùm intelligatur, vbi horum partuum, sed potissimum septimestris natura cognita fuerit: immò & fortasse nisi horum præmissa cognitione ex Hippocrate cognosci non queat. quã in re illud primò nobis occurrit ventilandum, quod primis statim verbis Opusculi de Septimestri Partu ab Hippocrate traditum videmus de septimestris spatij, videlicet de dierum 182. cum hor. 15. computatione: in quibus enumerandis diebus de mense primo dies 15. accipiendos esse statuere Hippocrates videtur, de septimo dies 20. quam sentẽtiam & maximè obscuram, & summè controuersam inuenio, & variè explicatã à doctis viris; eaq; ignorata & mensium initia vnde auspicanda sint in partus gestatione computanda, an firma, vel mobilia existant (quod plerosq; mirificè torsit) ignorare oportet, ac omnia proinde alia, quæ ad negocium pertinent humani partus, & præsertim octomestris; vt necesse omnino sit primùm in huius loci explicatione elaborare: licèt rem summè grauem, atq; difficilem experiendam mihi esse videam, & in qua ferè (vt verum fatear) adhuc valde anceps animi pẽdeo; cùm nihil ad hãc vsq; diem apud alios legere potuerim, quod intellectum quietum plenè reddat, tantæq; rei exitum aperiat: verùm satis erit studiosorum ingenia promouere. Primùm igitur aliorum explicationes in medio ponã, quid in ipsis mihi negocium faciat liberè dicẽs; deinde afferam meam opinionem. Inter latina Claudij Galeni opera extat fragmentum Commentariorum ipsi Galeno adscriptum in initium tantùm libelli de Septimestri Partu; quod tamen fragmentum in Basiliensi græco meo codice non extat. In hoc igitur Commentario sic locum hunc inuenio explicatum. Sed amabò primùm verba Hippocratis ipsa in mediũ adducamus, quæ ità habent iuxta Cornarij conuersionem. Septimestres autem nascuntur centum & octoginta duobus diebus ac dimidio, & insuper accedente diei particula. si enim primi mensis dies quindecim supputaueris, deinde quinq; mensium dies centum quadraginta septem & dimidium (in vndesexaginta enim diebus quàm proximè duo menses perficiuntur) his igitur sic habentibus ad septimum mensem supersunt dies plures quàm viginti: & est tota summa dimidij anni vna cum aliquantula diei parte. Hæc Hippocrates; quo loco, vt cum eo ipso gręcè loquente conueniremus, verba illa. ad septimum mensem supersunt dies plures quàm viginti, sine negatione legimus; cùm alioqui Cornarius sic ea transtulerit. supersunt dies non plures quàm viginti. à vulgata

gata græca lectione omnino recedens, quæ non habet negationem, vt cuiq; palàm est vel mediocriter græcam linguam profitẽti. quanquam non me præterit Ferdinandum Mena à Cornario receptã lectionem in Cõmentarijs super libello de Septimestri Partu magis approbare. Huiusmodi locũ Galenus enarrans, præfatur primùm se deprehendisse, plerasq; mulieres inter medium terminum centum nonaginta & ducentorũ dierum fœtum gestasse; celerius, aut tardius paucas, ante centesimum, & octogesimũ secũdum diem, & quindecim horas, vel post quartum supra ducentesimum nullas. vt septimestris fœtus editionis primus terminus dimidium esse anni reperiatur, quemadmodum docet Hippocrates, quod tempus 182 die expletur, & 15. horis; postremus editionis terminus dies 204. quo expleto tempore ab vna sola muliere partum editum se nouisse Galenus scribit. Item præfatur mensem hoc loco ab Hippocrate spatium nominari, quod ab vno Lunæ coitu cum Sole vsq; ad alterum intercedit; dicens dubitatum iam pridem ab eo fuisse secundo Epidemion, vtrum nouem græcanici menses ducentis & septuaginta diebus expleantur; eò quòd, si quis tricenis constare eos existimet, exactè ad dierũ rationẽ nonomestres partus non respondeant: in tractatione verò de Septimestri Partu exquisitè inuentum ac definitum, menstruum spatium diebus 29. cum dimidio compleri.

Com. 1.

Galeni opinio fusius explicatur. Cap. 2.

His positis in hanc sententiam Galenus verba interpretatur. Quòd Hippocrates dicat, in septimestris temporis cõputatione menses, qui inter primum & septimum intercedunt, integros esse numerandos; primum verò & septimum deficientes; verùm non ita deficientes, vt amplior eis desit quàm pars dimidia: quin potius hac ipsa parte tempus illorum maius euadere oportere. ex quò & infra ita scribit. Sed sicut dixi, neq; in minori tempore quàm dimidio anno fieri septimestrem partum fecundum vult; neq; in minori quàm dimidij mensis spatio vel primi, vel septimi gestare vterum mulierem censet, si perfectus oriturus infans sit. quo ex loco interim colligamus, dimidiam mensis partem ad perfectionem fœtus ex Auctoris huius sententia esse necessariam; quod in vtroq; mense, in primo scilicet, & septimo, habere locum Auctorem existimasse, infra admonebimus; tametsi hîc non de vtroq; simul, sed de illorum altero tantùm id pronunciare videatur, dicens non in minori quàm in dimidij mẽsis spatio vel primi, vel septimi gestari fœtum oportere, vt perfectus oriatur. Quòd verò primi, vel septimi mensis pars maior quàm dimidia, viginti scilicet dierum, esse debeat, hac probat ratione, quoniam ex Hippocratis decretò antè dimidium anni, idest ante dies 182. & 15 horas, vel circiter, nasci fœcundus partus nullo modo queat; tametsi, quantùm ad Græcanicos menses attinet, in minori tempore quàm dimidio anno oriri septimestris infans posset. cùm enim dimidium mensis dierũm sit 14. cum dimidio, & quarta insuper diei parte; si sexdecim diebus primi mẽsis fœtum gestarit mulier, & post quinq; menses medios, quos dies 147. cum dimidio complent, die insuper 16. septimi mensis partum ediderit; clarum est, fœtum esse septimestrem, quia maiorem primi, ac septimi mensis partem capiat; sed tamen non esse vitalem, quia vniuersum tempus dierũ sit 179. cum dimidio, quod vitale nequaquam esse Hippocrates existimauit, nõ dierum 182. hor 15. quod ad vitam, perfectionemq; partus putauit necessarium. ex quibus perspicuum est, licèt Auctor clarè id non explicet, si de primo mense dies sumũtur 15. de septimo necessariò, vt vitalis partus exeat, nõ pauciores quàm 20. cum dimidio & parte diei accedente esse capiendos; nempè vt summa dierum 182. hor. 15. expleatur. quare ex Auctoris huius sententia, quòd non minor pars dimidia primi, & septimi sumatur, hoc erit ob fœtus perfectionẽ necessariũ; quòd primi ac septimi capiatur maior, necessarium erit ob expletionem dimidij anni: quod quidem interuallum ad vitam pariter fœtus, ac perfectionem est necessarium. Rursus quòd tardius ducentis & quatuor diebus nasci vitæ compos partus non possit, sic ostendit. Si enim (inquit) centum diebus & sexaginta septem, & dimidio nouem & viginti addideris, omnes efficientur centum nonaginta sex cum dimidio. Faciamus autem viginti nouem dies primi mensis esse, ex quò conceptus fœtus est; quinq; verò sequentium mensium centum quadraginta septem & dimidium; septimi viginti nouem; vt vtriq; non integri menses quàm longissimum terminum habeant: si omnes coniungantur; vniuersum tempus ducentorum, & quinq; dierum & dimidij euadet. fœtum hunc nõ esse

» esse vitalem vult. Hæc ille; quo loco, vt dicamus ista ipsa obscura planius quàm dicũtur ab illo; si ex me sciscitaris, cur fœtum hunc dierum 205. cum dimidio vitalem nõ esse Hippocratem censuisse ipse scribat; responderem ego, si diuinare liceat, totum id sexti quadragenarij respectu Auctorem hũc pronunciasse. esto enim, fœtum, qui primos vix ipsius dies tangat, ad quartum videlicet vsq;, vitæ compotem oriri posse; si tamen plures adhuc de ipso dies accipiat, iam quintum, & sextum attingens; rationi consentaneum est nullo modo vitalem prodire in lucem; vt qui iam quadragenarij huius vim, ac malignitatem efficacius sentiat. hac ego de causa crediderim Galenum superioribus verbis pronunciasse, fœtum ducentesimo quinto die cum dimidio editum de Hippocratis mente nõ esse vitalem: tametsi non me præterit ipsius locum hunc à Lalamantio docto viro corruptum iudicari; vt illius veram sententiam omnino credat esse desperandam. atq; cum hęc per me ipsum ego cogitassem, in hunc eundem postea sẽsum huiusmodi Galeni verba doctissimos viros Ferdinandum Mena super libello de Septimestri Partu, Ludouicum Mercatum libro quarto de Mulierum Affectionibus accepisse inueniens, mirificè lætatus sum. siquidem ita Mercatus verba etiam nõ tantùm sententiam à Ferdinando sumens scriptum reliquit. Rursus tres decades septimanarum, vt de Hippocratis mente libro de Carnibus retulimus, quod erat aliud dubium, ducentos decemq; dies habent; in eisq; quatenus sexti quadragenarij minimum capiunt, absolui poterit septimestris partus: quare ducentos & quatuor dies attinget (quod experimenta Galeni attestantur) nil amplius, aut rarisimè. quanquam, vt liberè dicam quod sentio, nullo modo inter Hippocratem, & Galenum litem componunt; cùm ipse Galenus partum dierum 205. cum dimidio non esse vitalem scribat, Hippocrates verò libello de Principijs dierum 210. partum vitalissimum esse censeat, vt infra, ac libro octauo clarius explicabimus. quo loco istorum interpretatio admitti nequit, quæ ante illos Gorrei fuit, dum videntur innuere, Hippocratem tres decadas septimanarum loco dierũ 204. vsurpasse; vt partus ducentos, & quatuor dies attingens circiter, tertia septimanarũ decade ortus ab eo dicatur. Hippocrates enim exactum numerum ad hebdomadas, decadasq; hebdomadarum partum dierum 210. seruare scripsit; & quia illum seruat,

Com. I. Cap. I.

esse maximè vitalem: vt omnino oriri die ducentesima decima illum voluerit, & quia hoc tempore oriatur, esse vitalissimum; vt eodem octauo libro fusius dicemus. Demũ si roges, cur addiderit Hippocrates, ad septimum mensem dies superesse plures quàm viginti; respondet Auctor, id propterea dictum ab eo esse, quia ad dimidij anni expletionem, si primi mensis, & quinq; sequentium dies colligantur 162. cum dimidio, viginti adhuc dies cum octaua vnius diei parte ex septimo supersunt: quod significauit Hippocrates, cùm dixit; parte diei parti accedente. dimidium enim anni, vt huic Auctori placet, 182. diebus, & horis 15. constat.

Galeni interpretatio confutatur. Cap. 3.

HAec est Galeni interpretatio, à qua quidem vt recedam, multa sunt, quæ suadent. Primùm esto vt illi cõcedamus, quod sua periclitatione expertus est de fœtus in vtero gestatione; videlicet nullam ab eo mulierem inuentã esse, quæ post diem 204. partum ediderit vitalem; quod tamen addit, limitem hunc pertransiri non posse, hoc omnino putamus reijciendum; argumento sumpto ex ipsomet Hippocrate ad finem Opusculi de Principijs, vbi partus 210. dierum & septimestres esse, & perfectissimos decernit; proindeq;, vt supra dicebamus, maximè vitales. hoc idemq; statuit in libro de Alimento, & sexto Epidem: cui quidem partui, quos de sexto quadragenario dies capere videtur, nihil officere, libro octauo abundè probabimus. Secundò quæ de mensibus tricenarijs adijciuntur, non recipimus; cùm plerisq; in locis Hippocratem (quod nunc concedi nobis postulamus) hanc tricenũm mensium rationem vel maximè secutum esse, pluribus infra simus ostensuri. quod quidem falsum esse demonstrabit, dubitatum ab eo esse secundo Epidemion, an nouem Græcanici menses diebus 270. expleantur; falsum, in Opusculo de Septimestri Partu definitum, menses tricenarios esse reijciendos. cur autem mensem potius dierum 29. cum dimidio, quàm dierum 30. accipiat hoc loco, infra dicam. Tertiò, quod pertinet ad verborum explicationem, nullam mihi illud videtur habere firmitatem, quod Auctor scribit, in septimestris partus computatione primum, & septimum mensem de Hippocratis sententia deficientes esse sumendos,

ſed tamen ita deficientes, vt dimidiam eorum partem omnino ſuperent: ſiquidem Senex ſapientiſsimus nullam ſuis verbis imponit neceſsitatem conditionem ipſam apponens, & exempli gratia loquens, inquit enim. Si primi menſis dies quindecim ſupputaueris. itaq; non iubet de primo menſe dies quindecim perpetuò, ac neceſſariò eſſe accipiendos; ſed tantùm, ſi accipiamus, ad ſeptimum menſem dies etiam plures ſupereſſe quàm viginti. quod qua de cauſa ab eo dictum ſit, infra Deo concedente conabor aperire. Verum igitur eſt de primo, vel ſeptimo menſe partem plus quàm dimidiatam eſſe ſumendam; ita vt non in minori quàm dimidij menſis ſpatio vel primi, vel ſeptimi geſtare vterum mulier debeat, ſi perfectus oriturus infans ſit: falſum omnino eſt, primi, & ſeptimi menſis ſimul partẽ dimidiam, vel maiorem fœtum geſtari oportere, vt vitalis partus oriatur. atqui dicebat Auctor. Dimidium enim menſis dierum eſt quatuordecim cũ dimidio, & quarta inſuper diei parte; quocirca patet hoc numero, & primi menſis, & vltimi tempus maius euadere oportere. ex quibus verbis (quod nobis admonendum eſſe ſupra dicebamus) clariſsimè colligimus, de Auctoris huius ſententia partem dimidia maiorem tàm primi quàm ſeptimi, vel certè non minorem ad fœtus perfectionem eſſe neceſſariam; nempè quia, vt poſtea Ferdinandus, & Mercatus expoſuerunt, cùm breuiſsimo tempore geſtetur hic fœtus, neceſſe illi ſit, vt tàm breui ſpatio perfici queat ac eluceſcere, primi ac ſeptimi partem dimidia maiorem in vtero commorari. At enimuero ſi prima menſis die concipiatur infans, is ex Hippocratis decreto poſt diem 182. cum dimidio, & aliquantula diei particula vitalis egredietur, videlicet anni dimidio; quod tempus ſex Lunares mẽſes explet cum diebus quinq; & horis 15. Solares verò menſes ſex cum horis totidem; tricenarios demum menſes ſex cum diebus duobus, & hor. 15. itaq; non ſemper requiritur pars dimidia, vel maior menſis ſeptimi, vt infans vitalis prodeat: cùm die ſexta ſeptimi Lunaris mẽſis, die tertia tricenarij, ſi conceptio die prima primi menſis facta ſit, vitalis infans venire in lucem poſsit. Sic etiam ſi vltimis primi menſis diebus conceptio fiat, totus ſeptimus capiendus erit. ex quò nec ſemper dimidia pars, vel maior primi menſis eſt neceſſaria. Hippocrates enim neceſſariò dimidium anni, ſcilicet dies 182. cum horis 15. vt fœtus in lucem perfectus veniat, ac vita potiatur, non ſeptimi ac primi menſis dimidiam partem, vel maiorem à conceptu ad partum requirit; hunc verò tanto tempore natum, ſeptimeſtrem dici poſſe & eſſe contendit, idq; probare vult, vt infra dicã: qui profectò de ſeptimeſtri fœtu agens, non ſine magna cauſa hoc exemplo vſus eſt, vt inferius etiam patebit. itaq; quòd nõ minor primi, ac ſeptimi menſis pars, immò quòd maior vtriuſq; menſis pars ad perfectionem vitamq; partus ſeptimeſtris ſit ex Hippocratis ſententia, vt putat Auctor, neceſſaria, falſum omnino arbitramur; quemadmodum fuſius infra aduerſus Mercatum, & Ferdinandum demonſtrabimus. Poſtremò, cùm dicat manifeſtè Hippocrates, ad ſeptimum mẽſem ſupereſſe dies plures quã viginti, ſatis clarum eſt, menſis ſeptimi ratione ipſum id totum pronunciaſſe, non vt dimidij anni expletionem notare vellet; cęteroqui dixiſſet, ex ſeptimo menſe ad dimidium annum explendum dies amplius quàm 20. eſſe computandos. at contrarium omnino ſcribit, nimirum ad ſeptimum menſem conficiẽdum dies plures quàm 20. ex dimidio anno ſupereſſe adijciendos. Verum hactenus de Galeno; nunc aliorum enarrationes diſcutiamus.

Cardani explicatio affertur.
Cap. 4.

CArdanus vir ſubtiliſsimus in Commentarijs ſuis ſuper hoc Opuſculo, cùm accepiſſet, Lunam redire ad coniunctionem æqualem cum Sole in diebus 29 horis 13 & tertia propemodum parte; idcircò quinq; menſes integros diebus cõcludi 147. & horis propemodum 19. duoſq; Lunares menſes conſtare diebus 59. horis duabus cum beſſe; item à coniunctione ad oppoſitionẽ dies eſſe 14. hor. 18. cum beſſe; demum ſextum menſem die 162. cum dimidio concludi. cùm inquam, hæc præfatus eſſet, ſic verba interpretatur. At verò (inquit) quid ſibi voluit, cùm dixit hoc? ſignificare voluit, quòd ex ſeptimo menſe includebãtur in dimidio anni dies 20. & vltra particula diei; ſiquidem anni dimidium conſtitutum eſt dierum 182. horarum 15. cum deunce: tempus conflatum è primo menſe imperfecto, & quinq; perfectis, inſuper additis diebus 20. eſt dierum 182. cum dimidio, & hora cum triente; igitur anni dimidium eſt maius illo aggregato hora cum dimidio; nã horę 15. cum deunce ſuperant hor. 13. cum triente in hora vna cum dimidia. liquet ergo,

» go, quòd si finis primi mensis fuit plenilu-
» nium, quòd in 20. diebus etiam solis, idest
» sine illa particula, necesse est fieri nouilu-
» nium; igitur in dimidio anni inchoato à die
» nouilunij, vel etiam per quinq; dies ante
» erunt septem nouilunia; igitur septem mē-
» ses. ergo poterit oriri ratione perfectionis,
» & ratione mensis imparis, & etiam quadra-
» genariæ; dies enim 182. sunt in quinta qua-
» dragenaria, quæ à sexagesima die supra cē-
» tesimum incipit. ergo omnino vitalis erit
» fętus quoad omnem rationem perfectionis,
» motus, & roboris. Hæc ille; quibus (vt claret) cum superius enarrata consentiens explicatione videtur velle, Hippocratem totum illud, quod de diebus 20. scripsit, habita dimidij anni ratione pronunciasse; videlicet vt ostenderet, ad anni dimidium integrandum ex septimo dies tot superesse numerandos. Vnde & Cornarium reprehendit, quòd transtulerit, ad mensem septimum dies viginti superesse; cùm alioquin expleto, vt ipse inquit, sexto mense in centesimo sexagesimo secundo die cum dimidio, & decima octaua diei parte, ex septimo hi dies superesse dici debeant, non ad septimum. Alium etiam sensum affert Cardanus verborum Hippocratis; nempè vt dicat hoc tempus ex tribus conflatū, scilicet ex primo mense imperfecto, & quinq; absolutis intermedijs, & ex septimo itidē imperfecto, æquale esse anni dimidio, nisi quantum anni dimidium huiusmodi tempus superat modica diei particula; quæ nulla ob id sit digna consideratione, vt pro dimidio anni sumi omnino debeat. Nec miretur aliquis, nos ex Cardani mente paulò supra asseruisse, sextum mensem die 162. cum dimidio concludi; siquidem ipse sex primos menses dierum esse totidem ex Hippocratis sententia arbitratus est: quod his verbis a-
» pertè significauit. Ostendit ergo menses
» quinq; medios quot dierum sint, quia illos
» necesse est esse perfectos. At de primo (cùm
» omni mense necessarium sit, vt Luna coeat
» cum Sole, & ei opponatur, hoc autem fiat,
» vt demonstratum est, in diebus 14. horis 18.
» cum besse) continget, vt si mulier concipi-
» at ipsa die coitus, aut oppositionis, sed ve-
» rius coniunctionis, vt post dicam, vt primus
» mensis sit absolutus in eo tempore; quare
» sex primi menses erunt dierum 162. hor. 13
» aut paulò plus; quod est dierum 162. cum
» dimidio, & hora cum triente. Patet autem ex his, Cardanum ex primo mense dies 15. computare, deinde quinq; sequentes integros accipere, qui diebus 147. cum dimidio integrantur, ita vt tota summa dierum sit 162. cum dimidio; idcircòq; sex primos menses diebus totidem expleri velle. Quo loco quod inquit, si concipiat mulier coniunctionis die, euenire vt primus mensis sit absolutus in eo tempore, scilicet diebus 14. hor. 18. (nam hoc tempus paulò supra ab eo explicatum fuit) seu, vt verius dicā, diebus 15. ideoq; sex primos menses dierū esse 162. horarum 13. nullo pacto veritatem habere potest; eò quòd luce meridiana clarius sit, si coniunctionis die conceptus fiat mensem primum dierum esse 29. oportere, neq; diebus 15. absolui posse; quia cum ipsa coniunctione iuxta Græcorum computationem mensis incipiat. propterea fit vt credam, corruptum locum esse, & coniunctionis loco, omnino oppositionis esse legendum: siquidem si oppositionis die conceptus fiat, primum mēsem diebus 15. perfici, omnibus arbitror esse compertissimū, similemq; sentētiam, quòd scilicet dies 162. sextum expleant mensem, Contradicentium Medicorum libro primo ab ipso Cardano clarius etiam his verbis habemus explicatam. Quo modo igitur (inquit) hi men- »
ses, si septem fuerint, numerum 182. die- »
rum perficient, idest medietatis anni, sic »
intellige. sex menses, vt dictum est, dies »
162. explent, eò quòd mensis dicitur, quo- »
ties Luna congreditur Soli, & illi etiam op- »
ponitur; hoc autem in 15. diebus accidere »
potest. Reliqui autem quinq; menses re- »
quirunt dies 29. & medium; quare in 162. »
diebus erunt sex coniunctiones, & totidem »
oppositiones luminarium; quare erunt sex »
menses. Quicquid igitur superest ad dimi- »
dium anni, & est tempus dierum 20. cum »
dimidio, & tribus horis, totum illud de se- »
ptimo mense est. Quæ autem paulò post a- »
diungit, quibus probare nititur, die 163. vitalem partum ex Hippocratis sententia oriri posse; quæ aliquo modo ad huius loci explicationem facere videntur, infra ponderabimus.

Tract. 3. Contrad. 8.

Cardani reijcitur interpretatio. Mercati, ac Ferdinandi Mena opinio affertur, & confutatur. Cap. 5.

HAec est igitur Cardani explicatio, quæ vtrum animum impleat, lectores iudicabunt. mihi certè in nulla re satisfacere, audacter dicere non reformidabo; cùm eadem incommoda ipsum vrgeant, quæ Galeno negocium facessebant. Hippocrates namq; ad septimum mensem dies superesse

20. scripsit; habet enim græcum exemplar. » ἐς τὸν ἕβδομον μῆνα, idest ad septimum men- » sem. ita vt dimidium anni septimestre appellari spatium & esse, ostendere velit; non ex septimo mense dies esse viginti computandos ad dimidij anni summam integrandam. itaq; perperam interpretationẽ hanc Cardanus reprehendit. Præterea hac recepta explicatione omnia adhuc in obscuro delitescunt; neq; enim ex ea perspicuum fit, cur ex primo mense 15. dies computandos esse dicat Hippocrates, ex septimo amplius quàm viginti; neq; si id semper faciẽdum esse velit. præterquàmquòd illud, quod ponit pro fundamento, mensem esse ac dici, quoties Luna coniungitur Soli, & illi opponitur, quod diebus 15. euenit: qua quidem assertione velle videtur, nouiluniũ ac plenilunium mẽsem verè constituere; adeò vt dies 15. si in illis hi absoluantur aspectus, pro mensis vnius spatio & possint, & debeant computari; hoc, inquam, totum & valde mihi dubium, & cautè accipiendũ; quandoquidem non solùm hi duo Lunæ aspectus Aristoteli mẽsem conficiunt in cal- « ce quarti de Animalium Ortu, atq; in hæc « inferiora vires habent; sed etiam tetragoni, « hexagoni, triquetri, tetragoniq; Philoso- « pho præsertim loco illo; ex quò & mensem « communem Solis ac Lunæ periodum esse « definit, periodi nomine intelligens, vt pau- « lò supra declarauerat, Lunæ cum Sole op- « positionem, coitum, quadraturas; itaq; nõ « solùm interlunium, ac plenilunium mensem « constituunt. Cautè præterea hoc Cardani dictum monuimus esse accipiendum; quia si nouilunium ac plenilunium mensem absoluunt, proindeq; dies 15. primi mẽsis in hac Hippocratis supputatione pro mense primo sumendi sunt; in qua à plenilunio calculum Hippocrates orditur: ergo nouilunium, quod die 15. à plenilunio efficitur, bis venit computandum; est enim necessarium pro primo mense constituendo, cęteroqui carens nouilunio mensis non posset dici, quia hi duo aspectus mensem Cardano constituunt: at rursus necessarium est pro sequenti mense, ac secundo ob eandem rationem; qui à nouilunio ex Græcorum instituto ducit initium. quo concesso à plenilunio ad alterum vsq; plenilunium, à nouilunio ad alterum nouilunium dierum 30. spatio duo menses verè existerent, & ex cõsequenti dierum 90. interuallo sextus absolutus esset mensis, septimus iam inciperet; proindeq; fœtus nasci vitalis posset, si septimus mensis humano fœtui vitam affert, ac perfectionẽ; quo nil absurdius dici potest. Ludouicus Mercatus, qui vnus præ ceteris « subtilissimè & doctissimè totam hanc de « mensibus & partu materiam ex Hippocrate « & Galeno libro quarto de Mulierum Affec- « tionibus tractauit; dum agit de partu Sep- « timestri, inquit Hippocratem, cùm dixisset « septimestres 182. diebus cum dimidio, & o- « ctaua parte fieri, vt planum hoc faceret e- « xemplo, addidisse de mense conceptionis « accipiendos esse 15. dies, quinq; mensium « intercedentium 147. cum semisse, qui om- « nes 162. cum dimidio conficiunt; vt rectè « postea collegerit, ad numerum cõstitutum, « nempè 182. cum semisse, in quo septime- « stres fieri affirmauit, superesse non plures « quàm viginti. quo loco dum Mercatus inquit, Hippocratem rem hanc exemplo planam facere voluisse, non semper ex primo mense dies quindecim esse sumendos velle videtur. verùm postea à Galeno ne latum quidem vnguem discedens, statuit ex Hippocratis & Galeni eiusdem decreto in septimestris partus supputatione primi mensis, & septimi plus dimidio esse computandum, vt illorum vis queat elucescere, & in tàm breui tempore fœtum consumare; ita vt vnius non pauciores quam 15. dies, alterius non pauciores quàm 20. numerentur. cuius rei causa est secundum illum, quòd si quindecim sufficerẽt dies primi & septimi, fœtus septimum mensem non attingeret, neq; dimidium Solaris anni; ex quò & ita concludit. Sed quia minimè attingunt se- » ptem menses, sed intra sex mansisse intelli- » guntur; oportuit aut primi, aut septimi » plures quàm quindecim accipere; aut si pri- » mi mensis quindecim duntaxat dies nume- » rati fuerint, viginti sint capiendi ipsius se- » ptimi quod minimum est, vt dinumeratio » ipsa de septimo mense aliquot dies, quinq; » scilicet accipiat. Qua in re neq; illud oscitanter prætereundum, quod idem Auctor « admonet, computandi rationem hanc alijs « partubus de Hippocratis mente minimè es- « se necessariam; cùm, vt ad finem libelli de « Octomestri Partu docemur, in vndecimes- « tribus sufficiat, si aliquantulum temporis « ex primo postremoq; mensibus desumatur. « Rursus & alterum illud animaduertendum ex Gorrei fontibus ductum, quod idem subdit, rectissimè Hippocratem in computatione septimestrium dimidium Solaris anni cœpisse, quoniam id tempus vehemẽtem obtinet in decernendo facultatem; vt potè quod diei decimoquarto assimile esse videatur. Hæc Mercatus; quæ ex superioribus

Cap. 1.

ribus satis remanent labefactata, vt amplius non desiderent orationem nostram. neq; enim verum est, quantum pertinet ad Lunares mẽses, si de primo & septimo sumantur tantùm dies quindecim, totum hunc tẽporis tractum non esse septimestrem (quod Galenus acutè admonebat) neq; vlla ratio est, cur ex primo mense dies 15. ad minimũ semper capiendos esse existimemus, neq; id voluit Hippocrates, vt inferius probabimus. Non me tamen latet Mercatum suam hanc interpretationem à Ferdinando Mena accepisse, qui in Commentarijs super libello de Partu Septimestri hoc idem sensisse videtur; in eo non parum, vt arbitror, à vera huius loci aberrans intelligẽtia, quòd, cùm pariter ac Mercatus posuisset, Hippocratem planum facere exemplo velle, septimestres centum octuaginta duobus diebus cum dimidio, & octaua parte fieri; concludit tamẽ, viginti dies adiectos esse ab Hippocrate, vt ostenderet, numerum præstitutum, dierum scilicet 182. hor. 15. dimidijq; anni, resultare. Ferdinandi oratio ita habet. Septimestres centum octuaginta duobus diebus cum dimidio, & octaua parte fiunt (quindecim namq; horas voluit subaudiri per illud accedenti particula, Grec. ἢ προσόντος μορίου) quod vt planum faceret exemplo, de mense conceptionis accipiendos esse duxit quindecim dies, quinq; verò mensium intercedentium centum quadraginta septem cum semisse; qui omnes centum sexaginta duos cum dimidio conficiunt: quare rectè collexit ad numerum præstitutum, nempè centum octuaginta duos cum semisse, in quo septimestres partus fieri affirmauit, superesse non plures quàm viginti. Centum quippe sexagintaq; duobus diebus cum semisse si addantur viginti, præstitutus numerus resultabit. At enimuero Hippocrates, vt supra innuebamus, clariusq; sequens docebit disputatio, viginti dies addit, vt monstret, ex posito iam spatio & accepto dierum 182. horarum 15. dies 20. superesse ad septimum constituendum, non è contra; quare Ferdinandi explicatio prorsus nulla. Quinq; autem pulchras illas dubitationes, quas mouet ad clariorem huius loci plenioremq; intelligentiam, & quas eodem consilio à nobis ex eo hoc loco afferri alienum non putamus; videlicet cur, si die 182. cum hor. 15. oritur septimestris, libro de Principijs positum ab Hippocrate sit, tertia septimanarum decade, diebus videlicet 210. eundem hunc partum generari. Secundò si die 210. produci potest, quo pacto hoc libello sextus quadragenarius tanquam infelix taxatus est, quasi diei sextæ similis, cuius dies decem capit partus 210. Tertiò si non sextus quadragenarius, sed quintus, quem dies 200. terminat, quasi dies quinta septimestrem dat vitalem; quo pacto dierum hunc numerum recipiemus, qui neq; cum diebus 210. neq; cum diebus 182 hor 15. conuenit. Quartò (quod, vt verbis vtar ipsius, doctissimũ quẽq; hallucinantem facilè reddat) si pars mẽsis existimari mensis debet, vt Galenusmet in primo super libello de Septimestri Partu Commentario putauit, eò maximè si plus dimidio continuerit; cur in septimo Hippocrates 20. dies postulauit non quindecim solum, quemadmodum fecerat in primo conceptionis mense. Quintò cur, si dimidium anni Lunaris, quem menses Lunares metiuntur, de quibus Hippocrates hoc loco potissimum agit, ex centum septuaginta septem constat diebus, Solarem nihilominus est complexus, qui dierum quinq; spatio, & quadrante maior existit: has, inquã, pulchras, grauesq; dubitationes, quas etiã suis locis ex Mercato attulimus, sic dissoluit: totam enim ipsius disputationem huc operæprecium duximus afferre, tùm quia liber non est obuiam omnibus, tùm ob magnam viri auctoritatẽ, tùm demum vt Mercati cum eo consensio magis eluceat.

Ferdinandi adducitur disputatio, & expenditur. Cap. 6.

Com. I.

INquit igitur Ferdinandus. Haud dubiè Galeni sententia (qui solicitè admodũ curauit sciscitationibus, & omni diligentia de partubus exactam obtinere rationem) septimestris partus cẽtum octuaginta duobus diebus cum semisse, quod minimum est, terminatur, ac perficitur; quod maximum est, nunquam vltrà ducentos quatuor dies vtero gestatur: in medio temporis spatio celerius, aut tardius maxima pars septimestrium fœtuũ editur, prout à calida constitutione temporis, vteri calido temperamento, & victus ratione calida citius maturescit, aut à contrarijs causis tardius suã adipiscitur maturationem. In eadem obseruatione perseuerans neq; in minori spatio quàm dimidio anno Solari gigni posse septimestres partus asseruit, neq; in minori quàm dimidij mensis spatio primi, & septimi, si perfectus est oriturus. Quocirca in dimidio anno Lunari neutiquã fiet perfectus septimestris; quod intra sex menses, ea ratio-

ratione gigneretur, experientiæ & obseruationi, quæ de certo numero temporum habetur, maximè aduersum. fiet ergo in dimidio anno Solari, qui septem menses Lunares includit quadantenus. rursum tres decades septimanarum ducentos decemq; dies habent; in eisq;, quatenus sexti quadragenarij minimum capiunt, absolui poterit septimestris partus; quare ducentos quatuor dies attinget circiter, quod experimenta Galenica testantur, nihil amplius, aut rarissimè. Quintus præterea quadragenarius ducentos sanè dies amplectitur, ac plures quàm ab Hippocrate hoc loco proponuntur; nihilominus haud quaquam ea assertione confecit amplius, ac si spatiosam partus septimestris latitudinem insinuaret duobus terminis conclusam, intra quos serius ac citius liceat septimestri fœtui vitali prodire. Est etiam illud summoperè hac in parte menti commendandum, quod ex Galeni oratione adducta constabit esse conspicuum, & Hippocratis asseuerationibus valde consonat: nempè in septimestris partus supputatione primi mensis & septimi plus dimidio fore computandum, vt illorum vis queat elucescere, & in tàm breui tempore fœtum consumare. eaq; de causa in ea computatione sufficerent quindecim dies primi, & septimi mensis, si dimidium anni Solaris, seu septem menses attingerent; sed quia minimè attingunt septem menses, sed intra sex mansisse intelliguntur, oportuit aut primi, aut septimi plures quàm quindecim accipere; aut si primi mensis quindecim duntaxat dies numerati fuerint, viginti sunt capiendi ipsius septimi, quod minimum est, vt dinumeratio ipsa de septimo mense aliquot dies, quinq; scilicet accipiat. At verò dum alios menses, nonimestres videlicet ac decimestres cõstituit Hippocrates, nõ opus est de primo, & postremo plus dimidio mensis capiatur; cùm constet apertissimè de primo fore capiendos perquàm paucos, si ad decimum attingere debeat fœtus, aut ad ipsum vndecimum. cùm enim eiusmodi fœtuum maturationes pluri tempore efficiantur, & satis spatioso; satis est si aliquantulum temporis, seu dierum ex primo postremoq; mensibus desumatur: quod apertè probat Hippocrates, qui libello de Octimestri Partu ad finem genitos post plenilunium, necessariò ad mensem vndecimum durare intra vterum conclusit. quod quidem neutiquam fieri potest, nisi per paucissimos dies, vt ad calculum subducenti patebit, etiam si de primo conceptionis mense paucissimos quoq; sumpseris, quemadmodum fieri necessum est in his maximè supputationibus, quæ decimum, vndecimum uè mensem sunt obtenturæ. In ea itaq; numeratione, quæ de septimestris fœtus gestatione principiò fuit præstituta, quindecim cœpti fuerunt dies de primo mense, quinq; verò sequentium centum quadraginta septem cum semisse; desiderantur igitur ad propositum numerum viginti non plures: omnes etenim hi centum octuaginta duos cum semisse conficiunt, dimidium scilicet anni Solaris, si addas diei partis scilicet quadrantis; dimidium, tres horas videlicet. Centum quippè octuagintaq; duobus diebus cum quindecim horis constat anni Solaris dimidium. Hæc Ferdinandus; quorum ea, quæ ad sextum quadragenarium spectant, & ad spatium dierum 210. quod dicti quadragenarij partem aliquam capit, tùm ea, quæ de computatione nonomestris spatij, ac decimestris; in qua de primo & postremo mẽse perquàm paucos dies capiendos esse dicit de Hippocratis sententia; partim infra, partim sequenti libro discutiemus: quæ autem ad præsentem attinent locum, si accuratè perpendamus, hasce videbimus habere difficultates. Primùm quod dicit spatium septimestre, quod maximum est, nunquam vltrà ducentos quatuor dies extendi, iam supra in Galeno, & Mercato est confutatum. Secundò quod addit, septimestrem fœtum neq; in minori spatio quàm dimidio anni Solaris gigni posse, neq; in minori quàm dimidij mensis spatio primi, & septimi, si perfectus est oriturus; quod & infra etiam super eodem libello confirmauit his verbis. Eadem fermè causa septimestres breuiori tempore perfectionem sibi debitam adipiscuntur, in illisq; primi mensis ac vltimi plus dimidio mẽse efflagitauit Galenus; perinde ac in tàm breui spatio effectus nequiret integer produci, nisi magna pars mensis motionem metiretur. & paulò supra dixerat, si ad finem mensis mulier concipiat, fieri protinus vt partus ad plures menses quàm septem prorogetur; tanquam parum, aut omnino nihil conferre videantur pauci illi dies ad fœtus exactã perfectionem. hoc, inquam, totum illud habet difficultatis, quòd anni dimidium, scilicet sex menses Solares expletos, septimi initium ob rationes tertio, & sexto libro allatas, quas hîc Hippocratem attingere infra demonstrabimus; hoc nimirum interuallum necessarium faciat Hippocrates in

Cõm. 6.

præ-

præsenti disputatione; absolutè ipsum requirens ad fœtus perfectionem: primi verò, aut septimi mensis partem maiorem, vt supra etiam diximus, nullo modo, apponens conditionem; nempè quia maior, vel minor mensis tùm primi, tùm postremi pars, dummodo dierum ratione periodus gestationis sit absoluta, dies scilicet 182. præteriti, nil queat efficere ad septimestris fœtus, tametsi natura imbecilli ac breuissimo tempore gestati, perfectionem. nam, vt supra dicebamus, etiam mensis septimi initio veniens in lucem, si die 182. gestatus fuerit, vitalis omnino in lucem veniet; quare, cùm supponit Ferdinandus, Hippocratem ex obseruatione facta pronunciare, in minori quàm dimidij mensis spatio primi, & septimi fœtum oriri non posse, immò & in maiori spatio oriri debere, si perfectus est oriturus, falsum omnino supponit; cùm ipse Hippocrates, vt aduersus Galenum, & paulò supra dicebamus, conditione apposita loquatur, exempli loco hæc subijciat, nullā demum velit imponere necessitatem. Proinde & responsio nutat Ferdinandi ad suam quartam dubitationem: esto enim (quod tamen noluit Hippocrates) plus dimidio de primo ac de septimo esse capiendum; cur de primo 15. de septimo 20. capiendos esse præcipit, & semper capiendos, vt acutè Ferdinandus dubitabat? cur enim de primo 20. de septimo 15. accipere non possumus? At respondet Ferdinandus, satis fuisse accipere de vtroq; mense dies 15. si dimidium anni Solaris, seu septem menses attingerent; sed quia minimè attingunt septem menses, sed intra sex mansisse intelliguntur, oportuisse aut primi, aut septimi plures quàm 15. accipere: aut si primi mēsis quindecim duntaxat dies numerati fuerint, viginti esse capiendos ipsius septimi. At primùm, si primi, aut septimi plures quàm dies quindecim sumere possumus; ergo Hippocrates non semper de septimo dies 20. & plures quàm 15. voluit esse capiendos; quod tamen dubitatio mota supponebat. deinde quos menses per illos septem intelligit Ferdinandus? an Solares, an Lunares? Si enim Solares intelligit, vt
„ videtur, dicens. seu septem menses attin-
„ gerent. falsum erit dimidium Solaris anni, ac dies 182. hor. 15 septem Solares mēses attingere; cùm id spatium intra sex nihilominus menses manere intelligatur, anni dimidium conficiens, quod sex Solaribus mensibus integratur. quare nec partū perfectum dare poterit, si septem Solares menses ad perfectionem partus, vt ipse velle videtur, sunt necessarij. si Lunares intellexit Ferdinandus, falsum est, etiam si de primo ac postremo mense sumamus tantùm dies 15. totam summam, quæ est dierū 177. horarum 12. septem Lunares menses non attingere; cùm in dimidium diem primum septimi Lunaris mensis incurrat. Verùm Ferdinandum, & Mercatum relinquentes, de quibus etiam libro octauo quædam dicemus, Franciscum Valesium audiamus.

Valesij adducitur interpretatio, ac reijcitur.
Cap. 7.

FRanciscus Valesius vir summæ eruditionis Controuersiarum libro secundo *Cap. 18.* nil à superiori sententia videtur discrepare; siquidem sumens ex Galeno, vt arbitror, primum septimestris partus terminum centum esse, & octoginta duos dies, & quindecim horas cum vigesima quarta horæ parte; vltimum, ducentos & quatuor dies. item ante primum terminum nullum ad maturitatem venire & fatale exeundi tempus; qui vltimum transcendunt, non exire vitales. rursus edi primo, aut vltimo termino, aut inter hos alio, prout concepti fuerint aut in plenilunio, aut interlunio, aut medio tempore: postea horum omnium rationem exquirens, & cur ante diem 182. cum dimidio maturus prodire partus, post diem 204. vitalis egredi nequeat; de priori ita statuit, quantùm ego ex eius verbis alioqui obscuris coniectari valeo. Quòd quantum præterijt primi mensis in conceptus die, tātum de eo mense detrahi debeat, modo non sit maior pars dimidio mense. item quòd vltimi etiam mensis necessariò debeat fœtus accipere quindecim dies; huiusq; rei rationem esse, quia, vt fœtus dicatur septimestris, in septimumq; mensem incidere; necessariò debet de septimo plus dimidio accipere: siquidem id voluisse Valesium censeo verbis illis. Nam vt semel in septimum „
mensem inciderit, debet accipere plus di- „
midio. videlicet de mense septimo. at se- „
quitur ex hoc, si de primo 15. sumamus, de septimo mense dies viginti necessariò esse capiendos cum aliquot horis, vt summa dierum 182. cum dimidio, annusq; dimidius conficiatur; ante quem terminum nullum maturum, ac vitalem prodire posse statuit Hippocrates. De posteriori tempore, videlicet cur vltra diem 204. venire in lucē fœtus nequeat, sic decernit. Quinq; menses intermedij 147. dies habent cum dimi-

dio; si igitur conceptus infans est in inter-
lunio, & totum septimum mensem in vte-
ro peragat, maiores primi mensis & vltimi
partes accipiet. at verò neq; si id contin-
gat, potest illos accipere integros, cùm
primo momento mensis concipere mulier
nequeat; sed aliquid necessariò detrahi o-
porteat gratia illius, quod insumitur in ex-
purgatione. si igitur septem essent menses
integri, dies continerent 206. cum dimi-
dio; nunc verò dicta expurgationis causa
minimum duo cum dimidio detrahuntur; in
aliquibus enim prægnantibus plus, in nul-
la minus; itaq; non vltrà dies 204. mulier
gestabit infantem. siquidem dies duo cum
dimidio ex diebus 206. cum dimidio sub-
tracti, summam dierum 204. reliquam faci-
unt. Hæc igitur Valesius; ex quibus præ-
ter alia perspicuum est, ipsum Galeno, Fer-
dinando, ac Mercato assentientem censuis-
se, de primo & septimo mense in septime-
stris partus supputatione plus quàm dimi-
diam partem esse capiendum. Verùm (bo-
na ipsius venia dixerim) multa sunt incom-
moda, quæ hanc suam vrgent interpreta-
tionem; præterquàmquòd pleraq; ab eo ob-
scurius videntur explicata. Primùm esto,
vt fœtus dicatur septimestris, maiorem
dimidia mensis septimi partem eum accipe-
re oportere; id tamen, nisi aliud adijciatur,
non cogit, vt de primo maior etiam pars
sumi debeat. si enim fœtum, exempli gra-
tia, statuamus vltima septimi mensis die in
lucem prodire; certè huiusmodi fœtus om-
nino erit septimestris; vt potè qui non so-
lùm plus dimidio, sed totum mensem sep-
timum capit. at si retrocedendo suppute-
mus dimidij anni Solaris, dierumq; 182.
cum semisse summam; inueniemus die 24.
primi mensis conceptionem factam esse: si-
quidem inde ad vltimum septimi mensis diē
annus est dimidius, ac dies 182. cum dimi-
dio. Itaq; ratio erat Valesio afferenda, cur
de primo mense maior pars dimidia in com-
putatione detrahi non debeat. Secundò
quærendum ab eodem est, an primo termi-
no edi illos tantùm fętus censuerit, qui ple-
nilunio concipiuntur, vltimo, qui nouilu-
nio. si enim ita fieri respondeat (quod vo-
luisse eum satis constat, cùm interlunio cō-
ceptos vltimo termino edi infra velit, scili-
cet die 204. & totum ferè mensem septimū
in vtero peragere) primùm id clarius de-
buit explicare, simulq; tanti arcani addu-
cere rationem: præsertim cùm Hippocrates
ad finem Opusculi de Octomestri Partu fę-
tus circa plenilunium conceptos vndecimū
attingere posse mensem, statuere videatur;
nedum quòd primo, & breuissimo termino
tales edi voluerit. Scripsit enim. Ex his
igitur omnibus necessariū est plerasq; mu-
lieres circa plenilunium, & vltrà in ventre
concipere; vt ducenti & octoginta dies sæ-
pe vndecimum mensem apprehēdere vide-
antur. vt prætercam, quanquam concedi
posset, qui primo termino gestantur, taliū
conceptus vt plurimum fieri circa plenilu-
nium; nullam tamen esse rationem, quæ nos
fateri cogat, vt etiam interlunio horum a-
liqui concipi non queant, quemadmodum
infra clarius explicabimus, pulcherrimæ,
abstrusissimæq; simul huius rei causam pro
virili adducentes; quod si concedamus, iam
cōceptus interlunio infans totum ferè pri-
mum mensem in vtero peraget; itaq; nullo
modo dimidiatam septimi partem capiet, si
die 182. cum dimidio, primo videlicet ter-
mino, in lucem prodire debet; verùm oc-
tauam circiter mensis septimi egredietur,
si gratia illius, quod insumitur in expurga-
tione, dies duos cum dimidio è primo mē-
se detrahamus. Sed Valesio concedatur,
qui primo termino eduntur, in plenilunio
concipi; vide quid sequatur. quæ mulie-
res plena Luna septimestres concipiunt, ta-
libus menstrua circa plenilunium purga-
menta excitantur, vt infra declarabimus.
at non fit conceptio primo momento, vt
Valesius inquit, sed eius gratia, quod insu-
mitur in expurgatione, aliquid necessariò
detrahendum est: sitq; id minimus termi-
nus, scilicet dies duo cū dimidio. cùm igi-
tur à nouilunio ad plenilunium dies inter-
cedant 14. cum horis 18. vel circiter; tem-
pore subtracto expurgationis, remanent
primi mensis dies duodecim; itaq; die 18.
eiusdem mensis concipietur infans: vnde in
supputatione dimidij anni ac dierum 182.
cum dimidio nullo modo primi mensis pars
dimidia, vel maior, vt Valesius contendit,
capietur; & quod magis est, si de mense se-
ptimo dies tantùm 20. cum dimidio accipi-
endi sunt; partus hic ante diem 182. cum
dimidio in lucem veniet, scilicet circiter di-
em 179. cùm de primo mense dies tantùm
duodecim in computationem veniant. Ter-
tiò si verum est, quod Valesius inquit, fętus
primo, vel vltimo termino prodire in lucē,
aut inter hos alio, prout concepti fuerint
aut plenilunio, aut interlunio, aut medio
tempore; ita vt qui interlunio concipiun-
tur, videlicet die tertia mensis, ob tempus
quod expurgationis gratia detrahitur, edā-
tur die 204. sequitur, si proportio seruanda

est

est (videlicet si die quarta mensis conceptus edatur, die 203. & de reliquis eodē modo) sequitur, inquam, fœtum, qui dimidio anno gestatur, scilicet diebus 182. cum semisse, circiter diem 25. primi mensis, nequaquam circa plenilunium & diem 15. esse conceptum; vt hæc supputandi ratio omnino nutabunda videatur. Quartò nulla est necessitas, vt expurgationis dies semper detrahantur, si modò verum est, quod Galenus in Opusculi calce de Vuluę Dissectione notatum reliquit, ac ante illum Hippocrates primo libro de Mulierum Morbis (de qua re infra plenius suo loco agemus) non desinentibus tantùm menstruis, sed incipientibus quoq; mulierem concipere. Si enim incipientibus menstruis ad virum mulier accedat, cui interlunij tempore illorum profluuium inceperit (quod facillimè euenire potest) hæc totum integrum primum mensem fœtum gestabit; itaq; ad septimum exactum, scilicet die 206. cum dimidio partum excludet, atq; ex consequenti post diem 204. ratio igitur Valesij nulla. Ac sane, vt superius etiam admonui, opinio hęc, quòd fętus septimestris vltra diem 204 gestari nequeat, Hippocrati, & rationi mirificè aduersatur. Nec satis est Galenum obseruasse, nullam post quartum supra ducentesimum diem mulierem peperisse; cùm facilè longinqui temporis vsu, quod sub vnius periclitatione non contigit, sub alterius obseruatione euenire possit, vt sequēti etiam libro dicemus. ac sanè sententiam illam Galenus potuit recordari, ab eo initio Opusculi de Fœtus Formatione proditam, non semel, & iterum naturæ opera obseruanda esse, atq; experiunda; summæq; propterea esse leuitatis, statim ac aliquid inspectum fuerit, ea de re in vniuersum pronunciare. Postremò cur dies 182. primus sit partus terminus, & cur ante hunc terminum humanus partus non possit naturaliter excludi; nullam ab hoc Auctore causam traditam inuenio. Verùm de Valesio hactenus; nunc vltimo loco Lalamantij vestigemus opinionem.

Lalamantij opinio recitatur.
Cap. 8.

Schol. 1.

IOannes Lalamantius apud Heduos Burgundiæ Medicus in Commentarijs suis super libro de Septimestri Partu, Hippocratici consilij rationem hanc esse scribit; nimirum quòd docere velit his verbis Hippocrates, septimestrem neq; esse, neq; dici posse eum partum, qui ante 182. diem, & horas 15. (tot enim horas per quotam diei partem esse intelligendas) nascitur; vel post diem 206. cum dimidio, eò quòd ante diē 182. hor. 15. partus septimestris nō sit, sed adhuc semestris: post dies 206. cum dimidio octimestris esse incipiat; qui verò primum dierum numerum nactus in lucem venit, scilicet dies 182. hor. 15. septimestris censeri debeat; quòd sex menses etiam Solares, nedum Lunares, integros, plenos, & exactos consecutus, initio septimi mensis oriatur. licèt enim vix dum horas etiam aliquot de septimo mense huiusmodi partus nacti sint, illis tamen à parte totius mensis denominationem dantes, septimestres ipsos esse vocandos; quo emenso tempore, cùm Sol, & Luna fœtum in vtero tandiù rexerint, & virtute vterq; sua ita afflauerint, vt interea Luna sexies totum Cœli ambitum, Sol sex Signa ab hemisphærio ad hemisphærium, seu Cœli dimidium (quod spatium 182. partium est) peragrarit; haud ita mirum videri debere, quòd materia fętus tunc temporis prodiens in lucem vitalis exeat; tametsi vt magis septimestres, ita & vitales magis ij censendi sint, qui dies plures de intermedijs capiunt; siue qui proprius à 182. die ad 206. cum dimidio, finē scilicet septimi Lunaris mensis, accedunt; qui profectò dierum numerus septem exactos menses Lunares constituens in diem 24. incidit Solaris mensis septimi. Hæc Lalamantius generaliter de Hippocratico consilio; ex quibus satis patet, Galeni dogma illud ipsum non recipere, quòd septimestres vltra diem 204. gestari vitales nequeant; cùm ad diem vsq; 206. cum dimidio terminum illis constituat. Quod verò ad locum pertinet, quem tractamus, ad motamq; difficultatem; ait, Hippocratem verbis illis. Si enim de primo mense quindecim dies & c. ad calculi examen reuocare quod dixit; verùm adeò obliquo, obscuroq; orationis ductu, vt vel ad veri inuestigationem ingenia exercere velle, vel ab ijs rebus vulgus quasi à misterijs arcere videatur. dilucidius enim ita ratiocinandum illi fuisse, ni artem celare voluisset. Cùm mēsis quilibet Lunaris græcanicus dies capiat 29. cum dimidio, sex mēses (vndeundecūq; numerandi initium fiat) dies 177. complecti; huncq; dierum numerum, vt finis est sexti mensis, ita & septimi esse principium: verùm, quanquam res ita habet, septimestrem tamen non dici eum, qui tot dies sit consecutus, vel qui sex Lunares menses

integros nactus sub ipsum septimi initium nascatur; sed eum demum, qui 182. dies, & hor. 15. cōsecutus in lucem venit; à quo dierum numero superiorem numerum dierum 177. quinq; dierum & horarum 15. spatio deficere videmus: atq; hunc verum esse sensum verborum Hippocratis contendit Lalamantius. At enimuero quia videbat diuinum Senem iubere, in hac supputatione dies 15. de primo mense esse numerãdos; cuius rei sua recepta explicatione nulla videbatur Hippocrati fuisse necessitas; idcircò causam, cur id scripserit Hippocrates, hanc adducere conatur. Sed quia (inquit) quinq; dierum numerus, quo sex menses Solares Lunares totidem superant, non ita magni momenti videri queat; iccircò Hippocrates de primo mense dies tãtùm quindecim supputare maluisse fortasse videatur, & reliquos primi mensis quindecim dies, diebus quinq; & quibus dixi modò addere; vt, cùm tandem diceret, dies viginti, & eo quid amplius à centum sexaginta duobus, & dimidio ad dimidium anni componendū, ad dies dico 182. & horas 15. desiderari; de magno videlicet dierum aceruo, atq; adeò de re magna agi nobis significaret. alioqui non video, cur Hippocrates cum mensibus quinq; integris de primo mense dies tantū quindecim in supputationem adducere voluerit, vt plusquàm viginti dies ad dimidium anni desiderari ostenderet. Demum quod spectat ad reliqua verba, aduerbium, ἐγγύτατα, idest quàmproximè, ideo positum fuisse Lalamantius arbitratur, quòd singuli Lunares menses dies 29. cum dimidio non adeò exactè capiant, quin aliqua aut excurrat exigua summa, aut deficiat; cùm mensis Lunaris exacta quantitas dierum sit 29. hor. 12. minut. pri. 44. secundi 4. Item alia illa. Particula diei quota quotæ accedẽte. ideo posita esse ait, quoniã diei quota particula ad partem diei dimidiam addẽda sit, videlicet octaua diei pars; cùm satis constet ad diem 182. addendas esse primùm horas 12. quæ sunt dimidia diei pars, deinde horas tres superaddendas, vt tota assurgat dimidij anni quantitas, dies scilicet 182. & hor. 15. Rursùm vulgatam lectionem retinendam censet, in Hippocratis verbis negationem non agnoscens.

Lalamantij exploditur explicatio.
Cap. 9.

VErùm neq; huius viri interpretatio, mea quidem sententia, scopum attingit; nam primùm, esto septimestrẽ fętum ad diem vsq; 206. & dimidiatum gestari posse, quod nos quoq; recipimus tanquam veritati, & Hippocratis placitis consentaneū; certè cur talibus sextus quadragenarius nō officiat, cuius principium attingunt, videlicet septem priores dies, silentio inuoluẽdum Lalamantio non erat. Secundò quod inquit, partum ante diem 182. hor. 15. genitum semestrem esse, in hoc Galeno contradicit; qui, vt vidimus, egregiè ostendit, quantum est græcanicorum, idest Lunarium mensium ratione, etiam die 179. ortum vocari posse septimestrem, quia maiorem primi, ac septimi mensis partem valeat accipere, scilicet de primo ac septimo mense dies sexdecim. Tertiò quod subiungit, cùm Luna sexies totum Cœli ambitum peragrarit, tùm fœtus materiam recipere maturitatem, penitus abhorrere censeo à veritate; siquidem peragratio ambitus Cœli in ipsa Luna, cùm scilicet duodecim Signa ipsa percurrit, periodus est Eccentrici, seu deferentis Epicyclum, quæ fit diebus 27. hor 7. min. 43. sec. 7. quod spatium vocatur etiam mẽsis periodicus; quia hoc interuallo temporis centrū Epicycli Lunę cōficit integram reuolutionem. Itaq; si sexta peragratio satis esset, fœtus die 164. posset maturescere, quod ab Hippocratis mente ac veritate est alienissimum; enimuero sex periodici mẽses dies continent 163. hor. 22. m. 18. sec. 42. atqui Hippocrates synodicum mensem accipit, qui diebus constat 29. hor. 12. min. 44. sec. 3. ac dierū pręterea decernit interuallū, 182. videlicet cū dimidio; quo spatio nouilunia septem conficiuntur, vel saltem confici possunt. cuius sanè mensis ratione, vt superiore libro fusè mōstratum est, cuncta à Luna vis manat, & fluit, qua & animantes aluntur, augescuntq;, & pubescunt, maturitatemq; assequuntur. quod perbellè Cicero secundo de Natura Deorum demōstrauit, scribens Solem cursu suo quatuor efficere anni tempora, atq; ita ex quatuor temporum mutationibus omnium, quæ terra mariq; gignuntur, initia causasq; duci; in Lunæq; cursu esse & brumæ quandã, ac solstitij similitudinem; vt harum mutationum ratione ad rerum ortum conferre ipsam voluerit, & maturitatem. ex quò & non multò post partus maturescere aut septem nonnunquam, aut plerunq; nouem ipsius cursibus notatum reliquit; cursus nomine eum intelligens motum, in quo supra esse brumæ, & solstitij dixit similitudinem; qui nullus alius esse potest quàm synodi-

nodicus. proinde & eodem opere Lunam à Sole illuminatam grauiditates, & partus afferre notatum reliquit; quasi, vt Præceptor in extremo quarto de Ortu Animalium admonuit, illuminationis huius ratione cuncta hæc censuerit operari; quæ omnia, vt vno verbo dicam, de synodico tantùm mense veritatem habent. cùm enim actio omnis, formatio, & maturitas frigore, & calore tanquam instrumentis agatur in natura, vt pluribus præcedenti libro probatum fuit; iure euenit, vt Luna interlunio, ac plenilunio frigiditatem adducens & calorem, maturitatem simul his, quæ oriuntur è terra, impertiatur; vt meritò periodico reiecto synodicum mensem Hippocrates hoc loco recipiat. Quartò quàm leuis causa sit, quàm nutabunda à Lalamãtio adducta circa temporis septimestrium cõputationem, in qua ex primo mense dies 15. capiendos esse iubet Hippocrates; quòd scilicet dierũ quinq; numerus non ita magni momẽti visus illi sit, ideo de primo dies 15. supputare maluerit, vt 20. de septimo posset accipere, lectoribus relinquo iudicandum. Quintò, aduerbium, quàmproximè, nõ ea ratione positum esse, quam ipse excogitauit, verba ad finem Opusculi de Octomestri Partu posita latißimè probant; quibus interluniũ Hippocrates, idest vnum diem trigesimam mensis esse partem quàmproximè scribit, duos dies quindecimam; vt rationi minimè consonum sit, in duorum mensium quantitate describenda tantulam illam partem eum respexisse, videlicet horam vnam ferè cum dimidio, vt censuit Lalamantius. duo enim Lunares synodici menses exactè sunt dies 59. hor. 1. min. 28. sec. 8. Postremò cur septimestris dici non debeat, qui sex Lunares menses integros nactus sub ipsum septimi initium nascitur, sed ille, qui dies 182. & hor. 15. est consecutus; & cur hoc dierum interuallo non ante humanus partus naturaliter oriatur vitalis, ac maturus, nihil video ab ipso disputatum. Cœterum aliorũ explosis interpretationibus, iam locus est, vt nostram afferamus, quam nõ desperamus studiosos viros, ac veritatis sectatores longè magis ad Hippocratis verba quadrare, esse fassuros.

Propria explicatur opinio.
Cap. 10.

QVærenti mihi, multùmq; & diu cogitanti, quænam esset hoc in loco Hippocratici consilij ratio, nulla probabilior occurrebat, quàm quæ primis statim verbis ab eodem ob oculos ponitur. Hanc igitur, vt de nostra sententia exponenda promissa appareant, reliquum est vt in præsentia aperiamus; qua cognita locus hic, qui mira obscuritate videtur inuolutus, ad lucẽ fortasse ingentem reuocabitur. Prima Hippocratis verba hæc sunt. » Septimestres autem » oriuntur 182. diebus, & quota parte. itaq; propositum ipsius est demonstrare, qui vocantur partus septimestres, hoc dierum numero in lucem edi, atq; ex tot numero diebus constare; ita ut septimestres dici debeant 182. & quota parte à conceptu geniti, & quod in idem redit, anni dimidio. Hoc vt probet diuinus Senex, explicare (ni fallor) primùm aggreditur, qui septimestrium nomine paßim intelligantur; adeò vt nulla cadere de illis possit dubitatio, quin septimestres sint, ac dici debeant. quod vt ostendat, illud Philosophorum axioma, meo quidem iudicio, sumit supponitq; pro fundamento tanquam notum, denominationem fieri ab eo, quod excedit, atq;, vt loquuntur Scholæ, à superabundanti: quarum terminis, vt omnino necessarijs, libentißimè vtor, quantumlibet infensis latinæ linguæ studiosis, siue dicam verius, inaniter superstitiosis. si enim ab eo quod excedit vnumquodq; denominandum est, iam sequitur, partum illum, qui de primo, & septimo mense partem maiorem capit, septimestrem sine vlla dubitatione esse appellandum, sicuti & omnium consensu appellantur. Hæc igitur inter alias causa est, cur de primo mẽse dies 15. numerandos esse iubeat Hippocrates; quam cùm alij nec etiam procul aspicerent, iure & meritò in hoc loco enarrando operam, & oleum perdiderunt. cùm enim mẽsis, de quo hoc loco intelligit Hippocrates, constet diebus 29. cum dimidio; dimidia illius pars erit dierum 14. hor. 18. quare si ex eo dies sumantur quindecim, pars maior quã dimidia accipietur; ex quò & fœtus, qui dies quindecim primi mensis in vtero peraget, maiorem ipsius partẽ peregisse fatendum necessariò erit. Similiter quòd dies 20. cum quota parte maiorem septimi mensis partem capiant, hoc tàm clarum est quàm quod clarißimum; vt non minus verè quàm elegãter probatum ab Hippocrate sit, partum eum, qui de primo mense dies quindecim habet, mox totos quinq; sequentes & integros, & de septimo dies etiam plures quàm 20. septimestrem esse dicendum. at hic dierum aceruus summã perficit dierum 182. cum hor. 15. anniq; dimidium,

dium, itaq; (quod probandum Hippocrati erat) partus, qui putatur ac dicitur septimestris, ac verè talis dici, ac putari debet, die 182. cum horis 15. generabitur, anniq; dimidio. nam & hoc est, quod paulò infra inquit (dies colligens, quos enumerauerat) summam hanc dimidium annum constituere; & in Opusculo de Partu Octomestri, septimestres fieri ex dimidio anno: vt iã propositum esse ipsius videatur demonstrare, septimestrem partum dimidio anno generari. Sumit autem Hippocrates de primo mense quindecim dies, nec plures nec pauciores iusta de causa; si enim pauciores sũpsisset, illum partem dimidia ex eo minorem accepisset; ex quò & dubitare aliquis potuisset, partum hunc non esse septimestrem; eò quòd non solùm totum primum mensem non fuisset in vtero, sed neq; etiam partem illius maiorem. non sumit plures, quoniam si plures quàm 20. accepisset, de septimo pars minor quàm dimidia ad 182. dies integrandos cum hor. 15. superesset; ex quò & eadem difficultas locum haberet: ita.n. vocari posset in dubium, an partus esset septimestris; eò quòd maior septimi mensis pars illi deesset. Poterat cõmodè de primo dies 20. sumere, vel plures quàm quindecim ad 20. vsq; ; verùm minorem quàm potuit partem ex primo accepit, dummodo dimidiam superaret, vt sic longè maiorem quàm dimidiam partem de septimo superesse ad summam dierum 182. cum hor. 15. integrandam ostendens, facilius pleniusq; demonstraret, septimestre spatium hac dierũ summa constare, omnemq; proinde tolleret difficultatem. cùm enim à mense septimo huiusmodi partus denominationem recipiat; partum eum, qui dies etiã plures quàm 20. de septimo mense in vtero gestatus in lucem venit, atq; ex consequenti senescente ferè septimo nascitur, verè, ac propriè esse septimestrem nemo inficias ibit. vt si hoc spatium, quod verè septimestre est, dierum 182. cum dimidio summa comprehendi potest, iam nullus relinquatur amplius dubitandi locus, septimestres partus ex dimidio anno, ex diebusq; 182. cum hor. 15. fieri, & constare. Præterea hanc secutus est Hippocrates calculi rationẽ, quod perfectissimum est in natura respiciens; enimuero, vt infra hoc libro, & sequenti docebimus, septimestres circa plenilunium potissimum concipiuntur, quia tunc mulieribus, quæ sanguinem habent calidiorem, menstrua excitantur; qui possunt tamen & nouilunio concipi, vt ex Veterum monimentis Plinius tradidit, quia & tunc temporis menstrua fluentia possunt etiam tantum habere caliditatis, vt septimestrem gignant, licet vt plurimum ad gignẽdum nonomestrem temperamenti ratione sint aptiora. Possunt, & alijs temporibus gigni, licèt id longè minus sit naturale, quia menstrua, vt concinnè notauit secundo de Ortu Animalium Aristoteles, nullo circuitu certo describuntur, tametsi naturaliter tendãt moueri decrescente mense, & interlunio; vnde & mulieribus nonnullis intermedijs temporibus profluunt. Verùm sicuti menstrua ad nonomestres gignendos aptiora fluunt nouilunio, ita, & paratiora ad septimestres producendos excitãtur plenilunio; quod contuens Hippocrates, de horum ortu sermonem habens, & gestatione, dies quindecim de primo mense computandos esse dixit. quibus circiter decimumquartum mensis diem, quodq; in idem redit, circa plenilunium, illorum fieri cõceptionem docuit; huiusmodi tempus ad septimestres concipiendos aptissimum esse pulchrè indicans. Potest & tertia adduci causa, cur hanc secutus sit Hippocrates calculi rationem; curue de primo mense dies 15. non pauciores, de septimo 20. scripserit esse accipiendos; quæ tamen sequenti libro tanquam aptiori in loco erit nobis explicanda.

Cap. 4.

Quæ superiori capite dicta sunt, plenius comprobantur. Cap. 11.

POrrò autem hanc veram esse loci huius explicationem, facilè verba ipsa percurrenti planum fiet; inquit enim Hippocrates. Septimestres cõstant ex diebus 182. & insuper aliqua parte. hoc vt probet, ita ratiocinatur. si enim de primo mense dies quindecim computaueris (tot autem enumerans maiorem ipsius partem accipies) insuper si quinq; sequentes integros enumerabis, qui dies continent 147. cum dimidio (totq; dies quinq; menses integrare inde patet, quòd, si dies vndesexaginta numerabis, duos menses quàmproximè perficies; vt quinq; menses totidem dictis diebus confici omnino appareat) si, inquam, ita computaueris, amplius adhuc quàm 20. dies ex iam dicta summa, ex qua constare septimestres demonstrãdum proposuimus, scilicet ex diebus 182. cum semisse, ad septimum mensem constituendum superesse cõperies; nimirum partem diei adhuc videbis superesse octauam parti quotæ iam additæ, scilicet diei dimidio, adijciendam. at quod

tem-

tempus ex primo mense dies 15. sumit, insuper & quinq; sequentes integros, demũ de septimo amplius quàm dies 20. spatium esse septimestre, negari non potest, & partũ hoc tempore genitũ non esse septimestrem: sed totum hoc spatium, scilicet dies quindecim de primo mense sumpti, mox quinq; integri menses dierum 147. cum dimidio, adhuc dies 20. cum quota parte de septimo accepti, simul omnes iuncti dies iam dictos faciunt 182. cum hor. 15. anniq; medietatem; siquidem hoc est, cùm hæc omnia dixisset, quod subiungit Hippocrates. » At hęc » summa dimidium annum conficit & c. voluit enim dicere, dies illos de primo, & septimo mense acceptos, & integros quinq; menses, quod spatium apparet omnino esse septimestre; summam iam expositam dierum 182. cum hor. 15. & quod idem est, anni dimidium æquare: itaq; (quod necessariò sequitur) septimestres partus diebus 182. cum hor. 15. constabunt; quod orationis initio tanquam sibi probandum enũciauerat. cùm enim dies 20. cum horis 15. qui desunt, vt tota dierum 182. cum hor. 15. summa integretur, partem plus quàm dimidiatam de septimo capiant, ideoq; hęc ipsa summa dierum 182. cum hor. 15. septimestre spatium sufficientissimè comprehẽdat, dubitari non potest, quin septimestres die 182. cum hor. 15. fiant: vt nullo modo audiendi illi videantur, qui dicunt, in hac computatione Hippocratem partem mensis (septimumq; intelligunt) admodum exiguam pro toto mense sumere; cùm plus quàm dimidiatam ipsum capere nostra iam perspicuè monstrauerit explicatio; capereq; ea præsertim de causa, vt partum sine vlla dubitatione ostendat esse septimestrem. ex quò & illorum etiam redarguitur opinio, qui dicunt, in hoc Hippocratis exemplo nos cõfingere nostro ingenio posse proportionem, de primoq; mense dies decem, vel pauciores posse accipere, sicuti etiam de septimo. quandoquidem satis est manifestum sic vel non probari, vel non adeò sufficienter, quod sibi diuinus Senex proposuit demonstrandum. Hæc igitur vera est (ni fallor) Hippocratis ratiocinatio, cui vera rursum verborum ipsius interpretatio, vt res planior fiat, adijcienda est. Sic igitur (si græca latina faciamus) nostra sentẽ- » tia loquitur Hippocrates. Porrò septime- » stres fiunt ex diebus 182. & parte, quæ su- » perest; si enim ex primo mense dies quin- » decim computaueris, quinq; verò mensium » dies 147. cum dimidio (siquidem vndesexaginta diebus quàmproximè duo menses in- » tegrantur) his, inquam, sic numeratis ad » septimum mensem constituendum supersũt » dies plures quàm viginti; cùm adhuc diei » pars parti quotæ additæ adiungenda relin- » quatur. At hæc summa dimidium annum » conficit.

Adhuc vberius allata expositio explicatur, & Hippocratis verba declarantur.

Cap. 12.

HAec ille; quibus inferre latissimè patet, ex eo quòd accepris de primo mense diebus quindecim, scilicet parte maiore, & quinq; sequentibus integris, adhuc de summa dierum 182. cum semisse, supersunt ad septimum constituendum dies 20. & horæ tres; qui dies maiorem etiam septimi partem continent, ideoq; septimestre spatium plenissimè constituunt; hæc verò mẽsium summa complet dies 182. cum hor. 15. & dimidium anni, septimestrem diebus 182. cum parte insuper aliqua, & quod idẽ est, dimidio anno oriri, quod initio probãdum proposuerat; quasi ita fuerit argumẽtatus. Qui partem maiorem de primo mẽse & septimo in ortu capiunt, verè sunt septimestres; sed qui dies de primo mense quindecim, de septimo amplius quàm viginti capiunt, maiorem partem de primo & de septimo in ortu capiunt; igitur qui de mense primo dies quindecim, de septimo amplius quàm viginti capiunt, sunt verè septimestres. At qui dies de primo quindecim, de septimo amplius quàm viginti capiunt, diebus constant 182. cum hor. 15. igitur & septimestres diebus 182. cum hor. 15. constant. at summa hæc dierum anni dimidium est; igitur dimidio anno nascuntur septimestres, quod erat demõstrandum. siquidem hoc est quod concludit verbis illis minorem ponens propositionem, & ipsam conclusionem tacens. At hæc summa » dimidium anni conficit. voluit enim dicere, » hæc summa dierum 182. cum hor. 15. quam probauimus septimestre spatium comprehendere, dimidium anni conficit; igitur (quod reliquit breuitatis de more amantissimus) septimestres die 182. cum hor. 15. & dimidio anno oriuntur, quod initio probandum proposuimus. Addidit autem diebus 182. verba illa. καὶ προσόντος μορίου, scilicet & parte, quę superest. ob horas 15. quas diebus 182. addere oportet, vt dimidius annus exactè assurgat. vltra enim integram summam dierum 182. hoc superest tempus adij-

adijciendum; quam sanè adijciendam partem mox & μέρος, πόσον γινόμενον, idest quotam partem additam, & τὸ μέρος τῆς ἡμέρης .s. diei partem vocauit; per τὸ μέρος πόσον diei dimidium intelligens, horasq; duodecim, per τὸ μέρος τῆς ἡμέρης, octauam insuper diei partem, scilicet horas tres (quę summa horas quindecim conficit) diebus 182. adijciendas, vt dimidium anni integretur. Dixit rursus dies 59. menses duos quàmproximè conficere, quia ciuili Lunari mense hoc loco vtitur Hippocrates; vt verò Geminus in libro de Apparentijs Cęlestibus auctor est, Lunaris ciuilis mensis dierum est vigintinouem cum dimidio; vnde bimestre spatium dierum fit quinquagintanouem: vt propterea quòd Luna bimestris sit dierum 59. mēses ciuiles alternatim Græci idcircò agerēt plenos, & cauos; κυλλὸν mensem, scilicet cauum dierum 29. vocantes, plenum dierū 30. de qua re tertio de Diebus Decretorijs apud Galenum mentio est, atq; apud Censorinum de Die Natali his verbis eleganter. Minimè, inquit, videntur errasse, qui ad Lunæ cursum menses ciuiles accomodarūt; vt in Græcia pleriq; apud quos alterni mēses ad 30. dies sunt facti, siquidem Græci inter duos plenos ac tricenarios vnum cauum, ac dierum 29. collocabant. quanquā & apud Hippocratem sexaginta itidem dies duos menses integrant, vt infra demonstrabimus. Hinc verò causa elucet, cur ciuilem Lunarem mensem hoc loco ipse recipiat, qui minor est quàm mensis tricenarius; id enim facit, tùm quia huiusmodi mensis in vsu erat apud Græcos, tùm maximè quia hac recepta mensis quantitate plures dies de primo & septimo veniunt in computationem dimidij anni ratione. Si enim menses tricenarios accepisset, non amplius quàm sexdecim dies de primo, & septimo sumere potuisset; qui, etsi satis fuissent ad septimestrem constituendum, cùm maiorem illorum partem contineant, id tamen non adeò clarè probare videbantur.

Cap. 4.

Quòd falsò nonnulli scripserint, hoc loco Hippocratem tricenarios menses reijcere.

Cap. 13.

HOc verò eos plenissimè redarguit, qui ideo per Lunares synodicos menses hoc loco Hippocratem gestationis efficere computationem contendunt, vt tricenarios mēses, vel Solares reijciat, computationēq; in libro de Carnibus per tricenarios factam corrigat, & omnino condemnet. quos tamen (vt alia interim alijs in locis à nobis adducta silentio inuoluamus) & ipsa Hippocratis in præsenti loco disputatio, scopusq; disputationis, & ipsa verba diuini Senis de huius sententiæ falsitate satis admonere potuissent; cùm & ob causam iam expositam Lunaribus magis in pręsentia vti ei placuerit; & conditionem apponens, his quidem non perpetuò vtendum nobis esse apertè doceat. siquidem ita scripsit. ἢν γὰρ τοῦ πρώτου λογίσῃ μηνὸς. &c. & mox. τῶν δὲ πέντε μηνῶν. scilicet ἢν λογίσῃ. vt rectissimè Ferdinandus Mena, ac Theodorus Zuingerus alioqui damnatus auctor in suis versionibus expresserunt. Quare inquit, si pro quinq; mēsibus computaueris dies 147. nō inquit perpetuò esse computandos, quasi tricenarios reijciat; sed si computaueris, proindeq; Lunaribus vteris, clarius, vt dicebamus, demonstrari, septimestres dimidio anno gigni; vt iam perspicuum sit, Hippocratem conditionaliter locutum computationem, quæ fit per menses tricenarios, hoc loco non respuere. quod ex hoc etiam altero patet euidenter; quòd conditionaliter etiam loquitur, dum dies vndesexaginta dicit conficere duos menses: quod valde miror Interpretum animaduertisse neminē. Verba autem hæc sunt. ἢν γὰρ ἑξήκοντα μιῆς δεούσης ἡμέρας. & subaudiendum necessariò ex superiori oratione, λογίσῃ, ἐγγύτατα δύο μῆνες ἐκτελευῶνται. quorum talis ad verbum est sententia. Si enim sexaginta vno deficiente die computaueris, quàmproximè duo menses perficientur. quod totum adiecit Hippocrates, vt doceret, qua ratione ab eo dictum fuerit, dies 147. cum dimidio quinq; menses integrare. At hîc, vt vides, non dicit absolutè vndesexaginta dies mēses duos conficere, quasi aliter menses cōputari non debeant; sed conditionem apponit, & inquit, si dies vndesexaginta accipias, scilicet ex Lunarium mensium supputatione, duos menses quàmproximè hoc dierum interuallum perficere; adeò vt verè dici possit menses quinq; diebus 147. cum dimidio conflari. quare nullo pacto reijcit tricenarios, quin potius hos dies non quidem absolutè duos menses efficere dicens, sed ἐγγύτατα, idest quàmproximè, luce meridiana clarius ostendit, alium dari dierum numerum, qui duos menses non quàmproximè, sed exactè omnino absoluat; quod ob tricenarios menses ab Hippocrate dictum fuisse, tanquam ad gestationem computandam longè aptiores, & nemo mentis compos dubitare potest, & infra hoc eodem libro

bro nos clarius mõstrabimus. præterquàm-
quòd cùm, vt isti fatentur, antiqua fuerit
Græcorum per tricenarios menses compu-
tandi consuetudo ab Hippocrate alijs in lo-
cis tàm crebrò recepta; si ipsã vel reijcere,
vel emendare hoc loco voluisset; certè cur
ita faceret, erat illi omnino ratio afferenda:
de qua re nullum, vt patet, verbum habe-
mus. Sed quid plura? in hoc eodem Opu-
sculo de Septimestri Partu, in quo veterem
reijci ac emendari per tricenarios menses
factam computationem isti volunt, hos ip-
sos tricenarios menses recipi (nisi valde fal-
lor) satis constat: siquidem Hippocrates ver-
bis apertissimis indicat sextum quadrage-
narium octauum mensem terminare; volẽs,
qui hoc expleto quadragenario in lucem
veniunt, nonum mensem attingere, ideoq;
nasci vitales, tametsi horum plures perire
existimauerit; quia parum absint ab huius
quadragenarij malignitate. eius autem hęc
» sunt verba. Quicunq; verò ægrotans in v-
» tero ad nonum mensem peruenerit, & in
» hoc mense natus fuerit, superstes erit. at
ægrotare in vtero declarauit per dies qua-
draginta; in quibus si quis nascatur, dixit
paulò supra, & octauo mense nasci, & im-
possibile esse vt superuiuat: itaq; præteri-
to hoc sexto quadragenario vult ad nonum
mensem perueniri. at hoc verum esse non
posse nisi recepta mensium tricenũm quan-
titate palàm est; quoniam dies 240. octauo
mensi tricenario finem imponunt, simulq;
& sexto quadragenario. His addo, ad finem
Opusculi de Partu Octomestri dies tres
partem mensis decimam appellari; quod nõ
nisi hoc recepto mense habet veritatem.
quo loco cur diem vnũ esse quàmproximè
trigesimam mensis partem, dies duos ferè
quindecimam dixerit Hippocrates, infra
explicabimus. quare hac ipsius disputatio-
ne rectè intellecta tantùm abest ex ea men-
ses tricenarios reprobari, vt maximè poti-
us comprobari videantur.

Hippocratici hoc in loco consilij ratio aperitur.
Cap. 14.

VErùm, vt redeamus ad rem, cur laborẽ
hunc sumpsit Hippocrates? quæ sa-
pientissimum virum causa impulit, vt nite-
retur ostendere, septimestres ex dimidio
anno constare, quod Interpretum video cõ-
siderasse neminem? Sanè id fecit, meo qui-
dem indicio, quia anni dimidium, & quod
in idem redit, dies 182. cum hor. 15. & se-
mestre confectum spatium, vt libro tertio,
& sexto demonstrauimus, tùm periodi, tùm
fœtus humani naturæ ratione necessarium
est ad maturitatem; cùm ante hoc tempus
secus quàm nonnulli existimauerint, neq;
maturus, neq; vitalis humanus partus exi-
re queat: de qua re paulò infra quædam di-
sputabimus. Quòd, si quis in præsentem
eius disputationem accuratè animum intẽ-
dat; videbit satis perspicuè ipsum signifi-
casse: vt non sine magna causa tanto appa-
ratu verborum, & circuitu monstrare cona-
tus sit, septimestres die 182. cum hor. 15.
constare. enimuero postquam id probauit,
statim ita subiungit. ὁκόταν ἐς τὴν ἀρχὴν τῆς »
τελειώσεως ἔλθῃ ταύτην. ἔλθῃ, inquam, οἱ ἑπτά- »
μηνοι necessariò; nam de illis habet disputa-
tionem. quare sententia erit, cùm septi-
mestres ad hoc perfectionis principiũ per-
uenerint, maturo iam fœtu pelliculas cal-
citratu dirumpere, ac partum fieri cogere.
sed quale nam quæso principium perfectio-
nis explicauit nobis Hippocrates verbis su-
perioribus? inquit enim. ἐς τὴν ἀρχὴν τελειώ- »
σεως ταύτην. quod est. ad huiusmodi, scilicet »
iam expositum perfectionis principiũ. cer- »
tè nullum aliud nobis ipsum explicuisse vel
fingentibus occurrit, quàm quod septime-
stris enarrato dierum aceruo transacto ac-
quirit; nimirum quia, cùm ad id tempus
peruenit, ad principium quoq; peruenit
perfectionis; quod apertè significauit Hip-
pocrates dicens, cùm ad hoc perfectionis »
principium; scilicet ad diem 182. cum se- »
misse, fœtus peruenerit. huiusmodi nanq; »
tempus, huiusmodiq; dierum interuallum
tùm periodi Cœlestis ratione, tùm ob ma-
teriæ temperamentum, ex qua formatur se-
ptimestris, tùm ob hominis naturam ac tẽ-
perationem, hanc habet naturaliter pote-
statem, vt principium perfectionis huma-
no partui afferat. ex quo & eodem Opu-
sculo paulò infra ad hęc animum intendens
Hippocrates pulchrè literis consignauit,
peculiarem vim in corpora mensem habere,
ideoq; menses septimos (intelligens potis-
simum anni Solaris dimidium, ac dierũ 182.
hor. 15. interuallum, quod supra expresse-
rat) fœtui principium afferre perfectionis.
siquidem scripsit. tanquam peculiarem in »
corporibus vim mensis habeat. Vnde sanè »
septimi menses his, quæ vterum gerunt, fę- »
tus in principium perfectionis constituũt.
neq; enim mensis vt mensis vllam habet in
corpore potestatem, sed vt Lunæ continet
cum Sole cõfigurationes; neq; septimi mẽ-
ses vt septimi afferunt fœtui perfectionem,
sed quatenus dimidium Solaris anni com-

plectentes ob Solis motum contrariam afferunt temperationem; ideoq; periodi, & dichotomiæ naturam induentes mutationem portendunt: qua de re copiosè præcedentibus libris dictum fuit. Quare non sine magna causa tãta diligentia conatur Senex oculatissimus ostendere (quasi quid septimestris spatij nomine intelligere debeamus nobis explicet, quonè dierum numero primùm terminetur) septimestres dimidio anno constare, ac dierum 182. & horarum 15. interuallo: non sine magna causa hunc dierum aceruum adeò religiosè notat; cùm enim ad id tempus peruenit fœtus, ad perfectionis principium peruenire existimauit, & ex consequenti hoc dierum spatium tanquam necessarium expressit ad vitalem fœtum producendum; cùm nemo nisi insanus dicturus sit, fœtum nasci vitalem posse, nisi saltem principium perfectionis assequatur, si non omnimodam absolutãq; perfectionem queat habere; cùm ante perfectionis tempus saltem inchoatæ partus si exeat, quia immaturus sit, non vitalis omnino sit proditurus; quod sanè perfectionis principium tanto emenso tempore, scilicet dierum 182. interuallo, & non ante ponit Hippocrates humanum fœtum recipere. Quod si ita sentit Hippocrates, videant eruditi quàm rectè nonnulli scripserint recentiores, qui magnam de se apud omnes concitarũt expectationem omnis circa humani partus negotium tollendæ difficultatis; proposuisse quidem eum die 182. cum semisse genitum non ante, & qui dimidium exactè annum expleuerit viuere; sed huius rei causam apertè non reddidisse, sed eam tamen dimidij anni mentione tacitè innuisse: hanc verò tandem causam nõ aliam esse, quàm quòd non dum perfectus est fœtus; perfici verò, vbi dimidium exactè annum attigerit. quia Sol vt generationis, ita & perfectionis auctor, eo tempore geniture locum, cui è diametro opponitur, rectis, ac fortibus radijs illustrat. enimuero apertè huius rei causam Hippocratem reddidisse, nec aliam vllam præterquàm fœtus perfectionem, satis superior docuit disputatio. Quod autem adiungunt, hoc exacto temporis interuallo perfici fœtum, quia Sol oppositum locum teneat; hoc esse nil aliud quàm ad Astrologicas, de genere in genus transcendentes, causas confugere, palàm est, atq; pro naturali ac firma Astrologicam & nutantem causam afferre; quæ etiam in sua schola non leues patiatur oppositiones, & calumnias; eò quòd oppositio radius omnino sit hostilis, ideoq; noxam, malum, non bonum, vtilitatemq; vllam possit afferre; proindeq; Sol ea ipsa ratione, quia oppositus, vitam potius auferre partui debeat quàm tribuere vel Ptolomæi ac melioris notæ Astrologorum decreto, & testimonio. Præterea, quod tandem ponunt Solem in Signifero Orbe non æqualiter moueri, cùm ab initio Libræ ad Arietem in 181. aut 182. die moueatur; ab initio autem Arietis ad initium Libræ non citius perueniat quàm 184. diebus; Ptolemæo repugnare; qui in Almagesto docuit receptus à Rheinoldo in præfatione ad suas Theoricas, Solem in medietate Zodiaci boreali semper cõficere dies 178. ferè. quare num sententia nostra de causis, cur dimidio anno & 182. die non ante humanus fœtus suam recipiat maturitatem tùm libro tertio, tùm sexto à nobis ex Hippocrate, & Aristotele explicata, horum placitis anteponi debeat, docti viri iudicabunt. Iam verò, vt redeamus ad propositum, & altera etiam grauis causa, de qua plenius sequenti libro agetur, meo quidem iudicio, Hippocratem impulit, vt septimestres hoc loco die 182. cũ semisse gigni demonstraret, tanquam eo termino, in quo primùm vitales existãt; cùm .n. vniuersa disputatio in octomestrium gratiã ab eo sumatur, quemadmodum vel ipso teste alibi monstrabimus; videlicet vt quid sint labores octomestres, quãdo incipiant, quam ob causam fiant, quid mensis octauus, & sextus quadragenarius, quam habeant sedem, & quod initium, nobis aperiat, necessarium illi fuit de septimestri antea agere, & quo primùm tempore principium illi perfectionis accedat, vitalisq; proinde in lucem venire possit, constituere; vt quo etiam tempore octauus mensis, sextusq; quadragenarius incipere possent demonstraret. Quare si, vt nonnulli volunt, breuiori spatio principium adipisci perfectionis, vitalemq; in lucem venire partũ posse Hippocrates existimasset, mancus profectò fuisset illud non exprimens.

Adhuc de Hippocraticæ disputationis consilio quædam, nonnullorum reijcitur opinio.

Cap. 15.

SEd & tertiam benigne lector, nostra sententia, causam accipe; cùm .n. huiusmodi interuallum ad vitam fętui impertiendã necessarium, superficietenus consideratum semestre potius esse videatur quàm septimestre; ex quò & nonnulli, vt Polybus apud Plu-

Cap. 18.

ff. de suis et legit. hered. §. intest.

Cap. 4.

Plutarchum libro quinto de Placitis Philosophorum, cuius verba paulò infra adducemus, alijq; permulti apud Clementem sexto Stromaton sex mensium tempus & dimidium anni ipsum appellarunt: & Vlpianus partum hoc temporis interuallo genitum, vt hosce scopulos effugeret, non tàm septimestrem quàm 182. die natum fortasse dixit. item cùm non minus receptum Veteribus esset, nullum ante septimum, septimo primùm vitalem fœtum prodire, quẽadmodum septimo Hist. memoriæ prodidit Aristoteles; quod aliquo modo dissonum à priori dogmate videtur: sapientissimus Senex duo hæc, quæ experientia comperta, & ratione auctoritateq; probata apud Veteres omnes erant, & tamen inter se contraria apparebant, hoc loco tanquam vera supponens, subtiliter pulchreq; probare aggreditur, vt omnem tollat difficultatem, quomodo veritatem habeant; quoue modo septimestres partus hoc eodem spatio gigni, & constare valeant, &, quod idem est, semestri nihilominus interuallo. videbat enim vir acutissimus ex hac sua disputatione simul etiam & explicari, quo pacto humanus partus septimo primùm, & nihilominus die 182. cum hor. 15. & dimidio anno, quod sex alioqui non septem mensibus integratur, & tempus est necessarium ad vitam fœtui impertiendam, vitalis prodire in lucem possit. vt iam toto, vt aiunt, Cœlo aberrare videantur, qui dicunt, neq; hac computandi ratione Hippocratem hoc loco vti, neq; anni medietatem eo consilio exprimere, quasi duxerit esse necessariam ad fœtus vitam; quasiq; ante hanc dierum summam vitalem partum prodire non posse existimauerit. ex quò & inquiunt, ipsum quidem asseruisse, septimestrem partum habere dies 182. hor. 15. idest medietatem anni Solaris; non propterea negasse, ante id spatium posse viuere septimestrem, aut sexto mense natum; quod experiẽtiæ & rationi affirmant repugnare: sed eo tantùm consilio hæc dixisse, vt contra Auctorem libri de Carnibus palàm fiat, plenos, exactosq; menses esse excludendos; item vt per Lunares menses computatione facta (quod & supra quoq; animaduertimus) Solares penitus reijciantur. ex quò & adijciunt, neq; Hippocratem anni medietatis facere mentionem, vt velit omnem septimestrem precisè hunc numerum attingere, sed vt ostẽdat, quia medietas anni principium est septimi siue Solaris, siue Lunaris, non solùm in fine mensis septimi, sed etiam in principio nasci vitalem septimestrem. quæ quidem vtrum quadrent ad Hippocratis orationem, alij iudicabunt; mihi certè videtur, si plenos tantùm menses aduersus illũ Auctorem voluisset excludere, nullam fuisse illi necessitatem, vt potius anni Solaris medietatem, quàm aliquam aliam dierũ summam exprimeret, dummodo septimi initiũ attingeret; vt tanta diligentia tanto verborum circuitu septimestres diebus 182. hor. 15. constare ostenderet. Nam poterat commodè accipere diem 178. & vltrà; item maiorem summam quàm dierum 182. & hor. 15. ponere; quibus omnibus commodissimè ostendebatur, mensibus plenis non fieri computationem. Quòd verò medietatem anni eo consilio non posuerit, quia, cùm principium Solaris, ac Lunaris septimi cõplectatur, hoc ipso monstrabat, non solùm in fine, sed in principio septimi mensis vitalem fœtum nasci, hæc mihi persuadent. Primùm enim huiusmodi summa (quod & supra Ferdinando obijciebamus) non attingit principium septimi Solaris, sed tantùm finem sexti: est enim dimidium Solaris anni, quod sex Solaribus mensibus integratur. Itaq; ea posita non propterea probauit initio Solaris mensis septimi nasci posse partum vitalem. Deinde si id voluisset, satis fuisset illi eum ponere dierum aceruũ, qui principium attingeret septimi Lunaris mensis, scilicet dies 178. cùm omnibus perspicuũ sit, si partus vitalis nascitur in principio Lunaris septimi, posse etiã longè facilius initio septimi Solaris, qui plures dies capit, vitalem oriri; quare id videretur indignum Hippocratis ingenio. Reliquum est igitur grauissimis illis de causis, quas supra explicauimus, impulsum diuinum Senem hanc dierum summam exprimere voluisse. Quòd verò anni Solaris medietas sit ad vitalem fœtum producendum necessaria, & qua de causa, adeò vt hoc spatium gestatio capere debeat, tertio libro, & sexto, quin etiam & paulò supra ex Hippocratis mente fusè probatum est; qua de re infra etiam disputabimus. cur autem Lunaribus mensibus hoc loco vtatur, superius etiam fuit explicatum; sicuti & hoc alterum, quòd nõ propterea tricenarios ipse reijciat; quos quidem menses tricenarios dum isti Solares appellant, non parum hallucinantur; cùm Solaris mensis à tricenario omnino differat. Quòd verò aduersus Auctorem de Carnibus plenos, exactosq; menses noluerit excludere, primum & septimum mutilos accipiens; illud certè argumento est, quòd ille

idem libri de Carnibus Auctor partum fieri vitalem, immò & maximè non exacto plenoq; etiam mense definit. Nam partũ dierum 280. maximè vitalem esse inquit & perfectum; at hunc nouem esse mensium dicit ac dierum præterea decem; quem & in Opusculo de Partu Octomestri decimestrem non semel appellat; itaq; & vitalem partum gigni mense non expleto arbitratur; cùm huiusmodi partus dies tantùm decem de mense decimo habeat, & sic ipsius ferè capiat tantùm initium.

Quædam adducitur dubitatio, & dissoluitur. nonnullorum affertur opinio, & confutatur. Cap. 16.

VErùm pulchra oritur dubitatio ex superioribus; si enim primi mensis & septimi parte maiori opus est, vt partus verè septimestris sit, ac dici mereatur; igitur qui exempli gratia nouilunio conceptus & prima primi mensis die, inde ad diem 182. orietur, nõ erit verè septimestris, vt qui nõ maiorem attingat septimi mensis partem, sed vix dum in sextam ipsius diem incurrat. quæ fortasse ratio Fernelium virum doctissimum impulit, vt in suis Consilijs literis mandaret, vt partus verè sit septimestris, quemadmodum paulò infra docebimus, opus esse, vt diem circiter 21. de septimo capiat: siquidem hoc sua verba sonant, si quis ea rectè consideret. Respondemus id nequaquàm esse necessarium, atq; hoc ex Hippocrate facilè probamus; qui eodem hoc Opusculo partum primos mensis noni dies capientem nonomestrem appellat, & fatetur vitalem; vt simili ratione eum, qui initium septimi tangit, septimestrem ex ipsius mente appellare debeamus. quam veritatem grauissimus auctor Plutarchus comprobat libro quinto de Placitis Philosophorum, vbi hanc eandem recitans sententiam, eamq; Polybo attribuens, quem Veteres libelli de Septimestri Partu auctorem esse existimabant; nil aliud requiri ab eo asserit ad partum septimestrem constituendum, nisi quòd dies, qui sexto mensi desunt, de septimo accipiantur; atq; eius hæc est oratio Xylandro interprete. Polybus vitalem prolem nasci diebus post conceptum 182. cùm dimidio; hoc enim esse sex mensium tempus, quanto etiam Sol à Tropico ad Tropicum decurrat. Dici autem septimestrem, cùm dies, qui huic sexto mensi desunt, à septimo adsumuntur. Hæc ille; quo ex loco quomodo recentiores nonnulli (vt interim hoc non prætermittam) colligere audeant, Polybum docere, non die 182. cũ semisse, sed, quasi Magistri sententiam emẽdaret, die 180 septimestrem partum vitalẽ edi; huncq; dierum numerum septimestrem terminum constituere, equidem non video: cùm & Græci codices Plutarchi omnes, quos viderim, & Budęi, Xilandriq; interpretatio habeant die 182. cum semisse, nequaquam die 180. quin etiã & in libello de Historia Philosophica, qui Galeno adscribitur, & apud Clementem sexto Stromaton, quibus in locis eadem Polybi sententia enarratur, idem omnino temporis exprimatur interuallum. quod & eò magis mirum videri debet, cùm isti, Plutarchi locũ hunc aliquando adducentes, centum & octuaginta duos dies dimidiatumq;, vt vulgata habet lectio, legisse videantur. Dicere autem voluit his verbis Polybus (vt mea fert opinio) quoniam plerunq; euenit, vt primo mensis momento mulier non concipiat; sed sæpe fit, vt quinta, sexta, septima, vel sequẽtibus fiat conceptio; si exempli gratia dies 182. cum dimidio à primi mensis die sexta computẽtur, supersunt iuxta tricenûm mẽsium rationem dies 24. de primo hoc mense numerandi; item pro quinq; sequentibus mensibus dies 150. quæ summa dies conficit 174. itaq; pro sexto integrando à conceptionis die mense desunt adhuc dies octo cum dimidio (siquidem mensis sexti nomine intelligit Polybus semestre interuallum, quod anni dimidium complet; summam videlicet dierum 182. cum dimidio) qui sanè dies octo cum dimidio cùm è septimo mense adsumantur, efficiunt, vt partus dicatur septimestris; quare non arbitratur Polybus necessarium, vt maior septimi pars in computationem veniat. quod enim necessariũ requirit, vt satis patet, ad partus maturitatem, est summa dierum 182. cum horis. 15. scilicet anni ipsius dimidium: vt propterea Vlpianus libro decimotertio ad Sabinum, hæc fortasse secum ipse cogitans, partum hunc hac etiam de causa non tàm septimestrem, quàm centesimo octogesimo secundo die natum, videatur appellasse; videlicet vt dierum exprimeret interuallum, quod ad vitam potiendam est fętui necessarium. Verùm Hippocrates ob causam superius allatam de primo, & septimo in computatione maiorem partem accepit, non tamen id esse semper necessarium arbitratus est; ideo, vt toties monuimus, conditionem apposuit. neq; enim dixit necessariò esse dies quindecim semper de primo numerandos, de septi-

mo 20.

Cons. 53.

Cap. 18.

ff. de suis et legit. hær. §. intest.

mo 20. & partem septimi maiorem; sed si numerentur, hac via planius demonstrari, vt antea fuit expositum, die 182. cũ semisse genitum ac circiter, verè esse septimestrem. atq; hinc elucet (vt obiter hoc loco id tangamus) quare Hippocrates partus dierum 280. decimestres appellauit; id enim fecit, quoniam non solùm iuxta tricenûm mensium rationem hoc tempus in mẽsis decimi principium incurrit, videlicet in decimum illius diem; verùm etiam quia vidit, quòd habito Lunarium mensium respectu maiorem ferè quàm dimidiatam mensis decimi partem apprehendit: sunt enim nouẽ Lunares menses dies 265. cum dimidio, quibus desunt dies ferè quindecim, qui amplius quàm dimidium Lunaris mensis capiunt, vt summa assurgat dierum 280. Cæterum ex hac nostra tota disputatione nemo est, qui non videat, nihil eos dicere, qui hoc Hippocratis dictum diem 15. in septimestri fœtu ex primo mense sumentis considerantes, proindeq; plenilunio fieri ipsius conceptionem supponentes; item & alterum illud Plinij, septimestres nõ nisi pridie posterouè plenilunij die genitos nasci, vel interlunio; asseruerunt dictare rationem, sicuti fœtus, qui præproperè exit, maiore quàm qui serius, robore præditus est; robur autem accedit maius ex Lunæ calore, cùm plena est quàm aliàs; ita par esse, vt septimestris fœtus, qui vitalis est, Luna potius plena conceptus fuerit quàm silẽte: contra etiam verisimile esse, cùm interlunio Luna Solis lumine destituta exiguum nobis calorem impertiatur, si quis eo tempore conceptus fiat, quòd illi non ita firma principia sunt, non etiam æquè celeriter ac perfectè in vtero æquali tempore adolescere posse. propterea Hippocratem rectè statuisse, septimestrem, qui vitalis sit proditurus, Luna plena esse conceptum; non negasse tamen alio illum etiam tempore concipi posse, licèt non vitalem; Plinij autem sententiam septimestrem nouilunio conceptum nasci asserentis, de septimestri non vitali veram esse: qui (inquam) talia scribunt, nihil verè docere, ex superioribus palàm est. Quandoquidem primùm quòd fœtus, qui præproperè exit, maiori quàm qui serius, robore præditus sit, hoc mihi valde dubium; ita enim septimestris nonomestri esset robustior, ac ipso decimestri; quod, vt suis locis ostendimus, Hippocrati, Aristoteli, rationi, demum experientiæ contradicit. iam enim libro tertio explosus illorũ error est, qui septimestrem partum cæteris arbitrabantur perfectione antecellere. Deinde & illud controuersum, Luna plena robur cõceptui accedere maius quàm silente; nouilunio enim ob frigidiorem ambientis statũ fieri antiperistasim caloris in ipso semine, hincq; vel robur maius, vel non certè minus fœtui accedere posse quàm plenilunio, & suis locis diximus, & valde rationi est consentaneum. hinc pleraq; in natura maiorem silente Luna sentiunt alterationem: quod in maris æstu præcipuè spectari suo loco adnotauimus; hinc Aquilonio flatu fœtus & mares procreantur, & robustiores. cur igitur silente Luna septimestris conceptus par adipisci robur non poterit? Prætereo non tantum esse in plena Luna calorem, vt insigne istud robur valeat fœtui impertiri; plenilunium enim plerunq; humectat, vt ipsa docet experientia; at si Præceptori credimus vigesima quarta Quæstionum, id facit Luna, quia coquendi siccandiq; nõ obtinet potestatem; nõ obtinet autem ob sui caloris imbecillitatem, vt ipse inquit, propterea dicitur humificare; mouet enim humores, sed coquere, exsiccareq; non valet. non minus igitur nouilunio roboris impartiet pro rei temperamento, & idcircò eo etiam tempore conceptus septimestris vitalis in lucem prodire poterit; quare, & Plinij sententia (quam suo loco infra explicabimus) etiam de vitali septimestri intelligenda. qui certè non leuiter errasset id non dicens, si ita sensisset; cùm in eadem serie tàm septimestres nouilunio conceptos quàm conceptos plenilunio videatur collocare. præterquamquòd non solùm his temporum articulis, plenilunio scilicet & nouilunio, sed etiam alijs temporibus gigni possunt septimestres, & vitales gigni: qua de re suis locis diligenter est dictum; paulòq; supra ostensum Hippocratem non illius fuisse sententiæ, vt vellet omnes septimestres (etiam si de vitalibus intelligamus) plenilunio necessariò concipi. Sed de huius obscurissimi loci explicatione hactenus dictum; in quem si quis acrem intenderit aciem, verum nos fortasse ipsius sensum attigisse confitebitur. Nunc quæ sequuntur de septimestribus ab Hippocrate disputata, enodanda suscipiamus; quæ, quia disseruntur subtiliter, vtinam satis illa dilucidè dixerimus pro rerum obscuritate.

Prob. 14.

Quòd

Quòd duo de septimo genitis indaganda sibi proposuerit Hippocrates initio Opusculi de Septimestri Partu. Primum explicatur. Fernelius, Interpretesq; reijciuntur.

Cap. 17.

DVo autem sunt, quæ & in explicanda computandi temporis septimestrium ratione, & sequentibus mox verbis docet diuinus Senex de genitis mense septimo; quorum etiam omnium causas reddit. Primum est, nasci hos partus enarrato dierum interuallo, idest anni dimidio, vitales; secundum, ex his plures intermori. quod enim addit, pauciores, nonnullosq; seruari, cum priori, quod posuit, hos partus maturos nasci, ac proinde vitales, in idem redit. Inquit igitur primò gigni eos (ac vitales intelligit) diebus cētum, & octoginta duobus cum horis quindecim; quod quidem tēpus, vt præcedentibus libris, & supra diximus, breuisimum omnium est, in quo possit humanus fœtus naturaliter recipere maturitatem. vt enim Galenus notat in suis Commentarijs, nullæ mulieres citrà hoc tempus, omnes vltrà parere conspiciuntur. ex quo loco colligamus nos, partum & exactè septimestrem esse posse, qualis est, qui tertia expleta hebdomadum decade exoritur, qui ducentis & decem diebus exactè confectis in lucem venit; de quo libello de Principijs sermonem habuit Hippocrates. item non exactè septimestrem; vt qui benè vitalis, antequam septimum impleuerit mēsem, immò & cum septimum vix attingit, prodire valeat, vt qui die 182. hor. 15. in lucem venit; de quo præsertim disputatio est libello de Septimestri Partu hoc in loco, de quo agimus. quandoquidem iam supra ostendimus, non esse necessarium de Hippocratis mente, vt fœtus vel plenum septimum, vel maiorem ipsius partem semper capiat; sed illud tantùm requiri, vt die 182. cum hor. 15. in vtero maneat, aliud præterea nihil; proindeq; vitalem oriri fœtum, tametsi hæc dierum summa in septimi incurrat initium. quamobrem plurimum mihi Fernelium mirari subit virum eruditisimum (quod & aliqua ex parte paulò supra tangebamus) dum in Consilijs suis audet affirmare, non esse necesse, vt verè partus septimestris censeatur, septimum mensem impleuisse; satisq; esse ad hunc terminum aut vltrà, vt intrà dies septem accedere. ita enim de illius sententia partus ante septimum exactum mensem pluribus quàm diebus septem editus, verè septimestris non diceretur; cùm tamen Hippocrates diebus 182. natum (neq; enim semper horæ mihi adijciendæ sunt) inter verè septimestres recenseat, qui, si menses Lunares accipiamus, diebus 24. ante completū septimum in lucem venire potest; si tricenarios, diebus ferè 28. è contra verò post exactum septimū diebus septem in lucem veniens dicendus esset septimestris; qui terminus, si tricenarios menses cogitemus, die 217. concluditur; si Lunares synodicos, die 214. quorum quidem dierum alter in mensis octaui tricenarij diem septimum, in sexti quadragenarij diem decimumseptimum incidit; alter in Lunaris octaui diem octauum, in sexti quadragenarij decimumquartum incurrit; qui profectò termini & octomestrem omnino constituunt, & de communi sententia magnam afferunt fœtui perniciem; vt id Fernelio non fuerit dissimulandum. qua in re ab Hippocratis mente ipsum quoq; recedere arbitror, dum asserit, Lunares tantùm menses illi fuisse compertos; cùm ipse Hippocrates nō semel triginta dierum spatium mensem soleat appellare, vt infra suo loco planum faciam. Sed, vt ad propositū redeat oratio, quare nascatur hoc tempore vitalis humanus fœtus, causam duplicem hîc affert Hippocrates; primam & præcipuā ipsam maturitatem, quam etiam primo loco ob oculos ponit; secundam (de qua mox agemus) postquam alterum exposuit, quòd scilicet ex his septimestribus plures moriātur, & qua de causa; aperit nobis priorem simul & repetens, & explicans antea positā; quod Interpretum video considerasse neminem. Porrò maturitatem hanc in septimestribus principium potius maturitatis ac perfectionis quàm absolutam perfectionem ob causas itidem suis locis à nobis positas placuit Hippocrati appellare; cùm enim fœtus principium nactus fuerit perfectionis, tutò poterit in lucem vitalis exire. siquidē fit, vt illo tempore iam eo maturescente & in perfectione magis quàm antea, vt Hippocrates inquit, robore multùm pollente, pelliculæ, in quibus iam inde ab initio educatus est, à valido motu & robore pueri laxentur, & rūpantur; vnde tempus imminet pariendi. maturitas nāq; ipsa causa est motus validioris, validus verò motus quòd rūpantur pelliculæ, & proinde exeat fœtus. nam & hoc est, quod dicebat libello de Pueri Natura verbis illis, in quibus conuertēdis insigniter Cornarius lapsus est, Gorreus verò, vt reor, non omnino scopū attigit. "Ἐν δὲ τῇσι μήτρῃσιν ἐὸν, ἐγκρατὲς μᾶλλον γίνεται"

εἰς τῶν

Prob. 14.

Cons. 53.

» εἰς τῶν ὑμένων τὴν κατάρρηξιν. idest. Cęterum permanens in vtero, magis redditur potens (nempè quia ipsa accedit maturitas) ad pelliculas dirumpendas. vnde nō attingunt diuini Senis mentem Caluus, Cornarius, Mena, præsertim Lalamantius, cùm verba ipsius græca interpretantur (quod certè Lalamantius apertè expresſit, alij, vt verum fatear, sic verterunt, vt in bonum trahi sensum posſit oratio) hoc perfectionis statu potius quàm alijs tēporibus pelliculas laxari; ita enim sequeretur, laxari eas naturaliter etiā temporibus alijs posse, quæ antecedunt, licèt minus; quod in naturali partu longè dissonū est à veritate. Verùm Hippocratis sententia est, in perfectione magis quàm alio tempore robore pollere fœtum, vt vehementisſimos propterea tunc motus ædat. etsi enim antea moueatur, non tamen adeò validè mouetur, & efficaciter, quemadmodum cùm iam obtinet principiū perfectionis; ideo tunc potest pelliculas rumpere non antea. itaq; prima causa partus vitalis in mense septimo hoc loco ab Hippocrate allata, hæc quidem est nec alia vlla, quòd conceptus per id temporis principiū nanciscatur perfectionis. Hanc editionis veram fętus septimestris causam pulchrè ab Hippocrate hoc loco traditam, cùm non animaduerteret Ferdinandus Mena vir alioqui eruditisſimus in Commentarijs super libello de Partu Septimestri; præfatus primùm partus causas ex Hippocrate libello de Natura Pueri, & de Superfœtatione esse alimenti penuriam, & vteri angustiam; hoc idemq; Aetium Tetrabiblio quarto ex Hippocratis adductis locis collegisse dicens (quod tamen falsum esse, locaq; Hippocratis illa contrarium omnino docere, libro tertio probatum est) sic mentem explicat diuini Senis. » Exemplo itaq; spicarum cōprobauit Hippocrates hanc violentam velamentorum diruptionem; nam sicut illæ, similiter & mala granata, amygdala dehiscunt, sæpius ligneo illo cortice rupto ob molis intus increscentis violentum impetū; sic quoq; quæ cooperire fœtum dicta sunt inuolucra, atq; hoc tàm fit, vbi perfectè maturus est fructus, quàm vbi ipsum maturescere incipit. consequenterq; inde deduces, septimestres partus posse rupto conceptaculo foras erumpere, tametsi nondum exactisſimam nacti fuerint maturitatē. Hæc ille; qui adeò etiam exarsit in hac opinione vt sequenti Commentario hoc idem confirmauerit his verbis. » Ergo qui citius exeunt ex vtero quàm par est, plurimi pereunt ob redditas causas. sed insinuatur nunc tertia, paruitas scilicet fętus haudquaquàm exactè maturi, sed in principio perfectæ maturitatis consistentis, vt præfato iam Commentario notauit. Qui cùm nondum integrè maturuerit eo tempore, necessum est ob paruitatem, cui iuncta sit, necessum est debilitas maiorem sustineat motionem, quàm alij perfecti: tùm quia parui, parua verò promptius ab ęquabili causa pellantur; tùm quia viridiora cùm sint acetabula, quibus vtero colligati sunt conceptus, maiorem violentiam patiuntur, dum dirumpuntur, ab vteroq; auelluntur, ipsaq; inuolucra hiant, calcitratuq; frāguntur. ex quò & paulò post partū hūc absolutè vocat immaturū verbis illis. Quæ si ita habent, cur non patietur maximum periculum fętus quilibet, ac multò magis immaturus, quando ex vtero illi tot menses amicisſimo, & calore quodam viuifico perpetuò fouenti in externas aeris iniurias, implumis admodum, ac planè exarmatus educitur? quod & disputationis antea dixerat initio ita scribēs. » Vnicam duntaxat causam immaturè prodeuntis fœtus tetigisse visus est Hippocrates, dum à plenisſimis, fortisſimisq; embryonibus prædicta inuolucra ruptionem perpeti posse solùm arbitratur: eaq; ratione fieri, vt septimestres nascantur nonnunquam, mole scilicet sua vascula rumpentes.

Com. 2. | Serm. 4. Cap. 21. | Com. 3.

Allata Ferdinandi reijcitur explicatio. Hippocratis verba plenius enodantur. item alia quædam Ferdinandi redarguitur interpretatio.

Cap. 18.

HAec igitur Ferdinandus; Sed certè, vt libro tertio plenius ostēdimus, supraq; tetigimus, & clarius infra dicemus, Hippocrates hos fœtus perfectionis principiū dicit habere aliorum fœtuum, nonomestriū scilicet respectu ac decimestrium; omnimodam verò perfectionem quantùm in ipsis est intelligit habere: quare Ferdinandi explicatio, violenter, & immaturè prodire simpliciter, & absolutè eos in lucem arbitrantis, omnino nulla. qui tamen insigni (nisi me fallo) repugnātia hos ipsos partus, quos septimo nasci vix principium adeptos perfectionis dixit, ideoq; immaturè ac violēter; sequenti nihilominus disputatione cōtra quàm locis superioribus posuerit, omnino maturos ac perfectos in lucem venire asserit; perspicuè scribens infra, sententiam hanc Hippocratis, quòd septimo mēse principium fętūi accedat maturitatis, non de illis,

Com. 35.

illis, qui ſeptimo oriuntur, eſſe intelligendum, ſed de illis, qui vlterioribus menſibus ſunt prodituri. Embryones etiam (inquit) primo mẽſium ſeptenario principium perfectionis ſuſcipiunt, ſicut libri huius initio dixerat, τὴν ἀρχὴν τελειώσεως. quod quidem de his, qui vlterioribus menſibus ſunt naſcituri, ſubaudiendum duxi; nequaquam de his, qui præ robore maximo caloris natiui, tàm vteri ipſius, quàm aliarum cauſarum, valent præcocius eam obtinere perfectionem, quam humana cupit conſtitutio in tàm teneris initijs. Hæc ille; atqui verbis ſuperioribus manifeſtè ita ſcripſit, de illis, qui ſeptimo veniunt in lucẽ ſermonem habens. Sed inſinuatur nunc tertia, paruitas .ſ. fœtus haudquaquã exactè maturi, ſed in principio perfectæ maturitatis conſiſtẽtis. quo igitur pacto verum erit, non quidẽ perfectionis principium hos partus, cùm ſeptimo naſcuntur, obtinere, ſed eam perfectionem, quam humana cupit conſtitutio? &, quod redit in idem, perfectam maturitatem? Præterea Hippocratem, vt vidimus, ſeptimeſtres omnes principium habere perfectionis hoc loco dicere; videlicet eos, qui ſeptimo naturæ lege oriuntur; non ſolùm eos, qui vlterioribus menſibus ſunt naſcituri: quos ſi ſeptimo putauit naſci poſſe vitales Ferdinandus, tametſi principium id perfectionis ſint aſſecuti, vehementer hallucinatus eſt; atqui ſcripſit verbis ſuperioribus. Ergo qui citius exeunt ex vtero quã par eſt, plurimi pereunt ob redditas cauſas. neq; enim citius quàm par eſt naſci dicere potuiſſet, niſi putaſſet ſeptimo etiam naſci, vlterioribus alioqui menſibus propriæ naturæ ratione naſcituros. Erit igitur, vt ad noſtra redeamus, prima, ac vera cauſa ab Hippocrate hoc loco allata, cur hoc temporis ſpatio vitalis exeat infans, quòd fœtus ſuam recipiat per id temporis maturitatem; quam poſt expoſitas cauſas, cur ex his ſeptimeſtribus plures pereant; rurſus & ponit, & explicat, vt ſupra dicebamus, ſimul etiam & ſecundã adiungẽs verbis illis. Ἐστὶ δ᾽ ἃ, τούτων τῶν ἑπταμήνων καὶ περιγίνονται, ἐκ πολλῶν ὀλίγα. Ὅτι ὁ λόγος, καὶ ὁ χρόνος ἐς ὃν ἐτράφη ἐν τῇ μήτρῃ, κατέστησεν, ὥστε μετέχειν πάντων, ὧνπερ καὶ τὰ τελεώτατα μετέχει καὶ μάλιστα περιγινόμενα. καὶ ἐξήλλαξε τῆς μητρὰς πρόσθεν κυήσιος, ἅτε ἐν τῷ ὀγδόῳ μηνὶ νενοσευμένα. ideſt vt nos interpretamur. Sunt autem ex his ſeptimeſtribus, qui ex multis pauci ſuperſtites euadãt; propterea quòd ratio & tempus conſtet, in quo in vtero nutriti ſunt; vt omnia propterea participent, quorum perfectiſsimi ſunt participes, & qui maximè ſuperuiuunt. Quin etiam & venerunt in lucem vtero prius pariẽte quàm ægrotationem octauo mẽſe recipiant. Hæc Hippocrates; quibus perſpicuum eſt, cùm dixiſſet ſupra, ſeptimeſtres naſci dimidio anno, quia principium per id temporis perfectionis nanciſcantur; qua quidem ſententia videbat hos partus naſci vitales ſe neceſſariò poſuiſſe; itẽ cùm propterea adieciſſet, ne quis putaret vel omnes, vel certè plures (tametſi principio perfectionis adepto veniant in lucem) ex his eſſe ſuperſtites, pro maxima parte intermori; cauſas huius rei pulchrè adiungens: cùm hæc, inquam, ita diſputaſſet; præſenti oratione priorem expoſitam cauſam vitæ horum ſeptimeſtrium repetere, & quaſi declararet quid ſit hos partus habere principium perfectionis, quaue de cauſa habeant; opportunè addere, qui ex his ſuperſunt (tametſi pauci) ideo ſupereſſe, quia & tempus, in quo in vtero nutriti ſunt, κατέστησεν, ideſt conſtitit, & ratio tẽporis. quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, propterea, vt ſuperius dictum eſt, hoc ipſo præterito tempore principium adipiſci perfectionis, ſuamq; recipere maturitatem; qua recepta in lucẽ tutò vitales exeunt. nam & hoc verè eſt, ac propriè tempus conſtare, in quo enutriti ſunt in vtero, ac temporis rationem; ideo enim recipiunt maturitatem, quia conſtat hoc tempus, & temporis ratio; ideo ratio huius temporis conſtat, quia dimidiũ cùm ſit anni, & Cœleſtis periodi, & temperaturæ humani fœtus ratione hoc temporis interuallo & mutatio, & ortus, & ante hæc omnia ipſum perfectionis principium, ac maturitas fœtui naturaliter accedunt. quare hæc verba ſine vlla dubitatione priorẽ ſupponunt cauſam, & explicant, vt ſupra diximus, cauſæq;, vt ita loquar, cauſam reddũt, non afferunt nouam, quemadmodum nonnulli crediderũt: quod vt doceret Hippocrates, ſubiecit verba illa. ὥστε μετέχειν πάντων. & c. quibus, vt palàm eſt, infert ex ſuperioribus, propterea hos partus, .i. hac ipſa de cauſa, quia tempus conſtet & temporis ratio; participare ea omnia, quæ perfectiſsimi participant, videlicet ipſum obtinere principium perfectionis. vnde neq; etiam iſta nouam continent, ac ſecundam rationẽ, vt perperam quidam ſunt arbitrati. Verbũ autem illud, κατέστησεν, ſimilem hoc loco ferè habet ſignificationem, quam Aphoriſmorum tertio ſecto participium, κατεστὼς; qua voce, vt exponit Galenus eo loco, ſignificat Hippocrates, tempus quod ordinatim

Aph. 8. Com. 3.

natim suam recipiat temperaturam. quamobrem rectissimè hîc, vt simile significaret, subdidit, septimestres fœtus ideo esse vitales, quia, & ratio & tempus, in quo enutriti sunt in vtero, constiterint; idest, vt nos credimus, suam horum fętuum respectu ordinatim retinuerint naturam. quã quidem verè retinent & tempus, & ratio, quia afferunt fœtibus principium perfectionis; vt sic participes eorum omnium facti sint, quę perfectissimi participant, & maximè vitales; videlicet decimestres, quos iure perfectissimorum nomine Hippocrates intelligit; non autem, vt perperam Lalamantius interpretatur, adultos. & ætate prouectos homines, de quibus ridiculum fuisset dicere, maximè fieri superstites, vt Hippocrates addit. Hi enim partus, vt initio Opusculi de Octomestribus idem docuit, maximè omnium superstites euadunt, & cęteris perfectione antecellunt; quare tempus in illis, & ratio temporis maximè constant, maximam scilicet his partubus afferũt perfectionem; vt meritò Hippocrates dicat hoc loco, septimestres eorum omnium fieri participes, quæ perfectissimi partus participant; perfectionis enim, quæ maximè in illis elucet, participes redduntur. quanquã & horum verborũ alia potest esse sententia; nimirum si ad quadragenarios, & hebdomadas, ad hebdomadumq; decadas ea referamus: quod tamen in his septimestribus, de quibus loquitur hoc loco præsertim Hippocrates, intelligendum est suo modo locum habere. siquidem in decimestribus & ratio septenarij, & quadragenariorum, & tempus ad septenarium relatum, & quadragenarios maximè constant; cùm materia tempore debito pro sui temperamẽti ratione maturescat, & exactum numerum retineat ad hebdomadum decadas, & quadragenarios, quarta exacta hebdomadum decade, septimoq; expleto quadragenario in lucem veniens; quod & in septimestri dierum 210. habet quoq; veritatem, & in eo, qui diebus 200. venit in lucem, quemadmodum ad finem libelli de Principijs ipse docuit. at in minori septimestri, partuq; dierum 182. de quo hoc loco sermo est; id non nisi longè imperfectius, vt sexto libro expositum fuit, quadrare potest; cùm neq; exactis hebdomadum decadibus, neq; exactis quadragenarijs oriatur. Itaq; sententia erit, quia hæc suo modo in eo locum habeant, cùm, si non his expletis temporibus, saltem circiter secundam hebdomadum decadem cum dimidia, circaq; quartum quadragenarium cum dimidio, demum septimo mense incipiente veniat in lucem; editio autem fœtus iuxta Hippocratis placita mensibus, quadragenarijs dierum, hebdomadarumq; decadibus iudicetur, horumq; temporum partibus; idcircò minoris septimestris tempus constare, & rationem. Porrò autem nõ me præterit Ferdinandum Mena in Commentarijs duplicem afferre horum verborũ interpretationem; videlicet vt per rationẽ, ac tempus intelligamus eam rationem, & analogiam, quę inter dies ac tempus est formationis, motionis primæ, ac partus ab Hippocrate sexto Epidemicon & libello de Alimento expositam; vel eam rationem, quę in calce Opusculi de Principijs aperitur ad hebdomadum decadas pertinentem. quasi his de causis æquiparari debeant septimestres ac perfectissimi, quantum attinet ad rationem & tempus; quia scilicet simili proportione, ac ratione tempora gestationis & septimestrium, & perfectissimorum progrediantur; siue formationis, motus partusq; dies inter se conferas, siue decadas hebdomadum. Sed certè quæ adducit Ferdinandus, Hippocrate citatis locis admonente, in partu septimestri dierum 210. vt paulò supra monebamus, habẽt tantùm veritatem; nam in hoc tantùm partu dies formationis, motus, & partus dupli ac tripli exactè seruant rationem; in hoc tantùm ratio exacta decadum hebdomadarum, & numerus exactus locum habet, non in partu dierum 182. horarum 15. de quo hoc loco loquitur Hippocrates, & in quo nõ nisi eo, quem exposuimus, modo hæc locum habẽt. quare aliud omnino cogimur, quàm exactum hunc ad hebdomadum decadas numerum, exactam hanc dupli & tripli in gestatione analogiam, rationis ac temporis nomine, meo quidem iudicio, intelligere. Vt igitur ad propositum reuertamur, satis liquet ex nostra interpretatione, idem profectò esse & rationem & tempus fœtus constare, & participare fœtum ea omnia, quæ perfectissimi participant; cùm alterum horum alterius causam contineat.

Schol. 4. — Com. 4. — Part. 7.

Fusius Lalamantij reijcitur interpretatio, Adhuc primum caput enodatur.

Cap. 19.

AT enimuero quanquam hæc ita sint, Lalamantius ita nihilominus scribit in Commentarijs huiusmodi verba explicans. „ E septimestribus tamen nonnulli etiã (quã- „ quam è multis pauci) superstites maneant

Schol. 4.

» triplici de causa. Primùm quòd iusta tem-
» poris mora in vtero educati sunt. Deinde
» quòd omnia habent, quæ & perfectissimi.
» Tertium quòd, cùm de matris vtero ante
» nonum mensem statum, & legitimum pariē-
» di tempus in lucem venerint, effugerunt e-
» os labores, quos alioqui octauo mense pas-
» suri erant. Sed quid quæso est aliud septi-
mestres iusto & pleno tempore in vtero e-
ducatos esse, quàm & perfectionis recepis-
se principium, & materiam, ex qua geniti
sunt, rationem seruasse, & numerum, &
tempus suę naturę consentaneum? quo mo-
do non possunt nō ea omnia suo modo par-
ticipare, quorum perfectissimi sunt parti-
cipes, & omnium membrorum non habere
perfectam efformationem. quare huiusmo-
di verba nec primam, nec secundam causam
continent vitæ septimestrium, vt putauit
Lalamantius; sed iam superius positam, vt
diximus, explicant; nec si continerent, du-
plicem continerent, sed vnicam tantùm; cū
secunda à Lalamantio allata causa eadem sit
cum priori. quo loco animaduertendū est,
tametsi Hippocrates dicat, septimestres
omnia participare, quæ perfectissimi par-
tus participant; non propterea hos partus,
vt nonnulli existimant, perfectissimos ef-
ficere; arbitrantes magnam esse hac in re
inter ipsum, & Aristotelem dissensionem;
qui septimestres, vt tertio libro vidimus,
imperfectos appellauit. Siquidem diuinus
Senex hos partus pro maxima parte mori
dicens, imperfectiores, quàm faciat Aristo-
teles, eos videtur efficere, qui vt plurimū
eos seruari memoriæ prodidit; & voluit
quidem omnia eos participare, quorū per-
fectissimi sunt participes ob allatas ratio-
nes, sed non tamen perfectissimos esse eos
dixit, nec dicere potuit; cùm vix perfectio-
nis principium habere docuerit. quanquā
& si perfectissimos eos vocasset, nulla esset
controuersia; cùm, vt supra diximus, &
mox infra dicturi sumus, ad semetipsos cō-
parati, sicut ἁδρότατοι ab eo dicuntur, idest
maximè maturi, ita & perfectissimi dici
possint. Altera & secunda causa est, cur
vitales exeāt septimestres, hoc loco ab Hip-
pocrate allata, tametsi verbis explicata ob-
scurissimis, quòd nascantur ante sextum
quadragenarium, & antequam octauū men-
sem attingant ex vtero prodeant; quo in-
cipiente arbitratus fuit Hippocrates pue-
ros, qui in vtero extiterint, ægrotare. cùm
enim ægrotatio hæc, quæ fœtum in vtero
existentem octauo mense inuadit, ex mem-
branarum, pellicularumq; ruptura, quæ
ipsum ambiunt, ortum ducat, vt sequenti
libro ex eo apertè demonstrabimus; iure e-
uenit, vt iam maturescente septimestri, atq;
ad motum ipsius pelliculis fractis ac laxatis
aliquibus, si non omnibus; si mox, quæq;
illa causa fuerit, in lucem fœtus exire ne-
queat, in vteroq; retineatur, dictam ægri-
tudinem contrahat: atq; hoc est, quod do-
cebat Hippocrates postremis verbis præci-
tatis. καὶ ἐξήλλαξε τῆς μητρὰς &c. quæ Cor- »
narius, ac Lalamantius obscurius fortasse,
quàm par erat latinitate donarunt; Caluus
perperam omnino transtulit; Recentiores
verò nonnulli textum Hippocratis ipsum
sine vlla necessitate immutantes mirificè
vulnerarunt. vera enim sententia est, vt nos
expressimus, septimestres prius in lucem
venire, quàm ægrotationem contrahant,
quæ octauo superueniente eos, si in vtero
mansissent, erat inuasura. ex quibus etiā
clarum est de Hippocratis mente, vt supra
monebamus, fœtum natura septimestrem,
si prodire nō poterit septimo mense, haud-
quaquam ab huiusmodi ægrotatione esse
immunem. enimuero si, dum exitum tētat,
imbecillior existens quàm sui temperamēti
ratione oporteat, non omnes frangere va-
leat pelliculas; vel si ob parentis imbecilli-
tatem idem eueniat, irritusq; ad exitum co-
natus euaserit; iam huiusmodi fœtus in v-
tero remanens ægrotationem dictam con-
trahat necesse est; & quoquo mense nasca-
tur postea, interit tanquam præter tempus
editus ei à natura pręfinitum. atq; hinc sę-
pè octauo, vel etiam nono geniti partus e-
moriuntur, quoniam tales natura septime-
stres omnino erant. Hæ igitur duæ causæ
sunt, ac præter has alia nulla, ab Hippocra-
te supra positis verbis explicatæ, cur vita-
les nascantur septimestres, & cur ex pluri-
mis pauci superstites fiant; quas tamen dū
sic Caluus affert, toto Cœlo aberrat ab ipsi-
us mente, ita locum interpretatus. Quo- »
niam exiguum tēpus in vulua constiterunt, »
quo possent omnia, quæ perfecti, victuriq; »
partus sustinere; secumq; de matre dedu- »
xerunt, quæ mense octauo passurus partus »
erat & mater. quo certè modo causas po- »
tius redderet Hippocrates, quare ex septi-
mestribus multi intereant; quo nihil absur-
dius, nihil magis à vera huius loci interpre-
tatione alienū excogitari potest; quādo, cur
multi pereant septimestres, dictū paulò su-
pra sit ab Hippocrate; quod secundum ex
duobus, quæ superius diximus de septime-
stribus ab eo fuisse pronunciata, superest
nobis in præsentia explicandum.

Secun-

Secundò explicatur ab Hippocrate de septimestribus dictum. qui, & quot quadragenarij fetibus infesti secundum ipsum. Ferdinandi quædã adducitur interpretatio, et reijcitur. Item alia Ferdinandi, & quorũdam recentiorum affertur explicatio.

Cap. 20.

QVare autem plerunq; hi septimestres intereant, duabus itidem rationibus probat Hippocrates. Et plurimi (inquit) ex his pereunt; cùm enim parui sint, transmutatione maiore quàm alij vtũtur: & quadraginta dierum afflictionem perferre coguntur ex vtero egressi; id quod etiam ex decimestribus multos peremit. explicant enim hęc duas causas, quare septimestres vt plurimum intereant; prima est, quia parui sunt tanquam breuissimo tempore in vtero conformati, ac enutriti, atq; ex minus idonea, imperfectiorią; materia geniti, quàm humanæ naturæ temperamentum, si perfectum assequatur, expostulat, vt tertio libro Aristotelis, Auerroisq; placita exponentes dicebamus; proindeq; debiles admodum sunt sua natura, ac valentes minus. generaliter enim imbecilli nascuntur septimestres, quemadmodum Historiarum septimo notat Aristoteles, nosq; suo loco tertio libro causam attulimus. atq; hoc est quod ibi dicebamus, septimestres naturaliter minori mole, & corpulentia constare quàm decimestres, vt potè ex pauciori, imbecilliorią; materia genitos. Hac igitur de causa maiorem perpetiuntur mutationem, cùm ex vtero exeunt; idest lædũtur magis ob hanc mutationem, & facilius præ naturæ imbecillitate. insolens enim puerulis omnibus est ex locis muliebribus, qui tepore calent, in aerem ambientem frigidum trãsire; qua de re qui sunt imbecilliores, maiore ab hac mutatione recipiunt læsionem, minusq; potentes sunt aeris ferre inclementiam. Secunda causa est, quia cogũtur ex vtero egressi quadraginta dierũ perpeti afflictionem, qua sæpe enecantur præ naturæ imbecillitate, minusq; eam sustinere valentes. Cùm enim, vt diuinus Senex docet eodem libello, nosq; huius operis sexto diximus, octauoq; dicemus, quadragenarij principem locum in fœtibus iudicandis obtineant; cuius rei causa locis memoratis à nobis exposita est, tres potissimum sunt, quemadmodum ibi etiam diximus, vt idem perbellè admonet, in toto gestationis ac partus tempore obseruandi, in quibus fœtus maximum periculum subit intereundi; qua de re copiosè sequenti etiam libro disputabimus. Primus quadragenarius à cõceptus die, nisi potius dicamus à feminis eiaculatione accipitur, & numeratur: quisquis enim fetus, vt inquit Hippocrates, primos quadraginta dies transmiserit, abortus effugit; plures enim fiunt in primo quadragenario abortus quàm in alijs omnibus, vt dixit etiam septimo Historiarum Aristoteles. atq; hoc tempore præterito fœtus fortiores sunt, & ipsorum corpus per singula membra articulatur apertius, & discernitur. Secundus quadragenarius initium sumit à mense septimo; cùm scilicet septimus peractus est, siue 182. diebus, siue 210. siue alio inter hos terminos die hic mẽsis finem habeat; quod sequenti libro vberius explicabimus. atq; in hoc quadragenario scripsit Hippocrates, circa octauũ mẽsem fœtus in vtero ægrotare; cùm enim octauum totum quadragenarius hic, vt perspicuum est, cõprehendat, hinc ab eo octauus mensis suam omnem mutuatur infelicitatem; & huius quadragenarij ratione omne subit periculum, de quo sequenti libro plenè disseremus. Tertius quadragenarius est à die partus numerandus; in quo toto maximè laborant fœtus, & morti alijsq; periculis maximis fiunt obnoxij; quos quidẽ dies quadraginta si effugiũt, vt inquit Hippocrates, apparent magis robusti, ac sapientes: nam & splẽdores post diem quadragesimum clarius vident, & strepitum audiunt, quod prius non potuerunt hebetatis viribus, & consopitis in muccis ac nimia humiditate; tanquam incremẽtum habeat hoc tempus maximè insigne. vnde addit Hippocrates, atq; cum eo consentit Aristoteles Historiarũ septimo, antequam hi dies transeant, si titillentur pueri, & irritentur, non ridere; licèt intra hoc ipsum tempus spontè rideant, & plorent. Huius igitur tertij quadragenarij ratione plurimos septimestres ob eorum imbecillitatem interire scribit Hippocrates; in quo sanè quadragenario adeò laborant infantes, vt non septimestres tantùm ob dictas causas debiles, ac imbecilli, sed decimestres etiam fetus omnium longè robustissimi moriantur quadragenarij huius læsi malignitate. nam & hoc est, quod subdit Hippocrates, hac de causa decimestres quoq; multos interire. Posset etiam tertia ex superioribus Hippocratis verbis ratio afferri, cur plerunq; septimestres periclitentur; quibus quasi præter naturam, ac violentum partum septimo mẽse editum vide-

Cap. 4. Cap. 3. Cap. 10.

videtur ipſe appellaſſe, dicens non ſecus in eo euenire, ac in ſpicarum membranis, quæ laxantur, ad id coactæ antequam fructus perfectè matureſcat; ex quò & violentia quadam fętum ſeptimo exeuntem membranas rumpere inquit. quo fit vt tanquam pręcox aliorum partuum reſpectu, & immaturus, vel non ſaltem perfectè maturus editus, iurè plerunq; emoriatur. Nec tamē ſequitur ſeptimo menſe ortum, eſſe per ſe & ſui ratione, ac ſimpliciter immaturum partum appellandum, vt putauit Ferdinandus; cùm nil niſi ſuo ac præfinito tempore naturaliter oriatur; ex quò & ἁδρότατον, ideſt maximè maturum, vt ſupra dicebamus, ſeptimo naſcentem hac de cauſa idem Hippocrates hoc loco dicit; verùm quia ſi ſeptimeſtrem (in latitudine humani partus abſolutè ac generaliter illum conſiderantes) cum nonomeſtri, & decimeſtri conferamus, imperfectionis aliquid habere dicēdum eſt, vt tertio libro à nobis expoſitum fuit; cùm maximè perfectus ſit tantùm decimeſtris: ſi ad ſametipſum, maturus omnino ac perfectus ſit appellādus; idcircò, quatenus à perfectiſsimo recedit, præter naturam aliquid, & immaturitatis in ſe cōtinere dici poteſt; vt hac etiam de cauſa plerunq; internecioni ſit ſubiectus. Hæc Hippocratis verba, quæ cauſas nobis pulchrè aperiunt, cur ex his ſeptimeſtribus ſeruentur aliqui, plures pereant, cùm Ferdinandus in Commentarijs expendat, mirum eſt quantum ſe torqueat, ſeſeq; confundat. primò inquit, ob duas cauſas ſeptimeſtriū plures periclitari Hippocratem exiſtimaſſe; deinde & tertiam

Com. 3. » cenſet ipſum adieciſſe; ſcribit enim. Ergo, » qui citius exeūt ex vtero quàm par eſt, plu- » rimi pereunt ob redditas cauſas. ſed inſi- » nuatur nunc tertia. Mox addit ob vnicam rationem vitales dici eorum nonnullos; in-

Com. 4. » quit enim. Quāquam pauci ex ſeptimeſtri- » bus euadere dicantur ob rationes, quas du- » dum enarrauimus; ſuperſtites tamen non- » nulli euadunt, quoniam ratione & tempo- » re cōſtant, quibus perfectiſsimi, cuiuſmodi » ſunt decimeſtres, aut nonomeſtres. Poſtremò nullam mortis ſeptimeſtriū cauſam his verbis eſſe ab Hippocrate explicatā, cōtra quàm ſupra dixerat, videtur exiſtimare, ſed aperiri ſequenti diſputatione, in qua docet Hippocrates, multis fœtibus, cùm ſeptimeſtris fuerint ætatis, laxari velamenta. Si-

Com. 5. » quidem ſcribit eo loco. Viuunt ob eas cau- » ſas, quas diximus ex ſeptimeſtribus pauci; » ſed multi pereunt ob dicendas iam. Sed certè & cauſas mortis ac vitę ſeptimeſtrium præſenti diſputatione pulchrè ab Hippocrate expoſitas fuiſſe, ſatis ſupra oſtendimus; et dum loquitur diuinus Senex de mēbranarum laxatione fœtui, cùm ſeptimeſtris fuerit ætatis, contingente, nullam cauſam mortis afferre ſeptimeſtrium, infra octauo libro fusè oſtendemus. Hæc igitur hoc loco Hippocrates, cur naſcantur vitales ſeptimeſtres; curue ex illis pleriq; intereant. Qui autem ex eius verbis colligere profitentur, vteri anguſtiam cauſam eſſe partus naturalem, meo quidem iudicio, vehementer errant. ſiquidem hoc eſt, quod tertio libro dicebamus hîc nobis tanquam commodiore in loco eſſe demonſtrandum. arbitrantur enim iſti, ex eo, quod Hippocrates inquit, ſpicarum velamina laxari priuſquàm fructus perfectè matureſcat, modoq; non diſsimili ſeptimeſtres exoriri; anguſtiam vteri ſatis hinc expreſſam haberi tanquam partus cauſam; quaſi quòd, ſicut propter magnitudinem triticum non valet intus contineri, ita & ſeptimeſtribus contingere voluerit Hippocrates: ex quò & ſic eū dicunt concludere. Validiſsimi, inquam, » tùm robuſtiſsimiq; fœtus vim adferentes » membranis, immò verò eas dirumpentes, » neceſſariò partum accelerant. quam ſen- » tentiam vt magis ſtabiliant, voce illa, ἰσχυρότατα, robuſtiſsimos ac vegeto calore pręditos diuinum Senem intellexiſſe; altera illa, ἁδρότατα, craſsiſsimos & mole maiori augeſcētes, quàm vteri capacitas ferre poſſit, acriter contendunt. quam profectò explicationem cùm acceperint (vt video) ex Ferdinando Mena ſuper libello de Partu Se-

Com. 3. ptimeſtri; iā & doctiſsimi etiam huius viri verba præſtat afferre. Vnicam (inquit) dun- » taxat cauſam immaturè prodeuntis fœtus » tetigiſſe viſus eſt Hippocrates; dum à ple- » niſsimis fortiſsimiſq; embryonibus prædi- » cta inuolucra ruptionem perpeti poſſe ſo- » lùm arbitratur. eaq; ratione fieri, vt ſepti- » meſtres naſcantur nonnunquam, mole ſcili- » cet ſua vaſcula rumpentes. nihil prorſus » de his, qui præ defectu alimenti in lucem » eduntur, partubus fortè recordatus: quo- » niam (dicet aliquis,) rariſsimè viderat, aut » nunquam fieri poſſe, vt intra ſeptem menſiū » ſpacium alimentum deſit ſecundum naturā » ſe habentibus. In languore nanq; oppreſsis » grauidis nullo non tempore deeſſe poterūt » alimenta, eò maximè ſi demi ſanguinē, aut » alia ratione turbari corpus oportuerit vr- » gente aliqua neceſsitate, & necis imminēti » periculo. Sed veriſimilius eſſe cenſeo, per » eam dictionem, τὰ μὲν ἰσχυρότατα, robu- »

ſtiſ-

» ſtiſsimos, & vegeto calore præditos com-
» prehendiſſe pueros; qui ſanè ea de cauſa
» maternum ſanguinem exhaurientes ocyus,
» ac deuorantes, penuria alimenti coguntur
» carceres, in quibus detinentur, abrumpere,
» externumq; petere auxilium. Altera verò
» dictione, ἁδρότατα, ideſt craſsiſsimos, ſub-
» audiuiſſe & mole ſuccreſcentes; qui ad vte-
» ri capacitatem anguſtam relati, plus cre-
» ſcunt magnitudine, quàm vt ab illa loci ſe-
» de capi poſsint. Quare duas cauſas perpe-
» tuò tuemur, ob quas fœtus egrediuntur,
» quando ſecundum naturá ipſam nullo mor-
» bo infeſtatam fiunt partus: plures nanq; ali-
» as excogitare quiſq; valebit, quibus in mor-
» bo afflictis fœtura foras educi compellitur.

Allata ſuperius refellitur interpretatio. Plenius Hippocratis mens circa ſeptimeſtres partus enarratur. Item nonnulla de ipſius, Ariſtotelisq; diſſidio horum partuum ratione.

Cap. 21.

HAec igitur iſti; Sed certè omnes fru-ſtra laborant. neq; enim, vt paſ-ſim Scholæ clamant, docuitq; in Prioribus Analyticis Ariſtoteles, exemplorum omni ex parte requiritur veritas; ſed ſatis eſt, vt in eo reſpondeant, ad quod ſignificandum præcipuè afferũtur. at primò Hippocrates hîc non comparat vterum & fœtum, ſed fœ-tum & membranas, quæ ipſum inuoluunt; ergo nihil loquitur de vteri vel anguſtia, vel capacitate. neq; enim vllus dixit vnquam, membranarum anguſtiam partus eſſe cau-ſam, ſed tantùm vteri; nimirum quia mem-branæ ea ex materia genitæ ſint, eo conſilio à natura fabricatæ, vt facilè ad fœtus incre-mentum valeant augeri; quod de ipſo etiã vtero habere veritatem, pluribus oſtendi-mus tertio libro vel ex Galeni ipſius opi-nione. Secundò comparationem inſtituit inter ſpicas, quæ membranas defringũt ob augmentum, atq; inter fœtum, qui ob cal-citratum idem efficit; igitur non quia mẽ-branæ illũ non poſsint capere, ac longè mi-nus vterus, partum fieri exiſtimat; ſed quia, cùm aduenit fœtui perfectionis maturita-tiſq; principium, ac tempus, robuſtior fa-ctus calcitratu membranas dirumpit. qua-re ſatis eſt perſpicuum, partus cauſam hoc loco exiſtere Hippocrati non vteri anguſti-am, non molem maiorem infantis, ſed ipſi-us motum, & calcitratum; calcitratus verò cauſam vires, quas recipit maiores; virium demum cauſam maiorum principium, quod recipit perfectionis; vt non parum accuſan-dus Mena videatur, qui hæc in Commen-tarijs non animaduerterit; & pro vera ac naturali partus cauſa, ipſa ſcilicet perfec-tione, exiſtimauerit præternaturales Hip-pocratem hoc loco nobis afferre; alimenti videlicet penuriam, & vteri anguſtiam. in eo interim altero non parum errans, quòd velit, iſtos ſeptimeſtres, non quia maturi-tatem adepti ſint ſuam, egredi in lucem; ſed quia facti iam grandiores, ideoq; ab vtero ac membranis capi non valentes, mole ſua vaſcula rumpant, proindeq; naſcantur mẽ-ſe ſeptimo; quo nil abſurdius dici poteſt, vt plenè docuit tertius liber: ita enim abor-tus non partus horum fœtuum ortus dicẽ-dus eſſet. Quòd verò, ἰσχυρότατον, hîc di-cat fœtum robuſtiorem, ac viribus pollen-tem, omnino recipio; ſignificare enim vo-luit hac voce Hippocrates, validiores tunc temporis eſſe fœtus, & ad motus calcitra-tuſq; maiores edendos aptiores: quòd ſi-gnificet vegeto calore præditum, non re-cipio; quia ſeptimeſtres ſint calidiores quã perfecta hominis requirat temperies, vt li-bro tertio eſt monſtratum: vnde & excedẽ-te potius quàm vegeto calore præditi exi-ſtimari debent. Nec tamen ſequitur hac de cauſa maternum ſanguinem ocyus illos ex-haurire; adeò vt partus cauſa, quæ ab ali-menti penuria pendet, hac voce nobis ſigni-ficetur, quemadmodum putauit Ferdinan-dus; nam excedens hic calor non tàm eſt vẽ-triculi quàm totius materiæ, ex qua fœtus conformatur. item cùm exigui, & imbecilli admonente Hippocrate hi ſint partus, mi-nori egent copia alimenti; vt nullo pacto tunc temporis deficere illis poſsit. Præte-rea quòd, ἁδρότατον, dicat craſsiſsimũ fœ-tum, ac mole maiore augeſcentem quàm v-teri capacitas ferre poſsit; quaſi hac voce ea partus cauſa, quæ ab anguſtia vteri pen-det, vt putauit Ferdinandus, nobis inſinue-tur; hoc penitꝰ autumo aberrare à ratione. nam Hippocrates in libro de Natura Pueri paſsim fœtum ἁδρυνόμενον, vel omnino ma-turum, vel qui maiorem receperit quàm an-tea maturitatem, intelligit; mole exceden-tem nullo modo. ex quô & in Opuſculo de Octomeſtri Partu τῷ ἁδρυνομένῳ τέλειον adi-ungit; qui locus, vt tertio libro probatum eſt, omnino cogit, vt maturitatem, non an-guſtiam vteri, nõ alimenti defectum partus cauſam confiteamur. Quin etiam & Ariſto-teles libro ſeptimo Hiſtoriarum inquit, ἁδρυνόμενον fœtum caua vteri ſubire, ideſt partes ipſius inferiores, vt alibi ſum ego in-ter-

Cap. 8.

terpretatus; nec propterea dicit prodire in lucem, quia intus non posſit amplius cõtineri. Demum quod addunt, Hippocratẽ concludere, ſeptimeſtres vim membranis inferentes partum accelerare; hic error à Caluo ductus in alios poſtea emanauit. habet enim græcum exemplar. ἐκβιάζονται τὸν τόκον γενέσθαι. quæ verba Caluus interpretatus eſt, Neceſſariòq; partum accelerant. quod & Lalamantio placuit eodem modo vertenti Hippocratis orationem. at diuinus Senex inquit verè. Partum fieri cogũt: vt rectiſsimè Mercurialis cum Cornario, & Mena interpretatur. cogere autem dicit partum fieri, quia calcitrando vincula abrumpunt, membranaſq; deſtringunt; quod, vt videmus, non eſt ſeptimeſtrium propriũ, ſed omni partui naturali conuenit. quod quidem nemo eſt, qui non videat quàm longè diſtet ab eo ſenſu, quem iſti afferunt. ſi enim accelerarent partum, ergo & ante ſuę maturitatis tempus prodirẽt in lucem, proindeq; non vitales. at Hippocrates tunc oriri eos inquit, cùm habent principium maturitatis, ſi perfectiores partus, ſcilicet nonomeſtrem ac decimeſtrem inſpiciamus; ſi ad ſemetipſos comparemus, cùm habent plenam, perfectamq; maturitatem. ſiquidẽ perfectionis principium dicere in illis plenam maturitatem, iam tertio libro admonuimus. ex quò & vocat Hippocrates hoc loco, vt non ſemel ſupra diximus, eos ἀδροτάτους hac de cauſa, idest maximè maturos; quos ſupra vix principium habere voluit perfectionis. quare nullo modo prævenire, accelerareq; partum illos intelligit. Poſtremò ex hac tota perilluſtri, atq; elegantiſsima Hippocratis de ſeptimeſtribus diſputatione hoc alterum in primis & colligendum eſt, & animaduertendum; ſic ipſum hos fœtus dimidio præterito anno, & diebus 182. cum horis 15. naſci vitales dicere, vt quantum in ipſis eſt, naſci omnes naturæ decreto vitales ſentiat, ac victuros, quod quidem ſatis docet, cùm ſuperſtites venire in lucem ideo per id temporis ſcribit, quia principium in eo recipiant perfectionis, ratioq; ac tempus conſtet ortus illorum. cùm enim hæc cauſa in omnibus, ac ſemper locum habeat, & æquè locum habeat; iure & omnes, & ſemper, quantum in ſe eſt, vitales reddit, ac producit: verùm quia experientia compertum eſſe videbat, ex his plures interire; idcircò, cùm id poſuiſſet, ſtatim adiecit hoc alterum, plures ſcilicet illorum intermori, cauſam adiungens; quibus certè nos docuit, ſi pereunt, per accidens omninò perire. quatenus ſcilicet, tametſi naturæ lege vitales exeant, cùm parui nihilominus ſint, & imbecilli, tùm partus, tùm quadragenarij iniurias nequeunt ſuſtinere. quæ quidem (vt patet) extrinſecus illis contingunt, non ex propria natura; vt meritò, etſi plerunq; emoriantur, vitales nihilominus pronunciari cũcti debeãt, quia propria natura vitales exeant. Propterea eorum, qui ſuperſtites manent, eandem repetit cauſam Hippocrates; quòd ſcilicet tempus, in quo nutriti in vtero ſunt, ratioq; temporis conſtet; ideoq; vt expoſuimus, afferat illis perfectionis principium. quo loco, tametſi hæc omnia, quæ pulchrè, ac ſubtiliter diſſerit, omnibus ſeptimeſtribus fortaſſe conueniãt; videlicet tàm minoribus, quàm maioribus; de minoribus tamen præſertim ab eo dicta eſſe, nemo dubitare poteſt: ac potiſsimum illud, quòd plures pereant, ſeruentur pauciores. nam primo loco inquit. Καὶ τὰ μὲν πλεῖστα τουτέων ἀπολλόντο. ideſt. Et horũ plurimi pereunt. horum inquam, ſeptimeſtrium, de quibus locutus fuerat. at de alijs nullis fuerat locutus, quàm de eis, qui dimidio anno veniunt in lucem. & ſecundo loco inquit. Ἔστι δ᾽ ἃ τούτων τῶν ἑπταμήνων, καὶ περιγίνονται ἐκ πολλῶν ὀλίγα. ideſt. Sunt & ex his ſeptimeſtribus ſuperſtites ex multis pauci. quo loco ex his inquit ſeptimeſtribus, ſcilicet de quibus ſupra eſt locutus. at de nullis alijs quâm de illis, qui die 182. hor. 15. oriuntur, eſt locutus; igitur de talibus potiſsimum pronunciat, quòd ſeruentur pauciores, plures intereant. quam certè ſententiam ſi habuit hoc loco Hippocrates, facile fortaſſe alicui videri poterit, aliter etiam quàm libro tertio factum ſit, diſsidium omne inter ipſum, & Ariſtotelem tolli circa vitam ſeptimeſtrium: cùm dici poſsit, Hippocratem de illis tantùm, qui dimidio anno oriuntur, pronunciaſſe, plures horum intermori, ſeruari pauciores; non de alijs ſeptimeſtribus, qui ſeneſcente, exactoq; ſeptimo in lucem veniunt: Ariſtotelem verò, cùm ſeptimeſtres omnes ob oculos haberet, generaliter de omnibus ſcripſiſſe, plures eorum fieri ſuperſtites. quò fortaſſe ſenſu ſcriptũ ab Hippocrate fuit in calce Opuſculi de Principijs, inexpertos eſſe, qui mirantur, quòd ſeptimeſtris puer naſcatur; hoc enim ſe frequenter vidiſſe, & facilè quemq; ex obſtetricibus addire poſſe. quo loco, cùm ſic naſci frequẽter ſeptimeſtrem dicat Hippocrates (atq; de exacto ſeptimo naſcentibus ſermonem habet) vt vitalem naſci omnino

nino intelligat; his verbis, frequenter nasci hos partus vitales, & sic plurimos supe. esse, mori pauciores, videtur affirmare. Quanquam, vt verum fatear, dicens generaliter Aristoteles, septimestrium plures superuiuere, id de omnibus septimestribus, & sic tàm de genitis dimidio anno, quàm de alijs, qui plures sibi in ortu dies asciscũt, videtur pronunciasse; vt propterea hac in parte nullus cõciliationi fortasse locus relinquatur.

Cardani quędam affertur explicatio, et refellitur.
Cap. 22.

HAec igitur vera est (nisi fallor) loci huius sententia; quem non me præterit Cardanum virum eruditissimum sic in Cõmentarijs suis interpretari. Proponit causas (inquit) non leues mortis infantium septimestrium. Vnam paruitatem fœtus, quę necessaria est; quia, cùm deberet augeri magnitudine ad nonum vsq;, necesse est vt in septimo fit partus, & vt debeat pati; quoniam in minore corpore necessariò est minor vis. Secunda, quòd transmutatione maiore, quàm alij, scilicet nonomestres, vtuntur, scilicet quia magis annexi, & magis frigidi, & molliores; ideo ad locum frigidiorem veniunt, dur̃ioresq; fascias, & seperantur maiore vi. Tertia est magis manifesta, & est quòd coguntur perferre quadragenariam sextam parem extra vterum; nam eo toto tempore infans malè se habet in vtero, ergo deterius extra. ob id dicit, quòd decimestres, idest qui nascuntur circa 280 diẽ, quæ est finis septimæ quadragenariæ, malè se habent, & pleriq; ex his moriuntur; est .n. par ille numerus. ideo qui nascuntur nono mense, facilius viuunt, & minus affliguntur, quia totus mẽsis nonus incipit cum septima quadragenaria dierum. Hæc ille; in cuius oratione tamen, vt liberè dicam quod sentio, multiplex est error. Primùm enim Hippocrates, vt vidimus, duas attulit causas necis septimestrium, non plures. Secũdò falsum est quod Cardanus inquit, septimestrem augeri debere vsq; ad nonum; cùm ei naturaliter in septimo sua accedat perfectio. nam & conceptus suam habet perfectionem, vt quarto de Animalium Ortu docuit Aristoteles, nosq; abundè tertio libro demonstrauimus: quam septimestris septimo, nonomestris nono acquirit. Tertiò alienum est à veritate, septimestres esse frigidos; cùm omnium constans sententia sit, vt tertio libro vidimus, ex calidissima materia illos generari. Quartò insignem subit notam falsitatis, quòd Cardanus subiũgit, septimestres sextum paremq; quadragenarium extra vterum perferre; quoniam quadragenarij septem, qui fœtum iudicãt, à conceptu ad partum computãtur, ac dum fœtus vtero geritur, locum habent secundũ Hippocratem; post partũ dies tantùm quadraginta idem obseruat, qui nullam habent cum septem dictis quadragenarijs consensionem, affinitatem nullam: vnde nec quinti, nec sexti, vel septimi nomine dignandi sunt. ac sanè sextus quadragenarius ideo fœtui noxius, quia affert illi in vtero existenti ægrotationem ob fracturam pellicularum, vt sequenti libro explicabimus; quæ, cùm in excluso fœtu locum nequeant habere, ideo sextus quadragenarius nec vllam, postquam fœtus editus est, habet malignitatem, nec nocendi potestatem vllam: vt mirum sit, quod Cardanus inquit, sexti quadragenarij ratione fętum septimestrem deterius extra vterum se habere. Quintò maximè illud à veritate abhorret, & ab Hippocratis dogmate, quod de partu decimestri idem scribit; videlicet ideo decimo mẽse genitos, & circa dies 280. periclitari, quia in numero pari oriantur; nam primùm quadragenarius ille impar est; est enim septimus, ac, vt tàm crebrò docuit Hippocrates, vitalissimus; vt in nullo alio, & robustiores fœtus, & perfectiores oriantur: vnde mirũ quo modo nonùm mensem huic tẽpori Cardanus anteponat. deinde non sexti, aut septimi illius quadragenarij, vel mensis decimi ratione perire decimestres dicit Hippocrates, vt supra vidimus; sed quadragenarij illius ratione, qui à partus die computatur, qui in omnibus fœtibus locum habet: idq; scribit diuinus Senex, vt hoc exemplo doceat, si tanta vis est huius quadragenarij, vt robustissimos partus, ac perfectissimos, quales existunt decimestres, valeat interdũ interimere; longè magis, ac facilius in imbecillissimis id præstare posse, quales sunt septimestres. Sed nec mirum hoc in loco decimestres partus ab hoc auctore videri reiectos, atq; è prima sede expulsos; nam & Contradicentium Medicorum libro primo (vt tantam rem tacitus, postquam se occasio obtulit, non prætercam) idem non semel ab eo inuenio repetitum; quo loco ita habet ipsius oratio. Quod ad naturam attinet fœtus, vt firmior fuerit, & mater debilior, celerius perficitur, vt Hippocrates, & ratio ipsa docet. vnde decimestres omnes inualidi sunt, quoniam non celeriter mouentur ad exitum, tardèq; perficiuntur. & paulò post.

Cap. 8.

Tract. 3. *Contr.* 8.

post. Alia ratio est, quæ ab ipso adducitur vigesima prima tertij t. 2. cap. 1. in fine: est quòd qui mouetur in septimo ad exitum, in nono nascitur, & qui in octauo mouetur, nascitur in decimo. ob id etiam decimestres inualidi erunt, quia motum ex malo sumpserunt initio, scilicet mensis octaui, qui minimè vitalis est. & in calce tandem disputationis. Causa autem quæ facit, vt decimestres videantur minus vitales quã nonomestres, est corporis magnitudo, quæ laborem in nascendo præstat, ex quo affligitur fœtus. Altera quòd tales, vt ostensum est, concepti sunt plerunq; per paucos dies ante purgationem; vnde primam formationem impuram sortiuntur: est & in his, qui excedũt dies 280. ratio quadraginta dierũ.

Plenius Cardani dogmata refelluntur.
Cap. 23.

HAec ille; cuius postrema verba satis docent, ipsum sibi omnino constantem de vtrisq; decimestribus intelligere, cùm dicit nonomestribus esse imperfectiores; videlicet tàm de illis, qui septimo quadragenario oriuntur, ac die 280. (quod primo loco, apertè spatium hoc ponens, testatus est) quàm de illis, qui quadragenarium hunc pertransennt. Quod verò ad prima verba attinet, sciendum est Cardanum, cùm accepisset rationem temporis maturitatisq; fœtus ex tribus sumi; primò ex natura; secundo ex astris, ac mensibus; tertio ex Pythagorica computatione numerorum: decimestres naturæ ratione imperfectos, inualidosq; esse concludere; nimirum quia, vt ipse inquit, naturæ ratione fœtus, si firmior fuerit, & mater debilior, celerius perficitur. Hinc paulò infra dicens, Hippocratẽ tria temporum partus genera considerare, minimum, scilicet spatium septimestre; medium, scilicet nonomestre; maximum, scilicet decimestre, vt ego interpretor: vbi autem vna ex tribus illis iam supra ab eo expositis causis, ex quibus rationem temporis fœtus sumi dixit, locum habebit, tẽpus vitale esse; vbi duæ, longè magis; vbi omnes, esse vitalissimum; adeò vt omnibus numeris fœtus in eo absolutus, ac maximè vitalis oriatur, ac reliquis perfectior; cùm hæc, inquam, omnia accepisset; concludit, in maximo tempore rationem tantùm Pythagoricam concurrere, vt cæteris vitale propterea esse minus velle videatur. quæ quidem omnia cùm de genitis septimo quadragenario dicta sint, & Hippocrati contraria, & quauis absurditate absurdiora esse videantur; vt hîc rursum non possim, quin exclamem, verè in præfatione dictum à nobis esse, ad hæc vsq; tempora veram humani partus naturam ab Hippocrate, & Aristotele luculenter traditam ignorari; & qui septimestres, decimestresq; apud ipsos verè sint, minimè intelligi. cùm neq; Cardanus tantùm hos partus longè omnium imperfectissimos iudicasse videatur (quos tamen Hippocrates in Opusculo de Septimestri, & Octomestrri Partu & perfectissimos appellauit, & frequentius edi, ac superuiuere dixit) sed & pleriq; alij grauissimi viri; è quorum numero inter Veteres toties allato problemate Alexandrum extitisse, inter Recentiores Lalamantium, notauimus: qui tamẽ omnes plurimum à veritate aberrarunt. quod vel ex eo hoc loco perspicuũ fit, quòd Cardani superius allatæ obiectiones nullius sunt momenti. nam si à natura ab eo ducta ratio vera esset, septimestres, quia celerius perficiuntur, essent nonomestribus firmiores, ac mater debilior: cùm tamen & nonomestres firmiores esse ipse Cardanus velit; & quo robustior parens sit, vterusq; calidior, eò citius partum maturari cõmunis ferè cẽseat opinio; adeò vt ex robustissima parẽte gigni dicãt septimestres; tametsi id falsum esse libro tertio monstratum est. Quod verò in secunda ratione ex Auicenna affert, in præsentia non expendo, de vera huius viri sententia decimo libro abundè disputaturus; item nec modò quæro, an aliquid habeat virium ad infelicitatẽ decimestris, si octauo moueatur (quanquã, vt loco memorato ostendam, qui decimo oritur, non mense octauo, sed nono motum ad exitum facit secũdum Auicennam) cùm satis mihi nunc sit, Hiopocratis testimonio habere pro cõperto, fętũ, qui septimo quadragenario expleto oritur, & sic mẽse decimo, cùm septimestris ætatis fuerit, initium dare motioni; vt ex libello de Septimestri Partu suo loco explicabimus. Præterea ꝙ in tertia argumentatione accipit, solam rationem à Pythagorica computatione sumptam in decimestri locum habere; quod ob septem quadragenarios, & quatuor hebdomadum decadas dictum ab eo fuit, quæ dies 280. ac decimestre spatium Hippocrati cõficiunt; iam falsum esse tertius ac sextus liber docuerunt: cùm, vt locis illis abundè probatum est, siue periodum cęlestem cogites, siue hominis naturam, siue menses, siue numerorum rationem, decimestris partus, videlicet genitus die 280. cęteris omnibus

nibus Hippocratis Aristotelisq; iudicio antecellat; quibus & suffragari experientiam suo loco demonstrauimus. Postremò quod inquit, decimestri fœtui obesse magnitudinem, id leuissimè dictum esse satis constat; cùm non omnis fœtus magnitudo sit, quæ afferat læsionem, sed indebita, ac maior quã speciei requirat temperamentum; qualem in decimestri inesse, præsertim in eo, qui die 280. oritur, omnino negamus; qui hac ipsa magnitudinis causa, vt tertius liber demõstrauit, omnium longè est perfectissimus. Simili ratione quod adiungit, per paucos dies ante purgationem hos partus concipi, falsum esse patet; cùm Hippocrates post mẽstrua purgamenta eorum fieri conceptionẽ in Opusculo de Octomestri Partu docuerit; neq; id impuritatem vllam eis afferre queat. Quòd verò eos, qui diem 280. excedũt, existimat imperfectiores, nos quoq; concedimus; sed non tamen id illis contingit, quia octauo quadragenario oriantur: nam hoc est quod inquit Cardanus, licèt obscurè, rationem quadraginta dierum illis obsistere; sed quia à perfectissimo tempore discedant, vt tertio libro demonstrauimus. Verùm hæc non calumniandi, seu reprehẽdendi Cardani causa, sed tantùm amore ducti veritatis; & ne quis hominis secutus auctoritatem, videns nostram interpretationẽ à sua dissentire, errasse plurimùm nos arbitraretur.

An partus ante dies 182. natus, naturalis ac vitalis dici queat. Nonnullorum Iurisprofessorum opinio reijcitur.

Cap. 24.

IAm verò postquam occasio fere, nosq; ferè cogit, à pulcherrima quadam alia, quę occurrit, circa septimestres partus quęstione, quæ turbare aliquem posset, nequaquam duxi supersedendum; præsertim cùm ipsius solutio magnam negocio nostro sit lucem allatura. Dictum est superiori disputatione non semel, ex Hippocratis sententia humanum partum ante dies 182. neq; naturalem esse, neq; vitalem egredi posse; quam sententiam Recentiores nõnulli tùm Iurisprofessores, tùm Medici non sunt veriti refellere; arbitrãtes partum dierum 171. quin etiam & breuiori tempore gestatum, esse naturalem: auctoritate etiam clarissimi viri Speronis Speronij permoti; qui in suo Dialogo de Partu fętum diebus 166. editũ, & naturalem, & vitalem esse defendere visus est. Nos igitur tanquam veritatis amãtissimi, ac pro virili publico bono consulere cupientes, hac de re nonnulla diligenter disseramus. Itaq; dicimus, audacterq; affirmare ex Hippocratis, & Aristotelis sẽtentia non dubitamus, humanum partum ante diem 182. editum à conceptione, neq; oriri naturaliter, neq; viuere naturaliter posse; si verò contrarium eueniat, id vel monstrosum quid censendum esse, ac præter naturæ leges editum; idcircòq; penitus reijciendum: vel ex iniustis nuptijs etiam genitum; vel mulierem veri temporis ignarã sui conceptus initium latuisse, se ipsamq; & alios omnino fallere. Nec audiendi isti sunt, qui videntes .l. INTESTATO ab Vlpiano esse proditum, die 182. naturalem ac legitimum nasci partum Hippocratis auctoritate, .l. verò SEPTIMO MENSE huiusmodi dierum 182. interuallum à Paulo definitum esse, septimestrem continere spatiũ (ita vt quot quot ante hoc spatium, & antę septimum oriuntur, à lege tanquam abortus, immaturi, ac illegitimi partus omnium consensu reijciantur) vt hosce scopulos effugerent, sese nescientes explicare, scriptis mandarunt, Hippocratis locum, in quo asseritur, septimestres diebus 182 prodire, esse corruptum .l. SEPTIMO MENSE hoc tantùm affirmare, partum septimo mẽse vitalem nasci, non tamen addere, quo modo septimestre hoc spatium sit accipiendum; an scilicet dies tantùm 182. vel plures, vel pauciores tempus septimestre conficiant .l. INTESTATO nullam pręcisam imponere necessitatem, licèt numerum dierum 182. explicet, quin etiam in minori dierum spatio vitalis egredi partus queat. Non, inquam, audiendi hi sunt, qui dum hæc effutiũt mõstra, tàm longè aberrant à veritate, vt nihil magis. nam primùm, quòd Hippocratis locus corruptus sit, id ab omni abhorret ratione; siquidem ipse, cùm Opusculi illius initio dixisset, septimestres nasci diebus 182. cum dimidio, & insuper accedente diei particula; statim spatium hoc clarius explicans subdidit, si de primo mense dies quindecim accipiantur, deinde quinq; integri menses dierum 147. cum dimidio, iam clarum esse ad septimum constituendum mensem dies etiam superesse ex summa dierum 182. horarũ 15. amplius quàm viginti; quã etiam summam dimidium anni appellauit, vt si dimidio anno septimestres oriuntur, quod sic Opusculo de Octomestri Partu rursus confirmauit. Cęterum decimestres, & vndecimestres partus ex septem quadragenarijs eodem modo fiunt, veluti ex dimidio

ff. de suis et legit. har.

ff. de stat. hom.

dio anno septimestres. dimidium verò anni dierũ est 182. cum hor. 15. latissimè pateat, verba nequaquam esse posse mendosa, & corrupta; cùm ter eadem dierum quantitas describatur, ab eoq; recipiatur. Deinde, quod ad .l. SEPTIMO MENSE attinet, apertum esse arbitror, si lex illa auctoritatẽ recipit Hippocratis, septimo vitalem nasci humanum partum posse asserentis; necessariò etiam eandem recipere eiusdem Hippocratis, septimestre hoc spatium, quale quãtumq; sit declarantis. atqui duos limites spatij septimestris apud Hippocratem inuenimus, breuiorem scilicet dierum 182. cum dimidio; qui initio Opusculi de Septimestri Partu explicatur; & longiorem dierum 210. ad finem libelli de Principijs, alibiq; positum. Itaq; .l. SEPTIMO MENSE partum perfectum nasci Hippocratis auctoritate dicens, nullum aliud septimestre spatium, quàm quod breuius est, potuit intelligere; scilicet dierum 182. cùm dimidio interuallum; cùm breuissimum partus humani terminum Iurisconsulti fuerit eo loco consilium præfinire; citra quem fœtus editus abortus, ac illegitimus partus censeatur, vt nono libro fusius ostendemus. quo etiam loco monstrabimus .l. SEPTIMO MENSE post .l. INTESTATO editam fuisse, atq; ad illius declarationem; & vtrobiq; eandem septimestris spatij quantitatem omnino supponi. ex quò & hoc alterum certum nobis, & exploratum esse debet, in .l. SEPTIMO MENSE simul cum spatio septimestri necessariò dierum quantitatem ab Hippocrate explicatam, quæ spatium id cõficit, expressam intelligi. Proinde Vlpianus tempus hoc explicaturus, dierum 182. esse dixit Hippocrati consentiens, ipsiusq; adducens auctoritatem; vt præcisam omnino necessitatem videatur suis verbis imposuisse; inquit enim. Post decem menses natus non admittetur ad legitimam hæreditatem. De eo verò, qui centesimo octogesimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, & D. Pius Pontificibus rescripsit, iusto tempore videri natum; nec videri in seruitutem conceptum, cùm mater ipsius ante centesimum octuagesimum secundum diem esset manumissa.

Difficilis quędam circa Vlpiani verba adducitur dubitatio; eiusq; solutio ex nonnullorum affertur opinione, & reijcitur.

Cap. 25.

VErùm non exigua oritur difficultas; Paulus enim Iurisconsultus quarto Sentẽt. (*Tit. 9.*) videtur innuere, septimestris spatij nomine exactum septimum esse intelligendum; adeò vt septimi initio genitus, & sic die 182. iusto, ac pleno tempore natus non sit dicendus, vt inquit Vlpianus. Nam cùm dixisset. Matres tàm ingenuæ quàm libertinæ ciues Romanæ, vt ius liberorum consecutæ videantur, ter, & quater peperisse sufficiet; dũmodo viuos, & pleni temporis pariant. ita non multò post subdidit, quasi nobis aperiret, quid pleni temporis nomine sit intelligendum. Septimo mense natus matri prodest; ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, vt aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur. At verò his verbis satis perspicuè innuit, pleni temporis partum esse mense septimo genitum; septimo verò genitum intelligi, septimo pleno in lucem editum; vt dierum 182. partus omnino reiectus videatur. Cuiacius in Interpretationibus difficultatem hanc mouens, ita eam diluere conatur. Et si viuos (inquit) maturosq; peperit. Nati enim non videntur, qui mortui nascuntur; & contra naturam ac leges nasci videntur, qui immaturo partu eduntur; vt qui ante septimum mensem. & mox. Partus ἑπτάμηνος matri prodest in S. C. Tertulliano; est enim pleni temporis .l. septimo. D. de stat. hom. Qui ante septimum, vel octauo mense prodeunt, imperfecti sunt, nec vitales. Nono autem, decimo, & vndecimo à conceptionis die legitimi partus fiunt. & non multò post. Sed, vt ad ἑπτάμηνον redeamus, quem maturum partum esse diximus, cùm tamen ὀκτάμηνος sit immaturus; si quæratur differentiæ ratio, tribuendum id erit occultæ rationi & virtuti septenarij numeri; ac vidẽda hîc omnino erit Epistola Ambrosij 39. ad Horontianum. Ad hæc si quæratur, an & is sit maturus, qui ad initia septimi mẽsis natus est, dicam esse maturum ex .l. 3. §. vlt. D. de suis, & leg. hæred. vt puta si natus sit 182. die. etsi enim exactius dinumeratis omnibus mensium diebus 182. dies accidere possit vt sextum mensem non impleat; verbi gratia à Kalend. Martij vsq; ante diem prid. Calend. Augusti dinumeratione facta; tamen in hoc proposito ex sententia Gręcorum Iurisconsultorum ita ineunda est computatio, vt singulis mensibus 30. duntaxat dies tribuantur. Qua ratione 182. dies septimum mensem attingunt; & ita Hippocrates quoq; lib. 2. Epid. 3. sect. 270. dies pro nouem mensibus putat; nosq; hanc putandi rationem semper sequimur.

At

" At videtur huic nostræ sententiæ aduersari " Paulus, dum ait, septimo pleno, pleno au- " tem, idest 210. diebus, qui numerus con- " tinet τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων, vt & Hippo- " crates περὶ σαρκῶν ostendit. Non tamen i- " deo statim consequitur, non nasci partum " legitimum circa initia septimi mensis; nam " & 182. partum nasci Hippocrates scripsit " περὶ ἑπτάμηνυ. qui numerus dierum efficit " dimidiam anni partem rotundato numero. Hæc Cuiacius; qui sicuti in ijs, quæ de octauo genitis inquit, plurimum aberrat à veritate, leuissima, vt iam superiora docuerunt, ratione eos condemnãs; quam senteńtiam in Opusculo de Diuersis Temporum Terminis secutus est, inquiens sexto & octauo mẽse non nasci partum perfectum; ita & in tollenda ea, quam attulit, dubitatione nihil proficit. quandoquidem si partus, vt iura omnia clamant, matri non prodest, nisi perfectus existat atq; legitimus; talis verò esse nequit, nisi iusto plenoq; tẽpore oriatur; iusto autem plenoq; tempore non oritur, nisi septimo in lucem veniat; septimus autem Pythagoreorum auctoritate explicante Paulo plenus venit intelligendus; postremò septimus plenus est diebus 210. vt rectè tùm ex Hippocratis, tùm ex Græcorũ Iurisconsultorum sentẽtia Cuiacius explicat; quia singulis mẽsibus triginta dies tribuant; iam & necessariò statim consequitur, contra quam idem inquit Cuiacius, vt quicũq; partus ante plenum septimum editur, non legitimus nascatur; proindeq; die 182. genitus, secus quàm & Hippocrates in libello de Septimestri Partu definiuerit, & eius auctoritate ductus in .l. INTESTATO Vlpianus; imperfectus, illegitimusq; partus sit censendus. quare Cuiacio, vt dubitationem tolleret, ratio, cur id non statim cõsequatur, omnino erat afferenda. Quanquã & qui Cuiacium reprehendunt, quòd D. Ambrosij epistolam 39. ad Horontianũ falsò adduxerit; cùm ad id probandum, quod ipse vult, nihil contineat; hi certè aut nunquam eam legisse epistolam demõstrant, aut cùm legerent, omnino dormitasse; cùm nil magis Cuiacij assertionem probet, quàm tota illa D. Ambrosij in ea Epistola disputatio; videlicet septimestrem vitalem existimari, octomestrem non vitalem; idq; credi ob occultam rationem, & virtutem septenarij numeri contingere. quod vt verum esse ostendamus, iustumq; pro Cuiacio sumpsisse demonstremus patrocinium; ipsa D. Ambrosij verba sunt nobis hoc loco adducenda; qui, cùm pleraq; de septenarij prestantia dixisset, sic tandem loquitur. Sep- " tentrio quoq; inde latinè nomen accepit, " quòd septẽ in eo fulgor stellarum irradiet; " in quem maximè gubernatores quasi ducẽ " feruntur intendere. Descendit hæc de Cę- " lo in terras prærogatiua; nam, vt transeam " septiformem capitis nostri gratiam in ocu- " lis duobus, auribus, & naribus binis, ore " quoq;, per quod magnam suauitatem per- " cipimus. quantum istud miraculi, quòd se- " ptimo mense in plerisq; origo legitima for- " matur; & qui fuerit editus, vitalis genera- " tionis curricula sortitur; octauo autem mẽ- " se interdicta naturali lege pariendi cerni- " mus tempora; ac si fortè lætalis necessitas " partus claustra laxauerit, periculum pari- " ter generantis properetur, & pignoris. " Sed tamen ille septimanus etsi benè nasca- " tur, ad labores nascitur: qui autem octaua " die regenerationis sortitur mysteria, con- " secratur per gratiam, & ad hæreditatem re- " gni Cęlestis vocatur. "

Cap. 9.

Allata superiori capite dubitatio soluitur. Vlpiani vera mens aperitur. Cap. 26.

DIcamus igitur, si Paulus septimi mensis nomine absolutè ac simpliciter plenum septimum intelligeret, vt Cuiacius putasse videtur; ac pleno tantùm septimo absolutè ac simpliciter maturum partum esse diceret; frustra omnem sumi laborem, vt tolleretur contrarietas. Verùm quia prudentissimus Iurisconsultus quicquid de septimo pleno ac decimo ex Pythagoreis adiungit, totum adiungit, vt septimum vniuersum probet partionem habere naturalẽ; idcircò dubitationem constat esse nullam. Inquit Paulus, septimo pleno natum esse maturiorem, non inquit absolutè esse maturum; itaq; omnino loquitur comparatè. intelligit enim septimo pleno natum esse maturiorem, quàm editum septimo nõ pleno: quare & mense septimo non pleno maturum nasci partum existimat, tametsi pleno velit nasci maturiorem. ex quò & septimi initio genitum, & sic dierum 182. partum nõ reijcit, sed omnino maturum agnoscit consentiens Vlpiano. Hinc autem plurimum eos hallucinari satis liquet, & à Veterum placitis longè discedere; qui existimant, & partum dierum 210. neq; septimestrem esse, neq; legitimum, neq; vitalem; & Paulum, qui hunc recepit, aberrasse; & iuxta menses tricenarios fieri non debere computationem. quod sanè postremum falsum

sum esse ex Hippocratis, Aristotelisq; mente infra probabimus; sicut & libro nono Iurisconsultorum placitis aduersari. Rectè igitur Vlpianus, vt redeamus ad rem, die 182. genitum, iusto tempore videri natum affirmat. quo loco luce meridiana clarius est, eo consilio eum decernere dies 182. iustum esse pariendi tempus, vt pauciores dies iustum nequaquam esse tempus velit. siquidem Hippocratem in testem adducit, qui, vt supra dicebamus, breuiorem limitẽ nusquam videtur expressisse; ac D. Pium Hippocratis auctoritate permotum spatiũ illud recepisse ostendit; Pontificibusq; rescripsisse, qui hac de re dubitabant, ac die centesimo octuagesimo secundo natum, tãquam spatio breuiori, iusto tempore non videri natum arbitrabantur; nisi enim dubia illis fuisset mens, nulla erat causa cur Principis decretũ requireret ac responsum. vnde clarum est, si vix, atq; difficulter, ac non nisi Imperatoris auctoritate diem 182. à conceptu iustum esse tempus pariendi cõcedebant, breuiorem dierum limitem eos omnino fuisse reiecturos. quam veritatem & ab hoc ipso ducto argumento confirmare possumus; enimuero Vlpianus subdit, partum illum dierum 182. non videri in seruitutem conceptum, cùm mater ipsius ante centesimum octuagesimum secundum diem esset manumissa. at sequitur ex his, si post diem 182. manumissa fuisset mater, videri partum conceptum in seruitutem: cuius rei nulla alia ratio adduci potest, nisi hæc vna, quòd conceptio matre nondum manumissa facta esse supponeretur; hoc verò, quia breuius fętus formãdi, ac vteri gestandi quàm dierum sit 182. spatium, lex non admittit. si enim ocyori tempore lex concederet absolui posse humanum partum, atq;, ne ab istorum exemplo discedamus, diebus 171. iam necessariò ante diem 171. & sic post diẽ 182. manumissa parente partus in seruitutem conceptus dici non posset; quod tamen contra legem omnino est, quæ, vt in seruitutem partus conceptus non censeatur, manumitti matrem ante diem 182. omnino requirit. Non est igitur diffitendum iuxta legũ decreta, & Vlpiani auctoritatem formationis, partusq; terminum breuiorem diebus 182. non inueniri, quo etiam loco illud dignum videtur animaduersione, Iureconsultum exactam illam Hippocratis septimestris spatij computandi rationem non esse secutum; cùm quotam partem, horas scilicet 15. additas ab eo summæ dierũ 182. videatur despexisse. Quæ verò ijdem isti de Lunaribus mensibus fingũt, haudquaquam cernere valentes, qua ratione dies 182. cum dimidio ad Lunares menses pertinere possint, cùm alioqui ad Solares spectare videãtur; ea profectò apud doctos viros, in Hippocratisq; lectione versatos confutatione non egent: sicuti & firmitatis parum illa quoq; habent, mea sententia, quæ in explicandis obscuris illis Hippocratis verbis ab ijsdem afferuntur; quibus de primo mense dies quindecim accipiendos esse inquit: qui locus diligenter à nobis supra explicatus est. Verùm cum Speronio agamus, istos quasi desperatos aliquos relinquamus; eiusq; sententiæ veritatem, qua ipsi maximè nituntur, tanquam egregij Philosophi vestigemus; potiora, & ea quidem breuiter in medium adducentes.

Speronij sententia explicatur, & reijcitur.
Cap. 27.

DVo igitur Speronius vir clarissimus sibi in Dialogo de Partu proponit inquirenda. Primùm, vtrum partus fœminei sexus omnibus integris membris conformatus dierum 166. spatio oriri naturaliter posit. Secundò, vtrum natus viuere posit naturaliter totum humanæ vitę spatium. id verò vt exequatur, rationes duas pro cõtraria positione affert, quarum prima hæc est. quòd formatrix virtus multò est in formanda fœmina debilior quàm in mare; itaq; longiore fœmineus partus tempore formatur; non igitur ante septimum mensem: cùm neq; etiam masculus fœtus, qui citius effingitur, ante septimum nascatur. Secunda ab auctoritate sumitur; cùm Aristoteles septimo Historiarum, ac Plinius in Historia Naturali nullum ante septimum mensem nasci posse vitalem apertè affirment. His rationibus ita Speronius satisfacit. Ad primam dicit, licet verum sit, fœminas natura esse maribus frigidiores; attamen multas fuisse fœminas, multasq; forsitan esse, quæ & maribus robustiores, & calidiores existant. proinde censendum esse, partum illum dierum 166. ex robustiori calidioriq; materia esse genitum. Ad secundam respondet, Aristotelem disputationem de Animalibus non scientiam, sed historiam inscripsisse; idq; nulla alia de causa, nisi quia videbat de re contingenti se verba facere, & quæ aliter in dies euenire poterat. idcircòq;, cùm loqueretur de motu fœtus in vterò, apertè scripsisse, nil certi posse in his rebus affirmari. His positis sic ipse pro sua positione argu-

argumentatur. Mulier vltrà solitum pariendi terminum tres, aut quatuor menses gestare potest infantem; cur ergo ante eũdem terminum per dimidij mensis spatium parere fœtum vitalem non poterit? at partus dierum 166. non amplius quàm diebus sexdecim cõsueto tempore maturius egreditur, & sanè longè magis contra naturam censeri debet insignis illa dierum quãtitas, qua post vsitatum, præfinitumq; terminum mulier fœtus gestare potest, quàm exiguus hic dierum numerus, quo eundem terminum præcurrit. Secunda; vnaquæq; Animalium species certo, ac præfinito tempore suæ ætatis suas exerit naturales operationes; qui tamen terminus à natura illis impartitus tùm loci, tùm cibi ratione, aliorumq; plurium accidentium admodum varius plerunq; redditur; itaq; mirum non erit, si ob parentis imbecillitatem, cuius matrix aut propter cibum, aut propter ætatem, vel temperamentum valde debilis existens embryonis motui resistere non valuit, ante septimum fœtus in lucem venit; qui robustus cùm esset, viuere potuit. Tertia ab imaginatione sumpta est, ob cuius vim maximam, cùm ea mulier pariendi esset auidissima, potuit partum illum maturare. Hæc mihi visa sunt efficaciora, quæ in medio ponerem; & ad quæ reliqua omnia eleganter, & oratoriè à Speronio disputata referri possint. Verùm ego, qui nec flumine conturbor orationis, nec vllius in re philosophica auctoritate moueor, sed rationum tantùm vi, ac subtilitate, & veritate ipsa; longè aliter Hippocratis, Aristotelisq; principijs receptis censeo sentiendum; ac ratio valdè efficax, quæ id mihi suadet, hæc quidem est; quoniam maturescendi fętus tempora pẽdent à tẽperamento speciei: cùm igitur proprium sit speciei humanæ ob causas à nobis ex Hippocrate, & Aristotele tertio, & sexto libro explicatas, vt diebus 182. anniq; dimidio, &, quod in idem redit, septimo mense ineunte non antea partus recipiat maturitatem; certè quot quot ante huiusmodi tempus in lucem veniunt, illegitimi censendi sunt, ac præter naturam geniti. Vnde maximè differt, an quæramus, verum huiusmodi partus dierum 165. nasci possit tanquam monstrosum quid, ac præter naturam, & rarò contingens; an verò sit humanæ speciei naturale, vt talis in ea partus oriatur. primo nanq; sensu verum est; idq; nos quoq; fatemur, edocti experientia mira naturæ errore monstra in dies orta cerni; quos tamen partus neq; Philosophia potest naturales dicere, neq; legitimos lex appellare. Si secundo modo intelligamus; profectò audacter asserimus, huiusmodi partum, & quemlibet alium huius generis, qui verè monstrosi nomine dignandus sit, neq; naturaliter oriri posse, neq; naturaliter posse viuere. ex quò & Aristoteles, & Alexander Aphrodisiensis, vt libro tertio ostẽsum est, monstra ne quidem in sui ortus initio permanere posse, monimentis mandarunt, tanquam genita præter naturam; vt incassum laborare videantur, qui id probare conantur naturali ratione. cùm enim, vt à doctis viris ante nos perbellè notatum fuit, omne naturale agens tùm ad maximum, tùm ad minimum terminum habeat; vltrà, & citrà quem egredi nequit sua actione; ex quò & Aristoteles in Politicis, & quarto de Animalium Ortu dixit, magnitudinem humani corporis adeò esse præfinitam, vt si ab illa mensura excedat natura, vel deficiat, seruari nequeat hominis essentia: rationi etiam consentaneum est, vt libro tertio monebamus, pariendi tempora ita statuta esse, vt detur breuius citrà quod, longius vltrà ꝙ partus naturaliter egredi non queat, nec vitalis existere: idq; totum Speronius ab ipsa ductus veritate videtur significasse; scribens partum illum naturæ esse opus præter solitum agentis materiæ vitio: quo recepto fundamẽto sequitur eum esse monstrosum, ac omnino præter naturam. vt iam & Aristoteli, & Philosophiæ fundamentis, & sibi ipsi aduersari vir tantus videatur, si postea asserat huiusmodi partum naturalem esse, ac naturaliter superstitem.

Speronij rationes confutantur. Cardani adducitur de eadem re opinio.

Cap. 28.

NEq; contrarias tollit rationes, quod dicitur, multas fœminas maribus calidiores inueniri: item Aristotelem historiã condidisse de Animalibus non scientiam; siquidem & fœmina, si vniuersaliter loquamur, seruetvrq; naturæ ratio, quà fœmina, non potest non esse mare frigidior, quatenus mas est, vt egregiè quarto de Animalium Ortu idem probat; & non historiam tantùm, sed scientiam quoq; de Animalibus scimus tradidisse Aristotelem; videlicet in libris de Partibus, & Generatione Animalium, in quibus ea omnia complexus est, quæ sub scientiam cadere possunt. quibus rursus in libris asserit, ante sep-

Cap. 1.

septimum genitos partus naturaliter non esse vitales; causam mirabiliter aperiens. vt tertio libro à me explicatum fuit. Item nec adductæ rationes aliquid probant: quod enim dicitur naturam terminum pariendi pertransire; præterquàmquòd falsum esse videtur, quia terminus à decimo, vndecimiq; initio sumendus est, non autem à septimo, aut nono; si tamen id natura interdū facit, dicimus esse monstrosum, & magno errore: vt prætereàm longè etiam esse difficilius rem gignere, quàm genitam seruare: vnde tametsi genitum iusto tempore fœtum (quæq; illa causa fuerit) diutius quàm par sit in vtero continere natura valeat; non sequitur tamen, vt citius quàm deceat illū possit generare. Quod verò subijcitur, fœtum illum ob parentis imbecillitatem, ac matricis, quæ retinere illum non potuit, natum esse, & tamen suo tempore; id videtur implicare contradictionem: siquidem matrix in partu naturali, vt eleganter Galenus libro tertio de Naturalibus Facultatibus docuit, nosq; libro tertio ex eo ostēdimus, cùm maturus est fœtus, insurgit ad illum expellendum, tantùm abest, vt retinere eum appetat, & velit: quare vel partus ille tempore non naturali in lucem venit; vel non potuit oriri præ matricis imbecillitate. Nec firmiora sunt quæ de actionum terminis Animalium, & de imaginatione adiunguntur: potest enim huiusmodi terminus vel loci, vel nutrimenti, vel temperamenti ratione varietatem aliquam recipere, sed non tamen naturæ ipsius cancellos pertransire; quod si faciat, id monstrosum esse censeri debet: ac ipsa quidem imaginatio licèt multùm possit, naturæ itidem leges nequit abrumpere, nisi monstrosum aliquid efficiat. Demum neq; illud prætereundum, (quod ex superiori disputatione satis patet) longè à veritate dissentire, fœtum illum dierum 166. non minus esse octomestri naturalem, quod postremo loco Speronius adiungit; propterea quòd insitū natura homini est octauo parere, vt tertio libro vidimus; at omnino præter illius est naturam ante septimum, ac ante dierū 182. interuallum maturum producere; vt ex Aristotelis, Hippocratisq; sententia tertio, & sexto libro demonstrauimus, fusèq; infra demonstrabimus. Concludendum igitur mea sententia, partum ante septimum mensem, scilicet ante dies 182. cum hor. 15. genitum, neq; vitalem esse, neq; naturaliter oriri; quin potius omnino esse præter naturam. quod Galenus in Opuscul. de Septimestri Partu, siue quisquis alius Commentarij illius auctor, apertè testatus est, itéq; Auicéna, vt libro nono demōstrabim⁹, atq; ante hos Polybus Plutarcho referente libro quinto de Placitis Philosophorum significare visus est; hoc ipsum dierum interuallum exprimens, ac perspicuè affirmans cētum & octoginta duos dies dimidiatumq; partus efficere vitales. quam etiam fortasse causam extitisse supra dicebamus, vt Vlpianus in .l. INTESTATO hoc idem dierum 182. spatium posuerit expressè cōscriptum; vt meritò inter Recentiores Valesius libro secundo Controuersiarum scripserit ante hos dies fœtum nullum ad maturitatem peruenire; Mercatus libro quarto de Morbis Mulierum violentam proculdubio ante id tempus censendam esse fœtus editionē; Matthæus Curtius in Disputatione de Partu Septimestri sic esse certum, & manifestum fœtum ante diem 182. editum nec nutriri, nec viuere posse; & si viuit, fateri necesse esse prius esse conceptum; quemadmodum certum & manifestum est, omnem ignem esse calidum. qua sanè tanta nube testium mirum est si non opprimatur audacia aduersariorum; præsertim cùm horum doctissimorum hominum sententijs, vt latè probatum est, naturalis ratio mirificè arrideat. Neq; vnius Cardani opinio veritatem hanc vel minimum quidem labefactare potest; qui vir alioqui immensæ subtilitatis Contradicentium Medicorum libro primo contrarium firmiter asseuerare visus est; videlicet non solùm die 166. sed (quod & etiam magis est) die 163. genitum, & verè apud Hippocratem septimestrem esse, & vitalem: vt & hic rursus exclamare cogar, verè à me in præfatione dictum esse, humani partus naturam minimè ex Hippocrate cognitam haberi; & qui apud ipsum septimestres sint, à plerisq;, sed præsertim à Cardano loco illo ignorari. ad quem certè refellendum tametsi satis ipsiusmet testimonium videri potest, quod sequenti libro à nobis recitabitur; in quo Opusculum Hippocratis explicans de Partu Septimestri, fœtum à die 162. cum dimidio ad diem 182. cum dimidio editum neq; perfectum, neq; vitalem esse, & si viuat, id pro miraculo cēsendum constanter ponit; non pigebit tamē & ipsius verba afferre, & aliquantulum ea ventilare; præsertim cùm iam à nobis expositam Hippocratis initio Opusculi de Septimestri Partu sententiam profiteatur illis Cardanus explicare; atq; ostendere, nulla ex ea colligi ratione, dierum 182. interuallum ad vi-

Cap. 3.

Cap. 18.

Cap. 11.

Cap. 1.

Tract. 3. Contr. 8.

ad vitales partus producendos esse necessarium; quin etiam & .l. INTESTATO verba interpretari: vt hæc ipsius disputatio nullo nobis pacto dissimulanda videatur.

Cardani opinio fusius enarratur. verba eius recitantur. Cap. 29.

CVm igitur sumpsisset Auctor (quod & supra quoq; dicebamus) rationem têporis fœtus ex tribus sumi; ex natura; ex Astris, & quod idem apud ipsum sonare videtur, ex ipsis mensibus; tertiò ex Pythagorica computatione numerorum; atq; hęc omnia Hippocratē attigisse: in Opusculoq; de Natura Pueri naturę explicasse rationē; in libello de Septimestri Partu Astrorum ac mensium; in libro de Octomestri Partu, rationem Pythagoricorum numerorū: quod verò pertinet ad naturam, fœtum ex temperamento, ex alimenti quantitate, ex vteri ac loci qualitate citius, vel serius vitalem oriri; ratione mensium, cùm septem à conceptu menses poterunt computari; demum ratione Pythagoricæ computationis, cùm hebdomadum decadas & quadragenarios requisitos expleuerit. Item cùm accepisset, ipsum Hippocratem tria temporum genera considerare, minimum, maximum, & medium; in minimoq; velle Astrorū mensiumq; rationem potissimum locum habere; in maximo rationem Pythagoricam; in medio vtranq;; in omnibus naturæ rationē. cùm, inquam, hæc præfatus esset, vt doceat minimum tempus dierum esse 163. in hoc ipsoq; minimo tempore mēsium Astrorūq; ratione fœtum vitalem edi; quia tempus id in septimum mensem incurrat, ita scribit.

» His cognitis septimestres vitales sunt ratione mensium à 163. die supra: patet quia sex exegerunt Lunares menses, & septimū sunt ingressi. quòd si voluisset tantùm natos 182. die esse septimestres & vitales, debuerat computare sex menses Lunares cōpletos, qui sunt 177. dies solùm; & sic ad dimidium anni supererant etiam dies quinq;; & ita natus in dimidio anni diceretur septimestris tam hoc modo quàm primo. Igitur vult clarè quòd natus 163. die sit septimestris. Nec potes dicere quòd velit, vt expleuerit dimidium anni; & sic poterat computare menses integros: nam, vt dictū est, vtroq; modo æqualiter natus in dimidio anni septimestris est. Nec potes dicere quòd ex hac computatione prima dando dimidium primi mensis pro mense; in viginti diebus, qui supersunt ad anni dimidium, necessariò cadat coniunctio, vel oppositio alia Solis & Lunæ, vt sint septem menses cōpleti: qui non essent completi ex secunda computatione, dando sex mēsibus dies 177. nam posset accidere quòd in quinq; succedentibus diebus nulla fieret coniunctio, vel oppositio Solis & Lunæ: & sic non compleretur, vel saltem non adderetur dimidium septimi mensis: quod necessariò euenit in prima supputatione 182. dierum. Nam si propter hoc dixisset, erat initium perfectionis 177. dies, non 182. quia dando 162. diebus sex coniunctiones, & totidem oppositiones, in sexdecim diebus sequentibus quomodocunq; acceptis necessariò est vna coniunctio, vel oppositio. igitur in 177. erit absolutus septimus mensis, non in 182. solùm. Fecisset etiam Hippocrates mētionem perfectionis septimi mensis, cuius non meminit: immò videtur vti mensibus incompletis: & quod plus est, non adducit aliquid, quo possimus coniectari, illum cōsiderasse, quòd dies 20. qui supersunt ex septimo, sint plus dimidio mensis Lunaris. Quòd si dicas, cur igitur, si 163. dies vitalis est, quia septimi mensis initium, meminit dimidij anni? Ad hoc respondi, quòd vt 163. dies est primus vitalis in septimestri, sic 182. est perfectissimi spatij septimestris terminus illius nati, qui in primis quindecim diebus suæ generationis coniūctionem Luminarium, & oppositionem habuit. ex hoc patet quòd verba Plinij corrupta sunt, & sic debent legi. Ante septimum haud vnquam vitalis est. in dimidio autem anni non nisi pridie posteroue plenilunij die, aut interlunij concepti nascūtur. Quis non videt hāc esse exquisitam Hippocratis sententiam secundum illos, qui mensis septimi dimidium vltra sex integros requiri volunt ad hoc, vt vitales sint? cùm nos hoc tamen reprobauerimus. nam ad perfectionem talis numerus est necessarius, nō ad vitam; quamuis, vt diximus, nati 163. sint debilissimi; eò autem validiores, quò magis ad 182. propinquius accesserint. Lex autem 182. diem pro initio termini vitalium sumpsit, eorum, quos Plinius secutus est, interpretatione decepta. Vel dic (quod verius est) legem semper esse de his, quæ frequentius accidunt. At eorum, qui ante 182. diem, & post. 163. nascuntur, etsi vitales existant, maior tamen pars moritur: ea causa, quòd vix vllis accidit illorum, vt plenilunio, vel interlunio concepti sint: quare cùm in quindecim diebus quatuor tantùm sint vitales, & qui perfectionem se-

ptimi

"ptimi mensis præstare possint; vndecim autem non vitales, & in quibus non contingit sextum mensem totum expleri; ob id lex hoc sanxit. Vt enim rectè Tacitus sub Casfij persona dicit, in omni lege necessarium est, vt aliquibus iniuria fiat; & insontes pro sontibus habeantur: sed legi ipsi sufficit, vt multitudini benè consulatur.

Pluribus Cardani exploditur opinio.
Cap. 30.

HAec Cardanus loco memorato; quæ, vt verum fatear, nullius sunt momenti ad probandum, nequaquam Hippocratem primis Opusculi de Septimestri Partu verbis dierum 182. interuallum ad vitam maturitatemq; partus necessarium existimare. quandoquidem primùm, quod ipse inquit, diem 163. vitalem esse, quia septimi mensis initiũ attingit, duplici de causa falsum apparet: neq; enim dierum 163. spatium verè attingit initium septimi mensis, etiam si Lunares menses accipiamus; eò quòd dies quindecim de primo mẽse in supputatione non sunt satis, neq; pro vno mense queunt computari, nisi & è septimo quod illis deest suppleatur; quod & maximè animaduerti cupio, & acutè apud Plutarchum Polybus docuit, & verum esse Hippocratis exẽplum satis probat; in quo, tametsi de primo quindecim tantùm dies accipiuntur, de septimo tamen amplius sumũtur quàm viginti: vnde tota summa sex menses habet integros & exactos, ac nonnullos prętereà dies; vnde verè cadit in septimi initium. At Cardanus de primo mense dies quindecim accipit, & quinq; sequentes integros, sed quod primo deest non supplet ex septimo; quare egregiè hallucinatur, longisimèq; ab Hippocratis recta computandi methodo discedit. Item non est verum simpliciter, tempus vitale fieri, quia tantùm septimi mensis initium attingat; sed ob rationes suis locis allatas necesse est, vt dimidium anni expleat, scilicet summam dierum 182. si vitale est futurũ; vnde cùm id Auctor supponit, principium petit. Secundò cur Hippocrates sex menses Lunares completos nõ supputauerit, sed de primo dies quindecim acceperit, de septimo amplius quàm viginti, iam superius explicauimus; quare Cardani ratio nulla. si enim eo modo, quem ipse ponit, calculum vir sapientisimus subduxisset, de septimo maiorem partem non accepisset; vnde potuisset aliquis dubitare, an verè partus ille dicendus esset septimestris, minorem quàm dimidiam de septimo accipiens; de qua re supra diu multumq; disputauimus. quamuis igitur tàm primo quàm sec̃ũdo modo partus sit septimestris, primo tamen modo septimestrem esse longè clarius apparet; quamobrem & hac de causa præter aliàs duas, quas supra tetigimus, priorem modum Hippocrates recepit; vt contra omnem sit rationem quod Cardanus concludit, ipsum clarè velle natum die 163. esse septimestrem; cùm vix genitus die 178. iuxta Lunarium mensium rationem, vt Galenus in Commentarijs super libello de Septimestri Partu grauiter admonuit, dici posit septimestris; nec tamen vitalis sit, quia diem 182. non attingat. Hinc rationes duæ illæ omnino ruunt, quibus Cardanus probare nititur, summam dierum 182. ad vitalem partum constituendum Hippocratem non requirere; cùm neq; vtroq; modo, æqualiter saltem, appareat genitum die 182. esse septimestrem, vt supra vidimus; neq; propter septem nouilunia, vel plenilunia hoc dierum interuallum Hippocrates necessarium esse duxerit; sed ob Solis motum, ob superuenientemq; mutationem; demum ob agentis causæ ad materiam proportionẽ, quæ talem periodum requirit, quemadmodum suis locis ostendimus: qui, vt apertè monstrabimus sequenti libro ex suo exemplo necessariò elici, etiam si septem nõ sint confecta nouilunia, dummodo dies adsint 182. partum vitalem edi existimauit. Atq; hæc causa est, cur perfectionis septimi mẽsis, idest, vt ego Cardanum intellexisse autumo, septimi nouilunij, non fecerit mẽtionem. nam si de perfectione ipsa, idest de maturitate Cardanus intellexit, clarum est de ea Hippocratem habuisse mentionem; cùm mensem septimum fœtui perfectionem afferre, perspicuè asseruerit. Tertio manifestum ex his est, falsum omnino esse, quod Cardanus dicit, Hippocratem nil posuisse, ex quo coniectari valeamus, dies 20. qui supersunt, plus esse quàm dimidium Lunaris mẽsis; cùm, vt nostra docuit explicatio, nullus ferè alius fuerit Hippocraticæ disputationis scopus & discursus, quàm hoc ipsum maximè ostendere. Nam & hoc est, quod dixit vir acutisimus, ex dimidio anno ac dierum 182 summa dies amplius quàm 20. ad septimum mensem constituendum superesse: his enim tot superesse dies, qui maiorem partem capiant quàm dimidium sit ipsius, perspicuè docuit.

Adhuc

Adhuc Cardani positio confutatur.
Cap. 31.

QVartò pari ruina opprimitur quod Cardanus adiungit; vt eam tollat obiectionem, cur Hippocrates dierum 182. meminit, & non dierum 163. si dies 163. vitale primùm tempus constituunt; dies ipsos 183. perfectissimum esse spatium illius partus, qui in primis quindecim diebus suę generationis coniunctionem Luminarium habuit, & oppositionem: enimuero neq; quia perfectissimum est, & ad perfectionem non ad vitam, vt paulò infra idem inquit, necessariū; eius fecit Hippocrates mentionem; cùm nullum de hac perfectione, de qua loquitur Cardanus, verbum habeat, nullam faciat distinctionem; sed quia simpliciter est necessarium, ac primum vitæ tempus constituit, quod superiora satis docuerunt; nimirum quia primò afferat fœtui maturitatis principium ac perfectionis: neq; qui primis quindecim sui ortus diebus coniunctionem habet & oppositionem, de primo mense dies tantùm quindecim sumere potest; quod tamen Hippocratis supputatio supponit. tales enim vel interlunio, vel pridie interlunij concipi debent; proindeq; primum mensem necessariò integrū habent: quare hæc Cardani supputatio cum Hippocratica minimè consentit. vt interea taceam eum partum, qui primis quindecim suæ generationis diebus coniunctioné habet & oppositionem, iuxta Cardani fundamenta die etiam 178. oriri posse; vt nulla fuerit Hippocrati necessitas summam dierum 182. exprimendi, si id tamen quod Cardanus fingit voluisset. Quæ autem ad Plinij locum pertinent, infra discutiemus. Quintò tandem ac postremò insigni plenū audacia est, quod hic Auctor affirmat; vidēs l. INTESTATO clarissimam auctoritatem effugere non posse, quæ diem 182. ad vitalem partum producendum agnoscit necessarium; hanc ipsam legem aliorum interpretatione deceptam sic statuere: ita .n. decepta nos decipiet. At si lex fallit, ex quibus nam alijs fontibus veritatem hauriemus? Quod verò ipse quasi tantæ temeritatis conscientia cruciatus adiungit, vt legem ipsam tueatur; illorum septimestrium tempus eam exprimere, qui vt plurimum superuiuunt, nullius est roboris: siquidem ipsa lex Hippocratis ibi (quem in testem adducit) sequitur auctoritatem; ideoq; die 182. genitum iusto tempore videri natum decernit. At idem ipse Hippocrates de illis, qui die 182. oriuntur, plures periclitari memoriæ prodidit; quare ipsa lex non potuit eo consilio tempus illud exprimere. Quòd si quis vrgeat, nonnulla partuum exempla à Cardano adduci, qui intra diem 182. orti sunt, & nihilominus incolumes euaserunt: respondemus vel mulieres conceptionis initium latuisse, vel, si vera historia est, huiusmodi partus mōstrosos esse arbitrandos, ac omnino genitos præter naturam. cuius rei firmissimum illud argumentum est, quòd vel Cardano referente valetudinarij omnes, tenues, imbecillesq; admodum perpetuò extiterunt; quæ quidē res perspicuè ostendit, eos ante naturale maturitatis tempus in lucem venisse: quare tanquam illegitimi, ac non naturales partus & monstrosi iuxta legum decreta arcendi erūt. pulchrum enim illud meminisse oportet à Cardano relatum, in omni lege necessarium esse, vt aliquibus iniuria fiat. Sed de Cardano hactenus. Nunc, quoniam doctissimi nonnulli fuerunt viri, qui nō solùm huius Hippocratici spatij vim vel non attigentes, vel despicientes; sed totius spatij septimestris negantes potestatem, dixerūt, etiam ante septimum, sexto nempè mense, vitalem partum naturaliter nasci posse; adeò vt nulla inueniri ratio queat contrariū persuadens; aliqua sunt nobis hoc loco, quoad eius fieri breuius poterit, de horum sentētia disputāda: postremò & nōnulla etiam dicturi, cùm ad id horum oratio nos inuitet, an post vndecimi initium humanus partus naturaliter nascatur.

ff. de posth. hæred. instit. l. quod certatum.

Aliorum quorundam de eadem hac quæstione recitatur opinio. Quinq; illorum rationes adducuntur.
Cap. 32.

INquiunt igitur isti, si partus summam perfectionem sexto mense adipiscatur, videlicet saltem ad sexti finem; nihil esse, quod vetet, quin vitalis per id temporis in lucem exeat; summam verò perfectionem recipere posse, & quod in idem redit, nasci vitalem, his probant rationibus. Prima est. Partus, qui proportionem à Veteribus explicatam formationis ad motum, motus ad exitum seruat, iusto tempore nascitur, proindeq; vitalis. At sexto ferè expleto genitus hanc seruat proportionem; ergo iusto tempore nascitur, & vitalis. Maior propositio Hippocratis, omniumq; Auctorum cōsensu firmatur. Minor ex eo patet, quòd idem ipse Hippocrates in Opusculo de Na-

tura Pueri masculum vt longissimè die 30. articulari scripserit ; inquiens paulò breuiore etiam tempore id fieri posse: vt iam si sumamus fieri die 27. hic partus die 54. moueatur, die 162. in lucem veniat. quod quidem dierum spatium in sexti Lunaris mensis diem 15. incurrit. Secunda ratio. Generandi facultas interdum duobus, aut tribus annis anticipat, longè pluribus remoratur; igitur & eadem in formando, maturandoq; fœtu poterit saltem per dies 15. anticipare. Probatur maior Veterum monimentis; quæ habent, fœminas repertas, quæ octauo suæ ætatis anno conceperunt; pueros, qui nono generauerunt; item senes, qui ad nonagesimum vsq; filios habuerunt; cùm tamen constans Medicorum, Philosophorumq; sententia sit, fœminam ante duodecimum, marem ante 14. generare non posse; septuagesimumq; maribus terminum esse generandi. At hoc posito iā minoris vis necessariò elucet; iam patet lōgè facilius fœtum ex fœcundo, calidoq; semine procreatum in primipara puella sexto saltem exacto vitalem nasci posse; cùm neq; monstrosa illa raritas in eò locum habeat, quę in superioribus apparet exemplis, sed breuis tantùm quædam dierum quindecim anticipatio à partu dimidium anni attingente; & quatuor illæ vigeant causæ, quæ partum quàmcelerrimè excludunt; nempè seminum robur, vteri angustia, eiusdem ferè impotentia ad gestandum onus, quia nō sit assuetus, demum alimenti defectus; eò quòd adolescentulę corpus ob augmentum magna indigeat alimoniæ copia. ex quò & arguunt isti, si septimestris ex nonagenario oriri potest, certè rationi esse consonū, ex iuueni sexto saltem pleno partum posse oriri. Tertia ratio. Facultas generatiua, tametsi fœtu in vtero existente præsertim agat, adhuc tamen eò egresso in eius corpore permanet; vt quæ postea dentes gignat, scilicet mense vt plurimum decimo octauo percurrente. Atqui eadem hæc facultas, quæ initio fœtum conformauit, adeò interdum potens est, vt multis anticipando mēsibus suas edat operationes, quēadmodum cùm fętu adhuc in vtero existente dentes procreat. neq; enim semel animaduersum est, fœtum duodecimo, vel decimo quarto mense gestatum, quod etiam Auicenna, & Plinius inter cęteros testificātur, cum dentibus prodijsse. Cur igitur nō poterit ipsa, quæ alioqui per nonnullos mēses aliquādo anticipat, tantas habere vires, vt per dies anticipans partum effingat nōnullis ante communiter statum pariēdi tēpus diebus, & excludat? Quarta, Veterum auctoritatem præsertim elidens. Non maior videtur esse ratio de octauo genitis, quàm de ijs, qui sexto mense oriuntur; sed Hippocrates, Polybus, Sabinus, Galenus octomestres nasci vitales negauerunt, quos tamen postea vitæ fieri compotes docuit experientia; vt propterea Iurisprofessores, qui tanquam non vitalem hūc partum prędicant; si tamen vixerit, ad hæreditatem dicant esse admittendum; quemadmodum inter alios in secunda Codicis tradit Alexander Imolensis: igitur & sexto geniti, tametsi negauerint illi nasci vitales, videntur nihilominus esse recipiendi. Quinta ratio. Quinquemestres partus à doctissimis viris admittuntur tanquam vitales; nempè à Ferdinando Mena super libro de Septimestri Partu, à Valesio in Commentarijs super libros Epidemicos; igitur longè magis concedendi sunt, qui sexto mense in lucem prodeunt. ex quò & Mena loco memorato monere omnes visus est, ne suaderi vnquam patiantur ad aliquem temporis numerum amplectendum actionis naturalis dimensorem, nisi quatenus in illo contigerit operationē esse absolutam; per ipsamq; explicari deinceps quantum temporis duratura sit, plus, vel minus: ipse verò Valesius sententia nō dissimili, naturam in suis actionibus non determinari ex necessitate numeris quibusdam determinatis.

ff. de posth. hæred. inst. l. quod certatum.

Auctoritates, & experientiæ ab ijsdem adductę recitantur.

Cap. 33.

POst allatas rationes auctoritates in medio ponunt, quæ idipsum dogma videntur confirmare. Prima auctoritas Auicennæ est, qui Fen vigesimaprima ita scribit. ,, Vt plurimum quidem moritur natus ,, ante hoc spatium. spatiumq; intelligit septimestre. Itaq; si ante septimum genitus vt plurimum periclitatur, ergo aliquando viuit; huncq; esse verborum verum sensum vel ex eo patet, quòd idem Auctor libro nono de Animalibus se vidisse testatur puerum natum sexto mense: quo loco violari inquiunt tanti viri orationem, si quis sexto mense cum nonnullis præterito sexto, & sic septimo inneunte natum intelligat; simul etiam & admonentes, se in Auicennæ contextu adducēdo secutos esse antiquam lectionem, quam eius enarratores recipiūt Iacobus de Partibus, Gentilis Fulginas, & alij.

alij. Secunda auctoritas est Nicolai Florētini ob varietatem formationis, & motus in fœtu; non solùm vndecimo gigni partū posse, sed duodecimo, decimotertio, decimoquarto, immò octauo, & quod adhuc plus est, vt ille inquit, sexto admittentis.
Tertia auctoritas ex libro adducitur de Pueri Natura: siquidem ibi terminus formationis in masculo præfigitur dies trigesimus; at ex regula proportionum inter formationem, motum, & partum, hic puer formatus die 30. 60. mouebitur, nascetur die 180. Verùm hoc termino editus, iuxta menses tricenarios à veteribus Græcis, ab illoq; Auctore receptos, erit non quidē septimo ineunte genitus, sed expleto tantùm sexto procreatus. Atq; auctoritatem hanc, & rationem ex ea ductam putant irrefragabilem, atq; ad hominem, vt loquuntur, demonstratiuam, & quidem meritò: est enim ad soluendum difficillima, cùm in eo libro septimestris tantùm partus admittatur, nequaquam genitus ante id tempus, & computatio per menses fiat tricenarios.
Post rationes, & auctoritates experientia comprobant huiusmodi sententiam; nonnulla exempla eorum, quos sexto mense natos dicunt, in medium afferentes. Postremò vt omnes mouisse machinas videantur, tribus auctoritatibus, quæ huic dogmati mirificè repugnant, conantur satisfacere. Prima est Galeni in Commentarijs super libro de Septimestri Partu, perspicuè asserētis ante diem 182. partum non nasci vitalē. Secunda Aristotelis septimo Historiarū ante septimum nullo pacto fœtum nasci vitæ compotem affirmantis. Tertia Auicennæ tertio Fen vigesima prima idipsum constanter his verbis comprobantis. & scias inde, quòd mensis septimus est primus mensis, in quo parit ipsum. Ad primam enim, & secundam respondent, Hippocratem, Galenum, & Aristotelem ita scripsisse, quia septimestrem tantùm obseruarunt, non sexto mense genitum, qui post illos experientia compertus est esse vitalis; neq; id esse mirum, quia artes fiunt per additamenta. Probant id totum, quoniam Hippocrates nullum octomestrem nouit esse vitalem; quē ætate posterior Aristoteles aliquando vitalem agnouit; vt iam clarum sit, hos viros grauissimos asseruisse, ante diem 182. & ante mensem septimum partum vitalem nō oriri, quia vitalem ipsi non nouerunt, non quia rationi repugnet naturali, ante id tēpus nasci vitalem. Quòd si quis obijciat, si is partus aliquando viuat, hoc tamen rarum esse, ideoq; præter naturam; respondent, quæ raro eueniunt in duplici esse differentia; quædam sui euentus necessarias habere causas; quædam fortuitas: è primo genere esse partus sexto mense prodeuntes; propterea non præter naturam. Hæc igitur & grauiter mea sententia, & doctè ad sexto mense genitum partum comprobandum disputata ab illis fuere; quibus non quidem contradicendi studio, sed quoniam longè aliam esse veritatem autumo, pro ingenij mei captu, ac tenuitate satisfacere conabor; interim hæc mea non solùm aliorum eruditorum hominum, sed eorundem iudicio subijciens, qui talia scripserunt; quorum doctrinam non modò non contemno, sed vehementer admiror; quorum laboribus perlibenter vtor, nec mediocriter delectore nihil enim magis cupio, quàm veritatem in hac grauissima de humani part⁹ natura tractatione disserendo inuenire, vel ab alijs inuentam discere; cuius formam, & tanquā faciem cùm ex Aristotelis scriptis mihi oculis cernere visus sim, mirabiles amores sui in me excitauit; vt non piguerit tot laboribus, ac disputationibus eam perquirere, alijsq; proponere contemplandam.

Nonnulla præmittuntur ad horum confutandam positionem necessaria.
Cap. 34.

CAeterum hoc antequam ad allatas rationes labefactandas accedamus, tanquam reliquorum omnium fundamentum præmittatur; quod nisi hallucinor, ex his, quæ libro tertio, & sexto disputata sunt, facilè colligitur nullam habere dubitationem; Hippocratem videlicet, & Aristotelē, quos postea Galenus, & Auicenna secuti sunt (vt interim alios silentio prætermittam) non solùm duce experientia, sed etiā naturali ratione statuisse, ante spatium septimestre, quod illi grauissima itidem ratione permoti diebus 182. vt horas interim omittam, conflari, constareq; decreuerunt, vitalem partum naturaliter non nasci: quæ autem rationes Hippocratē ita sentire coegerunt (vt id totum breuiter hoc loco perstringam) potissimum duas esse; vnam à natura, ac temperamento ipsius humanæ speciei ductam; alteram à natura Cœlestis periodi, ac potestate; quas quidem ambas statim initio de Septimestri Partu diuinus Senex explicauit. Nam cùm dixit septimo mense nasci partum vitalem, cùm spatium id septimestre anni Solaris dimidio constare do-

re docuit, rationem aperuit à periodo Cęlesti sumptam; quàm etiam paulò infra eodem libro apertius enarrauit, quando dixit, eò quia mensis in corpore peculiarem habet potestatem, ideo septimos menses, dixeris Solaris anni dimidium, fœtui in vtero constituto afferre perfectionem. cùm enim res omnes sublunares Cęlestium motu tanquam periodo mensurari exposcant, vt pulchrè Aristoteles secundo de Ortu & Interitu, & quarto de Ortu Animalium docuit, nosq; sexto libro abundè ex eo ostẽdimus; humanus partus breuiorem diebus 182. Solarisq; anni dimidio periodum ob causas tertio, & sexto libro explicatas habere nequit. Secundò cùm addidit Hippocrates, fœtum, quando ad hoc tempus peruenit, ad principium perfectionis peruenire; secundam, alteramq; exposuit causam à temperamento ductam humanæ speciei. neq; enim naturæ lege fieri potest, vt fœtus vitalis nascatur, nisi saltem principium habeat maturitatis, ac perfectionis, vt superiori disputatione dicebamus. atqui humanæ speciei proprietas, natura, ac temperamentum breuiori tẽporis spatio, quàm dimidio Solaris anni, ac dierum 182. interuallo, perfectionis principium fœtum adipisci non patitur; itaq; ante hoc tempus fętus naturaliter vitalis prodire ex vtero nõ valet. neq; enim fœtus illi propriè non vitales existunt, & oriuntur, qui, etsi statim non moriantur, propter imbecillitatem in vtero contractam viuere non possunt, vt nõnulli opinantur; sed qui, etsi nullam contraxerint in vtero imbecillitatem, ante maturitatis tempus in lucem veniunt. Hinc autem perspicuè haberi palàm est, nonnullos alios doctissimos huius ætatis viros non esse sequendos, qui Ferdinandum Mena imitati scripserunt, Hippocratem censuisse, septimestris partus causam esse præproperũ ipsius conatum ad exeundum ob alimenti egestatem, aut vteri angustiam, qui alioqui tardius esset proditurus in lucem: enimuero alimenti egestatem, & vteri angustiam non esse veras partus causas ex Hippocratis etiam sententia liber tertius demonstrauit; quo quidẽ ex libro, tùm quoq; ex ijs, quæ supra aduersus Ferdinandum disputauimus, alterum illud, quod isti adijciunt, plenè confutatur; septimestrem partum, nisi alimenti egestas, & angustia loci illum cogeret, diutius in vtero esse permansurum: ita enim ante tempus suæ maturitatis in lucem exiret fœtus septimestris; proindeq; nullo modo vitalis tanquam abortus. Præterea si diutius quantum est sui temperamenti ratione in vtero permaneret, ergo vsq; ad octauum, vel nonum mensem, & vltrà; at quid absurdius fœtum natura & tẽperamento octomestrem, vel nonomestrem posse septimo prodire vitalem? ita enim septimestris, octomestris, nonomestris eadem planè esset temperatura; quo nil ab Hippocratis, & Aristotelis mente alienius. Sed vt redeamus ad nostra, postremam rationem à temperamento ductam humanæ speciei & secutum esse potissimum Aristotelem, & eius vim diuinè explicasse, libro tertio satis ostendimus. neq; enim homo magnitudinis corporis ratione breuiori temporis spatio maturum, perfectumq; fœtum reddere potest, vt libro memorato pluribus probauimus; cùm non solùm multiparum sit animal, sed etiam vniparum, & longè magis ob iam dictam magnitudinem; cuius ratione gestationi animalium limes imponitur, vt diuinus Pręceptor primus omnium diuino planè, & admirando artificio nobis explicuit: vt qui sine hac luce, sine his principijs in immenso hoc mari nauigare audeant, humani scilicet partus naturam indagare; ad ingentes statim scopulos suam nauem affigant. quod cùm Auicenna, Auerroes, Albertusq; cernerent, pulchrè scriptum reliquerunt, hoc spatium breuius esse, in quo humanus fœtus posit conformari; quin etiam & breuius, quàm humanæ speciei exposcat temperatio, si collineet; vt iã falsum omnino videatur, quod isti tanquam verum accipiunt, nec Hippocratem, nec alium quenquam ex Antiquis rationem aliquam demonstratiuam attulisse, quæ persuadeant, natum sexto mense viuere non posse; item naturali non repugnare rationi, quòd fętus ante septimum maturescat. cùm ex his palàm sit, demonstratiuas rationes allatas esse, quatenus tamen subiecta materia patitur; cùm alioqui verè demonstratiuæ rationes vel ipsis sæpè admonentibus in hac tractatione nec dari possint, nec dare ipsi profiteantur; vt iniquum videatur ab alijs exigere, quod nec res ipsa fert, nec nos dare valeamus: item manifestum sit id maximè rationi naturali aduersari, quia tẽperamento humanæ speciei sit contrarium, vt ante septimum maturus fœtus oriatur. Qui autem quæstioni huic manus admouẽtes, vt eam tollant, dicunt, ideo ante septimum natos non viuere, quoniam ante septimum fœtus non est perfectus; hoc nobis relinquunt pręterea perquirendum, cur ante septimum humanus fœtus non sit perfectus;

Costę. lib. de Hum. Conc. tẽp. c. 21. 22.

ctus; cuius quidem rei causam ex Aristotelis fundamentis facilè haberi libro tertio à nobis expositis, paulò supra demonstrauimus. Cùm verò adijciunt, cur ante septimum geniti non viuant, has præterea esse causas; quòd in hoc statu, quo nòdum sunt perfecti, si vel ob refrigerij, vel ob alimẽti indigentiam inuenire sibi exitum cogantur, quia minus valeant viribus, in vteri oris angustijs deprehensi, aut suffocantur, aut ex compressione sic læduntur, vt diutius vitam nequeant protrahere; item quòd noua viuendi ratione, liberiori aere, atq; insueto alimento afflicti facilè extinguantur; cùm, inquam, huius rei hasce nobis ob oculos causas ponunt, quęstionem certè nullo modo tollunt. si enim qui præproperè exit partus, maiori quàm qui serius robore est præditus, vt ijdem hi auctores accipiunt pro comperto; item si refrigerij, alimentiq; indigentia causa est partus naturalis ac vitalis, vt pariter ponũt; quo pacto dici poterit, ante septimum genitos viribus non valere? quo pacto, cùm nascuntur, ex causa nasci præter naturam? & si nascentibus ipsis causa viget naturalis; si cùm gignũtur, viribus valẽt; quo pacto nõ vitales in lucem prodire poterint? ex his igitur fundamentis nil quod firmam, solidamq; doctrinam sapiat ad hanc dissoluendam quæstionem haberi posse palàm est. itaq; ante septimum geniti, non vitales, quia immaturi, & imperfecti; immaturi verò & imperfecti ob expositas rationes.

Adhuc aliæ quædam explicantur cognitu necessaria. Locus quidam Aristotelis declaratur.

Cap. 35.

Hinc dicebat Aristoteles, septimestres plerunq; inchoatis narium, auriumq; meatibus oriri; quasi hoc natura argumento nos admoneat, vix hoc tempore, non antea, se maturitati posse finem imponere, sed neq; etiam absolutum; vt hac de causa principium potius perfectionis quàm absoluta perfectio ab Hippocrate vocetur. Hinc idem adiũgebat Aristoteles, ob membrorum teneritatem, & mollitiem, quam hi partus tanquam non benè maturi præ nimia temporis, in quo gestantur, breuitate quàmmaximam habent, σπαργανοῦνται ἐρίοις, idest vt ego interpretor, lanis inuolui; nimirum quia verbum, σπαργανοῦσιν, hoc loco, cũ additus sit datiuus instrumẽtalis, simpliciter inuolui significet, nõ quidẽ, vt tamen plerunq; solet, fasciari: quanquã Theodorus, vt exprimeret vtranq; significationem, non solùm illud cunabulis ex lana obuolui, sed etiam & fascijs alligari interpretatus est. Qui autem plurimùm admirantur, cur hoc Philosophus de septimestribus dixerit; cùm alioqui, vt illi inquiunt, omnes pueruli recenter editi in ipsis cunabulis ex lana collocentur, fascijsq; alligentur; statim mirari desinet, vbi legerint, Hippocratem in Opusculo de Superfętatione iubere, si secunda non facilè excidat, substernere lanas molles, quàm maximè altas, & recens carminatas fœtui oportere: quo ex loco facilè intelligimus, quis lanæ vsus apud Veteres, quod ad hanc rem pertinet, esse potuerit; vt iam perspicuum sit, non vulgatum morem Aristotelem narrare, quem in fasciandis pueris mulieres hodie etiam seruant, sed græcarum nutricum peculiarem diligentiam; quæ, cùm puerum septimestrem ortum cernebant, statim non fascijs, pannisq;, vt solebant nonomestres, sed lanis mollibus, & quàm maximè altis, & recens carminatis inuoluebant; ne scilicet membra nonomestrium membris longè teneriora vllam reciperent lęsionem. Hinc Philosophus affirmabat, perfectæ maturitatis terminum hos partus præuenire; hinc imbecillos esse & imperfectos (quod ante illum, vt libro tertio vidimus, cecinit Homerus) Hippocratesq; exiguos, & maiorẽ in ortu, quàm alios transmutationem facientes: quæ omnia testatissimum faciunt, vix naturæ lege hoc peracto spatio humanum fętũ maturitatẽ posse adipisci, quin potius, vt diuinè vocauit Hippocrates, principium perfectionis, & maturitatis; dixeris effigiẽ, vmbramq; ipsius ob tàm breue tẽporis spatium; & inchoatã, imperfectamq; maturitatem potius, quàm veram, & absolutam: vt audiendi non sint, qui partũ sexto mẽse genitũ nõ solùm non esse abortiuũ, sed summã perfectionem habere contra tantos Præceptores non vereantur affirmare; cùm alioqui septimestri vix principium perfectionis concedat Hippocrates; cuius quidem principij ratione Paulus Iurisconsultus .l. Septimo Mense partum hunc perfectum appellauit, sicuti etiam & Hippocrates & Aristoteles: ex quò & in his grauissimis viris nulla est repugnantia, nulla sententiarum contrarietas. Hinc demum ipse Aristoteles ante septimum lac vtile non dari acutè docuit; quia vtile non datur naturæ decreto nisi fœtus sit maturus, & nisi partus tempore; vt vel natura magistra & duce hinc ante septimum maturitatem partum recipere

non posse addiscamus. Nec putandum est meo quidem iudicio Hippocratis, Aristotelisq; ætate aliquando sexto prodire mense partum non fuisse obseruatum; nam, vt de alijs nunc taceam, Aristoteles septimo Historiarum partum viuum nedum sexto, sed quinto mense natum testificatur, sed qui tamen statim interijt; scribit enim sic. τὸ δὲ, πεντάμηνον· καὶ τοῦτ' ἀπέθανεν εὐθύς. quod est. & alterum quinto mense edidit, & hic statim mortuus est. Verùm quia grauissimi illi viri, ac iure & meritò aliorum omnium magistri non omnem quidem euentũ experientiam facere considerarunt; cùm, vt grauiter libello de Formatione Fœtus admonuit Galenus, quod semel, aut bis inspicitur, in vniuersum nisi magno errore pronunciari non potest; partum ante iam expositum spatium in lucem veniẽtem omnino ob dictam rationem reiecerunt; nimirũ quia humanæ speciei temperamento aduersetur, vt tam breui tempore, atq; ante initia septimi maturus fœtus prodeat: existimantes, si talis partus oriatur, vel omnino esse monstrosum, vel alio tempore genitum si viuat, sed mulierem sui conceptus initiũ latere, vel commissum errorem tegere velle. Quod Legislatores cùm prudentissimè animaduerterent, id tantummodo spatium tãquam breuiorem limitem partui humano putarunt præfigendum; vt si aliter hac in re statuere velimus, nil aliud agere, quàm & ipsas leges euertere, & totam funditus demoliri Hippocratis, Aristotelisq; doctrinã, demum pacem, societatemq; humanam cõturbare videamur. Hinc grauissimus auctor Varro in primo librorum, qui inscribũtur Hebdomades, vt Gellius tertio Noctium Atticarum auctor est; non quidem hos partus non nasci inficiatur, sed non nasci secundum naturam, & vitales. qui locus satis docet Veteribus hos partus non fuisse incompertos, vt isti volunt. Gellij autem hæc est oratio. Illam quoq; vim numeri huius obseruatam refert, quòd ante mensem septimum neq; masculus, neq; fœmina salubriter, ac secundum naturam nasci posit. Quæ profectò sententia latissimè monstrat, operam omnino, & oleum eos perdere, qui, vt probent ante septimum, & sic sexto mense naturaliter partum nasci posse, aliquando huiusmodi partus editionem inquiunt fuisse obseruatam: quandoquidem neq; oriri posse interdum nos negamus, neq; hîc etiam negat doctissimus Varro, neq; ante illum Hippocrates & Aristoteles, neq; postea Galenus, Auicenna, Auerroes, Albertus; sed salubriter, & secũdum naturam nasci posse negamus, ipsiq; negarunt; proindeq; dicimus hos partus, si aliquando contingant, tanquam monstrosos, ac præter naturam genitos è naturaliũ sede esse depellendos. quòd vel eorundem testimonio verum esse constat; cùm eos, quos ante septimũ esse editos, se obseruasse dicunt; cunctos exiles, tenues, valetudinarios, quemadmodum supra de Cardano notabamus, vixisse affirment: vt rectissimè à Varrone proditum sit, ante septimum salubriter humanum partum nasci non posse; & ex consequenti neq; secundum naturam.

Cap. 4. | Cap. 1. | Cap. 10.

Prima ratio labefactatur. Locus quidam Auicennæ obscurus declaratur.
Cap. 36.

CAeterum his ita explicatis non erit fortasse difficile allatas rationes labefactare; ac primùm ad primam respondemus, quàm firma hęc ratio sit à proportione formationis, motus, ac partus sumpta, satis inter cęteros Valesium virum eruditissimũ docuisse, qui, vt libro secundo vidimus, fassus est, plurimum eam claudicare; nempè quia non exactè ab articulatione ad motum dupli temporis proportionẽ perpetuò natura retineat; tripli à motu ad editionem: vt qui ex hac regula motus, partusq; tempora præsagire velit, in ingentes plerunq; labi errores sit necesse. neq; hoc sine magna auctoritate vir tantus asseruit: quandoquidem Hippocrates in libro de Alimento, cùm hanc proportionem explicasset, nulla alia fortasse de causa addidit. Non est & est. nisi vt doceret, non esse & esse, vt eam natura seruet; nempè quia non in omni fœtu, ac semper eam retineat, sed aliquando eam retineat, aliquando non; in quibusdam seruet, in quibusdam non. at si vllus est fœtus, in quo formando eam non retineat; certè ille est, in quo, si hanc seruaret proportionem, perfectionem fœtui ac maturitatem ante tempus ab ipsa definitum cogeretur adducere: quare ipsa ratio nulla. etsi enim trigesimo die, & ante statuamus articulationem terminum habere, aduersarijsq; quod cupiunt concedamus; nihilominus motus, partusq; tempora non respondebunt, sed tandiù tardabunt, quandiù tempora speciei humanæ ad maturitatem adipiscendam præfinita, locum habeant: qua de re Gorreus grauiter in Annotationibus super libello de Pueri Natura disserit; quo

Ann. 42.

loco si ex ipso sciscíteris, cur non eodem tẽpore formatur fœtus, ac mouetur (de quo quidem meritò quis posset dubitare; cùm alioqui cur partus cum formatione & motu nõ coincidat, ratio sit aperta) sic respondet.
» Attamen certa adduci causa potest, cur nõ
» simul atq; infans formatus est, etiam moue-
» ri possit. Motus .n. actio cerebri est, quod
» postremum, vt inquit Galenus, inter princi-
» pes partes ex humidiore seminis portione
» cõficitur, & proinde vltimum vim suam a-
» gendo exercet; eòq; etiam serius mouetur,
» quò ad motum maior neruorũ durities quã
» ad sensum necessaria sit, quæ non protinus,
» sed longo temporis spatio comparatur. Sed & alia occurrit via resistẽdi; Hippocrates enim libello de Natura Pueri articulationem hanc in mare trigesimo die terminũ habentem, in fœmina quadragesimo secũdo πρώτην πῆξιν appellauit, idest primam articulationem; cuius rei ratio iam libro tertio à nobis allata fuit: est enim articulatio hæc satis rudis, & imperfecta existimanda. ex quò & Aristoteles in maris articulatione longiores limites amauit, scilicet diẽ quadragesimum, sicuti etiam & in fœminæ articulatione, cui diem nonagesimum impartiuit: a qua quidem sententia non abhorrere Hippocratem libro tertio ostendimus; vt omnino malè tutum sit ex hoc, vel alio termino articulationis ab eo expresso firmam aliquam de partus tempore captare coniecturam. cùm ergo adeò multiplex, variaq; sit huiusmodi articulatio; adeò multiplex, variusq; ipsius terminus, quemadmodum libro tertio copiosè à nobis ostensum fuit; vt meritò Galenus libello de Formatione Fœtus cuiusdam Medici argueret inscitiã, qui cùm semel abortiuum fœtum duorum & triginta dierum expressa iam formationis delineamenta habere vidisset, id quasi in omnibus ita fieret asserere veritus non fuit; ad allatam rationem respondemus, aduersarijs, quod volunt, concedentes, proportionem dictam omnino seruari; sed eius articulationis limitem, cuius duplum temporis ad motum natura retinet, aliquanto esse longiorem, quàm quæ trigesimo finem habet; nempè quia absolutiorem perfectionem esse oporteat. ex quò & Hippocrates neq; secundo, sextoq; Epidem. neq; in libro de Alimento, vbi hanc recitat, docetq; proportionem; breuiorem die 35. limitem tribuit articulationi; quod ferè tertij Fen vigesimaprima Auicennam quoq; secutũ esse video. quo loco si eius orationem attentè consideremus, videbimus iam quod paulò

Cap. 1.

supra dicebamus, ipsum verbis licèt obscurissimis nobis significasse: enimuero cùm hanc explicans proportionem posuisset, fœtum die 35. articulari, 70. moueri, 210. nasci; huncq; partum vocasset septimestrẽ, statim ita subdidit. Et antecedit diebus a- »
liquot, & quandoq; postponitur, quoniam »
fortasse cadit in 35. diebus raritas, & mul- »
tiplicatur in duplatione. quorum verborũ »
vera fortasse sententia est, quantùm ex tàm barbara, ac spinosa interpretatione diuinare licet; antecedere interdum partum septimestrem spatium dierum 210. diebus aliquot; nempè quia ocyus, & in dimidio Solaris anni septimestris oriri possit: hoc autẽ cùm euenit, ideo fieri, quoniã cadit raritas in diebus 35. videlicet dies formationis rariores, paucioresq; sunt, quàm dies 35. nẽpè quia trigesimo articulationem finem habere posse supra dixerat: quod quidem tẽpus cùm videret seruata dupli, ac tripli proportione breuius nascendi tempus constituere quàm speciei humanæ requirat tẽperamentum, scilicet dierum 180. interuallũ; vt hanc tolleret dubitationẽ, addidit hoc ipsum tẽpus, scilicet dierum 30. multiplicari in duplatione; augeri videlicet, reddiq; longius in eo temporis spatio, quod ab articulationis fine ad motum intercedens articulationis duplũ repraesentare solet: adeò vt quidquid illi deest ad iustum implendum interuallum suppleatur; ideoq; in triplo, cùm .s. tempus motus triplicatur, tempusq; pariẽdi sic definitur, fœtus tempore debito, scilicet nõ ante anni dimidiũ in lucem veniat. Nam & hoc est, quod paulò supra docuit his verbis. Videtur quòd sit minus spatium »
formationis masculorum 30. dies, & minus »
parturitionis est medietas anni, & ꝙ dice- »
mus in proximo. quę quidem cùm supra po- »
suisset, vidės ex hoc termino dierum 30. articulationis posito aliquem arguere posse, ante anni dimidium fętum oriri; vt hàc remoueret dubitationem, ea, quę narrauimus verba, subiecit: docens in duplatione multiplicari hoc ipsum articulationis tẽpus, aliquantulum .s. reddi longius; vt non sit propterea timẽdum ante Solaris anni dimidiũ, vt dixit, ac ante septimũ tricenarium, vt infra dicturus erat, humanum partum naturaliter vitalem, ac maturum prodire. Quomodo verò partus postponatur, nil differit Auicenna, quia id nullam habet difficultatẽ; cùm clarum sit omnibus, partũ septimestre spatium posse pertransire, sicuti & diem 35. in articulatione; cùm alioqui medietatem anni anticipare nequeat. quo loco medie-

tatis

tatis anni nomine Auicennam dies 182. cũ hor. 15. intelligere nemo in dubium vocare potest; cùm de Solari anno, ac Iuliano verba faciat, qui eius ætate in vsu erat. At hîc, vt videmus, partum die 30. articulatum dimidio anno oriri vult, scilicet non die 180. vt isti volunt, sed die 182. cum hor. 15. népè quia augeatur, proferaturq; & multiplicetur in duplatione tempus articulationis; quanquam adeò exigua differentia est, vt, si etiam sequamur Gẽtilis explicationem, videlicet raritatem in 35. diebus significare dies 30. qui mox in duplatione multiplicatur; adeò vt die 60. motus dicatur factus; partus nihilominus triplo dierum genitus, scilicet die 180. habendus sit ob exiguam differentiam ac si dimidio Solaris anni in lucẽ venerit. Nam, vt libro nono dicemus, si breuiori dierum internallo ab eo, quem tradit Hippocrates à Iurisconsultis receptus, fieri humanum partum concedendũ est, certè non breuiori, quàm die 180. nasci est concedendum. Scio esse nonnullos doctissimos viros, qui huic difficultati ita satisfaciendum putent; vt dicamus, ab Hippocrate sic trigesimũ pro formationis termino proponi, vt saltem in sequentis etiam diei dimidium differri posse, & solere velit; ita vt ad propositam legem in centesimũ & octogesimum tertium diem partus incidat. Sed longè probabiliorem nostram existimo esse responsionem; videlicet dicendum esse, vel non semper exactè seruari proportionẽ dupli temporis formationis in motu, & tripli motus in partu; ideo fœtum die 30. formatum, non tamen ante diem 183. naturaliter excludi; vel diẽ 30. nõ eum afferre articulationis terminũ, cuius duplũ voluit Hippocrates motum fœtus adducere. ex his antẽ nihil habere virium aduersus hãc veritatem primam rationem, omnibus arbitror esse compertissimum.

Secunda ratio dissoluitur. obiter quid magis monstrosum, quid minus. Cap. 37.

AD secundam dubitationem sine dubitatione vlla respondere oportet, omnia illa, quæ ex Veterum auctoritate exempla afferuntur, monstrosa propriè esse, ac præter naturam, vel ipsius naturæ vitio contingere ac detrimento, vt quinto de Animalium Historia scriptum legimus; ideoq; nil probare; cùm, vt pulchrè primo Politicorum admonuit Aristoteles, natura non in corruptis, sed in perfectis sit contemplanda. atq; vulgatissimum illud iam diù in Scholis proclamatum ad memoriam reuocandum, allegare inconueniens nõ esse soluere quæstionem. dixi propriè monstrosa, vt lectores intelligant, non ea ratione esse monstrosa, qua & fœminam, & geminos, & octauo prodeuntes mõstrosos solet Aristoteles appellare. quanquam neq; etiam octauo genitos monstrosos ab eo dictos esse liber tertius demonstrauit. Adijce monstrosam illam raritatem in ijs, qui sexto mẽse oriuntur, nihilominus inueniri; eò quòd non ab anni dimidio, atq; à breuiori termino, nisi valde fallor; hæc anticipatio dimetienda sit (quod maximè legentes animaduertere cupio, & supra tetigi) sed à communissimo, vt in annis, qui generandi afferunt facultatem, vel adimunt, efficimus, & frequentiori, maximèq; naturali limite pariendi; videlicet à noni mensis fine, atq; à principio decimi. quod certè si agamus, videbimus, partum die 182. cum semisse in lucem venientem, per menses tres communem terminum anticipare; vt naturæ lege anticipatio maior non sit concedenda; cùm septimus mensis, vt libro tertio Præceptoris docuimus auctoritate, aliquo etiam modo sit præter naturam. Postremò dicimus (quod multis fortasse mirum, nouumq; videbitur) magis esse monstrosum, ac præter naturam, quòd partus ante septimum oriatur, quàm quòd ante, vel post præfinitum generandi tempus fœtus procreetur. Hoc ego quò apertius, certiusq; lectori faciam, ea ratione, qua Theologi maiora à minoribus miraculis distinguunt, confirmabo; & qua ego in Disputationibus de Monstrifici Fœtus Formatione, quas adhuc parturio, perlibenter vsus sum, vt explicatem, quo pacto magis monstrosum à minus monstroso sit distinguendum. D. Thomas Scholasticæ Theologiæ facilè Princeps inquit inter cæteros in prima Parte Súmmæ, illud miraculum maius esse altero, quod magis excedit naturæ facultatem; excedere autem aliquid naturæ facultatem, tripliciter contingere; vel quantùm ad substantiam facti, & ad id, quod fit, quod est maximum; vel quantùm ad id, in quo fit; quod longè est minus; vel vltimò quantùm ad modum, & ordinem faciendi, quod minus adhuc excedit. hæc tria mõstrosis operationibus, quæ in natura contingunt, & quasi miracula ipsius quædam appellantur, optimè quadrare mihi videntur; cùm monstrosum nil verè sit aliud, quàm quod extra naturæ est facultatem; adeò vt quicquid ab hac ipsa facultate longius discedit, verè monstrosum

magis

Cap. 24.
Cap. 3.
Quæst. 105 art. 8.

magis dici debeat. qua de re satis suo loco disseruimus, demonstrantes ad postremũ hoc genus ea monstra pertinere, quæ partibus non rectè dispositis interdum oriuntur; eò quòd natura illas quidem velit efficere, & in eo efficere, in quo illas efficit, sed non tamen eo modo, & ordine. adeò vt neq; quantùm ad id quod fit, neq; quantùm ad id in quo fit cõtingat error, sed tantùm in modo. ad genus intermedium ea spectare monstra, quę membris superuacuis veniunt in lucem, cùm natura illa quidem membra producere velit, sed non tamen in eo, in quo fiunt, nec eo modo. quo loco notare oportet in vtroq; genere, quæ producuntur, finis rationem subire aliquando posse, licèt in illis, in quibus fiunt, rationem finis habere nequeant; nempè quia natura partes alioqui illas in rectè dispositis producit. demum ad primum genus ea referri monstra, quæ & secundũ totũ, & secũdũ partes, ideoq; non solùm quantũ ad modũ, & ad id in quo fit, sed etiã quãtùm ad id, quod fit, & ad substãtiã facti, à naturæ recedũt facultate; & propterea supremum gradum in monstris tenent; nimirum quia nũquam finis subeant rationem; vt exempli gratia monstra sunt in humana specie, quæ figuram belluinam in aliquo membrorum gerunt: quas sanè belluinas partes non solùm nõ eo modo; nõ solùm nõ in eo, in quo fiunt, facere natura vellet; sed neq; etiã facere vellet in humana specie vllo modo; ꝙ ad facti substantiã spectat. At his explicatis perspicuum est, si generatiuæ facultatis fiat anticipatio, vel etiam retardatio, hoc solũ quantùm ad id, in quo fit, non quantùm ad substantiam facti esse monstrosum; quia natura generare quidem velit fętum illum, sed non in eo, in quo fit, scilicet in puero, vel sene; sed quòd ante septimum fœtus oriatur in humana specie, hoc & quantùm ad substantiam facti, & quantùm ad id, in quo fit, & quantùm ad modum recedere à naturę facultate nemo est, qui non videat. eò quòd natura in humana specie partum tàm breui temporis spatio producere maturũ, ac vitalem neq; velit, neq; posit; adeò vt nunquam subeat finis rationem ob allatas & paulò supra, & abundè libro tertio, & sexto causas. Quare monstrosum magis, ac longè difficilius existimandum, partum ante septimum vitalem prodire, quàm si nouem, aut decem annorum puer generet, vel nonagenarius senex. Prætereo, fœtum istum, si oriretur, non posse dici ex calido, fęcundo, & robusto semine procreari; si calidũ, & fęcũdum, ac robustum, rectè dispositum designat illis semen, vt videtur. Iam enim libro tertio monstratum est, neq; etiã septimestres ex rectè disposito, ac temperato semine, & robusto ortum ducere. quare, cùm inquiunt seminum robur adesse, hoc negamus; cùm addunt, vteri angustiam, impotentiam ad gestandum, alimenti defectum concurrere, libenter cõcedimus; cùm hæ causæ partum accelerantes abortum inducant, vt tertio libro exposuimus, nunquam verum partum, ac maturum queant efficere.

Ad tertiam rationem respondetur. Item tollitur quarta ratio, & quinta. Ferdinandi Mena de gestationis limitibus adducitur opinio.

Cap. 38.

VErùm transeamus ad tertiam rationẽ; eamq; ex eisdem fundamentis paucis expediamus, concedentes anticipationem, vel retardationem à communiter stato pariendi tempore metiendam esse, vt isti ponunt, nosq; supra dicebamus. at enimuero communiter statum pariendi tempus non est septimi initium, non dimidium Solaris anni, sed noni mensis finis, & decimi principium, vt omnium constans sententia est, à nobis libro tertio Aristotelis auctoritate confirmata: quare esto generatiuam facultatem à communi termino anticipare posse, vt etiam facit per nonullos etiam menses, non tamen potest à breuiori limite; quia omnium rerum natura constantium, vt libro tertio diximus, terminus aliquis est, vltrà, & citrà quem non licet naturæ, si ordinem seruat, euagari, & effectum producere. quod & hîc rursus Sacrarum Literarũ auctoritate confirmare non pigebit; in gestatione à natura, ab ipsiusq; naturæ conditore Deo terminos esse præfixos asserẽtiũ, quos non liceat pertrãsire, his verbis Esdrę libro quarto. Interroga matricem mulieris, & dices ad eam, & si paris, quare per tẽpus. Roga ergo eam, vt det decem in vnum. & dixi. Non vtiq; poterit: sed secũdum tempus. quibus verbis, certis ac definitis mensibus gestari humanum partum & excludi oportere, perspicuè docemur. Nam & si potest semper natura anticipare, cur & terminum ab illis positum non præcurret? cur similibus rationibus non demonstrabit alius aliquis, naturam per aliquot dies terminum illum posse præuenire; alius verò aliquis hunc alterum? quare eò tandem perducemur, vt nõ solùm sexto, sed

Cap. 3.

etiam quinto (quod nonnullis placuisse video) non solùm quinto, sed etiam quarto, tertio, & secundo mense; immò & primo partum maturum edi; ac vitalem contendamus; cùm non videatur maior esse ratio de vno, quàm de alio; quasiq; Empedoclis sectatores vno fętum adolescere die, quã prima ponatur nocte concedamus; tantò Empedocle stultiores, quantò apud illum dies vnus septem, ac nouem mensium æquabat interuallum. quæ omnia si falsa, si absurda, impossibilia, atq; incredibilia sunt; illud quoq; falsum, impossibile, & absurdum esse necesse est, humanum partum ante dimidium Solaris anni nasci posse naturaliter vitalem; cùm satis constet, si aliquis in hac naturæ operatione terminus præfigendus est; vt sine vlla dubitatione est præfigẽdus, nullum alium, Hippocrate, Aristotele duce, alijsq; melioris notę Auctoribus cõsentientibus, quin etiam & ratione ipsa naturali esse præfigendum. Præterea quod adijciũt, hanc eandem facultatem, quæ initio fœtum conformauit, dentes postea in eo gignere; ingenuè fateor, me olim hac de re multùm dubitasse, & nunc vehementer ambigere. Dubitandi causa mihi, vt puto, non leuis hæc est; quoniam, vt secundo de Animaliũ Ortu docet Aristoteles [Cap. 1.], nil se ipsum generat, sed cùm genitum est, auget se ipsum, ac perficit; quare non erit eadem fortasse facultas, quæ fœtum à principio generauit, & quæ postea in illo dentes gignit. Quarta ratio vel ex eo facilè labefactatur, quòd inter Veteres, vt tertio libro ostendimus, octauoq; ostendemus, sed potissimum in Disceptatione demonstrauimus, non adeò constabat, octauo genitos non posse viuere, quin pleriq; grauissimi Auctores & cõtrarium sentire, & scribere reperti fuerint; quod nos de Hippocrate, Aristotele, Polybo, & Galeno suis locis probauimus: quare non est similis comparatio. Quòd verò Alexandri Imolensis illa opinio cum principijs pugnet Iurisprofessorum, similiter ostendemus libro nono; si enim octomestrẽ non vitalẽ iudicant, debent illum, si viuat, tanquam illegitimũ reijcere, vt inter alios Menochius grauiter admonuit; nimirum quia ex iniustis nuptijs supponant esse procreatum; quare non possunt illum, sicuti neq; natum ante septimum, si viuat, vel post decimum, ad hæreditatem admittere: falsã tamen esse hanc eorum sententiam omnis hæc nostra conatur probare disputatio. Ad quintam facilis ex superioribus responsio est; quinto enim mense editi sine vlla dubitatione mõstrosi partus, ac præter naturam habendi sunt; neq; vna hirundo ver adducit; vt ex vno, alteroue casu in hanc statim sententiam sit nobis conuolandum. Neq; Hispanorum Medicorum auctoritas multũ fortasse fauet huic opinioni; nam, vt de Valesio nunc dicam; is certè in libro de Sacra Philosophia [Cap. 18.], vbi nostro seculo natam fęmellam quinquemestrem notat, quæ superuixit; huiusmodi exemplum nullo alio cõsilio nobis ob oculos ponit, nisi vt doceat, in physicis alterationibus, quemadmodum ipse concludit, vix quidquam esse omnino aut impossibile, aut necessarium; quod nemo mentis compos negare potest. Neq; enim dicimus impossibile esse, partum quinto, vel sexto mense excludi, qui etiam aliquandiù superuiuat; tametsi valetudinarius gracilis, tenuis, vt semper de vita certare videatur, quemadmodum de partu illo Valesius innuit. nam sic nil monstrosum, nil præter naturam oriri posse diceremus; atq; Præceptor non semel docuit naturæ sublunari necessarium non adesse, sed tantùm id, quod vt plurimum contingit: sed dicimus, si tales partus oriantur, omnino pręter naturæ legem genitos, monstrososq; esse existimandos. ex quo & idem Valesius Controuersiarum libro secundo ante diem 182. [Cap. 11.] nullum partum naturaliter ad maturitatem peruenire, & fatale exeundi tempus apertè affirmat. Quod autem pertinet ad Ferdinandum, vt eius mens magis eluceat (postquam datur occasio) de gestationis limitibus ipsius opinio nobis afferenda est; quam si quispiam cupiat intelligere, sic illum super libello de Partu Septimestri [Com. 7.] audiat disserentem. Sed quæ de tempore gestationis fœtus asseruntur, probat (Hippocratem intelligit) experimentis ab ipsis puerperis acceptis: quæ perpetuò confitentur, in septem, octo, nouem, decem, vndecimue mensibus fœtum edi contingere. & mox. De quinquemestribus verbum nullum; quos tamen contingere posse nostra vidit ętas, vti duobus exemplis dudum patefeci; tametsi Plinio visum fuerit, ante septimum mensẽ haud vnquam vitalem fœtum produci; & Auicenna primum mensem vocauerit partus septimum mensem ab ipsa cõceptionis die. An autẽ duodecimestres & terdecimestres admittendi sint, verti potest in dubium. Aristotele, Hippocrate in hanc sententiam consentientibus, quæ à septimo mense ad vndecimum vsq; extendi humanos partus existimat, tanquam ad vltimum circuitum; quibus accedit id, quod Aristoteles ipse septi-

» septimo Hist. Cap. 4. decreuit ad hûc modum, et paulò post. Et vt Aulus Gellius auctor est Adriano Imperatore vndecimo mense natus, assertus est esse legitimus. Contrarium verò sentit Iustinianus, dum eiusmodi puerum spurium habendum esse declarauit: tametsi Philosophorum placitis consonum sit, ad vndecimum mensem posse pertingere vteri gestationem. Quin immò, vti Plinius refert, Massurio auctore, Lucius Papyrius Prętor sentētiam tulit pro eo, qui terdecim mensibus vtero fuerit gestatus, ipsumq; constituit paternorum bonorum legitimum hæredem, atq; successorem. At verò, si Hippocraticam obseruationem pariter ac Aristotelicam mendosissimis Plinij testimonijs liceat prætulisse, perpetuò vndecimum mensem cōstituamus partuum humanorum vltimum terminum necesse est: quanquam hunc rarenter admodum Philosophorum maximus admiserit; decimum verò τὸ πλεῖστον, hoc est maxima ex parte concludere partum significauerit. & paulò infra. Prædicta igitur mensium diuersitate nasci fœtus humanos censuerūt Philosophantes, prout à causis calidis tùm in vtero, tùm forinsecus circunstantibus, maturius produci consueuerunt, à frigidis verò serius. Vnde fœminas tardius formari, moueri, atq; in lucem prodire certū est, quàm masculos ipsos; quòd hos multò calidior fouerit causa; illas verò aliquanto frigidior. Sed maxima ex parte decimestres nasci, apertis sermonibus ostensum esse, hoc est, quod suadere contendimus. nimirum præter adductam ex Aristotele sententiam, id probare videtur egregiè Hippocraticus discursus; qui longè lateq; diuagatus, decimum mensem colophonem postremum tandem designat partus humani maxima ex parte. De hoc quippè palàm disceptans, ἐν δεκαμηνοῖ γινέσθαι ταῦτα τὸ μακρότατον, hoc est in decem mensibus fœtus nasci quod longissimum est, scripsit. ad hocq; peruenire tempus addit, nisi ob violentiam aliquambiam irritatus puer, ante præfinitum tempus ruptis pelliculis exire cogatur. Rursum adiecit. Quin et si alimentum à matre puero prius defecerit, etiam sic partus matri prius aduenit, & ante decimum mensem puer prodit. & alio loco eam de quinquemestribus explicans sententiam, quam isti afferunt. Hinc quoq; haud absurdum videri debet, si quinquemestris partus vitalis editus sit apud Valētinos, feruentem sanè plagam: sicuti & apud Madriti incolas nonnullos obseruatū sentio, ex pudica matre honestissimamq; viuendi rationem nacta, natum esse quinquemestrem vitalem. Nulla itaq; ratiocinatione suadebor vnquam, ad aliquem temporis numerum amplectēdum actionis naturalis dimensorem; nisi quatenus in illo contigerit, operationem esse absolutam, per ipsumq; explicari deinceps quantum temporis duratura sit, plus minusuè.

Adducta Ferdinandi discutitur opinio. obiter quòd falsò scripserit Hippocratem sensisse, partus omnes natura esse decimestres.

Cap. 39.

HAec igitur Ferdinandus pulchrè, & subtiliter de temporibus, ac mensibus gestationis; quod verò ad nostrum spectat institutum, si animo versemur, ipsum quidem asserere, duos illos partus natos esse in Hispania vitales, idest post ortum superuixisse, sed non propterea dicere, vel colligere, omnes, qui in Hispania, aut alijs in locis nascūtur quinquemestres, nasci vitales; parum fortasse momenti, aut nihil videbimus ex huius viri auctoritate accedere istorum opinioni. Quòd enim nasci possint aliquando quinquemestres, quòd possint superuiuere, nos quoq; non negamus; ita enim (quod & paulò supra dicebamus) & nasci & superuiuere posse monstra negaremus. quòd verò hinc sequatur, nasci vitales, & naturales esse partus, non præter naturam, hoc non concedimus, nisi & concedere pariter velimus, monstra non prętet naturam oriri, & superuiuere, sed secundū naturam; quo quidem posito vniuersam cōturbari philosophiam, nemo est qui non videat. atq; hoc necessariò fateri habet Ferdinandus, nisi à se ipso velit dissentire; qui paulò ante laudat Hippocratem & admiratur, quòd ea neglexerit, quæ rarissimè vsu veniunt, ac peculiarem faciunt disciplinam; neutiquam eam, quæ vt plurimum contingit. Prætereo nullius esse ponderis rationem, quam Ferdinandus affert, cur apud Valentinos, & apud Madriti accolas partus illi superuixerint, scilicet feruorem regionis (de qua etiam libro octauo nonnulla dicemus) ita enim sub Zona torrida lōgè feruentiori, omnes nasci deberent non quinquemestres tātùm, sed etiam bimestres, nasciq; vitales; cùm tamen, non secus ac apud nos, vt plurimum nonomestres fętus humani in ea oriantur; vt interim taceam, Hippocratem, Aristotelem, Pliniumq; Ferdinandum afferre & recipere, quòd ante septi-

Com. 6.

mum vitalem non posse nasci partum naturaliter, scriptis consignauerint. quem tamen longè ab ipsius Hippocratis mēte putamus aberrare, dum scribit, ex illius sententia partus omnes ad decimum mensem peruenire, nisi ob violentiam aliquam irritati, ante hoc tempus cogantur exire. ita enim non solùm septimestris immaturus, ac violētus esset partus, demum abortus, quod Ferdinandus (vt superiora docuerunt) facilè concederet, sed etiā nonomestris, quod dictu est absurdissimum: neq; eo loco hoc vnquam dixit Hippocrates; quandoquidē vbi eam profert sententiam, quam adducit Ferdinandus; non intelligit omnes partus naturæ lege mense decimo nasci debere; si verò prius oriantur, id ob violentiam aliquam euenire, vel ob defectum alimenti, vt putauit Ferdinandus; sed cùm mensem decimum posuisset esse tempus pariēdi (quod & longissimum gestationis humanæ limitē esse definiuit) duas causas subijcit abortionis, quæ ante hoc tempus à natura fœtui præfinitum vtero excidere ipsum faciunt; videlicet violentum aliquid illi cōtingens, & alimenti defectum; quem quidem huius loci sensum libro tertio secuti sumus, dum veram partus causam de Hippocratis etiam sententia ipsam esse maturitatem probare conaremur. quare non dicit Hippocrates generaliter omnes fœtus decimo maturescere; & si anteà nascantur, ideo nasci, quia violentum aliquod perpetiantur, vel defectum alimenti; sed dicit, qui partus decimo maturitatem adipiscuntur, interdum quasi abortus quosdam ob violentum aliquod, vel ob alimenti penuriam ante hoc statum tempus excludi, quod longè est diuersum. Quòd si, vt libro tertio ostendimus, alimenti penuria Hippocrati & dicit & sequitur fœtus maturitatem, iam & horū verborum. καὶ ἢν ἡ τροφὴ πρόσθεν λήξῃ ἀπὸ τῆς μητρὸς τῷ παιδίῳ, καὶ οὕτω πρόσθεν ὁ τόκος τῇ μητρὶ παραγίνεται, θᾶσσον δὲ δεκαμήνων ἐξέρχεται. alia potest & commodissima, & longè fortasse verior esse interpretatio. quia enim decimo mense maturum prodire fœtum humanum dixerat Hippocrates; sciebat autem alijs etiam mensibus, nempe septimo, & nono (vt interim taceam de octauo) naturaliter maturum pariter nasci; propterea hæc verba subijcere voluit: quorum sententia est, si alimentū infanti prius deficiat, quàm decimus accedat mensis; deficiet autem prius, si prius maturus fuerit; non solùm decimo mense, vt dictum est, sed ante decimum nasci infantem, nono videlicet, ac septimo. quo pacto aduerbium, πρόσθεν, non ad paulò superiora, τοῦ ὁρισμένου χρόνου, referendum est (quod tamen fecisse Gorrœum video in sua versione sic habentem. Similiter si maternum alimentum infanti prius deficiat, sic quoq; mater ante legitimum tempus pariet, puerq; decimum ante mensem nascetur) sed ad illa, δεκάτου μηνός: quo pacto sic verba veniunt transferenda. Et si alimentum prius à matre puero desit, sic & ante decimum mensem partus matri imminet, citiusq; quàm mense decimo excluditur. quam profectò explicationē & verba, quæ sequuntur, θᾶσσον δὲ δεκαμήνων ἐξέρχεται, idest, citius quàm mense decimo exit; reddunt meo quidem iudicio probabilissimam. quòd .n. alimenti defectus Hippocrati dicat maturitatem, satis libro tertio ipsius auctoritate ex libello de Partu Octomestri probauimus. quo loco dicit apertè pueris ἁδρυνομένοις καὶ τελείοις, idest, maturis ac perfectis claudi vmbilicum, & conniuere, alimentumq; exinde illis deficere: et ex ijs, quæ infra libello de Pueri Natura differit, colligi facilè potest; vbi perpetuò cum alimenti inopia τὸ ἁδρὸν παιδίον coniūgit, pueri videlicet maturitatem. Quòd verò hac ipsa de causa citius quàm mense decimo oriri queat infans, proindeq; maturus, hæc ipsa verba manifestè docent. αἱ δὲ τὰ καταμήνια ὀλίγα μεθιεῖσαι, αὗται καὶ τοῖς παιδίοισι, τοῦ χρόνου τὸ ὕστατον, ὅταν ἤδη ἁδρὸν ἔῃ, τὴν τροφὴν σπανιωτέρην παρέχουσαι, ποιέουσιν ἀσκαρίζειν, καὶ πρόσθεν τῶν δεκαμήνων ἐξελθεῖν. idest, vt nos interpretamur ferè cum Cornario, longè verius quàm Gorrœus. Quæ verò menses paucos demittunt, hæ etiam pueris postremo tempore, vbi iam maturi fuerint, alimētum rarius exhibentes, ipsos calcitrare faciunt, & ante decem menses in lucem venire. quo loco, vt videmus, puerum ante decimum prodire maturum, & quia maturus sit, deficere illi alimentum, & calcitrare, perspicuè ponit. quod quidē cū ea sētentia, quā illi tribuit Ferdinandus, è diametro pugnat. Quod autē idem inquit, nulla sibi ratiocinatione suaderi, ad aliquem tēporis numerum amplectendum naturalis actionis dimensorem: si quis accuratè consideret, non fortasse absolutè inquit, quasi aliquem temporis numerum actionis naturalis dimensorem nolit esse concedendum; sed inquit, non esse concedendum, nisi in illo contingat, operationem esse absolutam; adeò vt ipsam naturalis operis perfectionem esse velit, quæ nos admoneat de huius temporis quantitate: quod nostræ

sen-

sententiæ nil repugnat. Cùm enim vt plurimùm vix septimi initio, ac dimidio Solaris anni absolui partum humanum experiamur, quod septimestres inarticulatis partibus plerunq; geniti satis docent, numerũ hunc temporis amplecti natura.is huius actionis dimensorem oportebit; quod & isti necessariò fateri debent, qui semel, & iterum scriptum reliquerunt, naturæ operationes omnes determinatis effici periodis, ac numeris; ipsamq; naturam solere certis diebus, ordinatoq; tempore perfungi suis muneribus; quod inter cæteros doctissimũ Eugenium secundo libro de Partu video confirmasse. Sed de rationibus hactenus; auctoritates expendamus.

Ventilantur auctoritates superius allatæ. nonnullorum Recentiorum adducitur opinio, & confutatur.

Cap. 40.

Ex Auicenna duplex locus afferebatur; primus ex tertio Fen vigesimaprima, secundus ex libro nono de Animalibus; in quibus inquiunt isti partum ante septimũ editum eum approbare. at certè mihi cõtra videtur; nam primo loco, vt vberius libro nono explicabimus, omnino ante septimum genitum putat non vitalem; atq; hæc est ipsius oratio. » Et multoties quidem » moritur natus infra hoc spatium: legitq; hoc modo Gentilis; vt falsum omnino videatur quod isti addunt, antiquam lectionem habere ante hoc spatium, non infra hoc spatium, atq; hanc lectionem Gentilem agnouisse. enimuero meus codex sic habet, vt fideliter retuli; & quod magis est, ex Gẽtilis ipsius explicatione, atq; ex verbis Auicennæ superioribus ita habere necessaria colligitur omnino ratione: quandoquidem » sic locum Gentilis explicat. Ostendit quòd » ante septimum mensem fœtus moritur; & » dicit, quòd multoties natus oritur ante se» ptimum, & debebat oriri in septimo; & tũc » moritur talis fœtus infra hoc spatium, idest » ante menses septem. Hæc ille; de cuius sẽtentia inquit Auicennas, multoties fœtum nasci ante septimum; quicunq; verò oriuntur, omnes mori, non plures mori. item inquit mori infra hoc spatium, non ante, vt isti contendunt: quanquam secundum Gẽtilem in idem res ipsa redit; cùm illi vox, infra, ante significet. cuius tamen opinionem libro nono confutabimus; qui dũ verba ita ordinat, & multoties quidem natus oritur infra hoc spatium, idest ante septimum, & tunc talis fœtus moritur, scilicet semper; adeò vt velit esse sententiam, multoties nasci fœtum infra hoc spatium, scilicet ante septimum; cùm autẽ nascitur, mori semper, non quidem multoties mori, vt isti censent; quoquomodo legamus orationem, nil horum sententię suffragari perspicuè ostendit. Debuit autem dicere Auicennas ante septimũ partum intermori; quoniam paulò supra ita scripsit. » Et scias » inde, quòd mensis septimus est primus men» sis, in quo parit ipsum. quo loco Gentilis notat, minimum tempus Auicennam ponere, diceretq; mensem septimum primum esse tempus, in quo accidit partus naturalis. quare non potuit, nisi à se ipso turpiter discedens, affirmare, ante hoc spatium naturaliter humanum fętum generari ac viuere; siue id raro, siue vt plurimum contingere putauerit: quin etiam & supra iampridem scripserat, vt superior docuit disputatio, minus parturitionis tempus anni esse medietatem, & quod in idem redit, vt præclarè Hippocrates explicuit, septimi mensis initium. Quòd verò libro nono de Animalibus puerum natum ante septimum mẽsem idem testificetur se vidisse Auicennas, equidem non reperio, quin potius inuenio quinto capite contrarium penitus ab eo affirmari; videlicet, non se vidisse, sed alium; non partum sexto mense, sed post sextum ortum esse, qui superuixit, nempè quia septimo ineunte editus fuerit: atq; hæc sũt eius verba. Etiam dixit vna fidelis, quòd v» na mulier peperit post 14. menses vnũ pue» rum, & inceperunt nasci dentes, & benè vi» xit. & alius, qui vidit puerum nasci post » sex menses, & bene vixit. » Non me prætererit, nonnullos doctos huius ætatis viros, qui nuper de humano partu scripserunt eleganter, hanc dubitationem sic labefactare; cùm Auicennas dixit sexto mense ortum vixisse; de vulgari mense, de quo agere illius mos est, intellexisse, videlicet de tricenario (nam tricenarium ipsi vulgarem appellant) sex autem vulgares cum septem Lunaribus aliquando concurrere, nempè eo anno, quem vocant embolismum; tunc enim anno vulgari dimidio sex nouilunia, & septem plenilunia, aut plenilunia sex, & nouilunia septem accidere: itaq; contingere, vt partus primo quidem aspectu sit semestris, verè tamen esse septimestrem, quia septimi Lunaris circuitus particeps sit. At enimuerò quòd Auicẽnas non dixerit sexto mense puerum natum vixisse, sed post sextum, paulò supra ostendimus, ipsius verba

Coste. lib. de Part. c. 21.

barretiſantes; præterquàm quòd, tametſi per tricenarios menſes computationem Auicennas inſtituit, cùm tamen illius ætate annus Iulianus receptus eſſet, non videretur diſſonum, ſi id pronunciaſſet, ipſum per ſex menſes dies 182. hor. 15. intellexiſſe, ſcilicet anni Iuliani medietatem, quæ ſex menſibus abſoluitur; quod dierum interuallum ſpatium comprehendit ſeptimeſtre, vt eleganter Hippocrates demonſtrauit. Quod autem dicunt, ſex vulgares, ac tricenarios menſes aliquando cum ſeptem Lunaribus concurrere, non ſemper: hoc apud me multam habet dubitationem; cùm ſemper dies 180. qui ſex tricenarios menſes, ac vulgares abſoluunt, in ſeptimi Lunaris mēſis incurrāt initium. Quòd ſi concurrere intelligunt habere dies 180. ſeptem nouilunia, vel plenilunia; certè quod adijciunt, id in emboliſmo tantùm anno habere veritatem, non video quo pacto quadrare poſſit; cùm in communi quoq; anno, non in ſolo emboliſmo dies 180. ſeptem nouilunia, vel plenilunia totidem valeant comprehendere: vt .n. ſequenti libro ex Cardano docebimus; anno 1567. qui communis fuit, tametſi ſequens fuerit emboliſmus; ab vltima Nouembris ad 27. Maij ſequentis anni, fuerunt dies 180. & tamen ſeptem nouilunia. Quòd autem velle videntur, ſeptem menſes vel ſeptem interlunijs, vel ſeptem plenilunijs definiri, adeò vt ad vitalem ſeptimeſtrem producendum, aut ſeptem interlunia, aut ſeptem plenilunia ducant neceſſaria; ſequenti libro Hippocratis monſtrabimus auctoritate nullam habere firmitatem. Secunda auctoritas Nicolai Florentini, minuti certè auctoris, ſi cum Auicenna, Galeno, Ariſtotele, Hippocrate eum comparemus; nihil etiam nobis fortaſſe officiet, ſi conſiderabimus, partum ſexto menſe genitum longè magis præter naturam ipſum facere, quàm octomeſtrem. ſiquidem ſcribit. Et quod adhuc plus eſt, in ſexto mēſe. quarè huiuſmodi partum tanquam rarum in natura, ac monſtroſum videtur afferre. Ad tertiam auctoritatem ex libro de Pueri Natura excerptam iam ſatis ex ijs, quæ ad primam rationem dicta ſunt, reſponſio patet; neq; enim ab articulatione, quæ trigeſimo finem habet, ſed ab ea, quæ paulò longiorem ſortitur limitem, tempora motus, ac partus ſunt pręſagienda; & ſi ab ea, quæ trigeſimo finit, definiātur, iam dictum eſt, in motus tempore terminum proferri.

Conſc. lib. de Part. c. 21.

Exempla ſuperius allata expenduntur. Item quòd partus vndecimi tranſiens initium non ſit naturalis. Trincauellij affertur opinio, & reijcitur.

Cap. 41.

VErùm tranſeamus ad exempla; de quibus facilè quid pro veritate ſentiendum, poterimus, niſi noſmetipſos valde amabimus, iudicare; cùm hos partus, longè magis quàm hominibus eſſe conſueuerit, graciles, tenues, imbecillos, perpetuò valetudinarios, impotentes ad coitum, ad aliaſq; naturales operationes, & eſſe, & viuere ijdem ipſi teſtificentur. Quæ omnia latiſsimè probant, ante maturitatis tempus eſſe genitos, omninoq; partus eſſe læſos, monſtroſos, præter naturam; quos oriri poſse, neq; nos negamus; cùm aliud certè ſit, ac longè diuerſum, quærere an ante diem 182. partus gigni valeat; an verò ſit homini naturale, vt ante huiuſmodi tempus naturaliter maturum, ac vitalem producere poſsit. Tandem quod pertinet ad auctoritates, quæ nobis fauent, illarum vim ex eorum non tolli reſpōſione palàm eſt; quoniam, vt ſatis docuit ſuperior diſputatio, Hippocrates, Galenus, Ariſtoteles (vt interim de Auicenna taceam, cuius auctoritatem inſolutam, inexplicatamq; mihi videntur reliquiſſe; vtpotè quæ, meo quidem iudicio, nullam habeat reſponſionem) & ratione, & experientia permoti ſeptimi tantùm initio prodeuntem tanquam vitalem, ac maturum, naturalemq; partum receperūt; tametſi non ſemel ſexto, immò & quinto menſe, vt ex Ariſtotele probauimus, viuum edi partum obſeruauerint. Et profectò verum eſt, artes fieri per additamenta, ſed eorum tamen, quæ naturæ lege oriri comperientur. quæ enim præter naturam eueniunt, nullum arti afferre queunt additamentum. neq; quod dicunt de octomeſtri, aduerſus noſtram ſentētiam aliquid facit, vt ſupra oſtendimus; cùm Hippocrates neq; omnino non vitalem ipſum exiſtimauerit, quod octauus liber plenius docebit; neq; illum eſſe vitalem repugnet rationi, ſicuti ſine dubio rationi plurimùm aduerſatur, vt libro tertio, & ſexto oſtenſum fuit, ac paulò ſupra, ſi ante ſeptimum vitalem naſci naturaliter partum concedamus; quoniam id ſit omnino contra humanæ ſpeciei temperamentum. Quod verò adijciunt, tametſi hic partus rarus eſt, non tamen eſſe præter naturam; quoniam, quæ raro contingunt duplicem habeant differentiā, quā-

tum roboris habeat tùm ex his, quæ libro tertio hac de re ex Aristotele disputauimus, tùm ex his, quæ libro nono contra Iurisprofessores disputabimus, facilè quisq; cognoscere poterit: in præsentia satis nobis erit, si dicamus, etsi verum esse, quod inquiunt, illis concedamus, non esse tamen sexto mẽse genitum de eorum numero, quæ quanquam raro eueniunt, sui tamen causã habent necessariam; & ratio quidem est, quia nũquam potest finis subire rationem, vt supra ostendimus; cùm illius producendi gratia natura non agat; sed impedita ob materiæ, & agentis principij intemperiem, & ineptitudinem, ac malam dispositionem, dum iusto tempore intendit partum producere, errore quodam tempore non iusto, scilicet ante septimi initium illum producit; sicuti & cùm laborat hominem producere, monstrum facit. Verùm satis modò disputatum est, vt pro virili nostra par commu ni vtilitati seruiamus, vt Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Galeni, Auicennæ dogmatum veritas eluceat; demum vt legum sacra auctoritas incolumis, inuiolataq; permaneat. Nunc pauca quædam de partu, qui vndecimi initium transit, adijciamus. qua quidem in re illud pro comperto habemus ob causas libro tertio ex Aristotele allatas; partum, qui post expletum decimum, & post initia vndecimi profertur, nullo pacto esse naturalem; quoniam sit contra humanę speciei temperamentum, vt in tàm longum tempus humanus partus proferatur; humore, caloreq;, quæ duo tantum in humano corpore habent potestatis, non ferente, vt longiori limite fœtus maturitatem recipiat: quin etiam et ipsa magnitudine, pro cuius ratione gestationi terminos natura imponit, longius tempus non postulante. quod quidem perspicuè & sensisse, & scripsisse Aristotelem tertius liber plenè docuit. Nec Trincauellij sententia, qui Consiliorũ libro primo ad vndecimi finẽ humanũ partum gigni posse probare conatus est, nostrę positioni, si quis accuratè consideret, quidquam officit; cùm ipse hunc partum tanquam raro, per accidens, ac præter naturæ institutum, proindeq; tanquam monstrosũ, locum habere posse concludere videatur; quod nos quoq; non negamus. quanquam & dum è contra ponit muliebri naturæ non repugnare, vt ad vndecimum vsq;, vel duodecimum mensem fœtum in vtero gerat, idq; nullam implicare contradictionem, legitimumq; filium esse hunc partum existimandum, quasi iuxta legum decreta recipi

Cons. 34.

velit; non solùm ab ipsa veritate dissentit, sed à se ipso: cùm satis ex superiori palàm sit disputatione (quod & nono libro clarius elucebit) illud, quod verè monstrosum est, ac præter naturam, nunquam legitimũ partum vocari posse; cùm legitimus partus sit, non solùm non genitus ex adulterio, sed etiam ex naturæ lege & instituto editus, & intra terminos à legibus præfinitos: item perspicuum sit, si raro, ac per accidens, & præter id, quod plurimum euenit, hic partus fit, vt Trincauellius ponit, omnino muliebri naturæ, dixeris clarius, speciei humanæ repugnare, vt vndecimo, vel duodecimo partum edat. vt iam implicare omnino contradictionem certum sit, edi partum vndecimo, & esse naturalem; eò quòd nunquam secundum naturam esse possit, quod propriè est præter naturam. quæ omnia doctissimus vir Gorręus acutè cõtuens; quòd ad vndecimũ & vltrà partus differatur, & rarissimũ esse, & mõstrificũ dixit, vt secundo libro ex eo vidimus, & Iustiniani Imperatoris decretum de ea, quæ parit in vndecimo mense, consultissimum sibi videri & æquissimum. hoc idemq;, vt superior docuit disputatio, sensit Ferdinandus. quin etiam & hanc eandem de terminis humani partus sententiam, tanquam veram, ac naturalem, Hippocratis, Aristotelisq; dictis consentaneam, maxima cum voluptate à doctissimo Costæo receptam vidi in suo eleganti libello, quem superioribus mensibus de Humani conceptus, formationis, motus, & partus temporibus diuulgauit; qui grauiter etiam admonuit, arbitrandum esse Auicennæ enarrationẽ de Partu decimiquarti mensis, ex eo errore prodijsse, quo frequenter duci mulieres auctor est Hippocrates; nempè vt consueta excretione vteri iam aliquot mensibus retenta, mulier se se concepisse existimet, cùm tamen non conceperit; propterea mulieri illi, cui suppressis per menses iam quinque menstruis conceptio successit, non fuisse difficile, quòd menses quatuordecim vtero gestarit, persuadere; quanquam & monstrosè, & præter naturam partum ad decimum vsq; quartum mensem in vtero esse posse, non diffitemur, vt suo loco explicauimus.

Plenius Trincauellij positio redarguitur. Recentiorum quorundam placita nonnulla confutantur.

Cap. 42.

IAm verò quantum Trincauellij ratio illa habeat roboris, qua probare conatur

ad vn-

ad vndecimum & vltrà partum proferri posse, satis ex ijs elucet, quæ aduersus eum libro tertio diximus: cùm enim, quas ipse affert, veræ partus causæ esse nequeant, vt ibi ostendimus; perspicuum est, neq; etiam posse ad vndecimũ mensem naturaliter partum ducere. Hinc in Adagijs insignis error, quòd illius operis Auctor vndecimo legitimum partum nulla addita cautione oriri scribat; sed longè insignior, quòd etiam quartum mensem recipere videatur. Explicans enim senarium illum prouerbialem.

τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. idest
Potentibus sunt & trimestres liberi.

qui, vt Suetonius Tranquillus in Claudij vita declarat, inde ortum habuit, quia Liuia, cùm Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit; fuitq; suspicio ex vitrico per adulterij cõsuetudinẽ procreatum; ex quò & senarius statim vulgatus est; ita loquitur. Nam mense septimo, decimo, & vndecimo legitimi sunt partus, quarto & octauo neq; vitales ferè, & perquàm rari; mense tertio nulli partus editi leguntur. auctor Plinius lib. 7. cap. 5. At primùm neq; vndecimo legitimus partus, si post initium huius mensis oriatur, deinde mense quarto nec ferè vitales, nec perquàm rari, sed omnino nulli nascũtur hoc mẽse vitales. postremò Plinius, quòd partus mense quarto, quòd post vndecimi initium oriatur, nec verbum quidem loco illo; sicuti nec quòd mense octauo ferè vitales, nec perquàm rari; cùm vitales ac naturales hoc mẽse gigni partus omnino scripserit; quemadmodum libro tertio, ac in Disceptatione demõstrauimus: vt vel ex hoc vno loco palàm sit, quàm ieiunè, quàm oscitanter hanc de humani partus natura prouinciam, qui vel etiam doctiores habiti sunt, susceperint pertractandam: quàm fuerit necessarium, tùm Philosophis tùm Iureconsultis partui humano limites imponere; cùm sint, qui adeò delirent, vt trimestres etiam Augusti exẽplo, & quadrimestres, non vndecimestres tantùm tanquam legitimos partus dicant admittendos: sed ad nostra redeamus. Iam verò neq; rursus Aristotelicæ veritati vel minimum officiunt, qui non lõgè à Trincauellio dissentientes, vt probent vndecimo mense percurrente & post, naturaliter partum edi; vteri angustiam, alimentiq; inopiam naturales partus causas esse accipientes; id ex eo suadere conantur, quòd hæ causæ in vndecimum, duodecimumq; & vltrà proferri possint; cùm partus natura post vndecimum prorogari valeat, cui non deest post vndecimum accomodatum alimentum, & capacitas vteri nondum omnino est plena: quod etiam ex ratione articulationis ad motum, motus ad partum probari contendunt; cùm die 50. formatus, 100. moueatur, 300. in lucem veniat; quod tempus in vndecimum mensem incurrit. ex quò & addunt, Aristotelem vndecimestrem recepisse, Hippocratemq; in Opusculo de Septimestri Partu cõtra Auctorem libri de Natura Pueri, & de Carnibus, quasi istorum dicta emẽdaret, vndecimestrem similiter admittere. non, inquam, huiusmodi hæc Aristotelicæ doctrinæ soliditatem vel minimum conuellunt; quandoquidem libro tertio ostensum est, vteri angustiam, alimentiq; defectum nullo modo causas esse partus naturales, sed ipsam maturitatem; quæ cùm vix ad initiũ vndecimi retardet, non potest naturæ lege in longius tempus partus diferri. Ratio autem à proportione temporum articulationis, motus, ac partus ducta quantum valeat, supra vidimus: neq; enim etsi longissima sit, maturitatis terminum naturalem poterit reddere longiorem; præterquàm quòd si vera est, cùm articulationis terminus longior die 50. vel omnium consensu non inueniatur, non poterit partus vltrà diẽ 300. proferri; quod spatium Hippocrati, & Aristoteli, qui per tricenarios menses computationem præsertim ineunt, decimum mensem tantùm claudit; iuxtaq; Lunares mẽses initium tantùm vndecimi attingit; quod illos voluisse nos quoq; confitemur. quare huius proportionis seruata ratione partus nullo modo poterit naturaliter ad vndecimi finem peruenire; longèq; minus duodecimum, ac decimumtertium mensem pertransire, vt isti volunt. Quod enim accipiunt articulationis terminum vltrà diem 50. extendi, id potius tanquam voluntariè dictum, non probatum ratione, neq; auctoritate, omnino est refellendum. Quòd verò Hippocrates & Aristoteles vndecimi tantũ initium receperint, & quo modo, & qua de causa; item quòd nulla sit inter ea, quæ in Opusculo de Natura Pueri scribuntur, & in libro de Partu Septimestri dissensio, tametsi vno in loco vndecimestrem reprobare, in alio recipere Hippocrates videatur, suis locis explicabitur; vt iniquè agere cum magno Medicinæ parente videantur, qui, cùm sese nesciant explicare, vt facilè tollant difficultatem, præclarissimo filio eum orbant, librum de Natura Pueri ex eius manasse negantes officina. Itaq; (vt disputationem hanc nostram tandem concludamus) qui dicunt,

" eunt, incertum homini nascendi esse tem-
" pus Philosophum existimasse;si ab initio se-
" ptimi mensis ad initium vsq; vndecimi ex
" illius sententia hanc nascendi incertitudinē
" locum habere intelligunt, Præceptoris mē-
" tem (quod & tertio libro, & in Compendio dicebamus) omnino attingunt: siquidem hoc sensu incertum, non præfinitum, nec statum oriendi tempus homini esse scripsit Aristoteles. at enimuero si incertum dixisse eum existimant, quia putauerit, & ante septimum, sexto scilicet & quinto; & post vndecimi initium, scilicet vndecimi fine, & duodecimo, & vltrà naturaliter humanum partum nasci posse: adeò vt nullus sit ferè limes, nullus certus mēsis sui ortus; vehementer, meo quidem iudicio, aberrāt; cùm in hac ipsa incertitudine constantiam summam, ac certitudinem inueniri ipse arbitratus sit; apertè scribens ante septimum, post initium vndecimi naturaliter partum vitalem, ac maturum nasci non posse. vt concludendum omnino sit, humanum fœtum ex propria natura incerta quidem maturitatis tempora habere; proindeq; formationis, motus, ac partus, sed tamen intra certos, præfixosq; maximi & minimi tēporis terminos; vt etiam doctissimos quosdam huius ætatis viros video animaduertisse. Qui autem incertitudinis huius vel communes causas adducunt vno prætermisso humanæ speciei, & fœtus temperamento, ipsiq; congruente maturitate; videlicet septenarij, Solis, ac Lunæ virtutem, aerē circunfusum, solum, ac regionem; vel priuatas, parentum scilicet naturam, & ipsius fœtus conditiones; atq; tàm multa, ac tàm varia variare tempus absolutionis fœtus, atq; ortus dicunt; nihil certè docere, afferreq; nobis incertitudinis huius, ac varietatis causas incertissimas, & accidentales, satis liber tertius explicuit; cùm his etiam omnibus non variatis, nihilominus varietas hæc temporis humano fętui conueniat ob propriā hominis naturam, vt ex Aristotele libro eodē tertio fuit expositū. Sed iam nimis multa hac de re disseruimus. nimis multa, quòd homini ante septimum, post decimi finem, initiumq; vndecimi naturale non sit nascendi tempus, diximus. ex quibus sanè, sicuti ex ijs, quæ libro tertio scripsimus de tribus pariēdi tēporibus, quæ homini, quatenus multiparum, vniparumq; est animal, conueniunt (nam septimum ad primum, vndecimi initium ad tertium dictum est pertinere) horum trium temporum naturam talem esse tandem colligimus: quòd scilicet ante septimum mensem, qui primum tempus constituit, partus naturaliter nasci non queat; quòd huius initium ac prima pars minus sit in partu naturalis, & perfecta, finis ac postrema, naturalis magis, & perfectior. quòd contra tertium tempus, quod maiorem noni mensis partem comprehendens ad initiū vsq; vndecimi se extendit; principium habeat naturale magis ad partum, quàm finē, sed medium ferè ipsius naturalissimum; itē quòd eius finem nullus partus naturaliter transire valeat. postremò quòd octauus mēsis cum aliqua noni parte, quod est mediū & secundum tempus, vel totum aliquando sit præter naturam, cùm scilicet partus ex periodo (quod liber octauus plenè declarabit) ægrotationem patitur & labores, vel totum naturale, vbi scilicet hæc locum nō habent: quo casu non secus ac in primo tēpore finis principio naturalis magis, ac perfectior. Itaq; his ita constitutis iam nūc ad pulcherrimam aliam ex Hippocrate, sed tamen obscurissimam, de septimestribus quæstionem explicandam deueniamus, quæ & decimestribus communis est, & mira aperit humani partus arcana, si rectè fuerit ac diligenter explicata; diuinumq;, & admirabile Hippocratis ingenium patefacit. sed intento opus est animo, ne omnia dilabantur, si vnum aliquid effugerit.

Proponitur inuestigandum quomodo dictum illud Hippocratis obscurissimū veritatem habeat, decimestres, et vndecimestres ex septē quadragenarijs fieri, quemadmodū ex dimidio anno septimestres.

Cap. 43.

INter alia, quæ ad septimestres ac decimestres partus spectantia magnā habent difficultatem, dictum Hippocratis illud in obscuro maximè videtur delitescens, quod in Opusculo habetur de Octomestri Partu his verbis explicatum. Cæterum decime-
" stres & vndecimestres partus ex septē qua-
" dragenarijs eodem modo fiunt, velut ex di-
" midio anno septimestres. cùm enim decimestres præsertim sint apud Hippocratem, vt idem eodem loco perspicuè explicat, qui diebus 280. oriuntur; qui scilicet in decimi mensis initium cadunt: qua ratione vndecimestres, qui, vt dici tales mereantur, ad minus iuxta tricenûm mensium rationem diebus 301. gestari debent, secundum verò Lunarium mensium quantitatem, diebus 296.

296. septem nihilominus quadragenarijs dicantur conformari, difficillimum omnino est attingere; præsertim cùm verbis adeò obscuris id ab Hippocrate probetur, vt verus ferè illorum sensus desperandus videatur. Eademq; in septimestribus dubitatio locum habet: hi enim duplices sunt; vt superius vidimus, vel minores dieb⁹ 182. cũ hor. 15. geniti & vltra; vel maiores diebus 210. editi in lucem: quare Aedipi cuiusdam opus est, vt assequamur, qua ratione vtriq; fiant ex dimidio anno. Nos igitur pro virili parte in hanc pulcherrimam contemplationem incumbamus; mente enim Hippocratis hac de re percepta simul etiam præter eas, quas tertio libro attulimus ex Aristotele rationes, clarũ erit, cur inter ipsos partus, hi quidem septimestres, decimestres illi in lucẽ veniant, alij demũ octomestres, vel nonomestres: ac primùm grauissimorũ Medicorũ Cardani, Gorręi, Mercati, & Lalamãtij interpretationes perpendẽdas aggrediamur (qui plurimum in vera ex his verbis sententia eruenda videntur insudasse) vt, antequàm opinionem nostram in animis legentium inseramus, iam insitas euellere conemur. Verùm antea Hippocratis oratio tota in medio ponenda est, deinde diligens lector admonendus, quænam difficultates, & quàm graues circa illã oriantur. Sic igitur in extremo Opusculo de Octomestri Partu diuinus Senex locutus est. Cæterùm decimestres, & vndecimestres partus ex septem quadragenarijs eodẽ modo fiunt, velut ex dimidio anno septimestres. Plurimis enim mulieribus necessariũ est in ventre concipere post menstrua purgamenta, modò hæc habeant. Oportet igitur mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio continget; & hoc tempus, quibus breuissimum fit, tres sunt dies, plerisq; autem multò plures. Sunt autem & alia multa impedimenta in viris etiam, non in mulieribus tantùm, ex quibus conceptus retardatur. oportet autem vel maximè hoc considerare, quòd nouilunium, quod dies vnus existit, quàm proximè trigesima mensis pars est; duo autem dies fermè quindecima mensis pars sunt; tres verò dies pars mensis decima sunt; & reliqua iuxta horum rationem, & non est possibile in paucioribus partibus fieri neq; menstruorum solutionem, neq; fœtuum conceptionem. Ex his igitur omnibus necessarium est plerasq; mulieres circa plenilunium & vltra in ventre concipere; vt ducenti & octoginta dies sæpè vndecimum mensem apprehendere videantur. tot enim dies septem quadragenarios constituunt. Nam cùm vltra plenilunium mulier concipit, necesse est eum cõceptum vndecimum mensem attingere, ac apprehendere; quoad vltimum circuitum peruenerit.

Decem aduersus Hippocratis allata verba afferuntur dubitationes.
Cap. 44.

HAec Hippocrates; aduersus quæ ingens statim sese offert sylua dubitationũ. Primò dubitatio est, quo sensu dixerit, septimestres fieri ex dimidio anno; cùm enim vt paulò supra dicebamus, septimestrium duplex habeatur genus; eorum, qui die 182. & hor. 15. & vltra in lucẽ veniunt; itẽ eorũ, qui exactò septimo oriuntur: quo modo postremum hoc septimestrium genus non pluribus diebus quàm 182. &, quod in idem redit, parte anni dimidiata dicantur conformati, cùm per dies præterea 24. iuxta mensium Lunarium rationem in vtero manere videantur; iuxta verò mensium tricenũm quantitatem diebus 28. valde dubium videtur; cùm tamen Hippocrates, sicuti vndecimestres dixit non pluribus fieri diebus quàm 280. non secus ac decimestres; licèt longè plures dies gestari videantur: ita & eodem sensu de septimestribus omnibus videatur affirmasse, non pluribus diebus quàm dimidio anno eos conformari; tametsi eorũ aliqui diebus pluribus gestari videantur. Itaq; videndum est, an de omnibus septimestribus hoc affirmauerit Hippocrates, & quo modo cum veritate totum id consentiat. Secundò longè maior dubitatio est de eo, quod de vndecimestribus subiungit; quos, perinde ac decimestres, pari dierum interuallo gigni scribit ac gestari, septem videlicet quadragenarijs: quod quidem delirio planè simile videtur; cùm tot adhuc supersint dies numerandi post dies 280. vt partus dici vndecimestris mereatur; vixq; in vndecimi initium incurrat. Tertiò, quæ sequuntur de tempore conceptionis post menstrua purgamenta, duplicem habent controuersiam; nàm & hoc apparet reliquis ipsius dogmatibus aduersari, quibus in libris de Mulierum Morbis videtur posuisse, etiam ante menstrua purgamenta commodè mulieres cõcipere. vnde & quomodo à se ipso non dissentiat ostendendum, & quæ sit ista necessitas; item quis sit horũ verborum nexus cum superioribus inquirendum. Quartò grauissima est difficultas

de sensu verborum illorum, quibus inquit, oportere mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio continget. valde nanq; obscurum est, quid huius temporis nomine ipse intellexerit, an purgationis tempus, ac alterius rei? Quintò magna altercatio est de purgationis tempore, quod ad minimum trium esse dierum docet Hippocrates; cùm varia apud Auctores tradita inueniantur, quin etiam & apud ipsum; qui libro primo de Morbis Mulierum hoc ipsum trium dierum tempus non breuissimũ, sed moderatum potius, ac mediocre videtur appellasse; cùm tamen longius tempus tanquam magis cõsuetum hîc admittat; dicens plerisq; longè plures esse purgationis dies. quod enim pluribus euenit ac sępius fit, id magis est secundum naturam, vt docuit Aristoteles. Sextò non minorem præsefert obscuritatem, quod addit, alia esse in mulieribus impedimenta, ex quibus cõceptus retardatur; cùm ne verbum quidem de conceptus retardatione, eiusq; causa, supra fecisse videatur. Septimò ad quid tãta diligentia diem vnum, duos, ac tres partes esse mensis trigesimam, quindecimam, ac decimam docuerit, non apparet; curue alia iuxta horum rationem dimetienda esse præcipiat. quasi docere voluerit simili ratione dies quatuor partem ferè octauam mensis, dies quinq; sextam vocandam esse; & de reliquis eodem modo: quod tamen cũ superioribus, sicut & cum sequentibus, nullam videtur habere connexionem. Octauò maximam hæsitationem continet, quod ait, neq; in paucioribus diebus possibile esse fieri menstruorum solutionem, neq; fœtuum conceptionem: siquidem & duobus diebus eodẽ auctore mulieres purgari possunt, quin etiam & vno die; & quòd conceptio non citius quàm trium dierum interuallo absoluatur, hoc maximè videtur mirum; cùm statim ac semen vir in vterum iaculatur; semenq; ipsum in vtero retinetur, conceptionem fieri vna omnium sine vlla varietate opinio esse videatur. Nonò vocatur in dubium, quo modo ex his, quæ supra dixit, necessariò sequatur, plerasq; mulieres circa plenilunium, & vltra in vẽtre concipere; & quæ sit ista necessitas. nã nec vlla ex superioribus dictis esse apparet; aut saltem, si vlla est, non plerisq; tamen mulieribus legem imponere. Decimò tandem ac postremò necessitas illa inquirenda èst, quæ mulieres compellit vltrà plenilunium concipientes suo conceptu mensem vndecimum attingere, vt ad vltimam periodum perueniat. quo etiam loco magna dubitatio est, quid vltimæ huius periodi nomine intelligat Hippocrates: si enim in septem quadragenarios animum intendit; quasi eos velit vltimum esse limitem gestationis, exactos decimestres è medio tollit: quos tamen in libris de Alimento, & de Natura Pueri videtur recepisse. ac demum de toto huius disputationis nexu magna est controuersia, cùm nullum ferè esse verbum appareat, quod possit cum altero connecti.

Hieronymi Cardani affertur interpretatio.
Cap. 45.

Cardanus igitur in Commentarijs in Opusculum de Septimestri Partu verba Hippocratis illa expendens. Et mea sententia pars etiam in vndecimo mense mẽsis est. partum vndecimum mensem attingere posse, hoc modo explicat. Cùm hoc (inquit) dixisset, intelligit quòd sit mensis aptus ad gestationem vteri, idest quòd aliquid ex vndecimo mense recipiatur, tanquam legitimum. & hoc transit ad Iurisconsultos, sed non est intellectum ab illis. Putant enim illi ad 330. dies legitimum partũ posse extendi: in quo errant tripliciter. Primùm quòd accipiunt Solares menses pro Lunaribus; & ita sunt solùm dies 325. Secundò quia accipit partem mensis, idest dimidium pro toto mense; & ita contrahitur partus naturalis ad minus, scilicet decem menses, qui sunt 295. & quindecim dies vndecimi mẽsis. Tertiò quia præsupponit Hippocrates in hoc casu, quòd sit conceptus die nouilunij; & ita primus mensis non habebit nisi quindecim dies, & vndecimus totidem, vt sint triginta dies: nouem autem medij habebunt 265. quibus additis 30. fiet vt hi vndecim menses non possint habere plusquàm 295. dies, vt prius: & ita verè comprehenduntur intra decem menses. & tunc erit in octaua quadragenaria totus, & ideo memorabilis, vt etiam octauus, qui est in sexta quadragenaria, & ob id difficilis iudicationis. Hæc Cardanus; qui paulò post eandem sequitur interpretationem, scribens iuxta decretum Hippocratis gestationem vteri diebus 113. durare; videlicet à die 183. ad 296. diem; vt si diebus 183. dies 113. adijciantur, dies assurgant 296. qui in vndecimum mensem cadunt. Quanquã & infra duo mulierũ genera ex Hippocratis sententia reperiri docens, alterum simplicium; alterum verò sapientum; duplici-

Com. 88.

Com. 13.

ter partum iuxta diuersa illarum placita appellari notat decimestrem; primo modo si cõceptus fiat triduo ante nouilunium; quo pacto erit primus mensis trium dierum, sequentes nouem menses erunt 266. dies; itaq; mensis vndecimus incipiet die 270. atq; modum hunc non esse ad mentem Hippocratis scribit Cardanus. Secundum modũ computandi mulieribus sapientibus tribuisse Hippocratem ipse censuit; quem eundẽ esse notat cum superiori; videlicet quòd de primo mense dies 15. sumantur, ac nouem sequentes menses integri, ita vt menses decem die 280. finiantur; & reliquum decimi mensis pro vndecimo computetur, & maximè post diem 295. atq; modum hunc magis esse ad mentem Hippocratis testatur. ex quò & concludit, quòd exactis 295. diebus, qui decem sunt menses perfecti, nasci fœtus in vndecimo potest: non tamen vsq; ad duodecimum, sed ad diem vsq; tercentesimum, vel paulò post: nasci inquam vitalis, quia mensis sit impar, licet quadragenaria par; & maximè quia fœtus sit perfectus. Cæterum quoniam videbat Cardanus hanc vndecimestris partus computandi rationem non tollere difficultatem, quo modo vndecimestris dici fœtus posit, & tamen die 280. cõformatus, quemadmodum Opusculo de Octomestri Partu ab Hippocrate proditum fuit; eò quòd gestationem ad diem 296. & amplius proferri in ea accipiatur; ideo postea præcitatum locum adducens, sic Hippocratis mentem interpretatur. Intelligit autem quòd etiã potest sic oriri alia ratione in vndecimo mense, & tamen intra 280. dies recta ratione: nam supponit, vt se declarat in libro de Octimestri Partu, quòd menses numerentur à purgationibus; nam hæ sequuntur mensem Lunarem, ideoq; tales menses sunt noti mulieribus. Secundò supponit quòd purgationes in mulieribus aliæ absoluuntur vna die, & tunc solùm post purgationem vsq; ad decem dies potest concipere mulier; quia vterus, vt parum purgatus, post illos rursus impletur; & si purgetur per duos dies, solùm potest concipere vsq; ad quindecim dies: reliquo tempore vterus est nimis plenus vsq; ad nouam purgationem. quæ verò purgantur tribus diebus, sincerum habent magis vterum, & ob id toto mense concipere possunt: & ob id dixit quòd quemadmodum vnum est tertia pars trium, ita decem diebus potest illa concipere; quia tria cõtinent totum mẽsem, & duo dimidium mẽsis, diuisis triginta per duo: & ita quæ purgatur tribus diebus potest concipere quouis die mensis vsq; ad alteram purgationẽ. concipiet ergo per decem dies ante alteram purgationem; superueniente tempore nouæ purgationis mulier numerabit pro illis decem diebus vnum mensem; inde pro nouem mensibus dies 266. vt dixi; qui cum decem superioribus primi mẽsis erunt 276. pro decem mensibus, quos numerabit mulier, præsertim ignara quando conceperit. Si ergo ipsa pręsupponit 275. die se gestasse vterum decem integris mensibus, & pariat 280. die, videbitur ei peperisse quarta die mensis vndecimi: & hæc est quarta interpretatio præcedentis contextus, & magis ad mentem Hippocratis, & clarior. Hæc secunda est de vndecimestri partu Cardani explicatio; qua probare nititur, partum esse vndecimestrem iuxta Hippocratis mentem, & tamen non diutius quàm diebus 280. conformatum, gestatumq;. siquidem hanc dierum summam vndecimestrem transire non posse de Hippocratis sententia his verbis sic ipse infra confitetur. Sed quemadmodum vndecimum mensem recipit (scilicet Hippocrates) inter vitales ferendi fętum, ea tamen lege, vt non excederet 280. dies & c.

Com. 28. Com. 13.

Cardani opinio vberius explicatur. Cap. 46.

QVòd si Cardanũ interroges, an ex Hippocratis sententia etiam post mensẽ vndecimum sic acceptũ gestari partus posit, cùm id Aristoteles septimo Historiarum concedere videatur: respondet puerum nasci vndecimo mense, & die 280. iam modo exposito, vltrà diem 280. haberi pro miraculo; ita vt præter naturam huiusmodi partus omnino sit putandus: de quo Hippocrates nullum fecit verbum, veluti qui eorum tantùm, qui secundum naturam eueniant, causam reddere voluerit. Sed neq; altera illa verba Cardani à nobis prætermittenda sunt, quibus Contradicentium Medicorum libro primo eundem hunc Hippocratis locum conatur rursus interpretari, ita scribens. Nonus igitur mensis, cùm singuli dies 44. fermè comprehẽdere posint deducta horarum ratione, quas nunc in cõsiderationem non habemus; initium habet à 222. & extenditur ad 251. Verùm, vt cæteris, solùm qui à 236. die nascitur vsq; ad 251. nono mense necessariò natus est. eadẽ ratione decimus mensis initium habet die 252. & finem 295. solùm verò natus à 265. ad 280.

Cap. 4. Tract. 3. contrad. 8.

ad 280. verè decimo mense natus necessariò dicitur; nam & à 280. ad 295. natus vndecimo mense dici potest. Ex hoc patet quo nam pacto decem menses dies 280. impleant ad vnguem: idest septem quadragenas, seu quatuor decadas septimanarum. vltrà tamen si nascatur à 280. die ad 295. decimestris est, modò non in plenilunio, aut nouilunio, pridieuè, aut postero conceptus die sit: quare Hippocrates rectè dixit, decimestres & vndecimestres eodem modo ex septem quadragenarijs fieri. Sed & hoc alia ratione: si quidem pridie, vel ante parum quàm menses sint defluxuri concipiat mulier, natus vndecimo mense creditur; qui tñ nascitur intra 280. dies. cùm enim adieceris dies 25. prioris mẽsis ad 280. fiet dies 305. in quibus mulier non purgatur: si autẽ sunt menses decem & dies decem, loquendo de Lunaribus mensibus, Solares etiam erunt decem, & insuper dies quinq;; quare vtroq; modo vndecimo mense natus existimabitur. & non multò post eodem loco. Et ratio tenet in decimestri, qui in 280. diebus nascitur, quemadmodum dictum est: quòd potest videri etiam vndecimestris; nõ tantũ iuxta 295. nã ponamus quòd 20. die à purgatione sit conceptus puer: infra decem dies numerabitur mensis à muliere, cùm videat se non pati purgationes; vnde in 266. diebus preterit tempus nouem purgationũ cõpletarum; igitur 275. videbitur explesse decem menses. si itaq; pariat 280 die, videbitur peperisse quinta die vndecimi mensis. Hæc igitur Cardanus. Nec miretur aliquis nos tot longas disputationes ex eo afferre; cùm enim neminẽ aut Veterum, aut Recẽtiorum vel plura, vel penitiora ad hunc magnum Hippocraticæ supputationis in philosophia nodum dissoluendum Gordio certè fortiorẽ attulisse inuenerimus; sed adeò tamen obscurè dicta, vt potius occultare videatur se quàm alios docere velle; ipsius placita eiusdẽmet verbis adducere placuit, vt facilius legentes, an ipsius mentem assecuti simus, an aduersus illum momenti aliquid dixerimus, iudicare posint.

Cardani prior reijcitur interpretatio. Iurisconsulti defenduntur. Item secunda ipsius confutatur explicatio.

Cap. 47.

VErùm ego (vt liberè dicam quod sentio) ab Hippocratis mente virũ hunc longissimè aberrare opinor; quin etiam & ab ipsa veritate. Ac primùm quod ad priorem suam pertinet interpretationem, hæc vel eiusdemmet iudicio satis videtur redarguta; cùm aliam afferre profiteatur Hippocraticis verbis magis consentaneam. quod enim in vndecimestri partu gestationem ad diem 296. & vltrà proferri posse sumit, hoc certè his, quæ hoc loco Hippocrates affirmat, mirificè aduersatur; qui vndecimestrẽ partum ex septem quadragenarijs videlicet ex diebus 280. non secus ac decimestrem fieri verbis apertissimis decernit. itaq; nõ tantùm nutat, sed ruit omnino hoc acceptum Cardani fundamentum. quod ipsemet postea fatetur, scribens vndecimestrem partum dies 280. iuxta Hippocratis placitum transire non posse. quanquam & ad diem tercentesimum mox excludi posse parum sui memor concedere videatur. præterquã quòd & hoc etiam alterum habet difficultatem, quod inquit, si conceptio fiat die nouilunij, primum mensem dies tantùm quindecim habere; cùm satis constet integrum tunc primum accipiendum esse; eò quòd simul cum ipso nouilunio initium habeat: vt vel mendum in contextu sit, ac nouilunij loco plenilunij legendum videatur, vel egregiè Cardanus hallucinetur. Quo rursus loco iniuria quidem Iurisconsultos calumniatur, scribens partum dierum 330. & sic vndecimo exacto mense editum, tanquam legitimum illos admittere; cùm omnino contrarium legibus præfinitum habeatur, vt Imperator Iustinianus, Vlpianus, ac Sceuola testantur; qui apertissimè partus vndecimestres reiecerunt, decimestrem tantùm tanquam legitimum recipiẽtes. vt mirum profectò sit Cardanum voluisse hisce falsis, ac mendacibus visis legentium mentes in Iurisconsultos concitare. Hinc ratio ab eo allata, cur vndecimestres vitales sint, nullius esse roboris videtur; præsertim apud ipsum, qui passim quadragenarios mensibus anteponit; vt, licèt mẽsis impar sit, tamen, quia in quadragenariã parem incidat, fœtum in eo vitalem prodire nolit: ex quò & supra ad hæc nisi fallor respiciens, memorabilem esse vndecimum mensem dixit, & difficilis iudicationis cũ octauo ipsum coniungens; vt paucis verbis cum semetipso atrociter pugnare videatur. Posteriori verò eiusdem interpretationi multa quidẽ habeo, quę obijciam, ac pręsertim illud, quòd falsum sit, Hippocratem dicere, mulieres, quæ vna die purgantur, post purgationem vsq; ad dies decem concipere posse; quæ duobus diebus, vsq; ad 15. quæ tribus, toto mense; etenim dixit ipse tantùm,

In Auth. de Rest. *l. Gallus.* *l. Intestat.* *ff. de suis, & legit.*

tùm, vt ex eius verbis patet, oportere mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio continget: & hoc tẽpus, quibus breuissimum fit, tres esse dies; plerisq; autem multò plures: quod longè diuersum est ab eo, quod Cardanus expressit. qui dum purgationis dies non plures quàm tres esse supponit, plurimum ab Hipppocrate differt, qui plerisq; mulieribus docuit multò esse plures. Quanquam & Contradicentiũ Medicorum libro primo aliam, ac longè diuersam ab hac ipsa interpretationem, aliosq; tùm purgationis, tùm conceptionis terminos tradere videtur; vt contradictionum plena omnia esse appareant. Scripsit autẽ memorato loco in hanc sententiam. Quòd autem conceptiones fiant post purgationẽ multis diebus, declarat hoc modo. Quæ debent concipere, oportet vt vterus habeat sanguinem: quæ igitur copiosè purgantur, quantò copiosius, eò diutius: & quantò diutius purgationem patiuntur, eò celerius vterus sanguine repletur. quæ igitur purgantur tribus diebus, tantum concipiunt sanguinis in decem diebus, & est mensis tertia pars, quòd posſint concipere. Requiruntur tamen dies decem, antequam posſint concipere; & quę purgantur quinq; diebus, requirunt saltem sex dies antequam concipiant. omnes igitur mulieres, quæ purgantur in vno die, vel duobus, aut tribus concipiunt in fine mensis, vel in medio, vel saltem post decem dies. Igitur omnibus his lõgius tempus gestationis in vtero progredi videtur. & hæc interpretatio propior est veritati; alia autem quòd vni diei tribuantur decem dies, duobus autem dimidium mensis, tribus duæ tertiæ eius, est propinquior verborum sensui textus Hippocratis. Hæc ille; qui tamen, dum quæ diutius purgantur, citius concipere & gestare vterum definit (nam dicit, quæ tribus diebus purgantur, decem requirere dies, quæ quinq; purgantur, saltem sex exposcere) parum fuisse videtur memor eorum, quæ supra ex Hippocrate statuit ex libello de Pueri Natura, quæ diutius menstrua patiuntur purgamenta, longius etiam vterum gestare. Vnde & Hippocratis sensa referens sic scribit. Hæc ille (scilicet Hippocrates) Deinde subijcit rationem earum, quæ plus, aut minus ferunt intra statum tempus, quam breuiter subijcio. Quæcunq; parum purgantur, sicciores sunt; quare celeriter, & ante decimum mensem finiunt fœtui alimentum. Et paulò post, Quæcunq; verò diu mensibus expurgantur, & multum emittunt sanguinis, non deficiente alimento in decimum mensem, quod legitimum pariendi tempus est, partum differunt.

Tract. 3. contrad. 8.

Secunda Cardani interpretatio fusius reijcitur. Cap. 48.

IAm verò & hoc alterum Cardano obijcio; tota enim ipsius hæc sententia penitus à ratione dissona est, atq; Galeni, Hippocratisq; dogmatibus aduersa; siquidem hi duce ratione tradiderunt, incipientibus tantùm, ac desinentibus menstruis concipere mulierẽ posse, vt suo loco infra explicabimus: itaq; mulier illa, quæ vna die purgatur, non poterit ad decem vsq; dies concipere, sed eadem die, vel sequenti; ac longè minus ad dies 15. quæ duobus diebus; rursusq; longè minus toto mense illa, cui per dies tres menstrua fluunt; sed tantùm aut prima, aut tertia die, paulò citius ac tardius; cùm scilicet menstrua incipiunt apparere, vel iam iam fluere desinunt. præterquàmquòd talibus, quæ breuissimum purgationum limitem habent, exigua inest sanguinis copia, quemadmodũ infra dicemus: vt non sit verum diebus illis præteritis vterum, vt parum purgatum, rursum impleri. Adhuc ratio tota computandi à Cardano excogitata mirum in modum est nutabunda; siquidem inquit. Si ergo ipsa præsupponit 276. se gestasse vterum & c. igitur fortuitam, à milierumq; cogitatione ortum habentem supputationem hanc facit, nec vllum ordinem retinere; atqui Hippocrates dicit, suo recepto fundamento necessariò sequi, vt quæ circa plenilunium, ac vltrà conceperint, vndecimum mensem in partu attingant; igitur naturalem ordinem, ac rationem in sua computatione agnoscit; cæteroqui nulla necessitas in ea locum habere posset. vt enim perbellè Galenus in tertium sectum Aphorismorũ notat, cùm necessitatis verbo Hippocrates vtitur, rei naturam perpetuò respicit, non obseruationem. Est & altera grauis in Cardani exemplo difficultas; etenim quam supponit concipere per dies decem ante alteram purgationem, hanc quouis die mensis concipere posse concedit: nimirùm quia per dies tres fluxum mẽstruorum patiatur. concipiat ergo per dies 20. ante alteram purgationem; erunt hi cum nouem sequẽtibus mensibus dies 286. itaq; gestatio limitem dierum 280. transire poterit, quod ab Hippocratis hoc loco consilio est alie-

Aph. 11.

nis-

nisſimum. ex quò & hoc etiam nomine explicatio Cardani refellenda eſt, quòd non doceat cauſam, neceſsitatem non oſtendat, quare partus vndecimeſtris exiſtens, dies tamen plures, quàm 280. in conformatione non abſumat. Tandem cur in exemplo adducto mulier die illa 276. parere non poteſt? cur poſt diem 280. omnia igitur videtur vacillare, ſi quis mentis aciem in hanc Cardani explicationem acriter intendat: ſiquidem Hippocrates dicit tàm decimeſtres quàm vndecimeſtres ex ſeptem quadragenarijs fieri, adeò vt hoc rei natura perſpecta ita eſſe velit. At Cardanus, qui decimeſtres ſunt ac diebus 280. geniti, videri mulieribus, inquit, eſſe vndecimeſtres: ſic enim ſcribit. Si ergo ipſa præſupponit 276. die ſe geſtaſſe vterū decem integris menſibus, & pariat 280. die; videbitur ei peperiſſe quarta die menſis vndecimi. quare non ita fieri rei naturæ ratione, ſed mulierum errore ſtatuit. præterea ſi mulier præſupponit ſe geſtaſſe vterum dies 276. quo modo decem integris menſibus illum tuliſſe præſupponit? has enim ſyrtes pertranſire me non poſſe, ingenuè confiteor.

Adhuc Cardani quædam planius enarrantur, & refelluntur.
Cap. 49.

SEd nec firmiora ſunt, quæ ſecundo loco ex Contradicentium Medicorum libro primo in medio poſuimus; videlicet qua parte à prioribus ſunt diuerſa: quæ enim de mulierum errore dicta ſunt, menſem, in quo erant defluxura menſtrua, computantium; quo tamen tempore nondum facta eſt conceptio; planè conſentiunt. quandoquidem tota ipſius diſputatio eo nititur fundamēto, quòd diem 163. ſeptimo menſi dare initium poſſe accipit: ex quò & continua Lunarium mēſium adiectione, dierum ſcilicet vigintinouem cum dimidio, aliorum menſium initia haberi putat, & fines; adeò vt additis diebus viginti nouem cum dimidio ſummæ dierum centum ſexaginta trium, aſſurgant dies centum nonaginta duo, vel cētum nonaginta tres, qui ſeptimo finem, octauo principium afferant. additis rurſus totidem alijs ſummæ dierum centum nonaginta duorum, dies colligantur 222. qui octauo finem, nono principium imponunt: & ſic de reliquis. quo pacto dies 251. eſt noni finis & decimi principium; dies ducēti octogintaduo decimi finis, & vndecimi principium, quorum etiam menſium, ſi integri accipiantur, initia alia & fines (vt verè etiam ſunt) eſſe voluit; exempli gratia ſeptimi diem 207. octaui diem 236. noni diem 265. cum dimidio, decimi diem ducenteſimum nonageſimum quintum. Nam & hoc eſt quod ipſe inquit verbis illis obſcuriſsimis. Eadem ratione decimus menſis initium habet die 252. & finem 295. hoc eſt quod dicit, menſes latitudinem habere dierum ferè 44. ſi enim conſideres breuiſsimum & longiſsimum terminum, prout ſcilicet à die 163. menſis ſeptimi initium accipitur, finis verò à die 207. cùm ſcilicet integri menſes computantur, ſic reperies euenire. (nam à die 163. ad 207. qui ſunt limites mēſis ſeptimi, dies interſunt 44. totq; à die 192. ad 236. qui fines octaui claudunt: rurſuſq; totidem à die 222. ad 265. & à die 251. ad 295. qui noni, ac decimi limites comprehendunt. Verùm ſuperiori diſputatione oſtenſum eſt (quod etiam planius ſequenti libro elucebit) omnino eſſe contra Hippocratis mentem, quòd die 163. ſeptimi menſis initium eſſe poſsit; quòd tāto peracto tempore vitalis partus exire queat; cùm ante diem 182. cum ſemiſſe nequeat ſeptimeſtre ſpatium ex illius ſententia eſſe vitale. itaq; & ſimul cum fundamēto tota ruit Cardani ſuper illud fabricata diſputatio: cùm potius à die 183. nō à die 163. calculi ratio omnis ſit ineunda; vt ſequenti libro demonſtrabimus. Hoc veritati eſſe conſentaneum, facilè illi fatebuntur, qui mecum ipſi attentas Hippocratico oraculo præbebunt aures, quo in Opuſculo de Septimeſtri Partu ſancitum eſt, decimeſtres ac vndecimeſtres ſeptem fieri quadragenarijs, ſicuti & dimidio anno ſeptimeſtres. cùm enim ab eodem monſtratum ſit, dimidium anni diebus 182. cum horis quindecim integrari; iam ſi à ſeptimeſtri ſpatio ineunda ſupputatio eſt, etiam decimeſtrium ac vndecimeſtrium, vt Cardanus facit; non à die 163. ſed à die 183. vt Hippocrates explicuit, niſi penè impudenter ipſum deſeramus, calculus aliorum menſiū erit ſubducendus. Prætereo neq; etiam Cardani recepta computandi forma decem menſes dies 280. claudere ad vnguem, vt ipſe inquit: vt enim quiſq; facilè inueniet, ſi, quemadmodum Cardanus voluit, à die 163. principium ſeptimi ducamus, dies 282. decimum claudet non 280. vt ipſe ponit. Tandem me in hac ſalebra hærere equidem fateor; neq; enim video quo modo ex ipſius verbis eliciatur tàm decimeſtres quā vndecimeſtres ſeptem quadragenarijs gigni;

gni; non video quo modo ex eo, quod ipse accipit, à 280. ad 295. diem genitos decimestres esse, modò non in plenilunio, aut nouilunio pridieuè, aut postero concepti sint, sequatur postea, Hippocratem rectè asseruisse, decimestres & vndecimestres eodē modo ex septem quadragenarijs fieri; non video quo pacto aliqua illarum dubitationū, quę ex Hippocratis excitauimus supra oratione, dissolui posit. Nam quod statim adiungit à mulierum deceptione pendens, iam supra fuit confutatum. quæ sanè deceptio quomodo intelligenda veniat, de septimestribus agens his verbis clarius videtur aperuisse. Ad aliud (inquit) constat quidem septimestres viuere. hos semper in plures dies mulieres referunt ob mensium numerum: qui plerunq; addunt in opinione. si qua enim mulier pariat 180. die, conceperit autem 20. die post menses, opinionem suscipit quòd viginti septem dies fermè infantem in vtero tulerit. Hæc ille; cui tamen dicendum erat, quo pacto iuxta Hippocratis & Galeni placita mulier 20. à purgatione die concipere queat, cùm secundū illos incipientibus tantùm, vel desinētibus menstruis fiat conceptio. summę igitur obscuritatis plena, ac omnino nutans Cardani interpretatio; quæ cùm satis reiecta videri posit, iam Gorræi, & Ludouici Mercati explicatio afferenda venit, ac ventilanda.

Gorræi explicatio. Quo pacto secundum illum Hippocrates partus nonomestres, decimestres, ac vndecimestres computauerit.

Cap. 50.

GOrræus, qui mihi videtur in hac quæstione acutisimè versari; locum hunc expendens Hippocratis in Annotationibus super libello de Pueri Natura, & in Medicis Definitionibus; vt tantæ difficultatis exitum reperiat, ad suam recurrit Lunarium mensium varietatem. iampridem enim secūdo libro à nobis explicatum fuit de illius agentibus opinione, triplices Lunares menses ipsum constituere, omnes Solari minores; ciuilem dierum 29. cum semisse, peragrationis dierum 27. hor. 8. illuminationis dierum 26. cum dimidio: quo posito, hoc alterum firmamentum totius Hippocraticæ disputationis esse putat; videlicet, cùm in libro de Natura Pueri, alijsq; in locis scriptū legimus, decimo mense fœtum exitum affectare, & partum edi

Ann. 59. In verb. τόκος.

decimestrem; de peragrationis mense decimo, qui propriè Lunaris dicitur, Hippocratis verba esse intelligenda; qui exactè cū nono Solari conuenit, qui dierum est 273. eò quòd dies 27. cū tertia diei parte, quod spatium est verè Lunaris mensis, quo Luna Zodiacum dimetitur, si decies multiplicemus, totidem faciant dies, & horas octo. His ita constitutis sic tollit præsentem difficultatem; dicens Hippocratem, cùm scripsit in Opusculo de Octomestri Partu, qui decimo, & vndecimo mense eduntur, ex septem quadragenarijs eodem modo constitui, de his Lunaribus mensibus intellexisse. cùm enim septem dierum quadragenarij contineant dies 280. qui decem exactos Lunares peragratorios menses, scilicet dies 273. excedūt diebus septē; proptereaq; nō longè absint à decimo mēse, & iam pars sint vndecimi; vt potè qui de vndecimo capiāt dies septē; Hippocratē terminū hunc pariēdi tàm decimo, quàm vndecimo mensi cōmunem exprimere voluisse. vt iam de Gorræi opinione eo ipse consilio scripserit, tàm decimestres quàm vndecimestres ex septem fieri quadragenarijs, quia dies 280. qui septem hosce complent quadragenarios, in decimi Lunaris periodici mensis, & vndecimi confinium incurrant; & propterea ad vtrunq; partum pertinere videantur, & vtriusq; terminum exprimere posse. Quòd si dicat aliquis, Hippocratem Solarem mēsem intellexisse, respondet Gorræus, fuisse ei necessariò alios quadraginta dies adiungendos, si Solares menses animo versatus esset: idcircò horum interpretationem locum habere non posse. cùm autem videret ad finem Opusculi de Principijs partum dierum 280. nouem mensium ac decem dierum partum appellari; videlicet, vt ipse credit, nonimestrem; qui alioqui decimestris dicitur, ac vndecimestris verbis superioribus, licèt eodem planè dierum numero cōstans; varietatem hanc sic componere studet; dicens huius diuersitatis causam ad diuersos Lunæ menses referre oportere: in libro. n. de Carnibus, seu de Principijs, mēses, qui propriè ciuiles appellantur, Hippocratem intellexisse, qui, vt idem inquit Gorræus, ab vno Lunæ cum Sole congressu ad alterum vsq; perdurant, constantq; paulò minus quàm tricenis diebus: in hoc verò loco, quem explicandum suscepimus ex Opusculo de Partu Octomestri, intellexisse menses Lunares propriè dictos, quos passim vocant peragrationis: quorum ratione dies 280. eo modo, quem ex eo supra exposuimus,

suimus, ad mensem decimum pertinent, ac vndecimum, proptereaq; communis esse decimestris partus, ac vndecimestris terminus possunt. Hęc Gorræi explicatio est, à qua Mercatum, qui ad eius speculum se totum finxit in hac tractanda difficultate, & composuit, ne minimum quidem discessisse, ipsius verba demonstrabunt; quæ clarioris doctrinæ gratia hîc placet appingere: tametsi tota doctissimi huius viri opinio secundo libro à nobis diligenter fuerit explicata.

Mercati adducitur interpretatio.
Cap. 51.

Cap. 1.

IPse igitur libro quarto de Puerperarum, & Mulierum Affectionibus tanquam clarum sumens, & sine vlla controuersia in Hippocratis Schola receptum, dies grauiditatis non excedere dies 280. plurimumq; mox laborans, vt ostendat, qua ratione hoc posito verum esse possit, partum, ac gestationem de eiusdem etiam Hippocratis sententia in vndecimum vsq; mensem proferri; sic tollere hanc conatur difficultatē. Legitimum esse (inquit) partum ad decimum vsq; decimi mensis diem, abundè nunc probasse arbitror; sed cogor ob Hippocratis obscura decreta in partubus enumerandis disputare, an vltrà decimum decimi mensis diem partus in lucem edi possint. Præstitit huic dubitationi ansā Hippocrates, qui libro de Octomestri Partu ad vndecimū mēsem partum prorogari affirmat. At libro de Alimento, & Septimestri Partu per dies facta computatione, vt dictum est, ad decimum decimi mensis diem extendi posse partus asseuerat. Verùm, vt breui me ab hoc nodo expediā tria in doctrina Hippocratis consideradā sunt. Primum dies partus ad summùm esse non plures quàm ducentos & octoginta. Secundum ex hismet diebus aliquādo computasse partus tempus per mēses Solares: mensis enim Solaris dicitur spatium illud tēporis, quo Sol in vno quoq; signo Zodiaci fertur; quæ quoniā sūt duodecim, menses quoq; totidem in anno numerantur; & sic constituit decimum diem decimi mensis tanquam vltimum partus tempus. & libro de Natura Pueri multis etiā rationibus probare nititur, vterum plusquàm decem menses ferre non posse; & id tempus posse attingere probat etiam lib. 5. Popul. in historia Mulieris Larissæ; cui, cùm prægnans esset, decimo mense sanguis multus fluxit, & fœtum proiecit mortuum. Aliquando verò considerasse menses Lunares; in qua computatione non solùm mirū non est ad vndecimum mensem peruenisse, & eum constituisse terminum etiam partus; verùm eodem calculo facillimè ad duodecimum mensem, & vltrà (vt ex antiquis Auctoribus aliqui censuerunt) peruenire posse constat. Probari optimè hoc assumptum potest, si mēses tres esse iuxta Antiquorum computationem intellexeris, differentes tamen omnes tēporis duratione; inter quos ille maximus est, qui latinis dicitur ciuilis, constans ex diebus viginti nouem, & horis tredecim propemodum; tot enim dies sunt inter vnum, & alterum Lunæ cum Sole congressum. ex quò sanè mense, & similibus, si annum constituas, centum & octuaginta dies in septimum mensem incident; nanq; centum & septuaginta septem dies sex huiusmodi menses integrant, & quinq; qui supersunt reliqui cum aliquot horis iam septimi mensis erunt: componesq; nonum, & decimum mensem eadem ferè calculatione facta. Si tamen mensem propriè Lunarem dictum consideres, longè aliter computationem efformare tenebis. Is autem definitur Lunæ Zodiaci puncto ad idem punctū profectione, & reditu, in quam viam Luna viginti & septem dies cum horis octo insumit: quibus equidem mensibus si partum nouimestrem constituas, continebit ducētos & quadraginta & sex dies. constat igitur ad integritatem 280. dierum, quos Hippocrates cēset esse legitimi partus dies, deesse dies triginta & quatuor, qui decimum mensem integrum, & principium vndecimi constituunt. Quòd si tertiam mensis Lunaris differentiam (quæ fit à primo exemptis tribus diebus coniunctionis Lunæ) accipias; reperies continere sex & viginti dies & horas duodecim: ex quibus sanè nouē mēses continebunt dies ducētos & triginta & octo, & horas quasdam: quibus deesse constat ad integritatem dierum, quos legitimū partum constituere refert Hippocrates, quadraginta & duos; qui etiam ex Solaribus ferè vndecimum constituunt. ex quibus iam constare arbitror quanam ratione dixerint Hippocrates, Plinius, Aristoteles ad vndecimum mēsem partus posse peruenire. Ac si mireris, & rationem quæras, cur mensium Lunarium, potius quàm Solariū definita sit apud Antiquos pariendi ratio; desines protinus mirari, si aduertas, Antiquos (Græcos maximè) annum totum ad rationem Lunæ subduxisse, & alios menses non habuisse quàm Lunares; nondum redu-

„ & in hanc formam anno, quæ nunc vsui
„ nobis est. Hæc Mercatus; qui difficultatem alteram, qua ratione dictum ab Hippocrate fuerit, constare ex dimidio anno septimestres, non videtur attigisse. cuius etiam interpretatio, quod pertinet ad verba illa Hippocratis, quibus præcepit tempus dandum esse mulieribus, in quo purgatio continget, prætermittenda non est; quam sic libro tertio de conceptione agens exponit.

Cap. 6.

„ Ante tamen quàm hinc discedam (inquit) ex
„ quo sanguine conceptus fiat, docere necessum fore duxi. qua in re quo tempore mulieres potissimum concipiant, præmittendum est: cuius gratia, vt ex Hippocrate libro de Septimestri Partu colligitur, accipiamus conceptum fieri aut in ipsis interlunijs, aut ante plenilunium, aut decrescente Luna. si in ipsis interlunijs conceperit, rarissimè quidem fiet, idq; in illis præcipuè mulieribus, quibus accidit vel in ipso mensium fluentium impetu semen masculinum retineri, propterea quòd parcissimè purgari sunt natæ. & paulò post. Hippocrates tamen libro de Natura Pueri singulis suum tempus concipiendi præscripsit: inquit enim. oportet igitur mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio contingit. ex quibus conclusit necessarium esse, plerasq; mulieres circa plenilunium, & vltrà concipere: quibus equidem luce clarius constat, vt plurimum mulierem concipere post menstruas purgationes. Præterquamquòd decrescente Luna tempus existit frigidius, & humidius, quod minorem facit abundantiam excrementorum coctorum, & ob id minus eo tempore fœminæ concipiunt. Itaq; fluentibus & iam fluxis menstruis fœminas concipere constat.

De Lalamantij opinione.
Cap. 52.

Schol. 15.

HAec Mercatus. at Lalamantius vtriq; occurrens difficultati, de vtraq; in Commentarijs super Opusculum de Septimestri Partu ita statuit. Præfatur primùm, cùm annus diebus 365. hor. 6. integretur, summam hãc in duodecim diuisam dies 30. hor. 10. cum semisse dare pro quolibet mẽse; ità vt hac ratione dimidium anni, ac mẽses sex dies capiant 182. hor. 15. nouem verò menses dies 273. hor. 22. cum semisse. decem menses dies 304. hor. 9. Vndecim menses dies 334. hor. 19. cum semisse. Præfatur rursus, iuxta mensium Grecanicorum computationem, qui diebus 29. cum dimidio constant, & quibus pluribus in locis vsum fuisse Hippocratem inquit, menses sex, ac anni partem dimidiatam primo modo acceptam in septimum Græcanicum mensem incurrere: eò quòd sex Græcanici menses pleni, & integri dies tantùm capiant 177. vt in sextam diem Græcanici mensis septimi dies 182. cum semisse incidant. His positis, si calculi rationem iuxtà menses Græcanicos ineamus, verborum Hippocratis sententiam hanc esse inquit. quòd quemadmodum septimestres dicuntur non solùm ij, qui septimo expleto Græcanico mense oriuntur, scilicet die 206. cum semisse, sed etiam ij, qui ad sex menses plenos, seu dies 177. dies prǽterea quinq; cũ horis duodecim de septimo sunt consecuti: ita & decimestres dicuntur non solùm ij, qui mẽses Græcanicos decem integros, seu dies 295. nacti sunt; sed & qui ad nouem menses dies 265. explentes, quinq; tantùm dies de decimo cum horis aliquot sunt consecuti: idemq; de vndecimestribus esse iudicandum. cùm vndecimestres non solùm dicantur illi, qui 324. diebus cum dimidio oriuntur, sed & illi, qui ad septimam quadragenariam dies ducentos octoginta capientem, quinq; dies supra dimidiũ nacti sũt. vt in summa septimestres, nonomestres, decimestres, ac etiam vndecimestres dicantur, qui partem aliquam, seu dies aliquot de mẽsibus, abs quibus denominationem accipiunt, nedum totos integri mensis dies sunt adepti: vt sic à parte totius denominationẽ accipiant, & mensis inceptus pro absoluto, & integro habeatur. Hinc concludit Lalamantius, verba illa Hippocratis ex libro de Alimento. Ad formam dies 50. ad pri- „
mum motum centum; ad absolutionem tre- „
centi. ad partum vndecimestrem pertinere. „
quia treceti dies iuxta Gręcanicorum mẽsium supputationem in quintum diem vndecimi mensis incurrant. Quòd verò attinet ad ea, quæ mox Hippocrates subiungit de conceptionis tempore, ac diebus mulieri dãdis, sic idem Auctor eodẽ Scholio Hippocratis sensa interpretatur. totam enim ipsius orationem in tãta re duxi necessariò afferendam, vt facilius quisq; iudicare possit, an Hippocratis genium ipse habeat; itaq; sic inquit. Ne quis verò miretur quid „
sit, quòd partus fiant alij citius, vt septimo „
mense; alij serius, vt decimo & vndecimo; „
alij medium teneant, & nono edantur. Sci- „
re licet (inquit hîc quanquam obscurè & „
suo more Hippocrates) pro ratione tempo- „
ris, quo purgantur fœminæ, contingere: „
aliæ

aliæ enim pluribus, aliç paucioribus diebus purgantur. Tempus enim, vt Aegineta ait, purgationi statum non est, ordinatumq;. Multis ad duos tresuè dies, paucis vsq; ad quintum profluit, alijs adusq; septimum; raro ad duodecimum purgatæ sunt. Quæ ergo mulieres pluribus diebus purgantur, tardius; quæ paucioribus, citius pariunt. Huius dicti ratio hæc esse videatur, quòd tẽpus purgationis muliebris in partus considerationem, aut vteri gestati supputationem venire non magis debet, quàm id tempus, quo Luna cum Sole coit, in mensis rationem. Nam vt in mensium anni ratione tempus coitus Lunæ ipsi ei dandum est, nec in supputationem sui mensis adducendum; quòd eo tempore Luna radijs Solaribus obtegatur, cumq; eo ita delitescat, vt lumine priuata nihil omnino quicquam vt nec lucis, ita nec virtutis suæ nobis communicet, & affundat: ita & tempus menstruorum fluentium mulieri vtero gerenti dandum est, nec in considerationem temporis fœtus vtero gestati adducendum. quòd tùm naturales cùm matris, tùm ipsius fœtus virtutes ab officio itidem suo, si non planè feriari, & quiescere maternæ virtutes, saltem ita remissè agere videntur, vt, cùm nihil ita memoratu dignum in fœtum cõferant, in supputationis rationem venire minimè debere videantur. Si ergo in considerationem trium, verbi gratia, dierum purgationis singulis mensibus mulieri euenire solitæ tot dies nouies multiplicatos, & ad viginti septem in totum assurgentes (nam ter nouem eum numerum pariunt) mulieri vterum gerenti dederis, & tanquam ociosos superuacaneosq; numerando præterieris, tot vtiles & validos de decimo mense, qui nonum sequitur, tibi mutuò sumendos esse comperies; vt nouem menses plenos & integros dierum validorum fœtus habeat: qui hac ratione nonimestris dicetur, sed & decimestris etiam; quòd scilicet intra decimum nascatur: & vndecimestris, quòd in vndecimum proximè incurrat; maximè si tres dies decimi mensis in considerationem prędictam tanquam inutiles mulieri dandos esse existimaueris. Similis ratio erit ineunda in ea muliere, quæ diebus duobus purgari soleat; nam quò pauciorum dierum est purgatio; eò citius editur infans; cùm pauciores dies de decimo mense pro paucioribus ociosis mulieri dandis, mutuandi sint, si nono partum erat editura. Iam quod ad eas attinet, quæ vno tantùm die purgantur, eæ sunt, quæ vt plurimum steriles sunt (vt & eæ, quæ menstruis carent) aut quæ septimo mense pariunt. His simili ratione dies mẽstruæ purgationis septem dandi in menses septem essent pro singulis diebus purgationis singulis mensibus contingentibus; sed tàm pauci dies in considerationem non veniunt; quòd vnus dies purgationis singulis mensibus contingens non multùm de virtute vtero gestati fœtus imminuat.

Lalamantij interpretatio fusius enarratur.
Cap. 53.

HAec ille; qui postea hanc eandem rem clarius infra his verbis explicuisse visus est. Mulier, inquit, grauida motum Lunæ sequi, cumq; ea similitudinem quandã, & velut affinitatem habere videtur. Vt enim Luna potentissimè per totum ferè mẽsem res omnes terrestres sua vi afflat, regit, & gubernat, iisq; dat incrementum; in coitu solo nihil, aut parum suæ virtutis iisdem impertit: ita & grauida per totum ferè itidem mensem vtero gestato fœtui abundè quæcunq; sunt ad ejus auctionem, perfectionemq; necessaria Lunæ beneficio suppeditat. At illa ipsa eo die, quo vel ante cõceptum singulis mensibus menstrua solebãt fluere, aut etiam post ipsum conceptum, si fortè, dum gerit vterum, menses effluunt, nihil itidem, aut parum admodum suarum facultatum fœtui vtero concluso impertitur; vt vtrisq; illis corporibus facultates, Lunæ in hæc inferiora, grauidæ in fœtum feriari, & consopitæ esse videantur. Rursum verò vt coitus Lunæ cum Sole (Νυμηνία & ἔνη καὶ νέα Grecis, Latinis nouilunium dicitur) vnus tantùm dies est, is scilicet, quo Luna cum Sole coiens ipsum & assequitur, & transmittit; ita & menstruorum fluentiũ vnus tantùm propè dies est. Quemadmodũ autem non statim vt Luna Solem cursu prætervecta est, conspicua est, sed biduo interdum, interdum etiam triduo combusta, radijs Solaribus obtegitur; nec vt lumen tùm sensibile, ita nec vires etiam in terras dimittit: ita non statim vt dies menstruæ purgationis præterijt, cessat fluxio, sed ea ad biduum, aut etiam triduum perseuerat. vnde ne ab illo quidem die grauidæ facultates in fętum agere occipiunt, sed ad biduũ, triduumuè conquiescunt. Vt ergo singulis mensibus duo, aut tres dies Lunæ dandi sunt, quibus illa propter suum cum Sole congressum agere non percipitur in hęc inferiora; ita & totidem mulieri grauidæ dãdi sunt, quibus etiam ipsa fœtui nihil, aut ad-

Sch. 16.17

admodum parum ſuarum facultatum cõmunicat propter fluxum menſtruorum ſingulis menſibus biduo, aut triduo fluere ſolitorum. Tot autem dies (etiam ſi vteri geſtati tempore menſes non fluant) grauidæ dandi ſunt in conſiderationem eorum dierum, quibus ante conceptum purgari ſolebat mulier. Cæterum tres dies, vt minimũ, ſingulis menſibus grauidæ dandos eſſe cenſet hîc Hippocrates, dum ſcribit, Tempus menſis fœminæ dandum eſſe, quod trium dierum eſt, inquit, ijs quibus eſt breuiſſimum. Sed enim ſiue vnus tantùm dies eſt menſtruorum fluentium, ſiue duo, ſiue tres; certè vnus dies (qui menſis eſt pars trigeſima) ſingulis menſibus grauidæ datus, in nouem menſibus ad totidem dies aſſurget. Vnde fœtus non ſtatim poſt plenos, & integros nouem menſes à conceptu (nouem autem menſes ſtatum ſunt, & legitimum pariendi mulieribus tempus) prodibit in lucem: ſed poſt diem nonum decimi mẽſis, vt plenus & integer ſit circuitus. Similis ratio erit ineunda ſi biduo, aut triduo ſingulis menſibus purgetur mulier; nam duo dies (pars ſunt menſis decimaquinta) ſingulis menſibus grauidæ dati, nouem menſium ſpatio ad dies decem & octo aſſurgent: tres dies (pars menſis decima) ad dies viginti ſeptem: vt illi grauidæ, quæ biduo purgabitur, dies decem & octo de decimo mẽſe; illi, quæ tribus diebus purgatur, dies viginti ſeptem de eodem decimo dandi veniant, vti ne menſes imperfecti, & non integri ſupputentur; id autem eſt, vt menſium circuitus plenus & integer habeatur. Porrò verò quoniam viginti ſeptem dies ad nouem menſes grauidæ dati (tribus enim diebus ſingulis mẽſibus mulierem purgari hîc cum Hippocrate ponimus) vndecimum mẽſem proximè attingunt; fit vt is partus & nonimeſtris, & decimeſtris, ac etiam vndecimeſtris dicatur. Nonimeſtris quidem, quòd nouem menſium ſpatio editus ſit in lucem; nam licèt intra aliquot dies decimi, vt verbi gratia viginti ſeptem, editus ſit; tamen quoniam tot dies validi cadunt in locum tot ocioſorum, & vanorum dierum, quos pro ratione menſtruorum fluere ſolitorum grauidę dandos eſſe ex Hippocratis ſententia poſtulamus & ponimus, eatenus inquam, nonimeſtris dicatur; vt & decimeſtris, quòd re vera ipſo decimo, id eſt 27. die decimi natus ſit: vndecimeſtris verò dicatur, quòd ter nouem dies in conſiderationem ſæpè ante dictam grauidæ dati ſupra menſes nouem, vndecimum menſem penè incurrant. Nam nouem menſes Græcanici diebus conſtant ducentis ſexaginta ſex: ad quam ſummam ſi dies viginti ſeptem addideris, habebis ſummam dierum ducentorum nonaginta trium; qui dierum numerus in menſibus Græcanicis, & Lunaribꝰ incurrit in vigeſimũ ſeptimũ diẽ mẽſis decimi: In menſibus latinis & Solaribus initio facto à Calendis Ianuarij, in vigeſimũ menſis Octobris à Ianuario decimi; vt ea ſumma dierum vndecimum menſem penè attingat. Neq; verò, inquit, fieri poteſt vt minori quàm trium dierum ſpatio vel menſtrua fluere deſinant; vel conceptus minore, quàm viginti ſeptem dierum ad nouem mẽſes additorum ſpatio, edantur in lucem. Iam verò etiam plerunq; fit vt mulieres circa plenilunium, menſe ſcilicet dimidiato, aut etiam poſt aliquantò concipiant: quod cùm fit, menſis inceptus pro completo, & integro venit ſupputandus. Incidit autem partus in plenilunium decimi mẽſis, in ducenteſimum dico octogeſimum diem, ſeu ſeptimam quadragenariam. Cùm autem ducenti octoginta dies dierum tantùm quindecim ſpatio abſint ab vndecimo menſe, nec ita præcisè incidat partus in eum diem, ducenteſimum dico & octogeſimum, vt non aliquando etiam diebus aliquot poſt contingat: fit vt mulieres ſe vndecim menſes vterum geſtaſſe & arbitrentur, & iactitent, partumq; vndecimeſtrem eſſe aſſerant. Hæ igitur horum ſunt doctiſsimorum hominũ in obſcuriſsimum, difficillimumq; hunc Hippocratis locum enarrationes; vt pluſquàm deceat mihi arrogare videar, meq; altius quàm par ſit extollere, ſi tantorum virorum lucubrationibus aliquid addere ſperem, aut eas audeam aliquo modo confutare: ſed dum publico bono conſulatur, nunquàm exiſtimationẽ noſtram in quodvis diſcrimen adducere recuſabimus. defendat quidem poſtea quod quiſq; ſentit, ac ſequatur; ſunt enim iudicia libera: nos inſtitutũ tenebimus, nulliſq; vnius Auctoris legibus adſtricti, quibus in Philoſophia neceſſariò pareamus; quid ſit in quaq; re maximè probabile, ſemper requiremus. neq; enim vllius calumniandi, aut refellendi gratia, ſed tantùm ducti amore veritatis hos labores ſuſcepimus. quin potius ſtudioſos omnes literarum veneramur; ac præſertim eos, quorum placita in his noſtris inſeruimus diſputationibus, longèq; magis eorũ iudicio quàm noſtro tribuimus. quos, ſi in humanis ſunt, teſtatos velimus; ſi ad eorum manus fortè noſtra hæc ſcripta peruenerint,

nerint, non solùm nos æquo animo laturos, si aut consilij sui rationem explicare, aut quas in illos mouimus difficultates soluere, suaq; defendere voluerint, nostraq; errata corrigere; sed etiam eos amplexaturos esse, gratiamq; maiorem habituros; cùm parati simus vetere abiecta nouam suscipere opinionem, modò eam cognouerimus ad veritatem esse propensiorem.

Nonnulla præmittuntur ad confutãdas Gorræi, Mercati, ac Lalamantij explicationes necessaria de anni ac mensium Græcanicorũ quantitate, quibus Hippocrates vsus fuisse videtur. Aristotelis hac de re adducitur sententia.

Cap. 54.

IAm verò antequam in medium illa afferamus, quæ nobis in Gorræi, Mercati, ac Lalamantij interpretationibus exponendis pro veritate occurrunt; nonnulla prius de anni ac mensium quantitate, quibus vsus Hippocrates videtur, diligenter disserenda sunt: cùm hi auctores arbitrati sint, eum secutum esse Lunarem annum, & non solùm secundum Lunares menses, ac Solares aliquando calculi iniuisse rationem scripserint, verùm etiam ex Lunaribus interdum alium, ac alium respexisse: vt modò periodicum, modò synodicum, nonnunquam etiam illuminationis mensem, dum scripsit partum septimo, decimo, vndecimoq; nasci, velint eum cogitasse. qua in re illud in primis præfari oportet, ne æquiuocatione decipiamur; aliud esse Solarem mensem, aliud Iulianum, aliud tricenarium, demum aliud Lunarem; quanquam & mensium aliam ex Gorræo quoq; diuisionem libro secundo attulimus, aliam decimo afferemus; aliamq; demum ex Censorini Opusculo de Die Natali, ac sanè elegantem afferre possemus; qui duo mensium genera esse dixit; aliosq; esse naturales, alios ciuiles; naturaliumq; species duas Solares scilicet, ac Lunares: ciuilium species multas, cùm quidã sint dierum numeri, quos vnaquæq; ciuitas suo instituto obseruat; à quo quidem & sua omnia Gorræus accepit. sed ad propositam disputationem nunc satis hæc nobis esse videtur. Mensis Solaris est, vt ex eodem Gorræo definiebamus, spatium illud temporis, quo Sol in vnoquoq; Zodiaci Signo circunfertur. Mensis Iulianus est pars Iuliani anni duodecima eo dierum spatio definita, quo Cæsar ordinauit. Tricenarius est temporis interuallum diebus triginta conclusum: vt qui Solares cum tricenarijs confundunt, non parum videantur aberrare. Demum Lunares paulò supra triplices esse dicebamus, synodicos, periodicos, illuminationis. His positis, dico rem hanc breuiter perstringẽs (vt in animo est) attingẽsq; (eò quòd altioris negocij sit, ac disputationis longioris materiam hanc exactè ventilare) annum Aristoteli, atq;, vt consentaneũ est, Hippocrati pariter, veteribusq; illis Græcis dierum 360. extitisse, mensem dierum triginta. Hoc adeò euidenter libro sexto de Historia Animalium expressit Philosophus, vt nullus dubitationi locus relinquatur. siquidem ibi de Canum coitu & fœtura agens, ita scriptum reliquit. Gerunt laconicæ vterum parte sexta anni, hoc est sexagenis diebus, aut vno, vel altero plus minusuè. & paulò post. Sunt quæ parte quinta anni vterum ferant, hoc est duobus & septuaginta diebus; quarum catelli duodecim diebus luce carent. nonnullæ quarta parte anni, hoc est tribus mensibus ferũt. & notandum diligenter, hoc loco à Philosopho de gestatione fœtus sermonem haberi; vt hanc mensium quantitatem, quam exprimit, amplectendam omnino duxerit in partus gestatione cõputanda. Verùm hinc necessariò sequi, mensem diebus constare 30. annũ diebus 360. luce meridiana clarius est; sextã nanq; anni partẽ dies esse 60 docet Aristoteles: at 60. per sex ducti faciunt 360. item si 60. dies sunt sexta anni pars, ergo 30. sunt duodecima. itaq; mensis, qui duodecima est anni pars, diebus 30. integratur. idemq; verba docent, quæ sequũtur; si enim dies 72. sunt anni pars quinta, ergo annus diebus 360. constat: etenim numerus 72. ductus per quinq;, facit 360. Item si tres menses sunt pars quarta anni, ergo diebus constant 90. ergo singuli menses integrantur diebus 30. necessariò. quod & hoc altero grauissimo testimonio comprobatur; quod etiam latissimè probat, Aristotelem in gestatione humani partus dimetienda nulla alia quàm mensis tricenarij quantitate fuisse vsum. septimo nanq. Historiarum, vbi articulationis tempora definit, cùm præfatus esset marem circa quadragesimum, fœminam circa nonagesimũ moueri, & findi, cùm antea caruncula informis constaret; paulò post hæc ipsa, quæ dixerat, quo modo intelligenda sint aperiẽs; adiungit marem, qui quadragesimo die exierit, si in aquam frigidam mittatur, cogi, & membra iam discreta apparere; sed fœ-

Cap. 20.

Cap. 3.

fœminam, quæ intra tertium mensem eruperit, indistinctam esse; quæ autem quartũ adepta fuerit mensem cerni articulatã. quo loco tertij mensis nomine dies 90. ab eo intelligi iam supra positos, circa quod tempus fœminæum conceptum distinctionem recipere dixerat, nemo ambigere potest; quare & dies 30. vnum integrare mensem existimauit. Sed quid amplius oportet in re clarissima immorari? tricenis enim diebus constare mensem, sic tandem ipse Aristoteles verbis apertissimis libro secundo de Animalium Historia testatus est. Costæ, inquit, totidem quot dies mensem integrũ complent. singulis enim tricenæ. quod & multò antea sensisse Hesiodũ in Operibus, & Diebus ex versiculo illo palàm est.

Cap. 17.

Παρραδέμεν δμώεσσι τριηκαδα μηνὸς αρίςην. i.

Præcipe seruis, trigesimam mensis optimam.

quam sanè trigesimam diem tanquam mensis vltimam, vt tradunt Auctores, ἔνην καὶ νέαν Græci vocabant; primam diem sequentis mensis νουμηνίαν appellantes, quoniam in ea esset nouilunium: quod & menses græcanicos dies habuisse triginta facit testatissimũ, & Lalamantij redarguit errorem, qui, vt vidimus verbis superioribus, nouiluniũ dici νουμηνίαν & ἔνην καὶ νέαν memoriæ tradidit. cùm alioqui trigesima dies Græcis ἔνη καὶ νέα verè diceretur. in qua nondum nouiluniũ confectum erat. quod Varro grauissimus auctor libro primo de Re Rustica his verbis testatus est. Dies Lunares quoq; obseruãdi: qui quodammodo bipartiti. Quod à noua Luna crescit ad plenam, & inde rursus ad nouam Lunam decrescit, quod veniat ad intermenstruum, è quo die dicitur Luna esse extrema & prima, à quo eum diem Athenis appellant ἔνην καὶ νέαν, τριάκαδα alij. Primam verò sequentis mensis diem νουμηνίαν appellabant, quæ cum nouilunio mensem ipsum inchoabat; trigesimam diem ἔνην καὶ νέαν appellantes non tàm quia veterem ac nouã Lunam, proindeq; nouilunium diem hanc continere arbitrarentur; quàm quòd putarent confinium esse deficientis Lunæ & renascentis, idest veteris & nouæ, vt probatioribus video placuisse; quod & Scholiastes Aristophanis in Nubibus satis explicuit. Hinc habes rectissimè his de causis à Theodoro Gaza in libello de Mẽsibus proditũ esse, Atheniensibus annum dierũ 360. secundũ Aristotelẽ fuisse, mẽsem dierũ triginta. Hinc rursus habes quid Plinius voluerit cùm lib. 34. ita scripsit. Nulliq; arbitror plures statuas dicatas quàm Phalereo Demetrio Athenis: siquidem 360. statuere, quas mox lacerauerunt: nondum anno hũc dierum numerum excedente. cùm enim his verbis testificetur Plinius, Demetrij Phalerei ætate annum dierum 360. numerum nõ excedere; qui profectò Demetrius auditor fuit Theophrasti; necesse est vt fateamur, Aristotelis ætate anni quantitatem apud Athenienses dierum 360. extitisse; quod supra ex eodem colligebamus. hunc q; annũ iuxta regulas à Cleostrato atq; Harpalo traditas quarto quoq; anno, vt nonnulli scriptis mandarunt, ad Lunarem annum reducebant.

Cap. 37.

Cap. 6.

Quæ de Grecaniti anni ac mensis quantitate superius dicta sunt, Herodoti probantur auctoritate.

Cap. 55.

SEd & præter Plinij testimonium non desunt testes longè vetustiores, qui apud Græcos annum dierum 360. extitisse, mensem dierum triginta latissimè probãt; quouè fundamẽto ea scripserit Aristoteles, quæ attulimus, perspicuè docent; nam Herodotus, qui, vt nonnullis placet, eadem ætate floruit, qua & Hippocrates, ita in Clio, verba Solonis ad Cręsum recitans, scriptum reliquit Valla interprete. Proponamus (inquit) homini terminum vitæ ad septuaginta annos; qui anni constant ex viginti quinq; millibus, ac ducentis diebus mense intercalari non posito. Quòd si velis alternos istorum annorum addito mense prolixiores fieri, vt tempora opportunè incidentia congruant; menses quidem intercalares per annos septuaginta fient triginta quinq;, dies autem ex his mensibus mille quingenti. Horum dierum omnium, qui sunt in septuaginta annos numero viginti sex millia ducenti quinquaginta, nullus prorsus, qualem alius rem affert. Atqui hinc colligitur apertissimè, annum dierum fuisse 360. mensem dierum triginta apud Solonem. nam septuaginta anni, si Lunarem recipias annum dierum 354. diebus cõstant 24780. non 25200. vt inquit Herodotus: si Solarem dierum 365. cum quadrante, diebus 25567. hor. 12. integrantur. at recepta quantitate dierum 360. iam anni 70. dant exactè dies 25200. vt Herodotus exprimit. Similiter menses 35. inquit cõstare diebus mille quinquaginta; quod verum tantùm est supposita quantitate mensis dierum tricenûm; cùm numerus 30. per 35. ductus, det 1050. vt ponit Herodotus: quãdoquidem legendum est. Dies autem ex his mensibus mille quinquaginta: non mille

quingenti, vt mendosissimè omnes habent latini codices ab exemplari græco dissentientes, & ab ipso calculo, quem mox Herodotus subijcit. nam græcum exemplar habet. ἡμαίραι δὲ ἐκ τῶν μηνῶν τούτων, χίλιαι πεντήκοντα. quod est. dies autem ex his mensibus mille quinquaginta. vt non parum Henricus Stephanus dormitasse videatur, qui latinæ interpretationis emẽdandæ prouinciam suscipiens tàm supinum erratum non castigauerit. Atq; hoc idem ex Herodoti calculo colligitur, à quo ipse dissidet pariter numerus dierum mille quingenti; quoniam concludit Herodotus, annos septuaginta cum suis mensibus intercalaribus triginta quinq; efficere dies 26250. sic .n. inquit. Horum dierum, qui sunt in septuaginta annos numero viginti sex millia ducenti quinquaginta & c. at supposuerat annos 70. sine mensium intercalarium adiectione continere dies 25200. quibus si adderemus dies mille quingentos in latina versione expressos, scilicet mensium intercalarium dies, tota esset summa dierum 26700. non 26250. vt ipse voluit. quare constat addendos esse pro mensibus triginta quinq; intercalaribus dies tantum mille quinquaginta; vt tota fiat summa dierũ 26250. quẽadmodum ipse concludit. At enimuero si dies mille quinquaginta; menses faciũt triginta quinq;, igitur & mẽsis vnusquisq; diebus 30. conflatur, quod monstrandum proposueramus. Quo autem pacto alternis annis mensem dierum triginta intercalandum esse hoc loco dicere Herodotus potuerit; eò quòd intercalatione vtebantur, vt ad Solarem annum reducerent eum, qui apud illos in vsu erat; anni verò quantitate recepta dierum 360. vt ipse facit, triginta quinq; mẽsium intercalatio in annis septuaginta ostendat annum esse dierum 375. quæ sũma, vt videmus, Solarem annum longè excedit, alijs relinquo in præsentia indagandum; cùm satis nostro esse proposito nunc videatur, ostendisse, ex hoc loco firmissimè colligi, apud veteres Græcos ea, qua vixit Hippocrates ætate, anni quantitatem dierũ fuisse 360. mensis dierum triginta.

Item de eodem anno, ac mense plura tùm Herodoti tùm nonnullorum aliorum Veterum testimonio.

Cap. 56.

INquit autem Herodotus in annis 70. intercalandos esse menses 35. quoniam, vt in Euterpe idem admonet de Aegyptiaco anno agens, Græci tertio quoq; anno mensem intercalabant: qui locus illustrissimus est ad probandum, veteres Græcos, ac præsertim doctiores, Hippocratem videlicet, & Aristotelem Aegyptiaci, ac Solaris anni quantitatem non latuisse; eamq; cognouisse longè esse quauis alia accõmodatiorem: vt propterea consentaneum sit in rerum naturalium periodis dimetiendis, describendisq; eos Aegyptiaci anni secutos esse rationem, quæ annum pariter dierum 360. mensem dierum 30. esse constituebat, dies quinq; adijciens, vt ad Solarem illum reducerent. Herodoti autem hæc est oratio. Quæ autem humanarum rerum sunt, hæc ita referebãt. inter se constare, omnium hominũ primos Aegyptios annum cõperisse, distinguentes eum in duodecim tẽporum menses, & hæc comperisse ex astris: qui eò prudentius (vt mihi videtur) hoc agunt, quàm Græci; quòd Græci quidem tertio quoq; anno intercalarem mensem introducunt temporum gratia; Aegyptij verò numero tricenorum dierũ, quibus duodecim menses taxant, adijciunt quot annis quinos dies. vnde eis ratio circuli temporum constat eodem redeuntis. Hæc ille; quibus & mensem dierum 30. & annum ex consequenti dierum 360. Aegyptijs quoq; extitisse satis docet, sicuti & Græcis; hac tamen differentia quòd hi mensem tertio quoq; anno; illi dies quinq; ad cuiusq; anni finem intercalabant: item & hanc Aegyptiorum anni computandi rationem, se longè existimare probabiliorem; vt non sine causa videatur Hippocrates secũdo Epidemicon dixisse, quemadmodum sequenti libro fusius explicabimus, dies 270. menses nouem Græcanicos constituere. hoc enim fecit, vt doceret, diebus 30. mensem apud Græcos constare; rectè addens. Et si quid amplius vltrà hos est. vt incrementum illud designaret, quod nouem mensibus, ac diebus 270. accedit secundum Aegyptiacum calculum dierum quinq; ratione: qua methodo ad Solis cursum facillimè annus ille reuocabatur. vt hac de causa Plato Atheniensis homo annum definiens in Timæo, quasi Aegyptiacum annum ob oculos poneret, illum fieri dixerit, vbi Sol suum peragrauerit Orbem. Sed & hanc anni quantitatem ab Heroicis vsq; ductam fuisse temporibus Plutarchus in vita Numæ testis est, qui regnante Romulo annum dierum 360. Romanos habuisse testificatur. Sed vnum (inquit) obseruabant, vt dies trecentos & sexaginata annus contineret. quod idem his verbis confirmat Censorinus. Maiores

quoq;

quoq; Romani idem ſunt æmulati, cùm annum dierum trecẽtorum ſexaginta haberẽt. apud quos fortaſſe & menſis diebus triginta conſtabat: quod & Liuius libro primo videtur, innuere, & Marcus Tullius libro ſexto Epiſtolarum, quas ad Atticum ſcripſit, apertè ſignificat verbis illis. Et tamen ſic nunc ſoluitur triceno quoq; die talenta actica 33. & hoc ex tributis, nec id ſatis efficitur in vſuram menſtruam. quo loco, vt videmus, triginta dierum vſuram mẽſtruam vocat, quia menſtruum ſpatium hoc definiatur interuallo. & Macrobius primo Saturnalium de Aegyptiaco menſe, & anno. Aegyptij tricenûm dierum omnes habent menſes, trecentorum ſexaginta tantùm dierum annum habent. Hinc explicitis duodecim ſuis menſibus, ideſt trecẽtis ſexaginta diebus exactis inter Auguſtum, & Septẽbrem, vel, vt Aegyptiacè dicitur, inter Mezori, & Thoth, ſcilicet nouiſsimum anni menſem, primumq; ſequentis anni, reliquos quinq; dies Solaris circuitus anno inſerũt: quarto inſuper quoq; anno diem eodem loco intercalarem, qui ex quadrantibus conſit, anectunt. Idemq; à Thebęis obſeruatum apud Diodorum Siculum ſcriptum legimus ſecundo libro. Thebęi (inquit ille) ſe antiquiſsimos hominum profitentur, primùmq; Philoſophiam, & Aſtronomiam à ſe repertas, ſeq; regionis ſitu ad cognoſcendos orientium, & occidentium motus Aſtrorum eſſe adiutos. Menſes inſuper & annos à ſe inſtitutos eſſe. Dies autem non ſecundum Lunam, ſed ſecundum Solem illi metiebantur, triginta dierum menſem facientes. quinq; verò dies, & quadrantem diei duodecim menſibus adiũgentes anni curſum perficiunt; intercalares menſes non interponunt, neq; dies ſubducunt, ſicuti & Græcorum quidam.

Epiſt. 1.

Cap. 1.

Hac ſuppoſita menſis quantitate locus quidam Diui Auguſtini declaratur. Henricus de Gandauo reijcitur.

Cap. 57.

HAec igitur tot, tantiq; viri, quæ ſatis docent, qua permotus ratione Hippocrates dicere potuerit (quod paulò poſt fuſius monſtrabimus) dies 270. nouem menſes explere, dies 210. menſes ſeptem, item annum dies 360. integrare; qua rurſus Ariſtoteles (quod perſpicuè ſupra demonſtrauimus) menſem diebus triginta conſtare, inſuper dies 72. quintam eſſe anni partem; dies 60. ſextam, dies 90. quartam: vt iam nemini dubium eſſe queat hac menſis, anniq; quantitate maximè Veteres fuiſſe vſos, præſertimq; Hippocratem, & Ariſtotelem in dimetienda geſtatione; ideoq; toto Cœlo eos aberrare, qui Lunarem annum, menſeſq; Lunares tricenarijs reiectis Hippocratem, Ariſtotelemq; ſecutos eſſe, noſq; ſequi debere, pertinaciter contendunt, ac ferè minantur. Quæ omnia beatiſsimus vir, ſimulq; doctiſsimus Auguſtinus cùm ſecũ ipſe reputaret, quarto libro de Trinitate, de tempore, quo Dominus in vtero ſtetit, agens, hanc per menſes tricenarios dimetiendæ geſtationis rationem, nec aliam vllam ſecutus eſt: vt iam non ſolùm Philoſophis, Medicisq; receptam, ſed Theologis, Patribuſq; Ortodoxis eam videamus: ſcripſit enim ſic eo loco. Et quadragies ſexies ſeni fiunt ducenti ſeptuaginta ſex: qui numerus dierum complet nouem menſes, & ſex dies, qui tanquam decem menſes parientibus fœminis imputantur; non quia omnes ad ſextam diem poſt nonum menſem perueniant, ſed quia ipſa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum producta comperitur; ſicuti à maioribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas. Hæc ille; qui mendacio ſtatim erit arguendus, dicens dies 276. nouem menſes, ac dies ſex conſtituere, niſi tricenariorum menſium quantitatem recipiamus, ab Hippocrate, Ariſtotele, omnibuſq; melioris notæ Auctoribus receptam. quod cùm Henricus de Gandauo ignoraret in Quodlibetis de Cõceptione Domini ſermonem habẽs; D. Auguſtinum miratur, ac ferè redarguit, quòd dies 276. nouem efficere menſes, ac dies ſex, literis prodiderit; qualem cõputum ſit ſecutus, dicens ſe neſcire: atq; eius hæc eſt oratio. Sed ratione talis conceptionis ſecundum vtrunq; modum quæſtionis competenter celebratur feſtum Conceptionis Chriſti, quod vocatur feſtum Annunciationis; & celebratur 25. die Martij, videlicet octauo Calendas Aprilis: à quo vſq; ad diẽ Natiuitatis Domini, quod eſt die 25. Decembris, videlicet octauo Calen. Ianuarij, fluxerunt 39. ſeptimanæ, & duo dies, qui ſunt decem menſes vſuales præter quatuor dies, computando 28. dies pro menſe. cõputando autem menſes Lunares in vno mẽſe 29. dies, in alio verò 30. ſunt nouem mẽſes, & decem dies. computando verò mẽſes Calendarij, ſunt nouem menſes, nec plus, nec minus. Auguſtinus autem computans menſes breuiores, neſcio qualem computum dierum in menſe ſecutus, computat

Cap. 30.

Quodlib. 15 q. 13.

" putat tantùm nouem menses, & sex dies. Hactenus Henricus, qui triplicem mensem efficiens, Vsualem, Lunarem, & Calendarij, ab optimaq; Augustini computandi ratione recedens, meritò est deserendus. ex quò tamen D. Augustini loco illud confirmare interim possumus, quod libro tertio ex eodem dicebamus; spatium videlicet decimestre hoc sensu acceptum, & quadragenarios septem perfectissimum esse tempus pariendi, ideoq;, vt rectissimè innuit D. Augustinus, Dominici corporis perfectioni dicatum; vt non immeritò dicat Henricus huiusmodi dierum interuallum regulariter esse tempus (vt verbis vtar ipsius) periodale partus mulieris inter conceptum seminis nudi & partum prolis. Neq; enim alicuius momenti est, si diebus 276. ad septem explendos quadragenarios desunt dies quatuor; nam, præterquàmquòd sunt qui dicunt, Dominum nostrum gestatum esse quadraginta hebdomadas exactè, & dies 280. satis est, vt suo loco ex Varrone, & Cēsorino admonuimus, vt partus quadragesimæ hebdomadis dies primos attingat, vt septem quadragenarijs gestatus dici mereatur. nempe quia, vt rectissimè inquit D. Augustinus, hi dies tanquam decem menses parientibus fœminis imputantur; scilicet dies 276. capiuntur pro diebus 280. Sed ad nostra redeamus. Patet igitur ex his omnibus ea tempestate Athenienses, & ex consequenti Hippocratem, & Aristotelem annum illum Lunarem nequaquam obseruasse, qui diebus 354. constare dicitur, quo priscos Græcos vsos esse pleriq; Auctorum tradiderunt; scribentes, vt illum ad Solarem reducerent, ad finem octaui cuiusq; anni 90. dies, seu tricenarios tres menses intercalasse, quos embolismos vocabant, idest interiectos; sed annum dierum 360. omnino esse secutos; quem apud Aegyptios, Alexandrinosq; fuisse in vsu, præter ea quæ supra diximus, qui elegantissimum Ptolemæi Opusculum de Inerrantium syderum significationibus legerit à nobis latinitate donatum, in lucemq; editum annis superioribus, ac simul ea, quæ disseruimus in Annotationibus, facilè intelliget: singulos enim menses diebus 30. constare in eo libello accipitur; ita ut annus diebus 360. integrari supponatur: quem vt ad Solarem reducat Auctor, residuos quinq; dies, quos vocat ἐπαγομένους, additos scilicet & intercalares adijcit; quarto quoq; anno diem sextum, qui ex quadrantibus conficitur, annectens quemadmodum paulò supra ex Herodoto Macrobio & Diodoro faciendum esse dicebamus. Item patet ex superiori disputatione tricenarios menses secutos esse; quos quidem Veteribus Græcis fuisse in vsu grauissimus etiam auctor in Apparentijs dixit Geminus, ita scribens. Aegyptij igitur secundum propriam hypotesim propositi finis, Græci verò, cùm contrariam sententiā habeant, annos agunt secundum Solem, dies verò & menses secundum Lunam. Veteres agebant menses 30. dierum; menses autem intercalares propter annum Solis. quibus verbis testatissimū facit Veteres Græcos tricenarijs mensibus fuisse vsos; quam sanè mensium, ac anni quantitatem agnouisse Hippocratem (quod & supra diximus nos esse facturos) secutumq; esse, licèt Lunarium quoq; mensium vno, aut altero in loco habuerit mentionem, vberius adhuc postquam pleriq; grauissimi viri aliter sentiunt, est nobis demonstrandum; vbi tamē antea ad superiorum confirmationē ex Sacrarum literarum auctoritate demonstrauerimus, Mosis etiam temporibus iam dictam anni ac mēsis quantitatē fuisse in vsu.

Sch. 43.

Locus quidam Sacrarum Literarum de vera dierum Noetici diluuij supputatione proponitur explicandus; tredecim notantur capita cognitu necessaria.

Cap. 58.

DOcendum igitur, ne aliunde testimonia mendicemus, Sacrarum literarū auctoritate, quę instar omnium nobis esse debet, perspicuè haberi vetustissima illa ætate annum dierum 360. mēsem dierum 30. extitisse. Neq; enim in Noetici diluuij tēpore, diebusq; ex Mosis historia computandis, cōstans aliquid proferre posse videmur, quod verbis sacris congruat, omnesq; scrupulos tollat, nisi hanc anni mensisq; recipiamus quantitatem, Mosemq; eam recepisse in sua Chronologia intelligamus: qua quidem accepta omnis funditus tollitur difficultas; quod hîc, postquam in pulcherrimam hanc & vtilissimam incidimus consíderationem, operepræcium erit ostendere, quoad eius fieri breuius poterit, sed tamen non sine magna, vt grauissimus hic locus expostulat, diligentia. Geneseos itaq; septimo sic scriptum legimus. Anno sexcentesimo vitæ Noë mense secūdo, septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnę, & cataractę cœli apertę sunt. & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. In articulo

» ticulo diei illius ingressus est Noë & c. &
» paulò post. Factumq; est diluuium qua-
» draginta diebus, & multiplicatæ sunt aquæ
» & c. & mox. Obtinuerunt aquæ terram
» centum quinquaginta diebus. & sequenti
» octauo capite. Reuersæq; sunt aquæ eun-
» tes & redeuntes, & cęperunt minui post
» centum quinquaginta dies; requieuitq; Ar-
» ca mense septimo vigesimo septimo die mē-
» sis super montes Armeniæ. At verò aquæ
» ibant, & decrescebant vsq; ad decimum mē-
» sem; decimo enim mense prima die mensis
» apparuerunt cacumina montium. cùmq;
» transissent quadraginta dies, aperiens Noë
» fenestram Arcæ & c. nec multò post. Expe-
» ctatis vltrà septem diebus alijs rursum di-
» misit columbam ex Arca. & tandem paulò
» infra. Expectauitq; nihilominus septem a-
» lios dies, & emisit columbam, quæ non est
» reuersa vltrà ad eū. Igitur sexcētesimo pri-
» mo anno primò mēse prima die mēsis immi-
» nutæ sunt aquæ super terram. & aperiens
» Noë tectum Arcæ aspexit, viditq; quòd ex-
» siccata esset superficies terræ, mense secun-
» do septimo & vigesimo die mensis arefacta
» est terra. Hæc vniuersa est Noetici diluuij enarratio, mensium dierumq; enumeratio; cuius quidem diuinæ enarrationis veram sententiam vt pro virili, annuente Deo, assequamur, tredecim antea capita vidēda nobis sunt, & accuratè definienda. Primò, cùm dicitur diluuium cępisse sexcentesimo anno vitæ Noë, statuendum est, vtrum hic sexcentesimus annus fuerit expletus, an tātummodo inchoatus: & cùm hoc triplicem possit sensum habere; vt scilicet intelligamus annum hunc primum esse totius sexcentesimi vitæ Noë; adeò vt quingentorū esset annorum, & iam 501. intraret annum; vel rursus annum hunc postremum esse sexcentesimi, ita vt Noë annorum esset 599. & 600. curreret annus ætatis illius; vel tandē primum esse post sexcentesimum; adeò vt vitæ anni Noë transacti, expletiq; essent 600. & iam sexcentesimus primus vitæ illius verteretur, cùm diluuium incepit: cùm, inquam, tripliciter hoc sumi possit; vidēdum primò quis sensus sit congruentior. Secundò inuestigandum, secundus ille mēsis, in quo dicitur diluuium incepisse, cuius anni fuerit mensis secundus; an secundus sexcentesimi anni vitę Noe; an secundus cōmunis anni ac vertentis, qui tunc currebat à Mundi initio. Tertiò, an diluuium huius mensis die decimo septimo ineunte currēteq;, an verò expleto & confecto incepisse, intelligere oporteat; adeò vt post ipsam diem 17. dies 40. veniant numerandi; vel potius ab illo ipso 17. die. & cùm Septuaginta pro 17. (quam lectionem Hebraica veritas & Hieronymus cōprobant) vt Steuchus notat in Cōmentarijs, diem 27. habeant; sed vt idem notat Steuchus, mendosissimè; quibus tamen Iosephus primo libro de Antiquitatibus adstipulatur; considerandum quid de hac lectionis varietate sit dicendum. Quartò, an intelligendum sit dies 150. vltrà dies 40. transactos esse, adeò vt dies 150. post dies 40. initium capiant; an verò in totum præterijsse 150. ita vt hic dierum aceruus ipsos etiam dies 40. complectatur; atq; ab initio diluuij, scilicet à die 17. mensis secundi veniat numerandus. Quintò, an isti dies 150. in mensem septimum, diemq; 27. illius mensis finiantur; ita vt post dies istos 150. & sic post diem 27. mensis septimi, & eo illo 27. die cęperit fieri diluuij decrementum; an verò post dies 150. postq; illorum terminum dies præterea 27. mensis septimi fluxerint; ita vt diluuium post dies 150. deficere cęperit, ante dies illos 27. mensis septimi. Sextò diligenter expendendum, vnde computandus sit mensis iste septimus; an à sexcentesimi anni vertentis vitæ Noë principio; an à diluuij initio; an demum ab anni seculo illo vertentis principio. Septimò, cùm hebraica Scriptura, cui & Chaldaica Paraphrasis consentit, pro die 27. mensis septimi, vt in latina est translatione, habeat diē 17. videndum quæ lectio existimanda sit congruentior supputationi. Octauò, cùm mensis decimus eandem nobis afferat quæstionem, indagandum à quo ipse initio veniat numerandus. Nonò, an dies 40. quos recenset Moses, postquàm decimi mensis fecit mentionem, à primo die mensis decimi auspicandi sint; an verò intelligere oporteat, mensem decimum præterijsse, diesq; hosce 40. post confectum decimum & expletum initium habere. Decimò, quo pacto intelligendum illud, quod Moses inquit, Noe vltrà expectasse septem dies alios, & mox alios septem: videndum enim an in totum sint 14. an plures. Vndecimò, à quo principio sexcētesimus primus annus, primusq; mensis, & dies primus mensis primi veniat numerandus; an ab initio vsitati, & currētis, an ab initio vertētium annorū vitæ Noe; an demum ab ipso diluuij principio. Duodecimò, quo modo verum sit secundum dierum positam supra enumerationem, videlicet quòd transactis 40. & mox 150. item dies 27. septimi mensis, adhuc

adhuc dies, qui à 27. die septimi mensis vsq; ad decimum ipsum interiacent mensem; & postremò præteritis diebus 40. alijs, & septenis illis; quo, inquam, modo verum sit, sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutas esse aquas super terram. Decimotertiò ac postremò, an vltimum illud tempus à Mose enumeratum; scilicet dies 27. mensis secundi, idem sit tempus cum primo mense, ac primo die mensis sexcentesimi primi anni, vt nonnulli voluerunt; an diuersum; demumq; quãto tempore diluuium perdurauerit: his enim expositis, definitisq; capitibus planam reddi, & facilem, multis alioqui implicatam difficultatibus, Noetici diluuij enarrationem, omnibus, arbitror, erit manifestum.

Primum & secundum caput explicantur.
Cap. 59.

VT igitur primum caput adoriamur; cõstat Caietanum & Eugubinum illius esse sententiæ, vt inchoatum vitæ Noë annum sexcentesimum intelligant; quorum quidem verba non sic ego accipio (tametsi id doctissimis quibusdam viris video placuisse) vt credam, eos velle primum totius sexcentesimi annum, cùm ita dicunt, nobis designare, vt primus verborum Mosis accipiẽdi modus nobis ob oculos ponebat; quasi diluuio incipiente, Noë 501 annorum fuisse existimauerint; sed sic accipio, vt totius sexcentesimi vltimum voluerint significare, existimantes annum suæ vitæ sexcẽtesimum Noë egisse eo tempore, quo diluuium fieri cęptum est, videlicet confectis 599. iam sexcentesimum attigisse; nam & » hoc sonant Caietani illa manifestè. Agebat » itaq; Noë sexcentesimum suæ vitę annum, » agebat mensem secundum illius anni, agebat decimum septimum diem illius mensis » secundi, quando incepit diluuium. neq; enim dicere potuisset, nisi falsò Caietanus, Noë egisse diem 17. illius secundi mensis, nisi sexcentesimi nomine, non quidem totum centesimum sextum, vt nonnulli putarunt, quasi per annorum centenarios faceret computationem, sed totius centesimi sexti postremum intellexisset, idest annum 600. iam confectis 599. cùm palàm sit in centenario sexto non posse, nec mensem, nec mensis diem accipi, nisi & antea totius centesimi vertentis annus quidam particularis designetur. Hanc igitur Caietani explicationem tanquam vero summè cõsentaneam sine cunctatione sequendam arbitror, à qua (vt video) non dissentit Eugubinus, & quã non obscurè Iosephus Antiquitatum libro primo designauit; duæ enim aliæ explicationes nullo modo quadrare possunt. nam prima, quæ sexcentesimi nomine totum sextum centenarium intelligit, & inchoatum sexcentesimum primum sexti cẽtenarij annum vult intelligi, qui esset 501. vitę Noë; adeò euidenter falsa est, adeò Mosis verbis contraria, adeò repugnans annorum numero, qui omnium ferè consensu ab exordio mundi ad diluuium computatur, vt nulla egeat confutatione. Tertia verò, quæ ponit totum sextum centenarium expletum esse, ac sexcentesimum primum inchoatum, quasi septimi centenarij primus inceperit, Scripturã ipsam manifestè habet aduersam; cùm sequenti capite habeamus, signatum à Mose tempus, quo finitum est diluuium, sexcentesimum primum vitæ Noë fuisse annum; idest vnum supra sexcentos; vt nullo modo eodem ipso sexcentesimo primo ipsum diluuium potuerit incipere. inquit enim Moses. Igitur sexcentesimo primo an- » no, primo mense & c. vt interim taceam, » annum eum, quem sexcentesimum primũ vocat, si per annorum centurias fiat vitæ Noë enumeratio, non quidem sexcentesimum primum, (cùm hoc recepto numerãdi modo sexcentesimi nulla hic annus possit esse pars, quem expletum esse ponunt) sed potius septingentesimi primum fuisse appellandum; nempè quia septimo centenario præbeat initium. Quod pertinet ad « secundum caput, dicimus Caietani senten- « tiam mensem hunc secundum, non quidem communis & currentis ab exordio Mundi, sed secundum anni sexcẽtesimi vitæ Noe facientem, sequendam omnino esse; quã sententiam ob grauissimam rationem Benedictus Pererius vir doctissimus, atq; de Theologia, ac Philosophia optimè meritus sequitur libro duodecimo suorũ Cõmentariorum, quos immortali cum laude, ac non solùm nostris, sed penè omnium gentium literis, ac linguis celebrandos in Genesim edidit: cui sanè rationi hanc ego addendã censeo; quòd clarus videatur esse verborũ sensus iuxta vsitatum omnium Scriptorum loquendi modum, secundum hunc mensem nullius alij quàm sexcentesimi vitę Noe, secundum esse posse; cùm nequeant verba nisi ad præcedentia referri; & quia menses anni sunt partes, ad annosq; referuntur, nõ possit, qui annos nominauit, menses subiungens, nisi ad expressos iam annos eos

Cap. 3.

Disp. 2.

referre; vt latiſsimè pateat, quia dixit Moſes anno ſexcenteſimo vitæ Noe diluuium fieri cęptum eſſe; addens poſtea ſecundo menſe, & die 17. huius menſis fieri eſſe cęptum, non potuiſſe niſi de ſexcenteſimi illius anni menſe ſecundo intelligere. Cæterum, quoniam, vt in præcedentis capitis enodatione dictum eſt, ſexcenteſimus hic annus erat noſtra ſententia poſtremus currens ſextæ annorum cēturiæ vitæ Noe, vixq; cęptus, non affectus, neq; confectus; intelligendum eſt, ſignificari diluuium incepiſſe anno ſexcenteſimo vitæ Noë menſe ſecundo eius anni; ideſt menſe ſecundo poſt exactum annum quingenteſimum nonageſimum nonum vitæ Noe, initium diluuij eſſe factum, nō poſt exactum ſexcenteſimū, vt nonnullis placet.

Quatuor alia capita definiuntur, ſcilicet tertium, quartum, quintum, ſextum.
Cap. 60.

AD tertium caput, quod à nullo memini eorum attingi, qui ſuas in hūc locum lucubrationes ediderunt; quodq; ad exactam huius temporis dinumerandi rationem aſſequēdam, cognitu eſt neceſſariū; reſpōdemus diem quidem hunc decimumſeptimum ſecundi menſis intelligendum eſſe (vt noſtra fert ingenij imbecillitas) cùm diluuium cępit, confectum fuiſſe; adeò vt eo ipſe die finiente Noë ingreſſus fuerit in Arcam. hoc enim Moſis verba mihi illa docere videntur manifeſtè. In Articulo diei illius ingreſſus eſt Noe. cùm enim, vt pulchrè Eugubinus animaduertit in Commētarijs, articulus non ſolùm opportunitatem temporis, ſed extremum, punctumq; ipsū ſignificet; videtur eſſe ſententia, in articulo diei illius, ideſt in extremo ipſius ac fine Noe Arcam intraſſe. Neq; huic explicationi verba Moſis aduerſantur habentia, decimo ſeptimo die ſecundi menſis, qui quidem eſt dies, in cuius articulo Noe ingreſſus eſt in Arcam, ruptos eſſe fontes abijſsi magnæ: quaſi, quia ante cęptam pluuiam, ac ante fontium eruptionem neceſſe fuit Noe Arcam intraſſe; neceſſe etiam fuerit, ſi eo ipſo die fontes rupti ſunt, ante ipſum exactum Noe ingreſſum eſſe: nam huic obiectioni facilè occurremus, ſi dicamus decimo ſeptimo die, exacto videlicet, vel certè finiente ruptos eſſe fontes Moſem intellexiſſe. quare 40. dies computandi erunt ab ipſo die 17. expleto, adeò vt ſecundi huius menſis dies, qui ſuperſunt 13. ſi menſes tricenarios admittamus, ſi cū Caietano dierū 29. oporteat dies 12. accipere, & menſis ſequentis tertij dies 27. vel 28. pro diebus 40. integrandis. Vtrum autem die 17. cū vulgata editione, aut 27. cum Septuaginta & Ioſepho legendum ſit infra in decimi capitis enodatione commodius dicemus. De quarto capite ſcio non exiguam eſſe, vt Pererius in Commentarijs notat, inter Auctores differentiam; cùm alij à fine quadragenariæ pluuiæ, ideſt à die 27. vel 28. tertij menſis diēs hos 150. computandos cenſeant; alij ab initio diluuij. quorum ego opinionem longè cenſeo eſſe probabiliorē, vt in ſequentis capitis explicatione oſtendam. itaq; dies 150. à diluuij principio, ideſt à die 17. ſecundi menſis auſpicandi erunt, dieſq; 40. continebunt; ita tamen vt ab exacto die 17. incipiat cōputatio. Quinti capitis enodationem illud nobis affert euidenter, quod ſubiungit Moſes, poſt dierum 150. enumerationem requieuiſse Arcā menſe ſeptimo die 27. menſis: quod quidē nulla alia de cauſa accuratè intuentibus apparebit adiectum, niſi vt lector doceatur, quis dierum 150. enumeratorum eſſet terminus; videlicet in quem menſem, & in quē menſis diem terminarent. quare perinde eſt ac ſi dixiſſet Moſes, & cęperunt aquæ minui poſt 150. dies; qui quidem dierum numerus in mēſem ſeptimum, in diemq; 27. menſis ſeptimi finitur; poſt quem diem exactum incipientibus aquis minui, requieuit Arca ſuper montes Armeniæ, & ſic expleto exactoq; menſis ſeptimi die 27. Sextū caput ea ratio definit, à Pererio acutè allata, ac prudenter; quòd nemo ſit, qui inducat in animum, Moſem in hac ſua tàm breui enarratione, à diuerſis principijs menſes enumeraſſe; vt cùm vnum hoc poſuerit principium, idq; quale ſit perſpicuè declarauerit, principium videlicet annorum vitæ Noe; ſine vlla dubitatione dicendum ſit ab hoc vno eodemq; principio Moſem ſibi perpetuò conſtantem menſes, dieſq; ſupputaſſe. quare menſis hic ſeptimus abſq; dubio ſeptimus erit à menſe primo, qui ſexcenteſimi currentis anni vitæ Noe primus eſt menſis. neq; vlla eſt neceſsitas, niſi omnia turbare velimus, vt alia initia excogitantes à diluuij, vel Mundi principio hos menſes numeremus. Hoc autē pacto facta computatione dies 27. menſis ſeptimi inter dies 150. eſſe recenſendos, nemo eſt, qui non videat.

Septimum caput expenditur.
Cap. 61.

SEptimum caput ipsamet dirimit supputatio; cùm satis constet, qualis qualis mensium ferè quantitas fingatur, si die 17. non 27. secundi mensis diluuium cęptum legamus, calculum ad diem 17. mensis septimi, non ad diem 27. omnino nos ducere; quam lectionem Chaldaicam quoq; sequi editionem, Eugubinus monet in Commentarijs. vt verè mihi dixisse videatur (dummodo tamen in priori loco die 17. non 27. legamus) palàm esse id mendū à Librarijs non ab Interpretibus irrepsisse; de qua etiam re Pererius quinta disputatione luculenter. quanquam si primo loco cū Septuaginta & Iosepho non 17. legamus, sed 27. contrarium omnino dicendum sit; videlicet mendum vllum neq; à Librarijs irrepsisse, neq; ab Interpretibus. Sed hîc supposita in priori loco lectione dierum 17. in secundo pariter legendum esse 17. iuxta vtrunq; dierum Noetici diluuij enumerandorum modum, iuxtaq; etiam omnia tradita diuersa ab Auctoribus principia, doceamus. Diximus alios à diluuij initio dies mensesq; ordiri, & dies primos 40. à diebus 150. seiungere; item posteriores dies vel 17. vel 27. mensis septimi ab ijsdem diebus 150. horum è numero Caietanus ita computationem instituit. Si supputaueris à die, quo incepit diluuium vsq; ad diem hunc (intelligit diem 17. septimi mensis) summabis centum nonaginta & vnum dies, qui conficiunt menses sex & dies decem & septem, deputando hæbreo more cuilibet mensi viginti nouem dies; ita quòd decimus septimus dies septimi mensis fuit centesimus nonagesimus primus dies à principio diluuij. Et hinc patet quòd numerus centum quinquaginta dierum intelligitur post quadraginta dies pluuiæ sequentes diem, quo inchoauit diluuium. Sed primùm decimo tertio Commentariorum libro ea ratione, & rectissimè quidem resistit Pererius, quòd Caietanus fictitiam mensis afferat quantitatem; cùm falsum sit apud Hębreos mensem dierum 29. extitisse, quin etiam apud alios vllos. Et certè si concedatur, quod sentimus vt liberè dicamus, Caietanum virum alioqui summum ipsa loci difficultate coactum, quia nulla alia via dierum numerum à Mose positum videbat quadrare; hanc sibi mensis finxisse quantitatem arbitramur. Secundò illud obsistit, quòd dies 40. separat à diebus 150. item & dies mensis septimi, secus quàm ipsa Mosis oratio videatur innuere. Tertiò falsum est etiam recepta Caietani computatione, ab initio diluuij ad diem 17. mēsis septimi fluxisse tantùm dies 191. nam si ipsis diebus 150. dies 40. adijciamus, assurgit summa dierum 190. quibus si dies 17. mensis septimi addantur, vt facit Caietanus, iam dies 207. non dies 191. conficiuntur, vt ipse existimauit; qui supposita mensis quantitate dierum 29. menses efficiunt expletos septem, & dies prætereà quatuor. Quòd si dies 27. mensis septimi cum vulgata editione, non 17. esse velimus; si prætereà non à diluuij initio, sed ab initio recurrentium annorum vitæ Noe calculum ducamus, iam longè insignior erit error. Neq; res planior euadit, si alium computandi modum sequamur, qui dies 40. & dies vel 17. vel 27. mensis septimi, partes dierum 150. efficit. enimuero hoc pacto ab initio diluuij ad illum terminum fluxissent tantùm dies 150. qui neq; etiam septimum mensem, vel supposita mensis Caietani quantitate, attingunt; non quòd in diem illius vel 17. vel 27. possint incurrere; longèq; minus si Lunarem mensem, qui maior est, accipiamus. atq; si ab altero principio, ab annorū videlicet recurrentium vitæ Noe initio fiat computatio, eadem ferè est difficultas; ita enim dies 197. numerarentur, qui secundū mensem Caietani mēses dant sex & dies 23. secundum Lunaris mensis quantitatem mēses sex & dies 20. Quid ergo in tantis difficultatibus, in tot sententiarum varietatibus hominum grauissimorum dicendum? Recepta igitur tricenarij mensis quantitate, anniq; dierum 360. vetustissimis illis tēporibus sine dubio vsitata, omnia meo quidem iudicio plana redduntur. cùm enim in hac ipsa dierum Noetici diluuij enumeratione vnum idemq; principium à quo ducantur, sit necessariò statuendum, nisi omnia implicata & nutabunda, varia & confusa reddere velimus; hoc ipsumq; principiū vel clarissimè ab ipso Mose recurrentis anni vitæ Noe sit positum initium; iam ab hoc ipso ad diluuij principium fluxerunt dies 47, scilicet ad diem vsq; 17. mensis secundi; quibus diebus 47. si dies 150. tùm 40. complectentes, tùm dies 17. mensis septimi, adijciantur, summa efficietur dierū 197. quæ per tricenarios menses diuisa exactè dat menses sex & dies 17. mensis septimi, quēadmodum ipsa ponit Mosis oratio. nam si primo loco, die 17. legamus, in hoc altero pro 27. numerum 17. necessariò reponendum

dum esse, supra diximus. Sed huic nostræ explicationi vna valde resistit, & ea quidem ingens difficultas; ita enim cùm diem 150. dicamus terminari in diem 17. mensis septimi, hic verò dies ille sit, quo Arca resedit; hoc pacto à die ac principio diminutionis aquarum vsq; ad diẽ, qua resedit Arca, nullus dies, nullum tempus interfuisset, quod est absurdum; ponere enim eo ipso die, quo cęperunt diminui aquæ, etiam Arcam resedisse super montes, doctis quibusdam viris videtur impossibile. Sed certè si celsissimos montes, vt Moses apertè inquit, diluuij aquæ, cùm in summo fuerunt incremento, non amplius quàm cubitis quindecim excesserunt; ipsa verò Arca, vt res ipsa docet (tanta nimirum mole, tot animalium, rerumq; grauissimo põdere onusta) doctissimiq; viri demonstrarunt, non minus quàm tredecim cubitis intra aquas esse potuit; quid est quod impediat, eadem die ad duos, tres, vel quatuor cubitos aquis decrescentibus, super montem illum resedere Arcã non potuisse? quando sine vllo præpotentis Dei particulari iussu, sine vllo miraculo, secundis tantùm agentibus causis cum vniuersali auxilio in ipso æstu maris aquæ sex horarũ spatio, vt secundo libro Pythiæ Masiliensis auctoritate refert Plinius, octogenis cubitis supra Britanniam intumescant, totidemq; resideant æquali horarum currẽte interuallo? itaq; iam nos ab istorum opinione abducamus, transferãmusq; animũ ad hanc ipsam, quam natura monstrat, ac suadet, explicationem; nec improbabile existimemus eo ipso die, quo cęperunt residere aquæ, Arcam super montes illos resedere potuisse: sed de sexto, ac septimo capite satis.

Cap. 97.

Octauum caput aperitur. Item & nonum, ac decimum proponuntur explicanda.

Cap. 62.

OCtaui definitio superioribus receptis nullam habet hæsitationem; quia .n. dictum est, præter omnem esse rationem existimare, Mosem variè & ambiguè modò ab hoc, modò ab illo principio numerare, nulla horum principiorum varietatis facta significatione, simul etiam & clarum est, mensem decimũ ab eodem principio, à quo & alios, idest ab initio fluentis anni vitæ Noe esse numerandum. In noni capitis explicatione ardua mihi existit difficultas; omnes enim hos dies 40. à prima die mensis decimi computant, Mosemq; computasse intelligunt; mihi contra, vt sibi constet in Chronologia Mosis narratio, nec se ipsa destruat, ab exacto confectoq; decimo hi dies 40. videntur computandi, quod & facilè admittit ipsa Mosis oratio; qui profectò cùm inquit. At verò aquæ ibant, & decrescebant vsq; ad decimum mensem. sine vlla dubitatione decimum mensem intelligit exactum: quo quidem tempore insigne ipsi Noe aquarum incrementum innotuisse notat. nam & propterea adiungit, vt viam, qua insigne hoc decrementum Noe cognouit, nobis aperiret. Decimo enim mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium. quasi diceret, cùm incipiente decimo mõtium vertices Noe apparuissent; iam ipso expleto insigniter visæ sunt aquæ illi decreuisse; eius videlicet oculo ab ipsis montium verticibus, qui antea apparuerunt, decrementum aquarum quantum esset, facilè dimetiente: quare & cùm adiungit. Cùmq; transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram Arcæ, quã fecerat. absq; vlla dubitatione intelligit, cùm transissent ab ipso exacto decimo ob allatam rationem, ad quem vsq; iuisse & decreuisse aquas, supra scripserat: quod si ponamus, sibi in Chronologia Mosis narratio omnino constabit; cũctosq; menses ac dies anni huius sexcentesimi, videbimus ab eo per partes pulchrè & eleganter dinumeratos. quãdoquidem diem 17. mensis secundi huius anni ponens, primò dies necessariò 47. antecedentes, mensem videlicet primum, ac secundi partem recensuisse videmus. deinde addens, dies 40. ac simul 150. iam enumeratos 40. comprehendentes, atq; in diẽ 17. mensis septimi dicens finire; & reliquã secundi mensis partem, & totum tertium, quartum, quintum, sextum, ac partem septimi, scilicet dies ipsius 17. necessariò pariter enumerat; quæ summa, vt superius vidimus, dies 197. comprehendit. Item addens ab hoc termino decreuisse aquas vsq; ad decimum mensem, scilicet vt nos intelligimus, expletum, partem reliquam septimi mensis simulq; octauum, nonum, ac decimum sexcentesimi huius anni vitæ Noe, perspicuè dinumerat; quæ quidem summa, si pro octauo, nono, ac decimo dies 90. sumamus, & pro ea, quæ superest, parte septimi mensis dies 13. dies dabit 103. qui additi diebus 197. dierum faciũt aceruum 300. qui iuxta menses tricenarios, decem exactos menses conficiunt; quibus si adijciamus dies 40. quos post decimum confectum trãsactos esse Moses commemorat; habebimus

sum-

summam dierum 340. quæ menses tricenarios vndecim integros, ac duodecimi prætereà dies decem nobis affert. itaq; ad annum integrandum, quem diebus 360. constare, Mosem intellexisse supponimus, dies supersunt 20. quos quidem si in decimi capitis enarratione monstrabimus à Mose esse dinumeratos; iam & menses omnes, diesq; anni cunctos sexcentesimi vitæ Noe ipsũ recensuisse, omnino constabit. quærebamus enim decimo capite, quo pacto Mosis illud intelligendum, quod scribit. Expectatis autem vltrà septem diebus alijs, rursum dimisit columbam ex Arca. & mox. Expectauitq; nihilominus alios septem dies, & emisit columbam. Cùm enim dicat transactis 40. diebus Noe fenestram Arcæ aperuisse; primòq; coruum dimisisse, & post eum columbam; quæ reuersa est, cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius; deinde adijciat, expectatis vltrà septem diebus alijs rursus ex Arca columbam dimisisse, quæ cum ramo oliuæ reuersa est; proculdubio ab ipsa fenestræ apéritione post dies 40. facta, ac corui & columbæ primam emissionem dies aliqui interfluxerunt, ab ipsis 40. diebus enumerandi, illisq; adijciẽdi; quod & ipsa Iosephi in hanc scribentis sententiã primo libro Antiquitatum enarratio satis docet: cuius verba præstat expendere, demonstrareq;, si rectè intelligantur, quàm exactè omni ex parte cum nostra congruãt explicatione.

Cap. 3.

Verba Iosephi quędam afferuntur, & ventilantur. Cap. 63.

INquit igitur Iosephus. Contigit autem hæc vastitas anno ætatis Noe sexcentesimo mense secundo. & mox. Vim autem imbrium cœpisse ait vigesima septima iam dicti mensis, post annum ab Adamo primo homine bis millesimum sexcentesimũ quinquagesimum sextum. & tandem non multò post. Cęterum Deus signo dato imbres emisit; qui cum nonaginta continuis diebus ruerent, ad quindecim cubitos aqua super terram extitit, quæ causa omnem salutem ademit, non habentibus quò se in tutum reciperent. Centesima autem & quinquagesima die, postquam pluere desijt, tandem cęperunt aquæ sidere mense septimo vigesimo septimo die mensis. Destituta deinde Arca in vertice montis cuiusdam Armeniæ, sentiens hoc Noe, aperuit eam, & videns circa ipsam aliquantulum terræ meliore spe concepta paulisper quieuit. mox post paucos dies, magis recedente aqua emisit coruum, cupiens cognoscere, si qua alia parte terrarum aquæ decessissent, vt tutò exscendere posset. At ille comperto totum adhuc stagnare, ad Noe est reuersus: is post septem dies columbam ad explorandũ terræ statum emisit; quæ cùm lutata, & frõdem oliuæ ferens redijsset; intellecto terram à diluuio iam esse liberam, postquam alios septem dies expectasset, animantes ex Arca emisit. Hæc Iosephus iuxta Sigismũdi Gelenij interpretationem, quam tamen à Ruffini Præsbiteri translatione veteri in nonnullis non parum diuersam inuenio. Primùm autem illud in hac tota enarratione diligenter notandum est, quòd Iosephus, vt Gelenius interpretatur, nõ quidem die 17. mensis secundi cœptum esse fieri diluuium dicit Mosem scripsisse; quemadmodum tamen & vulgata nostra habet editio, & volunt omnes; sed (quod & supra dictum est) die 27. hoc idemq; Ruffinus habet in sua versione his verbis. Pluuiam verò inchoasse dicit septima & vigesima die præsentis mensis. quibus & græcum assentitur exemplar, in quo scriptum legimus. τὴν δ' ἐπομβρίαν ἄρξασθαι φησὶν ἑβδόμῃ τοῦ προκειμένου μηνὸς καὶ εἰκάδι. idest. Pluuiam autem incepisse dicit septima & vigesima die propositi mensis. cum qua quidem lectione consentire Septuaginta supra dicebamus, qui habent ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι τοῦ μηνὸς. idest septima & vigesima die mensis. quod sanè cùm Eugubinus animaduertisset, deprauatam esse apud Septuaginta lectionẽ se arbitratũ esse, supra adnotauimus. Sed certè cùm infra Iosephus post dies 150. aquas sidere cępisse scribat iuxta Gelenij versionem (tametsi Ruffinus & Gręcus fortasse Codex aliter habeant, qua de re infra dicam) mense septimo die 27. mensis, cum nostra vulgata consentiens editione, & cum ipsis Septuaginta, qui eundem numerum dierum mẽsis septimi exprimunt (quo tamen loco plerıq; sentiunt cum Hębraico contextu, & cũ Chaldaica Paraphrasi legendum esse 17. die non 27. vt supra vidimus) palàm est, si secũdo loco cum nostra vulgata, cum Septuaginta, & Iosepho septimi mensis diem 27. legamus; priori in loco cum ipso Iosepho & Septuaginta legendum esse die 27. mensis secundi pluuias incepisse; nimirum, vt ab initio sexcentesimi currentis anni vitæ Noë ducta computatione ad Arcę quietem, & principium decrementi ipsius diluuij, menses septem diesq; 27. ipsius mensis, vt Moses inquit, numeremus. Si enim die 27.

secun-

secundi mensis pluuiæ cœperunt, ergo dies 57. iam præterierant; quibus si addamus 150. dies, summa efficietur dierum 207. quę menses complectitur tricenarios sex, & dies 27. mensis septimi, vt vulgata ponit editio; cuius lectionis cùm Septuaginta & Iosephus probatores sint, & sectatores, certè illius, quod tertio capite citra enodationem relictum est, patet dissolutio: hic enim tantorũ testiũ cõcursus die 27. septimi mẽsis, nõ 17. legẽtiũ, probabiliorẽ dierũ 27. primo loco reddit lectionẽ, quam Septuaginta & Iosephi similiter probat auctoritas; vt cõtra quàm omnes hucusq; censuerint Auctores, Eugubinusq; tradiderit in Commentarijs, & ex secundo loco prior corrigendus sit, & omnino putãdum in primo non in secundo loco mendum irrepsisse. Secundò illud tanquam omnino mẽdosum reijciendũ, quod habetur, post annum ab Adamo bis millesimum sexcentesimum quinquagesimũ sextum diluuij principium extitisse; quem etiam annorum aceruum Ruffini exprimit interpretatio dicentis. Et vsq; ad hoc tempus ab Adam, qui primus creatus est, anni fuerũt duo millia sexcẽti quinquaginta sex. est enim constans omnium ferè sententia multitudine, & auctoritate asserentium valde comprobata, ab initio mundi ad Noetici vsq; diluuij principium annos tantùm mille sexcentos quinquaginta sex recenseri; quod & Pererius recipit in Commentarijs, & in Cathalogo ad suas Prutenicas memorabilium rerum gestarum notauit insignis mathematicus Rheinoldus. qui tamẽ error ex græci codicis deprauatione emanauit, in quo idem pariter scriptũ his verbis habemus. χρόνος δὲ οὗτος ἀπὸ Ἀδάμου τοῦ πρώτου γεγόνοτος ἐτῶν ὑπῆρχε διτχιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα ἕξ. idest. huiusmodi autem tempus ab Adamo primo homine fuit annorum duo millia sexcentorum quinquaginta sex. vt satis constet pro δισχιλίων, legendum esse χιλίων. Tertiò & alter ille expungendus error, quòd diebus 90. imbres ruerint; cùm dies 40. omnium cõsensu à Mose continuis pluuijs sint dicati. quare vereor, ne hic sit potius Gelenij, vel Impressorum lapsus, quã in contextu Iosephi mendum; cùm Ruffinus habeat dies pariter 40. inquit .n. Igitur decernente Deo, & incipiente pluere, aqua cunctis diebus 40. ferebatur. cui & græcũ consentit exemplar, ita habens. τὸ ὕδωρ ἡμέραις τεσσαράκοντα ὅλαις κατεφέρετο. idest. aqua diebus quadraginta continuis decidebat.

Lib. 12. Disp. 2.

Adhuc Iosephi allata superius verba enarrantur. Cap. 64.

QVartò & illud diligenter considerandum; nullam, meo quidem iudicio, esse necessitatem, vt dicamus Iosephum initium dierũ 150. à fine quadragenariæ pluuiæ ducere; tametsi non me latet id doctis viris valde placuisse. habet enim Gelenij interpretatio, vt vidimus. Centesima autem & quinquagesima die (postquam pluere desijt) tandem cœperunt aquæ sidere mẽse septimo vigesimo septimo die mensis. Atqui non vult fortasse Iosephus dicere, die 150. postquam pluere desijt, cępisse aquas decrescere; quasi à fine dierum 40. & quadragenariæ pluuiæ hos 150. dies enumerauerit: sed cùm præfatus esset paulò supra, diebus 40. continuis ruisse imbres; dicere voluit, cùm iam imbres quieuissent, qui dierum 40. spatio perdurarunt, die 150. ab ipso videlicet imbrium ortu & initio, residere aquas cępisse; quem sensum facilè Ruffini etiam admittit interpretatio, sic habẽs. Quiescente autem pluuia aquæ vix centum quinquaginta diebus defecere quasi mense septimo. quo loco valde est diuersus Ruffini contextus à Geleniano; cùm nulla apud Ruffinum de diebus 27. mensis septimi sit mẽtio; sed quædam potius subijciantur, quæ verè nullam videntur cùm superioribus habere connexionem. habet enim ipsius exemplar. Quo instante paulatim inchoauit latens herba apparere. Apud gręcum autem codicem sic inuenio. παυσαμένου δὲ τοῦ ὑετοῦ, μόλις ἤρξατο ὑποβαίνειν τὸ ὕδωρ ἐφ' ἡμέραις ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα, ὡς μηνὶ ἑβδόμῳ, ἱσαμένου δὲ ἑβδόμῃ. quod mihi veram huius loci sentẽtiã lõgè reddit difficiliorẽ, cùm gręca lectio cum neutro Interprete cõsentiat. Sonat enim sic si verbum è verbo exprimamus. Quiescente autem pluuia tandem cœpit aqua residere diebus 150. nimirũ mẽse septimo, incipientis autem crescentisq; erat dies septima. At enimuero palàm est Ruffinum vocem illam, ἱσαμένου, interpretatum esse, quo instante, & omnino perperam. significat enim propriè prima pars græcanici mensis, qui diebus constabat 30. quem Græci, vt omnibus est notum, in tres decadas seiungebant; prima vocantes μηνὸς ἱσαμένου, siue ἀρχομένου, secundam μεσοῦντος, tertiam φθίνοντος; sæpè quotus esset dies harum trium decadum adiungentes, vt fortasse hoc loco Iosephus. quod ex Scholiaste Aristophanis, Polluce, Plutarcho, & alijs facilè quisq; discet. quod tamen nullo pa-

lo pacto quadraret hoc loco; quia hoc modo nō quidem vigesimaseptima die mensis septimi, sed septima diceret Iosephus cœpisse aquas re sidere. Nisi velimus Iosephum, vel certè Geleniū in ipso Iosepho, ἱσταμένου nomine vigesimum mensis diem intellexisse, quemadmodum aliquando intelligi solet, tametsi errore non mediocri, vt ex eodem Polluce colligere liquet: nam & sunt qui scribunt, ἱσταμένου μηνὸς, mensem significare vsq; ad diem vigesimum. quo quidem pacto, si dies septem clarè in contextu positos adijciamus, à Gelenio expressa sētentia vera erit, videlicet mensis septimi die 27. cœpisse aquas residere. Cæterum, vt eò redeat, vnde digressa oratio est, ex verborū etiam græcorum serie perspicuum est, non solùm nullam esse necessitatem, vt dies 150. à fine quadragenariæ pluuiæ, idest à die quadragesimo, numeremus, sed summam è contra adesse probabilitatem, vt hos ipsos 150. dies ab initio imbrium, à quo & dies 40. numerantur, supputemus. est enim sētentia ad verbum expressa. Quiescente autem pluuia, & subaudiendum necessariò ex superioribus, die quadragesimo postquàm pluere cœpit: tādē cœpit residere aqua diebus 150. idest postquàm pluere cœpit; ita enim supplendum esse locum, satis monstrat series orationis, vt si quiescente pluuia ad dies 40. aquæ ad dies 150. cœperunt deficere; certè à pluuiæ ortu Iosephum dies 150. computasse, omnino intelligere debeamus. qua quidem recepta explicatione, videmus, cur scriptum reliquerit, cœpisse aquas residere, idest minui mēse septimo; quod tantoperè doctissimos quosdam viros torsit, vt nullo modo sententiam eius cohærere posse literis mandauerint; item videmus, eum in nulla re à nostra opinione esse dissentaneum: cùm & dies 40. commemoret, & mox 150. quos vult iam commemoratos 40. complecti; & hos dies 150. velit in mensem septimum, inq; diem 27. mensis septimi terminare; idq; tempus ab initio sexcentesimi anni vitæ Noe percēseat. quos quidem dies supra collegimus (si cum eo die 27. secundi mensis ruptos esse fontes statuamus) numero esse 207. mensesq; sex expletos, & dies 27. septimi conficere, vt colligit Iosephus; quod solùm iuxta quantitatem tricenūm mēsium veritatem habet. postremò (quod maximum est) videmus eadem ipsa die mensis septimi 27. & quod in idem redit, die 150. velle Arcam super mōtes resedisse; proindeq; eadem ipsa die, qua diluuij aqua decrescere cœpit. siquidē cùm dixisset, centesimo quinquagesimo tandem die mense septimo die 27. aquas cœpisse decrescere, statim sequitur. Destituta deinde Arca in vertice montis cuiusdam Armeniæ & c. Quibus verbis perspicuè mōstrat, nullum intermedium diem inter initiū decrementi aquarum, & Arcæ quietem se agnoscere; sed omnino velle, cùm 150. die cœpissent aquæ minui, statim deinde Arcā resedisse. Quintò accuratè illud expendēdum, quod inquit Iosephus; Noe aquis residentibus, & requiescente Arca, aperuisse eam, & cùm vidisset aliquantulum terræ, meliore spe concepta paulisper quieuisse; mox post paucos dies magis recedēte aqua emisisse coruum; huius enim præsertim rei gratia totam suscepimus enarrandam Iosephi Chronologiam; cùm ex hoc manifestè colligatur, ab aperitione Arcæ ad corui emisionem dies aliquot interfluxisse, quod nobis consiliū erat ostendere. inquit enim apertè Iosephus. Mox post paucos dies magis recedente aqua emisit coruum. quare & dies aliquos ab Arcæ aperitione ad corui egressum transactos esse omnino intelligit; quod & à Mosis verbis non est alienum. quandoquidem, tametsi in eo à Mosis narratione Iosephus videatur esse diuersus, quòd coruum primò emissum à Noe narrat, & non columbam; cùm tamen Moses dicat post coruum columbam quoq; emissam esse, quasi eodem tempore emissam esse velit; quæ cùm non inuenisset, vbi requieuisset pes eius, in Arcam reuersa est; nihilominus ipse quoq; Moses, hos dies ab aperitione Arcæ ad corui, columbæq; primam emisionē interfuisse, satis nobis clarè significat; & quod magis est, nec video ad hanc vsq; diem ab vllo animaduersum, quot fuerint dies illi, non leui docet coniectura. siquidem postquàm reuersam esse columbam in Arcam dixisset, statim sic postea sequitur. Expectatis autem vlterà septem diebus alijs, rursus dimisit columbam ex Arca. at non poterat dicere, expectasse Noe alios septem dies à prima columbæ emisione ad secundam, nisi & septem quoq; prius pariter expectasset ante primam emisionem: videlicet ab aperitione Arcæ ad corui primum, & post eum ad columbæ egressum. quare dies illi, quibus ab aperitione Arcæ ad corui emisionem paulisper quieuisse Noe scribit Iosephus, sine vlla dubitatione vel significante Mose perspicuis verbis septem numero fuerunt à diebus 40. numerandi. At enimuero post primos hos septem dies ab aperitione Arcæ ad corui

corui,& columbæ primam emiſsionem,quæ ſtatim redijt,cùm non inueniſſet, vbi pes eius requieſceret, quoniam aquæ erãt ſuper terram, & à Noe apprehenſa illata in Arcã fuit, ſeptem alios dies expectaſſe Noe Moſes narrat; quibus præteritis,inquit,columbam rurſus ex Arca dimiſiſſe, quæ redijt oliuæ ramum in ore portans; fuitq; hic ſecũdus columbæ exitus ex Arca; item & reditus ſecundus; quare ab aperitione Arcæ ad ſecundum columbæ exitum dies 14. interfluxerunt. At poſt hunc ſecundum columbæ exitum expectaſſe nihilominus Noe ſeptem alios dies adiungit Moſes; poſt quos narrat, emiſſam eſſe ab eo columbam, quæ amplius non redijt. ſcribit enim. Expectauitq: nihilominus ſeptem alios dies, & emiſit columbam, quæ non eſt reuerſa vltrà ad eum. At enimuero ſi hi poſtremi dies ſeptem diebus 14. adijciantur, erunt in totum dies 21. ab ipſa Arcæ aperitione ad tertiam ac poſtremam columbæ emiſsionẽ numerandi; quos diebus 40. addere oportet. at dies 40. additos diebus 300. quos ſupra collegimus, diximuſq; decimũ menſem exactum terminare, videmus efficere ſummam dierum 340. cui ſummæ ſi adiungamus dies 21. quos monſtrauimus ab ipſo die 40. & quod in idem redit, ab ipſa Arcæ aperitione ad vltimum columbæ exitũ præterijſſe, aſſurget in totum ſumma dierum 361. qui (cùm annus à Moſe receptus eſſet dierum 360.) annum conficiunt exactum,& ſupereſt adhuc vnus dies. atqui annũ hunc ſexcenteſimum eſſe currentem vitæ Noe, & ſupra dictum eſt, & per ſe clarum eſt, ac euidens; itaq; dierum 361. aceruus annum hunc habebit ſexcenteſimum vitæ Noe exactum, & primum præterea diem menſis primi anni ſexcenteſimi primi vitę Noe. quid ergo mirum, ſi ſtatim ſic Moſes concludit? Igitur ſexcẽteſimo primo anno, primo mẽſe, prima die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram. vidit enim diuinus vir,quòd à prima die primi menſis anni ſexcenteſimi vitæ Noe dinumeratione facta dierum eorum, quos recenſuerat,ſupputatio eum ducebat ad primam diem primi menſis anni ſexcenteſimi primi vitæ Noe; quare & rectiſsimè concluſit, ſexcenteſimo primo,ſcilicet vitæ Noe anno, primo menſe, prima menſis die aquas ſuper terram eſſe imminutas.

Reliqua, quæ ſequuntur, capita enodantur. Oſtenditur menſem tricenarium & annum dierum 360. omnino Moſi fuiſſe cognitum.

Cap. 65.

CAEterum his ita conſtitutis, & decimũ caput, & tria quoq; ſequentia facillimè enodari nemo eſt, qui non videat;cùm perſpicuum ſit dies illos ter ſeptenos eſſe, &, quod vndecimo capite quęrebatur, ſexcenteſimum primum annum, primum menſem, ac diem ab eodem principio eſſe numerandum, vt ſibi perpetuò conſtans Moſis ſit oratio, à quo & ſexcenteſimus ſupra poſitus numeratus eſt, à principio ſcilicet vitæ Noe;& quod duodecimo itidem vocabatur in dubium, quo nempe modo dies à Moſe in Chronologia poſiti nos ducunt ad ſexcenteſimum primum annum, primum menſem, ac diem primum, vt ipſe concludit; quando ex ſuperioribus conſtet,ſi ſexcenteſimi anni vitę Noe dies primos 47. accipiamus, qui ab anni initio ad diem, poſt quem confectum diluuium cœpit fieri, fluxerunt; hiſq; diebus 47. qui menſem vnum dant tricenarium, ac dies præterea 17. mẽſis ſecundi, dies imbrium 40. adijciamus, qui in diem 27. tertij menſis incurrunt;huicq; ſummæ, quæ dies cõtinet 87. dies 110. adiungamus,qui diebus 40. deſunt:vt aceruus aſſurgat dierum 150. quos à diluuij principio ad principium decrementi ipſius fluxiſſe narrat Moſes; qui dies efficiunt in totum 197. & in diem 17. menſis ſeptimi terminant, vt ſuperius vidimus; diebuſq; 197. adijciamus dies 103. pro ea parte ſeptimi menſis,quæ ſupereſt,& pro octauo,nono, ac decimo expletis; efficiturq; in totũ ſumma dierum 300. huicq; dierum aceruo addamus 40. dies, quos Moſes ſcribit à decimo menſe eſſe tranſactos, demumq; dies 21. quos paulò ſupra collegimus præterijſſe; ſi inquam hos omnes dies ſimul iungamus, palàm ſit dies effici 361. & ex conſequenti ad ſexcenteſimũ primum annũ vitæ Noe,ad primũ menſẽ,ad primũq; mẽſis diẽ perueniri, vt ſcripſit Moſes. idẽq; ſequitur ſi cum Septuaginta & Ioſepho die 27. menſis ſecundi diluuium cœptum eſſe fieri dicamus, vt quiſq; adhibito calculo ex ſe cognoſcet. quod quidem totum cùm verum eſſe ſuppoſita tantùm mẽſis tricenarij quãtitate, & anno dierum 360. inueniatur; reſtat,vt ex diluuij Noetici narratione euidẽtiſsimè colligatur (quod nobis erat propoſitum demonſtrare) Moſis ætate & annum dierum 360. extitiſſe, & menſem dierũ 30.

vt hac in re maximè laudandus Caietanus videatur, qui & acutè vidit, & nobis doctè explicuit veritatem, ita scribens. Annus porrò apud Veteres constabat trecentis sexaginta diebus iuxta numerum graduum signorum Zodiaci, vnicuiq; gradui diem vnum assignando. talisq; fuit annus Solaris apud Græcos, & Romanos, &, vt creditur, etiam apud Aegyptios; eundemq; fuisse tépore Mosis, & Noë, licet colligere ex hac Chronologia diluuij. Enimuero tametsi Caietani computatio, vt rectissimè Pererius illi obijcit, cum hac anni ab eo recepta quantitate non congruat, illa præsertim de causa, quòd menses facit dierum 29. quo pacto annus, qui duodecim mensibus integratur, diebus constaret 348. non 360. vt ille ponit; non est tamen negandum, non esse ab eo verè dictum, hanc anni magnitudinem temporibus Mosis fuisse vsitatam, eaq; Hebræos vti potuisse, verèq; Mosem in recésendo diluuij tempore fuisse vsum; quod doctissimus Pererius libro septimo suorum Comméntariorum aliquo pacto videtur cócessisse, scribens, si dies, quos hoc loco numerat Moses, per vnum annum sexcentesimum vitæ Noe recenseantur, reperiri ad trecentos sexaginta; tametsi id ægrè postea concedere hoc loco videatur. Aegyptios enim annum habuisse dierum 360. mensem dierum 30. Herodoti, Macrobijq; auctoritates superiori disputatione à nobis allatæ, probant euidenter. nam scribit Herodotus citato loco. Primos Aegyptios constat annum comperisse distinguentes eum in duodecim temporum menses. & mox Aegyptij verò tricenis diebus singulos menses taxantes &c. & Macrobius etiam apertius. Aegyptij tricenûm dierum omnes menses habent trecentorum sexaginta tantùm dierum annum habent. vt eum, qui id neget, non possimus, si cócedatur, quod sentimus, vt liberius dicamus, non accusare. quid enim? hic solus auctor aperta non videt, qui propter acumen occultissima perspicit? solus non intelligit, se hac sua negatione nihil proficere? non intelligit, si id negetur, duplicari in Mosis explicanda oratione solicitudines, & difficultates, quas eleuare sua se doctrina postulat? Neq; enim alicuius momenti est, quod dies quinq; adiectos anno Aegyptiaco hi Auctores scribunt; nam & dies illos adiectitios fuisse, & intercalares, neq; in anni Aegyptiaci magnitudinem computandos, idemq; effecisse, quod mensium apud alias gentes efficiebat intercalatio, satis res ipsa docet; quos quidem menses intercalares, si quis diceret ad anni magnitudinem pertinere, is certè desipere videretur. quare potuerunt Hebræi hunc accipere ab Aegyptijs annum (à quibus pleraque alia sumpserunt) sed tamen aliam sequi potuerunt intercalandi rationem; quod Græcos quoq; fecisse, Herodoti testimonio supra vidimus; qui anno dierum 360. recepto, mense dierum 30. nõ tamen dies illos quinq; singulis annis intercalabant, sed tertio quoq; anno mensem, vt idem scribit Herodotus. vt prætercam si etiam eandem intercalandi rationem secuti essent (quod maximè capio lectores animaduertere) quia tamen adiectitij hi dies verè anni magnitudinem nõ ingrediuntur, potuisse & ipsos Hebræos, & Mosem, & quemuis alium auctorem, qui hoc anno res ipsas metiebantur, nullam horum dierum habendam sibi esse rationem, rectissimè existimare, sed tantùm ipsius anni, qui mensibus duodecim, & diebus 360. ponitur cóstare. Itaq; mihi non est dubium, hac anni magnitudine Mosem in Noetici diluuij tempore computando fuisse vsum; idq; rectissimè scripsisse Caietanum: qui tamẽ cùm non intelligeret, in hoc anno dierum 360. mensem fuisse necessariò dierum 30. (quod ex Veterum nihilominus scriptis facilè colligere potuit) tùm in constituenda mensis magnitudine, tùm in ipso dierum calculo colligendo insigniter est deceptus.

Quæst. 2.

Adhuc nonnulla de decimotertio, ac postremo capite.

Cap. 66.

QVod autem decimo tertio, ac postremo capite quærebatur, an scilicet tempus illud, quod in Chronologiæ Noetici diluuij calce posuit Moses, idest secũdus mẽsis & dies 27. ipsius, idem sit tempus cum primo mense, ac prima die sexcentesimi primi anni supra relati, an diuersum; superioribus intellectis facilè haberi, satis est perspicuum: postremum enim tẽpus à priori diuersum esse palàm est; vt iurè ac meritò à doctissimo Pererio hac in re Caietanus redarguatur libro decimo tertio Commentariorum, qui idem vtrobiq; tempus significari voluit, à varijs tamen principijs cõputatione ducta; quod certè dictu est absurdissimum, cùm ab eodem perpetuò initio dies, mensesq; Moses computauerit. Itaq; fuit verè dies 27. mensis secundi sexcentesimi primi anni vitæ Noe, quando terra penitus arefacta Noe egressus est ex Arca;

Disp. 9.

ca; fuit verè dies primus mensis primi sexcentesimi primi anni vitæ Noe, quando imminutis aquis super terram aperiens Noe tectum Arcę aspexit, viditq; exsiccatam esse terræ superficiem; atq; ab exsiccatione ad arefactionem dies interfluxerunt 57. quot videlicet à die prima primi mensis ad diem 27. secundi mensis sexcentesimi primi anni vitæ Noe numerantur. atq; secundum hanc calculi rationem diluuium totum perdurauit, mansitq; Noe in Arca diebus 370. quales nempe sunt inter diem 17. mensis secũdi sexcentesimi anni vitæ Noe, quo die ingressus est in Arcam, & inter diem 27. mẽsis secundi sexcentesimi primi anni vitæ eiusdem, quo die Arca egressus est. qui sanè dierum aceruus menses tricenarios dat duodecim, ac dies præterea decem. quòd si cum Septuaginta & Iosepho non die 17. secundi mensis, sed die 27. diluuium cœptum esse, & Noe ingressum in Arcam dicere velimus; iam patet diluuij durationem diebus 360. circunscribi; quot scilicet sunt à die 27. mensis secundi sexcentesimi anni vitæ Noe ad diem 27. mensis secundi sexcẽtesimi primi anni vitæ eiusdem; vt vniuersum diluuij tempus annuo spatio contineri sit manifestum. quod cùm longè probabilius videatur interuallum, quàm si dies prętereà decem adijciantur; nempe quia annus periodus sit perfecta, & ad rem tantam dimetiendam longè aptior; longè etiam reddit lectionem dierum 27. primo loco probabiliorem. ita enim & diem 27. secundi mensis, scilicet diluuij initium, & Noe ingressum in Arcam; & diem 27. septimi mensis anni sexcentesimi, scilicet initium pariter decrementi aquarum diluuij; & diem 27. secundi mensis sexcentesimi primi anni, finem scilicet ipsius diluuij, & Noe ex Arca egressum, summa sibi videbimus consensione respondere. Sed hactenus monstratum sit ex Noetici diluuij Chronologia satis apertè colligi, & annum dierum 360. & mẽsem tricenarium vetustissimis illis temporibus fuisse vsitatum; nunc Hippocratem hoc ipso mense & anno fuisse vsum, superest vt ostendamus.

Quòd Hippocrates menses tricenarios agnouerit, illisq; in partus supputatione vsus sit.

Cap. 67.

PRimùm igitur locus ille in testem adducatur ex libro de Principijs in calce, vbi Hippocrates partum dierum 280. nouẽ mẽsium, ac decem dierum partum esse scribit; partum verò septimestrem, dierum 210. eiusq; hæc est oratio. Nouem verò mensiũ & decem dierum partus fit, & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum. Quatuor enim denarij hebdomadum dies sunt ducenti & octoginta: in denarium autem hebdomadum septuaginta dies incurrunt. habet autem & septimestris partus tres denarios, siue decadas hebdomadum: & in vnaquaq; decade septuaginta dies. Tres verò hebdomadum decades ex toto sunt dies ducenti ac decem. Hæc ille; quibus, vt videmus, dies 280. menses nouem complecti ac dies decem affirmat; dies 210. menses septem terminare. at si tricenarios menses non admittamus, quomodo ab oscitantia Hippocratem tuebimur? siquidem iuxta Lunarium mensium rationem, dierũ scilicet 29. cum dimidio, dies 280. sunt menses nouem ac dies quatuordecim cum dimidio, nequaquam decem, vt Hippocrates affirmat: dies verò 210. in quartum octaui mensis diem incurrunt; itaq; octomestris huiusmodi partus appellandus erat, non septimestris: quem tamen, vt videmus, septimestrem Hippocrates vocat. ex quò & dierum hunc numerum Macrobius grauissimus auctor Hippocratis, vt reor, permotus auctoritate, primo libro de Somno Scipionis septimum testificatur mẽsem explere ita scribens. Hæc sexies multiplicata creant decem & ducentos; qui numerus dierum mensem septimum claudit. vt ex hoc loco apertissimè colligatur, in humani partus tempore computando tricenûm mensium habendam esse maximè rationem.

Sch. 20.

Proinde verba Hippocratis explicans Lalamantius fatetur tricenarios menses illum sequi. quod quidem Galenum fortasse impulit, vt secundo de Crisibus totidem diebus mẽsem diceret integrari. scripsit enim.

Cap. 2.

Diem autem per totum hũc sermonem nostrum in eo accipiemus significatu, vt non solùm lucem, sed noctem etiam complectatur: sicuti & mensem ex triginta diebus constare dicimus. quod secundo de Diebus Decretorijs videtur confirmasse, perspicuè statuens dies 120. quatuor esse mensium tempus; quod de tricenarijs tantùm mensibus habet veritatem.

Cap. 13.

Secundum testem, ac eum quidem locupletissimum, quẽ etiam paulò supra adduximus, secũdo Epidemion habemus; vbi idem scribit Hippocrates, nouem Græcanicos menses diebus 270. integrari; inquit enim. Et ad septuaginta ac ducentos dies Græci mensis fiunt scilicet nouem. itaq; Græcorum, Hippo-

Sect. 3.

cratisq; menses tricenarij sunt, vt superius Aristotelis auctoritate docebamus. Nec obstat Galeni dictum in Commentarijs super Opusculo de Septimestri Partu, Hippocratem scilicet hoc loco dubitare, ibi verò iam hæsitare desinentem, non tricenũm mẽsium, sed Lunarium quantitatem recepisse; eò quòd, si quis tricenis constare menses existimet, exactè ad dierum rationem nonomestres non respondeant; enimuero nec dubitare eo loco Hippocratem quisq; locũ ipsum perpendens facilè cognoscet; nec vllo modo cogere hanc Galeni rationem: cùm non sit necesse, vt exactè semper fœtus in vtero maneat ac gestetur nono adamussim expleto; si id modò est, quod verbis illis alioqui obscuris obijcere Galenus voluit; qui tamen & tricenarios menses recepit, vt paulò supra vidimus, & ab ipsa ductus veritate sexto Epidemicon Hippocratis illa explicans. Dolores per circuitus fiunt, qui autem in 70. mouetur, is triplicato numero perficitur & c. eosdem confirmauit ita scribens, Videtur hic innuere numerum dierum, in quibus partus absoluuntur, & in lucem eduntur; quia verò & septimo & nono mense vitales eduntur, ideo ex duplici eorum motu vtrunq; tempus designat. qui enim in septuaginta diebus mouentur, ij triplicato hoc dierum numero perfecti, & absoluti redduntur, & foras erumpunt: facilè enim subducere quiuis rationem potest ex tot diebus, quot sunt ex triplicato eo numero, septem menses confici; præsertim cùm iam probauerimus, in hoc partu intelligi mensem, qui triginta dies capiat. septuaginta enim ter ducta numerum dierum ducentorum, ac decem conficiunt; sicuti nonaginta ter ducta numerum dierum ducentorũ & septuaginta, ex quibus nouem menses constant, absoluunt. Hæc ille; qui & tricenarios mẽses in gestationis computationem adhibendos, & dies 210. septimestre spatium definire, dies 270. nonomestre perspicuè docet; vt vel ex hoc vno facilè mihi persuadeam, fragmentum illud super librũ de Partu Septimestri nullo modo Galenum habuisse auctore; cùm ex hac ipsius sententia palàm fit, eos qui die 210. genitũ septimestrem esse negant, vel hanc computandi per menses tricenarios tollunt rationem, Hippocratis, Aristotelis, Veterumq; doctrinam omnem conturbare. Tertium testimonium ex Opusculo de Septimestri Partu producere possumus; vbi Hippocrates sextũ quadragenarium octauum mẽsem terminare velle videtur; quod, nisi tricenũm mensium habita ratione, fieri nõ contingit: de quo quidem loco iam supra satis disseruimus. Quartum testimonium dat liber de Alimento; vbi Hippocrates tempora varia partus enumerans, dies 210. pro septẽ mẽsibus, dies 300. pro decem, dies 240. pro octo mensibus videtur posuisse. qui omnes limites de mensibus tantùm tricenarijs veritatem habent.

Alius adducitur locus Hippocratem tricenarijs mensibus fuisse vsum probans. Nonnullę tolluntur dubitationes.
Cap. 68.

QVintum testimonium, & grauis quidẽ confirmatio, locus hic, quem suscepimus enarrandum, esse potest, & cuius etiam supra fecimus mẽtionem; in quo Hippocrates dies tres mensis partem esse decimã scribit; inquit enim. tres verò dies pars mensis decima sunt. quod quidem à vero longe erit alienum, nisi menses tricenarios recipiamus. Nec obstat paulò supra eundem affirmare, diem vnum esse quàmproximè partem mensis trigesimam, dies duos partem ferè quindecimam; ita vt eodẽ modo, quæ de parte decima dicta sunt, intelligenda videantur; videlicet vt ferè dies illi tres sint mensis decima pars; quasi non exactè eam esse voluerit, quia menses Lunares respexerit, qui dierum sunt 29. cum semisse: etenim, vt ego arbitror, non tàm respiciens ad Lunaris mensis quantitatẽ Hippocrates, quàm ad dies quinq;, qui ad annum Solarem supersunt integrandum, videtur sententiam temperasse. cùm enim Solaris annus diebus 365. hor. 6. constet, ac absoluatur; si hæc summa in duodecim diuidatur, paulò amplius quàm triginta dies singuli menses capiunt; quod cõtuens Hippocrates, dixit vnum diem, duos, ac tres trigesimam ferè, quindecimam, ac decimã esse mensis partem. qui profectò diem vnum trigesimam mensis esse partem affirmans, iam se tricenarios menses & agnouisse, & recepisse satis monstrat. atq; alia multa sunt Hippocratis loca consultò nunc prætereunda, quæ hanc calculi rationem eum secutum esse latisimè probant. cui quidem rei naturalis ratio mirificè adstipulatur: cùm enim mensura æqualis esse debeat, vt quarto Naturalis Auscultationis, alijsq; plerisq; in locis docuit Præceptor; perspicuum est, nullum alium præter tricenarium ad gestationem dimetiendam esse aptum; eò quòd reliqui omnes inæquales sint;

Tex. 133.

ſint, inæqualiq; dierum numero concludantur; nonnulliq; eorum non diem totam, & abſolutam, ſed mutilam ſibi adſciſcant, quod Cenſorinum libello de Die Natali acutè video conſpexiſſe; Solares ac Lunares menſes inæquabiliter progredi dicentem, ac inter ſe eſſe diſpares; alioſq; longiores, alios verò eſſe breuiores. Nam Iuliani inter ſe maximè ſunt inæquales; itemq; Solares, cùm non æquali temporis ſpatio vnũquodq; Signum Sol perambulet; atq; Lunares mutilam diem pro termino habent. quare tanquam inæquales menſuræ rationem ſubire non poterant, vel certè longè minus; vt rectiſsimè ſolis tricenarijs hac de cauſa Hippocrates, & Ariſtoteles ſibi vtendũ eſſe exiſtimauerint. Quòd ſi obijciat aliquis initio Opuſculi de Septimeſtri Partu diuinum Senẽ Lunares menſes recepiſſe; cùm ſcripſit dies 59. duos menſes integrare, dies 147. cum dimidio menſes quinq;. Item tertio Prognoſticon eundem docere, neq; menſes, neq; annos poſſe integris diebus numerari; quem locum Galenus enarrans, mẽſem omnem minorem eſſe ait triginta dierum, maiorem verò nouem & viginti: menſemq; apud antiquos Græcos vocatum tempus eſſe medium duorum Solis & Lunę congreſſuũ; quod Manardus libro decimoquinto Epiſtolarum tanquam magni momenti aliquid videtur adnotaſſe. Hæc profectò omnia ſuperiori accepto fundamento ſolui facillimè poſſunt; etenim quod ad verba pertinet Opuſculi de Septimeſtri Partu, iam ſupra ſuo loco expoſitum eſt, non ſine magna cauſa Lunarium menſium ibi Hippocratem habuiſſe rationem; vbi, ſi quis accuratè verba ponderet, nec tricenarios, & conſuetos omnino deſpexit, vt loco memorato demõſtrauimus. Pari facilitate loco ex Prognoſticis ſumpto occurrendum; inquit enim Hippocrates annum, ac menſem integris diebus numerari aptos natura nõ eſſe, quoniam Solaris annus nõ ſolùm trecentorum, & ſexaginta, ſed inſuper quinq; dierum eſt, & quartæ partis diei; menſis verò, qui duodecima eſt anni pars, non dierum 30. tantùm, ſed horarum præterea decem, ac minutorum 30. itaq; tametſi Galeno reclamante non cogimur de Lunari menſe verba interpretari. quanquam & ſi hoc etiam Galeno, & alijs concedamus, nil ſententiæ noſtræ videbimur officere; qui aliquando Hippocratem Lunaribus menſibus fuiſſe vſum non negamus.

Epiſt. 1.

Nonnullorum error confutatur: ſuperiora plenius comprobantur.
Cap. 69.

HInc autem certo certius apparet (quod & non ſemel ſupra tetigimus, & hîc rurſus attingere non piget) eos veræ Hippocraticæ, germanæq; computationis ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenere, vmbra, ac imaginibus vti; quin potius ab illis toto cœlo aberrare (eas nanq; ipſas ſi ſequerentur, non tàm longè à ſcopo diſcederent; feruntur enim ex optimis naturæ principijs, & veritatis exemplis) qui cùm viderent libro de Carnibus per menſes tricenarios fieri computationem, partumq; dierum 210. ſeptimeſtrem exactum, & perfectum appellari, ac omnino recipi; octomeſtrem repudiari: in libro verò de Partu Septimeſtri per ſynodicos menſes calculum inſtitui; qua ſupputationis adhibita ratione iam die 210. editus octomeſtris videtur euadere, non amplius eſſe ſeptimeſtris; vt ſe ſe ex his ambagibus citò explicarent, librum de Carnibus Hippocratis eſſe negauerunt (qua de re etiam libro ſuperiore diſputauimus) computationem geſtationis, quæ per tricenarios menſes fit (quos falsò Solares vocant) penitus reiecerunt; adijcientes, librum de Partu Septimeſtri poſtea fuiſſe conſcriptum ſiue ab Hippocrate, ſiue ab alio quouis auctore; nec vlla alia de cauſa (quod etiam ſuis locis ſupra ex ijſdem tetigimus) niſi vt illa per tricenarios menſes computandi ratio in libro de Carnibus explicata emendaretur, reuocareturq; ad menſium Lunarium rationem; item vt oſtenderetur, plenos, exactoſq; mẽſes ad vitalem partum efficiendum non eſſe neceſſarios: vt ſi ex Hippocratis officina cuncta prodiderũt, ſe in Opuſculo de Partu Septimeſtri retractaſſe ſit dicendum. quandoquidẽ vniuerſum hoc dogma (prę ter ea, quæ ſupra aduerſus omnes ferè ſuas partes diſputauimus) falſum omnino eſſe ſuperior docuit oratio; in qua perſpicuè oſtẽdimus, tricenarios menſes à Veteribus cunctis, potiſsimumq; ab Hippocrate, & Ariſtotele fuiſſe receptos. Quod ſanè dogma eò magis mirum videri debet, quò & hi ipſi fateantur, hanc per tricenarios mẽſes computandi rationem libro de Carnibus traditam, & in Opuſculo de Natura Pueri, vt interim librum de Alimento taceam, & ſecundo, ſextoq; Epidemicon recipi; qui libri maximè omnium vel Galeno teſte Hippocratis germani eſſe creduntur;

cùm

cùm alioqui Opusculũ de Septimestri Partu, ipsis etiam non reclamantibus, à plerisq; grauissimis viris Plutarcho, Clemente Alexandrino, & alijs Polybo tribuatur; vt si altera harum computationum esset refellenda; nemo sit, qui non videat, eam potius, quæ in Opusculo de Septimestri Partu habetur, refelli oportere; vtpotè cuius in vno tantùm libro, ac semel habeatur mentio, de quo, an sit Hippocratis, dubitatur; cùm alioqui ea, quæ in libro de Carnibus traditur, tàm crebrò in alijs libris, de quibus, an Hippocratis sint, nulla cadit dubitatio, inculcetur, Aristotelis pariter auctoritate comprobata, vt sine vlla dubitatione sequenda videatur: quam & Iurisconsultos tùm Græcos, tùm Latinos secutos esse in partus tempore computando, libro nono demonstrabimus; & quam secutum esse Auicennam, & fatentur isti, & sua verba ostẽdunt; quibus libro tertio Fen vigesimaprima perspicuè dies 210. septem conficere menses, dies 240. octo, dies 270. nouem memoriæ prodidit: quod quidem recepta mẽsium tricenûm quantitate solùm habet veritatem. Et dicitur (inquit) quòd tẽpus æquale mediũ ad formationẽ eius est 35. dierum, & mouetur in 70. diebus, & nascitur in 210. diebus, & illud est septem menses. vt audiendi non sint, qui hoc loco octomestrem ab Auicenna significari dicunt; cùm ipsemet apertè huiusmodi dierum aceruum septimestre efficere spatium affirmet. & mox. Et quandoq; est illud, quod est plus 45. dierum, & mouetur 90. diebus, & nascitur in 270. & illud est nouem menses. quod enim nonnulli dicunt, hoc loco Auicennam ex Rasis sententia loqui, aut veriori computatione audiuisse fœtum decimestrem, qui ex Solarium mensium ratione nonomestris est; hoc quàm nihil sit vel res ipsa docet, & Auicennæ oratio. Quod autem libello de Carnibus dictum est de Septimestribus, in nihilo ijs, quæ in Opusculis de Septimestri, & Octomestri Partu habentur, aduersari; aliaq; & alia ratione partum dierum 210. septimestrem esse aliquãdo, aliquando octomestrem; sequenti libro demonstrabimus.

Tract. 1. Cap. 2.

Rursus de anni magnitudine ex Hippocrate. emendatur, explicaturq; locus quidam ipsius obscurus.

Cap. 70.

IAm verò hac supposita tricenûm mensiũ quantitate, anniq; totius magnitudine dierum 360 quemadmodum clarissimis Veterum, præsertimq; Aristotelis testimonijs superius ostendimus; pulcherrimus Hippocratis locus ad finem libelli de Principijs & restituitur, & intelligitur, à nullo, quod viderim, ad hanc vsq; diem intellectus. scribit enim in calce Opusculi illius in hanc sententiam Senex sapientissimus, vt septenarij, hebdomadumq; vim aperiat in hominis vita moderanda. ἔστι δὲ καὶ ἄλλο τεκμήριον· τοὺς ὀδόντας οἱ παῖδες ἑπτὰ ἐτέων διελθόντων πληροῦσιν, καὶ ἐν ἑπτὰ ἔτεσιν. ἐστὶ δὲ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ ἀτρεκέως δεκάδες ἑβδομάδων ἑξήκοντα, καὶ τριηκόσιαι. quem locum sic verbum è verbo exprimentes iuxta fidem græci exemplaris interpretandum esse, nemo vel mediocriter Græcis literis eruditus dubitare potest. Est autẽ & aliud signum. Pueri septem exactis annis dentes explent; & in septem annis sunt & ratione, & numero decades hebdomadũ trecentæ & sexaginta. Qua recepta sentẽtia perspicuum est, locum omnino corruptum esse; cùm vel ipsis pueris sit notum, decades hebdomadum 360. non solùm annos septem continere, sed anno supposito Solari annos 69. & paulò amplius; dierum verò 360. annos exactè 70. sunt enim decades hebdomadum 360. dies 25200. quoniam decas vna hebdomadum dierum est 70. vt idẽ supra declarauit. vt non sit credibile Hippocratem virum admirabilem, ac penè diuinum in tàm puerile, ac fœdum erratũ incidisse. quod quidem cùm animaduerterent Interpretes, suoptè ingenio locum vnusquisq; emendare conatus est. Caluus illa prætermisit. καὶ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι. sed non abstulit difficultatem. Cornarius non δεκάδες ἑβδομάδων, sed ἑβδομάδες legisse videtur: ac rectissimè quidem quod attinet ad sententiæ veritatem; sed tamen durũ videtur omnia illa. δεκάδες ἑβδομάδων è contextu auferri, & delere. Lalamãtius in suis Commẽtarijs, mirum est, quantũ se torqueat; tandemq; emendat ἑβδομάδες πεντήκοντα. Verùm, cùm postea annum quinquaginta habere septimanas dicit, nulla habita dierũ, qui supersunt, ratione, minus probabilem reddit suam interpretationem: quoniam Hippocrates inquit, exactè & numero, & ratione septem annis quantitatem hebdomadum illam respondere; vt nullum diem superesse voluerit. præterquàmquòd pleraq; alia addit Lalamantius, & immutat sine vlla necessitate. Nos supposita anni quãtitate dierum 360, omnia reddi aperta putamus; vt Cornarius, damnatus alioqui auctor, Hippocratis mentem quadam ex parte atti-

Sch. 27.

attigisse satis constet. sunt enim septem anni exactè hebdomadæ 360. quia sunt dies 2520. exactè; quem sensum respexit Cornarius in loco emendando. Verùm quia in contextu vox, δεκάδες, posita est hinc claret, aliquid ex eo deficere tãquam librariorum incuria prætermissum. cùm autem anni septem decades hebdomadum sint 36. & hebdomades 360. patet ex Hippocratis oratione deesse hæc omnia. ἓξ καὶ τριάκοντα, καὶ ἑβδομάδες. imperitus enim librarius exeso fortasse loco nimia vetustate, cùm vocem ἓξ καὶ τριάκοντα legere forsitan non posset, & alteram ἑβδομάδες; putauit illas abundare, idemq; esse cum ἑξήκοντα & ἑβδομάδων, cũ quibus maximam, vt patet, habẽt similitudinem; insigneq; scribere mendacium Hippocratem coegit. Erunt igitur legenda
» verba, δεκάδες ἑβδομάδων ἓξ καὶ τριάκοντα, ἑβδο-
» μάδες ἑξήκοντα καὶ τριηκόσιαι, quod est. Decades
» hebdomadum triginta sex, & hebdomades
» trecentæ & sexaginta. quæ sententia supposita anni quantitate dierum 360. adeò cũ veritate consentit, vt nihil magis; vt rectissimè scripserit Hippocrates, annos septem exactè tot esse decadas hebdomadum, & tot hebdomadas; cùm nec etiam dies vnus supersit. Cęterum hæc cogere nos, non suadere tantùm, vt fateamur Hippocratem & tricenarijs mensibus fuisse vsum, & anni magnitudinem dierum 360. esse voluisse, omnibus arbitror hinc esse manifestum. vt mirum sit quo modo Cardanus, vir alioqui subtilissimus, Contradicentium Medicorum libro primo de mensium agens differentia, cùm præfatus esset, Solarem mensem duplicem esse, equalem, vel inæqualem; æqualem verò diebus triginta constare; ausus postea sit asserere, huiusmodi mense in partus tempore computando nunquã Hippocratem vsum fuisse; cuius hæc est oratio.

Tract. 2. contrad. 8.

» Nam in fœtuum gestatione nunquam mensibus Solaribus vsus est Hippocrates. qui tamen in hoc altero videtur veritatem assecutus, quòd periodicum, illuminationisq; mensem Hippocratẽ, Aristotelemq; ne quidem somniasse, apertè scribit. Mensis (in-
» quit) tertium genus est à Lunæ reuolutio-
» ne, quæ in diebus 27. horisq; octo perfici-
» tur. Hic, quod sciam, apud nullas gentes
» in vsu est; quòd celerius gens quælibet re-
» ditum Lunæ post Solis coniunctionem di-
» gnoscat, quæ solo visu percipitur, quàm
» ad stellam aliquam, vel punctum Signiferi
» constitutum. Mensis quartũ genus est me-
» dicinale, de quo superius in hoc tractatu
» diximus: quanquam ne somniasse illum
» Hippocratem, aut Aristotelem in hac causa
» constet; cùm nec illius meminerint, sed Lu-
» naris; menses & iuxta Lunarium magnitu-
» dinem computauerint. facit enim eo loco Cardanus quatuor mẽsium genera, Synodicum, Solare, Periodicum, & Medicinale.

Nonnullorum Recentiorum affertur opinio, & reijcitur.
Cap. 71.

SEd ex hac tota nostra disputatione hoc etiam alterum fit manifestum; recentiores nonnullos non esse audiendos, qui, cùm pulchrè dubitasent, apud Hippocratem non exiguam in tempore partus iuxta mensium rationem dimetiendo apparere varietatem; eò quòd in Epidemicis mensibus tricenarijs (quos isti vulgares appellãt) in Opusculis verò de Septimestri, & Octomestri Partu Lunaribus synodicis vti videatur; cui & Aristotelem in calce quarti de Animalium Ortu dicunt consentire, mensem cõmunem Solis ac Lunæ periodum appellantem; cùm inquam ita dubitasent; vt hãc tollerent dubitationem, vt hæc dissidia auferrent, responderunt, tùm Solarem mensem, tùm Lunarem in toto gestationis tempore esse obseruandum, sed non absolutè vnum, aut alterum; verùm in generatione quidem, ac formatione Solarem, quia Sol præest generationi; in motu autem, ac partu Lunarem, quia Luna rerum motioni pręfecta est: & cùm æquale non sit Solaris, & Lunaris mensis tempus; prętereaq; Lunaris varia sit acceptio; & synodicum Lunarem recipiendum esse, & licèt dici posset, dies triginta in vulgari à Veteribus posito mẽse intelligi debere, quales ex Lunari Synodico in triginta æquales partes diuiso prodeunt (sunt verò ij singuli horarum 23. m. 44.) quo pacto proposita quæstio sedaretur: nihilominus, quia probabile sit, ipsos Veteres de communi more diei quantitatẽ, quæ est horarum 24. sumpsisse; asserendum, cùm naturæ effectus ita certa habeant tempora, quibus absoluantur, vt non in puncto, sed in sua quadam temporis latitudine prodeant; idcircò, tametsi Lunari mense superior & vulgaris existat, qui illo longior est horis 12. & Solaris, qui horis 12. addit horas 8. paruum hoc temporis discrimen in humani fœtus fabrica, quæ diuturniori eget tempore, vt ad summum culmẽ deducatur, parum, aut nihil obseruari. Ex his enim omnibus non solùm propositam non tolli difficultatem, sed potius augeri, satis con-

Cost. de Hu. Part. Cap. 4. & 19.

constat; cùm & nulla adducatur ratio, cur in Epidemicis libris vsus fuerit Hippocrates mensibus tricenarijs; in Opusculis verò memoratis per synodicos instituerit cõputationem; & præter ipsam videatur rationem, si gestationis tempus vniuersum nunc vna, nunc altera mensium specie metiamur; & à nullo (quòd viderim) auctore proditum sit, synodicum Lunarem mensem posse tricenarium appellari iuxta diuisionem in triginta partes æquales; & falsũ præterea sit synodici mensis, qui diebus cõstat 29. hor. 12. trigesimam partẽ esse hor. 23. m. 44.; & nulla sit necessitas, vt in dimetiendo partus tempore mensem aliquem excogitemus, qui tùm Lunarem, tùm Solarem complectatur; & falsum etiam, mensẽ dierum 30. hor. 20. m. 30. mensem esse Solarem, eò quòd, vt ex Gorrço suo loco docuimus, Solares menses non sint inter se omnes æquales, quia æqualis non sit mora, quam Sol facit in vno quoq; Signo. Postremò & illud à ratione plurimum abhorrens, quod tamen solutionis caput esse videtur; paruum hoc temporis, quod inter istos mẽses est, discrimen, in humani fœtus fabrica non obseruari; cùm sit manifestum, eũ partum, qui iuxta tricenûm mensium, vel Solarium rationem septimestris est, iuxta synodici mensis quantitatem euadere octomestrem; & de alijs partubus idem est iudiciũ: vt ad Hippocratis, Aristotelisq; sententiam percipiendam hoc maximum esse videatur, certam definire mensis quantitatem, speciemq; certam, qua ipsi in gestatione dimetienda vsi fuere; & quam, vt superior nostra abundè docuit disputatio, tricenûm apud ipsos fuisse dierum non dubitamus. quod enim ex quarti de Animalium Ortu colligi volunt, synodicum mensem Aristotelem inducere, quia mensem ibi definiat communem Solis ac Lunæ periodum; hoc quàm nihil sit, illi facilè iudicabunt, qui animaduertent, etiam synodicum mensem die trigesimo terminum habere; ipsum verò Aristotelem alibi, quasi se ipsum explicaret, menses tricenarios & posuisse manifestè, & recepisse. Verùm de Hippocratici, Aristoteliciq; anni ac mensis ratione satis hæc sint pro præsenti instituto; quæ in medium idcircò attulimus, vt ostenderemus, tantùm abesse à vero, eos periodici mensis, ac illuminationis habuisse rationẽ, vt vix & ægrè synodicum, qui dierum est 29. cum semisse admiserint; idq; perrarò: cùm vt plurimum tricenarios menses secuti videantur. quibus omnibus ita constitutis iam nunc cum his proceribus, veteranisq; militibus Gorrço, inquam, Mercato, & Lamantio in arenam descendamus. quorũ superius expositæ sententiæ non antea poterant à nobis labefactari ob varium, quem ponũt apud Hippocratem in gestatione dimetienda mensium vsum; nisi & prius quo ipse mense verè vsus esset, explicaretur.

de Hu. Cap. 19.

Gorrçi, & Mercati interpretatio reijcitur. Cap. 72.

DIcimus igitur, si ea, quæ superius disputauimus, tanquam vera ac firma recipiamus, facilè tolli Gorrçi, & Mercati opinionem. Ac primùm quod Gorrçus inquit, Hippocratem tempora humani partus varia describentem varios menses Lunares respexisse, periodicum præsertim, & illuminationis; hoc iam ex superiori disputatione falsum esse constat; clariusquè aduersus Mercatum infra patebit; quin etiam & aduersus vtrosq; libro decimo. itaq; nullo modo Hippocrates Lunarem periodicũ decimestre constituere spatium potuit intelligere, cùm de partu dierum 280. sermonem habuit. vt prætercam Gorrçi interpretationem, etiam si quicquid ipse contẽdit, illi concedamus, nullam habere probabilitatem: si enim ex eo, quòd dies 280. decimestrem Lunarem terminant, diesq; septem habent de vndecimestri, videlicet sunt in vtriusq; confinio, partum decimestrem, ac vndecimestrem possunt constituere; cur ergo & dies 182. semestrem pariter, ac septimestrem non constituent? etenim hæc dierum summa iuxta ciuilium Lunarium mensium rationem, qui dierum sunt 29. cũ dimidio, & quibus Hippocratem interdũ fuisse vsum non dubitamus; abest à sexto mense lõgè minus quàm iuxta Gorrçi calculum dies 280. ab vndecimo; videlicet diebus tantùm quinque. sex nanq; menses dies continent 177. itaq; tanquam sexto ac septimo confinis semestrem partum, ac septimestrem constituet. at hoc posito tota ruit de septimestribus Hippocratis & Aristotelis disputatio; vniuersa vacillat, & cõturbatur ratio computandi humanos partus; cùm hac data via octomestres septimestres, nonomestres octomestres dici possint. Prætereo omnem gestationis denominationem à fine duci; videlicet ab eo mẽse, in quem dies postremus incurrit, in quo partus editur; tametsi non dies tantùm, sed horę ferè etiam aliquæ de mense capiantur; vt constans omnium est, veraq; sententia.

Vnde Hippocrates ſeptimeſtres die 182. cũ ſemiſſe genitos, nunquam ſemeſtres vocat, licèt in primos tantùm menſis ſeptimi dies incurrant: eademq; lege octomeſtres, nonomeſtres, ac decimeſtres, demum vndecimeſtres ſtatuit eſſe appellandos. ex quò & Ariſtoteles ſeptimo Hiſtoriarum, atq; ante illum in calce Opuſculi de Partu Octomeſtri Hippocrates, ad partum vndecimeſtrem illud tantùm requirunt, vt mulieres geſtando vndecimum attingant: atq; idem Hippocrates partum dierum 280. quia primos dies capiat menſis decimi, perpetuò decimeſtrem appellauit, nunquam nonomeſtrẽ. nam & in Opuſculo de Septimeſtri Partu ita ſcripſit. » Qui enim ſeptem quadragenarijs naſcuntur decimeſtres appellati. » & initio libelli de Partu Octomeſtri. » Inſuper & decimeſtres appellatos ſeptẽ quadragenarijs dierum in lucem edi dico. » vt dubitationi quidem certè nihil omnino loci relinquatur, quin partus dierum 280. decimeſtris perpetuò ab Hippocrate fuerit appellatus. Proinde Gorręus, dum locum ex libro de Principijs adducit, vt probet partum hunc dici nonomeſtrem, imprudens eò quò minimè vult, reuoluitur; quoniam Hippocrates non ſimpliciter nonomeſtrem ibi illum nuncupauit, ſed nouem menſium, ac decem dierum partum: ſcripſit enim. » Nouem verò menſium, ac decem dierum partus fit & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum; quatuor enim denarij hebdomadum dies sũt 280. » quibus omnino ſignificauit partum hunc, quia vltrà nouem exactos menſes dies adhuc decem ſuperſint geſtationis; nequaquam nonomeſtrem eſſe appellandum; ſed, vt citatis locis ſe clarius explicans idem docuit, decimeſtrem; quia decem hi dies in decimum menſem incurrant: vnde falſum omnino eſt die 280. genitum, *ab Hippocrate nonomeſtrem eo loco* appellari; longèq; magis falſum quod Gorręus fingit, *decimeſtrem periodicorum mẽſium* ratione ab Hippocrate dici; cùm cauſam, ob quàm decimeſtrem ipſe hunc partũ appellet, *ſatis ab eo explicatam* habeamus; quia ſcilicet nouem exactos menſes, & inſuper de tricenario decimo ſumit dies decẽ. qua in re & alter ille exploratus eſt error, quẽ Gorręus adiũgit, dicẽs Hippocratẽ eo loco de ciuili Lunari menſe intelligere, qui diebus 29. cum dimidio integratur; ſiquidem ſcribit, vt ſecundo libro vidimus. » Namq; hoc loco, quem è libello περὶ σαρκῶν » poſtremò annotaui, menſes, qui propriè » ciuiles appellantur, intellexit; qui ab vno » Lunæ cum Sole congreſſu ad alterum vſq; » perdurant, conſtantq; paulò minus tricenis diebus. » At iuxta horum menſium quãtitatem partus dierum 280. eſt nouem menſium, & dierum ferè quindecim, non quidem menſium nouem ac dierum decem, vt inquit Hippocrates. atq; hæc propria ſunt Gorręi. Quòd verò pertinet ad Mercatũ, in quo & Gorręum refellimus. Primùm ꝙ inquit, in Opuſculo de Alimẽto, ac de Septimeſtri Partu Hippocratem aſſeuerare, ad decimum tantùm decimi menſis diem non vltrà partum extendi poſſe; cùm alioqui in libello de Partu Octomeſtri ad vndecimum menſem prorogari dicat; videtur memoria vacillare: quod hîc admonere volui, ne quis fruſtra locis illis in his inueniendis laboraret, in quibus nec verbum quidem his de rebus habetur. ſiquidem in Opuſculo de Septimeſtri Partu nulla mentio eſt, quòd geſtatio vltrà decimum decimi menſis diẽ, ac dies 280. proferri nequeat: in libro de Alimento tantùm abeſt, vt hoc ab Hippocrate dicatur, vt contrarium omnino ipſe ſcripſiſſe ibi viſus ſit, partum trecentorum dierum admittens: dixit enim. » Alij quinquaginta ad formam, ad primum motum » centum, ad perfectionem trecentos. » quibus verbis apertè voluit, partum vltrà dies 280. ac vltrà decimum decimi menſis diem proferri poſſe. vtraq; igitur hæc ſententia in Opuſculo legitur de Partu Octomeſtri; ac demum eo in loco, quem nunc præ manibus habemus: vbi manifeſtè aſſeritur, tàm decimeſtres partus, quàm vndecimeſtres ſeptem quadragenarijs, videlicet diebus 280. gigni; idq; quo modo veritatem habeat, ſtatim ſequentibus verbis declarat Hippocrates, vt mox Deo concedente demonſtrabimus. Secundò quod Mercatus ſumit, Hippocratem hos dies 280. & ſeptem quadragenarios ali*quando per Solares menſes, aliquando verò* per Lunares, ac eos quidem varios computaſſe: *item hanc dierum ſummam decimum* diem decimi Solaris menſis conſtituere, id maximè arbitror à vero abhorrere; nam & *quod pertinet ad hoc poſtremum, quis eſt* qui ignoret, iuxta Solarium menſium computationem dies 280. in decimum decimi menſis diem finire non poſſe? eò quòd nõ ſint Solares menſes magnitudine inter ſe æquales, neq; æquali ſpatio Zodiaci Signa Sol percenſeat. quo fit, cùm nouem menſes dies habeant 273. vt dies 280. *in ſeptimum* non in decimum Solaris menſis diem incurrant: vnde iuxta tricenûm menſium rationem hoc tantùm habet veritatem.

Quod

Quod verò ad alterum spectat; esto vt Mercato concedamus, non Solares tantùm, ac tricenarios menses, sed & interdũ Lunares synodicos dierum 29. cum semisse Hippocratem agnouisse; quod de periodico, ac illuminationis mense ipse vnquam ne dum scripserit, sed etiam cogitauerit, nullo pacto est admittendum: cùm id nulla ipsius, vel Galeni auctoritate, nulla ratione probari posse videatur. ac sanè indignũ prorsus fuisset tanti Auctoris grauitate, si paucis verbis interiectis adeò magna æquiuocatione nos deciperet. etenim cùm scribit, decimestres ex septem quadragenarijs fieri, tricenarijs mensibus vti videtur; cùm passim, & vbiq; locorum decimestres eos esse dixerit, vt aduersus Gorrçum supra fuit demonstratum, qui nouem mensium ac decem dierum spatio oriuntur; & quod in idem redit, dierum 280. interuallo: quæ computandi ratio in tricenarijs tãtùm mẽsibus locum habet. igitur cùm loquitur de vndecimestribus, dicitq; eos septem quadragenarijs gigni perinde ac decimestres, eandem mensis supponit quantitatem. cæteroqui nil doceret nisi vanum, & futile; nil quod lippis, ac tonsoribus non esset notum; item, vt diximus, in maximum æquiuocationis vitium laberetur. nam & quis est tàm rudis ingenij, qui nesciat, si breuiores, pauciorumq; dierum menses admittamus, necessariò fore, vt partum eum, quem longiore accepta mensium quantitate decimestrem esse dicimus, iuxta breuiorem vndecimestrem, ac duodecimestrem etiam fateamur? quin etiam, & si Arcadas imitemur, qui trimestres annos faciebant; partum dierum 280. tutò quadriennio ferè gestatum, non solùm vndecim menses dicere poterimus. quæ omnia quam habeant probabilitatem, alij iudicabunt: ac certè si iuxta variam mensium quantitatem partus varijs, ac diuersis mensibus oriri voluit præter tricenarios, ac ciuiles dierum 29. cum dimidio; vtiq; hoc erat ei explicandum, quemadmodum de his duobus mẽsium generibus fecit; de qua re nullum vnquam, vt videmus, habuit verbum.

Plenius Mercati positio reijcitur. *Cap.* 73.

Caeterum Mercatus contuẽs pugnantia quodammodo & impossibilia Hippocratem enunciasse, cùm dixit tàm decimestres quàm vndecimestres septem quadragenarijs fieri: eò quòd iuxta menses tricenarios partus vndecimestris esse nequeat, nisi ad minimum dies gestationis 301. esse statuantur; iuxta verò Lunarium mensium rationem 296. vt supra diximus; quæ summa insigniter excedit dies 280. vt se ab hoc nodo expediret, varietatem hanc mensium Gorrçum sequens excogitauit: volens partum dierum 280. decimestrem ab Hippocrate fuisse appellatum, & vndecimestrem periodici mensis habito respectu, siue illuminationis. enimuerò cùm decem periodici menses diebus 273. hor. 8. integrẽtur: illuminationis verò diebus 265. euenit, vt primo modo dies 280. in septimum diem vndecimi mensis incurrant, secundo modo in decimum quintum. At primùm neq; etiam his suppositis mensibus poterat Hippocrates partum dierum 280. decimestrem appellare, nisi à se ipso dissentiens, vt aduersus Gorrçum supra demonstrauimus: eò quòd iuxta horum mensium quantitatem in vndecimum editio incurrat; proindeq; ab eo partum oporteat denominare. Secũdò Hippocrates, vt dictum est, nullos alios menses quàm tricenarios, & Lunares synodicos cognouit; siquidem periodici nemo Veterum ante Galenum (de Philosophis loquor & Medicis) in vlla re dimetienda naturali fecit mentionem; mensis verò illuminationis Solius Galeni fuit inuẽtum: quod Matthçus Curtius optimæ notæ Medicus subtiliter contuens in disputatione de Partu Septimestri, cùm quæreret quorum nam mensiũ ratione calculus gestationis ex Hippocratis, & Aristotelis mente ineundus esset; duos istos menses, periodicum scilicet & illuminationis penitus reiecit; atq; eius hæc est oratio. Et si de his mensibus Hippocratis, & Aristotelis sententia intelligatur, poterit natus 170. die dici natus septimo Lunari mense, & sic vitalis esse. Verùm hoc ad rem nihil facit; quoniam Galenus primus ad inuestigandam causam, cur *dies decretorij ponendi sint, illos duos mẽses posuit*; de quibus neq; Hippocrates, neq; Aristoteles, nec alij Galeno vetustiores vnquàm locuti sunt. Quod verò addit Mercatus, eodem sensu scripsisse Aristotelem, humanum partum vndecimum mensem attingere, in eodem errore versatur: præterquàmquòd non animaduertit Historiarum septimo dixisse Philosophum, nõnullas mulieres, non omnes vndecimum tangere; cùm alioqui iuxta variam mensium hanc quantitatem omnes ferè vndecimum attingere dici possent; & cunctæ prorsus illæ, quæ decimestrem edunt, ac partum dierum 280. quin

Cap. 4.

quin etiã & dierũ 275. quę summa periodi-
cũ decimũ pertrãsit; atq; habita illumina-
tionis mensis ratione omnes, quæ ad noni
finem partum edunt, vndecimo parere dici
possent: cùm dies 265. decimum illumina-
tionis mensem terminet, vt paulò supra ex
Mercato dicebamus. itaq; hæc certè di-
gna sunt, vt omnium mentes aspernentur ac
respuant. Atq; eadem etiam difficultas in
Hippocratis verbis locum habet; qui non
omnes, sed eas tantùm, quæ circa plenilu-
nium ac vltrà cõceperint, vndecimum scri-
bit apprehendere; cuius rei nulla necessi-
tas foret, si Gorręi, & Mercati sententiam
amplectamur. enimuero cùm etiam illi,
qui ante plenilunium, ac circa quadraturã
primam concipiuntur ac nouilunio, deci-
mestres esse queant, ac diebus 280. gestari;
hi profectò iuxta periodici mẽsis quantita-
tem vndecimestres vocari poterint, quan-
quã antea geniti quàm Luna Orbem imple-
uerit. Atqui Hippocrates clarissima voce
affirmat, ex his, quę docuit necessariò sequi,
plerasq; mulieres circa pleniluniũ, & vltrà
cõcipere; vt sæpè 280 dies vndecimum mẽ-
sem apprehendere videantur. in illis enim
quæ vltrà plenilunium concipiunt, necessa-
riò dies 280. vndecimum attingere: siquidẽ
hanc veram esse huius loci sententiam, infra
demonstrabimus. Quibus verbis tria ob o-
culos nobis maximi momenti posuit ani-
maduertenda; primùm, quę circa pleniluniũ
concipiunt, posse vndecimum tangere, sed
huius rei nullam esse necessitatem. secun-
dò quæ concipiunt vltrà plenilunium, om-
nino necessariò earum conceptum in vnde-
cimum incurrere; videlicet si dierum 280.
fuerit partus, vt suo loco infra admonebi-
mus. demum tertiò, vt partus vndecimum
apprehendat, necesse esse, vt circa plenilun-
ium & vltrà conceptus fiat; de qua re vberri-
mè infra suo loco agemus. Quæ tamen om-
nia recepta Mercati opinione sine vlla ne-
cessitate docerentur.

Alia Mercati nonnulla confutantur.
Cap. 74.

HInc fortasse, cùm hęc Mercatus aliquã-
do animo versaretur, Hippocraticis
verbis admonitus necessitatem hanc in vn-
decimestribus videtur agnouisse, & alia do-
cuisse ratione. siquidem de septimestribus
agens ita scripsit. Nam cùm nonum, aut
decimum attingere fętus debeat, & matu-
rationes eius in his multo tempore efficiã-
tur; sufficit si aliquantulum temporis ex
primo, postremoq; mensibus desumatur.
Sic genitos post plenilunium (vt loco nu-
per citato inquit Hippocrates) necessariò
ad mensem vndecimũ durare est opus: quod
quidẽ neutiquam fieri potest, nisi per pau-
cissimos dies; etiam si de primo mense pau-
cissimos quoq; sumpseris. & paulò infra,
disputans de nonomestri, eandem his verbis
sententiam confirmauit. Dictum est supe-
rius (inquit) in partu septimestri primi mẽ-
sis, & septimi plus dimidio fore computan-
dum, vt illorum vis queat elucescere, & in
tàm breui tempore fętus consumari possit.
At in reliquis mẽsibus non opus est de pri-
mo & postremo plus dimidio accipere; cùm
constet apertissimè de primo fore capiẽdos
perquàm paucos, si ad decimum, & magis
si ad vndecimum peruenire debeat fœtus.
Quò fit vt Hippocrates dixerit libro de O-
ctomestri Partu, genitos post plenilunium
necessariò ad mensem vndecimum durare.
Hæc ille; quæ tamen omnia notabunda sũt,
si mensium varietatem illam concedamus,
quin potius omnino ruunt. nam quæ ama-
bò necessitas de primo ac vltimo mẽse per-
quàm paucos capiendi, si iuxta aliam, atq;
aliam mensium quãtitatem partus dimetia-
mur, ac decimestres, vel vndecimestres esse
statuamus? ita enim cuncti primi mensis
dies sumi poterint; & qui decimestris est
vno modo, alio fiet vndecimestris. quæ pro-
fectò explicandi ratio & ab Hippocratis
verbis, & à veritate ipsa alienissima
(meo quidem iudicio) arbitranda est.
Quod verò tertio libro capite de cõceptio-
ne ab eo dictum fuit; verba Hippocratis il-
la. Oportet igitur mulieri tẽpus dare mẽ-
sis, in quo ipsa purgatio contingit &c. ita
esse intelligenda, ac si dicant, singulis mu-
lieribus suum tempus cõcipiendi esse dan-
dum, tempusq; huiusmodi esse, in quo ipsa
purgatio contingit; adeò vt post menstruas
statim purgationes concipiendi tempus es-
se statuat Hippocrates; id profectò ipsamet
Hippocratis disputatio omnino refellit.
siquidem primùm paulò ante dixit ipse,
plurimis mulieribus necessum esse concipe-
re post menstrua purgamenta; itaq; non e-
rat id ei inutiliter his verbis repetendum;
hoc enim ab eius more plurimũ abhorret.
Deinde si hoc voluit, quomodo (quod ta-
men Mercatus opinatus est) necessariò ex
his concludere potuit, plerasq; mulieres
circa plenilunium & vltrà concipere? ete-
nim si mulieribus plurimis menstrua, vt cõ-
stans omnium opinio est, decrescente Luna,
ac circa ferè interlunium excitantur (quan-

Cap. 4. quam non me latet, Mercatum primo libro ab ipsa, quam sequuntur omnes, ac probāt, opinione penitus recedere; cùm scribat figmentum esse, quod libro septimo Historiarum tradit Aristoteles, decrescente mense mulieres purgari) si id, inquam, recipiamus, quod omnes sine vlla varietate senserunt, Hippocratesq; sensit; iam patet, contra quā ipse scripserit Hippocrates, ex his necesse esse, plerasq; mulieres non circa pleniluniū & vltrà concipere, sed omnino ante plenilunium. enimuero si post menstruas purgationes statim conceptio fit, purgationes verò huiusmodi finiūt pluribus diebus ante plenilunium; igitur & conceptio fiet necessariò multò ante plenilunium. Prętereo sententiam hanc Hippocratis non in libro de Alimento haberi, vt memoriæ lapsu censet Mercatus; sed in hoc loco, quem tractamus, videlicet in Opusculo de Partu Octomestri; sicut nec libro de Septimestri Partu scriptum legimus, quod tanquam clarum accipit Mercatus, conceptum fieri in ipsis interlunijs, aut ante plenilunium, aut decrescente Luna; quæ sententia eo etiam nomine videtur refellenda, quòd idem sonet, ac si diceremus, singulis mensis diebus mulierem posse concipere; cùm omnes mēsis partes tria illa comprehendant: eò quòd nullus sit dies, qui non sit vel in interlunio, vel ante pleniluniū, vel post. quòd si plenilunium exclusit, iam & in hoc plurimum ab Hippocrate dissentit, qui circa pleniluniū plerasq; concipere mulieres asseruit. Habemus tamen apud Hippocratem (obscurè licèt explicatum) moueri menstrua decrescente Luna, & interlunio, vt libro sexto dictum fuit, infraq; dicetur. idq; in Opusculo de Natura Pueri, ac de Partu Octomestri, nequaquam in libello de Partu Septimestri. Pari errore ea nutant, quæ Mercatus addit, interlunio eas tantùmmodo mulieres concipere, quibus accidit vel in ipso tantùm mensium fluentium impetu semen masculinum retineri; item fluxis iam mensibus fieri posse conceptionem, vt infra suo loco planum faciam: de eo nanq; hæc satis in præsentia esse videantur. qui cùm posteriorem hāc suam explicationem Gorręi altera relicta sumpserit è Ferdinādi Mena Commentarijs super libello de Partu Septimestri; operepræcium erit, vt reddantur omnia clariora, eruditissimi huius viri totā afferre disputationem, & super hæc Hippocratis verba obscurissima interpretationem, eamq; breuiter expendere.

Ferdinandi Mena adducitur opinio.
Cap. 75.

Ferdinandus igitur, hunc, vt reor, quē præ manibus habemus, Hippocratis locum explicans, ita scribit. (Com. 6.) Sed redeuntes ad institutum, conemur, ex obscurissima alioqui Hippocratis oratione, proficuā aliquam sententiam eruere: quod vt fiat egregius; accipiamus conceptum fieri aut ipsis interlunijs, aut ante plenilunium, aut decrescenti Luna. Si in ipsis interlunijs conceperit, rarissimè quidem fiet; idq; in illis potissimum mulieribus, quibus accidit vel in ipso mensium fluentium impetu semē masculinum retinere, propterea quòd parcissimè purgari sint natæ; de quibus Aristoteles, quæ sequuntur, scripsit. Nonnullæ (inquit) etiam dum profluunt menses, (Lib. 7. de Hist. cap. 3.) concipiunt, postea concipere nequeunt; quibus vulua statim à purgatione comprimitur. de quibus quatuor lineis interiectis antea sic scripserat. Conceptus mulieribus à profluuio menstruorum sua natura contingit, & quæ his carent, steriles magna ex parte consistunt: verùm fieri potest, vt aliquæ etiam sine eorum effluuio concipiant; videlicet quibus tātum humoris colligitur, quantum his, quæ purgantur, restare solet. quanquam non tanta copia, vt foras possit effluere. Alibi hoc idem asseruit dicens. Impossibile est concipere sine menstruorum excremento, quod aut redundans foras profluxerit, aut intus satis sit. Inde capitis principio deduxit, fœminam esse Lunarem, quòd simul cum decrescenti Luna purgetur, & simul rursum repleantur ambæ: cuius consensionis rationem quarto de Generat. cap. 2. exarauit ingeniosè admodum, inquiens. Decrescenti Luna tempus existit frigidius & humidius, quod equidem ad abundantiā excrementorum minus coctorum facit, à quibus eo tempore fęmineum corpus cupit exonerari. hæc ille. Quamobrem, quibus pauci menses effluere sunt apti, in ipso tēpore interlunij potest accidere conceptus, ob eam, quam reddit Aristoteles causam; quod quidem quoniam rarissimè vsu venire consueuit, peculiarem fecit disciplinam, neutiquam eam, quæ vt plurimum contingit; de qua Hippocrates multis locis disertè satis verba faciens, vniuersalem collexit disciplinam, quæ necessariū esse profitetur, in ventre concipere post menstruas expurgationes, vbi ab illis fuerint expeditæ: ac tandem in hæc postremò verba prorupit.

Opor-

Oportet igitur mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio continget; & hoc tempus, quibus breuissimum fit, sunt tres dies, plerisq; autem multò plures; suntq; alia impedimẽtá multa etiam in viris, ex quibus conceptus retardatur. Ex his veluti perorans, conclusit necessarium esse plerasq; mulierum circa plenilunium, & vltra concipere: quibus equidem luce clarius cõstat, vt plurimum concipere mulierem post menstruas purgationes, quod Galenus libro de Semine, & Aristoteles loco citato contestantur. Cùmq; minimum, biduum, vt Aristoteles ait, triduumue, vt hìc Hippocrates, menstruam purgationem patiantur; per id temporis tardari conceptus, quod minimum est, verisimile est: maximũ etenim tardari potest in alijs quidem quinq; dies, in alijs verò septem, serius, aut citius prout durauerit menstrua purgatio, & ne quidquam virilem cõgressum præpedierit. quare aut propè plenilunium fiet, aut vlterius. Si propè plenilunium conceperit, eos duntaxat dies primus mẽsis conceptionis accipiet, qui supersunt, detractis illis, per quos expurgata est mulier, aut vir cõcubitum distulisse voluit: si post pleniluniũ transactum; cùm de primo mense paucos acceperit dies, fit protinus, vti partus ad plures mẽses prorogetur quàm septem, tanquã parum, aut omnino nihil conferre videantur pauci illi dies ad fœtus exactam perfectionem. De qua re paulò profundiùs Hippocrates contemplatus eisdem locis, hæc asserenda scripsit. Cùm vltra plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum vndecimum mẽsem attingere, pariter ac apprehẽdere, quò ad vltimum circuitũ peruenerit. Cuius assertionis causam reddidisse visus est Aristoteles, quando decrementum Lunæ frigidum & humidum statuit, cremẽtum verò calidum: nunc verò qui tempore frigido, hoc est decrescenti Luna concipiũtur, serius absoluuntur, quàm qui tempore calido, hoc est crescenti eadem generãtur. Eadem fermè causa septimestres breuiori tempore perfectionem sibi debitam adipiscuntur: in illisq; primi mensis ac vltimi plus dimidio mense efflagitauit Galenus; perinde ac in tam breui temporis spatio nequiret effectus integer produci, nisi magna pars mensium motionem metiretur. Hæc vir doctissimus; cuius disputationem vniuersam placuit hoc loco appingere, vt facilius lectores ipsius mentem percipere valeant, tùm Mercati cum tanto homine animaduertere consensionem. Et supra dixerat, eadem hæc verba expendens. At verò dum alios menses, nonomestres videlicet ac decimestres constituit Hippocrates, non opus est de primo & postremo plus dimidio mensis capiatur: cùm constet apertissimè, de primo fore capiendos perquàm paucos, si ad decimum attingere debent fœtus, aut ad ipsum vndecimum. cùm enim eiusmodi fœtuum maturationes pluri tempore efficiantur, & satis spatioso; satis est si aliquãtulum temporis, seu dierum ex primo postremoq; mensibus desumatur: quod apertè probat Hippocrates, qui lib. de Octimestri Partu ad finem, genitos post pleniluniũ necessariò ad mensem vndecimum durare intra vterum conclusit: quod quidem neutiquam fieri potest, nisi per paucissimos dies: vt ad calculum subducenti patebit, etiã si de primo conceptionis mẽse paucissimos quoq; sumpseris, quemadmodum fieri necessum est, in his maximè supputationibus, quæ decimum vndecimumuè mensem sunt obtenturæ. Hæc ille; quorum quidem si clarioris doctrinę gratia desideramus exẽplũ; huiusmodi videtur mihi ex eodem infra licèt aliud agente afferri posse. Porrò si quis per ocium expendisse voluerit ducentos octoagintaq; dies, quibus constat septimus quadragenarius, subduxeritq; decem mensium dies ad calculum; inueniet absq; vllo negocio nonum decimumq; mensem intra illum contineri. Exempli causa, capiamus primi mensis minimum decem dies, quos ducentis triginta sex iungamus octo intermediorum mensium; resultabunt equidem ducenti quadraginta sex; quibus si deinceps viginti nouem cum semisse copulaueris, exultabunt ducenti octoaginta, dẽptis quatuor diebus & semisse, quibus vndecimum etiam aliquatenus attingit computatio. Memineris obsecro in huiusmodi arithmeticis supputationibus partem quantulancunq; mensis esse mensem, vti Hippocrates met exhortatus est antea, dempta ea, quę de septimestribus habetur, in qua primi mensis & vltimi plus dimidio capiendum est, si Galeno adhibenda fides est vlla.

Com. 8.

Com. 8.

Ferdinandi sententia ventilatur.
Cap. 76.

Haec igitur ex Ferdinandi opinione obscurissimi huius loci vera est sententia; cui tamen multa habeo, quæ objciam. Principiò quod ipse accipit, conceptũ fieri aut ipsis interlunijs, aut ante plenilunium, aut decrescente Luna, iam in Mercato est

re-

reprehensum; præterquàmquòd hæc assertio plenilunium relinquit, ab Hippocratis recedens assertione, qui vt supra aduersus Mercatum monebamus, hoc in loco scribit, circa ipsum plenilunium plerũq; conceptũ fieri. Secundò, quod adiungit, rarissimũ esse, vt interlunij tempore possit cõceptus accidere, ideoq; hac de re tanquam de ea, quæ peculiarem faciat disciplinam, Hippocratem, qui collexit vniuersalem, nil egisse, sed id quod vt plurimum euenit respicientem conclusisse, plerasq; mulieres concipere post menstrua purgamenta, proindeq; circa plenilunium & vltrà; hoc, inquam, totum (bona venia me audient Ferdinandi sectatores) tanquam dissonum à ratione, non recipimus; si enim non desinẽtibus tantùm menstruis, sed etiam incipientibus Hippocratis, Aristotelis, Galeniq; decreto, vt infra hoc eodem libro demonstrabimus, commodissimè conceptio efficitur; menstrua verò vel ipso admonẽte Ferdinando Aristotelis auctoritate decrescente Luna, & circa interlunium vt plurimum incipiunt commoueri; cur & rarissimè vsu venire consueuit, vt in ipso interlunij tẽpore & circiter, cùm scilicet menstrua iam iam incipiũt apparere, accidat conceptus? contrarium enim potius, nisi Philosophiæ ac Medicinæ parentes deseramus, concludendum est; nẽpe sæpè contingere posse, vt interlunio cõceptus fiat, scilicet menstruis incipiẽtibus; tametsi longè sæpius queat euenire, vt post ipsum interlunium, desinentibus scilicet ipsis, tanquam tempore commodiore fiat cõceptio. Deinde (vt, quod supra Mercato obijciebamus, clarius refellamus in Ferdinando) si menstrua expurgatio decrescente mense incipit, & sic necessariò ante nouilunium, vt pro comperto ipse habet Aristotelis etiam adducto testimonio; ex quò & addit, eas tantùm mulieres interlunio concipere, quibus accidit vel in ipso mensium fluentium impetu semen masculinum retinere: & infra dicit, quibus pauci menses effluere sunt apti, talibus mulieribus in ipso tempore interlunij posse accidere conceptum; nempe quia, vt supra declarauerat, parcissimè huiusmodi mulieres purgari sũt natæ; vt dum profluunt menses concipere tantùm queant: quæ quidem omnia vera nõ essent, nisi decrescente mense, ac paulò ante interlunium menstrua incipiens expurgatio, interlunij tẽpore in impetu esset fluxionis; vel certè nisi ipso saltem interlunio fieret effluxio. Si igitur res ita habet, vt plurimumq; sic vsu venire consueuit; quo pacto diuinus Hippocrates peculiarem deserens disciplinam, vniuersalem potuit colligere, post mẽstruas expurgationes plerasq; mulieres in ventre concipere, ideoq; plerasq; circa plenilunium & vltrà? Esto enim vt verissimum admittamus, quàmplurimas mulieres post expurgationem menstruã cõcipere. Esto cõcedamus, vt Ferdinandus cũ alijs ferè omnibus censuit, statim ac virile semen vterum subit muliebrẽ, fieri conceptionem; quod tamẽ falsum esse, infra demõstrabimus: si ipsa expurgatio quàmplurimis incipit mense decrescente, vel ipso interlunio, vt statuit Ferdinandus; etiam si ad dies septem perdurauerit (vt maximũ tempus, quod illi tribuit hic auctor, accipiamus) nũquam tamen conceptionẽ ipsam ad plenilunium perducemus. si enim post expurgationem fieri protinus conceptio debet; expurgatio autem paulò ante interluniũ incipit, vel in ipso interlunio, dies septem durans; iã die septima ab interlunio, quin etiã & paulò ante, necessariò fiet ipsa cõceptio. at hoc tempus primæ quadraturæ est, immò & ante ipsam quadraturam, non plenilunij & vltrà. itaq; falsò ex positis tanquam vniuersalẽ disciplinam collexit Hippocrates, circa plenilunium & vltrà plerasq; mulieres cõcipere; vel certè insignis in huius viri explicatione est repugnantia. Tertiò quæ habet pro comperto, si post plenilunium trãsactum fiat conceptio, quia de primo mense pauci accipiũtur dies, fieri protinus, vt partus ad plures mẽses prorogetur quàm septem; tanquã parũ aut omnino nihil cõferre videantur pauci illi dies ad fętus exactam perfectionem; ideoq; scripsisse Hippocratẽ, cùm vltrà pleniluniũ mulier cõcipit, necesse esse conceptum vndecimum mensem attingere: huiusq; assertionis causã reddidisse Aristotelem, quando decremẽtum Lunę frigidũ & humidũ esse docuit, crementũ verò calidum; eò quòd qui tempore frigido, hoc est decrescente Luna, concipiuntur, serius absoluuntur, qui tempore calido, hoc est eadem crescente, citius generantur; idq; causam esse, vt septimestres breuiori tempore perfectionem sibi debitam adipiscantur, maioremq; mensis primi ac septimi partem sibi exposcant; nimirum quia tempore calido & crescentis Lunæ geniti ocyus absoluuntur,. hæc, inquam, omnia, quę tanquam certa ponit, magnas mihi perpeti videntur difficultates, vt sequenti capite planum faciam.

Cap. 2.

Alia

Alia Ferdinandi nonnulla expenduntur, vera mens Hippocratis aperitur.
Cap. 77.

QVod igitur fœtus vel circa pleniluniũ, vel ante, vel postea concipiatur, vel augescente mense, aut decrescente, quod tamen Ferdinandus accipit pro confesso, parũ fortasse ad fœtus ipsius periodum facit lõgiorem, seu breuiorem in gestatione; nisi & adsit primaria causa, temperamentum videlicet menstruorum, ac virtutis formatricis, debitaq; inter hæc duo proportio; & si facit qualitatis in aere productæ ratione, quod Ferdinandus innuit, dicens decremẽtum Lunæ esse frigidum; quod perinde est ac si dixisset, eam mensis partem, in qua Luna decrescit, esse frigidam: non continuò verũ quod ipse subijcit, qui tẽpore frigido concipiuntur, serius absolui, ocyus, qui calido. quin potius si credimus quarto de Animalium Ortu Aristoteli, Aquilonijs frigidisq; temporibus mares procreantur, & sic qui citius absoluantur fœtus; Austrinis & calidis fœminæ, & sic fœtus, qui serius perficiantur: quæ sanè frigiditatis calorisq; ratio in mẽse quoq;, atq; in Lunæ aspectibus locum habere potest. Proinde Hippocrates, vt suo etiam loco infra notabimus, in præsenti disputatione supponit prudenter (ꝙ Interpretum video animaduertisse neminẽ) partum conceptumq; tẽperamento esse decimestrem; videlicet natura talem, ex taliq; materia conformatum, vt dierum 280. interuallo, ac septem quadragenarijs maturescat, in vteroq; gestetur. quod .n. probare vult Hippocrates, vt suo pariter loco dicemus, hoc quidẽ est, aliud præterea nihil, decimestres part⁹ & vndecimestres septẽ quadragenarijs fieri .i. spatiũ dierũ 280. ꝙ apud ipsũ vocatur decimestre, ad vndecimũ mensẽ aliquãdo peruenire; adeò vt septẽ hi quadragenarij, diesq; 280. vndecimũ mensẽ apprehendant. propterea apertè concludit ad disputationis finem, si mulier circa plenilunium concipiat, videri, vt dies 280. & quod in idem redit, septem quadragenarij vndecimum apprehendant. & mox, si vltrà plenilunium fiat conceptio, necessariò septem quadragenarios vndecimum attingere. de septem enim quadragenarijs, non de ipso partu generaliter, & conceptu, vt perperam crediderũt Interpretes, hoc Hippocratem pronunciare, suo infra loco ostẽdemus. qui falsus alioqui esset, si non tàm septem quadragenarios quã conceptos omnes partus vltrà plenilunium, dixisset vndecimum apprehendere; cùm nulla sit necessitas, vt cuncti, qui hoc tempore concipiuntur, septem maturescant quadragenarijs; lõgè minus ad vndecimum perueniant; sed ocyus, vel serius pro temperamenti ratione suam possint recipere maturitatem. quare Hippocrati, non quia conceptio fiat circa plenilunium & vltrà, fœtus septem quadragenarijs conformatur, & maturescit, longèq; minus vndecimum attingit; sed quia circa plenilunium & vltrà conceptus, interdum hoc habet temperamentum, vt tanto temporis interuallo, idest diebus 280. & septem quadragenarijs exposcat sui temperamenti ratione maturari; at verò fœtus, qui tanto tempore proprij temperamenti ratione adipiscitur maturitatem, si vltrà plenilunium concipiatur, hac sua periodo, his, inquam, septem quadragenarijs, necessariò Hippocrati vndecimum attingit: quod qua veniat ratione intelligendum, infra suo loco aperiemus. Hinc, vt alibi etiam notauimus, falsum est, si crescente Luna fiat conceptio, fœtum breuiori tempore gestari, spatio videlicet septimestri; si decrescente, longiori; nonomestri scilicet, ac decimestri, & vndecimestri. nouilunio enim concipiuntur etiam septimestres Plinio teste: & Hippocratis hoc loco auctoritate circa plenilunium cõcepti, idest & paulò ante, & in ipso plenilunio, & sic in maximo lucis incremento, decem quadragenarijs conformantur gestanturq;. qui etiam septem quadragenariorum partus, cùm libello de Principijs mensium nouem ac dierum decem partus appelletur, conceptus supponitur interlunio, vt paulò infra dicã. Falsum pariter ad vitam perfectionemq; septimestrium, maiorem mensis tùm primi tùm septimi partẽ hac ipsa de causa requiri; quod neq; etiam somniasse Hippocratem, sed exempli loco, & cum ipsa conditione omnia pronunciasse, superiori disputatione admonuimus. fuit enim Auctoris fragmenti super libello de Partu Septimestri Galeno adscripti inuentum, quòd mensis primi ac septimi dimidium, vel plus etiam quàm dimidium necessarium esset ad partus septimestris perfectionem; qui cùm haud satis perciperet, quo consilio Hippocrates de primo dies 15. de septimo 20. accepisset, id tanquam necessarium ad vitam partus illius, & perfectionẽ factum esse existimauit. ex quò & Ferdinandus postea, Mercatus, & alij deduxerunt veluti necessarium, in alijs partubus longioris gestationis, videlicet in nonomestribus, præsertim in decimestri-

Cap. 2.

ſtribus, & vndecimeſtribus quamminimū eſſe capiendū primi mēnſis & poſtremi; qui pauci dies, cùm ad perfectionem fœtus nil conferant, ideo geſtationis tempus longius reddi. at enimuero, vt ſuo loco diximus, dies 182. ad perfectionem ſeptimeſtris ex Hippocratis ſententia ſunt neceſſarij; menſis primi ac ſeptimi pars maior nullo pacto. &, vt modò dicebamus, ſi quatuor decadum hebdomadarum partus, ſcilicet dierum 280. libello de Principijs partus eſt nouem menſium, ac dierum decem; igitur primi menſis die prima, ſcilicet ipſo interlunio (quo cum Græci menſes incipiebant) conceptus fuit; igitur non ſolùm quàmminimum primi menſis poteſt capere, ſed è contra menſem vniuerſum, & tamen decimum menſem attingere; igitur non cōceptus tantùm plenilunio & vltrà, in poſtremaq; menſis parte, ſed è contra interlunio, ac menſis initio, in decimum nihilominus poteſt incurrere; quæ omnia Ferdinandi explicationem funditus tollunt.

De temperamento partium menſis Ferdinandi ſententia confutatur. Item poſtrema pars reijcitur ſuæ explicationis.

Cap. 78.

SEd & alter ille ex huius viri oratione expungendus error eſt; inquit enim, cùm vltrà plenilunium mulier concipit, neceſſe eſſe hunc cōceptum vndecimum attingere; huiuſq; aſſertionis cauſam reddidiſſe Ariſtotelem, quando decrementum Lunæ frigidum & humidum ſtatuit. quibus ſine vlla dubitatione voluit Ferdinandus, poſt plenilunium conceptos, quia ſcilicet Lunæ lumen tunc decreſcat, in frigida & humida menſis parte eſſe conceptos. at enimuero, meo quidem iudicio, inſigniter errat, haud ſatis aſſecutus, quid, φθινόντων τῶν μηνῶν. ideſt decreſcentis mēſis nomine Ariſtoteles præſertim intellexerit, ſenatuſq; grauiſsimus illius ætatis Philoſophorum intelligeret. neq; enim poſt plenilunium, neq; etiam ferè poſt ſecundam quadraturam, decreſcentem menſem, vel decreſcens deficienſq; Lunæ lumen eſſe intelligebant; ſed, vt infra Theophraſti monſtrabimus auctoritate, maximè propriè à ſecundo hexagono ad primum. eam nanq; menſis partem, quæ eſt vltrà plenilunium ad ſecundam vſq; quadraturam ab ipſo incipiens plenilunio, tantum abeſt, vt frigidam & humidam Veteres cōſtituerent, vt æſtati reſpondere illam voluerint, quemadmodum in Anemologia ex Galeno adnotauimus. cui Alexandri auctoritatem nunc placet adiungere, hoc idem, ſi quis rectè ipſius verba ponderet, primo Problematum libro aſſerentis. Ἐν δὲ τῷ (inquit) πανσελήνῳ θερμὴ, καὶ ξηρὰ πως ὤν. .i. In ipſo plenilunio calida, & aliquo modo ſicca. quod à plenilunio ad ſecundam quadraturā locū habere adducta à nobis in Anemologia Galeni auctoritas ex tertio libro de Diebus Decretorijs ſatis admonet: quo loco ſcribit apertè ſic. Καὶ μὲν δὴ καὶ ὁ ἀπὸ τῆς πανσελήνου μέχρι τῆς κρύψεως χρόνος, ἀνάλογος ἐστὶ τῷ μέχρι χειμῶνος ἐκ θέρους διαστήματι. quod eſt. Et quidem tempus, quod à plenilunio eſt ad nouilunium, proportione reſpondet tempori, quod eſt ab ęſtate ad hyemem vſq;. Si enim à plenilunio æſtiua mēſis pars incipit, igitur & ea menſis pars calida & ſicca: quam quia ſequitur pars autumnalis; hæc à ſecunda quadratura neceſſe erit vt incipiat, ad interluniumq; vſq; extendatur. propterea ſcripſit acutè Galenus, μέχρι χειμῶνος, dixeris ad hyemis vſq; principium. quia videlicet non comprehēditur in hac diſtantia pars menſis hyemalis incipiens cum interlunio; vt idem explicat. quod quidem totum magnam habet rationem; reſpondent enim plenilunium ac interlunium Solſtitijs, vt in Anemologia dicebamus ideoq; poſt illa congruenter incipiunt menſis partes hyemalis & æſtiua, ſicuti à Solſtitijs in annuo tractu hyems & ęſtas. mirificè igitur hallucinatur Ferdinādus, dum credit, qui vltrà plenilunium cōcipiuntur, in frigida concipi & humida mēſis parte; ideſt in hyemali: cùm alioqui in contrariæ temperationis parte, videlicet in calida & ſicca æſtiuaq; concipiantur. Quartò tandem ac poſtremò, quod affert exempli loco, vt doceat dies 280. in vndecimum mēſem incurrere, eo modo acceptum, vt ipſe facit, nullius eſt momenti: primùm enim ſi eadem methodo facienda computatio eſt in decimeſtribus ac vndecimeſtribus, demum in ſeptem quadragenarijs, quemadmodum & in ſeptimeſtribus, qui dimidio anno oriuntur; vt videtur Hippocrates voluiſſe; ſcribens decimeſtres, & vndecimeſtres ſeptem quadragenarijs fieri, vt ex dimidio anno ſeptimeſtres; iam non dies decem ex primo menſe, ſed ad Hippocratis imitationem quindecim ſumendi erunt: quo pacto (vt infra ſuo loco oſtendemus) nunquam dies 280. vndecimū apprehēdēt. & ſi pauciores in hac cōputatione quàm quindecim de primo ſumi poſsunt de Hippocratis mēte; hoc vbi doceat, vel ſaltem innuat Hippocra-

Ann. 30. in li. de Plun. Sign.

Prob. 66

Cap. 7.

crates Ferdinando dicendum erat. Deinde cur dies hi decem totius primi mensis loco accipiendi sunt? vnde hoc probat Ferdinãdus? qua docet auctoritate, partem pro toto, mutilum pro integro mense esse accipiendum? Hippocrates enim, qui partum dierum 280. vocauit partum in calce libri de Principijs nouem mensium ac dierum decẽ, non vocans illum exactè decimestrem, contrarium potius videtur docuisse; videlicet partem mensis non nisi pro parte, nullo modo pro toto, in computatione esse accipiẽdam. At respondet Ferdinandus, Hippocratem exhortatum esse, partem quantulancũq; mensis esse mensem: hoc idemq; Galenũ Commentario primo in libellum de Partu Septimestri confirmasse; sic enim notatum reliquit Ferdinandus. Nam si pars mensis, mensis existimari debet, vt Galenusmet in primo Commentario putauit &c. Sed certè Hippocratis locus libello de Partu Septimestri nil aliud habet, quàm partẽ mensis vndecimi mensem esse; quod & longè est diuersum; & quo pacto veniat intelligendum, libro octauo aperiemus; licèt Ferdinandus à vulgata recedens lectione, sic verba conuertat. Et mea sententia pars mensis mẽsis est. Fortasse vt suum hoc tueri commentũ posset. Quod verò ad Galenum pertinet; nullibi toto illo fragmento hanc sententiã positam inuenio; sed illud solùm, in partu dierum 182. primi mensis & vltimi partem esse accipiendam dimidia ampliorem, si perfectus infans sit oriturus; quod lõgè est diuersum: nempe quia putauit, in tàm breuis gestationis partu, maiorem dimidia primi & vltimi mensis partem ad eius perfectionẽ esse necessariam; quod tamen supra tanquã falsum, ab Hippocratisq; mente alienum, est confutatum. Postremò quæ sit ea Hippocrati necessitas, quæ mulieres cogat vltrà plenilunium concipere; cùm verò conceperint, partum ad vndecimum vsq; gestare, nõ docet Ferdinandus. Itaq; ipsius explicatio omnino nulla. de qua cùm satis sit dictum, ad Lalamantium tandem accedamus.

Com. 1.

Lalamantij prior redarguitur interpretatio.
Cap. 79.

NOn minora sunt, quæ Lalamantij vexant interpretationem. Primùm .n. illud habet incõmodi sua explicatio, quòd iuxta Lunares tantùm menses ponit grauidationis computationem esse ineundã; cùm tricenarios quoq; , immò & magis, in partus tempore decernendo recipere ex Hippocratis mente debeamus: quod satis superq; à nobis demonstratum fuit. Rursus, quod maximi momenti est, nullam tollit ex Hippocratica oratione difficultatem; siquidem Hippocrates nõ inquit, tàm eos vocari septimestres qui exacto septimo nascũtur, quàm eos, qui eodem mense ineunte in lucem veniunt; sed scribit simpliciter, ex dimidio anno fieri septimestres: quæ sententia longè aliam videtur postulare interpretationem. nam & quis tàm rudis ingenij est, qui in dubium vocet, partum 206. dierum cum semisse editum ex dimidio anno constare? Præterea non dicit, esse decimestres, ac vndecimestres tàm eos, qui finẽ decimi, ac vndecimi mensis, quàm qui initium capiunt; neq; menses cùm mensibus, vel mẽsium fines cum eorundem initijs cõparat: verùm alterum hoc profert longè ab his diuersum, videlicet decimestres, ac vndecimestres ex septem quadragenarijs eodem modo fieri; quod ab eo sensu, quem Lalamantius exprimit, toto videtur Cœlo dissentaneum. nam & hoc est, quod paulò infra docet Hippocrates, dies 280. & quod in idem redit, septem quadragenarios sæpè vndecimum mensem apprehendere. censuit enim diuinus Senex, partum hunc, licèt in vndecimum incidat, non diutius tamen quàm septem dictis quadragenarijs conformari, ac gestari; quod superficie tenus acceptum, & maximè mirum, & omnino falsum, & impossibile videtur, & simile figmento. Adhuc quod addit Lalamantius, partus non solùm eos, qui diebus 324. cum semisse oriuntur, de Hippocratis sententia esse vndecimestres, verùm illos etiam, qui vltrà septem quadragenarios dies præterea circiter sex accipiunt, hoc pariter à ratione dissonum mihi videtur. scribit enim. Nam vndecimestres non solùm dicuntur ij, qui trecentos viginti quatuor dies cum dimidiato nacti (tot autem vndecim menses Græcanicos explent) nascuntur; sed & ij, qui ad septimam quadragenam dies ducentos octoginta capientem quinq; supra dimidium nacti sunt. Atqui hoc pacto dierum 285. cum semisse partus vndecimestris dici deberet; quod, siue tricenarios menses cogites, siue Lunares dierum 29. cum dimidio ab eo receptos, minimè quadrat: cùm vtroq; modo hi dies in mensem decimum incurrant, non in vndecimi principium. atq; hoc fateatur Lalamantius necesse est, qui verba illa ex libro de Alimento excerpta, quibus ad absolutionem dies trecenti designantur, ad vndecimestrem par-

Schol. 15.

tum voluit pertinere; quoniam iuxta Lunares menses, vt ipse inquit, trecenti dies in vndecimi principium, videlicet in quintam eius diem, incidant. vt si partus nomen trahere à mense nequit, nisi illius partem aliquam capiat, die 285. cum semisse genitus nullo modo vndecimestris valeat appellari; quia nullos vndecimi mensis dies sibi adsciscat. Prætereo Hippocratem asserere, vndecimestrem diebus 280. fieri, non 285. cum semisse; item gestationem dies 300. iuxta illius placita pertransire non posse, vt in huius libri calce sumus ostẽsuri: vt nullo modo partus ex Hippocratis sententia ad diem 325. possit extendi. Quamobrem inquirẽdum est ad rectam verborum ipsius explicationem, quo modo verum esse possit, tàm decimestres quàm vndecimestres septem quadragenarijs conformari; quæ res sicuti de decimestribus nullam habet difficultatem, cùm clarum sit septem quadragenarios in mensis decimi initium cadere, vt tàm crebrò Hippocrates admonuit; ita de vndecimestribus obscuritatis plurimum continet: cùm omnino falsum videatur, & impossibile, ducentis & octoginta diebus, vel septem quadragenarijs genitum partum vndecimestrem posse nuncupari; eò quòd, si allatam à nobis calculi rationem sequamur, dies saltem 21. & 22. si à Lalamantio adductam, dies 16. vel 17. adhuc desint, ac requirantur, vt partus vndecimi mensis initium possit attingere. vt pugnantia videatur protulisse Hippocrates, cùm affirmauit, tàm decimestres quàm vndecimestres ex septem gigni quadragenarijs. quas quidem difficultates ne conuelli modò Lalamantij recepta enarratione, sed nec etiam vel leuiter commoueri, omnibus arbitror, ex his, quæ diximus, esse compertissimum. Hæc igitur aduersus ea, quæ primo loco ex Lalamantio sunt allata; quæ recentiores nonnulli sequẽtes, licèt suppresso nomine, sic ea & interpretantur, & quadam etiam ex parte corrigunt. Volunt isti sententiam esse, quòd sicut septimestres sunt non solùm illi, qui exacto Lunari septimo prodeunt, sed etiam illi, qui septimum ingresi supra Lunarem sextum dies quinq; præterea capiũt, & horas duodecim, aut paulò plures; nimirum quia hæc summa dimidium conficit Solaris anni: sic & eadem proportione decimestres non solùm existant, qui expleto Lunari decimo, diebus scilicet 295. veniunt in lucem, sed qui eadem seruata ratione supra nonũ, qui die 265. cum semisse clauditur, dies tãtùm quinq; de decimo accipiunt cum aliquot horis; adeò vt dies 270 primus sit terminus perfectionis illorum: vndecimestres non solùm illi, qui confecto vndecimo Lunari nascuntur, die scilicet 324 & hor. 12. sed qui supra decimũ diebus insuper quinq; cum aliquot horis vtero geruntur; adeò vt dies 301. primus sit terminus perfectionis illorum.

Nonnullorum, qui Lalamantium interpretari, & corrigere profitentur, reijcitur explicatio. Cap. 80.

Haec illi; ex quibus elucet, quod Hippocrates dixit, decimestres, & vndecimestres septem quadragenarijs fieri eodem modo ac ex dimidio anno septimestres; sic eos accipere, quasi dixerit, eadem proportione, qua septimestres quinq; dies cum aliquot horis de septimo accipiunt, sic & totidem decimestres, & vndecimestres accipere debere ex decimo mense, & vndecimo. Item quod Lalamantius scripsit, vndecimestres eos esse, qui supra septem quadragenarios dies quinq; cum dimidio nacti sunt, minimè recipere; sed sic emendare, vt dies quinq; supra Lunarem decimum exactum, diem scilicet 295. capi velint. In reliquis Lalamantio consentientes, eiusq; afferentes conuersionem Hippocraticæ orationis, volunt oraculum illud, in quo tota est posita sentẽtiæ difficultas; videlicet tàm decimestres, quàm vndecimestres septem quadragenarijs fieri; perinde esse intelligẽdum, ac si dixisset Hippocrates, quia non ita solet partus præcisè incidere in diem 280. vt non etiam diebus aliquot contingat postea; ideo fieri mulierum errore, vt se ad vndecimum vterum gestasse profiteantur, & iactitent; adeò vt illarum iudicio, non re ipsa, partus vndecimestris septimo factus quadragenario videatur. Enimuero Lalamantius Hippocratis verba illa. ὥστε πολλάκις δοκεῖν ἐπιλαμβάνειν τοῦ ἑνδεκάτου μηνὸς τὰς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίας. sic interpretatur, „ in mulierum deceptionem illa referẽs. Itaq; per- „ sæpè vndecimum mensem attingere, & dies „ ducentos octoginta (hoc autem est dierum „ septem quadragenarijs) vterum gerere si- „ bi videntur. Sed certè multa sunt, mea sẽtentia, quæ videntur reijcere huiusmodi explicationem. Principiò Hippocrates cõparationem instituit inter septimestres ex vna, decimestres, & vndecimestres ex alia, quatenus septimestres dimidio anno constant, decimestres verò & vndecimestres septem quadragenarijs, vt infra suo loco a-

pertius demonstrabimus; itaq; non confert vicissim hos partus ea ratione, qua septimestres dici possunt, qui supra sextum mensem dies capiunt quinq;, & aliquot horas; de qua re, vt vidimus, nullum verbum; sed septimestres comparat cum decimestribus, & vndecimestribus, anni dimidii cum quadragenarijs septem. Secundò huiusmodi ratio computādi septimestrium Hippocratico calculo non consentit: ipse enim initio Opusculi de Septimestri Partu docuit, hos fœtus dimidio anno fieri, accipiens de primo mense dies quindecim, de septimo viginti, & horas insuper nonnullas. At hi totum primum capiunt, sexq; numerāt Lunares exactos, de septimo dies solùm quinq; cum aliquot horis; quare longo dissident interstitio ab Hippocratica supputatione. Tertiò sequeretur ex horum interpretatione, qui partus pauciores dies, quàm quinq; de aliquo mense capiunt, puta septimestres de septimo, decimestres de decimo, vndecimestres de vndecimo, non posse ab his mensibus denominari; quod neq; vnquā dixit Hippocrates, neq; verum est. quòd enim, tametsi dicat de primo mense dies quindecim, de septimo viginti esse capiendos in partu computādo septimestri, id noluit semper esse necessarium; sed satis sit apud ipsum, vt mensis initium partus attingat, vt ab eo denominetur; quòdq; huiusmodi computandi rationem solis septimestribus voluerit conuenire, in alijs partubus non duxerit necessariam, suo loco supra ostendimus. Adhuc quo modo hac recepta explicatione verum sit, decimestres ac vndecimestres septem fieri quadragenarijs, vt ex dimidio anno septimestres, equidem non video; quo modo iam superius allatæ difficultates dirimantur, non perspicio. Postremò Hippocrates verbo illo, δοκεῖ, quod Lalamantium fortasse fefellit, non eo sensu vtitur, quasi rem explicet, quæ esse mulierum errore videatur, sed verè nō sit (qua de re mox etiam sequenti capite aduersus ipsū Lalamātiū) sed vt rem, quæ verè ita euenit, aperiat. Nam hoc est, quod ipse subiungit, cùm vltra plenilunium mulier concipit, necesse esse, septem quadragenarios vndecimum attingere. Neq; enim tàm fœtum, quàm septem quadragenarios intelligit (tametsi in idem vtrunq; redeat) vndecimum apprehendere, vt supra aduersus Ferdinandum disputantes diximus, clariusq; infra dicemus. Itaq; si est necesse, decem quadragenarios vndecimū attingere; certè id mulierum errore non contingit: sic enim Hippocratis sententia prior cum posteriori atrociter pugnaret. Hoc autem verbo vsus est priore in loco, quia acceperat, plerasq; mulieres circa plenilunium concipere; in his verò non ita sit certum, an septem quadragenarij vndecimum apprehendant; veluti in illis, quæ post plenilunium concipiunt; in quibus non amplius videri mox pronunciat, sed necessariò fieri, vt vndecimum quadragenarij septem apprehendant. præterquàmquòd non est consilium monstrare, partum vndecimestrem septimo factum videri quadragenario; siue id mulierum errore contingere dicamus, siue re vera ita fieri; quem sensum ferè secutus Lalamantius, & duo hæc seiungens, interpretatur, mulieres sibi videri persæpè vndecimum attingere, & dies 280. vterum gestare; atq; in eodem errore versatur Caluus: sed Hippocratis è contra mens est ostendere, vt rectè Cornarius, ac Mercurialis conuerterunt, septem quadragenarios, diesq; 280. vndecimum mensem attingere; quonē modo id fieri possit aperire. Sed ad rem hanc in Lalamantio redarguendam sermonem conuertamus.

Posterior Lalamantij reijcitur interpretatio. Cap. 81.

NOn igitur mea quidem sententia posterior hæc Lalamantij explicatio verbis Hippocratis vllo modo aptari potest; qui Scholio vltimo inquit, cùm ducenti octoginta dies dierū tantùm quindecim spatio absint ab vndecimo mense, nec ita præcisè incidat partus in eum diem, ducentesimum dico & octogesimum, vt non aliquando etiam diebus aliquot post contingat; fieri, vt mulieres se vndecim menses vterum gestasse, & arbitrentur & iactitent, partūq; asserant esse vndecimestrem. Enimuero Hippocrates, vt modò innuebamus, nullum facit de mulierum errore verbum; quin potius dicit necessariò oportere, vt in concipientibus vltra plenilunium dies 280. vndecimum mensem attingant, vt periodus vltima compleatur. quamobrem non ex vana falsaq; mulierum asserrione partum hūc vndecimestrem Hippocrates dicit, sed quia verè in mensis vndecimi initium inciderit. sat enim est, vt primos dies mensis partus aliquis apprehendat, vt sumat à mense illo nomenclaturam, quemadmodum de 182. die cū semisse natis obtingit. quos appellat consuetudo septimestres, licèt primos tantùm capiant dies mensis septimi. atq; par-

partum hunc vndecimestrem in mensis tantùm initiũ incurrere satis esse, declarat manifestè Hippocrates, dum, scribit ipsum " ἐπιλαμβάνειν τοῦ ἐνδεκάτου μηνὸς. quod est ex septimo etiam de Animalium Historia, tangere initia vndecimi mensis. Sed & alterũ illud, quod sequitur in Hippocratis oratione, nec minorem habet dubitationem, haud rectè, quo modo intelligendum sit, à Lalamantio videtur explicatum: videlicet plurimas mulieres necessariò cõcipere post menstrua purgamenta, eisq; oportere tempus dare mensis, in quo purgatio continget; tempusq; id, quibus breuissimum fit, tres esse dies, plerisq; verò longè plures, & quæ sequuntur. etenim, vt liberè dicam quod sentio, quæ ipse ad horum enarrationem affert, plurimum in *Philosophia*, præsertimq; Peripatetica nutare videntur: præterquamquòd nullo modo ostendunt, qua ratione dictum illud Hippocratis veritatem habeat, partus vndecimestres non secus ac decimestres septem quadragenarijs conformari; nullam dirimunt ex decem illis difficultatibus, quas supra notauimus. quanquam enim verissimè, ac omnino ad Hippocratis mentem ab eo dictum sit, quòd partus fiant alij citius, vt septimo mense; alij serius, vt decimo & vndecimo; alij medium teneant; id pro ratione temporis, quo purgantur fœminæ, contingere: cùm enim alię pluribus, aliæ paucioribus diebus purgentur; quæ pluribus, tardius, quæ paucioribus, citius parere: in huius tamen dicti ratione tradenda, proindeq; in tota sua enarratione, à veritate, atq; ab ipso Hippocrate plurimum discedit: cùm neq; verum sit in mensium anni ratione tempus coitus Lunæ esse dandum, adeò vt in supputationem mẽsis non sit adducendum; neq; consonum veritati, coitus tempore Lunam, vt potè radijs Solaribus obtectam, nihil virtutis suę, sicuti neq; lucis nobis communicare. item & à vero alienum, tempus menstruorum fluentium mulieri vtero gerenti esse dandũ; adeò vt, pariter ac coitus Lunæ dies, in gestationis considerationem non adducantur, neq; in supputationis veniant rationem. demumq; falsum, eo mensis tempore, quo mulier vtero gerens purgari solet, ipsius ac fœtus virtutes vel ab officio planè feriari, vel adeò remissè agere, vt nil memoratu dignum in fœtum conferant. Quod enim ad primum pertinet, si mensium, quos ipse Græcanicos appellat, sequamur rationẽ; tempus coitus exactum Lalamantio etiam concedente non datur; siquidem cùm nouilunium sit vnus dies, vt hoc loco Hippocrates admonet, quia die vno absoluitur aspectus, quin potius vnius ferè diei momẽto; hoc modo dies tantùm 29. venirent in supputationem, si tempus coitus esset subtrahendum. at ipse idem Lalamantius diebus 29. cum dimidio integrari mẽsem Græcanicum fatetur. Secundæ verò propositionis falsitas satis superq; tùm superiore libro, tùm in Anemologia ostensa fuit; quo loco de Galeni mente aduersus Manardum, ac Planerium demonstrauimus, per amica Lunæ silẽtia maximas in aere fieri mutationes, proindeq; in corporibus humanis, in cunctisq; alijs rebus naturalibus. cùm .n. pars illa mensis propter Lunæ defectum frigidior sit, vt non semel ab Hippocrate admonitus docuit Aristoteles; mulieris corpus, vt acutè Hippocrates libro de Natura Pueri notatum reliquit, propter copiam humiditatis maiorem eam maximè sentit: proindeq; multa commoda fœtui ac formationi suboriuntur. natura nanq; in formãdo fœtu (vt non semel diximus) vtitur caliditate, & frigiditate quasi instrumentis; ac partes alię frigido, alię calido consistunt, vt secundo de Animalium Ortu concinnè admodum docuit Præceptor. itaq; non exiguum beneficium coitus Lunæ tempore sentiunt sublunaria hæc omnia, ac præsertim grauidæ mulieres. Atq; hoc quartæ propositionis errorem detegit; si enim eadem de causa, vt Hippocrati, & Aristoteli placuit, decrescente Luna, & coitus ferè tẽpore menstrua naturaliter moueri mulieribus tendunt, igitur corpus earum vim hãc & differentiam maximè sentit; igitur ipsa Luna virtutes pares fœtui impartit: & sanè mirum, & fœtum, & parentem nil, aut parum tunc operari. tardior ne redditur formatio? igitur longè diuturnior partus. deficit ne nutritio? igitur cuncta pessumdatum iri oportet, fœtumq; omnino perdi. at dicit Lalamantius, si purgatur mulier vtero gerens, tunc nihil virtutis suæ fœtui affundere; nam sic Scholio decimosexto testatus est. At illa ipsa eo die, quo vel ante " conceptum singulis mensibus menstrua so- " lebant effluere, aut etiam post ipsum con- " ceptum, si fortè dum gerit vterum, menses " effluunt; nihil itidem, aut parum admodum " suarum facultatum fœtui vtero concluso " impertitur; vt vtrisq; illis corporibus fa- " cultates Lunæ in hæc inferiora, grauidæ in " fœtum feriari, & consopitæ esse videantur. " Verùm mulieres grauidæ nullæ purgantur nisi morbosæ, itaq; & nulli erunt hi ociosi dies.

Cap. 4.

Ann. 28. in lib. de Plu. Sign.

Cap. 4.

dies. item & paulò ſupra, & infra affirmat, etiam ſi vteri geſtati tempore menſes non fluant, nil ſuarum virium, aut parum mulierem fœtui impertiri; quod eandem patitur difficultatem. mirum ergo ac nouum hoc dogma nullos (arbitror) inueniet ſectatores. Prætereò Solé etiam fętus gubernare, nec minus quàm Lunam; Sol enim & homo hominem generat, vt axioma eſt Pręceptoris. Vnde Hippocrates libello de Alimento Soles 35. vel 40. (& de reliquis eodem modo) ad formationem, motum, ac perfectionem partus requiri ſcribit; quaſi totam velit partus conformationem, à Sole maximè dependere. ex quò & Solis magis motus, quàm Lunæ in ſeptimeſtris partus tempore ſtatuendo rationem Hippocratem habuiſſe, nos ſequenti libro demonſtrabimus. Itaq; coitus tempore nil virium inferioribus Lunam impertiri, grauidam mulierem tempore fluxus menſtruorum nil, aut parum ſuarum virtutum fœtui cõmunicare, maximam ſubit notam falſitatis. quòd enim fluxus tempore in muliere fœtus ferietur, id, vt reor, inde deducunt, quòd à Luna muliebre corpus præſertim gubernetur, coitus verò Lunę tempore mulieres fluxum patiantur, in quo nullas volunt Lunam vires poſſe exercere.

Alia quædam Lalamantij refelluntur. Aliorum quorundam adducitur interpretatio, & reijcitur.
Cap. 82.

QVod verò in tertia accipiebatur propoſitione, purgationis tempus mulieri vtero gerenti eſſe dandum, nec in geſtationis tempus adijciendum; quantum apud eos, qui rectè iudicant, ponderis habeat, alijs relinquo iudicandum. hoc certè habeo exploratum, neq; apud veteres Auctores, neq; apud recentiores huius ſententiæ vmbram inueniri: vt propterea exiſtimem nullo pacto cum ratione eam congruere: quod allatum à Lalamantio exemplum ſatis probat. Inquit ipſe, vt ſuperius vidimus, ſi mulieri purgationis tempus trium ſit dierum; hæc verò pariat decimo menſe Lunari expleto, ſcilicet die 295. hũc partum & nonomeſtrem, & decimeſtrem, quin etiam & vndecimeſtrem appellari poſſe. Siquidem ex hoc tempore pro ſingulis menſibus tres ocioſi dies purgationis auferendi ſunt, videlicet numero triginta (nam ter decem hunc numerum pariunt) itaq; dies vtiles, ac validi remanent numero 265. nimirum nouem integri menſes. quãobrem hic partus vtiliũ, ac validorum dierum ratione erit nonomeſtris, ocioſorũ reſpectu etiam decimeſtris; & cùm in vndecimum proximè incurrat, cumq; ferè attingat, vocari etiam vndecimeſtris poterit. ſiquidem hoc eſt, quod inquit Lalamantius, fœtum hunc nouem menſes plenos & integros dierum validorum habere, atq; hac ratione nonomeſtrem dici; immò & decimeſtrem, quòd ſcilicet intra decimum naſcatur; & vndecimeſtrem, quòd in vndecimũ proximè incurrat. præſertim ſi tres dies decimi menſis in conſiderationem prædictam tanquam inutiles mulieri dãdos eſſe exiſtimes. etenim ſi iuxta nouem menſium tantùm rationem fiat ſubtractio, dies 27. inutiles erunt: quo pacto fœtus die 292. ortus eſſet. ſiquidem additis diebus 27. ſummæ dierum 265. dies 292. efficiuntur; ſi iuxta rationem menſium decem, inutiles dies eſſent 30. ac fœtus ortus die 295. ſupponeretur. Verùm aduerſus hęc omnia multiplex occurrit difficultas. Primùm Hippocrates eo ſenſu dixiſſe videtur, mulieri tempus eſſe dandum, in quo purgatio contingit, vt huiuſmodi tempus in computationem potius venire voluerit, non auferri. Secundò fœtus etiam die 295. vtero geſtatus, nequaquam dici poterit vndecimeſtris, licèt in vndecimum proximè incurrat; eò quòd Hippocrates ſeptimeſtres, nonomeſtres, decimeſtres, vel vndecimeſtres partus nunquã vocat, niſi verè tangant menſis principium, à quo nomen trahunt, vt non ſemel ſupra diximus; vnde qui in vndecimum penè incidunt, partus exactè decimeſtres, nullo modo vndecimeſtres, de illius ſententia dici debent. Tertiò (quod poſitionem hanc maximè turbat, ac planè diuellit) inquit hoc loco diuinus Senex, breuiſsimum purgationis tempus tres eſſe dies, pleriſq; autem mulieribus multò plures. Sint igitur purgationis dies numero ſeptem (qué terminum frequentiorem eſſe mulieribus, & maximè naturalem pleriq; Auctorum exiſtimarunt, noſq; infra fuſius mõſtrabimus) quos tanquam ocioſos & inutiles mulieri dare oporteat: itaq; iuxta menſium decem numerum auferendi erunt ex tota ſumma ſeptuaginta; ex quò & huiuſmodi partus octomeſtris euadet. & ſi plures conſtituamus, poterit etiam à ſeptimo menſe nomen ducere. quæ omnia & à veritate ipſa, & ab Hippocratis dogmate, & à vera loci huius intelligentia alieniſsima apparent. Quartò ſiue ocioſi ac inutiles hi dies ſint, ſiue vti-

lès & validi; à conceptu plures quàm 280. esse supponuntur, nimirum in allato exemplo 295. atqui Hippocrates grauidationis dies, ac gestationis supposuit hoc loco quatuor decadas non excedere, quæ faciunt dies 280. Quintò partus vt plurimùm communi opinione nasci hac tempestate obseruantur nonomestres, nequaquam decimestres; scilicet dierum 270. interuallo, vel circiter; at si loco ociosorum dierũ de mẽse decimo capiẽdi essent totidem, perpetuò decimo nasci deberent & ad decimi finem; quod falsum esse monstrat experientia: vt interim taceam, partus nonomestres, qui quotidie nascuntur, hac accepta positione, octomestres verè esse dicendos, quia ex nonomestri spatio dierum 270. ociosi dies expurgationum demendi sint ad minimum quinq; (vt longiorem menstrui fluxus terminum nunc omittam) qui, cùm per 9. ducti dies dent 45. iam partus dierum 270. ablatis diebus ociosis verè esset dierum 225. & sic omnino octomestris. Sextò demum ac postremò; quod ait Lalamantius, mulieres circa plenilunium & vltrà concipere; hoc autem cùm fit, mensem inceptũ pro completo & integro supputãdum esse; huiusmodi verò partum incidere in plenilunium decimi mensis, idest in diem 280. primò in eodem hoc versatur errore, in quo & dictum illud Ferdinandi supra à nobis reprehensum; qui plenilunio concipiuntur, & vltrà, die 280. cunctos gestari; huius nãq; rei nulla est necessitas: ex quò & circa plenilunium etiam concepti Hippocrati, vt alibi notauimus, die 183. gestantur, quẽadmodum verba initio Opusculi de Partu Septimestri latissimè probant; qua de re etiam infra suo loco. deinde falsum omnino est, quorum conceptio fit circa pleniluniũ, ac mense dimidiato, horum partum in plenilunium decimi mensis, & quod putat Lalamantius in idem redire, in 280. diem incidere: siquidem scribit. Iam verò etiam „ plerunq; fit, vt mulieres circa plenilunium, „ mense scilicet dimidiato, aut etiam post a„ liquantò, concipiant: quod cùm fit, men„ sis inceptus pro completo & integro venit „ supputandus. incidit autem partus in ple„ nilunium decimi mensis, in ducentesimum „ dico octogesimum diem, seu septimam qua„ dragenariam. At enimuero, vt ipsa docet supputatio euidenter, si mense dimidiato fiat conceptio, & circa plenilunium; igitur de primo mense dies circiter 14. $\frac{1}{2}$ accipiet gestatio; verùm si huic summæ adijciamus dies 265. $\frac{1}{2}$ integros scilicet nouem sequentes menses, assurgent dies 280. exactè; qui non quidem in plenilunium terminant mensis decimi, vt putauit Lalamantius; sed è contra in nouilunium, quod vndecimo mẽsi affert initium. Sed video quid huic viro errandi fortasse dedit occasionẽ; cùm enim dierum 280. partum vocauerit Hippocrates libello de Principijs partum mensium nouem, ac dierum decem iuxta tricenûm mẽsium quantitatem; hic partus, hiq; gestationis dies, nempe dies 280. ac septem quadragenarij penes Lunarium mensium quantitatem, vt supra notauimus, in plenilunium incidunt mensis decimi. atqui considerandum erat Lalamantio, in ea supputatione Hippocratem, vt etiam diximus suo loco, à nouilunio, à primo scilicet die primi mensis initium ducere, non à dimidiato mense, atq; ab eiusdem primi mensis plenilunio, quod facit in hoc Opusculi de Partu Octomestri loco: quo pacto dies 280. necessariò in nouilunium ferè mensis vndecimi, non in plenilunium decimi, in dimidiumq; decimum finiuntur. Nec aliud addendum censeo ad eorum confutationem, quæ ex Scholio decimosexto adduxi, in eãdem sententiam disputata; cùm ex superioribus satis reiecta videantur. ex quibus tãdem omnibus huius viri opinio hæc in summa esse colligitur, quòd pro ratione dierũ ociosorum, ac inutilium purgationis, tot de mense decimo accipiendi sint, ac in ociosorum locum collocandi; adeò vt si vnus tãtùm dies sit fluentium menstruorum, partus post nonum diem decimi prodeat, quia de mense decimo, vt plenus & integer sit circuitus, totidem sint sumendi: si duo sunt dies purgationis, 18. mensis decimi die edatur, quia pro inutilibus totidem de illo sint capiendi: si dies tres, veniat in lucem, die 27. decimi eandem ob causam; quã quidem opinionẽ nullos in se numeros continere veritatis, nec ad Hippocraticam quadrare orationem, satis supra est ostensum. quare de Lalamantio satis. Fuerunt alij, qui cùm viderent, Hippocratem asserere, partus decimestres ex septem quadragenarijs constare; putarunt, eum, iuxta mensium profectionalium quantitatem, qui diebus 28. hor 2. m. 15. integrantur, decimestre spatium definiuisse. decem namq; hoc modo accepti menses septem ferè quadragenarios, dies scilicet 280. comprehendunt. Verùm Hippocratem decimestrium nomine eos præsertim, qui menses nouem, ac dies decem de mense decimo capiunt, non decimum totum, perpetuò hîc intelligere, suo

ſuo loco ſupra oſtendimus; huiuſmodiq; menſes profectionales Ptolemæi fuiſſe inuentum quarto Prædictionum, nec eorum vllum pręter Aſtrologicum negocium apud alios Auctores eſſe vſum, ſatis conſtat: vt meritò doctiſsimus vir Eugenius ſecundo libro de Hominis Partu huiuſmodi commentum multis nominibus duxerit refellendum; cuius rationes apud ipſum quiſq; videre poteſt. quanquam non mihi ſatis liquet, quod ipſe addit, iuſto calculo profectionales huiuſmodi menſes decem, dies efficere 282. cum dimidio; eò quòd horæ 20. & minuta 170. ſuperſint, quæ faciũt ſummam dierum duorum, & hor. 12. ex mea nanq; ſupputatione ſuperſunt hor. 20. & m. 150. quæ horas duas, & minuta inſuper 30. conſtituunt; vt decem profectionalium menſium quantitas, ni hallucinor, non amplius quàm diebus 280. hor. 22. m. 30. conſtet; ſiue, vt verius quiſq; ex poſtremo Tabularum Regiomontani præcepto eliciet, diebus 280. hor. 22. m. 56. ſec. 0. eò quòd profectionalis menſis decimatertia ſit pars Solaris anni, proindeq; diebus 28. hor. 2. m. 17. ſec. 37. definiendus veniat. Arbitror tamen virum hunc eruditiſsimũ ſuæ aſſertionis cauſas habere. Verum autem ſcopum attingant illi, qui, vt obſcura hæc Hippocratis verba explicent, exiſtimantes, eum de exacto decimeſtri intelligere, qui diebus 295. in lucem venit; dicunt hunc partum duplici participare quadragenaria, ſeptima ſcilicet & octaua; habereq; ſeptimę dies ferè 16. octauæ dies ferè 14. Hippocratem tamen ſeptem fieri quadragenarijs decimeſtrem aſſerere, octaua quadragenaria prætermiſſa; quia decimeſtres maiori ex parte medietatem menſis non pertranſeunt; & vtrum hac recepta explicatione, decem, quas ſupra attulimus, difficultates labefactentur, aliorum ſit iudicium. Si enim iam octauam quadragenariam fœtus capit, quo modo, niſi falſa pro veris nobis venditans, poteſt Hippocrates affirmare, ex ſeptem tantùm quadragenarijs illum conſtare? Præterea quo pacto verum erit, tàm decimeſtres, quàm vndecimeſtres ex decem quadragenarijs fieri, ſicut ex dimidio anno ſeptimeſtres? conſtat igitur, nullam harũ opinionum verum attingere Hippocraticæ orationis ſenſum. itaq; ſupereſt, vt, quam nos credimus veram eſſe huius loci obſcuriſsimi interpretationem, legentium oculis ſubijciamus.

Cap. 17.

Propria opinio proponitur explicanda; ac primùm ſex præmittuntur diſcutienda capita, quorum cognitio ad Hippocratis mentem aſſequendam eſt neceſſaria; ac primo loco de primo agitur capite.

Cap. 83.

PORrò autem vt in hac noſtra interpretatione veritatis lumen magis eluceat, ſex antea capita complecti animo, & cogitatione debemus; quæ eo maiore ſtudio pertractabimus, quò eorum cognitio ad humani partus naturam aſſequendam plurimùm confert. Ex his primum eſt, quid ſint menſtrua, & ob quam cauſam mulieribus fluant, an ſingulis menſibus, quouè menſis tempore moueri naturaliter tendant. Secundum, quot diebus fluere ſoleant, & qua de cauſa mulieres aliæ pluribus, aliæ paucioribus diebus purgentur. Tertium, an naturæ menſtruorum, expurgationumq; ratione geſtatio, ac partus ocyor, vel diuturnior eſſe poſsit. Quartum, quid conceptionis nomine propriè veniat audiendum. Quintum, quanto tempore conceptio ipſa fiat, & abſoluatur, quo ordine, & qua menſis parte: an poſt menſtrua purgamenta, an antea. Sextum ac poſtremum, vnde computatio partus, ac geſtationis ſit ineunda ſecundum Hippocratem; vtrum à conceptione, vel à fluxu menſtruorum; videlicet an ab incipientibus menſtruis, an à deſinentibus. Quibus omnibus exactè ac diligenter explicatis Hippocraticã poſtmodum orationem interpretabimur. Ad primum igitur caput vt aggrediamur, dicimus poſthabitis Medicorum nonnullorum in vnum omnium Præceptorem cauillis, vt ex eo conſtat primo de Ortu Animalium, cùm infirmioris plus excrementi, minuſq; concoctum fieri, idq; copiam cruenti humoris eſſe neceſſe ſit; infirmius autem ſecundum naturam ſit, quod minus caloris adipiſcitur; taleq; tandem fœmina ſit, ac mulier potiſsimum; idcircò mulieribus ſecretionem ſanguineam fieri: hancq; nil aliud eſſe poſſe quàm excrementum; huiuſmodiq; eiectionem menſtrua appellari. quę ſanè menſtrua vtilis, ac benigni ſanguinis pars ſunt, vt ſecundo de Ortu Animalium docuit his verbis Ariſtoteles, pulchrè finalem etiam eorum cauſam aperiens. „Cùm enim (inquit) natura concoquere nequeat, „excrementum fiat neceſſe eſt; non ſolùm alimenti inutilis, ſed etiam in venis, & per „tenuiſsimas venas exundando ſuperet; ſed „melioris notæ, finiſq; gratia natura eo abutitur

Cap. 19.

Cap. 4.

Sch. 15.

Cap. 5.
Cap. 6.

» titur in hunc locum, scilicet generationis » causa: vt quale erat futurum, tale alterum » oriatur. iam enim tale potentia est, quale » est corpus, cuius secretio est. vt mirum sit Lalamantium in librum de Octomestri Partu Aristotelem à Galeno dissentiẽtem pronunciare, quòd menstrua partem inutilis ac vitiati sanguinis esse voluerit; Galenus verò libro decimoquarto de Vsu Partium scripserit, superfluum quid ea esse vtilis sanguinis, ac benigni. Maneat igitur hoc ratum, firmumq; ex sententia Praeceptoris, menstrua & excrementa esse, & vtilis sanguinis portionem, licèt inutilis aliquid, vt « alibi ipse docuit, in eo misceatur; à mulie- « re genitam ob sui corporis frigiditatem, « cùm perfectè coquere nequeat; in vterum « per multas angustas ac tenuissimas venas, « quæ in illum desinunt, defluentem; cùm pre « exuperantia hanc sanguinis portionem ne- « queant continere, ideoq; cogatur ora ape- « rire. à qua quidem opinione Hippocratem « non dissentire, & paulò post ostendam, & « Galenus citato loco fassus est. qui hanc eã- « dem secutus, mox apertè testatur, hoc su- « perfluum, excrementumq;, quod in fœmi- « na gignitur, præ sua oriri frigiditate. sic » enim scribit. Fœtus ipse materiam postulat » copiosam, non modò ad primam sui consti- » tutionem, sed ad omne etiam deinceps in- » crementum. Proinde duorum alterum accidat ipsi est necesse; aut ipsius vtero gerẽ- » tis alimentum rapiat, aut superfluum acci- » piat. Verùm rapere quidem non erat me- » lius; superfluum verò assumere non pote- » rat, si fęmina fuisset exquisitè calida. discu- » teret enim ipsum sic, & facilè exsiccaret. » Frigidiorem igitur eam eousq; fieri satius » fuit, quoad alimentum, quod coxisset ac » confecisset, totum discutere non posset. » quod enim est frigidius, ne cõcoquere qui- » dem potest: quod verò planè est calidum, » vt concoquere, ita discutere validè potest. » Quod igitur non ita multùm ab exquisitè » calido relinquitur, & coquere satis, vt » quod non amplius est frigidum, & relin- » quere aliquid superfluum, ceu quod non » vehementer adeò sit calidum, potest. Hæc » igitur est frigiditatis fœminæ vtilitas. & » paulò supra dixerat. Sicut igitur homo a- » nimal est omnium perfectissimum; ita in eo » ipso rursus vir muliere est perfectior. cu- » ius perfectionis causa est caloris exuperan- » tia. hic enim primum est naturæ instrumẽ- » tum. In quibus igitur est parcior, in his » opificium sit imperfectius est necesse. Ni- » hil igitur est mirum, si fœmina mare tantò est imperfectior, quantò frigidior. »

De caliditate fœminæ, causaq; caliditatis Cappiuaccei sententia confutatur.

Cap. 84.

Haec itaq; Galenus; quibus apertè sanguinem ac menstrua excrementa frigiditatis ratione in fœmina gigni, redundare, ac superflua esse manifestè ponit; vt nõ videatur Cappiuacceus recipiendus, dũ libro quarto de Affectibus Vteri statuit, de Hippocratis & Galeni mente fœminam esse ob caliditatem sui sanguinis mare calidiorem; cuius hæc est oratio. Neq; obstat, » licèt Hippocrates libro de Morbis Mulie- » rum videatur asserere, fœminam esse cali- » diorem mare; vnde & Galenus libro tertio » de Causis Pulsuum dicit, fœminis pulsus » esse frequentiores. Dicit enim Hippocra- » tes fœminas esse calidiores, quia sanguinẽ » habent calidiorem; & esse calidiores viris, » quia habent sanguinem calidiorem viris; ita » vt sanguis non pendeat à caliditate fœmi- » næ, sed contrà caliditas fœminæ pendeat à » caliditate sanguinis. non enim dicit Hip- » pocrates fœminam ideo habere sanguinem » calidiorem, quia fœmina est calidior: insi- » nuat enim caliditatem non natiuam, sed ad- » scititiam pendentem à sanguine calidiore » excrementitio, & superfluo. Quia igitur » sanguis fœminæ est calidior, & hic magis » redundat in fęmina quàm in masculo, idcir- » cò quoad adscititiam caliditatem fœmina » est calidior mare; licèt hic calidior sit illa » quoad caliditatẽ natiuã. Hæc vir doctissi- » mus Cappiuacceus; sed certè libro tertio iam pridem à nobis ostensum est, fœminam de Hippocratis etiam sententia libro primo de Mulierum Morbis sanguinis quoq; ratione mare esse frigidiorem; cùm diuinus Senex ob adscititiam in fœmineo sanguine caliditatem, vt ibi diximus, fœminam esse dicat calidiorem, ideoq; caliditatem hanc sanguinem in ea non natura propria, nec sẽper, vt Cappiuacceus velle videtur, habere velit, sed tantùm cùm in corpore retinetur præter naturam, & quia retineatur. neq; enim fœminæ sanguis, vt etiam quarto de Animalium Ortu pulchrè docuit Aristoteles, vllo pacto sanguine maris simpliciter ac propriè calidior esse potest; eò quòd tota caliditas sanguinis, vt ex eius mente libro quarto à me monstratum est, quod & non leuiter indicauit libello de Principijs Hippocrates, à natiuo ac insito in corde calore pendeat; qui, cùm longè sit in mare copio-

Cap. 8.

Cap. 1.

Cap. 67.

 pio-

piosior ac potentior, sanguinem etiam ipsius reddit calidiorem, sed aliquando adscititia caliditate ob retentionem fit calidior, vt sensisse Hippocratem, memorato loco explicauimus. Quod verò spectat ad Galenū, iam superius ex eo allata auctoritas latissimè probat, sanguinem fœminæ ex ipsius sententia maris sanguine longè esse frigidiorem. coquit enim fœmina, & sanguinem gignit vel ipso admonente, quia non ita multùm relinquitur ab exquisitè calido, idest non tantùm à mare caloris ratione superatur, vt suum non habeat ipsa quoq; calorem, quo coquere possit; quod nanq; frigidius est, ne coquere quidem potest, vt supra dixit. atq; hoc est, quod subdit, fœminam, vt quod non amplius est frigidum, coquere satis; coquit enim, quia non est exquisitè frigida, cęteroqui vim coquendi non haberet; propterea inquit Galenus, nō relinqui fœminam ita multùm ab exquisitè calido, scilicet à mare; non enim ita caloris ratione à mare superatur, vt exquisitè frigida existat, sed tantum caloris habet, vt coquere valeat aliquo modo. at quod coquit, non discutit & absumit; sed relinquit superfluum fœmina sanguinem, quia, vt Galenus adiungit, non vehementer adeò calida est, vt mas; ita enim quod coquit, etiā absumeret. Quod autem ex eodem ad maiorem in fœmineo sanguine probandam caliditatem Cappiuaccens affert ex tertio libro de Causis Pulsuum, fœminis videlicet pulsum esse crebriorem, quasi id ob calidiorem illarum sanguinem censuerit Galenus euenire; hoc, si verè ipsius mentem assequamur, tantum abest, vt in fœmina arguat caliditatem, vel in eius sanguine, vt perspicuè monstret ac firmiter, longè eam esse mare frigidiorem. cùm enim quatuor sint, quod ad hanc rem pertinet, pulsuum differentiæ, vt eiusdem operis libro primo doctè ac subtiliter idem docet; magnitudo, siue dicere velis, vehementia & imbecillitas; celeritas tarditas; crebritas raritas; durities & mollitudo; nec semper ac necessariò eodem auctore celeritas & crebritas magnitudinem sequātur; sed celer fiat pulsus, quando ἱκανῶς, idest satis ob diastoles exiguitatem non refrigeratur calor; quod euenit, cùm pulsus non est magnus; creber verò euadat, cùm αὐταρκῶς, vt Galenus inquit, idest sufficiens tùm ex magnitudine, tùm ex celeritate non suppeditatur auxilium; quia scilicet natura magnitudini, vt idem acutè subdit, celeritatem, si opus sit, celeritati adijciat crebritatem: in viro, vt perbellè libro tertio ipse docet, pulsus est vehementior quàm in muliere, sed in ipsa celerior est, & crebrior quàm in mare; idq; non ob aliam certè rationem, nisi quia ipsa mulier viro est frigidior. quia enim minorē habet naturalis calidi copiā, minus attollit, minoreq; & imbecillū habet pulsum; quare & hac de causa celerem & crebrum. quia enim non satis calor insitus refrigeratur, celeritas adijcienda fuit, & quia id non sufficit; addenda postremò fuit crebritas. atq; hæc causa est, cur, tametsi mollities adsit in muliere instrumentorum, pulsus nihilominus est creber. Sed Galenū ipsum libro tertio de Causis Pulsuum audiamus. Quatenus quidem (inquit) infirmior facultas est, & calor parcior mulierum, debebat tardior etiam pulsus esse; quod eū vtriq; huic causæ ostendimus esse peculiarem. Cęterum quia multò est minor, eòq; minus vsui satis fit, auget quantum potest celeritatem: quippè hoc primus liber esse necessarium probauit. Itaq; cui illa exciderunt, quæ in illo libro docuimus, nequicquā hæc legit. At si quidem celeritatis tanta accesio fit, vt omni vsui foret complēdo, non quæreretur crebritas; sed quoniam multū vsui cedit fūctio ob distentionis paruitatem, aliquantū autem adiuuatur à celeritate, oportet iam satis pulsus fit creber: id quod etiam in primo libro est declaratum. Ergo mulieres ad hunc modum à viris pulsu distāt. Hæc Galenus; quibus ob ipsam mulierum frigiditatem pulsum illis esse celeriorē & crebriorē, non ob caliditatem sanguinis, apertè docet; vt palàm fit hac in re plurimùm à suo doctore Galeno Cappiuacceum deuiasse. Itaq; hoc certū exploratumq; nobis sit ex Aristotele & Galeno, menstruum sāguinem frigiditatis ratione in muliere exoriri, quia scilicet ob frigiditatē coquere satis nequeat, longèq; minus concoctum discutere & absumere; vt necesse illi propterea sit superfluū relinquere; proindeq; id ipsum, ꝙ redūdat, per venarum ora in vterum deferri. Dixi autem per venarum ora in vterum menstruum sanguinem defluere; vt lectorem admonerem, idem esse apud Aristotelem, mēstruum sanguinem per venarum ora in vterum deferri, quod & per tenuissimas venas, vel per earum tenuitatem in vterum transfundi: quanquam postremum hoc nonnulli Recētiores ita accipientes, ac si resudando sanguinem in vterū labi Philosophus affirmet; illius hanc sententiam vel ex eo reijcere conati sunt, quòd quantitas, crassitiesq; sanguinis, qui expurgatur, non per re-

Cap. 2. *Ca. 4. et 5.* *Cap. 2.*

resudationem in vterum exundare ostēdat; sed omnino per vasa, oraq; venarum, quæ in vterum finiunt.

Quo modo menstrua purgamenta in vterum excernantur. Defenditur Aristoteles à nonnullis recentioribus. An singulis mensibus mulieres menstrua patiantur. locus quidam Aristotelis obscurus explicatur.

Cap. 85.

At nos, vt dum vita, ac spiritus est, Pręceptorem de more tueamur; dicimus istis primùm esse considerandum, de hac resudatione nullum esse secundo de Ortu Animalium in Aristotelica oratione verbum. (Cap. 4.) siquidem habet gręcum exemplar, μὴ δυναμένης τε γὰρ πέττειν τῆς φύσεως, ἀνάγκη περίττωμα γίγνεσθαι, μὴ μόνον τῆς ἀχρήστου τροφῆς, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς φλεψὶν· ὑπερβάλλειν τε πληθύνοντα κατὰ τὰς λεπτοτάτας φλέβας. quod est ad verbum. Cùm enim natura coquere nequeat, necesse est excrementum fieri non solùm alimenti inutilis, sed & in ipsis venis; idq; superabundare, cùm multus iam factus fuerit, per tenuissimas venas. Hæc ille; quibus habemus quidem per tenuissimas illas venas in vterum sanguinem menstruum deferri; nimirum quia ipsarum ora aperiantur; non autem per resudationem quasi penetrare, vt isti volunt: quæ quidem verba declarant alia in eandem sententiam superius prolata, quæ superficie tenus accepta viderētur fortasse horum fauere opinioni. enimuero cū dixisset Aristoteles, mulieri venis duabus maiore, atq; aorta fissis supernè, multas, tenuesq; venas in vterum finire; statim addidit, his repletis venis alimento, cùm ob frigiditatem natura illud coquere nequeat, ideoq; ingens ipsius copia coaceruetur; cū hæ ipsæ venæ copiæ excessum ob angustiam nequeant continere, ἐκκρίνεσθαι διὰ λεπτότητα τῶν φλεβῶν εἰς τὰς ὑστέρας. quod Theodorus interpretatur, transfundi in vterum propter venarum tenuitatem. At ego existimo Aristotelis verbis admonitus sic esse locum accipiendum, ac si dicat, non propter venarum tenuitatem, quasi tenuitas hæc in causa sit, vt possit sanguis resudare, quemadmodum innuit Theodorus; sed per venarū tenuitatē, idest per tenuissimas venas, quas multas etiam esse dixit, vt ipse infra se ipsū explicans declarauit, excerni in vterum, & deferri; oris videlicet illarum apertis præ nimia sanguinis copia, cùm illum non possent amplius continere. Neq; enim vero simile est, Philosophum voluisse, sanguinem per venarum tenuitatem resudare in vterū, ac trāsfundi: cui sanè cōmento & quantitas forsan menstrui sanguinis, & qualitas, videlicet ipsa crassities, vt rectissimè isti obijciebant, maximè resistit; sed per venarū ora, quæ aperiuntur, defluere; quod subticuit Philosophus tanquam necessarium, omnibusq; notum. Deinde dicimus, si resudationem istam per venarū poros fieri ponamus, quemadmodum resudatio fit Aristoteli, nullum sequi propterea inconueniens; eò quòd Philosopho nil aliud sint pori, quàm tenuiū venarum ora, per quæ sudor exit; cū ob eorum angustiam sanguis nō possit præ sua crassitie egredi. nam & sic libro tertio de Partibus Anima. apertè ipse docuit, vt (Cap. 5.) ego ad verbum interpretor; neq; enim semper græca appono, ne tedium lectori afferā. Ex maioribus autē in minores venæ semper progrediuntur, donec in poros desinant, ac transeant ipsa sanguinis crassitie angustiores; per quos quidem sanguini non datur aditus: at excremento vaporis humidi, quem sudorem appellamus, datur: quod fit calefacto corpore, & venulis ora aperientibus. Hęc ille; quibus manifestè quos supra poros appellauit, venarum ora dicit. ex quò & mox subdit, nonnullis contigisse, vt per huiusmodi poros, & ora cruentum quoddā excrementum sudarent propter vitiatū corporis habitū: vt nil sit mirum si per venarū poros, & ora, quæ in vterum desinunt, quia in hūc vsum à natura sint fabricata, sanguis menstruus & multus, & crassus quasi resudando transire possit; quæ quidem ora Galenus scitè postea vteri vasa videtur appellasse. quod sanè voluisse Aristotelem satis ex libro tertio de Anim. Ortu colligimus; vbi (Cap. 1.) perspicuè inquit, vterum calefactum humorem trahere, & poros aperiri; dixeris venarū ora, quæ in vterum desinunt: de cuius loci sententia infra agam. Sed hac de re satis pro præsenti instituto. Vtrum autem singulis mensibus menstrua mulieribus commoueātur, ob Aristotelis dictū quoddam perperā conuersum à Theodoro, cogor hoc loco, quoad eius tamen fieri poterit breuius, disputare. Sic Philosophus Historiarum septimo inquit ex Theodori interpretatione, (Cap. 2.) Paucis menstrua singulis mensibus mouentur, sed vno intermisso plurimis. At certè hac sententia nihil leuius, nihil à vero magis dissentaneum; cùm sensuum fide experiamur, singulis mensibus mulieres purgari, nisi aliquid morbosum contingat, vel pręter naturam. sed si Græcam seriem considere-

mus, videbimus Theodorum fœdissimè in eius interpretatione esse lapsum. Græcus contextus ita habet. καὶ ταῖς μὲν, συνεχῶς καθ' ἕκαστον ὀλιγάκις τὰ καταμήνια φοιτᾷ, ταῖς δὲ μιᾷ δὲ τρίτον ταῖς πλείσταις. cuius loci ad verbum sententia est. Ac mulieribus quidem rarò menstrua singulis mẽsibus continenter fluunt, plurimis autem tertio quoq; mense sic agitur. Quare (quod & ante nos, vt cuiq; sua laus tribuatur, doctissimus Mercurialis animaduertit libro quarto de Morbis Mulierum) Theodorus ommissione aduerbij συνεχῶς Aristotelis sententiam deprauauit. Neq; enim inquit Philosophus, tertio quoq; mense plurimis mulieribus mẽstrua moueri, paucis, singulis mensibus; quasi eo mẽse, qui interiacet, maximę mulierum parti nulla moueri menstrua velit; sed inquit, plurimis non moueri singulis mensibus continenter & vniuersim, ac sine vlla intermissione. Nam & hoc est, quod paulò infra idem subdit verbis illis. ταῖς μὲν γὰρ κατ' ὀλίγον, ταῖς δὲ ἀθρόα ἡ κάθαρσις γίνεται. quod est. Alijs enim paulatim, scilicet singulis mensibus menstrua fluunt, quas plures esse supra dixit; alijs verò vniuersim, continenter, & confertim hęc purgatio singulis mẽsibus efficitur; quod rarò asseruit euenire, & paucioribus, quam sanè commouẽdorum menstruorum differentiam Galenum quoq; libello de Vuluę Dissectione video adnotasse, dum scriberet, menstruum, tempore, quo incipit fluxus, vel desinit, οὔτε πολὺ, οὔτε ἀθρόον fluere, sed ὀλίγον & καταβραχὺ, idest, nõ multum & cõfertim, sed paucum & paulatim. mulieribus .n. pluribus, & vt plurimũm menstrua singulis mensibus per interualla fluere, ac horis nonnullis intermissis erumpere, non continenter, & vniuersim, vel earũdem mulierum testimonio ipsa docet experientia. Ita autem si verba accipiamus, nulla esse opus emendatione, vt nonnulli volunt, satis constat. Plinius tamen locum hunc attingens libro septimo Historiæ Naturalis, quæ menstrua continenter vniuersimq; erumpere dixit Aristoteles, largius fluere interpretatur; sic enim scribit. Et tale, tantumq; omnibus tricenis diebus malum in muliere existit, & in trimestri spatio largius. cuius quidem interpretationis recipiendæ etsi nulla sit necessitas (quæ tamen, si largius intellexit, idest confertim & continenter, quia non per interualla; omni ex parte consentit) eò quòd quæ paulatim purgantur, ac per interualla, tantum sanguinis mẽstrui tot vicibus possint emittere, quantum vna, vel altera vice emittunt, quę vniuersim, & continenter expurgantur: valde nihilominus probabile est, quæ confertim purgatur, & vniuersim, largius quoq; purgari; quia videlicet continuus iste fluxus ex nimia menstruorum abundantia ortum habeat. quod totum cum ratione videtur consentire; eò quòd non secus ac arbores non singulis annis eandem fructuum copiam ferunt, sed largiorem vno intermisso; cuius rei causa est, quòd natura non potest singulis annis æqualem materiam subministrare; ita & mulier, quæ singulis mẽsibus sanguinem menstruum profert quasi fructum; trimestri spatio largius illũ emittet. menstruum enim semen est quodammodo, vt primo de Ortu Animalium docet Aristoteles; semen autem & fructus idem sunt, nisi quantùm prioris, posteriorisq; differunt ratione, vt idem admonet eodem loco. Hinc autem quanta diligentia naturales rerum effectus, proprietates, & operationes Aristoteles obseruauerit, facilè quisq; cognoscet; vt pleraq; ab eo enarrata idcircò nobis, qui tanta diligentia non obseruamus, vel falsa, experientiæq; contraria, vel parum tuta videantur. quãquam in hac partus humani materia, mulierumq; proprietatibus describendis, semper illud memoria repetendum, Hippocratem & Aristotelem, cùm non exiguam viderent inesse varietatem & inconstantiam, ea perpetuò recepisse, mandasseq; monimentis, quæ vt plurimum fieri obseruarunt; vel si id eis nõ licuit, saltem quæ cum ratione magis videbant consentire. ita vt de huiusmodi rebus, quas solus Deus nouit euidenter; quantum homini nosse de illis datur & dicere, quemadmodum de formatione fœtus disputans libello de Natura Pueri Hippocrates prudenter admonuit, tantum sit ab Auctoribus expectandum: quanquam scio, Gorræum Hippocraticam sententiam illam in suâ cõuersione aliter interpretari.

Cap. 1. Cap. 10. Cap. 15. Ca. 18. 19

Quorundam Recentiorum opinio confutatur.
Cap. 86.

Coll. li. de Part. Hu. Cap. 12.

IAm verò non me præterit doctissimos quosdam viros, Theodori, ac veteris Interpretis in omissione aduerbij συνεχῶς lapsu non sine magna laude animaduerso, hunc Aristotelis locum sic interpretari, vt velint esse sententiam, paucas singulo, plurimas autem tertio quoq; mense confertim purgari; ita vt doceat Aristoteles, purgari confertim singulis mensibus rarum esse: accidere autem id potius ijs, quæ nonnisi tertio

tio quoq; mense purgantur: nempe quia rationi sit consentaneum, quæ singulis mensibus expurgantur, non ea sanguinis copia scatere, quæ euacuationem confertim factam promoueat; euacuationes enim longas impetuosasq;, quales ea vox, confertim, significat, insignem humorum copiam efficere propulsiuam facultatem, excitantem; quæ copia esse non potest in ijs, quæ singulis mensibus expurgantur; esse verò potest in alijs, in quibus euacuatio in tertium mẽsem seruatur. idcircò, quod Plinius, quasi Aristotelis locum transferens, omnes ait mulieres tricenis dieb⁹ purgari, sed largius trimestri spatio; ita, vt primò sonant verba, acceptum, non respondere quotidianæ obseruationi, quæ docet, eas mulieres, quæ singulis mensibus purgantur, si benè sanæ sunt, parum dissimili purgatione purgari. Verùm id mihi in huiusmodi interpretatione difficultatem affert, quòd si Philosophus dicit, plurimas mulieres tertio quoq; mẽse confertim purgari, vt verè dicit; non potest voluisse, nisi cum semetipso atrociter pugnans, id illis potius accidere, quæ non nisi tertio quoq; mense purgantur. enimuero quæ tertio quoq; mense tantùm profluuium patiuntur, paucissimæ sunt, vt ipsa docet experientia; nam & hoc est, de quo & meritò à nonnullis redarguitur Aristoteles, existimantibus hoc loco eum asserere, plurimas mulieres tertio tãtùm quoq; mẽse, alternis scilicet, expurgari vno intermisso. At verò si mulieribus illis, quæ tertio quoq; mense purgantur, potius conuenit, vt tertio quoq; mense confertim purgẽtur; rarissimæ verò sunt mulieres, quæ tertio quoq; purgantur mense; igitur & rarissimę & longè pauciores sunt, quæ tertio quoq; mense purgationem confertim effundant. at plurimas esse, quæ id perpetiantur, scripsit Aristoteles; quare & à se ipso dissentaneus. Sed & illud mihi dubium; quæ singulis mensibus expurgantur, non ea sanguinis copia scatere, quæ euacuationes confertim factas queat promouere; enimuero quæ alternis mensibus profluuium habent, ideo habent, quia sua natura steriliores cũ sint, menstrui sanguinis experiuntur inopiam; quare harum magis videtur esse proprium, vt nunquam tanta ipsius copia scateant, quæ euacuationes confertim factas possit excitare; paucissimus enim cùm illis sanguis redundet menstruus, non potest mensis vnius spatio tantus coaceruari, vt profluuiũ excitet, sed altero mense habet opus; quare vix tãtus coaceruatur tertio mẽse, vt purgationẽ per interualla moueat, nõ confertim, & largius, & impetuosius. at verò quę singulis mensibus purgantur; cùm magnam habeant sanguinis copiam; possunt longè facilius illum ob expositam supra rationem trimestri spatio largius effundere. Hinc & Plinij dictũ videbitur fortasse quotidianæ obseruationi respondere; si enim idem est, vel ipsis exponentibus, confertim expurgari, quod largas impetuosasq; habere expurgationes; confertim autem tertio quoq; mense expurgari mulieres plurimas, verè dictum ab Aristotele ponunt; certè dicens Plinius mulieres trimestri spatio largius purgari, nil aliud dixit, quàm confertim expurgari tertio quoq; mense; qui nec tamen asseruit omnes mulieres id perpeti, sed tale, tantumq; omnibus tricenis diebus malũ in muliere existere, & in trimestri spatio largius; intelligens vt plurimum, & mulieribus plurimis id euenire. vt interim taceam, si quæ singulis mensibus purgantur, dissimili, tertio quoq; mense, tametsi parũ, purgatione purgantur, hanc ipsam alternis mensibus contingẽtem in menstruorũ purgatione dissimilitudinem; quia scilicet paulò largius, confertimq; tertio quoq; mense fiat; Aristotelis, Plinijq; sententiam comprobare. Hæc autem, non vt doctissimorũ hominum explicationes reijciamus, dicta sint, à qua re longè absumus animo; sed vt liberè, studiosorum vtilitati consulentes, quæ nobis occurrũt difficultates, in medio ponamus; alioqui & nos ipsos, & hęc nostra acri eorũ iudicio libentissimè subijciẽtes.

Qua mensis parte naturaliter menstrua mouentur. Quid decrescentis mensis nomine apud Aristotelem potissimum veniat intelligendum.

Cap. 87.

QVo verò tempore naturaliter moueri magis tendant menstrua, idem Aristoteles pręclarè quarto de Animalium Ortu ita docuit. Cęterum, inquit, menstrua » nullo circuitu certo describuntur, tendunt » tamen moueri decrescente mense, idq; ra- » tione recta: sunt enim corpora animalium » frigidiora, cùm euenit, vt continens aer ta- » lis afficiatur; mensium autem coitus frigidi » sunt propter Lunæ defectum; iamq; fit vt fi- » nes mensium quàm media sint frigidiores. » igitur postquam excrementum mutatum in » sanguinem est, menstrua moueri tendunt, » eo quẽ dixi circuitu. Quod idem sic quar- » to libro legimus confirmatum. Tùm etiam » vt menstrua secundum naturam mensibus » de-

Cap. 2.

decrescentibus potius fiant eadem de causa accidit: tempus enim hoc mensis frigidans est & humidius propter Lunæ decrementũ & defectionem. Sol enim per totum annum hyemem facit, atq; æstatem; at Luna per mensem id agit. quod ita fit non accessu discessuq; Lunæ, sed alterum increscente luce, alterũ decrescente. Hæc ille; quibus perspicuè nos docet, decrescente mense naturaliter menstrua commoueri; nimirum quia hæc mensis pars frigidior sit ob Lunaris luminis defectum. at quam mensis partem maximè propriè decrescentis nomine (dixeris lucis deficientis) intelligere debeamus, pulchrè in Opusculo de Pluuiarum Signis declarat Theophrastus his verbis secũdum nostram interpretationem. Verùm signa maximè peculiaria à Sole & à Luna accipiuntur; etenim Luna noctu est veluti Sol alter: atq; hac de causa mensium coitus frigidi sunt, quia à quarta senescentis vsq; ad quartam ineuntis mensis Lunæ lumen deficit. quo loco in Annotationibus super eo libello nos pluribus in Anemologia ostendimus, per quartam decrescentis mensis & ineuntis, secũdum & primum hexagonum Theophrastum intelligere; quæ quidem hexagona configuratio circiter diem quartam ante coitum, & post fieri solet. enimuero circa hanc mensis partem verè Lunæ lumen insigniter nos deserit, præsertimq; circa coitum, quo tempore penitus deficit. Diximus maximè propriè decrescentis mensis nomine (habet græcum Theophrasti exemplar, ἀπὸ τετράδος φθίνοντος μέχρι τετράδος ἱσαμένου) intelligendum esse in proposito, ab hexagono secundo vsq; ad primum ac circiter; quia non me latet apud Græcos auctores dies mensis triginta in tres partes ac decadas diuidi, vt supra in explicatione verborum Iosephi admonui; primamq; partem dierum decem ἱσαμένου esse μηνὸς, ab illis dici; secundam, quæ ad diem 20. pertingit, μεσοῦντος; tertiam, quæ ad diẽ 30 φθίνοντος: ita vt die 21. apud illos decrescentis mensis pars incipiat; proindeq; ante secundum hexagonum decrescens mensis pars propriè locum habeat, appellariq; valeat. Sed quia diuinè Theophrastus non tàm decrescentis quàm deficientis insigniter Lunaris luminis tempus notare voluit; ideo decrescentis mensis nomine hanc maximè partem pulcherrimè significauit nobis esse intelligendam. erat enim Græcis φθίνοντος τέτρας dies 27. mensis, quoniam cùm quotus esset dies harum decadum dicerent, in diebus numerandis φθίνοντος μηνὸς, scilicet partis decrescentis mensis, & huius tertiæ decadis, ordine retrogrado progrediebantur, & cùm in alijs duarum præcedentium decadum numerandis diebus recto vterentur ordine; ἱσαμένου τέτρας necessariò significabat illis quartam mensis diem; adeò vt à die 27. præcedentis mensis (dixeris decrescentis) ad quartum diẽ sequẽtis, i. incipientis cresceñtisq;, verè deficientis luminis tempus, proindeq; decrescens maximè propriè mensis pars in proposito veniat intelligenda. Hinc inquit Theophrastus, vt doceat in nouilunio decrescentem mensis partem locum habere, συνόδους τῶν μηνῶν, idest mensiũ coitus esse frigidiores; siue dicere velimus mensium initia, quia apud Græcos à coitu, coniunctione, congressuq; Lunæ cum Sole mensis erat initium; quod & superiori oratione ante illum præceptor docuit Aristoteles verbis illis. Mensium autem coitus (αἱ σύνοδοι τῶν μηνῶν græcum habet exemplar) frigidi sunt propter Lunæ defectum. qui ob eãdem causam in calce quarti de Animalium Ortu coitum, interluniũq; φθίσιν pulchrè appellauit, idest decrementum plenilunio illud opponens (silentium Gaza interpretatus est) nempe quia tunc Lunare lumen prorsus deficiat; adeò vt φθίνοντος μηνὸς nomine hoc ipsum tẽpus, dixeris mẽsis initium, de eius mente maximè veniat intelligendum; proindeq; insigni errore Theodorus verba illa interpretans. διόπερ καὶ χειμερίους συμβαίνει τὰς συνόδους μᾶλλον, ἢ τὰς μεσότητας. vocem συνόδους, quã paulò ante verterat coitus, fines mensium interpretatus sit, quæ è contra initium omnino significabat. scripsit enim. Iamq; fit vt fines mensium quàm media sint frigidiores. Atqui Aristoteles synodos dixit, vt nouilunia significaret, proindeq; τῇ μεσότητι, idest medietati ac plenilunio opposuit, dixeris Lunę decimęquintæ, quam mediam Veteres Græci vocarũt, præsertim Hesiodus; ideoq; mẽsium significauit initia, non fines. Hinc rectissimè Trapezuntius in sua versione. Propterea coniunctiones magis sunt hyemales, quàm plenilunia. Itaq; , vt redeamus ad nostra, à secundo sextili ad primum vsq; naturalissima erit mensis pars, in qua mẽstrua debeant commoueri, quia per id temporis Lunare lumẽ insigniter deficit, ob idq; hęc ipsa pars redditur frigidior; adeò vt circa interlunium, ac paulò post, quo tempore Luna penitus lumine caret, potissimũ moueri incipiant ex sententia Aristotelis; propterea; verba ipsius illa septimi Historiarum, quibus inquit, circa menses decrescẽ-

Ann. 18. & 19.

Cap. 2.

tes menstruorum impetus accidere, ideoq; nonnullos cauillo sexum fœmineum Lunæ tribuere, quoniam simul & illi decrementum, & fœminæ purgatio contingat, & post decrementum ac purgationem repletio ambabus eueniat; intelligenda sint, non quòd velit purgationem semper ante nouiluniũ incipere, ac simul cum decremento luminis finem habere; sed quòd decrementi nomine tempus, quod inter vtrunq; hexagonũ interiacet, quia tunc Lunæ lumen maximè propriè in decremento est, intelligat; quẽadmodum Theophrasti auctoritate supra ostendimus; ita vt, quanquam lumen à nouilunio ad primum hexagonum, quãtum in se est, crescat, quia tamen tunc temporis exiguum est, verè nihilominus cum Theophrasto deficere sit dicendum, & esse in decremento; proindeq; decrescentis mensis nomine tota hęc pars veniat audienda; & ideo plerunq; circa ipsum primum hexagonum menstrua commoueantur. quod experimẽto consentire illud argumẽto est, quòd nõnulli grauissimi Auctores, mãdarint monimentis (inter quos Auicennam comperio, vt mox ostendam) cum Lunæ crescente lumine menstrua commoueri: nimirum quia ab interlunio & à primo hexagono ac circiter nõ rarò fęminis erũpere, à fide dignis mulieribus intellexerint. quod tñ tẽpus ob expositas causas decrescentis mẽsis, dixeris verius luminis insigniter deficientis appellari debet: quę omnia tanquam maximi momenti ad eorum intelligentiam, quæ in hoc Hippocratis loco explicãdo dicturi sumus, maximè legentes cupio obseruare. Hanc Aristotelis sententiam, quòd interlunio & desinente mense menstrua erumpant, à Ferdinando Mena viro doctissimo receptam in Cõmentarijs super librum Hippocratis de Septimestri Partu, atq; ante illum à Gorræo in Annotationibus in libello de Natura Pueri; multò antea in eodem libro expressit Hippocrates ita scribens. Primùm quidem sanguis in corpore singulis mensibus turbatur ab huiusmodi necessitate, ꝙ mensis à mense multùm differt & secundum frigiditatem, & caliditatem: atq; hoc percipit mulieris corpus; humidius enim est quàm virile. Vbi autem turbatus est sanguis, & venas impleuit, ab ipso descendit, qualis ab initio naturæ fuit. Hæc ille; quo loco, meo quidem iudicio, dicens mensem à mense, videlicet, vt ego interpretor, vnã mensis partem ab alia plurimùm calore differre, ac frigiditate; iam nouilunium, ac plenilunium nobis ob oculos ponit; quorũ

Cap. 4.

Cõ. 6. et 15

Annot. 15.

aspectuum ratione calor omnis, ac frigus in mẽse maximè oritur. Significat .n. hoc loco mẽsis Hippocrati partẽ mẽsis; cùm sit apertissimum non quidem mensis vnius ab altero in aeris varia cõstitutione differẽtiam, & mutationẽ mẽstrua in muliebri corpore cõmouere; sed vnius partis ab altera in eodem mense factam Lunæ aspectum ratione in calore & frigore differentiam; si modò verùm est, quod & supra ex Aristotele diximus, & Sapientũ ore circũfertur, ac recipitur, naturę decreto deficiente lumine & mense, & ideo quia deficiat, mẽstrua cõmoueri; alioqui hæc naturæ operatio nullum statũ tempus haberet, ordinem nullum, sed casu fieret. quare, cùm Gorræus in Annotationibus hæc Hippocratis verba refert ad mutationes potius generaliter omnes vno, vel altero mense in aere factas, quàm ad mutationes partium mensis eiusdem aspectuum Lunæ ratione genitas; veram, meo iudicio, huius loci sententiam non attingit. Sed ad propositum reuertamur. Addens rursus Hippocrates, muliebre corpus hasce percipere differentias & experiri, quia humidius sit, quàm virile; monstrat, mulierem sui tẽperamenti ratione, quod ob caloris inopiã frigidius est, hanc perpeti alterationem. siquidem humidius id Hippocratem dicere, quod frigidius est, quatenus pertinet ad materiam, ex qua mas, & fœmina formantur, atq; ad corporum eorundem temperaturam; iam supra libro tertio Aristotelis sẽtentiam explicantes abundè ostendimus: vbi etiam monstrare conati sumus, nullam esse inter Hippocratem & Aristotelẽ in causa ortus maris, & fœminæ dissensionem. itaq; & temperamenti, & excrementorum redundantiæ ratione, quæ ob caloris inopiam in muliebri corpore fiunt, ipsum vocat humidius hoc loco Hippocrates. Item dicens, sanguinem hunc ex venis prodire, vtilis ac benigni sanguinis partem mẽstrua esse ostendit; cùm, vt supra ex Aristotele vidimus, quod in venis est, alimento inutili opponatur tanquam vtile alimentum. Demum dicens huiusmodi necessitate turbari in corpore muliebri sanguinem (quam sanè turbationem libello de Insomnijs Philosophus quoq; agnoscit, & libro Septimo Historiarum) de more naturalis agentis causæ actionem, necessitatem appellauit. fit enim necessariò; quemadmodum supra ex Aristotele docebamus, vt corpora Animalium frigidiora sint, vel calidiora, cùm euenit, vt continens aer talis efficiatur. Frigiditatem autẽ simul & caliditatẽ commemo-

Ann. 15.

memorauit Hippocrates, vt ostenderet frigiditatis ratione, & ob caloris defectum sāguinem in muliere turbari; quia nimirum in ea tunc ob caloris inopiam, ob frigoris & humoris copiam maior inconcocti sanguinis gignatur abundantia, quia minus propterea mulier concoquere valeat. cùm enim menstruum sit minus concocti sanguinis redundātia; certè hæc materia tunc magis abundabit, cùm minus sanguis concoquetur; concoquetur autem minus, cùm muliebre corpus frigidius erit: nam tunc maiorem caloris inopiam patietur. at tempus id decrescens mensis pars est, ac interlunium; igitur decrescente mense menstrua naturaliter Hippocrate, & Aristotele teste mouebuntur. Item potuit caloris facere mentionem, vt plenilunium comprehenderet; quatenus nonnullis mulieribus ob tēperamenti differentiam plenilunij tempore mēstrua mouentur, vt infra dicam; atq; hoc est, quod in libello de Septimestri Partu monebat Hippocrates, menstrua mulieribus sanis singulis mensibus apparere, tanquam propriam & peculiarem in corporibus vim mensis habeat; quo loco mensis inquit, videlicet mensis partes, vt est perspicuum; ob alterationem enim, quam muliebre corpus recipit potissimum coitus Lunæ tempore & plenilunij, cuius motus mensem moderatur & constituit, propriam habere mensem in eo potestatem dixit. nam & propterea in calce Opusculi de Octomestri Partu interlunij & plenilunij fecit mentionem, postquam dixit, plerasq; mulieres post menstrua purgamenta in ventre concipere; de qua quidem Hippocratis sententia præcedenti etiam libro disseruimus. Hinc meritò Galenus tertio de Diebus Decretorijs memoriæ prodidit, Lunam menstruorū statum tempus mulieribus conseruare. atq; Auicenna libro nono de Natura Animaliū idem confirmauit, nouilunio menstrua cōmoueri ita docens. Et plus accedit de mēstruis in principio mensis, & in medio. Et fortè hoc est, quia Luna, quando mutatur manifestè in suo lumine, mutat humiditates in animalibus, sicuti in mari, & flumine, & fluxu & refluxu. quo loco principij nomine coitum intelligit vsq; ad primum hexagonum, adeò vt, cùm incipit lumen Lunæ manifestè crescere, menstrua moueri (quemadmodum supra dicebamus) existimauerit, & quod in idem redit, circa primum hexagonum. quod & verba ipsius illa perspicuè monstrant, quibus inquit, quādo Luna mutatur manifestè in suo lumine, mutare, idest cōmouere humiditates in animalibus. quod quidem docente tertio de Diebus Decretorijs Galeno circa primū sextilem habet veritatem. Quin etiam & principij (quod verbum & Theodori errorem συνόδους mensium fines interpretantē, reiectūq; à nobis supra, planè conuincit) medijq; mensis nomine interluniū potuit intelligere, ac plenilunium, & quod Hippocrates dixit, frigiditatem, & caliditatem. Vt hinc facilè pateat, quod Mercatus, vir alioqui doctus, libro primo de Mulierum Affectibus figmentum vocauit Aristotelis, videlicet decrescēte Luna mulieres vt plurimum, ac naturaliter purgari; figmentum pariter vocasse Hippocratis, Galeni, & Auicennæ, figmentum naturæ, figmentum sensus, ac rationis; cùm pleræq; mulieres huic legi subijciantur. tametsi in hoc, sicut & in cunctis alijs rebus naturalibus, non exigua varietas conspiciatur; eò quòd pro indiuiduæ conditionis ratione, ac temperamento præter legem naturę inditam alię mulieres alijs mensis temporibus menstrua valeant habere purgamenta.

Ann. 15.

Ann. 18. & 19.

Cap. 2.

Cap. 1.

Cap. 4.

Quæ superiori capite posita sunt, fusius enarrantur. Explicatur Aristoteles, & defenditur.

Cap. 88.

AT enimuero Hippocrates, & Aristoteles in docendis rebus, ac præsertim illis, quæ ad humanum partum spectant, id quod plurimùm, ac in pluribus euenit (quēadmodum supra monebamus) vt non semel testati sunt, respexerunt. Hinc Philosophus, vt monstraret hanc illi in tempore ciendorum menstruorum naturæ, vt ita loquar, aliquando inconstantiam esse notam; dixit loco memorato, menstrua nullo circuitu certo describi, id tamen sibi exposcere duce ratione, vt decrescente mense moueantur, quanquam id non semper attingant. Nam & hoc est, quod verbum illud βόλεται, quo vtitur, præsertim designat apud Præceptorem, vt libro quinto adnotauimus; id enim sibi vult natura, sed non tamen semper potest ob materiæ indefinitionem. ex quò & non solùm decrescēte mense, & interlunio; sed & plenilunio, & temporibus intermedijs excitantur pro mulierum, menstruorūq; temperamento. quare audiendi non sūt, qui hæc Aristotelis verba non ad mēsis partem, in qua menstrua commouentur, sed ad dies inter vnam, & alteram expurgationem interiectos censent esse referenda. qui, cùm in nonnullis 22. in nonnullis 24. in alijs 30.

in alijs 34. in alijs 37. numerentur, vt Aetius, & Auicenna adnotarunt, ideo sine vllo certo termino currere menstrua dicuntur; Philosophum enim non de hac dierum intercapedine, sed omnino de ea mensis parte, in qua mouentur, sermonem habere, satis est perspicuum; cùm statim subijciat, hanc eandem mensis partem explicans, decrescente mense naturæ lege menstrua solui; & quia non omnibus mulieribus mense decrescente erumpant, idcircò dicat, exactè periodum, partemq; mensis mulieribus non esse ordinatam, in qua illis menstrua commoueantur. Verùm de vtraq; hac soluendorum menstruorum differẽtia pulchrè Auctor decimi libri de Historia Animalium, docens, vt ritè soluantur, & δι' ἴσων χρόνων, idest æqualibus dierũ interuallis; quod ad priorem pertinet differentiam; & μὴ πεπλανημένως, idest & stato mensis tempore non erratione quadã, & modò hac, modò altera mensis parte emitti oportere; quod spectat ad differentiam posteriorem. Quod verò nonnulli obijciunt Aristotelis dictis, decrescente Luna corpora frigidiora, sed certè humidiora esse non posse, quia constans Astrologorum sententia sit, à Galeno libro tertio de Diebus Decretorijs confirmata, *Cap. 2.3.* Luna plena non decrescente corporum augeri humiditates, & animalia pinguescere, quod in conchylijs videmus; ita vt potius plenilunio humiditates exuperare, proindeq; menstrua excitari debeant, quàm Luna decrescente. Item quod, vt hanc tollant difficultatem, respondent, duplicem esse humiditatem, aliam intrinsecam, & viuificam, aliam extrinsecam, & excrementitiã; hanc nouilunio excrescere & augeri, illam plenilunio. Hæc, inquam, mea sentẽtia nullius sunt momenti: nam esto illis concedamus, quod ponunt; si vel ipsis asserentibus menstruus sanguis pars est sanguinis benigni, & vtilis, qui in venis continetur; quæ amabò humiditas & viuifica magis, & magis intrinseca esse potest muliebri corpori? quare si hæc tantùm plenilunio moueri debet, non poterint menstrua moueri nouilunio. Dicendum igitur nullum esse absurdum, si non solùm plenilunio, sed nouilunio etiam humores ob alias tamen, & alias causas commoueantur & excedant. Vnde ipsum mare humorum omnium pater non minus interlunio æstuat, ac fluit, immò & magis nonnullis in locis quàm plenilunio; neq; cùm id Galenus asseruit, semper ita fieri, & in omnibus dixit corporibus, in quibus humores commouentur: qua de re aliàs dabitur occasio disserendi. Hinc Aristoteles libro quarto de Partibus Animalium *Cap. 5.* echinos plenilunio esse pinguiores docuit, quia, cùm mirificè à frigore lædantur, ea mensis parte noctes ob lucẽ pleniorem tepidiores experiuntur, ideoq; melius degunt; & qua de causa plena Luna Præceptori humores moueatur aliquando, superius aduersus Ferdinandum disputantes explicauimus. Itaq; Aristotelis ratio omnino recipienda, decrescente Luna naturaliter menstrua commoueri, quoniam ob luminis defectum ea mensis pars sit frigidior; proindeq; venæ frigidiores factæ sanguinẽ, quem continent, coquere nequeant, concoctumq; calore absumere & discutere, atq; ex consequenti in partium corporis alimẽtum conuertere; quo fit, vt, cùm hac de causa augeatur in venis, & exuperet, necesse sit in vterum erumpere, ac menstrua inde cõmoueri: quod plenilunio contraria de causa, nisi aliud aliquid resistat, ordinemq; naturæ turbet, nequit euenire. venæ enim tunc coquunt, discutiunt, absumũt, in partiumq; vertunt alimentum, ac substantiam sanguinem, quem continent, vt propterea nequeat redundare. Habemus igitur pro primi capitis dissolutione quid menstrua sint, quam ob causam fluant; an singulis moueantur mensibus, & qua mensis parte.

Secundum caput discutitur. Hippocratis loca pugnantia adducuntur. Item variæ aliorum Auctorum recitantur sententiæ.

Cap. 89.

SEcundum caput vt diluamus, videlicet quot diebus fluere menstrua soleant, & cur aliæ mulieres diutius, aliæ ocyus purgentur, difficilius fortasse erit; propterea quòd Auctores non constant in vnica eadẽq; sententia. Hippocrates hoc loco dicens purgationum tempus, quibus breuissimũ fit, tres esse dies, plerisq; autem multò plures; docere videtur, pro longiori tempore multò plures dies expurgationi esse tribuendos, quàm trium dierum sit interuallum: ita vt (quod aliquando innuit in libris de Mulierum Morbis) ad decem, aut duodecim extendi eam posse censuerit. breuissimum verò tempus dierum trium esse spatiũ ponere videtur: adeò vt hoc dierum interuallo breuius esse nolle videatur. quod paulò infra putabit aliquis ipsum confirmasse, quando scripsit, non esse possibile in paucioribus partibus menstruorum fieri solutionem. Verùm libro primo de Morbis Mu-

lierum longè aliter rem hanc decernit; vt valde sibi ipsi repugnãtia proferre videat; sic enim scribit. Moderati autem sunt mẽses prodeuntes in omni muliere, si sana sit, vt duarum heminarum Atticarum mensura secedant, aut paulò plures, vel pauciores: atq; hoc ad duos, aut tres dies. longius autem tempus, aut breuius morbosum, & sterile est. hîc enim, vt videmus, trium dierũ interuallum moderatũ appellat; vt nequaquam nisi errante natura transiri posit; ꝙ Cappinacceo libro quarto de Affectionibus Vteri video placuisse, asserẽti, dies tres mẽstruo fluxui hoc loco ab Hippocrate dicari, quod tamẽ interuallũ verbis superioribus Hippocrates breuissimum appellauit. quæ autem mensura hemina sit, in Annotationibus super libello de Pueri Natura à Gorræo habes explicatum. Aristoteles septimo Historiarum priorem sententiam videtur adamare; innuens breuius tempus biduum esse, ac triduum, longius tamen esse posse. quem sensum vir doctissimus Ferdinandus Mena agnoscit in eius oratione sexto Commentario super librum de Partu Septimestri; diem constituens septimam tãquam terminum longioris expurgationis. vt audiendi non sint, qui affirmare audent, hoc loco Philosophum dicere, purgationes vel considerari in sanis mulieribus, & secundum facilitatem; vel considerari indifferenter: si primo modo; mulierem sanam, & eam, quæ facilè purgatur, nunquam purgari minus secundo die, neq; plus tertio: atq; hoc sibi velle Aristotelem, cùm subdit, si purgatio hos terminos transeat, difficilẽ fieri, & cum labore: si secundo; non posse certam assignari quantitatem, quia virgines alio modo, alio adultæ; alio modo carnosæ, alio non carnosæ purgantur; ita vt appareat mira varietas. quandoquidem hęc Aristotelicis verbis penitus aduersantur; quibus, vt paulò supra dicebamus, & ex se facilè quisq; cognoscet ea perpendens, nil aliud Philosophus asserit loco memorato, nisi quòd eę mulieres, quæ breui tempore, hoc est biduo, aut triduo purgantur, facilè, ex molestia, ac labore, turbationeq; , quã per id temporis habent, liberãtur; quę pluribus diebus, difficilius. cùm enim per id temporis laborent, vt idem subdit, omnibusq; grauetur corpus, quandiù effluat humor; certè rationi consonum est, quæ diutius purgantur, difficilius ex hac molestia liberari; quæ breuius, facilius, vt potè quę breuiori tempore ex ea liberentur. At hinc nullus, arbitror, mẽtis compos audebit elicere, sanas tantùm mulieres, & quibus facilis purgatio est, nunquam plus tertio die expurgari; cùm biduum, & triduum breue expurgationis tempus appellans Aristoteles, necessariò hoc ipso longius dari naturaliter significet. Aetius scribit purgationes fieri quatuor diebus. Aegineta libro tertio ad duodecimum vsq; mulieres purgari posse statuit. Philo Iudęus, qui vir & quantus, in libro de Mundi Opificio diem septimum naturalissimum agnoscit ac frequẽtiorem terminum expurgationum. Macrobius pariter in primo libro de Somno Scipionis septimum huic muneri dicare videtur; inquit enim. Nam vt illud taceamus, quòd vterum nulla vi seminis occupatum hoc dierum numero natura constituit veluti decreto exonerãdæ mulieris vectigali mense redeunte purgari. ex recentioribus (vt Ferdinandũ interim omittam, de quo paulò supra) Valesius in Sacra Philosophia septimam terminum constituit, Mercatus libro primo de Mulierum Affectionibus nostris temporibus plurimam hac in re diuersitatem tradit reperiri; cùm aliæ ad quinq;, vel sex vsq; dies profluuiumu mẽstruorum patiantur; aliæ ad octo etiam; & aliæ copiosissimè, aliæ parcius. Ad Hippocratem verò, qui menstruam purgationẽ moderatam esse docuit, quando per biduũ, aut triduum excernuntur sanguinis ferè duæ heminæ Atticæ; respondet arbitrandũ esse hoc verum fuisse illis temporibus, quãdo & victus ratio temperata seruabatur, & neq; ita otio erant deditæ mulieres. eandemq; sententiam alio eiusdem libri loco sectatur; scribens mulieres ad quinq; septemuè dies protrahere purgationem, ac pro temperamenti ratione etiã ad plures. Cardanus Contradicentium Medicorum libro primo de Auerrois etiam sententia, cuius verba ex tertio Colliget profitetur emendare; diem nonum terminum agnoscit longiorem, breuiorem vnum tantùm; veritatis huius testem adhibens Volateranũ: sic enim scribit. Nam minimum tempus est secundum ipsum (scilicet Auerroem) quo purgatur mulier dies vnus; maximum autem nouem: quanquam in textu dicat septem, sed est error. quod & Volateranus libro 24. sensit apertè, cùm dixit, & extenditur tempus mulieribus purgationis ad dies octo, & quandoq;, quod tamen rarissimum est, ad dies nouem. Hæc Cardanus; qui tamen aliquanto fidelius Volaterani verba afferre potuisset, sic Philologiæ vigesimoquarto hac de re scribentis. Durat autem

Cap. 1.
Ann. 27.
Cap. 2.
Cap. 16.
Cap. 18.
Cap. 8.
Tract. 3. contr. 8.

Ca. 29. " tem dies sex, quandoq; octo, rarissimè nouem. Apud Auerroem verò tertio Colliget sic legimus. Et tempus naturalis purgationis menstrui breue est vnius diei, & longum est septem dierum.

Quid in tanta sententiarum varietate sentiendum. Sacrarum Literarum locus quidam expenditur.

Cap. 90.

QVid igitur in tanta dissensione dicendum erit? sanè ego affirmare ausim, & summum hac in re, vt in alijs operibus, à natura seruari ordinem, & metam esse positam, quam transire non licet, nisi monstrosum quid ac præter naturam eueniat, vel morbosum. Docet veritatē hanc Sacrę Scripturæ auctoritas, qua sola tanquam suo verbo naturæ Cōditor ipsa naturæ arcana mirabiliter aperit. Etenim in Leuitico sic scriptum legimus. Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ; & die octauo circuncidetur infantulus. Ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. & mox. Sin autem fœminam pepererit, immūda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus mēstrui; & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. At hîc quæ à Philosophis, ac Medicis longissimis argumētationum recitationibus obscurè disputata sunt, mira breuitate docentur, & claritate; habemus enim menstruorum fluxū non ad septem tantùm dies, verùm etiam ad quatuordecim proferri posse; terminumq; hunc naturæ lege vltimum esse, nec posse naturaliter pertransiri: vt non sit mirum si apud diuersos auctores diuersa inuenies; qui veritatem hanc non attingentes, horum dierum numerum, ac varietatem plurimùm admirati sunt. Habemus rursus, quod maximum est, maris primam formationem diebus 33. perfici, fęminæ diebus 66. quod Sacræ Literæ præclarè ostendūt; cùm iubent, in maris partu mulierē triginta tribus diebus manere in sanguine purificationis suæ; si fœminam enixa fuerit, diebus 66. fluere enim à partu menstrua tot diebus, quot in prima conformatione consumpti sunt, diuinè docuit Hippocrates in libro de Natura Pueri, vt clarius infra videbimus: qui hęc omnia mirabiliter aliquo pacto expressit siue beneficio quodam naturæ, siue Mosis Prophetę scriptis edoctus. etenim citato loco notatum reliquit, primam articulationem fieri, si mas gignatur, diebus 30. si fœmina, multò pluribus. item menstrui fluxus metam non longè à diebus 14. præfixit: vt ea ostendūt, quæ in libris de Mulierū Morbis tradit, accuratè considerata. & sanè pulcherrimum est, quod in Sacris Eloquijs addiscimus, longiori tempore menstruorū fieri profluuia mulieribus, quæ fęminas gignunt, atq; à partu purgationes: siquidem magnam menstruorum copiam diuturnior purgatio ostendit; at copia menstruorum, quia frigiditatis maiorem habet abundantiam, nequit à formatrice virtute superari; quæ res quarto de Animalium Ortu Aristoteli causa est fœminæ ortus. Duplicant autem hūc numerū Sacrę Literę, & meritò; siquidem tēpus fluxus menstruorum in mare dierum ponūt esse septem, in fœmina verò 14. post partum in mare dierum 33. in fœmina 66. ita vt eadem lege primę formationis dies accipere oporteat; etenim, vt 7. Historiarum tradit Aristoteles, fœmina longè tardius formatur. ac tempus duplicare Philosophus quoq; videtur, cùm dicit, marem die 40. fœminam non ante 90. distinctam apparere: quod idem & de motus tempore paulò supra tradit. nec tamen necesse propterea est, reliquum gestationis tempus duplicari; vt si mas nouem mensibus gestatur, fœmina 18. vtero geri debeat; siquidem potissimum tota difficultas est in prima illa formatione (primam autem eam voco, ne mecum ipse pugnare videar, eo sensu, quo primam ab Hippocrate libro tertio diximus fuisse appellatam) quo tempore formatrix virtus plurimùm laborat, vt coquat materiam ac superet; quod quidem in huius articulationis diebus efficitur. materia nāq; superata tempus reliquum communem legem subit. Verùm eo redeat vnde digressa est oratio. Habemus igitur Sacrarum Literarum auctoritate menstrui fluxus in maris ortu limitem dierum esse 7. in fœminæ generatione dierum 14. quod quidem ita accipiendum est, vt in mulieribus, quibus menstrua similis temperamēti prodeunt, idem dierum ordo locum habeat. quasi nos hic locus doceat, quòd sicuti mascula proles perfectior est, ex robustioriq; semine oritur; ita & fœminæ, quæ robustiorem sanguinem habent, ac ad gignēdos mares conceptus aptiorem, licèt possent etiam vel seminis virilis ratione, vel quauis alia de causa fœminam producere, naturaliter dies circiter 7. purgari debeant. nam & hoc est, quod sacrus cōtextus sumit verbis illis. Immunda erit septem diebus iuxta dies se- "

Cap. 12. Cap. 3

» parationis menstruæ. quibus dierum hunc numerum solitum esse monstrat, ac frequẽtiorem. sicuti fęminea proles longè est imbecillior, & ex menstruo imperfectiori gignitur, ita & fœminę, quibus imperfectior, frigidiorq; , & inconcoctior sanguis fluat, ad dies vsq; 14. purgari soleãt, vel circiter; tametsi & mares valeant hę vel seminis virilis, vel alterius rei causa aliquando generare : idcirco enim scribitur. Immunda e-
» rit duabus hebdomadibus iuxta ritum flu-
» xus menstrui. quibus docemur, in huiusmodi mulieribus consuetum id esse, & naturale, vt ad tot dies proferre possint purgationem. quem sanè insignem dierum numerum satis clarè in Opusculo de Octomestri Partu significabat Hippocrates, dùm plerisq; mulieribus longè diuturnius esse tempus purgationum quàm trium dierum sit interuallum asseuerabat. quem etiam & designasse & recepisse Aristotelem constat non solùm ex ijs, quæ supra adduximus; sed quia ipse sexto libro Hist. canibus mẽstrua diebus septem moueri tradidit; vt mulieribus, quibus longè copiosiora esse menstrua quàm cęteris animalibus idem sequenti libro posuit, longè etiam pluribus diebus fluere posse videatur existimasse. Hinc fit, vt pro mulierum temperamento, pro sanguinis illarum natura, & conditione, pro victus, temporis, ætatis statu, ac ratione aliæ exactè horum dierum numerũ sibi adsciscant, aliæ pauciorem : alijs copia sanguinis maior, alijs parcior effluat. cùm alioqui perfectissimus terminus, ac frequẽtior ob allatam superius causam dies septimus censeri debeat. quod quidem tanquã maximi momenti, ac suo loco repetendum, maximè etiam hîc animaduerti cupio. Hinc scitè pleriq; Gallorum re ipsa admoniti, vt legimus apud Ambrosium Pareum libro vigesimo tertio, menstrui sanguinis fluxum septimanam appellant; & cùm mulieri mẽstruum fluit, dicunt illam habere septimanam; nempe quia septem dierum spatio cieantur. Quanquam ipse Pareus naturæ hũc ordinem ignorans, Veterũmq; placita, sedentarijs, gulosisq; mulieribus id esse proprium dicit, vt diebus septem menstruum fluxum patiantur, cùm alioqui pleriq; auctores limitem hunc videantur expressisse tanquam magis naturalem; quod & consuetum esse & frequẽs, nos quoq; à fide dignis mulieribus accepimus; ita vt in hac etiam muneris functione naturę ordo appareat; ac limes impositus videatur, quem, si id quod perfectum est, natura ipsa assequatur, nõ liceat pertrãsire. Sed cùm abundè hęc explicata sint, iam de secundo capite satis videbimur ferè disseruisse, vbi tamen antea, quã superius notauimus in Hippocrate de termino dierum menstrui fluxus contradictionem, pro virili tollere conabimur. quod fortasse facilè exequemur, si totam hac de re paulò diligentius expendemus ipsius disputationem.

Cap. 20.

Cap. 2.

Cap. 49.

Locus Hippocratis quidam ex primo libro de Mulierum Morbis exponitur, communisq; reijcitur interpretatio, vera ipsius mens enarratur; tollitur ex eius dictis omnis repugnantia.

Cap. 91.

Hippocrates sic primo libro de Mulierũ Morbis menstruo earum fluxui limites imponens locutus est. Prodeunt autẽ » menses, inquit, crassiores & plurimi in in- » termedijs diebus. Incipientes autem & de- » sinentes pauciores, & tenuiores. Modera- » ti verò sunt menses prodeũtes in omni mu- » liere, si sana sit, vt duarum heminarum At- » ticarum mensura secedant; aut paulò plures » vel pauciores; atq; hoc ad duos, aut tres » dies. longius autem tempus, aut breuius » morbosum, & sterile est. Coniectare por- » rò oportet mulieris corpus inspiciendo, & » interrogare collatione ad priora facta, an » semper morbosa viuat, aut non. Si enim » pauciores, aut plures dies quàm solẽt pro- » deant; aut si pauciores, aut plures fuerint, » morbosi sunt; nisi natura ipsa morbosa & » sterilis fuerit. Si verò hoc fuerit, & ad sa- » lubriorem statum transmutatur, melius est. » Procedit autem sanguis veluti à victima & » citò congelatur, si sana fuerit mulier. » Quibus verò in natura est, vt plures quàm » quatuor dies purgentur, & menses valde » multi prodeunt; hæ tenues fiunt, & fętus » ipsarum tenues, & emarcescunt. Quibus » autem purgatio infra tres dies fit, aut pauci » menses secedunt; hæ crassæ sunt, & benè » coloratæ, virilesq; ac partus immemores, & » neq; concipiunt. Hinc ergo pleriq; colligunt, moderatos menses in omni muliere sana eos esse, qui ad duos, vel tres dies fluant: ex quò & mirificè se torquent, vt Hippocratem ab oscitantia tueantur, quin etiã & à manifesta contrarietate; qui longè plures dies purgationi mulierum videtur alijs in locis, præsertimq; in extremo Opusculo de Partu Octomestri tribuisse. Verùm ego de huius loci sententia multò aliter existimo sentiendum : dixerat enim supra diui-

nus Senex, in intermedijs diebus menses plurimos fluere, & crassiores; quamobrem vt naturalem modum horũ fluxus, qui diebus prodeunt intermedijs, doceat, & quãtitatem, tempusq; aperiat; statim subdit, moderatos hosce prodire in muliere sana, si ad duarum heminarum mẽsuram secedant, & ad duos, aut tres dies. itaq; non de omnibus menstruis loquitur his verbis, sed de illis tantùm, qui diebus intermedijs fluunt in magna copia, & impetu; vnde intelligit de fluxus menstruorum vigore. cùm enim totum expurgationis tempus, vt hic Hippocrates, & Galenus in Opusculo de Vuluę Dissectione elegãter docuit, tripliciter diuidatur: videlicet in tempus illud, in quo incipiunt, in quo desinunt, atq; in intermedium tempus, in quo & multus, & ferè confertim sanguis effluit; medium hoc tẽpus est, de quo Hippocrates intelligit; quod ad duos, vel tres dies proferri voluit: quod etiam, vt alibi notauimus, Hippocrates & Aristoteles per excellentiam κάθαρσιν, idest purgationem, & expurgationis tempus vocitarunt. idq; sensisse hoc loco Hippocratem, non solùm, quæ alijs in locis docuit, latissimè probant, à quibus in præsentia toto Cœlo dissentiret; verùm & idem hic orationis cursus: in quo, si communẽ sequeremur interpretationem, turpiter sibi paucis verbis interiectis semel, & iterum contradiceret. etenim si verum est, quod ille inquit, menses crassiores & plures diebus intermedijs fluere; igitur intermedij dies plures sunt; dicit enim. τῶν ἡμερέων ἐν μέσῳ.
» quod rectissimè interpretantur. In inter-
» medijs diebus. vocem enim μέσον, temporis spatium, quod in medio relinquitur extremorum, Græcis significare, omnibus est notum. at si menses naturaliter ad tres dies fluerent, intermedium tempus vnus tantùm esset dies: si duobus diebus, neq; etiã vnus; quod superiori sententiæ repugnat. Rursus sic infra paulò post inquit Hippo-
» crates. Quibus autem purgatio infra tres
» dies fit, aut pauci menses secedunt; hę cras-
» sæ sunt & benè coloratæ, virilesq; & partus
» immemores; neq; concipiunt. Verùm moderata menstrua illa esse supra statuit, quæ etiam ad duos dies prodeunt; quæ, cùm naturalissimum modum seruent, absurdissimũ est, vt mulierẽ sterilem reddant, ac prę ter omnem rationem: quo igitur pacto purgationem, quæ infra tres dies fit, idest, vt clarius habent græca verba, quæ diem tertium non attingit; tanquam immoderatam, & quæ sterilem reddat mulierem, respuere potest? His igitur de causis, ne tantum virum, communemq; omnium præceptorem, ac magnum Medicinæ parentem fateri cogamur fędissimè lapsum esse, sibiq; ipsi non constare; prior nostra interpretatio omnino amplectenda est; vt scilicet dicamus, de mensium impetu, de intermedioq; tempore sermonem ipsum habere. quod satis idẽ ipse videtur indicasse, addens acutè ἐλθόντα, vt fluentium menstruorum nomine fluxus illorum impetum, & cùm multi, & ferè cõfertim eunt, ac prodeunt, aut certè cùm eunt abundantiores, significaret: nam & propterea voce etiam altera, κάθαρσις, infra vsus est; quæ, vt diximus, maximè propriè Hippocrati & Aristoteli impetum expurgationum indicare solet. Hinc cùm dixisset (quod tamen video considerasse neminẽ) mulieribus prodire intermedijs diebus menses & valde crassos, & plurimos (particulæ enim τῇσιν subaudio γυναιξὶ) ita scribens. χωρέει δὲ τὰ καταμήνια παχύτερα, »
» καὶ πλεῖστα τῶν ἡμερέων τῇσιν ἐν μέσῳ. Αρχόμενα δὲ »
» καὶ τελευτῶντα, ἐλάσσονα καὶ λεπτότερα. idest. Flu- »
» unt autem menses crassiores & plurimi in- »
» termedijs diebus; incipientes autem & de- »
» finentes pauciores ac tenuiores. quibus videmus, mẽses, qui diebus intermedijs prodeunt, incipientibus ac desinentibus, eum opponere; crassiores verò & plurimos tenuioribus & paucioribus; demum intermedios dies, diebus illis, in quibus menses incipiunt ac desinunt; cùm hæc, inquam, dixisset; statim ita subdit. μέτρια δ' ἐςὶ τά- »
» σῃ γυναικὶ χωρέειν, ἢν ὑγιαίνῃ, τὰ ἐπιμήνια ἐλ- »
» θόντα, ὅσον κοτύλαι δύο Αττικαὶ; ἢ ὀλίγῳ πλέονα, »
» ἢ ἐλάσσονα, ταῦτα δὲ ἐφ' ἡμέρας δύο ἢ τρεῖς. Ο δὲ »
» πλείων χρονος, ἢ ἐλάσσων, ἐπίνουσος, καὶ ἄφορός ἐςί. »
» idest. Moderati autem fluunt in omni mu- »
» liere, si sana sit, prodeuntes menses quan- »
» tum duæ heminæ Atticæ capiunt, aut pau- »
» lò plures, aut paulò pauciores, atq; hi ad »
» duos, vel tres dies. longius autem tempus, »
» aut breuius morbosum & sterile est. quæ quidem verba sine vlla dubitatione, ad illud, quod dixerat, mulieribus prodire intermedijs diebus mẽses valde crassos & plurimos, referenda veniunt, tanquam addita ad huius dicti declarationem. nam & propterea opposuit voci illi πλεῖστα, idest plurimi menses, hæc ipsa omnia. μέτρια δ' ἐςὶ ὅσον κοτύλαι & c. idest moderati autem quãtum heminæ & c. nimirum vt naturalem mensuram declararet, & quantitatem mensium; quos plurimos & in magna copia fluere dixit diebus intermedijs, quod erat omnino necessarium. Item opposuit illis.

τῶν

τῶν ἡμέρεων ἐν μέσῳ, ideſt diebus intermedijs, hæc ipſa ταῦτα δὲ ἐφ ἡμέρας δύο, ἢ τρεῖς. ideſt, atq; hi ad duos vel tres dies. ſanè vt itidem dierum intermediorũ numerũ pręſcriberet naturalem. vt ſententia neceſſariò ſit, mẽſes iſtos, quos mulieribus valde multos & craſſos fluere diebus intermedijs dictũ eſt, omnibusq; mulieribus tales fluere: & moderatos eſſe, & naturæ ſeruare rationem, ꝙ pertinet ad quantitatem, & ad id quod dictum eſt, valde multos fluere, ſi quãtum duæ heminæ Atticę capiunt, non excedant; quod verò pertinet ad dies intermedios, ſi nõ excedant duorum, vel trium dierum interuallum; vt iam clariſsimum ſit, non de toto expurgationis tempore pronunciaſſe Hippocratem, quòd ad duos, vel tres dies tantùm proferatur; ideſt non de diebus etiam, in quibus incipiunt menſes, vel deſinunt; ſed de tempore, diebuſq; tantùm intermedijs, vt noſtra ponit explicatio. incipientes .n. & deſinentes menſes iã dixerat eſſe paucos; vt horum quãtitatem, nec ferè dimetiri valeamus, nec vlla ſit neceſsitas, vt eam dimetiamur: quare ſine vlla dubitatione verbis illis, μέτρια δ᾽ ἐςὶ χωρέειν τὰ ἐπιμήνια ἐλθόντα, ſubaudienda ſunt ex ſuperioribus tanquam vocis illius ἐλθόντα (quod & ſupra innuebamus) declaratiua, ideſt πλεῖςα τῶν ἡμέρεων ἐν μέσῳ. quod eſt; moderati autem dicuntur fluere menſes prodeuntes, ideſt qui plurimi diebus intermedijs fluere dicti ſunt, ſi quantum duæ heminæ Atticæ capiunt, fluant; menſium .n. ἐλθοντῶν, ideſt prodeuntiũ nomine eos, qui ſunt in vigore fluxus, quales ſunt, qui prodeunt diebus intermedijs, iam ſupra diximus Hippocratem intelligere. Nec turbant veritatem hanc verba illa. Quibus verò in natura eſt, vt plures quàm quatuor dies purgentur, & menſes valde multi prodeunt; hæ tenues fiunt, & fœtus ipſarum tenues, & emarceſcunt. ſiquidem non propterea ſibi ipſi contradicit, quaſi vltrà dies quatuor fluere mulieribus mẽſtrua poſſe nolit, quæ ſanos fœtus ſint geſtaturę. nam conditio altera, quam exprimit, ponderanda eſt, quam addit de copia menſtruorum. Si enim non ſolùm vltrà quartum diem fluant, ſed ſimul valde multi prodeant, corpus eorum reddi tenue neceſſe erit: vt ſi poſtea cõcipiant, ob ſanguinis inopiam fœtus etiam emarceſcat. Quin potius verba hæc noſtram ſententiam mirificè comprobant; cùm ex illis ſequatur, ſi mulier non vltrà diem quartum purgetur, & moderatè purgetur, rationi ac naturæ conſentaneam eſſe expurgationem: ex quò & neceſſariò infertur, menſtrua ad dies quatuor prodeuntia, niſi excedant quantitate, eſſe moderata; quod ſupra conſtanter negaret Hippocrates, ſi illum, vt communiter faciunt, interpretaremur. Concludendum igitur diuinum Virum nullatenus à ſe ipſo diſſentire; atq; hoc etiam in loco expurgationis dies longè plures, vt alibi etiam fecerat, quàm tres agnoſcere: frequentiores verò, ac perfectiorem terminum comprehendentes numero eſſe ſeptem: quod hîc etiam ſatis clarè videbimus eum innuiſſe, ſi animaduertamus, cùm dies dixit intermedios, in quibus menſtrua fluunt, ſcilicet plures; plures etiam quodammodo, & eos, in quibus, incipiunt, ac deſinunt conſtituiſſe; qui ſi plures ſunt, cùm neceſſariò duo ſaltem eſſe debeant; ſi incipientibus menſtruis duos dies, totidem deſinentibus, tribuamus; cùm tres in impetu illorum abſumantur, aſſurget ſumma totius temporis expurgationum dierum ſeptem; quos quidem dies cenſuit Hippocrates (vt naturalis ratio dictat) varios reddi pro mulierum temperamento; ex quò & hoc loco admonet, cõiectare mulieris corpus oportere, & interrogare collatione facta ad priora: ſolitos, & conſuetos dies inſpicere; naturam mulieris contemplari: quæ omnia argumento ſunt ipſũ cenſuiſſe, menſtruam purgationem non ſẽper æquali tempore in omnibus fęminis durare. quippè cùm inæquale durationis tẽpus reddi poſsit, prout fœminæ habitus rarior, denſiorue fuerit, aut ſanguis craſſior, vel aquoſior; alijſq; multis de cauſis, quas cùm alibi ſcripſerimus, non putamus hîc iterandas. Quòd ſi etiam breuiſsimum expurgationum tempus non dies tres, ſed duos, ſed vnum aliquando pro natura mulierum conſtituere velis; non habebis Hippocratem (vt reor) aduerſarium; qui, licèt in Opuſculo de Octomeſtri Partu dixerit, trium dierum ſpatium breuiſsimum eſſe tẽpus, non tamen omnino negauit, hoc tempore breuius inueniri poſſe. quod verò infra ibi inquit, non poſſe in paucioribus partibus fieri menſtruorum ſolutionem; ad illa fortaſſe relationem habet, quæ de trigeſima, quindecima, decimaq; menſis parte paulò ante diſputauit: ad quæ ſi referantur, videbitur Hippocrates vnum etiam diem, ac duos tanquam expurgationum tempora agnouiſſe: docens expurgationem neq; in minoribus partibus quàm vnus, duo, vel tres dies ſint, fieri poſſe. Hæc, noſtra ſententia, eſt vera huius loci expoſitio, quam non dubito ijs potiſsimum, qui linguam græ-

græcam callent, longè videri alia probabiliorem; sine cuius cognitione frustra quis puriora Hippocratis, Aristotelis, Galeni, totius demum Philosophiæ, ac Medicinæ dogmata assequi se posse speret. Quod autem secundo loco quærebatur, videlicet cur alię mulieres diutius purgentur, ocyus aliæ; facile est ex superioribus diluere: quæ enim abundantiora habent menstrua, diutius purgari est consentaneũ; breuius, quæ pauciora; at abundantiora habeant, quæ minus coquere discutereq; possunt, necesse est. tales autem sunt mulieres frigidioris temperamenti, vt ex ijs, quæ in primi capitis enodatione dicta sunt, satis elucet. Hinc rectè à Gorræo proditum super libello de Pueri Natura, diebus paucioribus repurgari iuniores, quia minus in illis supersit sãguinis; seniores verò pluribus; quia plus sanguinis cumulent. Sed nescio an rectè additum simpliciter, id quidem nõ fieri, quòd iuniores minus sanguinis generent quàm ætate prouectiores, cùm tantum, ne plus dicatur generẽt; sed quia in iunioribus sanguinis plurimum absumatur in augmentum corporis, quod non item fit consistentibus ætate. Enimuero iuniores non solùm tantũ, sed plus etiam sanguinis generant, cumulantq; senioribus, sed non menstrui; & sicut generãt cumulantq; , ita & coquunt, & digerũt, absumuntq; in corporis augmentum. at id efficiunt propter calorem abundantiorẽ ætatis ratione: senũ enim natura quod satis est, non potest coquere, vt primo de Ortu Animalium notat Aristoteles; quare & seniores non solùm quia non absumant in corporis alimentũ, & augmentũ, sed etiam quia coquere minus queũt, pluribus diebus repurgantur, sanguinis propterea menstrui plus cumulantes. Quòd si ob maiorem caloris inopiam coctio adeò etiã fiat imbecilla, vt sanguinis redundantis nihil gigni queat, quod valde senibus contingit; tunc contrarius effectus locum habet; non solùmq; diebus paucioribus fit purgatio, sed deficiunt omnino menstrua mulieribus. Cæterum caput secundum satis expositum videtur; iam ad tertium pergamus.

Ann. 25.

Cap. 18.

Tertium caput ventilatur, Hippocratisq; probatur auctoritate. quędam tollitur dubitatio.

Cap. 92.

VTrum autem menstruorum naturæ, atq; eorundem expurgationis ratione, ocyoris partus ac longioris ratio quoq; habeatur (quod tertio capite proposuimus inquirendum) facilè ex his, quæ supra disputauimus, cognosci potest. cùm enim menstruorum alia pro naturæ mulierum temperamẽto cõcocta magis sint, ac proinde pauciora; alia concocta minus, abundantiusq; propterea exeant; quæ verò concocta sunt, & in minori copia, breuiori tempore necessariò fluant; quæ copiosiora, & minus cocta, lõgiori: recta euenit ratione, vt quæ mulieres pluribus diebus, maiorẽq; menstruorum copiam emittũt, diutius vterum gerãt; ita vt ad nonomestres, decimestresq; gignẽdos sint propensæ: quę paucioribus diebus, parciusq; expurgantur, breuiori tempore partum ferant; proindeq; ad septimestres gignendos aptissimæ sint: quæ medio modo affectæ, ad octomestres. cuius rei causa est, quoniam copiosiora menstrua, diutiusq; fluentia, cùm sint minus concocta, necessariò sunt magis frigida; propterea quòd magis sit calidum, quod est magis concoctum, vt secundo de Animalium Ortu, & quarto Meteoron habemus; nam & idcircò, quæ minus concocta sunt, copiosiora fluunt. mulier enim temperamento existens frigidiori, minus sanguinem coquere potest, vnde menstrua habet abundantiora. vt enim quarto de Ortu Animalium docet Aristoteles, in corpore melioris alimẽti, & habitus, minus gignitur sanguinis & sincerius; exquò & fœmina calidior parcius, concoctiusq; menstruum emittit. quæ nanq; causa facit vt menstrua fluant, ipsa videlicet frigiditas (nam fœmina impotentia, & frigiditate definitur, vt citato loco idem admonet, nosq; libro tertio explicauimus) eadem aucta facit, vt abundantius fluant. vnde frigidior fœmina menstrua minus cocta emittet, & copiosiora, vt supra quoq; dicebamus: in infirmiori enim plus excrementi, minusq; concoctum fieri, idq; copiam cruenti humoris esse necesse est. infirmius autem secundum naturam, quod minus caloris adipiscitur; taleq; fœmina est, vt crebrò à Præceptore admonemur: atq; inter fœminas frigidior, necessariò infirmior erit. est enim concoctio calor quidam, vt tertio de Animalium Ortu scribit Aristoteles; omnisq; cõcoctio quarto eiusdem operis libro calore efficitur. At frigidius menstruum difficilius à formatrice virtute superatur, temporeq; longiore. intus enim tardius discernitur; quoniam discretio hæc concoctio est quædam, & quod calidius est, concoctu facilius, vt eodem quarto libro docebat Aristoteles, causam quærens, cur intra parẽtem fœmina longiore tempore perficiatur:

Cap. 5. Tex. 18.

Cap. 1.

Cap 2.

Cap. 6.

Cap. 6.

cuius

cuius rei cõtrarium euenit, ſi pauciora mẽſtrua ſint; cùm ſint etiam & calidiora: minor enim materiæ copia & calidior, citius, faciliuſq; ab agente ſuperatur. ex quò & ob eandem cauſam ocyus diſcerni materiã, ex qua mas oritur, ſecundo Epidemion notabat quoq; Hippocrates; de qua re quoniã tertio libro ſatis multa diximus, illinc aſſumet lector, quæ ad hunc locum pertinebunt. Verùm ſequitur ex his, mulieres, quorum menſtrua fuerint coctiora, & parciora, breuiſsimo tempore vterum eſſe geſtaturas; quia breuiſsimè agens cauſa (quæ vt agat, & feliciter agat, proportionem cũ materia habere debet) materiam ipſam ſuperabit. at breuius ſpatium ſeptimeſtre eſt; itaq; tales ad hos gignendos partus, vt ſupra dicebamus, erunt idoneæ. nam & hoc eſt, quod tertio libro aſſerebamus, ſeptimeſtres de Alexandri, Auerrois, Albertiq; ſententia ex calidiſsima materia generari; huiuſmodi enim mulieres natura ſunt calidiore. verùm non poſſunt mẽſtrua non induere naturam illius corporis, à quo procedũt; ſunt enim quaſi ſemen, vt primo de Animalium Ortu dicit Ariſtoteles; ſemenq; veluti filius eſt; filius verò parentibus ſimilis, vt eodem loco idem admonet: igitur erunt ipſa quoq; calidiſsima. Sequitur rurſus mulieres, quarum menſtrua fuerint minus cocta, & copioſiora; nonomeſtres, ac decimeſtres producere oportere; quia tempore longiſsimo formatrix virtus materiam hãc vincit; igitur ſpatio decimeſtri. Eademq; ratio ab expurgatione ſumitur; vt mirabiliter duo hæc proportione videas ſe reſpondere, naturæq; prouidentiam, ſummumq; ordinem cogaris admirari. quæ enim biduum, aut triduum purgantur, quia coctiora, parcioraq; habeant menſtrua, ſeptimeſtres gignent; quæ per dies plures, ſeptimo videlicet, & ſequẽtibus nonomeſtres, ac decimeſtres: quia minus cocta, & copioſiora. quod quidem totum ex arcanis, purioribuſq; Hippocratis fontibus haurire licet in Opuſculo de Pueri Natura ita ſcribentis.

Cap. 19.

„ Sunt quædam mulieres, quibus ſufficientes
„ menſes purgantur; quædam, quibus pau-
„ ciores. hoc ipſum ſi ſemper fiat, in natura &
„ genere, matricis vitium ipſis exiſtit. Quæ
„ verò menſes paucos demittunt, hæ etiam
„ pueris poſtremo tempore, vbi iam maturi
„ fuerint, alimentum rarius exhibentes ipſos
„ calcitrare faciunt, & vt ante decimum pro-
„ dire feſtinẽt; modicus enim ſanguis ab ipſis
„ procedit. vt plurimum verò cõtingit tales
„ mulieres etiam ſine lacte eſſe, quæ paucos
„ menſes demittunt. Sicciores enim ſunt &
„ denſiorem carnem habent.

At quid amabò his verbis docet Hippocrates, quod modis omnibus ijs non conſentiat, quæ ſupra docuimus? dicit enim, mulierum alias ſufficientes mẽſes habere, alias pauciores: rectiſsimè ſufficientes menſes appellans copioſiores; eò quòd hi vt plurimum in mulieribus locum habent, & verè ſufficientes ſunt ad perfectum fœtum generandum, videlicet nonomeſtrem, & decimeſtrem. pauciores verò, ſi ſemper prodeant tales, labi addit ex naturæ vitio; quoniam hæ calidioris ſicciorisq; temperamẽti ſunt, quàm mulieris natura patiatur, ſi propriam temperiem retineat, ac perfectionem ſibi conſentaneam. nam & apud ipſum aliquando φύσις νοσηρὴ primo de Mulierũ Morbis reperitur, ideſt morboſa natura: cùm videlicet aliquid alicui mulieri ſit naturale, licèt per ſe ſumptum ſit præter naturam, vt calidioribus, ſiccioribuſq; mulieribus menſes pauciores; quod alioqui ſexui muliebri eſt præter naturam. At quibus pauciora fluunt mẽſtrua, paucioribus diebus, quib⁹ copioſiora, pluribus fluere non ſolùm rationi conſonũ eſt, verùm etiam & neceſſarium. Sed tales fœtum ocyus maturare, & citius fœtui alimẽtum deficere, idem ſcribit; defectus enim alimenti à maturitate pendet, vt tertio libro de Hippocratis ſententia demonſtrauimus. quod hic etiam locus ſatis docet; vbi cùm iam maturus fuerit puer, rarius exhiberi alimentum admonemur, quemadmodũ ſupra etiam aduerſus Ferdinandum diſputantes adnotauimus. Igitur quæ pauciores habent menſes, & paucioribus diebus fluentes, breuiori tempore fętum geſtabũt, videlicet ſpatio ſeptimeſtri, quemadmodũ hoc loco Hippocrates indicat. Nec aliquẽ turbet, menſtrua (vt appellamus) imperfectiora, frigidiora, minus concocta, perfectiori fœtui à nobis impartiri; calidiora, coctiora, & perfectiora, fœtui imperfectiori; cùm potius cõtrarium rationi magis cõſonum videatur; videlicet nonomeſtres partus, ac decimeſtres tanquam perfectiores, ac robuſtiores ex materia magis concocta generari debere: vt conſueta naturę prouidentia hoc in loco non appareat. etenim facilis ad hęc omnia reſponſio eſt; cùm aliud omnino ſit, ac longè diuerſum, menſtrua, vt ſanguis menſtruaq; ſunt, conſiderare; aliud, vt materia fiunt generationis. primo enim modo nulli dubium eſſe debet, ea eſſe perfectiora, quæ calidiora ſunt; ſecũdo modo imperfectiora: quoniam humanæ ſpeciei ge-

gestatio longior sit magis naturalis, vt tertio libro planum fecimus. vnde fœmina quatenus talis à perfecto recedit temperamento, cùm coctiora menstrua emittit, ac pauciora quàm muliebris natura patiatur. quo sumpto fundaméto eodem tertio libro dicebamus, septimestres partus minus naturales esse iudicandos, quia ex calidiori materia, quàm humana ferat species, oriantur; proptereaq; gigni imbecilles, ac sępissimè periclitari. quare falsum erit, partus perfectiores ex materia oriri imperfectiori.

Aliæ nonnullæ dubitationes labefactantur.

Cap. 93.

VErùm vrgebit rursus aliquis, frigidiora menstrua fęminei partus causam esse, calidiora, maris: quoties enim excrementũ seminale benè concoctum in menstruis est, motum maris agere pro sua forma, maremq; gigni, docuisse quarto de Animaliũ Ortu Aristotelem. (Cap. 3.) at fęmineus partus longè imperfectior; igitur & in hoc altero naturæ erratum apparebit, si frigidiora menstrua perfectiora statuamus. ita .n. & rursus perfectior partus ex imperfectiori materia generabitur, ex perfectiori imperfectior, quod videtur absurdissimum. Sed & hunc etiam alterum scopulum facilè ex superioribus effugimus. etenim mulierum menstrua ad humanam speciem relata, & quatenus materia fiunt partus, ac generationis, suam rursum habẽt latitudinem; vt vel ad sexum referri debeant, vel ad ipsam maturitatem, ac ad tempora varia maturitatis; proindeq; alia alijs, diuersimodè considerata, esse debeant coctiora, calidioraq; ; alia contrario modo disposita; & sic perfectiora, vel imperfectiora dici possint. At hoc posito sequitur materiam ad sexum relatam, prout ex ea oritur mas, sua natura calidiorem esse debere quatenus talem, proindeq; perfectiorem, ac virtutem agentem ei proportione respondere esse opus: cùm varietas oriatur non solùm copia, aut frigiditate eius, quod coquitur, & distinguitur, sed defectu etiam facultatis eius, quæ coquit, vt citato loco docet Aristoteles. dixit autem copia Philosophus, aut frigiditate, quia non tantùm quantitatis, verùm etiam & qualitatis ratione materia disposita esse debet, vt libro (Cap. 5.) secundo & tertio de Partibus Animaliũ habemus. cæterum si materia hæc, quatenus ex ipsa oritur fœmina, consideretur; talis sua natura frigidior esse debet, incõcoctior, & propterea imperfectior. Quòd si menstrua ad maturitatem, ac tempora maturitatis varia referamus, tunc contrario modo de eis videtur decernendum; cùm frigidior materia perfectior censeri debeat, quia lõgiori tempore maturescat, vt supra dicebamus. itaq; falsum erit, hac quoq; ratione perfectiores partus ex imperfectiori materia generari: cùm non eodem respectu, non eiusdem temperamenti ratione frigiditas in ea attendatur, proindeq; imperfectio: & idcircò alia sit ratio frigiditatis, quæ materiam facit nonomestrem, alia quæ eandẽ idoneam reddit, vt ex ea fœmina oriatur. Sic vides (si est simpliciter, breuiterq; dicendum) hæc omnia alia atq; alia ratione menstruis conuenire; cùm menstrua calidiora, vt menstrua, perfectiora dicenda sint; vt materia sunt generationis in specie humana, imperfectiora; rursus menstrua, vt generationis materia sexus ratione, frigidiora, imperfectiora; quia fœminæ causa: diuersorum verò maturitatis temporum respectu perfectiora, quia causa sint longioris gestationis. Sed & tandẽ pugnacissimè resistet aliquis; si enim materia ad gignendũ marem apta calidior est; ad fœminam producendam frigidior; quæ verò calidior est, citius effingitur, quæ frigidior tardius; ergo materia, ex qua mas oritur, aptior erit vt septimestris maturescat; quæ fœminam format, vt nonomestris, ac decimestris: itaq; idem absurdum locum habebit; perfectior .n. partus, qualis mas est, minimè erit natura dispositus, vt maturitatẽ perfectiori tempore, scilicet mense nono, ac decimo recipiat; vel oportebit materiam, quæ marẽ gignit, ac decimestrem, & calidiorem simul esse, & frigidiorem; calidiorem scilicet, quia mas ex ea debet procreari; frigidiorẽ, quia perfectiori tempore, scilicet spatio decimestri ac longiori; & sic contrarias actu habere oportebit qualitates, quod videtur incõueniens. Respondeo argumentationem esse nullam; quia, vt supra tetigimus, frigiditas non eadem mẽsura, ratione, ac temperamento in menstruis accipiatur, non eodem respectu; vnde nil vetat, quæ menstrua sexus ratione calidiora sunt, eadem maturitatis limitum respectu esse frigidiora posse; & è contra: vt propterea & fœmina septimestris, & mas nasci decimestris cõperiatur, & è contra: cùm alia sit mensura frigiditatis, alia temperamenti ratio, quæ materiam perfectiorem reddit termini maturitatis ratione; alia (quanquam hæc duo non semel cõspirant) quæ sexus causa illam facit imperfectam. ex quò & fęmina longiori tempore

quàm perfecta maturescendi ratio requirat, in vtero gestatur, vt clarius infra demõstrabimus, & tertio libro satis explicatum fuit. Itaq; falsum erit partum, perfectiorem non esse sua natura aptum, vt perfectißimo tẽpore maturescat; falsum itidem, vt hoc effici poßit, contrarias actu qualitates habere materiam oportere; cùm alia & alia ratione in ea accipiantur. Verùm quo modo & pro natura menstruorum, & pro dierum numero, quibus ipsa menstrua fluunt, de ocyore, diuturnioreq; gestatione, ac partu sit iudicandum; proindeq; de tertio capite satis hæc dicta videantur.

Quartum caput tractatur. Quid propriè conceptionis nomine secundum Hippocratem veniat intelligendum.

Cap. 94.

QVartũ vt aggrediamur caput, videlicet quid conceptio sit, præmittẽdũ est (vt nos ex Hippocrate elicimus) aliud omnino esse, geniturã ipsam in vtero mulierẽ suscipere; aliud eam retinere; demum longè aliud concipere. Quale sit quod dicimus, declarat egregiè Hippocrates libello de Genitura, dum docet, postquam mulier coiuerit, si quidem conceptura non est intra se ipsam, pro more foras procedere geniturã; si verò conceptura est, non procedere foras, sed manere in vtero: concludi enim tũc vterum, cùm susceperit geniturã, osculo ipsius præ humiditate contracto, & intra se ipsam retinere. Enimuero cùm dicat Hippocrates, mulieri, si conceptura est, hæc obtingere; iam satis clarè ostendit se existimare, nondum necessariò eam concepisse, tametsi genituram vterus susceperit, quin & etiam contineat. præcedit enim conceptionem & susceptio genituræ, vt ita loquar, & retentio (vtendum est enim docendi causa verbis minus vsitatis) sed non sunt planè idem quod conceptio: quare Gorræum in Annotationibus super hoc libello nõ omnino recipio scribentem, si in muliebrẽ vterũ semen peruasit, prorsus necesse esse, vt vel illic maneat, vel inde exeat. Si remansit; aut concipi, aut non concipi; si concipitur, fętum esse. Sin minus, ociosum & à natiuo calore tùm suo, tùm mulieris destitutũ putrescere oportere, & atrocia inuehere symptomata; vt vteri strangulationes, suffocationes, spirandi difficultatem, conuulsiones, mentis abalienationes. quæ quidem mala si non accidant semine retento, certißimum concepti fętus esse indicium. Enimuero potest vterus, vt ex libris de Sterilibus, ac de Mulierum Morbis patet, genituram per plures dies intra se absq; vllo horũ symptomatũ ortu cõtinere, nec tamẽ cõcipere, sed postea foras eã emittere etiam nõ putrefactam; vt ad aliquod tempus retentio seminis, tametsi hæc mala non accidant, non sit certißimum cõcepti fętus, quemadmodum arbitratur Gorræus, indicium existimandum. Item potest & suscipere vterus genituram, sed non continere eam; potest demum nec etiam suscipere. Exemplũ huius postremi initio libri de Sterilibus habemus, vbi sic scribit Hippocrates. Non enim suscipiunt vteri genituram, sed statim foras exit. Exemplum alterius eodem loco non multò post his verbis continetur. Si leues igitur vteri fuerint, mulier in ventre non concipit. nam genituram suscipiunt quidẽ vteri, si non alia aliqua causa obstiterit; nõ autem concipiunt, sed semen foras emittũt. Inquit enim hîc Hippocrates, suscipere vteros quidem genituram, sed non tamen retinere, neq; concipere, verùm statim eam foras emittere. ex quò & primo de Mulierum Morbis, de mulieribus, quibus statim genitura exit, non semel facit mentionem: vt conceptionem aliam à susceptione seminis, ac retentione omnino esse duxerit. Primi tandem exemplum primo libro de Mulierum Morbis habemus verbis illis. Si verò, vbi cum viro coierit, postridie detineat genituram, & neq; altera die exeat & c. ac paulò post. Si verò non conceperit, sed secunda, aut tertia die exeunt, quæ à viro immissa sunt & c. ex quibus locis patet euidenter, vteros secundum Hippocratem & suscipere genituram, & per aliquot dies retinere, nec tamen concipere, sed geniturã ipsam, postquam illam retinuerint, emittere, nec tamen semper putrefactam. Proinde sub extremo eiusdem operis de vteris viri genituram tertia die eructãtibus factam videmus mentionem; scriptumq; legimus apud ipsum citato loco, mulieres, quæ non concipiunt, interrogandas esse, an statim eis exeat genitura; an postera die, aut tertia, aut sexta, aut septima: vt hac de causa paulò post admoneat mulierem Hippocrates, si probè ei parati fuerint vteri, & si geniturãm ad decem, aut duodecim dies detinuerit, ne virum adeat. atq; eodẽm tẽdit, quod libello de Natura Pueri in historia genituræ sex dierum scriptũ legimus, fidicinã illã audiuisse, si mulier conceptura est, semẽ vtero non excidere, sed intus manere. Ἐπὴν γυνὴ μέλλῃ λήψεσθαι inquit Hippocrates, idest cùm

Ann. 24.

cùm futurum est, vt mulier concipiat. quibus apertè permansionem seminis in vtero à conceptione aliam facit; cùm, etsi maneat in vtero semen, non tamen dicat, mulierem concepisse, sed futurum esse, vt concipiat; nempe quia nulla adhuc sit de conceptione certitudo, quanquam susceptum semen in vtero permanet. quamobrem tàm clarum est, quàm quod clarissimum, & Gorræi sententiam non semper esse veram, & aliud omnino esse apud Hippocratem concipere, ꝙ ξυλλαμβάνειν ipse vocauit, vnde συλλήψεως, idest conceptionis nomen ductum est; aliud genituram in vtero suscipere; quod δέχεσθαι, λάζεσθαι & λάζυσθαι idem dixit; demum aliud genituram retinere, quod & ἐμμένειν, & κατάσχειν, appellauit; quod quidem cùm nonnulli, licèt græcarum literarum scientissimi, non animaduerterint, λάζυσθαι concipere apud Hippocratem significare, falsò docuerunt.

Locus quidam Hippocratis ex libro de Aere, Aquis, & Locis enarratur.
Cap. 95.

At enimuero hinc satis elucet, quid libello de Aere, Aquis, & Locis voluerit diuinus Senex, vbi causas sterilitatis Scythicarum mulierum aperiens, dixit ideo esse eas infęcundas, quia ob pinguedinem ac humiditatem semen nequeant ξυναρπάζειν, idest rapere; & ὑποδέχεσθαι, idest suscipere: neq; enim ibi loquitur de retẽtione, vt Interpretes existimant, sed de susceptione tantùm, quæ fit vteri attractione, vt diuinè secundo de Animalium Ortu docet his verbis Aristoteles. Profusio autem non intus fit, vt quidam volunt; os enim vteri angustum est: sed ante, quò fœmina mittit vaporem illum nonnullarum recrementum. eôdem enim mas etiam mittit, quod fuderit; & aut ibidem manet semen emissum, aut intro ab vtero trahitur, si calidus est, & modicè temperatus ob purgationem. & paulò post. Trahit geniturам hic locus suo calore; menstruorum etiam decessio & confluuium fomitem in ea parte caloris parat. itaq; vt vasa non illita calido diluta humore aquam in se trahunt ore inuerso, ita attrahitur. Hæc ille; qui profectò locus (infra contra Theodorum pluribus à nobis expẽdendus) Hippocratis mentem solus aperit; enimuero quod trahere hìc dicit Aristoteles, Hippocrates ξυναρπάζειν, idest rapere pulchre appellauit; verùm vterus tunc semen maximè attrahit, cùm ob commodam

Cap. 4.

mẽstruorum purgationem calido sanguine dilutus calidior redditur, non secus ac vasa calido diluta humore aquam trahunt; vt fusius etiam infra explicabimus. At Scythicis mulieribus nunquam ita vterus paratur: cùm enim frigidioris, humidiorisq; sint naturæ quàm deceat, menstruam purgationem vitiosam habent, idest paucam, & ferè perpetuam, ac sanguinis frigidioris. ex quò & vterus ex huius sanguinis continuo ferè confluxu frigidior potius redditur quàm calidior, & benè temperatus ob purgationem; quod necessarium esse dicit Aristoteles, vt attractio fiat seminis; ideoq; ipsum semen rapere, idest attrahere non potest. quod docere volẽs Hippocrates, cùm dixisset illas mulieres semen ad se non rapere, sic statim, adducens huius rei causam, subdit. Neq; enim menstrua purgatio ipsis fluit, vt opus est, sed pauca & diuturna. causam enim hanc ad humiditatẽ pertinere satis est manifestum; siquidem duo ob oculos Hippocrates posuerat, quæ huiusmodi mulieres voluit reddere infęcundas; pinguedinem, & humiditatem. sic enim scripsit. Mulieribus verò carnis pinguedo & humiditas. at humiditatem dicere apud ipsum, quod pertinet ad generationis negocium, simul etiam & frigiditatem tertio libro satis ostendimus. Itaq; huiusmodi causa diuturnum frigidioris sanguinis fluxum significabit: atq; hìc de re apud multos ambigua, & controuersa summorum Præceptorum notare potes consensionem. Quid verò altera causa operetur, sic ipse aperit. Vteriq; os à pinguedine concluditur, & semen non suscipit. Sic ergo de sola susceptione loquitur hoc loco Hippocrates, dicẽs primùm neq; attrahere rapereq; ad se vteros mulierum illarum semen posse, quia non tantum caloris habeant ob expositam causam; neq;, si vim haberent attrahendi, posse suscipere, quia sit os præ nimia pinguedine conclusum.

Galeni, Ferdinandi, Lalamantij, Mercati, & Valeriolæ nonnulla refelluntur. Fernelij, Gorręiq; de conceptione expenditur sententia.
Cap. 96.

Quòd si hæc vera sunt, quæ ex Hippocratis dictis verissima esse demõstraui; aliorum sit iudicium, an Galeni placitũ primo libro de Semine cum ratione consẽtiat, vbi & semen mulierem concipere, & ipsam conceptionem nil esse aliud ipse statuit, quàm geniturам ipsam in vtero con-

Cap. 2.

tineri; cùm vulua suscepto semine conuellit se, & contrahit illud retinens; ita ut quod dicunt concipere semen, & nomen ab hoc verbo deductum, conceptio scilicet ipsa, hinc à mulieribus fuisse impositũ Galenus velit; videlicet à conuulsionis, contractionisq; illo motu. quam sententiam Ferdinandus quoq; sequi videtur super libello de Partu Septimestri, ita scribens. Sed alias notas addiderunt antiquissimi, quibus exactius deprehendi valeat certissima de conceptione habita notitia: quarum prima est, si statim à congressu locus muliebris siccus extat, quod semen ad vterum allectum esse mõstrat, nequaquam ad muliebria defluxisse. si vteri contractionem sentiat mulier, vnde ipsa conceptio σύλληψις denominata est; si horror statim ingruit & calor, dentiumq; stridor consequitur; si conuulsio totum corpus occuparit, aut articulos, & vterum segnities ac torpor incesserit. Certè Hippocratem aliud omnino sensisse, & ex citatis locis, & ex verbis Opusculi de Genitura satis habeo exploratum; quo loco ita locutus est, eam explicans sententiam, quã superius attulimus. Postquam autem coierit mulier, si quidem conceptura non est intra se ipsam, pro more foras procedet genitura ab vtrisq;, vbi fœmina volet. Si verò conceptura est, non procedit foras, sed manet in vtero genitura. Nam vteri cùm susceperint genituram, & concluserint se se in se ipsos, illam continent, osculo nimirũ ipsorum præ humiditate contracto & concluso; simulq; permiscentur tùm quæ à viro venit, tùm quæ à muliere missa est. Quòd si fœmina partus perita sit, & cognouerit quando genitura non exciderit, sed intus manserit, sciet qua die intra se ipsam conceperit. Hæc ille; quibus apertissimè & cõprehensionem susceptionemq; genituræ, & vteri contractionem, & genituræ retentionem; & quod magis videri potest, vtriusq; genituræ permixtionem cùm mulieris tùm viri ab ipsa seiungit conceptione; geniturę enim muliebris nomine Hippocratem puriorem etiam menstrui partem (quam seminale in menstruis existens excremẽtum vocare solet Aristoteles) ac materiam, ex qua formatur fœtus intellexisse, & libro tertio indicauimus, & pluribus in Opere de Monstrifici Fœtus Formatione demõstrabimus. Itaq; dicit, si mulier conceptura non est, vtriusq; genituram foras simul procedere; quod non sine aliqua illarum mixtione contingere posse videtur: & si conceptura est, postquam hæc omnia euenerunt; .s. mulier viri genituram susceperit, vterisq; se se cõtrahentibus detinuerit, item miscuerit se se vtriusq; genitura; perbellè adijcit, mulierem, si hæc omnia animaduerterit, partusq; habuerit peritiã, & cognouerit genituram non excidisse, scire posse, qua die intra se ipsam concepit: vt neq; susceptionem genituræ, neq; vtero contracto detentionem adhuc conceptionem voluerit esse; quin etiam nec vtriusq; genituræ mixtionem: verùm hæc omnia censuerit conceptionem ipsam anteire. Hinc Lalamantij fortasse error; qui in Opusculum de Octomestri Partu, vterũ per coitum semen attrahere dicens, attractum complecti, complexum deniq; continere, hoc idemq; concipere esse; inter conceptionem ipsam & seminis retentionẽ non distinxit. Hinc Mercati positio parum fortasse tuta; qui libro tertio de Mulierum Morbis cõceptionem esse definiuit, attracti ab vtero seminis commixtionem cum sanguinis menstrui puriori parte. ita enim idẽ esse conceptionem existimauit cũ ipsa mixtione. Hinc eiusdem Mercati error, quòd scribit, conceptionis nomen à comprehensione dictum esse, Galenum affirmare. quod etiam primo Locorum Communium Valeriola asseruit; addens propterea conceptionem nil aliud esse, quàm comprehensionem genitalis seminis in vteris mulierum ad fœtus generationem. quandoquidem id nullo modo Galenus asseruit, sed συλλαμβάνειν τὸ σπέρμα, & nomen ab hoc verbo deductum σύλληψις (quam vocem latinus Interpres rectè conceptionem interpretatus, vt eam magis explicaret, illa addidit de suo, idest comprehensionem) inde, vt sibi videbatur, à mulieribus fuisse impositum; idest ab eo, quod ex ijsdem acceperat eis euenire, cùm concipiunt: nempe à conuulsione vteri, & contractione: vt mirum sit id tantos viros Galeno imposuisse. præterquàmquòd hoc pacto conceptionem Valeriola ab ipsa susceptione non distinguit. Hæc omnia cùm secum ipse luculentus ille rei Medicæ scriptor Ioannes Fernelius cogitaret, vir quidẽ eruditissimus, ac omni nostra laude maior, libro septimo de Naturali Parte Medicinæ nec seminis attractionem, nec retentionem conceptionẽ esse apertè testatus est; dicens non rarò compertum esse, auidum vterum semen attraxisse, quod diù continere non potuit, sed biduo, aut triduo siuit elabi; esse verò, vt, cùm id diutius reseruet, minimè tamen præscripti finis, ac desiderij compos efficiatur: quam veritatem cùm per me ipsum ego cogitassem, atq; ex Hippocratis

Com. 7.

Sch. 15.

Cap. 6.

Cap. 18.

Cap. 8.

cratis dictis cõfirmassem, mirificè sum lætatus, cùm apud tantum virum eam cõperissem. quanquam (vt liberè proferam quod sentio) cùm statuit, conceptionem propriã quandam, & peculiarem vteri esse actionẽ, qua vterus fecundus propria quadam, & ingenita vi, quæ alteri nulli parti est coniuncta, sopitam seminis vim, & delitescentem in eo potestatem excitat, & ad agendũ extimulat, vt energia fiat & dicatur; ita vt ea ipsa exsuscitatio conceptio sit, vereor ne vir tantus ab Hippocrate discedat; sicut & ab Aristotele dissentit toto Cœlo: eò quòd, licèt vterus naturæ propriæ ratione ad conceptionem concurrat; adeò vt extra illum conceptio fieri nequeat: non tamen soli vtero hæc actio tribuenda videatur, vt nonnulli tùm Veterum tùm Recentiorum existimarunt, omne formationis munus perperam calori ipsius delegantes; verùm primò virtuti geniturę, vt mox infra planum faciam. Similem sententiam Gorræum doctissimum virum in Annotationibus super libello de Pueri Natura video habuisse; qui dicens, facultates vteri tractricem, retentricem, & conceptricem, protinus atq; idoneũ semen nactæ sunt, non cessare ab opere, nec agere modò, sed etiam facultates illas, quæ semini potentia inerant, ad agendum exsuscitare; proindeq; coniecto in vterum semine, si fœtus ex eo fieri debet, primùm contrahere se vterum, & exactè ipsum amplecti eodem prorsus modo, quo ventriculus cibos comprehendit; atq; ita claudi, vt ne acum quidem in os ipsius immittere possis; deinde verò promere se formatricem, quæ in semine latebat, facultatem, & ad opus accingi; principiòq; mulieris ac viri semen componere, & miscere, & præparare ad diuersarum partium constitutionem: postea verò partium, quæ sunt ad vitam necessariæ, rudimenta quædam effingere: hæc, inquam, scribẽs, tametsi inter conceptionem, susceptionem, retentionemq; seminis distinguere videatur; ipsam tamen conceptionem primò videtur vtero tribuere; & quod magis est, seminũ admixtionem cõceptionis partem efficere; ꝙ nos verum nõ putamus, si de prima, vt ita loquar, seminũ mixtione intelligatur; de qua re paulò infra.

Ann. 1. & 4.

Quid verè sit ipsa conceptio secũdum Hippocratem, & quo modo fiat, proponitur declarandum. quid semini in vtero existenti contingat secundum illum. Cap. 97.

QVid ergo ex Hippocratis sententia dicemus tandem ipsam esse conceptionem? postquam nec susceptionẽ seminis, nec ipsius in vtero retentionem, nec demum mixtionem vtriusq; esse conceptionem de illius mente volumus? Aperiam in re obscurissima quid sentio; præsertim cùm Hippocratis dicta Præceptor, quasi in tantis tenebris facem præferens, videatur interpretari. Mihi igitur libello de Natura Pueri cõceptionis ipsius ordo & tempus, si quis mentis aciem intendat, pulchrè videntur explicata. Cùm enim, vt infra ex Aristotele ostendam, tunc dicendum sit duce ratione verè factam esse conceptionem, quando cor actu genitum est, articulatioq; fœtus incipit, & ipsa nutritio; nimirum quia tunc conceptus & materia animatur, ac viuificatur, vitamq; recipit, primum ipsius animalis, ac vitæ opus efficiens, quod est ipsa nutritio: quo tempore & primò animari, viuificariq; fętũ, & nutriri scripsit Hippocrates, eo & conceptionem factam esse, ipsum existimare, nemo negare poterit sanæ mentis. Sic ergo initio libelli de Natura Pueri scriptum reliquit. » Si genitura ab vtrisq; permanserit » in vtero mulieris, primùm quidẽ simul mi» scetur, vt potè muliere non quiescẽte, coa» ceruaturq; ac crassa per calorem euadit. » Deinde spiritum concipit, nempe in calido » existens, & postea matre spirante. Hæc ille; intelligens mulierem non conquiescere, si Gorræo credimus in Annotationibus, nõ tàm de motu corporis, quàm de facultatum actione, tùm quæ sunt vteri propriæ, tùm quas in se semen continet; qui paulò post, cùm spiritum cõcipit genitura, nutriri etiam incipere, docet, membranaq; obuolui. quanquam quod ad spiritus attinet nutritionem, haudquaquam ea censenda sit nutritio secundum illum, quę cõstituit cõceptionem, vt infra dicam. scribit autẽ de primo sic. » Omnia verò, quæ calescunt, » spiritum habent; spiritus autem erumpit, » & sibi ipsi viam facit, ac foras procedit. id » autem quod calescit, rursus in se alium spi» ritum frigidum trahit per fissurã, vnde nu» tritur. quod & probat inter cætera seminum exemplo, maius aliquid hoc ipso nos docere volens, quàm philosophorum fortasse vulgus queat intelligere; verba hæc sunt. » Quin & legumina, & frumenta, & » arborei fructus nucũ generis calefacta spi» ritum habent, qui fissura facta foras prodit. quod quo pacto veniat intelligendum, clarius in eiusdem Opusculi calce his verbis explicauit. » Etenim semen, vbi deiectum » fuerit in terram, humiditate quadam ab ip-

Ann. 1.

sa im-

» sa impletur; habet enim in se terra diuersũ » humorem, vt nascentia nutrire possit. Im» pletum autem humore semen, inflatur & in» tumescit: & vis, quæ in semine leuissima est, » ab humore condensari cogitur: condensata » autem à spiritu vis, & humore folia produ» cẽte, semen rumpit, & primùm folia foras e» mergunt. Vbi verò emerserint, cùm non » amplius ab humore in semine existẽte folia » nutriri possint; rũpitur infernè semen, itẽq; » folia: & semẽ à folijs coactum, vim suam ad » inferna demittit; quę videlicet in ipso restat » propter grauitatem, & fiũt radices ex folijs » distentæ. Postquam autem planta iam firmi» ter radices infernè egerit, & alimentum à » terra sumit, tunc sanè totum semen euane» scit, & in plantam consumitur præter corti» cem, qui solidissimus existit. Quare absq; vlla dubitatione primis verbis leguminum frumentiq; exemplo, dixeris apertius seminum, nil aliud docere voluit, quàm simile in genitura euenire; cùm scilicet concipit spiritum, ipseq; ex ea spiritus conceptus erumpit, dehiscitq; semen, aliquid emittere semẽ ipsum ac genituram folijs radicibusq; simile, quod nutriatur. nam & simile in genitura contingere, in hominisq; ortu, sic postea » ipse testatus est. Quòd si quis considerare » velit, ea, quæ de his dicta sunt, ab initio vs» q; ad finem; inueniet naturam omnem con» similem & ex terra nascentium, & ex homi» nibus. vt pulchrè hanc diuinam Hippocratis sententiam secundo libro de Animalium Ortu Aristoteles interpretari videatur, cùm scribit, constituto conceptu simile euenire, ac ijs quæ seruntur; principium enim primũ semina quoq; cõtinere intra se, quod potẽtia primò contentum, vbi secretum mox est, germen emittit & radicem, qua nutriatur; proinde in humano cõceptu cor primò actu secerni. cùm enim secretum est, venas, quæ in vmbilico vniuntur, in ipsam matricem, quasi radices in terram, emittit, vt idem explicat, addens, vti fœtum matrice ac matre, perinde ac planta ac semẽ terra vtitur; quod & Hippocrates, vt vidimus, perspicuè docuit. quanquam & cor tanquam venarũ origo, ideoq; venosum, ac venarum pars, vt libro tertio de Partibus Animalium scriptum legimus, quasi radix existimari possit. Hoc nanq; idem intellexisse hoc loco Hippocratem, illi facilè concedent, qui animaduerterint, in Opusculo de Principijs memoriæ proditum ab eo, & calidi plurimum in venis à corde inesse, & propterea spiritum cor habere, & maximè trahere; vt potè quod omnium intra hominem membrorum sit calidissimum. & initio libri quarti de Morbis, sanguinis esse fontem; & in Opusculo de Alimento, arteriarum esse radicationem; vt quod calidissimum omnium partium est, & proinde paratissimum; tanquam reliquorũ principium, omnium etiam primum ad actum debeat peruenire.

Cap. 4.

Cap. 4.

Quid genituræ in vtero permanenti secundò eueniat ex Hippocratis sententia, quauè ratione secundum illum membrana obducatur. Item quando materia viuificetur.

Cap. 98.

De secundo autem, quòd scilicet concepto spiritu membrana obducatur, sic ipse Hippocrates loco memorato. καὶ ἡ γονὴ » ὑμενοῦται φυσωμένη. quod est. Et genitura in» flata membranam acquirit. quod & sic cla» rius mox explicauit. Circumtẽditur enim » quod forinsecus circũ ipsam est, continuũq; » euadit, vtpotè viscosum existens. queadmo» dum in pane, dum torret, tenue quoddam » pelliculę specie in superficie abscedit, ac » extat. Calescens enim panis & inflatus ele» uatur; qua parte verò inflatur, isthic pelli» culæ species excitatur, & cõsistit. Geniturę » autem calefactæ, ac inflatæ ex toto, pellicu» la forinsecus circundatur. Hæc ille; quo loco notandum est, nõ quidem spiritũ sua inflatione simpliciter causam esse ortus membranæ; quasi in huius rei tradenda causa ab Hippocrate Aristoteles discesserit, qui resiccatis terrenis partibus membranas gigni scripsit secundo libro de Ortu Animalium; resiccari verò, quia calescentis, & frigescẽtis rei extrema siccescere sit necesse. Sed inflatio ipsa causa primò est, vt genitura quodãmodo intumescat, cuius partes extremæ refrigeratæ tanquam viscosę & terreæ resiccantur, & concrescunt in membranam, vt Hippocrates innuit. At enimuero cùm mẽbrana obducitur, animatur genitura, & viuificatur ex Hippocratis sententia; sic enim ipse apertis verbis in Opusculi calce. ἡ χωρισθεῖσα ἐν ἑκατέρῳ κόλπῳ ὑμενοῦται καὶ ζωοῦται τῷ » αὐτῷ τρόπῳ, ὥσπερ καὶ τὸ ἕν. idest. Genitura » quidem in vtroq; sinu seorsum consistens » pelliculas induit, & viuificatur eodem mo» do, quo vnus fœtus. Porrò autem si anima» tur, & viuificatur, necessariò etiam & nutritur; nam prima viuentis, & animalis operatio ipsa est nutritio: habent enim semina omnia tùm plantarum, tùm animalium nutritiuam animam potentia prius, vt secundo de Ortu Animalium docuit Aristoteles, actù verò habent, cùm opus faciunt illius; quo

Cap. 4.

Cap. 4.

quo quidem tempore actu & verè animari dicuntur, & viuificari. itaq; & hoc etiam tempore verè & propriè conceptio efficietur; cùm enim secernitur principium, scilicet cor ipsũ, nutritione habet opus, vt clarius infra ex Aristotele dicemus. at secernitur obducta membrana, sed nõ tamen prima, vt mox ex Hippocrate probabimus (ꝙ maximè in eo animaduerti cupio) sed cùm posteriores & vltimæ obducuntur; tunc .n. ipsa caro, idest principium primum, & cor ipsum actu secernitur; & trahens spiritum, & sanguinem à parente, verè nutritur, veraq; incipit nutritio. propterea diuinè Hippocrates, vt hoc significaret, primũ dixit ὑμενοῦται, idest membranam induit; postea ζωοῦται, idest vitam animãq; acquirit: voluit enim dicere, prius obduci membranas, deinde verò fœtum animari, ac viuificari. propterea verbo ὑμενοῦται vsus est, dixeris membranis obuoluitur, vt omnes mẽbranas comprehenderet, & non solùm primam, sed etiam quæ posterius generantur; propterea initio Opusculi, cùm huius veritatis iaceret fundamẽta, significauit lignorum, quæ vruntur, exemplo, non tàm nutriri genitură, quàm spiritum, qui in ipsa cõcipitur, scripsit enim. Itaq; facilè licet de spiritu ratiocinari; nempe cum intra lignũ calentem alium frigidum accersere, eoq; nutriri. quibus sanè docere voluit, ne quis laberetur in errorem; aliud esse spiritum, quo inflatur primò genitura, & qui ob id causa est ortus prioris mẽbranæ, quod præcedit primę etiam membranę obductionem, aliud, huius spiritus nutritionem: longè verò aliud, spiritum, & sanguinem, ex quo intelligit carnem, principium scilicet primũ gigni & nutriri, aliudq; carnis ac principij huius nutritionem; quod quidem veram dicit fœtus nutritionem. Siquidem cor ipsũ & gigni & nutriri ex spiritu & sãguine subtiliori ex arterijs matris attracto, cùm formatur homo, primo libro de Semine Galenus admonuit, vt fusius infra ex eo explicabimus. Hippocratis autem hęc est oratio, qua perspicuè hãc docet veritatem. Verùm sanguis à toto corpore mulieris descẽdens, in orbẽ forinsecus pelliculam circunstat; simulq; cum spiritu sanguis intra per pelliculam trahitur, qua parte perforata est, & à genitura distat; congelaturq; & futuro animali augmentum præbet. Cùm autem tempus accesserit, rursus aliæ pelliculæ intra primam pelliculam tenues & multæ circuntenduntur, eo modo, quo prima pellicula facta fuit. Sunt autem & hæ ab vmbilico extentæ, & inter se mutua ligamenta habent. Cùm verò iam hoc factum est, ex descendẽte à matre sanguine & congelato caro fit. Iuxta mediam autem carnem vmbilicus distat, per quem spirat, & alimentum ac incrementum capit.

Cap. 8.

Fusius quando materia secundum Hippocratem viuificetur; fiatq; verè conceptio.
Cap. 99.

HAec igitur Hippocrates; quibus & mẽbranam primam obductam esse, & circũstare, & sanguinem cum spiritu ex matre in eam descendere scribit; & tamen inquit conceptum, ac genituram adhuc non esse animatam, viuificatamq;, nec animal esse factam; dicit enim apertè. καὶ αὔξει τὸ μέλλον ζῶον ἔσεσθαι. idest, auget, quod animal est futurũ. dixeris materiam auget, ex qua gignendum est animal, & quæ est viuificanda. quare & nondum genitum animal esse, & ex consequenti necessariò nondum animatam, viuificatamq; esse genituram intelligit, tametsi prima membrana fuerit obducta; vt post aliarum membranarum obductionem omnino existimauerit animari fœtum, ac viuificari, quemadmodũ supra dicebamus. Hinc addit, ὁκόταν δὲ χρόνος ἐγέννηται. .i. & cũ tẽpus aduenerit, videlicet vt ego ĩtelligo, in quo, quod futurum est animal, animari iam debet, & viuificari; alias membranas gigni: & cùm hoc factum fuerit, tunc ex descendente à matre sanguine, & congelato (intelligas ex superioribus verbis & spiritu) carnẽ gigni, quæ per vmbilicum spiret, & accipiat alimentum; dixeris clarius, tunc fœtũ animari, & viuificari, animalq; ꝙ tale erat futurum, tunc fieri. neq; enim tantùm dicere voluit verbis illis, ὁκόταν δὲ χρόνος ἐγεννήται, procedente tempore alias gigni mẽbranas, vt Gorræus in sua expressit versione; quasi ad solum membranarum, quæ secundo loco fiunt, ortum, animum intenderit; sed dicere voluit, cùm tempus aduenerit animationis genituræ, & viuificationis, alias gigni, obduciq; membranas circum illam, hisq; genitis (quod & verbis illis indicat apertè. Cùm verò iam hoc factũ est) carnem gigni & secerni, quæ postea nutriatur, nempe cor ipsum; & quod in idem redire sciebat Hippocrates, illud, quod animal futurum erat, animal fieri; vt cùm in Opusculi calce scriptum ab eo est, genituram ὑμένουσθαι & ζωοῦσθαι, idest membranis obuolui, & animari, ac viuificari (quo loco, vt infra dicã, genituræ nomine menstruus san-

ſanguis dignatur) intelligendum ſit , vt
hic locus docet apertè, animari genituram,
non quidem cùm primam induit membra-
nam, ſed cùm reliquæ oriuntur , & poſtquã
ortæ ſunt; vbi ſcilicet mox ex ſanguine de-
ſcendente , & congelato caro ipſa genita
fuerit. vt verbum ὑμενοῦται omnium mem-
branarum dicat eo loco, quemadmodum ſu-
pra monebamus, omnino abſolutionem. in
quo & hoc alterum diuinum diuini Senis
artificium notare poſſumus ; cùm enim de
» genitura cœpiſſet loqui , dicens ἡ (ſcilicet
» γονὴ) χωριςεῖσα , ideſt genitura ſeorſum cõ-
ſiſtẽs , membranas induit & viuificatur; cõ-
cludit poſtea , ὥπερ καὶ τὸ ἓν . cùm tamen di-
cere debuiſſet , καὶ ἡ ἐνη , ideſt γονὴ , vt con-
tinuata oratione ſermonem ad genituram
referret. illud nanq; τὸ ἓν ad ἔμβρυον, ideſt
ad embryonem habet manifeſtè relationẽ.
quod certè ideo factum ab Hippocrate ap-
paret; quia, cùm dixiſſet genituram anima-
ri , iam non amplius genituram , ſed em-
bryonem materiam appellandam eſſe (quo-
niam genita ſit caro , ipſum ſcilicet cor &
principium , & animata ſit , ac viuat , & nu-
triat)docere voluit. carnis .n. nomine , quã
poſt aliarum membranarum generationem
priore loco oriri ſcribit , cor ipſum , quod
carnis maximè referre naturam , rectiſsimè
primo libro de Hiſtoria Animalium notauit
Ariſtoteles,Hippocratem & potiſsimum in-
tellexiſſe , & nobis deſignare præſertim vo-
luiſſe;omnino mihi perſuadeo. nam & ob id
attracti ex matre ſpiritus, ac ſanguinis fe-
cit mentionẽ tãquã neceſſaria ad huius car-
nis ortũ; ſpiritu .n. & ſanguine creari ſubti-
liori ipsũ cor ex arterijs matris attracto in-
fra ex Galeno dicemus; tunc .n. incipit verè
articulatio fœtus & materiæ, & deſinit eſſe
genitura , ac embryon verè meretur appel-
lari ; tùm quia animatum iam eſt, & viuifi-
catum; tùm quia ſeminalis humidaq; mate-
ria,& fluxilis non adeſt amplius,ſed conſtãs
iam & carnea . ex quò & paulò infra Hip-
pocrates, cùm antea dixiſſet , carnem hanc
eſſe genitam , & tempus, in quo gignitur,
explicaſſet; vt verè poſtea fieri doceret ar-
» ticulationem , ita ſcripſit . Cæterum caro
» augeſcens à ſpiritu articulatur, & abijt in
» hac vnumquodq; ſimile ad ſimile. & quæ ſe-
» quuntur; quibus de totius corporis,& par-
tium diſſerit formatione. quod & confir-
mauit ſecundo de Animalium Ortu Ariſto-
teles, dicens, quaſi hãc Hippocratis ſenten-
tiam interpretaretur , diſcerni articulariq;
partes animalis ſpiritu, ſed non tamen ſuo,
vel parentis. Nec obſtat,ſi poſtea dicat Hip-
pocrates,viſcera coarticulari, quaſi cor in-
ter viſcera præcipuum, antea ſecretum eſſe
non exiſtimauerit ; nam verba illa nil aliud
quàm abſolutiorem viſcerum omnium arti-
culationem exprimere,quę poſtea efficitur,
quin etiam & partium reliquarum ; adeò vt
cor primò ſecretum tunc perfectiùs abſolui
cum reliquis partibus intellexerit ; nemo
dubitare poteſt . nam & propterea de alijs
quoq; partibus facit mentionem ; dicens
eodem illo tempore os per ſe deduci , &
neruos volui circa naturas articulorum , &
nares & aures eminere in carne, cùm & co-
articulari viſcera adiungit ; vt palàm ſit nõ
de primo viſcerum ortu , & ſic non de pri-
mo ortu cordis,ſed de abſolutiori illius,re-
liquorumq; viſcerum cum reliquis parti-
bus diſtinctione & articulatione , ſermonẽ
Hippocratem habere .

Cap. 17. [margin]

Cap. 4. [margin]

*Vera colligitur Hippocratis ſententia de con-
ceptione . Gorræus reijcitur .*
Cap. 100.

SIc ergo ex diuini Senis ſententia neq; ge-
niturę ſuſceptio,neq; in vtero retentio
ac permanſio , neq; mixtio vtriuſq; genitu-
ræ; de quibus omnibus operationibus pri-
mis ſtatim verbis Opuſculi de Natura Pue-
ri egit; verè erit conceptio, neq; partes cõ-
ceptionis ; ſed conceptionem ipſam neceſ-
ſariò præcedent : ſicuti neq; etiam ſpiritus
generatio intra ipſam geniturã , neq; prio-
ris membranæ obductio, neq; ſanguinis at-
tractio , & congelatio (in quibus quidem
operibus dies circiter ſex abſumere natura
ſolet) conceptionis partes putari debent.
At verò aliarum membranarum obductio ,
ſed potiſsimum carnis , ac principij primi
ſecretio,& nutritio (quod poſteriorum mẽ-
branarum ſequitur ortum) ipſa erit conce-
ptio, parteſq; (vt ita loquar) conceptionis;
ita vt in carnis primiq; principij ſecretione
conceptionem ipſam abſolui , ac omnino
perfici,Hippocratem voluiſſe intelligamus:
nimirum quia tũc ipſa genitura ac materia,
ex qua fœtus conformatur, non ſolùm ὑμε-
νοῦται , ideſt membranas induit poſtremas ,
ſed , vt diuinè ipſe adiecit, etiam ζωοῦται ,
ideſt animatur , ac vitam recipit ; nutritur
enim vera nutritione, vt ſupra diximus ; q͂
primum animæ eſt opus . quæ enim nutri-
tio in prioris membranæ obductione effici-
tur, non genituræ eſt, vel fętus (quod & ſu-
pra innuebamus) ſed ſpiritus incaleſcente
genitura primò concepti, vt quiſq; Hippo-
cratis verba initio Opuſculi de Natura

Pueri

Pueri considerans, facilè videbit; ideoq; non est vera propriaq; nutritio; quia nondum actu viuentis, ac animalis. propterea eo loco non genituram, vel carnē nutriri scripsit, sed calidum spiritum spiritu, qui ingreditur, frigidiore; quod spiritui in lignis, quæ vruntur, genito voluit etiam conuenire; vt de vera nutritione, quæ animātis propria est, palàm sit nullo modo loqui posse. at cùm genita caro est, iam, quia de vera nutritione sermonem habet, nō amplius spiritum in genitura contentum, sed ipsam genituram & carnem spirare per medium vmbilicum, & nutriri augeriq; docet; scribit enim. Iuxta mediam autem carnem vmbilicus distat, per quem spirat (quod scilicet animal iam factum est) & alimentum ac incrementum capit. Hoc autem totum cùm Hippocrati post aliarum membranarū obductionem eueniat, iurè, etiam si prior membrana obducta sit, nondum dicitur facta conceptio. proinde insignis Gorrçi error, qui censuit in Annotationibus, genituram ac semen ante huius carnis generationem verè nutriri, verè fœtum dici, quasi facta sit vera conceptio. scripsit enim. Semen cùm viuat, sitq; animal potentia, nutriri quoq; necesse est. quamobrem tractricem illi facultatem natura tribuit, qua primùm semen vtens, alimentum ad se idoneū pertrahat. quo loco longa docere conatur oratione, idoneum huiusmodi alimentum primis diebus semen esse muliebre; mox attractum sanguinem menstruum ex parente. Verum (inquit) id primis duntaxat fit diebus, donec videlicet paulò auctior fœtus factus sit, & robustior. Tunc enim per membranæ foramen sanguinem spiritumq; ab vtero per venarum ipsius ora, quibus cū illo iunctum est, attrahit, de quibus ante est dictum, cùm de vmbilico ageremus. Fruitur autem tenuiore, & puriore eius parte, reliquam verò crassam, & feculentam relegat inter chorion, atq; vterum. Hæc ille; quibus, vt videmus, genituram sanguinem hunc trahentem vocat fętum, cùm tamen nō sit genita adhuc illa caro; quæ verè euadit animal, & quæ ex attracto isto sanguine generatur; proindeq; nec sit genitura viuificata, & ex consequenti nondum facta cōceptio; immò & quod magis est, ante etiam huius sanguinis attractionem geniturā ipsam fœtum appellat. dicens enim primis diebus, donec videlicet paulò auctior fętus factus sit, nutriri, antequam hic trahatur sanguis, muliebri semine; fœtum ipsum absq; dubio nutriri eo intelligit ante huius sanguinis attractionem.

Annot. 12.

Quid propriè conceptionis nomine audiendum secundum Aristotelem. quid γονὴ, quid σπέρμα, quid κύημα, quid παίδιον, secundū illū & Hippocratem. de quatuor fętus temporibus, et appellationibus Galeni affertur opinio, & confutatur.

Cap. 101.

IAm verò ab enarrata Hippocratis sententia non abhorret Aristoteles, licèt primo de Animalium Ortu genituram à semine distinguens, genituramq; ipsam id vocari scribens, q̄ à generante proueniens causa est, quæ prima obtinet principium generationis; semen verò, quod ex mare ac fœmina principia habens tanquam prima ex ipsis mixtio est, & quasi conceptus quidam, aut animal: conceptionem ipsam menstrui ac genituræ admixtionem facere videatur. quam sententiam secundo eiusdem Operis his verbis repertā inuenimus. quod principium vbi fœminæ excrementum receperit, conceptus fit. enimuero Præceptor nō loquitur locis illis de conceptione, quam cum Hippocrate septimo Historiarum σύλληψιν appellat; sed de eo, quod Græci κύημα dicunt, Latini passim fętum & conceptum; significatq; propriè, quod in vtero gestatur; vnde κύησις, gestatio scilicet ipsa, ac tempus gestationis apud Aristotelem: vt meritò admixtum vtrunq; in vtero principium, genituram scilicet ac materiam τὸ κύημα idem censeat appellandum; tāquam iam id, quod in vtero à muliere gestatur. ex quò & primo de Animalium Ortu sic ipsum definit. λέγω δὲ κύημα, τὸ πρῶτον μῖγμα ἐκ θήλεος ϗ ἄρρενος. idest ex Theodoro. Cōceptum appello primam ex mare ac fœmina mixturā. Vnde minus fortasse propriè vocem hanc κύημα conceptum vertimus, ac interpretamur; eò quòd τὸ κύημα ante conceptionem ipsam non solùm post, apud Aristotelem locum habeat; cùm scilicet materia & agens admiscentur, quo tempore nondum verè ac propriè factam esse conceptionem supra ostendimus: conceptus verò, si propriè fortasse accipiatur, iam conceptionem factam supponat; quo sensu hac voce inter disputandum sępè nos vtemur: vt largo modo cōceptus, cùm τὸ κύημα dicit, veniat audiendus; videlicet etiam pro eo, quod gestatur in vtero, & pro vtriusq; principij admixtione; cùm scilicet nondum formatio, articulatioq; vlla incepit, proindeq; nondum facta est

Cap. 18. Cap. 3. Cap. 2. et 3 Cap. 20.

est conceptio. quod maximè propriè signi-
Cap. 12. ficare Aristoteli τὸ κύημα, quæ sexto Histo-
riarum habentur, faciunt testatissimum.
quo loco agens Philosophus de cætaceis, ac
statim animal intra se gignere talia dicens,
» scribit nullum ex ijs cerni oua habere, ἀλλ'
» εὐθέως κύημα ἐξ οὗ διαρθρουμένου γίνεται τὸ ζῶον. .i.
» sed statim cōceptum, vel, vt Theodorus trāf-
» fert, fœtum, ex quo mox articulato fit ani-
» mal. vt iam perspicuū sic de Philosophi sen-
tentia ipsam conceptionem cum articula-
tione incipere; τὸ κύημα autē maximè pro-
priè ante inceptam cōceptionem & articu-
lationem locum habere. quo sanè sensu ma-
teriæ, & agentis mixtionem illud esse defi-
nit Aristoteles: ex quo & plātarum semina,
quia vtrunq; habeant, veluti κυήματα cen-
set appellanda. quanquam non me præte-
Cap. 9. rit, Galenum libro primo de Semine, vbi ge-
stationem totam in tempora quatuor diui-
dit, τὸ κύημα in secundo tempore partum,
animalisq; cōstitutionem vocari velle; adeò
vt post conceptionem tantùm putet locum
habere. cùm scilicet cor, & cerebrum, &
iecur indistinctam quidem adhuc, & infor-
mem, quandam tamen coagulationem, &
magnitudinem alicuius momenti præsetu-
lerint; videlicet cùm substantia fœtus car-
nea iam, & non amplius seminalis apparet.
quod quidem tempus duos primos menses
Cap. 7. complecti, idem Galenus primo de Sympto-
matum causis testatus est; scribens duobus
primis mensibus adhuc minimum, quod in
vtero est, existere, & κύημα tunc non em-
bryonem vocari. ex quo & citato ex primo
de Semine loco tertio tempore quod in vte-
ro est, embryonem appellari indicauit; cùm
videlicet trium principiorū euidentior for-
matio, & aliorum omnium membrorum de-
scriptio, & quasi delineatio apparet; partiū
tamen ventris obscurior, ac longè obscuri-
or brachiorum, & crurium. sicuti & quar-
to tempore, cùm scilicet omnia absoluta
sunt, παιδίον, idest puerum ab Hippocrate
dici notat; primo autem, cùm adhuc spe-
cies seminis apparet, γονὴν, idest genitu-
ram. ex qua quidem Galeni disputatione
palàm est, ipsum, σύλληψιν, idest conceptio-
nem commune facere nomen ad quatuor il-
la, videlicet ad τὴν γονὴν, τὸ κύημα, τὸ ἔμβρυον,
τὸ παιδίον. idest ad genituram, conceptum,
embryonem, & puerum; atq; ante articula-
tionem velle locum habere. cùm tamen, vt
superior nostra docuit disputatio, lōgè ali-
ter (nisi valde me fallo) de harum vocum si-
gnificatione iuxta Hippocratis, Aristotelis-
q; mentem sit definiendum; locumq; apud
Hippocratem γονὴ, idest genitura, habeat
ante σύλληψιν, idest ante conceptionē; con-
ceptio illi cum articulatione incipiat; cęp-
taq; conceptione iam fœtus embryon de-
beat appellari vsq; ad diem in mare trigesi-
mum, in fœmina quadragesimum (quod do-
ctissimum Ferdinandum video non latuisse *Com. 13.*
super Opuscul. de Septimestri Partu sic di-
centem de Hippocratis sentētia. Embryon »
dicitur fœtus ipse per vlteriores dies ab ip- »
sa conceptione) exinde verò τὸ παιδίον, .i. »
puer fœtus dicendus sit, quia videlicet per-
fectior distinctiorq; articulatio iam appa-
reat. quod in Opusculo de Pueri Natura
his verbis idem ipse Hippocrates testatus
est. Et factus iam est puer: & ad hoc per- »
uenit fœmella quidem in 42. diebus, vt lō- »
gissimè primam coagmētationem, & coar- »
ticulationem accipiens: masculus verò vt »
longissimè in triginta diebus. quo tamen »
tempore de eius mēte κύημα fętum vix es-
se dicēdum Galenus cōtendit; volens quar-
to solùm tempore, idest post plures lōgè di-
es, non antea, puerum dici debere: quod
Hippocratis huic auctoritati repugnare ve-
hementer, nemo est qui non videat.

Quod supra de conceptione ex Aristotele dictum est, eiusdem rursus probatur auctoritate. locus quidam obscurus ex quarto de Animalium Ortu explicatur. Adhuc, quid propriè, τὸ κύημα, σύλληψις, σπέρμα, ἔμβρυον ex eodē. Ferdinādus Mena reijcitur. Ca. 102.

EAndem habuisse sententiam Aristote-
lem, σύλληψινq;, idest conceptionem
nō ante articulationem, cordisq; secretionē
voluisse locum habere; τὸ κύημα ante ip-
sam conceptionem; pręter ea, quę dicta sūt,
pulchra illa ipsius disputatio de molę ortu, *Cap. 7.*
ortusq; causa, facit testatissimum quarto li-
bro de Animalium Generatione. quo lo-
co dicens huiusmodi affectionem innasci
ταῖς κυούσαις, idest vtero gerentibus, neces-
sariò & τὸ κύημα habētibus inquit innasci.
Sunt autem hæ mulieres, quæ τὸ σπέρμα,
idest semen in vtero gestant. videlicet, vt
supra ex Aristotele declarauimus, vtrunq;
gestant principium admixtum, genituram
scilicet, quæ à viro est, & quidquid ad ge-
nerationem à muliere confertur. At his po-
sitis ita sequitur Philosophus interprete
Theodoro. Iam accidit enim mulieri cui- »
dam, vt cùm concubuisset, & se concepisse »
putasset; primùm ventris moles augeretur, »
& re-

& reliqua ex ratione venirent. Sed cùm tẽpus pariẽdi iam esset, nec pareret, neq; moles minueretur, sed annos tres, aut quatuor ita perseueraret, quoad dysenteriæ, idest difficultati intestinorũ implicata, eoq; modo periclitata, demum peperit carnem, quã molam vocant. Atqui huiusmodi mulier habebat τὸ κύημα in ventre secundum Aristotelem; erat enim κύσα, vt iam ipse est præfatus, & rectissimè; semen nanq; receperat viri, & retinuerat (cùm non nisi coeuntibus hoc vitium accidat) admixtum cũ altero principio & materia, gestabatq; in vtero. ex quò & sic Aristoteles paulò post. πάσχει γὰρ ταὐτὸν τὸ κύημα ἐν τῇ μήτρᾳ, ὅπερ ἐν τοῖς ἑψομένοις, τὰ μολυνόμενα. idest. Afficitur enim conceptus eodem modo, quo ea, quæ inquinari dicimus, cùm elixantur. & mox clarius. ὅταν οὖν ἐκ δυσπέπτου ἰκμάδος συστῇ τὸ κύημα, τότε γίνεται ἡ καλουμένη μύλη. quod est. Cùm igitur ex humore concoctu difficili conceptus consistit, tunc gignitur, quod mola vocatur. Hæc ille; quibus luce Solis clarius apparet, & eam mulierem, cuius narrat historiam, & alias omnes, quæ molam habent, de illius sententia habere τὸ κύημα in ipso vtero. At enimuero eam mulierem, (& de alijs idem iudicium) non dicit Philosophus concepisse, sed se concepisse putasse; habet enim græcũ exemplar. καὶ δοξάσῃ συλλαβεῖν. idest & putanti se concepisse. Cur igitur diuinus vir dicit mulierem illã non verè concepisse, sed potius hallucinantem putasse se concepisse? Sanè huius rei mox causam (vt arbitror) subijcit apertã. neq; enim cùm mola gignitur, incipit articulatio, neq; cor actu secernitur ob materiæ indispositionem; demum non animatur materia, ac viuificatur; ceteroqui non mola gigneretur, sed fœtus, & facta conceptione genitura animaretur. proinde diuinè subdit Aristoteles. Ἔοικε γὰρ ἡ φύσις δυσθανατεῖν, καὶ οὐ δύνασθαι τελειῶσαι, οὐδ' ἐπιθεῖναι τῇ γενέσει τὸ πέρας. idest ex Theodoro. Natura enim de vita certare videtur, nec posse perficere, finemq; apponere generationi. Itaq; quia natura δυσθανατεῖ. vetus Interpres, mortificatur, Trapezuntius, morte sopitur, Sylburgius in Annotationibus, difficilem se morti præbet, interpretantur; dicamus nos apertius, quia facit quantum potest, & conflictatur, vt vitam materiæ imponat, conflictandoq; simul cum ipsa materia quasi emoritur, nec finem adipiscitur suum, ideo non dicitur facta conceptio. neq; .n. cor, veráq; carnem ad actum perducere valet, quæ non nisi anima & sua forma constare potest; dicitur enim mola impropriè hac de causa caro, & analogia potius quadam ac similitudine ad veram carnem; nisi etiam dicamus carnẽ Aristoteli ex coagulato illo sanguine gigni, sed non tamen conceptionẽ absoluere, nisi cor actu secretũ fuerit. proinde subdit acutè, naturam nõ posse τελειῶσαι, & generationi τὸ πέρας apponere. est enim τὸ πέρας Aristoteli ἔσχατον; τὸ ἔσχατον verò τέλος secũdo Naturalis Auscultationis. atq; hoc loco pro eodem sumitur τελειῶσαι, & τὸ πέρας apponere. At enimuero τέλος ipsũ cor Aristoteli, quia scilicet τὸ τέλος contineat secundo libro de Animalium Ortu verbis illis. ὥστ' εἴ τι τοιοῦτόν ἐστιν ὅπερ ἀναγκαῖον ὑπάρχειν ἐν τοῖς ζῴοις, τὸ πάσης ἔχον τῆς φύσεως ἀρχὴν, καὶ τέλος, τοῦτο γίνεσθαι πρῶτον ἀναγκαῖον. idest. Itaq; si quid tale est, quod in animalibus inesse necesse sit, quod totius naturæ principium & finem cõtineat, id effici primùm necesse est. de corde enim ipso intelligit; concludens ob hanc ipsam rationem, & quia generans sit, & quia sit pars finis, finem etiam totius naturæ continens, primum omnium partium generari. Atqui cum ipso corde vita fœtui innascitur, & tũc efficitur conceptio; iure ergo, quia materia animari non potuit & viuificari, se cõcepisse putauit mulier illa, vt diuinè dicit Aristoteles, sed verè non concepit, sed tantùm in vtero habuit τὸ κύημα, vt idem scripsit. vt iam sit apertissimum, cùm mulier molam generans dicatur Aristoteli in vtero habere τὸ κύημα, sed non tamen fecisse σύλληψιν, idest conceptionem; rectissimè à nobis superiori disputatione ex eius mente statutũ esse, & conceptionem ante materiæ articulationem locum non habere, & harum omnium vocum verã esse significationem apud ipsum, vt γονὴ dicat maris genituram; τὸ σπέρμα mixtam in vtero genituram cũ menstruis, hoc idemq; τὸ κύημα, idest quod gestatur, commune fętui nomen in tota gestatione; σύλληψις, scilicet cõceptio, cùm primò actu cor secernitur, & primum principium; exinde τὸ ἐμβρύον; adeò vt natura & tempore γονὴ præcedat τὸ σπέρμα & τὸ κύημα; κύημα verò τὴν σύλληψιν; σύλληψις τὸ ἐμβρύον; quanquam & τὸ κύημα etiam post cõceptionem locum queat habere, proindeq; hoc nomine dignari etiam τὸ ἐμβρύον. Hæc si vera sunt, Ferdinandus Mena vir alioqui eruditissimus, qui super libello de Partu Septimestri in harum vocum germana apud Hippocratem & Aristotelem explicãda notione scopum attigit; in vna σύλληψι egregiè deceptus est, idem eam faciens ac τὸ

Tex. 23.

Cap. 4.

Com. 13.

τὸ σπέρμα, & τὸ κύημα ex sententia Praeceptoris verbis illis. Et alibi; κύημα vocat; quare syllepsim semen vocat.

Fusius probatur idem sensisse cum Hippocrate Aristotelem de ipsa conceptione. Quid propriè conceptio secundum illum.

Cap. 103.

AT enimuero secutum esse Aristotelem, vt ad propositum redeat oratio, eam, quam ex Hippocrate supra retulimus opinionem; quae septimo Historiarum habentur, faciunt testatissimum: vbi & vterũ genituram suscipere, moxq; eam labi permittere Philosophus concedit; & quod magis est, pluribus diebus ipsam retinere, nec tamen vllam esse conceptionis securitatem. scribit enim, si in septimum diem intus genitura permanserit, manifestum esse, quòd mulier conceperit: & dixerat paulò supra, si vteri labia leuia sint, inepta esse ad conceptionem, quia labatur semen & effluat; videlicet quod antea susceptũ fuerat. quin etiam & tertio de Animaliũ Historia asseruit, semen in vulua immoratum de ea crassius effluere nonnunquam, & siccum, & συνεστραμμένον; quod ego lõgè à Theodoro dissentiens non contortum, sed conspissatum, conglobatumq; interpretor; quibus satis docuit Hippocrati consentiens, & suscipi in vtero semen, & ad aliquot dies retineri, nec tamen fieri conceptionem. quod etiã Historiarũ rursus septimo indicauit dicẽs, cùm semen vtero haerebit, moramq; fecerit, membrana obduci; quo loco, vt demonstraret se non de conceptione loqui, sed de seminis ipsa retentione, concinnè sic scripsit. ὅταν δὲ λάβηται τὸ σπέρμα τῆς ὑστέρας, καὶ ἐγχρονισθῇ, ὑμὴν περιΐσταται. Siquidem pro eo quod habẽt perperam omnia exẽplaria τὸ πνεῦμα: quorum fidem vetus Interpres secutus est. lego τὸ σπέρμα. quam lectionem & Magni Alberti comprobat, & Suessani auctoritas; vt in eorum Cõmentarijs quisq; videre potest. Trapezuntijq; , sed Gazae potissimum interpretatio; qui perspicuè verba haec non ad spiritum, quem nemo dixerit vnquam in vtero haerere, sed ad semen ipsum refert. locus autem latinè ita sonat. Cùm autem semen in vtero haerebit, & diu in ipso commorauerit, membrana obducitur. cùm .n. ἐγχρονίζειν significet, vt, qui linguam graecam callent, optimè norunt, longo tempore permanere, & immorari; demumq; insignem temporis moram indicet, qualis in proposito dierum aliquot existimari debet (quod Magnus Albertus acutè cõtuens, libro nono de Animalibus semen in matrice ἐγχρονίζειν, durare tempore longo interpretatus est ita scribens. Adhuc autem considerandũ est, quòd quando sperma durauit in matrice tempore longo, & impregnat; tũc cõtinet ipsum tela quaedam. quibus seminis eiaculationem, & moram ab ipsa cõceptione, & membranae obductione perspicuè seiungit) apertissimè his verbis docuit Aristoteles, geniturã ipsam aliquo dierum interuallo ante membranae obductionem in vtero manere, proindeq;, vt infra monstrabimus, ante ipsam conceptionem. quod vt Philosophus significaret, non vuluam concipere semen, sed è contra semen ipsam vuluam apprehendere, in vuluaq; haerere scripsit eleganter; quod non satis video à plerisq; animaduersum. Certè Galenus libro primo de Semine videtur innuere, in deperditionibus non ante tertium, aut quartum à principio diem, idest ab ipsa eiaculatione, semen membrana circumuolutum excidere. quam profectò membranae obductionẽ articulationem ipsam praecedere, videlicet primi principij secretionem anteire; quod primum in articulatione est, articulationisq; principium, his verbis loco memorato significauit Aristoteles. Quippe quod, scilicet semen, antequam discernatur, exeat veluti ouum in sua membranula contectum detracto putamine: membrana autem ipsa venis inserta est. omnia verò tùm natatilia, tùm pedestria, tùm etiam volatilia siue animalis, siue oui forma proueniant, simili modo gignuntur. hîc enim, vt videmus, antequam discernatur, antequam incipiat articulatio, membrana obductum semen exire perspicuè ponit. quam sententiam tertio de Animalium Ortu inuenies repetitã, vt infra suo loco admonebo: vt iam de ipsius mente tunc conceptionem fieri statuendum sit, cùm genitura, quemadmodum secundo de Ortu Animalium elicimus, vt quae excrementũ est, eodemq; mouetur motu, quo augetur corpus, scilicet digestione vltimi alimenti; vbi vterum subierit, excremento foeminae miscetur; illiusq; partem purissimam constituit, & mouet eodẽ motu, quo ipsa mouetur; proindeq; membrana circũcirca gignitur, & obducitur; moxq; principium, cor scilicet, actu primùm secernitur, ac nutriri incipit. quod quidẽ ad cõceptionis veram absolutionem necessarium esse existimo; quod citato loco his verbis praeclarè docuit Aristoteles, vt ego interpretor. Cùm autem conceptus iam cõstitu-

Tra. p. c. 7. — Tex. 23. — Cap. 3. — Cap. 22. — Cap. 7. — Cap. 4. — Cap. 9. — Cap. 3. et 4 — Cap. 4.

" stitutus est, simile facit ijs, quæ seruntur; " principium enim primum semina quoq; intra se continent, quod potentia primò contentum, vbi secretum mox est, germen mittit, & radicem, qua alimentum assumitur. incremento enim eget planta. Sic in conceptu quodammodo, cùm partes corporis omnes potentia insint, principium maximè promptum habetur. quàmobrem cor primùm actu secernitur. Dixerat nanq; paulò supra, cùm excrementum fœminæ in vtero constiterit à maris genitura, quæ simile facit ac lactis coagulum, coactis corpulentis partibus humidiores, & inutiles arceri; & quod coagulatum est, membrana obduci; propterea, cùm mẽstrua & genitura admixta sint; vocat citatis verbis id totũ τὸ κύημα, quod conceptum, vt diximus, interpretantur; in quo postea cor ipsum docet actu excerni. vt iam in hac ipsa postrema operatione conceptio ipsa vel consistat, vel certè perficiatur, finemq; recipiat. quo loco, vt cũ preceptore Hippocrate cõsẽtiat, οἱ ὑμένες, plurali numero habet; addens mox partim choria vocari, partim hymenas, quæ velamenta fœtum ambiunt; nimirum vt doceat simul cũ Hippocrate post omniũ mẽbranarum nõ prioris tãtùm ortum cor actu secerni, & fieri conceptionem.

Quid vterus in conceptione operetur. Fernelij ac aliorum nonnullorum reijcitur opinio. Hippocratis cum Aristotele notatur consensio. Auerrois, & Gorrẹi mens explicatur. Capiuacceus redarguitur. Cap. 104.

At enimuero hinc habemus illud alterũ, de quo supra dicebamus; videlicet nõ solùm vteri vi, & actione, sed longè magis virtutis, ac motus in genitura maris insiti operatione conceptionem fieri; siquidem ipsius motus est ac virtus, quæ cogit menstrua; quæ membranæ ortus est causa; item quæ causa est, vt primum principium actu erumpat. quem profectò motum semen habet actu, quia illum habuit ab eo, quod semen efficit, vt eodem libro acutissimè idem docuit: subdens propterea idem in generatione euenire, quod in admirabilibus spõtinis, in quibus quodammodo illud mouet, quod nihil postea tangit, sed ante tetigit. fouet autem motum hunc vterus sua natura, & calore; eò quia nec in alia vlla corporis parte actu permanere hic motus posset, nec operationem habere hanc perennem, nisi in ipso vtero, hac potissimum de causa à natura fabricato; sed statim à motione feriaretur, periretq;: non est tamen vterus causa sua vi, vt motus hic actu erumpat; adeò vt conceptio, quæ huius motus beneficio efficitur, vteri propria ac sola actio sit existimanda, vt Fernelius, & Gorræus arbitrabantur; quod ex his satis notum esse credimus. qua in re longe minus illi audiendi, qui aduersus Aristotelem ostendere nuper conati sunt, calore vteri nõ conceptionem tantùm, sed etiam reliquam formationem fieri; ita vt hæc actio, quemadmodum superius tetigimus, omnino tota vtero sit impertienda, Empedoclis ferè, ac Democriti sententiam ab orco reuocãtes; quos cùm res ipsa redarguat, ac præcipuè animalis ex ouo efformatio, vt secundo de Animalium Ortu admonuit Præceptor; quam extra vterum fieri claret; nihil est in præsentia vt aduersus illos disseramus. concurrere enim vterum suo calore ad conceptionem ac formationem; adeò vt aliquo modo concoquere, & sic ad formationem facere videatur, Aristoteles quoq; concederet; dummodo præcipuam muneris huius functionem ad formatricem virtutem pertinere fateamur. Nam & auis apud ipsum tertio libro de Animalium Ortu incubando concoquit; & si locus, aut tempus sit benè temperatum, sine parentis incubitu tepore terræ oua cõcoquuntur; quod oua satis ostendunt apud Aegyptios sine parentibus in furnis exclusa; vt longè magis id suo calore vterus efficere valeat. quare neq; Fernelij exemplum verum est; qui haud secus atq; ventriculus tractum contentumq; alimentum conficit, sic & vterum semen attrahere, attractum continere, contentum concipere scribit; adeò vt sicut concoctio ventriculi, ita & cõceptio vteri sit propria. siquidem hoc pacto in Empedoclis, Democritiq; sententiam rediret oratio; cùm suo calore vterus, si concipit semen, sic & illud cõcoquere, & quod est idem formare & discernere, vt ventriculus cibum, posse videatur: Fernelio nanq; animaduertendum erat, alimentum, dum in ventriculum abit, nullum secum afferre insitum principium, virtutem nullam, qua cõfici valeat; sicuti & maris fœmineq; admixtum semen, qua possit conformari, cùm vterum subit; vnde par non potest esse ratio. Itaq; cùm vterum concepisse semen, nil sit aliud, quàm illud iam iam conformationis & articulationis opera admittens intra se continere; hæc autem actio insitæ in semine virtutis propria sit; iure conceptionis prima, ac præcipua causa hęc virtus censenda est;

Ca. 1. et. 3.

Cap. 4.

Cap. 2.

da est; vteri verò calor potius concausa.
Significauit autem hęc omnia elegãter initio
statim de Natura Pueri Hippocrates (vt
summam inter vtrosq; esse consensionem facilè
quisq; hinc colligere valeat) cùm dixit,
vtranq; genituram, vbi quæ à viro emittitur
recepta in vtero permanserit, misceri;
deinde coaceruari, crassamq; calore reddi,
& spiritum mox concipere, ac priori membrana
obuolui; deinde descendẽte ex matre
sanguine, & spiritu alias gigni membranas;
carnemq; postea secerni, & articulationem
incipere, animariq; genituram; de qua quidem
re tota vberrimè supra disseruimus.
coagulationem enim ab Aristotele positam
expressit, membranarumq; simul obductionem.
quæ, vt acutè declarauit Philosophus,
supraq; nos tetigimus, in coagulatione illa,
quia calescentis, frigescentisq; corpulentæ
rei extrema siccescere necesse sit, generantur:
item principij primi secretionem significauit,
cùm secerni carnem dixit, & spirare,
capereq; alimentum. tunc enim, vt eũdem
infra eodem libello seminum docuisse
exemplo monstrauimus, erumpente spiritu
dehiscit semen, & aliquid foliorum radicũq;
simile emittit, quod nutriatur, & quo nutriatur.
vt meritò in calce eiusdem Opusculi
dixerit, genituram, cùm membranæ obductę
fuerint, viuificari; nimirũ quia tũc secreto
actu principio primo opera vitæ actũ
in ea exerceãtur: cùm.n. principiũ primũ
nutritur, actu fit viuens. Item calorem nõ
vteri, sed genituræ insitum intellexit, cùm
dixit, ipsam genituram per calorem crassam
euadere: quem sanè calorem cum coaguli
calore comparabat Aristoteles. atq; huic operationi
vterum censuit opitulari, cùm
subdidit, post hæc spiritum cõcipere, quod
scilicet ex vtraq; mixtum est, cùm in calido
loco existat. quibus præter proprij caloris
actionem, indicauit vteri quoq; concurrere
calorem. Itaq; cùm post carnis, cordis, scilicet,
vt exposuimus, secretionẽ, sequi nutritionem
voluerit Hippocrates; nimirũ quia,
vt diuinè docuit Aristoteles, iam principium
actu, quod nutriatur, secretum sit; tunc
factam esse, absolutamq; conceptionem dicendum
erit ipsum cum Aristotele existimasse.
Sic demum vides, vt rem hãc totam
paucis concludamus, susceptionem, retentionem
seminis, & mixtionem; quin etiam
& materiæ, menstruorumq; præparationem
ab agente causa factam, tùm ex Hippocratis,
tùm ex Aristotelis sententia; item sanguinis
coagulationẽ, membranarum obductionem,
cõceptionem ipsam anteire; principij
verò primi secretionem actum esse cõceptionis;
vt hæc ipsa actio sit tandem ipsa
conceptio, quanquam non me latet, Auerroem
in Opusculo de Spermate, mixtionem *Cap. 4.*
conceptionis, generationisq; partem fortasse
efficere, dum ita scribit. Ex quibus
" apparet, quòd prima actio in generatione
" animalis est perfecta mixtio seminis viri cũ
" sanguine menstruo mulieris per minima vtriusq;
" : est enim mistio miscibilium alteratorum
" vnio. quo tamen in loco, si quis diligenter
attendat, videbit generationis nomine
vniuersaliter Auerroẽ vti, prout ante
conceptionem locum habet, omniaq; cõprehendit,
quæ ad hominis ortum concurrunt.
item videbit aliam esse mixtionem,
de qua ipse loquitur, & quam conceptionis
partem facere videtur; aliam, de qua nos
sermonem habemus: siquidem ipse mixtionem
hanc perfectissimam geniturę cum mẽstruo
vocat vnionem; cùm tactu & virtute
ipsius pars menstrui disponitur ad cordis
generationem, dispositaq; erumpit in actũ.
nam & sic paulò supra loquitur. Ideo ex-
" pedit vt minimum seminis agentis tangat
" minimum sanguinis ad hoc, vt perfecta al-
" teratio, & dispositio acquiratur in eo ad
" formam cordis suscipiendam, & eius esse.
quæ quidem actio & coagulationem, & mẽbranarum
obductionem sequitur, ipsamq;
comitatur primi principij secretionem. At
nos mixtionis nomine primam, imperfectãq;
genituræ, ac menstrui coniunctionem intelligimus,
quæ fit, cùm primùm genitura
mulieris vterum subit; & hanc negamus
conceptionis esse partem. atq; de mixtione,
quæ cõceptionis ferè pars est, nescio an
fortasse Gorræus sermonem habuerit super *Annot. 1.*
libello de Natura Pueri, cùm dixit, formatricem,
quę in semine latebat, facultatem, cũ
se promit, & ad opus accingitur, principiò,
vti peritus architectus materiam suam, sic
illam viri mulierisq; semen componere, &
miscere exquisitissimè, prout diuino quodam,
& arcano consilio expedire intelligit;
& quale esse oportet ad diuersarum partium
constitutionem, vario quoq; modo præparare.
Hæc igitur de conceptione Hippocrates,
& Aristoteles; ad cuius quidem sentẽtię
veritatem, quam ex ipsis docere profitemur,
Cappiuacceus vir subtilissimus propius
videtur accessisse; tametsi eam non sit
plenè assecutus libro quarto de Affectibus *Cap. 5.*
Vteri, dum scriberet, vt conceptio fiat, hæc
esse necessaria. quòd semen ab vteri attractrice
in vterum attrahatur; à retentrice ita
retineatur, vt os vteri claudatur, & his per

actis

actis exactè vtrunq; semen misceatur, & beneficio facultatis, seu proprietatis conceptricis vteri vis illa in semine existens quodammodo sopita excitetur, vt experrecta semen formet, & efficiat; ex quò & mox sic
» ipsam definit conceptionem. Conceptio
» secundum naturam nihil aliud est, quàm al-
» teratio seminis fœcundi procedens ab alte-
» ratrice vteri propter speciei cõseruationẽ.
Sed certè quem pulchrè conceptionem ab attractione, retentione, seminum admixtione distinxisse constat, in errorem tamen Gorræi, & Fernelij lapsum videmus; cùm ab vteri facultate conceptrice vim seminis consopitam, ac feriantem ponat excitari. Aristoteles enim, vt diximus, hanc vim rectissimè actu censuit ab ipso generante semini esse communicatam; cæteroqui non esset ipsum generans & pater, qui generaret; & falsum esset, quod ipse inquit secundo li-
» bro de Animalium Ortu. τὸ μὲν οὖν τὸ σπέρμα
» λέγειν ἢ ἀφ' οὗ τὸ σπέρμα, οὐθὲν διαφέρει, ᾗ ἔχει
» τὴν κίνησιν ἐν ἑαυτῷ, ἣν ἐκεῖνο ἐκίνει. idest. Di-
» cere igitur semen, an id à quo semen, nihi-
» lo refert; quatenus motum in se ipsum cõ-
» tinet, quem illud mouebat. Et infra non
» multò post. τοῦ δὲ σπέρματος ὄντος περιττώμα-
» τος, καὶ κινουμένου κίνησιν τὴν αὐτὴν, καθ' ἥνπερ τὸ
» σῶμα αὐξάνεταί τε μεριζομένης τῆς ἐσχάτης τροφῆς.
» ὅταν ἔλθῃ εἰς τὴν ὑστέραν, συνίστησι, καὶ κινεῖ τὸ πε-
» ρίττωμα τοῦ θήλεος τὴν αὐτὴν κίνησιν, ἥνπερ αὐτὸ
» τυγχάνει κινούμενον κἀκεῖνο. idest. Semen autẽ
» cùm excrementum sit, eodemq; moueatur
» motu, quo augetur corpus digestione vlti-
» mi alimenti; vbi vterum subijt, constituit,
» & mouet excrementum fœminę eodem mo-
» tu, quo ipsum mouetur. Habet enim hunc motum semẽ actu quasi geometra vigilans, & non operans, vt memorato loco diuinè fuit declaratum; quare nullo vteri indiget auxilio, vt excitetur, & operetur, ad actũq; perducatur, cùm materia idonea adest, mẽstruus videlicet sanguis; quo tamen auxilio si opus haberet, dicẽdum potius videretur, non quidem ab vteri vi vlla semini communicari, sed ab ipso actu concumbendi; cùm, vt primo de Animaliũ Ortu admonet Prę-ceptor, semen pedestribus, & viuiparis in coitu ipso cõcoquatur & conficiatur, adeò vt absolutam vltimamq; perfectionem, & agendi potestatem, immò & ipsum, quem continet potentia motum, actu per id temporis videatur adipisci. Præterea, si conceptio alteratio tantùm est seminis, ergo excludit generationem; at generari ipsa incipiente conceptione fœtum, rectè supra idẽ statuit; dixit, n. ita excitari in conceptione seminis virtutem, vt semen formet, & efficiat; quibus generationem potius quàm alterationem videtur cõceptionem effecisse. Ex hac autem tota disputatione recentiorum pariter nonnullorum errorem elucere palàm est; qui ad humani fœtus conceptum necesse esse scribentes, patris semen in matris vtero recipi, receptum retineri, & nutriri, conceptionis naturam nõ videntur attigisse; putantes idem esse mulierem recipere semen, ac retinere, quod & concipere. Sed hactenus de conceptione quid sit ex Hippocratis, & Aristotelis sententia pro præsenti instituto dicta hæc sint, atq; de quarto capite; quæ, si longior in illis explicandis fuit oratio, cum magnitudine vtilitatis comparentur: ita fortassis etiam breuior videbitur. neq; enim fieri potest, vt obscurissimus hic locus, quem enarramus, nisi hæc omnia rectè teneantur, plenè à nobis intelligatur.

Cap. 1.

Cap. 6.

Quintum caput explicatur. quòd conceptio non momentò fiat, sed quodam dierum spatio secundũ Hippocratem; quotusq; sit hic dierum numerus secundũ illum. locus quidam Sacrarũ literarum expenditur. conceptionis vera periodus aperitur.

Cap. 105.

QVanto verò tempore conceptio ipsa absoluatur, quo ordine, qua mensis parte fiat, an post menstrua purgamenta, an antea; quod quinto capite quærendum proposuimus, facilè decernere ex superioribus possumus. cùm enim res ita eueniat, vt valeat mulier ad plures dies, etiam si cõceptura est, in vtero genituram retinere, vt supra vidimus; arbitrandum est hac quoq; in re naturam sapientissimam non sine ordine progredi; quam rectissimè ob id diuinam artem appellabat Aphrodisiensis Alexander, quia in omnibus operibus suis ordinem mirificè affectet. quod enim secundum naturam est, ordinem semper habet, vt tertio de Animalium Ortu docet Aristoteles; quare & illa, quæ maximè naturalia sũt, maximè esse oportet ordinata. at generationis opus teste eodem secundo de Anima naturalissimum est, igitur & ordinatissimũ. itaq; & conceptio ipsa, quæ generationis principium est, & maxima ipsius pars, summum habebit ordinem; & conceptionis dies necessariò naturæ lege definiti erunt, & ordinati. vt iam non sine causa factum sit, nec sine ordine, vt non statim mulieres cõcipiant,

Cap. 10.

Tex. 34.

cipiant, ſed aliquandiù retineant in vtero
genituram. neq; diebus æqualibus eam re-
tineant omnes; ſed aliæ paucioribus, aliæ
pluribus pro illarum naturæ ratione. quod
quidem hoc in loco, quem tractamus, ſi a-
crem quis in eum aciem intẽderit, indicaſ-
ſe videbit Hippocratem orationis licèt ſa-
tis obſcuro ductu, quando dixit, oportere
mulieri tempus dare menſis, in quo ipſi ſo-
let purgatio contingere. tempus enim in-
tellexit ad concipiendum, vt etiam infra
ſuo loco dicemus, & in quo conceptio ab-
ſoluatur; quoniam de conceptione ipſa ſer-
monem habebat: cùm dixiſſet ſuperius, plu-
rimis mulieribus eſſe neceſſarium in ventre
concipere poſt menſtrua purgamenta. Qua-
re his verbis ſine vlla dubitatione Hippo-
crates magnum hoc naturæ arcanum aperit
nobis, docens intra quot dies mulier ſit
conceptura; & quis ſit in conceptione na-
turæ ordo: ac inquit, vt noſtra ſententia
eſt, poſt tot dies mulierem eſſe conceptura͂,
poſtquam ſemen in vtero ſuſceperit, quot
ſolent ei fluere menſtrua. Exempli gratia,
ſi alicui tribus diebus purgatio durat; hæc
mulier, ſi cùm viro coiuerit, ſuſceperitq;
genituram, & retinuerit, tertia die conci-
piet, non prima, vel ſecunda. Quoniam au-
tem non omnibus idem tempus purgatio-
nis eſt, ſed aliæ pluribus, aliæ paucioribus
diebus purgantur, vt inquit Hippocrates;
propterea non omnes iiſdem concipiunt
diebus; verùm aliæ ocyus, ſerius aliæ, pro
temporis nimirum ratione, in quo illis mẽ-
ſtrua fluunt. quam ſanè rationem, & pro-
portionem inter purgationis, & concep-
tionis tempus demõſtrauit Hippocrates ci-
tato loco luce meridiana clariorem, cùm di-
" xit. Et nõ eſt poſsibile in paucioribus par-
" tibus fieri, neq; menſtruorum ſolutionem,
" neq; fœtuum conceptionem. quibus, tem-
pus ſolutionis menſtruorum, & fętuum cõ-
ceptionis ſimul coniũgẽs, manifeſtè ſigni-
ficauit, quãto tempore ſit purgatio, tãto &
fieri naturæ lege conceptionem oportere:
vt non momẽto, aut paucis horis, vt mul-
torum ſententia eſt, ſed dierum quodam in-
teruallo eam voluerit abſolui; meritòq; di-
xerit ſuperius, dandum eſſe mulieri, quæ
conceptura eſt, tempus ad concipiendum,
in quo ipſa purgatur: vt ſcilicet poſt tot
dierum ſpatium dicatur concipere, quot
purgari conſueuit. Porrò autem quòd nõ
ſtatim ac ſemen in matricem emiſſum fue-
rit, etiam ſi conceptura mulier eſt, conce-
ptio fiat, neq; eadem die, ſed iam enarra-
tum ordinem ſeruet, ac ſectetur; propriãq;
habeat periodum, qua abſoluatur; pręter ea,
quæ ſuperius attulimus; ſatis etiam claret
ex verbis Hippocratis libello de Septime-
ſtri Partu; vt dubitationi quidem certè ni-
hil omninò loci relinquatur. Verùm enim- "
uero embryonũ, inquit, conceptiones, & "
abortus, & partus mulieribus in eo tem- "
pore iudicantur, in quo & cunctis homini- "
bus morbi, ſanitas, & mors. ex quo loco per- "
ſpicuum eſt, conceptionem tempore quo-
dam iudicari ipſum velle, nõ ſecus ac abor-
tus, & partus, item morbos, ſanitates, ac
mortem proprijs tẽporibus iudicari obſer-
uamus. quod quidem tempus cùm alterum
ex quatuor ab eo commemoratis eſſe debe-
at; videlicet aut dies, aut menſes, aut qua-
dragenarij, aut anni; cùm menſibus, vel
quadragenarijs, vel annis conceptio iudi-
cari non poſsit (quæ tria tempora abortui
potius, partui, morbiſq; nonnullis, ſanitati,
ac morti iudicandæ dicata ſunt; neq; enim
in tàm longum tempus conceptio protra-
hitur) ſequitur neceſſariò de Hippocratis
ſententia, vt dies aliquos nõ ſecus ac mor-
bi quidam, conceptio ſibi adſciſcat, qui-
bus iudicetur: ita vt, cùm ſemen in vtero
fuerit, dierum quodam interuallo de con-
ceptione fiat iudicium: nimirum vel exeat
ſemen, vt ſatis clarè innuit Hippocrates, &
fiat effluxus, vel mulier concipiat. vt per
mihi mirum videatur, Ferdinandum Me-
na in Commentarijs hoc Hippocratis con-
ſilium non animaduertiſſe. Iam verò quòd
conceptio momentò non abſoluatur, quin-
to etiam Aphoriſmorum ſecto video ſigni- *Aph. 41.*
ficatum; vbi ſcriptum legimus, ſi velimus
noſcere, an conceperit mulier, dandam eſ-
ſe ei aquam mulſam: quo loco & ſemen ſu-
ſcepiſſe mulierem hanc, & retinuiſſe ſuppo-
nit Hippocrates, ſed nondum concepiſſe:
cętoroqui de conceptione, an facta eſſet,
nulla eſſet occaſio dubitandi, ſi cum ſuſce-
ptione ſeminis conceptio coincideret. atq;
idem libello de Genitura ſignificauit, di-
cens mulierem, ſi partus perita fuerit, co-
gnoueritq; ſe genituram retinuiſſe, ſcire
poſſe, qua die intra ſe concepit; vt omnino
cenſuerit dierum quodam ſpatio effici con-
ceptionem. & in hoc noſtro loco, cùm di-
xit in paucioribus partibus fœtuum con-
ceptionem fieri non poſſe (vbi partium no-
mine dies intelligit ſupra enumeratos, vt
infra clarius videbimus) iam dierum quodã
interuallo fieri conceptionem demonſtra-
uit. quam veritatem in libro de Natura
Pueri verbis itidem docuit manifeſtis, ita
ſcribens. Deinde aliquando menſes ſua "
ſpon-

„ sponte erumpunt, aut alijs superuenienti-
„ bus à corpore in vteros, & priores protru-
„ dentibus, & flatus egreditur. & multis iam
„ statim post mensium purgationem vteri hi-
„ ant, & ad pudendum vertuntur; & tunc vi-
„ ris permixtæ ad se genituram concipiunt
„ eadem die, aut omnino in paucis. Hæc ille;
quo loco non momento absolui necessariò conceptionem, sed ad aliquot dies posse prorogari, perspicuè concedit. quæ profectò veritas, vt præclarissimũ demus & certissimum de ea testimonium, diuini Eloquij auctoritate mirificè comprobatur; cùm primo Regũm habeamus, Annam ex Elcana viro suo non eo momento, quo eum adiuit, sed post dierũ circulum Samuelem cõcepisse. sic enim ibi scriptum legimus.

Cap. 1.

„ Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam, & recordatus est eius Dominus. Et factum est post circulum dierum cõcepit Anna, & peperit filium. quo loco omnino cõstricti, ac iudicio veritatis coacti fateri cõpellimur, dierum circulo quodam quasi periodo conceptionem fieri, & iudicari: nam & propterea post habitam cõiunctionis Annæ cum Elcana mẽtionem additur, post dierum circulum factam esse cõceptionem; videlicet vt propria ipsius, & peculiaris periodus designaretur, nimirum expurgationis dies: quibus præteritis, ac post quorũ circulum conceptio efficitur. Non me tamen præterit græcam septuaginta Interpretum versionem alium sensum horum verborum exprimere; cùm habeat græcum exemplar. „ κὴ ἐγενήθη τῷ καιρῷ τῶν ἡμερῶν κὴ ἔτεκεν υἱόν. quæ verba ad gestationem potius, ac formationis tempus pertinent; vt dierum hunc circulum ad gestationem ipsam referri septuaginta Interpretes maluerint, non ad cõceptionem; sed vulgatam editionem hebraicæ veritati magis consentire, qui linguam hebraicam callent, optimè norunt. neq; de Bethsabeę, Sunamitidisq; cõceptione historia huic nostræ interpretationi, si quis rectè considerabit, aduersatur; quod græca Septuaginta versio clarius ostendit. Quot verò numero sint generaliter dies isti, in quibus conceptio iudicatur, videtur satis clarè citatis ex libello de Septimestri Partu verbis exprimere Hippocrates; innuens vt plurimum diem circiter septimam hoc fieri iudicium. siquidem cùm dixit embryonũ conceptiones, & abortus secundum dies fieri; abortus non solùm partui, sed conceptionibus opposuit; abortus nomine quas mox propria appellatione effluxiones erat vocaturus, potissimùm intelligens. At paulò post diem septimam multùm esse in embrys, idest, vt nos interpretamur, in embryonum conceptionibus potẽtem inquit; rationemq; reddit, quia scilicet hanc circiter diem plurimi fiant abortus illi, qui effluxus vocantur. itaq; & effluxum conceptioni opposuit, & die septima de ea fieri voluit iudicium; quia de embryone, an scilicet conceptus sit, per id temporis, non secus ac de vita ægroti, per conceptionem, vel effluxum fit iudicium; quoniam septima die vel fiat conceptio embryonis, vel effluat semen, vt diuinè admodum ipse docet. quem sanè conceptionis diem valde esse insignem, ac notum mulieribus nonnullis ob ingentes mutationes, quas perpetiuntur, libro de Principijs notatum reliquit; scribens mulierem, cùm in ventre concepit, statim horrere, & calorem, dentiumq; stridorem consequi, & conuulsionem occupare tùm articulos, tùm totum corpus, & vterũ segnitiem, & torporem. ex quo & si semen tot diebus permanserit in vtero, vt infra ex Aristotele docebimus, supraq; tetigimus, iam de conceptione iudicatur; res etenim hæc, vt iam superius posuimus, sine ordine esse nequit, neq; iudicium fit in natura vllum sine ordine. cùm enim semen in vtero est, ac menstruis commixtum, non est vteri, ac locellorum calor, vt mox supra dicebamus, qui calorem seminis viuificet, & ad actum perducat, motumq;, ac vim illi insitam exsuscitet, vt Ludouicus Mercatus sensit, ac ante illum Fernelius; quanquam grauis auctor ac florens tùm acumine ingenij, tùm admirabili quodam lepore dicẽdi; item & Gorræus: sed semen motum, & actu iam factum à generante ipso (quemadmodum in admirabilibus spontinis euenire inquit Aristoteles) vt supra explicauimus, in menstruum, & materiam agit, cùm vterum subit. At agens & passum pro vtriusq; natura certa quadam proportione dissidẽt; repatitur enim agens virtus, vt quarto de Animalium Ortu docuit Præceptor. siquidem videtur quodammodo hac in re natura certare de conceptione, nõ secus ac in molæ ortu naturam certare de vita cum materia citato libro idem dicebat. quare & ad certandum dierum quodam definito eget interuallo; & cùm obtinuit vis formatrix super materiam, iam fit conceptio: primi scilicet principij secretio, vt exposuimus, in quo quidem certamine, cùm natura vincit, & spiritum concipi, & membranam priorem obduci; sanguinẽ, spiritumq; trahi; ipsumq; sanguinem coagulari dicimus. demum-

Cap. 4.

Cap. 7.

mumq; primum secerni principiũ, & in quo certamine Sacris Literis edocti credimus dies ferè 14 naturam absumere posse. quia, vt supra vidimus, menstruus fluxus ad dies tot illarum testimonio extendi potest; huic verò menstrui fluxus tempori conceptionis tempus, vt placuit Hippocrati, respondeat. ipse tamen Hippocrates, & Aristoteles septimum vidētur expressisse, quia & nobilissimam periodum, & communissimum fluxus menstrui terminum, & frequẽtiorem respexerunt; videtur enim plerunq; contingere, vt circa diem septimam à seminis eiaculatione mulieres concipiant, quia circiter hos dies, vt supra diximus, purgari etiam plurimæ soleant, atq; hanc cõceptionis periodum dierum septem etiã Ferdinandus Mena vir doctissimus in Commentarijs super libello de Partu Septimestri, his verbis videtur recepisse. Eiusmodi porrò seminis effluxiones, si intra septẽ primos dies apparuerint, opinionem conceptionis prorsus delere pro comperto tenent peritissimi: quemadmodum si eodem tempore nequaquam eas excidere constiterit, certam esse conceptionem audent iam inde polliceri.

Com. 7.

Vberius ostenditur ex Hippocrate, & Aristotele, conceptionem circa diem septimum fieri. ἔκρυσις, ἐκτρωσμὸς quid propriè secundum illos.

Cap. 106.

PORrò hæc causa est (quam ad hanc vsq; diem à nemine video animaduersam) vt quod superius tetigimus, latius explicemus; cur dixerit Hippocrates libello de Septimestri Partu, abortus plurimos intra dies septem fieri, quos propriè ἐκρύσεις, idest effluxiones non abortus oporteat appellare: voluit enim dicere, quia ante diem septimum conceptio vt plurimum nõ fiat; propterea non propriè abortum, sed potius effluxum appellandam esse eam, quæ ad septimum vsq; contingit, vteri deperditionem. quam sententiam explicans de more Aristoteles septimo de Animalium Historia, ita eã interpretatus est. Sed si semen (inquit) in septimum diem intus permanserit, conceptum iam esse certum est. Et paulò infra. Effluxiones vocantur, quæ intra septimum diem corruptiones incidunt. Abortiones autem, quæ intra quadragesimum. & quidem plurimi fetus intra tot dies deprauantur. quo loco rectè in Medicis Definitionibus Gorræus Budæum secutus scribit, ἐκτρωσμὸν, siue τρῶσμον Aristoteli (siquidẽ his vocibus ad abortus significandos Hippocrates, & Aristoteles citatis locis vsi sũt) nõ omnem quidem significare abortionem, sed quæ ad diem vsq; quadragesimum fit; quemadmodum ἔκρυσις, idest effluxio eidẽ abortionem dicit, quæ intra diem septimũ contingit. ita vt illæ conceptus corruptiones, quæ intra septimum diem fiunt ἐκρύσεις dicantur illi; quæ post septimum ad quadragesimum vsq; ἐκτρωσμοι. cuius rei ea ratio est, licèt à Gorræo nulla adducatur, quòd fœtus ante quadragesimũ diem non est perfectè Aristoteli formatus; at ἐκτρωσμὸς illi informis fœtus notat editionem. quod libro quarto de Animalium Ortu perspicuè docuit, vbi de superfetatione mulierũ agẽs, & eos fœtus, qui iam primo aucto conceptu superfetantur perfici non posse ob inopiam alimenti asserens, hos similes vocatis ectrosmis abigi scripsit, idest inarticulatos, & informes, ac demum illis similes, qui ante quadragesimum diem eijciuntur. Nec tamen hoc volẽs ab Hippocrate discedit Philosophus, quem sequi eo loco, atq; interpretari profitetur; tametsi ipse Hippocrates reliquas etiam corruptiones, quæ alijs quadragenarijs fiunt, τρώσμους similiter cẽseat appellandas: illud tantùm volens aliud præterea nihil, in primo quadragenario fieri crebriores, & quacunq; de causa. vnde ita scriptum reliquit. Quisquis enim primos quadraginta dies transmiserit, abortus effugit ex omni causa cõtingentes; plures autem fiunt in primo quadragenario abortus quàm alijs diebus. Hæc ille; quibus, quos vocauit supra τρώσμους, ab effluxionibusq; distinxit, in alijs quoq; quadragenarijs posse obtingere concedit. Etenim quando dixit Aristoteles, effluxiones fieri ad septimum vsq;; ἐκτρωσμους, idest abortus vsq; ad quadragesimũ, maximè propriam vocis huius significationem respexit, quatenus scilicet informis fœtus notat eiectionem: illudq; præsertim docere voluit, non posse has deperditiones, quia propriè ad fœtum iam conceptum pertineant, vocari effluxus, sed si post septimum efficiantur, quo tempore iam facta est conceptio, ectrosmos esse dicendas. nimirum quia & tunc informes adhuc edi possunt, si ante quadragesimũ contingat abortus, non negauit tamen, quæ in alijs eueniunt quadragenarijs corruptiones, eodem nomine non posse dignari. Addidit autem (redeundum est enim ad propositum) Aristoteles si in septimum diem intra vterum permanserit genitu-

Cap. 3.

Cap. 3.

nitura, iam concepisse mulierem id esse argumento, vt eam, quam superius ostendimus, veritatem demonstraret: videlicet vt plurimum hoc dierum circulo, & periodo perfici conceptionem, & iudicari. nam &
" propterea dixit, quę vocantur effluxiones,
" his diebus fieri (videlicet ad septimum vsq;)
" in quibus nondum facta est conceptio: nēpe
" quia effluxio non pertineat, vt supra diximus, ad conceptionem iam factam, sed ad genituram, dum in vtero manet, antequam concipiatur, & antequam conceptio sit absoluta. quod & apertissimè significasse mihi visus est, addens statim post verba illa.
" sed si in septimum diem intus permanserit,
" conceptum iam esse certum est. Altera hæc.
" Nam quę effluxiones vocantur, intra tot di-
" es fieri solent. quorum clara sententia est, quæ vocantur effluxiones, fieri antequam certum sit, an mulier conceperit; ideoq; effluxiones appellari, quia ante factam conceptionem fieri credantur. etenim particula ipsa, nam, cui altera, γάρ, respondet in græco contextu, perspicuè ostendit, Aristotelem his verbis causam adducere, cur deperditiones conceptuum diebus ante septimum factæ, vocentur effluxiones non abortus: quæ profectò causa ab Aristotele allata, huiusmodi est, nec alia vlla; deperditiones diebus illis factas, ideo vocari effluxiones non abortus, quia, antequam de cōceptione certum sit, efficiantur, atq; ante factam conceptionem locum habeant. qua in re nec illud prætereundum est, huiusmodi effluxiones largo modo, & impropriè abortus quoq; aliquando ab Auctoribus appellari; quo sensu, vt superius vidimus, in Opusculo de Septimestri Partu ab Hippocrate abortus dictæ fuerunt; licèt tamen statim se ipsum explicans, & quasi corrigēs, si propriè loquamur, effluxiones non abortus nominandas esse idem admoneat: siqui-
" dem ita scripsit. Nam plurimi abortus in
" his diebus (scilicet intra septimum) fiunt;
" nominantur autem tales effluxus non abor-
" tus. quod idcircò hoc loco adijcere placuit; ne quis videns, Hippocratem, & Aristotelem has effluxiones abortus interdum appellare, sibi ipsis contrarios esse eos existimaret. qua etiam via Ferdinandum Mena ab oscitantia defendere possumus in Commentarijs super libello de Septimestri Partu asserentem, τρωσμόν dici de Hippocratis, & Aristotelis sententia abortū, qui post septem dies accidit; qui verò intra septem dies corrumpitur, ἔκρυσιν seu effluxum; cū satis alioqui ex superioribus constet, efflu-

Com. 13.

xum propriè nullo modo dici abortū posse. qui tamen Commentario septimo defendi non potest, cùm effluxionem locum habere post conceptionem definit aduersus Hippocratis sententiam à nobis supra explicatam. Nam (inquit) quæ intra sep- "
tem dies post conceptionem contingunt "
corruptiones κυημάτων, seu conceptuum, "
effluxus dicuntur. Græcè ἐκρύσεις. efflu- "
xionem enim omnino ante conceptionem locum habere Hippocratem, & Aristotelem voluisse, satis supra ostendimus.

Valesij reijcitur sententia Auicennę mens explicatur, defenditurq; à Fernelij obiectionibus. verba ipsius quędam obscura enarrantur. Cap. 107.

HAec cùm Valesius in Sacra Philosophia non animaduerterit, licèt pleraq; ibi & grauiter, & verè, & subtiliter de naturali menstruæ fluxionis termino, de cōceptione ipsa, de septenarij, & quadragenarij potestate disputauerit; à scopo mea quidem sententia tamen aberrauit, inter septimam a feminis eiaculatione, atq; à conceptione diem nullam agnoscens differentiam. cùm & eandem esse diem arbitrari videatur, quam certam, firmamq; iam perfectæ conceptionis notam præstare in libro de Principijs dixit Hippocrates, & quam partium delineationem quandam idem docuit afferre: ita vt post conceptionem factam ad diem vsq; septimam effluxionē Valesius locum habere censeat: quod tamen, tùm ex his, quæ hoc loco habentur, tùm ex his, quæ diximus sexto libro, ab Hippocratis, Aristotelisq; mente abhorrere, satis cōstat. qui effluxionum tempus non à conceptione facta numerant, sed à feminis eiaculatione; diem septimam effluxioni tanquam terminum præfigentes, quoniam cōmuniter & vniuersaliter dies circiter septē semen in vtero manere existimauerint, antequam conceptio perficiatur. quanquam Auicēnas libro primo de Natura Animaliū, dies tantùm quinq; satis esse, sentire videatur, scribens sic. Et sperma postquam non "
exiuit per quinq; dies, benè retentum est. "
qui tamen Fen vigesima prima iam enarratū septimæ diei limitem videtur ad viuum expressisse verbis illis. Et spatium quidem "
spumæ est sex dierum, aut septem; & in his "
diebus format informatiua in embryone nō "
petendo aliquid ex matrice. & post illud "
appetit, & inceptio linearum, & puncto- "
rum est tribus alijs diebus post illud, & sūt "

Cap. 18.

Cap. 1.

Tract. 1. cap. 1.

nouem dies ex principio. enimuero Auicennas hoc loco, si veritas inuestiganda est, (quam tamen barbara tanti Auctoris interpretatio plurimum perstringit) ac si de obscuris, quę crassis occultata sunt, & circũfusa tenebris, acie ingenij est iudicandum; loquitur absq; dubio de eo tempore, quod à seminis eiaculatione ad conceptionem vsq; intercedit; atq; conceptum embryonem vocat, idest genituræ ac menstruorum primam commixtionem; quod quidem tempus sex, aut septem, dierum interuallum ęquare statuit, Hippocratis, Aristotelisq; auctoritati concedens: ex quò & scitè addit, hoc toto tempore nihil formatricem virtutem ex vtero petere, videlicet formationis causa & nutritionis; nimirum quia cor nõ adhuc actu secretum sit ac genitum, quod primo nutritur, petitq; ex matrice nutrimentum, vt superius explicauimus; proindeq; nõdum facta sit conceptio; ideoq; nulla re indigeat. primum nanq; opus, cùm semen vterum subit, hanc esse spumificationem memorati capitis initio sic Auicennas testatus est. Cùm matrix colligitur super sperma, tunc prima dispositionum, quæ aduenit illic, est spumositas spermatis, & est ex operatione virtutis formatiuæ. quamobrem iniuria Fernelius, falsò credens sextam, vel septimam à conceptione facta diem Auicennam his verbis intelligere, libro septimo de Naturali Parte Medicinæ illum calumniatur, quòd hoc loco statuat, semen primis sex diebus nihil quicquã ab vtero petere; cùm id omnino Hippocratico, Aristotelicoq; decreto sit consentaneum. qui sanè Fernelius non propterea probat, aliquid primis illis diebus ex vtero semen petere, quia Hippocrates in genitura die sexto elapsa (quos dies nos à seminis eiaculatione numerandos esse, & conceptionem anteire libro sexto diximus) rubrã liquidamq; materiam conclusam conspexerit; enimuero eum colorem non ex sanguinis affluentis, denuoq; ad nutritionem ex matrice attracti copia genitum credimus; sed ex admixtione menstrui sanguinis, qui iam in vtero collectus, & tractus intra genituram, vt placuit Hippocrati, materia efficitur formandæ carni; circa sextam ferè diem apparere solet: quare hanc dierum periodum, quæ conceptionem ipsam dimetiatur, adductis verbis Auicennam explicuisse mihi persuadeo. qua sanè peracta & puncta oriri, cor scilicet, cerebrum, & iecur; & delineationem formationemq; incipere; idest ex illo sanguine carnẽ & cor actu secerni, & petere exinde semen ab vtero aliquid, vt tria hæc membra nutriantur, fiatq; fœtus conformatio; rectissimè statuit. Nec aliquem turbet, quòd sequẽtibus verbis totos hos dies à conceptione videatur enumerare, ita scribens. Deinde post sex dies alios (& sunt quindecim) à conceptione, penetrat sanguineitas in toto, & fit illud, vnde creatur. sex enim spumificationis diebus additi tres, & mox sex, quindecim faciunt, quos à conceptione Auicẽnas videtur enumerare. Nam pręterquàmquòd vel largo modo conceptionis nomine, sicuti & embryonis hoc loco vti illum constat; vel barbari Interpretis vitio harum vocum distinctio expressa non fuit: si animaduertamus ipsum Auicennam paulò supra verbis illis. Et sunt nouem dies ex principio, primum illud tempus, à quo ducit computationem, his de causis nõ quidem conceptionem, sed Aristotelis imitatione, vt paulò infra dicã, principium potius appellare voluisse, dixeris constitutionem à principio factam, & primam genituræ, ac menstruorum commixtionem; videbimus, dies illos quindecim non tàm à conceptione, quàm a dicto principio ipsum enumerasse, idest à seminis eiaculatione: adeò vt sententia sit, tametsi malè a barbaro Interprete expressa, post dies sex à conceptione, qui in vniuersum simul iuncti à principio sunt quindecim (nam verba illa, & sunt quindecim, per parenthesim legenda sunt) sanguinem penetrare in toto, & illud fieri vnde creatur; videlicet iam nutritionem trium principiorũ vberiorem, articulationemq; fœtus pleniorem incipere, proindeq; ex muliebri corpore sanguinem abundantius trahi. Dedit enim dies sex spumificationi, in quibus nos nondum factam esse cõceptionem asseueramus, & in quibus nil sanguinis trahi ipse dicit Auicennas: tres verò punctorum, & linearum ortui, in quibus & sanguinem trahi dicit Auicẽnas, & nos ipsam absolui cõceptionem, cùm iam circiter sextam ac septimam incepisset, secreto præsertim corde, & actu facto, ex eodem affirmamus; hoc ex loco elicientes, Auicennam conceptionis absolutioni tres dies dedicare. quare cùm sex alios tribuat punctorum trium, scilicet principiorũ, maiori perfectioni, absolutioriq; formationi, iure & hos dies à cõceptione (scilicet à iam perfecta, absolutaq; omnino conceptione) sex esse dicit, & his præteritis sanguineitatem in toto, scilicet, vt ego explico, sanguinem plenius, abundantiusq; attrahi, & materiam fieri abũ-

Cap. 9.

dan-

" dantiorem nutritioni, & reliquarum partiũ articulationi, pulchrè definit. Meminisse " enim oportet ex Hippocrate in Opusculo " de Natura Pueri, primo statim conceptio- " nis tempore, quia modica spiratio fit, mo- " dicum sanguinis à matre procedere; cùm verò spiratio amplior redditur, magis sanguinem trahere, & vberiorem eius copiam in vterum descendere: quod hîc mea sentẽtia significauit Auicennas, post dies à conceptione sex sãguineitatẽ in toto descẽdere scribens. Quòd si aliter verba explicemus, spumificationisq; dies illos sex, vel septem à conceptione numeremus, quo pacto Auicennam ab oscitantia tuebimur? inquit enim ipse, primis his diebus semen nihil quicquam à matrice petere: at si iam cõceptio facta est, quomodo & ad formationem, & ad nutritionem nihil petit à matrice semen? Intelligit enim nihil à matrice petere semen, idest sanguinis nihil, qui in ea existit, & ex quo iam congelato caro cõstat, & conceptus; quare nec tunc nutritio efficitur, neq; formatio. At quod iam secretum est, statim alimentum desiderat, vt libro secundo de Animalium Ortu docet Aristoteles. Sed video, quod istos omnes in errorem traxit, qui ita dicunt, & interpretantur: putarunt enim conceptionem ad semen tantùm referri, ita vt fœminam concepisse semen dicendum credant; sed nõ ita res est. cõceptio .n. ad fẹtũ animalq; pręcipuè refertur, vt infra ostẽdã, ad semen verò quatenus in animal formatur; proindeq; articulationẽ iam incipientẽ dicit animalis, vt rectissimè Hippocrates, & Aristoteles, quemadmodum supra explicuimus, corruptionem ante diem septimam ab eiaculatione seminis factam, scilicet ante conceptionem; non quidem abortum, quia videlicet nondum ortum sit animal, sed effluxionem, tanquam humoris seminalis deperditionem, non animalis duxerint appellandam. quare & fœminam suscepisse quidem semen, & retinuisse dicere possumus, concepisse nequaquam, nisi iam principio primo secreto articulatio incipiat animalis, actuq; verè sit, formetur, ac nutriatur, quasi animal, ipsum primum principium; quod voluisse Hippocratem, & Aristotelem supra non semel indicauimus. quam sanè differẽtiã subtilium principem Ioannem Duns cognomento Scotum tertio Sẽtent. non obscurè indicasse video de conceptione Beatæ Virginis differẽtem, cuius hæc sunt ver- " ba. Et si arguatur, quòd ibi fuit libido, " falsum est de conceptione naturarum; licèt possit concedi fuisse in conceptione, & cõ- " mixtione seminum. Hæc ille; quibus per- " spicuè inter naturarum cõceptionem, idest fœtus & animalis; quæ fit, cùm iam principium secernitur actu, & conceptionem seminis distinguit; quam commixtionem potius significat appellandam, quàm veram conceptionem. Non me tamen præterit, Scoti postrema verba facilè trahi posse ad conceptionem, quam vocant hominis formati; & quam à conceptione seminis distinguunt: de qua re pulchrè Henricus de Gãdauo in Quodlibetis; volens in conceptione seminis nihil esse hominis gignendi, nisi solùm materiam sub forma seminis (quam sanè seminis conceptionem à casu, vt Barbari loquuntur, seminis in matrice non videtur distinguere) in conceptione verò hominis iam esse perfectum hominem aduentu animæ rationalis. ex quò & hanc conceptionem organizato, articulatoq; corpore in mare die 35. in fœmina die 42. fieri tradit. Verùm per conceptionem naturarum intelligere commodè nos posse; cùm vegetatiua, & mox sensitiua erumpunt in actum, satis elucet; sub quibus formis fœtum esse ante aduentum rationalis animæ non Philosophi tantùm, sed Theologi quoq; concedunt, licèt cùm rationalis creatur, corrumpi illas velint. De qua re in libris de Monstrifici Fœtus formatione diligenter.

Cap. 4. — Dist. 3. q. 1. — Quodl. 15. q. 13.

Quę superiori disputatione posita sunt plenius comprobantur. Plinij locus declaratur. Macrobius reijcitur, & Mercatus. Varronis locus explicatur. item colligitur Hippocratis, Aristotelisq; sententia.

Cap. 108.

ERit igitur naturæ decreto (redeundum est enim ad propositum) iam dicta dierum periodus inter seminis eiaculationem concedenda, & ipsam conceptionem; quod hic Auicennæ locus satis monstrat, qui acutius introspectus diem circiter septimam conceptioni impartit, quemadmodum exposuimus; vt non immeritò Plinius ex Veterum monimentis, Aristotelem, nisi fallor, præsertim imitans, libro decimo eandem hanc dierum periodum conceptioni videatur impertiri, ita scribens. Et mulier se- " ptima die concipere facillimè creditur. " quibus sanè verbis septima à coitu die, vt plurimum conceptionem fieri, quemadmodum & nos quoq; profitemur, perspicuè definit. neq; enim, vt nonnulli perperam

Cap. 63.

ram existimant. septimo ab enixu & partu die intelligit Plinius mulierem facillimè concipere; volentes quod hîc mulieri ipse tribuit; Aristotelem libro sexto Historiarũ, eundemq; Plinium libro octauo Naturalis Historiæ asinæ assignare, quibus locis habemus, obseruatum esse, asinas à partu die septimo optimè, ac facillimè impleri; cùm satis constet, nihil esse difficilius, quàm mulierem septimo ab enixu die concipere ob ingentem menstruorum copiam, quæ tunc illi fluit, atq; ad diem vsq; ferè trigesimum perdurare solet. qui sanè menstruorum fluxus Hippocrati, Aristoteli, Galeno conceptionem omnino tollit; ex quò & ipse Philosophus libro septimo Historiarum, quasi rem admiratione plenam, & raro euenientẽ enarraret, id vni tantùm mulieri scripsit cõtigisse: nec satis illi fuit dicere, quòd cõcubuisset septima à partu die, nisi etiam & adderet quasi rem insolitam, quòd etiam concepit. Verba hæc sunt. „Et quædã cùm septimo die à partu concubuisset, concepissetq;, peperit similem superiori quasi geminum„. quare nulla ratione dicere potuisset Plinius, nisi mendacissimè, credi mulierem ab enixu die septima facillimè concipere: quod tamen de periodo conceptionis à iactu seminis verissimè potuit affirmare. Porrò autem ex tota nostra superiori disputatione palàm est, nullam omnino habere veritatis notã, lõgèq; abesse ab Hippocratis, Aristotelis, ac Auicenę mẽte, quod Macrobius in primo libro de Sono Scipionis scripsisse videtur; si intra septenas horas post eiaculationem genitura in vtero permanserit, concepisse fœminam credendum esse. Similiq; in errore versari Mercatum, qui Macrobium secutus, libro tertio de Sterilium, & Prægnantium Affectionibus, hac de re ita decreuit. „Cùm verò seminalia hęc recrementa in vtero constiterint, atq; etiã intra septenas horas post eiaculationem in effusionem relapsa neutiquam fuerint, si vteri calore conseruentur, reganturq;, concepisse fœminam credendum est. Macrobij autem verba hæc sunt. Hoc tamen prætereundum non est: quia semen, quod post iactum sui intra horas septem non fuerit in effusionem relapsum, hæsisse in vitam pronũciatur. Verùm semine semel intra formandi hominis monetam locato: hoc primùm artifex natura molitur, vt die septimo folliculum genitiuum circundet humori ex membrana tàm tenui, qualis in ouo ab exteriore testa clauditur, & intra se claudit liquorem. Hoc cùm à Physicis deprehensũ sit; Hippocrates quoq; ipse, qui tàm fallere quàm falli nescit, experimentiq; certus asseruit; referens in libro, qui de Natura Pueri inscribitur, tale seminis receptaculũ de vtero eius eiectum, quale septima post conceptum die intellexerat„. Hæc Macrobius; cuius ego priora verba libenter non ad conceptionem referrem, sed ad seminis potius retentionem; quod hærere concinnè videtur ipse vocasse: posteriora ad conceptionem ipsam, quibus septimo die genitiuo folliculo circũdari genituram inquit; dixeris membranis obduci, quod ferè conceptionem constituere supra monebamus; cùm parum absit hæc operatio à principij primi secretione, quod conceptionem ipsam verè constituit; nisi ipsemet infra de Hippocratis mente folliculum, receptaculumq; huiusmodi septimo post conceptum die, de vtero diceret eiectum fuisse: vt septimo post conceptionem die circumobduci verbis quoq; superioribus intellexerit. quanquam quod ad Hippocratem attinet, vt in calce sexti libri probatum à nobis fuit; ipse non septima die, sed sexta; non à cõceptione sexta, sed ab eiaculatione genituræ eiectum fuisse seminis illud receptaculũ velit; nimirum quia non dum absolutam crediderit esse conceptionem, quam septimo die non antea perfici arbitrabatur, vt infra etiam planius dicam. qui locus, iam satis superq; citato libro à nobis explicatus, illustrissimus est ad hanc, quam hîc docemus veritatem comprobandam: de Hippocratis videlicet mente diem circiter septimam ab eiaculatione seminis vt plurimum fieri conceptionem. Quòd si Macrobius cõceptus nomine non quidem conceptionem sed τὸ κύημα, scilicet vtrunq; admixtum ꝙ gestatur semen intellexit; iam sua nihil à nostra sententia discrepabit. sed & veritatem hanc, quam de conceptionis periodo ex Veterum monimentis hoc loco docere profitemur, Varroni doctissimo viro cognitam fuisse video; qui nulla alia, vt arbitror, ratione in primo librorum, qui inscribũtur Hebdomades, cùm septenarij numeri virtutes, potestatesq; multas explicaret; scriptum reliquit, semen in vtero muliebri primis septem diebus cõglobari, coagulariq;, & fieri ad capiendam figuram idoneum; quibus totum id, quod de conceptione ipsa dicimus, pulchrè expressit; videlicet ab eiaculatione seminis ad diem vsq; septimam non esse factam conceptionem, vt perperam multi opinantur, sed fieri; nullamq; diebus illis verè effici articulationẽ à

quia

Cap. 23.
Cap. 44.
Cap. 6.
Cap. 6.

quia nondum facta sit conceptio, sed coagulari tantùm semen, membranasq; circúobtendi, demumq; conglobari, & oui formam capere; adeò vt mox secreto principio circa diem septimam absoluta conceptione articulatio incipiat. Varronis autẽ hæc est sententia Gellio tertio libro Noctium Atticarum referente. Ad homines quoq; nascendos vim numeri istius porrigi, pertinereq; ait. Nam cùm in vterum (inquit) mulieris genitale semen datum est; primis septem diebus conglobatur, coagulaturq; fitq; ad capiendam figuram idoneum. Post deinde quarta hebdomade quod eius virile fœtus futurum est caput, & spina, quæ est in dorso conformatur. Septima autem ferè hebdomade, idest nono & quadragesimo die totus, inquit, homo in vtero absoluitur. Hæc Varro doctissimus; quibus nemo non videt, ea omnia explicari, quæ nos iampridem de conceptione ipsa, eiusq; periodo aperuimus. Nã primis septem diebus, quos ab ipsa seminis eiaculatione ad conceptionem nos numeramus, conglobationem, coagulationemq; fieri, quemadmodum & nos, ipse affirmat; sed tamen nullam formationem, vt nos quoq; diximus. inquit enim perspicuè, fieri primis septem diebus semen ad capiendam figuram idoneum. itaq; ante septimum nullam censuit figuram capere; videlicet nullam articulationem, sed tantùm præparari ad eam capiendam. quare & septimo finiente die iam articulationem ipsam incipere, proindeq; absolui conceptionem arbitratus est. Hinc perbellè septima hebdomade idest, vt ipse explicat, die quadragesimonono articulationem perfici scribit. sunt enim à conceptionis, articulationisq; principio, vt Hippocrates numerat in Opusculo de Natura Pueri, dies complurimum 42. at doctissimus Varro 49. percenset, quia à seminis eiaculatione, atq; ante figurationem dies septem enumerat, scilicet dierum periodum adiungit conceptioni absoluendæ à Veteribus dedicatam; vt iam vel hoc ipso argumento veritas sententiæ nostræ maximè eluceat. Cur enim Varro, nisi hæc ipsa cogitasset, diem 49. ab Hippocrate, & alijs dissentiens, qui per septenarios formationem dimetiuntur humanam, non 42. recenseret? omnes enim, vt paulò supra ex Hippocrate probauimus, diem 42. figurationis terminum esse ponunt. quare nulla alia de causa dies septẽ adiũgere Varro potuit, nisi quia non tàm à conceptione ipsa, quàm à seminis eiàculatione eiusmodi tẽpus numerauit. Sed ad propositum redeat oratio. Hoc igitur est quod scribit Hippocrates, ac post illum Aristoteles corruptiones, quæ intra septimum diem eueniunt, effluxiones dicendas esse non abortus; quod & maximi momenti est, & summa dignum animaduersione. cùm enim, vt paulò supra dicebamus, effluxio propria genituræ esse videatur (nisi fallor) non conceptus, neq; fœtus; abortus verò ipsius fœtus, & conceptus, & ortæ iam rei, & existentis; iure quicquid excidit vtero ante eum diem, qui conceptioni ab illis dicatus est, proindeq; ante ipsam conceptionem, effluxio nõ abortus ab ijsdẽ appellatur. quicquid verò exit, eijciturq; vel die septima, vel postea; quia facta iam conceptio sit, abortus. Maneat igitur impressum in animo, atq; mente mirum naturam in conceptione ordinem seruare; conceptionisq; dies certos idcircò esse, & definitos; atq; inter hos septimum frequentiorem haberi, ac magis naturalem. Seruare enim naturam in omnibus, quæ ad ortum hominis pertinent, summum ordinẽ, purgationes post partum mulieribus contingentes latissimè probant, quæ tot diebus perdurare solent, quot parcius alimẽtum in prima formatione fœtui natura impartit; quemadmodum his verbis libello de Pueri Natura egregiè Hippocrates demõstrauit. Atqui purgationes, inquit, à partu mulieribus ea gratia fiunt, quòd primo tempore vsq; ad dies quadragintaduos in fœmella, in masculo verò ad dies triginta paucissimus sanguis in augmentum pueri descendit. ab hoc autem tempore copiosior, donec pariat. Oportet itaq; purgationem reddi in toto puerperij tempore; & foras exire, ac respondere pro dierum ratione, ac proportione. Hæc ille; qui & paulò post rationem, proportionemq; hanc explicans, mirumq; naturæ ordinem patefaciens, dicit talionem rependi; ita vt sicut primis à conceptu diebus, vbi genitura in vteros illapsa est, paucissimus sanguis descendit, deinde copiosior; sic è contra & purgatio puerperij in primis à partu diebus plurima procedat, deinde parcior, donec desinat. Quem locum attingens Aristoteles septimo Historiarum, ita scriptum reliquit. Purgationes autem accedunt plurimis cùm conceperint ad tempus quoddã, scilicet triginta dierum, maximè si concepta fœmina est: quadraginta si mas. A partu etiam purgationes eodem dierum numero consequi volunt: quanquam non æquè ita diligenter eueniunt. At verò post conceptum,

Cap. 10.

tum, & dies, quos modò dixi non item secundum naturam inferius agitur, sed in vbera transitur, & lac efficitur. Hæc Aristoteles; cuius tamen verba ad dierum numerum mari, ac fœminæ adscriptum pertinentia, eo modo quem ex Valesio expressimus tertio libro, emendanda sunt. qua autem ratione, quæ de purgationibus post conceptioné dicta sunt, ad verum ipsum vt quàmproximè accedant, confidere sibi potuit Aristoteles; cùm sententia communis sit sensuum fide comprobata, nulli ferè mulieri post conceptionem, nisi aliquid morbosum contingat, menstrua apparere: quin etiam & Hippocrates citato loco, vnde omnia sua excerpsit Aristoteles, conceptione facta sensim & modicè sanguinem in vterum procedere ex reliquo corpore asseruerit, nequaquam extra vterum; alio loco à nobis abundè disputabitur.

Pulcherrimus Aristotelis locus ex septimo Politicorum declaratur. obiter quid sit maximè propriè viuere vita plantæ secundum ipsum.

Cap. 109.

PORrò autem his satis cognitis, quæ iam explicata sunt; facilè intelligere possimus, quo consilio scripserit Politicorum septimo Aristoteles ad multitudinem filiorum euitandam ἀμβλώσιν, idest deperditionem inferendam esse, antequam materiæ sensus, & vita innascatur. voluit nanq; mea sententia, dicere, ante conceptionem id esse concessum, cùm verò mulier conceperit, quia iam viuat quod in vtero est, nefas esse omnino. nam & ob id sensui ζωὴν, idest vitam etiam addidit. siquidem primo conceptionis tempore viuit actu, & vitam actu habet fœtus; at non tamen sensum habet actu, sed tantùm potestate. Vnde Aristoteles secundo de Animalium Ortu conceptum procedente tempore fieri animal notatum reliquit; priusq; vita plantæ viuere, deinde animalis. quanquam viuere vita plãtæ est apud Aristotelem, non solùm sensum actu nondum habere, sed tantùm nutritiuã actu facultatem, quod secundo & quinto de Animalium Ortu ipse videtur indicasse: verùm, vt ex tertio eiusdem operis libro liquidò elicitur, adnascendo plantæ instar ex aliquo capere primum alimentum, & incrementum; quod conceptus in ouis, atq; in matrice efficiunt; hoc enim maximè proprium plantarum esse videtur. Aristotelis autem verba hæc sunt, vt ego interpretor. Viuunt autem primùm quæ in ouis sunt, & quæ in animalibus, vita plantæ: enimuero adnascẽdo ex aliquo accipiunt primum incrementum, & alimentum. Theodorus verò sic. Viuunt autem principiò & quæ in ouis, & quæ in animalibus gignuntur, vita plantæ; adhærendo enim capiunt primũ & incrementum, & alimentum. Trapezũtius sic. Viuunt autem primò & quæ in ouis, & quæ in animalibus fiunt, vita plantę; nam, eò quòd affixa sunt, primum cremẽtum, atq; alimentum ex aliquo accipiunt. vtriq; minus propriè. Aristoteles enim dicit τῷ πεφυκέναι, quod longè aliud est, quã adhærere, vel affixum esse: atq; vt ex quinto patet Methaphysi, nasci significat, & adnasci; & primam dicit naturæ significationem, vt ibi pulchrè Philosophus declarat; qui cùm dixisset. Natura verò dicitur vno quidem modo nascentium generatio. ita paulò post subiungit. Nasci autem dicuntur quæcunq; incrementum per aliud habent tangendo, & connascendo, aut adnascendo, sicuti embryones. Differt autem connascentia à tactu. hîc nil aliud præter tactum necesse est esse; in connascentibus verò est quoddam vnum cum ambobus idẽ, quod, præter id quod se contingant, facit vt connascantur, & vnum secundum continuationem & quantitatem, non secundum qualitatem sint. Hæc ille; quæ probant apertissimè, vita plantæ viuere nil esse aliud, quàm adnascendo, & per quoddam vnum cum animalibus idem connascendo, quod vnum secundum continuationem, & quantitatem ambo reddat, ex aliquo capere alimentum: hoc enim quia plantæ efficiunt quandiu vita potiuntur, idcircò earũ proprium esse dicitur; at embryones, quoad id faciunt, viuere dicuntur vita plantæ. Hoc igitur est, vt eò redeat vnde aberrauit oratio, quòd Philosophus septimo Politicorũ dixit; fas esse, vel nefas, sanctum, vel non sanctum sensu & vita esse definitum: quia scilicet fas sit, antequàm fœtus vita plantæ viuat, & ante vitam vti deperditione; postea nequaquam. vt meritò Vlpianus hæc contuens libro quadragesimo sexto ad Edictum decreuerit, eum, qui natus non est, & qui in vtero esse dicitur, admittendum esse, si viuo eo, de cuius bonorum possessione agitur, fuerit conceptus: si verò post mortem conceptus sit, neq; obstare alij, neq; esse admittendum, quia non fuit proximus cognatus ei, quo viuo animal nondũ fuerit. quod enim iam conceptum est doctissimus Iurisconsultus subtilitatem prætermittens philosophicam, animal vocat; quia

Marginal notes: Cap. 16. — Cap. 3. — Cap. 3. — Cap. 1. — Cap. 2. — Tex. 5. — l. p. §. si quis prox. ff. Vnde Cog.

quia iam viuat, ac nutriatur, primamq; exerceat animalis, ac viuentis operationem. vt egregiè deceptus Accursius videatur, dũ scribit, eo loco affirmari, fœtum, antequã nascatur, animal non esse; idcircòq; non prodesse, vt alij acquirat: cùm omnino cõtrarium, vt vidimus, Vlpianus statuat; videlicet cùm iam fœtus conceptus est, tametsi in vtero sit, animal esse. Nec obstat, quòd Decretalium quinto proditum videtur, illud quod in vtero est, quanquam sit facta conceptio, nondum dici viuificatum; vt Canones prædictæ legi aduersari videantur, & nostra præterea sententia insigne mendacium continere; quæ asserit, vel in ipsa conceptione, vel certè statim post conceptionem, quod in vtero est, viuens actu fieri, proindeq; viuificari; quod ex Hippocrate etiam supra ostendebamus. etenim Decretalium locus ille, si habet necessariò hunc sensum, de viuificatione, quæ per animam rationalem fit, eiusq; aduentu, intelligendus est; vt in C. MOYSES habetur; quę iuxta sacrosanctę fidei nostrę veritatẽ à Deo creatur, & creãdo infunditur iã perfecta organizatione, & sic pluribus fortasse diebus post conceptionem, vt multis placet; nimirum vt communis ferè tenet opinio, circa diem quadragesimum: vnde & tunc conceptus hoc sensu dicitur viuificari. De qua re tertio libro de Monstrifici Fœtus formatione accuratissimè à nobis disputabitur. quo loco Ferdinandi Mena sententiam ventilabimus super libello de Partu Septimestri asserentis, humanum fętum die septima à conceptione rationali anima animari; ideoq; eos ignorantiæ crimine incusantis, qui ante trigesimum diẽ aborsum procurantes peccati solùm reos existimant, homicidij verò, transactis in mare diebus 30. in fęmina 40. cui sententiæ D. Thomæ fauere videtur fortasse auctoritas prima parte Summæ; dum quærens, vtrum conuenienter corporis humani productio in Scriptura describatur; corũ opinionem videtur redarguere, qui intelligebant, corpus hominis prius tempore formatum fuisse, & postmodum Deum formato iam corpori animam infudisse: ea & grauissima certè permotus ratione, quòd cõtra rationem perfectionis primę institutionis rerum sit, quòd Deus vel corpus sine anima fecerit, vel animam sine corpore, cùm vtrunq; sit pars humanæ naturæ; idq; magis sit inconueniens de corpore, quod dependet ab anima, & non è conuerso. quibus non quidem absoluta omni organizatione, partium etiã videlicet exteriorum, sed potius dum organizatur ipsum corpus efficiturq;, creari animam velle videtur. videlicet dum princeps gignitur fortasse pars, quæ, vt ego existimo, cor illi est Aristotelis imitatione; adeò vt creata anima intelligatur, cùm genitum est cor; prioritate naturę non temporis animã precedens, ac suam formam. nam & in quarta ratione sumpsit D. Thomas, quod & tãquam verum concessit in respõsione, principaliter animam esse in corde. Ipsius verba hæc sunt. Anima quæ est spiraculum vitæ, est in toto corpore, & principaliter in corde. at non esset cor humanum, nisi cùm statim genitum est, anima simul informaretur humana. Tandem in responsione ad tertium sic loquitur. Ad tertium dicendum, quòd quidam intellexerunt corpus hominis prius tempore formatum; & postmodum Deum formato iam corpori animam infudisse: sed contra rationem perfectionis primæ institutionis rerum est, q Deus vel corpus sine anima, vel animam sine corpore fecerit, cùm vtrunq; sit pars humanæ naturæ. & hoc est magis inconueniens de corpore, quod dependet ex anima; & non è conuerso. & non multò post. Per spiraculum ergo vitæ intelligitur anima: vt sic quod dicitur, inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ, sit quasi expositio eius, quod præmiserat; nam anima est corporis forma. Hęc ille; qui rectissimè & pulcherrimè dicens, per expositionem eius, quod pręmissum fuit, scriptum esse, inspirasse Dominum in hominem spiraculum vitæ; addensq; rationem, quia scilicet anima sit corporis forma; perspicuè monstrat, se illius esse sententiæ, vt credat, Deum, dum formaret de limo terræ hominem, simul etiam & animam creasse; quia non possit esse homo, nisi animam habeat, quæ illius est forma. & certè Sacri Eloquij verba habentia Dominum Deum hominẽ formasse, non corpus hominis de limo terræ; hanc D. Thomę explicationem mirificè cõprobant; quo modo enim formauit hominem de limo terræ; nisi animam, & formã simul quoq; creauit, per quam homo est homo? itaq; cùm adiungitur, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ; intelligẽdum est ex D. Thomæ sententia, dum formaret hominem, creasse animam, cuius operationes maximè in facie eius manifestarentur. Neq; Decreti in C. Moyses auctoritas, accuratè expensa huic fortasse D. Thomæ sẽtentiæ aduersabitur; nam primùm in Exodi lo-

l. qui in vtero ff. de stat. hom.

C. sicut lit. De Homa. volunt.

C. 32. q. 2.

Com. 14.

Quæst. 91. Ar. 4. ad 3

Cap. 4.

loco in vulgata nostra editione nullum de formato puerperio, vel informi habetur verbum; hoc enim Septuaginta addiderūt Interpretes (quos secutus videtur B. Augustinus, cuius verba ponuntur in Decreto) vt notat Steuchus; qui ob id etiam eos reprehendit; volens de matris non de prolis morte haberi sermonem. quāquam Caietanus in Commentarijs contendit, hebraicam vocem infātulum significare, propterea; formatum intelligi debere puerperium; ipsiusq; etiam prolis non parētis tantùm mortem exprimi. Deinde, cùm duplex formatio sit, videlicet partium interiorum & exteriorū; primòq; Aristoteli libro secundo de Ortu Animalium, rectè aduersus Democritum hac de re disputanti, internæ partes, vt cor, iecur, cerebrum, quàm externæ conformentur, articulenturq; (neq; enim tanquam lapidei, vel lignei animalis fit efformatio in natura, vt idem acutè subdit) nil vetat, quin de formatione interiorum partium Exodi verba intelligamus; vt si omnino informe non solùm exteriorum partium, sed interiorum quoq; ratione quod per abortionem eijcitur, esse appareat, neq; ipsū cor actu formatum, neq; alia vlla pars interior, sed materia ipsa seminalis; tunc non dicatur cōmissum homicidium, animatusq; fœtus esse corruptus; quod cum ea, quam ex Aristotele, & Hippocrate hoc loco docere profitemur, veritate maximam habet consensionem: fit enim tunc effluxus seminis, nō iam concepti fœtus, & animati deperditio. à quo quidem sensu neq; etiam D. Augustini verba à Decreto recepta videntur fortasse aliena; neq; enim declarat diuinus vir, an de interiorum, an verò de exteriorum etiam corporis partiū formatione intelligat. quin potius de formatione interiorum partium ipsum intelligere, non leuis adest coniectura, cùm scribit. Nam si cum semine, & anima existit ex anima; & multæ animæ quotidie pereunt, cùm semen ex fluxu quodam non proficit natiuitati. quibus asserens, cùm semen ex fluxu quodā non proficit natiuitati, absurdissimum esse, si putemus animam perire; certè perspicuè mōstrat, se existimare, quādo fit seminis effluxio (quod nos ante ipsā cōceptionē docuimus supra euenire) tūc nō adesse animā, cōceptione facta adesse; quia .s. anima cū semine nō deriuatur, neq; anima existit ex anima, quod eius est consilium eo loco reijcere. Itaq; cùm inquit, si iam formato corpori datur anima, non in conceptu corporis nasci; cùm adiungit, iam formatum Adę corpus animam accepisse; demū cùm exclamat. Cùm ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima? cōmodè intelligere possumus, formato corpori quoad partes necessarias, naturæq; prioritate nō temporis animam dari; quam explicationem satis altera ipsius illa probant. Nam poterat Deus animam limo terræ admiscere, & sic formare corpus; sed ratione infirmabatur, quia primùm oportebat domum compaginari, & sic habitatorē induci. Atqui si Deus animam limo terræ admiscuisset, & sic postea formasset corpus; certè prioritate naturæ & temporis animā ante vllam partium corporis etiā interiorum formationem produxisset; quod contra rationem perfectionis primæ institutionis rerum extitisset, vt acutissimè argumentatur D. Thomas. proinde & rectè subiungit B. Augustinus, hoc ratione infirmari; primùm enim (& intelligas naturæ prioritate) oportebat domum compaginari, & sic induci habitatorem; domum (inquam) non totam, sed quoad partes necessarias; quod docet manifestè, cùm dicit, limo terræ animam non fuisse admiscēdam. qua sententia vult tantùm, non creari animam antequam cœpta sit formatio partis alicuius, non vult, post absolutam partium omnium, etiam exteriorum formationem creari. Hoc si recipiamus, Decretalium fortasse locus ille, quem obijciebamus, nil coget, vt viuificationem à conceptione seiungamus; vt Ciuiles leges hac in re à Canonicis diuersas fateamur; scribit enim Pontifex. Et quæ asserebat se cōcepisse ex eo. quare non supponit certò factam esse conceptionem, sed tantùm ex mulieris illius assertione. deinde concludit. Respondemus, quòd si nondum erat viuificatus conceptus, ministrare poterat; alioquin debet ab altaris officio abstinere. At quem conceptum Latini appellant, dicere sæpè genituræ & menstruorum admixtionem primam in vtero mulieris, sicuti Aristoteli, & Græcis τὸ κύημα; atq; ante ipsam cōceptionem locum habere, iam supra ostendimus. Itaq; verba fortasse illa. Si nondum erat viuificatus conceptus. addita sunt ad veram conceptionis notā explicandam. si enim conceptus non erat viuificatus, neq; etiam conceptio facta erat; tametsi se concepisse asserebat mulier; quare & presbyter ministrare poterat. Sed quando dicitur conceptus viuificatus? quando cor actu genitum inuenitur, vt supra

Cap. 4.

C. sicut ex literarum.

pra ostendimus. Hinc quod Gloss. eodem titulo super C. Si Aliqvis notat, teneri eum vt homicidam, quantum ad pœnam legalem, & spiritualem, qui informatum cōceptum in vtero per abortum delet, sed nō fieri tamen irregularem, ac si hominem interfecisset; quia irregularitas non contrahitur, nisi actu homo interficiatur iam animatus; cautè accipiendum esse patet: magnam enim esse probabilitatem, vt de formatione partium tantùm interiorum intelligi res debeat, non de formatione quoq; exteriorum, & supra vidimus, & peripatetica Philosophia persuadet: in cuius schola maximam fortasse patietur difficultatem, quod Caietanus non iam professor iuris, sed philosophus insignis, inquit in Commentarijs in Exodum, si percussa mulier grauida fœtum informem emitteret (si modò de exteriorum partium formatione solùm intelligit) nullam esse mortem hominis, quoad prolem, quia homo in potētia non est homo. quandoquidem Præceptori interioribus partibus conformatis, ac præsertim corde anima iam adest rationalis, vt supra tetigimus; licèt fœtus quoad partes exteriores informis omnino appareat; ex quò & homo in potentia illi homo est. Quomodo autem in corde actu iam genito, quo tēpore fętus dicitur viuere tātùm vita plantæ, anima rationalis inesse possit ex Aristotelis sententia, libro tertio de Monstrifici Fœtus formatione dicemus, simul etiam an id Theologis arrideat perscrutantes; quo loco tota hæc de animatione quæstio ex Aristotelis, & Theologorum decreto disputabitur; item de origine animæ plura, & ea quidē in peripatetica schola difficillima, ac summæ plena obscuritatis. Iam verò his ita constitutis, vt redeamus ad nostra, patet Galeno nequaquam esse assentiendum, qui in Opusculo illo, vbi quærit, an quod in vtero est, animal sit, sine vlla distinctione eiaculatum in ipsum vterū semen, & sic ante conceptionem, animal dici oportere, & verè esse contendit, tametsi potentia; volens actu fieri animal, cùm ex vtero prodierit. quod & Alexander quoq; Aphrodisiensis in libro de Anima videtur voluisse. qua in re vtrum consentiat cum Præceptore, suo loco à nobis quæsitū fuit. enimuero, etsi idem Præceptor in libello de Animalium motu, & primo de Generatione Animalium semen ratione insitę virtutis quasi animal vocet; id propter ipsam virtutem, quam animam esse secundo de Animalium Ortu statuit, semini impartit; & quasi animal, non verè & absolutè animal appellat: quare antequam conceptio facta sit, nec viuere, nec animal, quod geritur vtero, ob allatas superius causas dici debet. quod quarto de Animalium Ortu perspicuè docuit Aristoteles, ita scribēs. Quapropter cor primùm distinctum in omnibus inspicitur animalibus, quæ sanguinem habent: id enim principium est & similarium, & dissimilarium partium: iam enim principium id accepisse animalis, cōstitutiq; fœtus decet, cùm alimentum desiderat: quod enim iam animal est augetur. Hæc ille; quibus non antea conceptum nutriri augeriq; quàm cor actu secretum sit, satis ostendit; proindeq; nec ante conceptionem, quam secretione cordis diximus absolui. quo etiam loco notare est, quod iam nutritur augeturq;, absolutè animal ab eo appellari, non, vt alijs in locis, quasi animal. Atq; hinc elucet, quàm rectè Theophrastus Præceptorē imitatus libro primo de Causis Plantarum scripserit, semina omnia plātarum, quasi oua quædam, aliquid in se alimenti in sui primordio continere, quo nutriantur, ac durare aliquandiù valeant; animalium verò semen, exceptis, quæ oua pariunt, protinus perire, vbi seorsum fuerit, quoniam huiusmodi careat alimento. His enim omnibus apertissimè docuit, animalium semina, antequam materiæ menstruisq; misceantur, fiatq; conceptio, non nutriri. Nec obstat huic sententiæ Aristoteles libro secundo de Animalium Ortu, dicens semina animalium nutritiuam habere animam, quasi viuere, & nutriri ea velit: siquidē eo loco & animā vult habere potētia non actu, vt declarat; & non nutriri, nisi iam separata, facta conceptione, actu hanc habeant facultatem trahentia cibum, & huius animæ opus efficientia; & seminis nomine conceptum ipsum intelligit: quod videlicet iam vtrunq; habet principium, vt primo libro declarauit; ex quò & τῷ σπέρματι τὸ κύημα adiungit.

Cap. 3. Cap. 20. Cap. 8. Cap. 18. Cap. 4. Cap. 4. Cap. 7. Cap. 3. Cap. 18.

Quędam tollitur ex Aristotelis dictis dubitatio. Plenius de ipsa effluxione tractatur. insignis aufertur ex Hippocrate contradictio.

Cap. 110.

CAeterum, vt ad propositum redeam, in loco nuper ex Aristotele citato notare interea debemus, ἀμβλῶσιν, idest abortum, vel magis propriè dixeris deperditionem, commune esse nomen ad ἔκρυσιν, & ἐκ-

ἐκτρωσμὸν; cùm ibi primum omnino dicat, videlicet effluxionem: quæ, vt ex Hippocrate, & Aristotele docuimus, ante septimum diem locum habet, ideſt ante conceptionem. quòd cùm Aretinus forraſſe cõſideraret in illius loci interpretatione; ſic meo quidem iudicio Aristotelis ſententiã diuinitus transtulit. Ad multitudinem nimiam euitandam anteuenire oportet, vt nõ concipiantur; nam poſtquam concepti sũt, & ſenſum, aut vitam acceperint, nefas eſt attingere eos. Vtrum verò Aristoteles, dũ tertio de Animalium Ortu ſcribit, quæ intra ſe pariunt animal, ijs quodammodo poſt primum conceptum ouiforme quiddã effici, humoremq; in membrana tenui cõtineri, perinde quaſi oui teſtam detraxeris; horumq; conceptuum deprauationes, quæ per id temporis accidunt, effluxiones vocari; concedat effluxionem fieri etiam poſt conceptionem, cùm iam poſt primum cõceptum membranam obductam eſſe dicat: quaſi propriè voluerit eſſe effluxionem, cùm humor quidam, etiam poſt factam cõceptionem, ſeminaliſq; materia in vtero adhuc exiſtit; eò quòd humoris proprium ſit effluere; non eſt difficile ex ſuperioribus decernere. Aristoteles .n. ita ſcribit Theodoro interprete. Quæ verò intra ſe pariunt animal, ijs quodammodo poſt primum conceptum ouiforme quiddam efficitur. humor enim in membrana tenui cõtinetur, perinde quaſi oui teſtam detraxeris. quamobrem deprauationes cõceptuum, quæ per id temporis accidunt, effluxus vocant. At græcum exemplar habet primo loco. τὸ σύστημα τὸ ἐξ ἀρχῆς. quod Theodorus primum conceptum interpretatur; ſecundo loco habet. τῶν κυημάτων φθορὰς. quod idem conceptuum deprauationes conuertit. quare nulla eſt ratio, vt ex his verbis effluxiones fieri concludamus poſt conceptionem: dictum enim ſupra eſt, τὸ κύημα propriè apud Aristotelem mixtionem primam materiæ & agentis ſignificare; quod pulchrè hìc ipſe τὸ σύστημα τὸ ἐξ ἀρχῆς, ideſt constitutionem, quæ fit à principio, videtur appellare; propterea non dicere conceptionem, ſed omnino conceptionem ipſam anteire: ideoq; conceptum largo modo eſſe intelligendum. atq; hoc eſt, quod ſupra dicebamus, Auicennam Aristotelis imitatione constitutionẽ à principio factam principium ipſum appellaſſe. Itaq; ſentẽtia erit, deprauationes conceptuum, quæ tunc fiunt, ideſt à constitutionis tempore, quæ à principio fit, vſq; ad tempus, in quo ouiformis iam efficitur ipſa cõſtitutio, vocari effluxiones. quo quidem loco, cùm dicat poſt constitutionem, quæ à principio fit, ouiforme hoc effici, ſatis apertè indicat, temporis eſſe quoddam inter hæc duo interſtitium. quæ omnia ſuperiorem ſententiam noſtram mirificè comprobant; illudq; præſertim vehementer, quod adiũgit Aristoteles; etiam cùm membrana obducta eſt, effluxionem locum habere: vt enim ſupra ex Hippocrate oſtendimus, ipſarum membranarum obductio cõceptionem non conſtituit, verùm principij primi ſecretio, ac eius nutritio; quare, ſi antequã principium ipſum actu ſecernatur, conceptus fiat deprauatio, effluxio erit non abortus. Dicit autem rectiſsimè ouiforme quoddam ſemen effici, quod & iam pridem ſeptimo Hiſtoriarum prodidit; quoniam ſeminis natura ouis proxima eſt, vt in calce primi de Animalium Ortu ab eo docemur; à Theophraſto libro primo de Plantarum Cauſis: qui Empedoclem id ipſum aſſerentem mirificè propterea laudarunt. quare nil mirum, ſi non ſolùm naturam, ſed formam quoq; oui in ipſa conformatione animalium vtrunq; admixtum ſemẽ æmulatur. fit enim procedente tempore ouiforme, vt inquit Aristoteles; videlicet cùm membrana obducitur chorion dicta; quoniam humor in ea continetur, perinde quaſi oui teſtam detraxeris; quod & ante Aristotelem in ſex dierum genitura notauit Hippocrates in libro de Natura Pueri verbis illis. Qualis autem erat ego referam. Velut ſi quis ouo crudo externam teſtam circum circa adimat; in interna verò membrana cõcluſus humor pelluceat. vt hinc videas quã rectè philoſophicæ veritatis Magiſtri inter ſe conſentiant. Pulchrè autem ſubiungit Aristoteles, deprauationes tunc temporis factas ἐκρύσεις vocari, ideſt effluxiones: cũ enim humoris proprium ſit effluere, vt ſupra dicebamus, quo tempore humor adhuc eſt quod geſtatur in vtero, rectiſsimè eius corruptio, ac deperditio effluxio vocatur. quo ſenſu Galenus primo libro de Semine primum ex quatuor temporibus, in quæ totam fœtus humani fabricam diuidit, & geſtationem, illud eſſe de mente Hippocratis ſtatuit, vt ſupra vidimus, in quo ſeminis ſpecies adhuc apparet, humoris ſcilicet ipſius natura. quo quidem tempore ſcribit, Hippocratem animalis conſtitutionem nondum fœtum, ſed genituram appellare; ex quò & in libro de Pueri Natura materiam, quæ ex ſaltante muliere excidit,

Cap. 9. Cap. 7. Cap. 7. Cap. 9.

dit, genituram non fœtum nuncupaſſe ani-
maduertit. quod ſi verum eſt, viderint alij,
Com. 14. quàm rectè Ferdinandus Mena ſuper libel-
lo de Partu Septimeſtri aduerſus Hippo-
cratis, Ariſtotelis, Galeni auctoritatẽ, ad-
uerſus ipſam experientiam negare audeat,
primis diebus in membrana lactis, genituræ
ſanguiniſq; ſpeciem apparere; cùm ſex die-
rum genitura (vt alia nunc omittam) ab
Hippocrate relata, facilè de ſuæ ſententiæ
falſitate illum admonere potuiſſet. Non
me tamen fugit, Budæum in Pandectas il-
lius eſſe ſententiæ, vt credat, effluxiones
ex Ariſtotelis ſententia poſt cõceptionem
locum habere, dicens ἐκρύσεις ab eo voca-
ri eas conceptus corruptiones, quæ intra
ſeptimum diem fiunt, abortiones verò,
ἐκτρώσμους, vſq; ad quadrageſimum vocita-
ri. quo etiam loco Cenſorinum adducit in
libro de Die Natali id ipſum confirmantẽ,
& aliam, cur hæ deperditiones dicantur ef-
» fluxus, cauſam afferentem. cuius hæc sũt
» verba. Hæc enim frequens Medicorum
» experientia præuidet: qui cùm multos a-
» nimaduerterent ſemẽ non retinere conce-
» ptum, compertum habuerunt, id quod in-
» tra ſex dies ſeptemuè eijciebatur, eſſe lac-
» teum, & vocari ἤκρυον, quod poſtea autẽ,
ſanguinem; idq; ἔκρωμος appellatur. Sed
interpretationem noſtram longè ad ve-
ritatem propenſiorem eſſe iudico. in quo
etiam Cenſorini loco non exigua huius ve-
ritatis, quam explicare profitemur, ſemina
apparent; cùm primi ſex ſeptemue ab e-
iaculatione ſeminis dies, initiales ab eo de
Pythagoræ mente appellentur; vtpotè in
quibus & gignendi fundamentum, item fũ-
damentum conceptionis abſoluatur. quæ
omnia perſpicuè monſtrãt, his diebus cõ-
ceptionẽ fieri, non factam eſſe Pythagoram
cognouiſſe. Cẽſorini autem hęc eſt ratio.
» Hi igitur dies 40. per ſeptem illos initia-
» les dies multiplicati, fiunt dies 280. ideſt
» hebdomades 40. Porrò autem & hinc cer-
nere licet, quo conſilio Hippocrates (quã-
quam Recentioribus nõnullis reclamanti-
bus, iniuriaq; illum calumniãtibus) in gra-
uiſsima re à ſe ipſo turpiſsimè non diſceſ-
ſerit; qui, cùm in Iureiurando ſanciuerit
ſumma pietate, grauidę mulieri abortiuum
medicamentum non eſſe propinandũ; libel-
lo tamen de Pueri Natura ſe cuidam famu-
læ conſuluiſſe ſcribit, vt ſaltibus abortum
tentaret. cùm enim dicat ibi Hippocrates,
genituram illam eiectam, ſex fuiſſe dierum;
perſpicuum eſt, ante diem ſeptimum, ſcili-
cet ante tempus, in quo fieri vt plurimum
conceptio ſolet, mulieri illi ſaltus diuinũ
Senem imperaſſe. Diximus enim ſuperius,
mulieres vt plurimum de illius ſententia
circa diem ſeptimum concipere ſolere; vt
is videatur communiſsimus conceptionis
limes in natura, & frequentior. Vnde pri-
mo libro de Morbis Mulierum ſcriptũ le-
gimus, genituram, quæ in vtero permanſe-
rit ad ſextum vſq;, ſeptimumq; diem, com-
putreſcere aliquando, & putrefactam exire;
vt rectiſsimè à nobis ſupra ex eodem Hip-
pocrate animaduerſum fuerit, diem ſepti-
mam de conceptione, vtrum facta fuerit,
vel non, non ſecus ac de ægroti cuiuſdam
morbo iudicare. quod tamen intelligen-
dum eſt præſertim euenire, vbi mulier nõ
eſt conceptura; quoniam illæ, quæ conce-
pturæ ſunt, poſſunt vltrà ſeptimum diem,
etiam ſi non conceperint, intra vterum cõ-
tinere genituram, eamq; ab omni labe, &
putredine immunem cõſeruare. Itaq; nul-
la diuerſitas, impietas nulla in Hippocra-
te animaduertitur; cùm, antequam vita
materiæ innaſceretur; & quod in idem re-
dit, ante diem ſeptimum, ſi communiſsi-
mus terminus, ac frequentior, vt par eſt,
attendatur, Ariſtotele teſte de abigendo
conceptu ætate illa, cui nondum Chri-
ſtiana lux apparuerat, liceret cogitare. Sed
difficillima oritur aduerſus hanc noſtram
explicationem dubitatio. ſupra enim à
nobis pro vero & conſtanti receptum eſt,
Hippocratiſq; probatum auctoritate; cùm
ſpiritum genitura recipit, cùm membra-
na obducitur, viuificari, & nutriri; demũ
cùm viuificatur genitura, & nutritur; tunc
factam eſſe conceptionem. quando enim
genitura ſpiritum attrahit, & emittit, ac
inflatur, membrana obtegi cenſuit Hippo-
crates, vt ſupra vidimus: at cùm obuolui-
tur membrana, cenſuit etiam animari, ac
viuificari; quod ſatis ſupra eſt oſtenſum.
Itaq; in ſex dierum genitura, quia mem-
brana eſſet obducta, iam & ſpiritus geni-
tus erat, viuificatuſq; fœtus, & animatus, iã
facta erat conceptio. quare & explicatio
noſtra prorſus nulla; & Hippocrates meri-
tò ſummæ impietatis crimine notatus; me-
ritò dictus à ſe ipſo omnino diſſentaneus.
Reſpondeo, ſi ea, quæ hac de re ſupra ex
eodem longius diſſeruimus, ad memoriam
reuocemus, facilem eſſe huius nodi diſſo-
lutionem. diximus autem, nutritionẽ pri-
mam, qua conceptum ſpiritum nutriri do-
cuit Hippocrates, non eſſe apud illum fœ-
tus nutritionem, non eſſe veram & viuen-
tis nutritionem; ideoq; ab eo ſpiritui etiã,

qui ex ardentibus lignis exit, impartitam. dixiмus non cum prioris, aliarumq; mem-
branarum obductione ipſam fieri ex eius
ſententia conceptionem; non genituram
ipſam animari tunc, & viuificari; ſed cùm
poſt ortum omnium membranarum princi-
pium primum, caro ſcilicet, & cor actu ſe-
cernitur; quod circa ſeptimam diem eue-
nire, Hippocratem, & Ariſtotelem exiſti-
maſſe adnotauimus. at in genitura iſta ſex
dierum primùm de vnius tantùm membra-
næ obductione mentio eſt; tametſi genitas
fuiſſe omnes rationi eſt conſentaneum: de-
inde (quod maximum eſt) de carnis ortu
nulla mentio; humorem enim tantùm ſe in
ea conſpexiſſe ſcribit Hippocrates, non
materiam carneam vllam: quare & nondum
factam conceptionem eſſe omnino intelli-
git; propterea adhuc γονὴν, nondum car-
nem, vel embryonem eam appellat. At è
contra in Opuſculo de Principijs, quia fa-
ctam iam eſſe conceptionem intelligebat;
eiectam materiam carneam eſſe ſcripſit, iam
iam articulationis notas præſeferentem;
quæ omnia explicationem noſtram mirifi-
cè comprobare, & quæ libro ſexto dicta
ſunt maximè confirmare, nemo eſt qui non
videat; itaq; & dubitatio nulla.

Gorrei nonnulla redarguuntur.

Cap. III.

Hinc Gorrei viri alioqui eruditiſsimi
insignis, meo quidem iudicio, error;
qui locum Hippocratis conuertens, ſex di-
es à conceptione diuinum Senem enume-
raſſe, arbitratur; ſic enim transfert ipſius
„ orationem. Ipſe equidem genituram vi-
„ di delapſam vtero ſex diebus, poſtquam
„ concepta eſſet. & paulò poſt. Talem qui-
„ dem ſex dierum ſpatio conceptam vidi.
cùm tamen in græco contextu nulla de cō-
ceptione ſit mentio, ſed tantùm, quòd ſex
diebus in vtero recepta genitura perman-
ſerit; vt à ſeminis iactu non ab ipſa conce-
ptione dies ſex omnino Hippocrates enu-
merauerit. ſcripſit enim ſic priore loco.
„ Καὶ μὴν ἓξ ἡμέρας μείνασαν ἐν τῇ γαστρὶ γονὴν, καὶ ἔξω
„ πεσοῦσαν αὐτὸς εἶδον. ideſt. Et genituram,
„ quæ ſex diebus in vtero permanſit, foraſq;
„ cecidit, ego vidi. ſecundo verò loco ſic.
„ τοιαύτην μὲν ἐγὼ εἶδον ἑκταίην οὖσαν τὴν γονὴν.
„ ideſt. Talem quidem ego vidi ſex dierum
„ exiſtentem genituram. quare de concep-
tione nullum verbum. ſuſceptionem enim,
retentionemq;, ac permanſionem genituræ
in vtero, à conceptione differre apud Hip-
pocratem, ſatis ſupra oſtendimus. qui ſa-
nè Gorræus & hoc alterum grauiter pec-
cauit; ſententiam enim alteram Hippocra-
tis illam, qua diuinè ipſe ait, in ſex dierum
genituræ medio ſe aliquid vidiſſe extare te-
nue, quod illi vmbilicus videbatur, quo
ſpirationem intro & extra efficere poſſet
genitura; videlicet cùm primùm huic ſpi-
rationi tempus naturæ lege neceſſariū ad-
uenerit; quod quidem eſſe, cùm actu cor
ſecernitur, ſupra diximus: Gorræus ſic ac-
cepit, vt iam factam eſſe ſexta die ſpiratio-
nem hanc Hippocrates ſcriberet; ſic enim
„ verba interpretatus eſt. In eius autem me-
„ dio extabat aliquid tenue, quod mihi vm-
„ bilicus eſſe videbatur; eoq; primùm ſpiri-
„ tum attraxiſſe, tùm reddidiſſe. At verò
„ Hippocrates ſic locutus eſt. Κἀκείνῳ τὴν πνο-
„ ὴν καὶ εἴσω καὶ ἔξω ποιέεσθαι τὸ πρῶτον. ideſt. eoq;
„ ſpirationē intro & extra primùm efficere,
ſcilicet ipſam genituram. quibus nō qui-
dem effeciſſe, vt Gorræus cenſuit, ſed ef-
ficere vmbilico ſpirationem, cùm ſcilicet
primò illi opus erit, poſſe, perſpicuè docet;
quod ſēſiſſe Hippocratē, aduerbium illud
τὸ πρῶτον, monſtrat euidenter. cùm enim
dicat, genituram ipſam efficere ſpirationē,
iam ipſam carnem, quæ, vt paulò poſt de-
clarat, mox gignenda eſt, hanc efficere ſpi-
rationem intelligit; ſiquidem de hac ipſa
„ dicit paulò poſt, δι᾽ οὗ πνέει, ideſt, per quē,
„ ſcilicet vmbilicum caro ſpirat. neq; enim
intelligit de ſpiritu, quem primò concipit
genitura, & de quo initio libelli diſſerue-
rat; quem falsò ſpirationem intro & extra
efficere dixiſſet; ſed de ipſa genitura, ac ma-
teria formandi animalis, quam ſex diebus,
quia caro nondum ſit effecta, iam attraxiſſe
ſpiritum, à veritate fuiſſet alienum affir-
mare. Hinc alter Gorræi, meo quidem iu-
dicio, error; tametſi patronum libello de
Fœtuum formatione Galenum habeat; qui,
cùm factam iam eſſe in ſex dierum genitu-
ra conceptionem exiſtimaret, verba Hip-
„ pocratis illa explicans. ὁκοῖον δὲ ἦν, ἐγὼ ἐρέω.
„ οἷον εἴ τις ᾠοῦ ὠμοῦ τὸ ἔξω λεπύριον περιέλοιεν, ἐν τῷ
„ ἔνδον ὑμένι τὸ ἔνδον ὑγρὸν διαφαίνοιτο. τρόπος μέν-
„ τις ἦν τοιοῦτος, ὡς εἰπεῖν. ἦν δὲ καὶ ἐρυθρὸν καὶ
„ στρογγύλον. ideſt, ex Cornario. Qualis au-
„ tem erat ego referam: velut ſi quis ouo cru-
„ do externam teſtam circumcirca adimat, in
„ interna verò pellicula incluſus liquor pel-
„ luceſcat. Modus quidem talis erat. & vt
„ abundè dicam, ruber erat liquor, & rotū-
„ dus. putauit, quod intra chorion rubrum
rotundumq; apparuiſſe notat Hippocrates,
hepar eſſe, indiſtinctum tamen adhuc, atqui
in-

Ann. 7. Cap. 3.

informe: quasi iam fœtus viueret, ac nutriretur. Sic enim scripsit. Quod hîc dicitur, intra chorion rotundum, rubrumq; visum esse, id hepar est indistinctum adhuc, atq; informe. generatur enim ex tribus vitæ nostræ principijs primum. Est autẽ generationis ratio eiusmodi. Quatuor illa vasa, quæ vmbilicum constituere diximus, protinus atq; infantis cutem subierũt, eorum alterum par coit statim, vnamq; magnam venam conficit: deinde rursus, non secus ac pleriq; trunci arborum, bifariam scinditur, atq; ab earum vtraq; parte germina multa, veluti quidam rami, exoriuntur; quorum illi, vbi iecur fieri debet, aperiuntur, illi in mesenterium, ventrem, lienem, & intestina abeunt. Ac pars quidem illa venæ, postquam ad iecoris sedem peruenit, sanguinem illic effundit, qui postea concrescens iecur est. Hæc ille; qui tamen animaduertere potuit, rubrum illud, quod apparere intra membranas scribit Hippocrates, nil esse aliud ex ipsius sententia, quàm sãguinem ex matre attractum ad formandam carnem, quæ verè animal constituit; videlicet cor primò ipsum, vt supra exposuimus, mox & reliquas partes. Cùm enim hæc genitura sex dierum esset, rectissimè die sexta in ea rubrum quoddam apparebat; nimirum quia, cùm genitæ iam essent posteriores etiam membranæ, diesq; septima iam iam aduentaret absoluẽdæ cõceptioni naturæ decreto dedicata; tempus instabat consumandæ conceptionis; quæ, vt declarauimus, in carnis ortu ex attracto intra membranas sanguine, & congelato verè consistit. neq; enim ferè ante dies sex sanguis vllus, vel rubrum aliquid apparet intra membranas, sed alba potius materia, & seminalis iuxta Hippocratis opinionem; nam & hoc est, quod supra, antequam historiam geniture sex dierum recitaret, perspicuè docuit his verbis ex Gorræi interpretatione. At verò genituram omnem concalefactam, flatuq; tumentem membrana exterius inuoluit, per quam tamen ad mediam vsq; genituram spiritus intro forasq; permeat, eaq; parte tenue quiddam membranæ supereminet. Est autem ijs in locis quàmminimum genituræ, reliqua verò rotunda in ipsa membrana continetur. quo ex loco discere potuisset Gorræus, rotundum illud, quod in sex dierum genitura apparuit, figuræ quidem ratione nobis non suadere, vt hepar, eiusq; figuram, tametsi adhuc indigestam, representaret (siquidem coloris rubri, & sanguinei ratione, cùm ipsum etiam cor vel Galeno teste ex sanguine oriatur; nulla erat maior coniectura, vt ex eo iecur quàm cor ipsum formaretur) etenim στρογγύλου, idest rotundi nomine intelligit Hippocrates, vt hæc ipsa docent verba, figuram mẽbranarum vniuersam, quæ ouum, rotundã q; ferè figuram exprimit, & imitatur; proinde ipsam genituram, antequam rubrum aliquid in ea appareat, rotundam in membrana scribit contineri. oui enim naturã & figuram semen imitari, cùm in animalium vteris paratur ad fœtus productionẽ, supra ex Hippocrate, & Aristotele docuimus. quare non intellexit Hippocrates, intra genituram, rotundam sanguineamq; aliquam partem hepar representantem, apparere; sed totam materiam sanguinem iam ipsum præseferentem, coloremq; sanguineum; nempe quia cõsumpta iam & in spiritum conuersa, euanescenteq; seminali, & alba, sanguis ex matre sexta die attractus esset, vel certè attrahi inciperet; rotundã intra membranas contineri. quo etiam loco, quod supra dicebamus, satis apertè cõfirmatur; videlicet cùm spiritum primò cõcipit genitura, haudquaquam dici posse, efficere ipsam ex Hippocratis sententia spirationem. quandoquidem hîc, vt videmus, non inquit spirare per vmbilicum vel carnem, vel genituram, quemadmodum cùm de altera spiratione loqueretur; sed τῷ πνεύματι δίοδον καὶ ἔξω καὶ ἔσω γινέσθαι, idest, spiritui genito intra genituram transitum extra, & intrò patere. Porrò ex superiori disputatione alterũ illud Gorræi reprobari palàm est, quod infra inquit, de formatione partium corporis disserens, explicansq; pulchrè, quo modo conferat se vnumquodq; ad sibi simile; ante integram infantis conformationem apparere carnem informem, bullas quasdam, internarumq; partium rudimenta instabili ordine, & sedibus continentem; quæ postea certo aliquo tempore vi spiritus in proprias sedes migrant: idq; eo loco Hippocratem manifestò significare; ex hisq; apparere, secretionem illam, distinctionemq; quæ spiritus ope efficitur, esse tùm seminis ipsius primùm, tùm partiũ postea, quæ iam partim sanguine, partim semine constitutæ sunt. cùm perspicuum sit ex Hippocratis sententia, vt satis superiora docuerunt, carnem illam informem statim conceptionis initio, simulq; cum ipsa articulatione, & cõformatione incipere, non ante integram infantis conformationem; quasi ante absolutam quidem, sed post

rudem conformationem apparere carnem illam Hippocrates censuerit. Item secretionem distinctionemq;, quæ spiritus ope efficitur, si de partibus infantis intelligamus, sanguinis quidem, & carnis esse, seminis nullo modo. Quod autem scribit Gortæus, hepar primò gigni debere, quam sit firmum, infra suo loco attingemus.

Aliorum quorundam interpretatio reijcitur. Hippocratis, Aristotelisq; sententia colligitur de conceptione. Item cur mulieres, quę diutius purgantur, diutius etiam concipiant, & è contra. locus quidã Hippocratis obscurus explicatur.

Cap. 112.

PORrò autem non me præterit (vt reuertar ad propositum) Recentiores nonnullos viros eruditissimos hanc tractantes difficultatem, ita Hippocratis verba explicare, vt, cùm saltus mulieri imperauit, cõceptionem quidem factam intelligendum esse velint, sed non tamen conceptum viuificatum, & animatum; atq; hoc sensu locum etiam Aristotelis esse accipiendum; nimirũ quia sententia sit Hippocratis libello de Genitura, quam mutuatus est Aristoteles libro septimo de Historia Animalium, fętum ante septimum diem nunquam animatum esse; vt hac de causa in Opusculo de Natura Pueri idem se mulieri consuluisse dicat, vt saltaret ante septimum à coitu diem; quo tempore fœtus nondum animatus erat, ideoq; illum licebat Veteribus corrumpere. Verùm si ea vera sunt, quæ disputauimus; si conceptio à susceptione seminis insigniter differt; si conceptio non datur sine vita (quæ omnia isti non videntur animaduertisse) longè satius esse, & ad pietatem propius, horum verba intelligere de tempore, quod conceptionem ipsam antecedit, nemo est qui non videat: vt prætercam, me in libello de Genitura nusquã hanc Hippocratis sententiã reperire, quòd ante septimum à cõceptione diem conceptus non animetur. Cęterum his ita disputatis (vt, quæ longius de conceptione disseruimus, paucis colligamus) omnibus arbitror esse compertissimum, à naturæ more non esse alienum, si in cõceptione quoq; aliquis appareat ordo: quin potius id cõuicti, iudicioq; coacti veritatis fateri illi cogentur, qui in reliquis omnibus vel leuissimis operationibus, quæ ad ortum, formationem, partumq; hominis spectant, sũmum naturam ordinem affectare, magnoq; persequi conatu animaduertent, quemadmodum purgationum post partum exẽplo supra Hippocratis auctoritate ostendebamus: vt nulla ratione dicendum sit, conceptionem ipsam, quæ inter huiusmodi operationes & maxima est, & prima, principijq; locum obtinet, casu progredi naturã voluisse: ita vt quoquo tempore, quoquo modo sors tulerit, tantum vis formatrix opus agere, perficiq; ingrediatur; & cùm vterum subierit genitura, seseq; menstruis admiscuerit, cęco casu in vitam hærere natura eam voluerit. At si ordinem vllum habere debet, nullus alius quàm, qui supra à nobis ex Hippocrate expositus est, vel fingentibus occurrit; quod quidem etiam ipsum significasse Hippocratem his in verbis, quæ suscepimus enarranda, satis nunc re perspecta cunctis erit manifestum. nam & hoc est quod inquit Senex sapiẽtissimus, vt supra exposuimus, mulieri ad concipiẽdum tempus mensis, in quo ipsi purgatio contingit, esse dandum; & hoc tempus, quibus breuissimum est, tres esse dies, plerisq; autem multò plures: & non esse possibile, in paucioribus diebus menstruorum fieri solutionem, & fœtuum conceptionem: hoc est quod subiungit, cùm hæc præmisisset, multa esse alia impedimenta etiam in viris, ex quibus conceptus retardatur. habemus enim ex his ex parte mulierum dictam ob causam conceptionem retardari; nẽpe quia vterus, postquam susceperit genituram, nõ antea concipiat embryonem, quàm dies respõdentes numero dierũ purgationis prę-terierint: hoc demum est, quod concludit, his positis necesse esse, plures mulieres circa plenilunium & vltrà concipere, quod infra fusius explicabimus. Iam verò his ita constitutis causa inuestiganda superest, quare hanc dierum proportionem inter purgationis tempus & cõceptionis natura seruet; ordinemq; hũc retineat, vt quę pluribus diebus purgatur, tardius etiam concipiat, totidem scilicet præteritis a seminis eiaculatione diebus: quæ paucioribus ocyus; diebus videlicet totidem transactis. hæc autem talis esse videtur; cùm enim in omnibus naturæ operibus ordo appareat, esseq; debeat; & conceptio fieri nequeat, nisi formatrix virtus menstruam materiam superet, saltem quantùm est generationis ratione: dumq; vis agens de victa certat, agit, & repatitur, tempore quodam opus sit, vt supra dicebamus, ac dierum quodam interuallo; rationi verò sit

Cap. 3.

con-

consentaneum, vt mulieres illæ, quæ pluribus diebus purgãtur, menstrua etiam copiosiora habeant, ac frigidiora; quæ paucioribus, menstrua pauciora, & calidiora; quod satis superq; in secundi, & tertij capitis enodatione explicatum fuit: cõgruẽti naturæ lege & ordine euenit, vt tardius etiam concipiant, quæ diutius purgantur; quasi de conceptu certare longiore tempore virtus conformatrix cogatur cum ipsis mẽstruis ob eorum copiam & frigiditatem. vnde si diebus septem, vel octo durat expurgatio, totidem ab eiaculatione seminis, & susceptione pugnabit agens cum materia; ac demum, si conceptura est mulier, obtinebit, & fiet conceptio. quorum verò purgatio breuior est, ocyor etiam erit conceptio; quia facilius menstrua ob eorum caliditatem, & copiam minorem ab agente virtute superentur. vt tandem naturæ lege ea esse proportio ex Hippocratis sentẽtia inter agens & materiam videatur, vt pari dierum internallo, quo purgatio fit, agens materiam superet, vel è contra superet. generatio enim & corruptio secundũ naturam in æquali tempore fieri amant, vt sexto libro abundè ostendimus: at conceptio generationi, effluxio corruptioni respondet. Nec veritatem hanc vel minimũ quidẽ turbat, quod in Opusculo de Natura Pueri scriptum legimus, supraq; attulimus, mulieres nonnullas post purgationes viris permixtas ad se se trahentes geniturã concipere eadem die, aut omnino in paucis; ita vt proportio illa, dierumq; ille ordo non seruetur, quem retulimus; nec perpetuò mulier tot præteritis concipiat diebus, quot sibi in ea adsciscit expurgatio: cùm eadem die, aut omnino in paucis eo loco conceptionem fieri manifestè doceat Hippocrates. Etenim respondemus, quod diximus de admirando horum dierum ordine, vt plurimùm in natura locum habere; & in illis mulieribus, quæ benè secundum naturam ad gignendum sunt affectæ: tametsi, vt in alijs naturæ operibus obtingit, aliter posiit interdum euenire: præsertim si mulier aut malè sit affecta, aut plures conspirauerint causæ conceptionẽ maturantes: quæ enim magna ex parte fiunt, ea maximè sunt secundum naturam, vt primo de Ortu Animalium docet Aristoteles, ac naturam quidem ipsam (& quod in idem redit) ipsum ordinem, quoniam ordo propria sit natura rerum, vt perbellè tertio de Cœlo idem admonuit, non in corruptis, sed in his, quæ magis se habent secundum naturam considerare oportet: vt aurea ipsius sententia est primo Politicorum explicata, sæpeq; à nobis in medium adducta. At Hippocratis sentẽtia ex libello de Natura Pueri allata, de mulieribus loquitur, quæ circa conceptionem decipiuntur; vt potè quibus vel non fluant menstrua, vel non ordinatè fluant: huiusmodi enim tales, cùm se concipere ante existiment vtero flatu tumescente, post purgationes statim ac virũ adeunt, quia magna facta sit euacuatio, vterusq; mirè dehiscat, proptereaq; summo concipiendi desiderio teneatur, vel eadem die, vel in paucis conceptionem absoluunt. itaq; sermo est eo loco de malè affectis mulieribus, quæ idcircò statum ordinem nequeunt retinere. Demum dicimus, totum id, quod de conceptionis ordine disputamus, ea lege intelligendum esse, qua omnia ad parturitionis negocium pertinẽtia intelligenda esse septimo Historiarum grauiter à præceptore Hippocrate edoctus admonuit Aristoteles; nempè exactũ, exquisitum illud, perpetuoq; sibi constans in his non esse requirendum, sed plerunq; differre secundum magis & minus; adeo vt paulò interdum pluribus, vel paulò paucioribus diebus, quàm perfectus naturæ ordo exposcat, pro mẽstruorum dispositione, ac mulieris tẽperamẽto cõceptio alijs concurrẽtibus fieri queat; quod conceptionis tempus aliquanto incertius reddere potest. Nã & hoc est, quod libello de Natura Pueri dicebat Hippocrates, de articulationis termino agens, atq; hoc vno reliquorũ nos commonefaciens; vt plurimum eo tempore, aut paulò breuiore, aut paulò longiore eam fieri. vt omnino figmentum Astrologorum illud putandum sit, quemadmodũ decimus liber demonstrabit, quod ex Hermetis regula de conceptionis hora inuenienda docere profitentur; arbitrantes, cùm semen cadit in matricẽ ipsam fieri conceptionem. Quòd si vir vel fœcundam minus, vel nõ adeò robustam habuerit genituram; sed quæ vel quantitate peccet, vel qualitate; tunc ipsius quoq; ratione poterit interturbari ordo, conceptioq; retardari. quod egregiè significauit Hippocrates hoc loco, quem explicamus, scribens multa esse in viris etiam impedimenta, ex quibus conceptio tardior redditur: siquidẽ huiusmodi genitura tanquam imbecilla plures dies requiret ad menses superandos. sicuti & si contrario modo disposita fuerit, præproperam reddere conceptionem poterit. Nec huic nostræ positioni aliquis objiciat, si per

Cap. 19.

Tex. 24.

Cap. 3.

Cap. 3.

dies septẽ, vel paulò plures, vel paulò pauciores, demum si per dies tempori expurgationis æquales in vtero genitura commoratur, antequàm conceptio fiat; vel periculum esse, ne putrescat; vel saltem venarum ora, quæ in vterum desinunt, & aperta erant, in tanto temporis spatio claudi oportere; vt, quia desinẽtibus, vel incipientibus menstruis tantùm fieri posse conceptionem Hippocrates (quod paulò infra monstrabimus) simul cum Aristotele docuerit, scilicet quo tempore venarum ora non sunt clausa; hac de causa deficiente genituræ alimento, nulla deinceps fieri cõceptio, aut sequi posśit fœtus generatio. etenim respondemus ad primam difficultatẽ, cùm geniturę locus, quatenus ad formationẽ animalis operatur, vterus existat; locus verò locatũ cõseruet, & perficiat; nullã esse causam, vt timeamus, genituram in vtero putrescere; dum tamen ad formandum animal se parat, qua de re supra etiam nonnulla diximus. Secundam difficultatem ex eo tollimus, quòd vterus tùm mẽstruo sanguine non multò ante dilutus (quæ potissima Aristoteli causa est, ne sine menstruorũ concursu conceptio fiat, atq; vt ipsis vel desinentibus tantùm fiat, vel incipientibus, quemadmodum paulò post ex ipso aperiã) tùm ob coitum, tùm demum ob receptam genituram calefactus, non permittit venarum ora claudi. Si enim, vt ex Aristotelis sententia infra dicam, vterus ob solum coitum calefactus, etiam si menstruo sanguine nõ sit dilutus, sua natura humorem trahit, venarumq; poros, ac ora cogit aperiri; lõgè facilius efficere poterit hac cõcurrẽte alia causa, mẽstrui scilicet sãguinis perfusione, ne claudantur iam aperta. quare neq; nouum deerit alimentum, nec formatio eius defectu impedietur. Cæterum satis modò quanto tempore conceptio ex naturæ decreto absoluatur, & quo ordine; quæ res vti fortasse temporibus nostris inaudita; cùm à nullo, quòd viderim, animaduersa fuerit; ex Hippocratis, & Aristotelis dictis excerpta, minus illis ad veritatem propensior videri poterit, qui nil nisi tritum, & obsoletum, lippisq;, & tonsoribus notum admittere volunt. Nunc an ante menstrua purgamenta, vel post conceptio fiat, videndum est; quo cognito, qua etiam mẽsis parte efficiatur, commodius cognoscetur.

Vtrum ante menstrua purgamẽta, vel post conceptio fiat. Hippocratis, & Galeni mens explicatur. Defenditur Hippocrates à nõnullis Recẽtioribus. quędam ipsius conciliãtur loca, quę pugnare videntur. Cappiuacceus redarguitur.

Cap. 113.

DIcimus igitur, cùm tota mulierum expurgatio in tria tempora (quod superius etiam tetigimus) diuidatur, vt Hippocrati placuit, & Galeno; videlicet cùm fluere menstrua incipiunt; cùm in impetu fluxus sunt, quod tẽpus, vt expositum est, dies intermedios vocasse Hippocrates videtur; demum cùm desinunt, ac iam iam ferè quiescunt: primo ac vltimo tempore, videlicet incipientibus tantùm & quiescentibus illis mulieres concipere posse naturaliter. quod Galenus in extremo Opusculo de Vuluę Dissectione elegãter his verbis notatum reliquit. Vasa, inquit, vuluę, quæ in interiorem partem penetrant; ex quibus etiam menses expurgantur; cùm fęmina conceptura est, ora aperiunt. conceptionis verò tempus est vel incipientibus, vel cessantibus menstruis. Quamuis enim reliquo etiam alio toto expurgationis tẽpore aperta ora hæc sint, non tamen tunc concipere mulier vllo modo potest; cùm semen nequeat in vulua remanere, sed ab influentis sanguinis copia eluatur. At cessantibus, vel incipientibus menstruis & ora aperta sunt, & menstruum non multum, neq; vniuersum, sed paucũ, & paulatim effluit quasi ex humiditate quadam sanguinea exsudante. Vnde efficitur vt ob asperitatem vuluæ semen adhæreat, satisq; alimẽti ex sanguinis confluentis paucitate habeat. Ante enim quàm menses veniant cõceptus fieri propterea non valet, quia & alimento caret semen, & adhærentiam nullã inuenit. nam cùm eo tempore occlusis vasis leuis vulua relinquatur, defluit, neq; vniri cum tunica eius potest. aspera siquidem magis idonea sunt quàm lęuia ad coalescendum. Hæc ille; ex cuius disputatione Hippocraticæ illius sententiæ veritas enitescit, qua primo libro de Mulierũ Morbis consulebat, mulieres, vt conciperent, viros adire oportere incipientibus mensibus, vel desinentibus. qui locus adeò nõnullos Recentiores torsit, vt scripturam esse corruptam existimauerint; tùm quia Veterum omnium constans fuisse opinio videatur, minimè vnquam menstruata muliere

liere vtendum esse: quòd vel leprosi fiant fœtus, vt Arabum multi perhibēt, vel prauis alijs morbis afficiantur; tùm quia sibi ipsi videatur Hippocrates aduersari, consulens modò incipientibus, modò desinētibus menstruis mulieri virū esse adeundū. quæ varietas, & inconstantia cernitur etiam paulò infra obseruata; vbi non solùm concūbendum vel incipientibus, vel desinentibus, sed etiam finitis consulit. quo rursus loco mira in eo mobilitas mētis apparet; cùm primis verbis optimum esse dicat, si mulier menstruis desinentibus ad virum accedat, & adhuc euntibus magis, quā vbi disparuerunt; in altero verò loco optimum esse, vbi quieuerint. Siquidem hæc omnia ex Galeni disputatione facilè enodantur; ex qua latissimè patet, incipientibus mensibus, vel desinētibus ideo esse cōcumbendum, quia conceptio fieri nequit, nisi vuluæ vasa aperta sint, ac nisi sanguis confluat in eam moderatus; demū nisi vulua asperitatem retineat quandam: quæ omnia per ea solùm tempora locum in ipsa habent. Nam menstruis incipientibus ora aperiuntur, desinentibus adhuc aperta sunt; ex quò & genituræ alimentum non deficit: atq; incipientibus desinētibusq; menstruis non multus sanguis, neq; vniuersus defluit, vt vel eluatur ab influentis sanguinis copia ipsa genitura, vel obruatur. demum orarum apertione vulua asperitatem habet vtroq; tempore. Itaq; mirificè rationi consentanea Hippocratis sententia esse videtur, ac sibi omnino consentiens. qui profectò primo loco scribens, desinentibus menstruis optimum esse tempus virum adeundi; ne quis intelligeret, cùm iam penitus disparuerunt accedendum esse; ita vt vasorum ora iam occlusa sint; rectissimè addidit se ipsum explicans, cùm desierint quidem optimum esse tempus, verùm non cùm penitus disparuerunt, sed cùm adhuc fluunt paulatim. ex quò & secundo loco, cùm dicit, optimum esse tempus, vbi quieuerint; non intelligit aliud tempus ab eo, quod paulò supra voce illa, λήγοντων, significauit; ita vt non desinentibus, videlicet cùm iam in fine sunt, sed eunt adhuc paululum, at quietis penitus intellexerit: verùm, cùm proposuisset duo tempora, alterum cùm incipiunt, alterum cùm desinunt menstrua; postremum hoc optimum esse docere voluit; quæ supra desinētia menstrua dixit, quiescentia appellans: nimirum quia fluxus impetus iam quieuerit (quem sanè impetum Veteres maximè propriè purgationum tempus dicere consueuisse, supra animaduertimus) paucusq; tùm sanguis effluat, & paulatim quasi ex humiditate quadam sanguinea exsudante, vt rectissimè Galenus animaduertit. Cappiuacceus libro quarto de Affectibus Vteri hanc Hippocratis sententiam sic videtur accipere, vt per tempus menstruorum incipientium ipsam mulierū ætatem, in qua illis menstrua primùm appareant, cùm antea non existerent, intelligendum esse velit: per tempus desinentiū mēstruorum eam mensis partem, in qua cessarunt. sic enim scribit. Oritur autem difficultas, quia Hippocrates libro de Natura Pueri videtur asserere, tempus eiaculationis esse, vel incipientibus, vel cessantibus mensibus, non autem tempore mensium. Rationem insinuasse videtur Galenus capite vltimo libri de Dissectione Vuluæ; nam dum menses fluunt, facilè fieri potest, vt sanguine mēstruo semen contaminetur. At videtur eadem esse ratio, dum menses incipiunt fluere; quia tunc natura insurgit ad expellendum in vterum sanguinem tempore vnius mensis collectum; quòd si tùm fiat seminis eiaculatio, obruitur à sanguine. Crediderim ego, Hippocratem ita esse intelligendum; conceptioni fœminam non esse idoneam, nisi menses fluere incipiant; nam cui menses nunquam fluxere, concipere nequit, quia non potest semen adhærere. Quare expectandum donec in fœmina appareant menses; & si inceperint, & ea etiā vice rursus cessarunt, vti licet coniunctione gratia conceptionis; tūc enim ratione inæqualitatis, quæ in orificijs vasorum reperitur illicò post menses, semen facilius adhęret. Hæc ille; qui dicens fœminam, cui nūquam menses fluxere, conceptioni non esse idoneam; non quidem de menstruo spatio, sed de ipsa mulieris ætate, in qua primò menstrua incipiunt apparere, videtur intelligere. Sed certè Hippocrates de ipsa tùm apparitione, tùm desitione mēstruorum in ipso mense verba fecit, vt supra Galeni testimonio explicauimus: si enim annos, ætatemq; in qua incipiunt menstrua, intelligamus; cur & in defectu ad mensem confugimus? debemus enim necessariò ętatem pariter, in qua desinunt menses, intelligere. Pręterea ratio à Cappiuacceo allata, facilè vel ex eo Galeni loco diluitur, quem adducit. cùm enim incipiunt menstrua, fluens sanguis, quia paucus est, nō potest semen obruere; & tantus tamen est, quemadmodum docuit Aristoteles, vt possit gignendo fœtui pro materia esse satis.

Cap. 5.

neq; enim, quia natura inſurgat ad expellendum in vterum ſanguinem, & cùm expellit, id cauſæ eſt, vt ſemen obruatur; ſed quia expellit multum, & cùm multum expellit: ſuffocat enim præ nimietate tunc ipſum ſemen.

Demonſtratur Ariſtotelem eandem cum Hippocrate habuiſſe opinionem. locus ipſius quidam enarratur.

Cap. 114.

Cap. 2.

HAnc profectò ſententiam libenter Ariſtoteles ſeptimo Hiſtoriarum amplexatus eſt, ſcribens poſt menſtruorum ἀπαλλαγὴν mulieres naturaliter concipere: ἀπαλλαγὴν; vt arbitror, vocans exitum, diſceſſumq; menſium; vt tempus, in quo impetu fluxus remiſſo iam iam deſinunt, demore ſignificaret. quo ſenſu primo de Animalium Ortu ſcriptum rurſus reliquit,

Cap. 19.

vt menſtruorum ad ortum cõcurſus neceſſitatem oſtenderet, cùm menſtrua nulla mulieri fluunt; item cùm fluunt magna copia, concipere ipſam non poſſe; verùm poſt purgationem. quo loco purgationem ipſam non omnimodam menſtruorum diſpàritionem, ſed fluxus impetum certum eſt Ariſtotelem intellexiſſe; ex quò & ſubdit, primo modo materiam deeſſe, & nutrimẽtum; cùm ſcilicet penitus deficit, ex quo conſtituat genituræ facultas animal: ſecũdo modo nimia copia elùi geniturã, & obrui; concludens propterea, cùm multũ quidem effluxerit, ſed adhuc effluit, tamen nõ tantum, vt ſemen elabatur, tunc mulierem concipere: quod ſanè tempus, vt optimum eſſe doceret Hippocrati conſentiens, naturaliſsimum eſſe addidit mulieri ad concipiendum. qui rurſus eiuſdem operis ſecũdo

Cap. 4.

hanc eandem rem tractans, eam his omnibus cauſam addidit pulcherrimam, de qua ſupra dicebamus; cur deſinente menſtruorum fluxu conceptio fiat: quæ etiam & ijſdem incipientibus habere locum poteſt. Ariſtotelis verba hæc ſunt, nonnullis immutatis, quæ in Theodori interpretatione non ſatisfaciunt. Profuſio autem non intus fit, vt quidam volunt: os enim vteri anguſtum eſt; ſed ante, quò fœmina mittit vaporem illum nonnullarum recrementum. eodèmq; mas etiam emittit, quod fuderit. atq; interdum quidem ibi manet eodẽ modo ſe habens: interdum verò intus trahitur, ſi contigerit vterum benè eſſe diſpoſitum, & calidum eſſe ob purgationem. cuius rei indicium, quòd, quæ antea apponebantur humida, ſicca retrahuntur. Pręterea animalibus, quorum præcordijs vulua iungitur, vt auibus, & piſcibus, quæ animal pariunt, ne ſemen illuc trahatur, ſed profuſum deueniat ipſum, impoſsibile eſt. Trahit autem genituram locus ob calorem, qui iam illi ineſt: ac deceſsio menſtruorũ, & collectio in huiuſmodi parte calorem excitat. quamobrem vt vaſa non illita calido diluta humore aquã ore inuerſo ad ſe trahunt, ita & in vtero contingit. Hæc igitur diuinè Ariſtoteles; quibus nos docet tria maximi momenti, vel penitus à Theodoro prætermiſſa, vel non ſatis explicata. Primũ eſt, genituram eo loco, quo profunditur, niſi trahatur intus, eodem modo permanere, ideſt non immutari; quia in vtero tantùm alterationem, mutationemq; illius fieri contingat: habet enim gręcum exẽplar. τοῦτον ἔχοντα τὸν τρόπον. quod Theodorus non conuertit. Secundum eſt; genituram intus tunc trahi, cùm vterus benè fuerit diſpoſitus, & præterea calidus ob purgationem: ſiquidem græcum exemplar habet. καὶ θερμὴ διὰ τὴν κάθαρσιν ἡ ὑστέρα. quam ſanè vocem cũ totius ſentẽtiæ ruina Theodorus prætermiſit. ſi enim trahenda eſt intus genitura, debet vterus eſſe aptus, ac diſpoſitus ſua natura ad illam recipiendam, cęteroqui trahi non poterit; quod primo loco explicat Ariſtoteles. item debet eſſe calidus, ideſt ſolito calidior, quoniam caloris munus eſt attrahere. fit autem talis ob purgationem, quod ſecundo loco Philoſophus docet; quodq; cùm Theodorus non intelligeret, vocem illam, διὰ τὴν κάθαρσιν, putauit ocioſam. quamuis enim vterus proprio calore calidus ſit, proprius tamen nõ eſt ſatis; alioqui ſemper trahere poſſet. Itaq;, cùm purgatur mulier, quia non ſecus ac vaſa humore calido, ſic vterus calido ſanguine diluitur, ac perfunditur; idcircò ob purgationem calidior efficitur; proindeq; ad attrahendam genituram redditur aptus. quòd enim & caloris beneficio vterus genituram trahat, & calorem hunc ob ipſam purgationem acquirat, ſtatim ſequentibus verbis clarius explicat Ariſtoteles, ita ſubiungens. Trahit autem geniturам locus ob calorem & c. his enim declarat, quid voluerit, cùm paulò ſupra dixerit, vterum trahere, ſi calidus fuerit ob purgationem. quod & tertium eſt hoc loco nobis animaduertẽdum tanquã à Theodoro partim confuſum, partim etiam prætermiſſum: ipſe enim ſic conuertit. Trahit genituram hic locus ſuo calore; men-

ſtruorum etiam deceſsio, & confluuium fomitem in ea parte caloris parat. Verùm Ariſtoteles nõ dixit ſuo calore vterum trahere: ita enim eum non acquireret à ſanguine confluente, nec purgatio eſſet neceſſaria: ſed dixit. διὰ τὴν θερμότητα τὴν ὑπάρχουσαν. ſcilicet ad verbum. ob calorem inexiſtentem. inexiſtere autem intellexit ob iã factam purgationem; idcircòq; ſtatim ſubdidit, vt id magis declararet. ac deceſsio menſtruorum & collectio &c. itaq; non calorẽ vteri proprium eſſe voluit, ſed acquiſitum ob confluxum menſtruorum. quare aut non rectè, aut non apertè Theodorus Ariſtotelicæ orationis ſenſum, ſuo calore, transferens expreſsit. Præterea non adiũgit Philoſophus mẽſtruorum deceſsionem caloris fomitem parare; quaſi hunc fomitẽ nouum eſſe calorem à noua cauſa genitum, ſcilicet ab ipſa deceſsione, exiſtimet, atq; alium ab eo, quem inexiſtere iam dixit; ſed, vt perſpicuum fit græca contemplantibus, illa addit, vt caloris, quem dixit inexiſtere, cauſam aperiat: at verò Theodorus verba à prioribus omnino ſeiungit. quæ profectò caloris cauſa cùm duplex ſit, videlicet nõ ſolùm deceſsio menſtruorum, qua vterus ſanguine perfunditur, ac diluitur, vt vas calido humore; ſed ipſa præterea ſanguinis permanſio in vtero & collectio; cùm aliquantum confluentis ſanguinis per expurgationem in eo remaneat, qui mox materia gignendo fętui efficitur: propterea Ariſtoteles non ſolùm ἔκκρισιν appoſuit, ideſt effluxum, & deceſsionem; ſed addidit, καὶ συνάθροισιν, ideſt collectionẽ. quã vocem minus fortaſſe ad rem confluuium Theodorus interpretatur; cùm confluere quidem ſanguis poſsit, ſed non tamen neceſſariò coaceruari, & in vtero permanere: nam & omnis confluit ad vterum ſanguis, quo mulier ſe perpurgat, ſed non omnis tamen in vtero colligitur, & permanet. ſi enim colligatur ac permaneat, incaleſcit, vterumq; reddit propterea calidiorem, proindeq; aptiorem ad attrahendum; vt ſi tũc cum viro mulier coniungatur, facillimè concipiat.

Superiora clarius enarrantur. Quædam tollitur ex Auctorum dictis contrarietas.

Cap. 115.

VErùm his ita expoſitis, incipientibus menſtruis, vel definentibus conceptionem fieri poſſe, alijs temporibus nequaquam, quod ſuperius dicebamus, aut difficillimè, hinc etiam fit manifeſtum: his enim tantùm temporibus, ideſt cùm incipiunt menſtrua, vterus ſanguine quaſi vas calido humore diluitur; item & aliqua ſanguinis pars in eo colligitur. quare & calorem concipit vterus, & eo concepto ad genituram intus attrahendam aptiſsimus redditur; atq; hoc idem definentibus illis longè commodius efficitur, ac melius: vt iam quo modo ad conceptionem expurgatio ſit neceſſaria, pulchrè, & ſubtiliter ab Ariſtotele videamus explicatum. Diximus autẽ difficillimè alijs temporibus fieri cõceptionem, quoniam alijs etiam temporibus, ſcilicet ante menſtruorum apparitionem, & poſt etiam quam quieuerint, arbitrantur nonnulli mulierem poſſe concipere. quod tertio de Animalium Ortu videtur voluiſſe Ariſtoteles ita ſcribens. Cuius rei cauſa eſt, quòd, vt in mulieribus coitu maris detrahitur menſium excremẽtum (trahit enim humorem vterus tepefactus, & meatus aperiuntur) ſic in omnibus euenit. his enim, ſolo calore, quem coitus agitatione, corporumq; ipſa concuſſatione vterus concipit, attractionem fieri, concedere videtur; & quod magis eſt, meatus, per quos ſanguis menſtruus in vterum fertur, aperiri; vt ſic & ſemen maris vterum attrahere poſſe nulla facta purgatione, & ſimul materiam velle videatur. quod tamen an verè hîc ſentiat Ariſtoteles, alio loco diſputabimus; illud interea adnotantes, Philoſophum his verbis aſſerere, coitu maris concitari, deduci, trahiq; ex muliere mẽſtrua, cùm antea non extarent; atq; hoc eſſe quod inquit, attractione vteri meatus aperiri: nõ quidem quaſi conceptione facta ſiſti, vt in prægnantibus contingit; quibus auferri detrahiq; menſtrua videmus: vt propterea exiſtimem Theodorum obſcurius, ne minus propriè dicam, detrahi in mulieribus coitu maris menſtrua, verbum, κατασπᾶν, eſſe interpretatum. Hæc igitur Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni ſententia eſt; nec propterea reliqui omnes, qui ſcripſerunt menſtruata muliere nequaquam eſſe vtendum, à tantis Præceptoribus deſciuerunt; ſiquidem hi cùm impetus fluxus viget, quo tempore iam ſanguis ex vulua exit, vel abundantior exit; non eſſe ea vtẽdum intellexerunt; non cùm incipiunt, vel iam deficiunt; quo tempore foras non apparet, vel certè paucisſimus apparet. Tempus autem hoc poſtremum virum adeundi optimum eſſe Ariſtoteles, ac ante illum Hippocrates tradiderunt; quoniam, cùm incipiunt,

Cap. 1.

piunt, maius periculum est, ne vel copia superuenientis mox sanguinis semen eluatur, vel obruatur; vel fœtus, si facta conceptio est, aliquam recipiat ob materiæ redundantiam læsionem: præsertim cùm in menstruo sanguine humoris inutilis plurimum contineatur, vt secundo de Animalium Ortu docet Aristoteles; (*Cap. 4.*) vt propterea longè sit difficilius incipientibus mẽsibus fieri conceptionem. quod totum contuẽs diuinus Senex ad finem Opusculi de Octomestri Partu notatũ reliquit, plurimis mulieribus necessarium esse concipere post menstrua purgamenta; plurimis dicens, quia & aliquæ quidem incipientibus illis concipere queunt, verùm lõgè plures post illa; videlicet illis deficientibus ob causã iam expositam. quam sententiam in Opusculo de Pueri Natura secutus est ita scribẽs. » Quare si quidem euacuatur à sanguine mulier, in ventre concipit; si verò repleta fuerit, non. Nam vacuis vteris, & venis à sanguine factis mulieres in se fœtus concipiunt: etenim post menstrui sanguinis purgationem mulieres in ventre concipiunt. Nec tamen dissentit Hippocrates à superioribus, cùm dicit, mulierem, si sãguine repleta fuerit, non concipere; quasi incipientibus menstruis, quo tempore repletur, fieri non posse conceptionem velit: siquidem intelligit id euenire, cùm iam repleta est; cùm scilicet plenius abundantiusq; menstrua fluunt, &, vt clarius dicam, tempore intermedio; in quo venæ omnino repletæ conceptionem fieri non permittũt. de qua re & in libris de Mulierum Morbis, & de Sterilibus plura habes animaduertenda, quæ consultò nunc prætereo. atq; hinc euenit, vt tempus optimum, & commodius sit post menstrua purgamenta, videlicet cũ pauci iam fluunt menses. quod Hippocrates primo de Mulierum Morbis his verbis significauit. » Et rursus ad virum accedat cùm menses non amplius multi, sed pauci, & benè colorati fuerint, & ad libidinem incitatur. (*Cap. 2.*) Propterea Galenus primo libro de Semine, cùm modò cessarunt menstrua, notauit maximè genituram vteros concipere; intellexit enim mulierem, cùm iam in fine expurgationis est, adeò vt ora vasorum nõdum sint occlusa, confestim virum adire oportere. quo sensu in libro de Superfœtatione scripsit Hippocrates, si marem generare volumus, mensibus desinentibus, aut defectis esse concumbendum; si fœminam, cùm plurimi menses prodierint mulieri, & dum adhuc eunt: defectis nanq; statim menstruis intelligit, ita vt vasorum ora adhuc aperta sint; quo tempore formatrix virtus materiam facilius superare potest, cùm copia non excedat. ex quò & si plures exeant, fœminam gigni rectissimè addit; quia ob menstruorum quantitatem superatur virtus quantum est sexus ratione, non superat; ideoq; fœmina oritur. Nec intelligẽdum, cùm fluxus viget impetus Hippocratem loqui, quo tempore ob dictas causas, vel non fit, vel difficulter fit conceptio (siquidem subdit. » & dum adhuc eunt) sed cùm abundanter quidem adhuc eunt, impetu tamen paululum remisso. quòd si de illo tempore placet intelligere; putandum est Hippocratis fuisse mentem, vel tunc non fieri conceptionem, vel si fit, fœminam concipi ob nimiam menstruorum abundantiam.

Recentiorum quorundam recitatur sententia, & confutatur.

Cap. 116.

HAec igitur de conceptionis tempore ex Hippocratis, Aristotelis, Galeniq; sententia. scio tamen doctissimos quosdam huius ætatis viros, (*Cost. de hũo con. for. c. 8. & 12.*) qui fortasse postremi huic quæstioni manus admouerũt; cùm dixissent, Veterum esse opinionem, quia vteri os nunquam nisi in mẽstrua purgatione reseretur, propterea purgationis solùm tempore fieri conceptum; neq; tamen eo toto, sed cùm purgatio incipit, vel desinit: tunc enim & parum quid sanguinis, & paulatim exsudare, idq; vteri sinui suaptè natura lęui, inducere asperitatem, quam Galenus cẽsuit ad retinẽdũ semẽ esse necessariã; prætereaq; ipsummet semen enutrire, quod alioqui in medio expurgationis tempore à sanguine multo, & confertim irruente diluitur; ideo mulieres, quæ menstruis carent, ad concipiendum omnium consensu esse inutiles. Item cùm aduersus hæc omnia pulchrè dubitassent; primò, quòd, etsi vteri os, quo semen excipiat, apertum esse oportet; quòd aiunt tamen, nunquam nisi vterinæ purgationis tempore, neq; alijs quàm ijs, quæ illam pati solent, aperiri vterum, redarguat quotidiana obseruatio: qua docemur, & conceptum multo etiam tempore fieri à purgatione, & concepisse illas, quæ nũquam vel ante, vel postea fuerunt expurgatæ. quod non dissimulauit Aristoteles, qui septimo Historiarum, (*Cap. 9.*) quæ menstruis carent, magna quidem ex parte steriles esse ait; fieri tamen posse, vt aliquę

sine

sine illa excretione concipiant: vt propterea, sicut ijs, quæ nunquam purgantur, cùm concipiunt, aperiri vteri os fatendum est; ita & probabile sit, omni tempore in venereo congressu vterum seminis auidissimũ posse recludi; qui etiam in prægnantibus ob voluptatem aperitur, quando fit superfœtatio. Secundò, quòd nullius sint momenti, quæ afferuntur ad probandum, tàm necessariam ad conceptum facere sanguinis illius menstrui præsentiam, vt non alio tempore, quàm quo is mouetur, conceptus fiat; eò quia, quod dicunt vteri sinum lęuem exasperari oportere, vt semen adhærere valeat, non effluat; item nutrimento semini esse opus, quod sanguis ille præbet; hoc verè nihil sit: cùm semen substantia lentum facillimè sui natura agglutinari illi sinui possit; humor verò ille, quẽ in concubitu effundere mulieres solẽt, quẽ semen vocant, medicorum testimonio ad viri semen nutriendum pertineat, ad hunc vsum tantò sanguine opportunior, quantò est aptior ob similitudinem, quam maiorẽ habet semen cum semine, quàm cum sanguine; tùm ob substantiã concoctione magis elaboratam, & sorditiei expertem, cuius multæ menstruus ille sanguis est particeps. Tertiò demum, quòd nemo sit, qui non videat, conceptum in benè expurgato vtero potius fieri, quàm in coinquinato; vt propterea dixerit Galenus primo libro de Semine, conceptum maximè fieri, postquã nuper cessarunt menstrua. Cùm, inquam, hæc Veterum huic decreto subtiliter obiecissent, sic rem postea pro veritate definiere. Exploratissimum esse, conceptus alijs etiam extra vterinas purgationes temporibus fieri; & concepisse aliquas, quæ id excretionis genus nunquam sunt passæ; hisq; firmiter refelli id, quod Veteres absolutè pronunciant, menstruo sanguine esse opus ad conceptum. Hæc illi; Sed nos Veterũ placita libentius retinemus; cùm hæc omnia, tametsi subtiliter & pulchrè disputata, cogere tamen nullo modo videantur. nam primùm in eo, quod primo loco ex Galeni libello de Vuluæ Dissectione in medio ponunt, ingens fortasse latet æquiuocatio; Galenus enim de venarum in vterum desinentium oris, quæ accetabula dicuntur, deq; illarum apertione loquitur, non de vteri ore; atq; nisi hæc ipsa ora aperiantur, fieri posse conceptionem negat; aperiri verò eo tantùm tempore, quo mẽstrua commouentur. at hi Galeni verba ad vteri os referre videntur, de qua re nullum ibi (quod meminerim) verbum. quòd enim vteri os nunquam nisi vterinæ purgationis tempore aperiatur, certè loco memorato Galenus non dicit; neq; dixere ante illum Hippocrates, & Aristoteles. quin potius vteri os post factam tantùm conceptionem exactè concludi alibi Galenus dicens, ita vt nec specilli mucronem tunc recipiat; se potius existimare monstrat, alijs temporibus ita apertum permanere, vt facilè possit semen attrahere. atq; de Aristotele constat, ipsum septimo Historiarum scripsisse, neq; etiam omnibus mulieribus, sed plurimis tantùm, vt libro tertio vidimus, post conceptionem vterum claudi; tantum abest, quòd ante conceptionẽ clausum omnibus voluerit esse. Secundò Galenus vult ora illa reclusa asperitatẽ vuluæ afferre, ob eorum scilicet prominentiam inæquali reddita vteri superficie, vt superius exposuimus; quod & ita esse vel sensus ipse docet; hi verò ipsam sanguinis exsudationem inducere dicunt hanc vteri sinui asperitatem; quæ tamen augere potius, quantum in se est, lęuitatem debet; cùm vasa omnia humore aliquo diluta ac perfusa lęuitatem quandam acquirant; faciliusq; crassa illis ingesta aliqua materia adhæreat, si fuerint sicca, quàm si humore conspersa. fieri enim non potest, vt læue corpus læui vllo modo copuletur, vt primo de Semine Galenus admonet, aliud tamen agens; at semen læuitatem aliquam habet; itaq; hærebit nunquam in vteri superficie, præsertim sanguine diluta, nisi aspera reddatur. cuius sanè asperitatis necessitatem cùm Suessanus nõ agnosceret, perperam in matrice tanquam cõceptionis causam requirit læuitatem, ita scribens in calce sexti de Animalium Historia. Dicendum completis menstruis tempus esse idoneum multiplici ratione. Primò ex parte vteri vuluæq;, quæ post fluxũ tersa, atq; polita relinquitur.

Cap. 2. Cap. 4. Cap. 4. Cap. 4.

Adhuc enarrata sententia plenius redarguitur. Galeni vera mens aperitur, an mẽstruus sanguis sit necessarius ad conceptionem.

Cap. 117.

Tertiò, quod inquiunt sine menstruo sãguine fieri posse conceptionem, prætérquàmquòd Aristoteli repugnat, ac rationi; cùm sine materia formari animal nequeat: id etiam non sic Galeno arridet, vt isti volunt, communisq; credit opinio. Esto enim, vt decimoquarto de Vsu Partiũ ab eo dictum est, sangu inem menstruum nõ esse

Cap. 3.

esse primam materiam gignendi animalis ;
est certè, vt ita dixerim, vel Galeno asse-
rente secunda : idcircò, vt memorato libel-
li de Dissectione Vuluæ loco habetur, nisi
aperiantur ora venarum in vterum desinen-
tium, non potest fieri conceptio ; quia sci-
licet semini, quod materia prima genera-
tionis Galeno est, desit alimentum : sic , n.
» Galenus ibi. Vnde efficitur, vt ob asperi-
» tatem vuluæ semen adhæreat; satisq; alimẽ-
» ti ex sanguinis confluentis paucitate habe-
» at. atqui alimentum id, an Galeno alimen-
tum tantùm est nutritionis? non certè; sed
primò generationis : quod cùm in eo ple-
riq; non animaduerterint, hac de re gra-
uissima infra modum philosophati sunt ;
conceptionem sine menstruo sanguine fie-
ri posse, menstruumq; sanguinem nullam es-
se materiam generationis, ex eius sententia
existimantes. at alia omnino illi mens est;
Cap. 2. audiamus enim Galenum libello de For-
matione fœtus sic se ipsum explicantem.
» Cùm enim singula fœtus membra tùm ad
» generationem, tùm ad reliquam omnem
» dispensationem idoneo alimento indigeãt;
» nulla alia fœtibus idonea ad alimẽtum ma-
» teria est, quàm quæ à fœtante suppedita-
» tur. vnde fieri non potest, vt aliquod mẽ-
» brum absq; substãtia sanguinea in ipsis gi-
» gnatur. Sic ergo alimentum, vt videmus,
datur apud Galenum non solùm nutritio-
nis, sed etiam generationis; cùm singula fę-
tus membra idoneo egere dicat ad genera-
tionem alimento ; idq; substantiam esse sã-
guineam, quam secundam cõceptionis ma-
teriam diximus illi esse. Neq; id fuit soli-
ùs Galeni inuentum, menstruum sangui-
nem, materiam scilicet, ex qua formatur
animal, vocare alimentum generationis ;
Cap. 19. sed ipse quoq; Aristoteles primo libro de
Animalium Ortu hoc loquendi modo vsus
» est, ita scribens. Οτὲ μὲν γὰρ οὐκ ἔχει τροφὴν ϗ
» ὕλην, ἐξ ἧς δυνάσεται συςῆσαι τὸ ζῶον, ἡ ἀπὸ τοῦ ἄρρε-
» νος ἐνυπάρχουσα τῇ γονῇ δύναμις. idest. Tunc
» enim non habet alimẽtum & materiam vir-
» tus in maris genitura existens, ex qua pos-
» sit animal constituere. hîc enim palàm est,
Aristotelem, menstruã materiã, ex qua for-
matur animal, alimentũ vocare generatio-
nis. Cũ .n. vulua semẽ attrahit virile, vt Ga-
lenus explicat, simulq; in ea miscetur cum
semine muliebri, continuum sibi ipsi per-
manens vtrunq; semen, quo tempore à vul-
ua attrahitur, cùm ab omnibus eius parti-
bus simili modo appetatur, extenditur, ac
dilatatur : deinde lentore, ac crassitie, cali-
dorumq; corporum adhæsione facilè asse-
quitur, vt membranam contrahat ; ex quò
& tota exterior eius pars, quæ vuluam at-
tingit, in membranam concrescit, vt pri-
mo libro de Semine Galenus explicat, Gor- *Cap. 4.*
ræusq; confirmat in Annotationibus super *Ann. 4.*
libello de Pueri Natura: reliqua autem se-
minis pars intra membranam remanet in-
clusa (quod & supra ostendimus Hippocra-
tem docuisse) congenitas habens facultates
ἑλκτικὴν τῶν οἰκείων, vt Galeni ore loquar, id-
est attractricem eorum, quæ ad naturã sunt
accomodata; & ἀποκριτικὴν τῶν ἀλλοτρίων, idest
expultricem eorum, quæ sunt aliena. spi-
ritu nimirum, quem ingredi in genituram
docuit libello de Natura Pueri Hippocra-
tes, & ex ea egredi, existente his facultati-
bus ad hęc munera obeunda idoneo instru-
mento ; cùm egrediente spiritu facilè alie-
na expelli, ingrediente verò facilè ad natu-
rã accomodata trahi queant. atq; totum id
in membrana inclusum, & ex quo ipsa mẽ-
brana orta est, Galeno quidem prima est
materia formationis. at præter hanc secũ-
da etiam accedit ; nam attrahens in semine *Cap. 6.*
ac membrana insita facultas, vt idem loco
memorato pulchrè explicat, duo facit ; at-
trahit enim quod est accomodatum, attra-
ctumq; retinet, & alterat, seminiq; parat in
cibum; item materias attrahit proprias sã-
guinem, & spiritum, ex quibus mẽbra prin-
cipalia formentur. Sic enim Galenus loco
memorato. ἔχει δὲ ϗ ὕλας οἰκείας, ἃς ἕλξειν ἔ- »
μελλε παρὰ τῆς μήτρας, αἷμα, ϗ πνεῦμα διὰ τῶν στο- »
μάτων τοῖς συνῆπται. idest. habet autem ma- »
terias proprias, quas illi curæ est attrahere »
ab ipsa vulua, sanguinem, & spiritum, per »
orificia, quibus semen est connexum. at »
huiusmodi materiæ secundam nos materiã
gignendi fœtus, quià scilicet posterius ac-
cedat, Galeno esse dicimus, ex qua princi-
pes in eo partes efformantur. Ventres e-
nim membranas, vasa, venas, neruos, ex
semine tùm virili tùm muliebri, tanquam
ex materia oriri Galenus & censuit, & do-
cuit libro memorato aduersus Aristotelem
disputans : sed præcipua membra, cor scili-
cet & iecur ex attracto sanguine & spiritu; *Cap. 8.*
quod eodẽ libro paulò post his verbis per-
spicuè scripsit. Fœtus enim ad se se per »
meatus, qui in vuluam pertinent, sangui- »
nem & spiritum in proprium tamen vtrun- »
q; receptaculum trahit ; vna verò cum spi- »
ritu per arterias, sicut supra dictum est, su- »
btilior quidam ac calidior, quàm is, qui »
in venis est sanguis, attrahitur ; ex quo vi- »
delicet calidissimum omnium viscus fabri- »
catur ; reliquus autem sanguis crassus ieci- »

noris

noris formam constituit. Atqui attractus iste sanguis nullus est alius quàm qui in fœmina redundat; nam & sic libro decimoquarto de Vsu Partium ipse affirmat; dicens fœtum & ad primam sui constitutionem, & ad omne deinceps incremētum copiosam materiam postulare; hancq; esse superfluum ac redundantem sanguinem, quē fœmina ob caloris inopiam in corpore gignit; dixeris, cùm in idem res ipsa redeat, sanguinem menstruum, atq; hanc esse frigiditatis fœminæ vtilitatem; Galeniq; hæc est oratio. quam etiam supra attulimus, vt menstruum sanguinem in muliere frigiditatis ratione gigni, & redundare ex eius sētentia doceremus. Fœtus ipse materiam postulat copiosam, non modò ad primam sui constitutionem, sed ad omne etiam deinceps incrementum. Proinde duorum alterum accidat ipsi est necesse; aut ipsius vtero gerentis alimentum rapiat, aut superfluum accipiat. Verùm rapere quidem non erat melius; superfluum verò assumere non poterat, si fœmina fuisset exquisitè calida; discuteret enim ipsum sic, & facilè exsiccaret. Frigidiorem igitur eam eo vsq; fieri satius fuit, quòd alimentum, quod coxisset, ac confecisset, totum discutere non posset. quod enim est frigidius, ne concoquere quidem potest: quod verò planè est calidum, vt concoquere, ita discutere validè potest. Quod igitur non ita multū ab exquisitè calido relinquitur, & coquere satis, vt quod non amplius est frigidum, & relinquere aliquid superfluum, ceu quod non vehementer adeò sit calidum,, potest. Hæc igitur est frigiditatis fœminæ vtilitas, quam mox secutura erat partium imperfectio; cùm ipsę præ caloris imbecillitate foras prorumpere non possent: quod commodum ad generis instaurationem est secūdū, & maximum. Hæc igitur Galenus citatis locis; quæ omnia latissimè probant, menstruum sanguinem tanquam gignendi fœtus materiam ipsum agnoscere; nam si conceptio fieri nequit ex illius sententia, nisi incipientibus menstruis vel cessantibus; si menstruus confluens in vterum sanguis, alimentum est semini in eo existenti, vt in calce Opusculi de Vuluæ Dissectione dictū est; si, vt libro decimoquarto de Vsu Partiū, fœtus non solùm ad nutritionem, & ad incrementum, sed εἰς τὴν πρώτην σύστασιν, scilicet ad primam sui constitutionem, & ortum redundanti in muliere eget sanguine; si alimentum hoc sanguineum in vterū cōfluens, non solùm nutritionis, sed generationis principum partium alimentū est, ac materia; vt ex libello de Formatione Fętus, & ex libro primo de Semine supra declarauimus; igitur menstruus sanguis materia est fœtus gignendi. non est autem prima; quia seminalis non sanguinea, materia prima Galeno in vtero constituitur; itaq; secunda erit. ex quò & conceptionem primam apud ipsum inuenies primo libro de Semine, tanquam scilicet primæ illi materiæ respondentem. Scribit enim sic. φαίνεται γὰρ ὑμὴν ἐν κύκλῳ περιέχων τὸ κύημα μετὰ τὴν πρώτην σύλληψιν εὐθέως, ἄντε πλειόνων, ἄντε ὀλιγίσθων ἡμερῶν ᾖ. καὶ γὰρ καὶ τριῶν, καὶ τεττάρων ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἡμερῶν ἐκπίπτει πολλάκις ταῖς γυναιξὶν ἐν ὑμένι περιεχομένη γονή. καὶ μέντοι καὶ ἐν ταῖς ἀνατομαῖς τῶν ζώων ἔνεστί σοι ταυτὸ τοῦτο φωρᾶσαι. idest. Apparet enim mēbrana circulo ambiens fœtum statim post primam cōceptionem siue plures, siue pauciores dies prætererierint. enimuero post tres & quatuor dies ab ipso principio excidit sæpè mulieribus genitura in membrana contenta; atq; hoc idem in dissectionibus animalium poteris obseruasse.

Cap. 6. — Cap. 6. — Cap. 2. — Cap. 6. — Cap. 4.

Galeni adducta verba explicantur; superiusq; posita sententia funditus tollitur.

Cap. 118.

HAec ille; qui absq; vlla dubitatione conceptionem dixit primam, primæ materiæ, seminalis videlicet, ratione, quæ primò in vtero miscetur, & constituitur; quam & ideo τὴν ἀρχὴν, idest principium mox appellat, dicens post tres, & quatuor dies ab ipso principio, idest à prima conceptione, & quod Galeno redit in idem, à prima vtriusq; seminis in vtero mixtione membranam obduci. nanq; conceptionem nil esse illi aliud, quàm seminis susceptionem, retentionemq;, cùm vulua suscepto semine conuellit se & contrahit, iam supra diximus. vidit enim dari eius recepta positione conceptionem secundam ex secūda materia, videlicet ex menstruo ac redundāti attracto sāguine principalium membrorum formationem; cordis nempe, & iecinoris, quam & maximè propriè conceptionē esse nemo dubitare potest. Statim autem intellexit post primam conceptionem, & post principium, fœtum membrana obduci, non quidem momēto, vel ea ipsa die cōceptionis, sed, vt ipse declarat, nōnullis pręteritis diebus; habet enim & conceptio ipsa, & membranæ obductio dierum periodum, in qua absoluatur, vt supra explicauimus;

uimus; qui ſunt etiam plures ex Hippocratis & Ariſtotelis decreto quàm tres, aut quatuor; idcircò adiungit ſæpè. nam & quinta aliquãdo, & ſexta etiam die à principio nondum membranæ omnes ſunt obductæ; de qua re plura ſupra. à principio, inquam, à ſeminis vtriuſq; admixtione, vt expoſuimus, quam & ſuperiori diſputatione oſtendimus conſtitutionem à principio factam Ariſtotelem appellaſſe, & Auicennam Ariſtotelis imitatione ipſum principium; qua certè in re Galenum quoq; ipſum Auicennam ſecutum eſſe, docet hic locus manifeſtè. At enimuero ſi hæc vera ſunt, videtur mihi ferè verbis potius quàm re ipſa ab Ariſtotele in hac quæſtione Galenus diſſentire; quantò enim cor, & iecur digniores fœtus ſunt partes neruis, venis, membranis, & ſimilibus; tantò menſtrua materia ſeminali in formatione dignior. ſtatim enim videmus in primo animalium ortu punctum illum ſanguinis naturam nõ ſeminis præſeferre; item quaſi animal iam quoddam, vel certè quaſi id in quo eſſentia conſiſtat animalis, ſalire, & moueri; vt nemo inueniatur, quem non pudeat id negare; quem non pudeat non fateri, longè magis, ac verius formari fœtum, cùm iecur, & cor gignuntur, quàm cùm membranæ, vel nerui extenduntur. Vtrum autem ſi voluit à Philoſopho diſcedens, ex ſemine non ex ſanguine has partes generari, quin etiam & iecur ante ipſum cor produci, rectè ſentiat, aliàs dabitur occaſio differendi. qua in re illud certè (vt hoc interim attingamus) peccare videtur ſimul cum reliqua Medicorum ſchola vehementer; quòd inſtrumenta, & partes, quibus animal vtitur, antequam ipſum ſit animal genitũ, produci voluit. quid enim iecinore opus eſt, quo alimentum, & ſanguis paretur animali, antequam illud, quod eo nutritur, ipſum videlicet animal, vel ſaltem quod cõtinet principium eſſentiãq; animalis, ſit genitum? longè minus, quid opus neruis, venis, & ſimilibus? Atqui Ariſtoteli primò cor ipſum tanquam animal ferè quoddam ſecernitur, & quod egeat alimento; dicit enim ſecundo de Ortu Animalium. *Cap. 4.*

» Διὸ πρῶτον ἡ καρδία φαίνεται διωρισμένη πᾶσι τοῖς
» ἐναίμοις. ἀρχὴ γὰρ αὕτη καὶ τῶν ὁμοιομερῶν καὶ τῶν
» ἀνομοιομερῶν. ἤδη γὰρ ἀρχὴν ταύτην ἄξιον ἀκοῦσαι
» τοῦ ζώου, καὶ τοῦ συστήματος, ὅταν δέηται τροφῆς.
» τὸ γὰρ δὴ ὂν αὐξάνεται. idest, vt ego interpre-
» tor. Quamobrem primò cor formatum ap-
» paret in omnibus, quæ ſanguinem habent;
» principium enim id eſt & ſimilarium par-
» tium & diſsimilarium; iam enim hoc con-
» ſentaneum eſt putare principium animalis,
» & conſtituti fœtus, cùm alimento opus ha-
» beat. quod enim iam eſt, augetur. Proinde cùm regulam tradit Ariſtoteles, qua cognoſcere valeamus, quæ partes prius naturæ decreto gigni debeant, cùm formatur animal; diuinè ſtatuit τὸ γεννητικὸν, .i. generatiuum, prius quàm τὸ ὀργανικὸν, ideſt inſtrumentale gigni oportere; nimirum quia, vt pulcherrimè ſubdit. τούτων τὸ μὲν
» ὑπάρχειν δεῖ πρότερον τὸ ποιητικὸν, οἷον τὸ διδά-
» ξαν τοῦ μανθάνοντος, τοὺς δ' αὐλοὺς ὕστερον τοῦ μαν-
» θάνοντος αὐλεῖν· περίεργον γὰρ, μὴ ἐπισταμένοις αὐ-
» λεῖν, ὑπάρχειν αὐλούς. ideſt. Harum prius eſ-
» ſe oportet ipſum efficiens; quemadmodum
» quod doceat, priuſquàm quod diſcat; ſicut
» & ipſas tibias poſt eum, qui tibijs diſcat.
» ſuperuacaneum enim adeſſe tibias, niſi ij
» adſint, qui tibijs vti ſciant. quod & libro quarto de Partibus Animalium his verbis itidem confirmauit, Anaxagoram omnino reijciens, qui ideo hominem prudentiſſimum eſſe dicebat, quia manum habeat. *Cap. 10.*
» ἡ δὲ φύσις (inquit) ἀεὶ διανέμει καθάπερ ἄνθρω-
» πος φρόνιμος, τῷ δυναμένῳ χρῆσθαι ἕκαστον. προ-
» σήκει γὰρ τῷ ὄντι αὐλητῇ δοῦναι μᾶλλον αὐλοὺς, ἢ τῷ
» αὐλοὺς ἔχοντι προσθεῖναι αὐλητικήν. τῷ γὰρ μείζονι
» καὶ κυριωτάτῳ προσέθηκε τοὔλαττον, ἀλλ' οὐ τῷ ἐλά-
» ττονι τὸ τιμιότερον, καὶ μεῖζον. quod eſt ex Theo-
» doro. Natura autem vt homo prudens, ita
» tribuere ſolet cuiq; rem, qua vti poſsit.
» rectius enim tibia dabitur perito tibię, quã
» tibiam habenti peritia tibiæ addetur. rem
» enim minorem maiori, potioriq; natura
» addidit, non maiorem, nobilioremq; mi-
» nori. Atqui Ariſtoteli cor efficiens, generans, cuius gratia, & finis; item maius & nobilius: itaq; & ante omnes partes produci debet; quod & ſenſu eſſe manifeſtum tertio de Partibus Animalium idem admonet; inquiens cor ipſum in prima partium generatione ante omnia cerni ſtatim palpitare ac ſalire quaſi ſit animal: quem motum Hippocrates quoq; libello de Corde in eo agnoſcit, & confitetur; atq; memorato ſecundo libro de Animalium Ortu dicit, cor quaſi filium emancipatum à patre primò gigni, & tanquam iam animal nutriri. *Cap. 10.* *Cap. 4.*

Adhuc Galenicæ sententiæ absurda demonstrantur. Gorræus reijcitur. Hipocratem hac in re cum Aristotele sentire ostenditur. locus quidā ipsius Hippocratis obscurus explicatur. Defēditur, declaraturq; de corpore genituræ in spiritū euanescēte Aristoteles. Gorræus in alijs nōnullis redarguitur.

Cap. 119.

AT enimuero Galenus suis cum Alumnis τὸ περίεργον in natura ponunt ipsa; atq; in hominis generatione; primùm enim tibias & instrumenta, quàm ipsum efficiens, ac illud quod instrumentis vti debet, produci volunt; quod Gorræus non considerans in Annotationibus super libello de Pueri Natura Galenum secutus, quod intra chorion rubrum, rotundumq; contineri in sex dierum genitura scripsit Hippocrates, vt supra etiam diximus, hepar esse censuit; dicens ex tribus vitę nostrę principijs primū generari; quoniā, vt visū est omnibus Medicis, & Philosophis, fętus donec perfectam formationem adeptus sit, perinde prorsus, ac plantę regitur & viuit, ideoq; nutriri vt illas, sit necesse. Proinde longè esse verisimilius, hepar primùm, deinde cor, postremò cerebrum generari, quemadmodum scribit Galenus libello de Fœtuum Formatione: non autem cor simul cum iecore, vt ab eodem proditum est libris de Semine. At enimuero hepar instrumentum est nutritionis, parat enim alimētum; sed naturæ decreto prius quod nutritur esse debet; nutritur autem animal; cor verò iam actu tale: continet enim vitę principium, calorem scilicet, & animam; quare & primò debet generari. quod enim infra Gorræus inquit Philosophorum etiā omnium addito consensu, fœtum initio animam tantùm habere vegetatiuam plantarum more, hancq; ob causam ex principibus partibus iecur primùm conformari; quasi vegetatiuam velit in iecinore residere; hoc figmētum esse, à Peripateticisq; reiectum, qui vnam esse animā, vnamq; ipsius sedem rectissimè docent, palàm est. qui simul etiam monstrant, nutritiuæ principium esse in corde oportere, sicuti & reliquarum animæ facultatum. Certè Hippocrates, vt supra abundè ostendimus, voluit in libello de Pueri Natura, carnem (in qua delineari animal, & partes eius omnes, venas etiam, & neruos tùm ibi, tùm libello de Principijs ponit) dixeris apertius, materiam, ex qua verè formatur fœtus, ex sanguine produci à matre attracto, & descendēte in membranam per vmbilicum, & in ipsam genituram (quo ex loco sine mēstruo sanguine fieri non posse conceptionē de Hippocratis sentētia discere quisq; potest) non quidem ex genitura ipsa, & materia seminali; siue hæc à viro sit, siue à muliere: adeò vt hanc primo carnem, cor scilicet pręsertim ipsum censuerit ex isto sanguine gigni; non venas, & neruos ante huiusmodi carnē ex materia seminali, vt voluit Galenus; atq; Hippocratis verba hîc rursus iuuat afferre. Quod cùm iam (inquit Gorræo interprete) factum fuerit, sāguine materno accedente, concrescenteq; caro gignitur; in cuius medio vmbilicus eminet, per quem tùm spirat, tùm incrementum capit. et non multò post. Cęterum caro postquam incrementum acceperit, opifice spiritu distinguitur, atq; in ea vnumquodq; ad sibi simile se cōfert; dēsum ad densum, rarum ad rarum, humidū ad humidum. ferunturq; singula in proprium locum ad ea, quibus cum naturæ similitudinem habent, & originem etiā duxere. nam quæ à densis facta sunt, densa sunt, & humida, quæ ab humidis. Est autem in omnibus eadem quoq; incrementi ratio. Ac ossa quidem calore concreta durescunt. Iam verò etiam in ramos, arboris instar, diuiditur, multòq; perfectius corporis tùm interna, tùm externa discernuntur. Caput ab humeris longius abscedit, brachia & cubiti à costis. Crura ab inuicem separantur. Nerui ad articulos deferuntur, & ex se ipsis cauitatem possident. Nasus, & aures extra carnem eminent, & perforantur. Oculi humore puro replentur. Pudendum quale nam sit, manifestò apparet. Viscera conformationem accipiunt. Hæc ille; & paulò supra dixerat, carnem cùm iam genita est, sanguinem à matre spirando attrahere, quo crescere debet; vt palàm sit ex illius sentētia, ex menstruo isto sanguine & carnem hanc, & partes ex ea, & in ea omnes corporis, venas etiam, & neruos, vt supra diximus, gigni, & nutriri; item ipsum cor ante omnes partes generari; ideoq; Galenum deseruisse suum omnino Pręceptorē, cùm & ex semine neruos, venas, huiusmodiq; alia cēsuit procreari, & ante ipsum cor iecur produci. Vidit enim diuinus vir acutè veram huius rei rationem, & libello de Natura Pueri indicauit; quam postea clarius explicuit Aristoteles. prius enim natura,

Ann. 7.

Ann. 46.

ra, tempore, generatione esse debet, vt supra diximus, quod nutritur, quàm quò. prius artifex instrumento: & partium instrumentalium quæ natura generatiuę sūt, existere prius oportet, quia sunt alterius gratia tanquam principium, vt diuinè docuit secundo de Animalium Ortu Aristoteles, pulchrè dicens τὸ τούτου ἕνεκα, idest huius gratia duas habere differentias; vel vt vnde motus principium, quod anteire necesse est; vel vt illud quo vtitur cuius gratia, quod necesse est posterius esse. Proinde notatum reliquit Hippocrates libello de Pueri Natura, semen folia prius, deinde verò radices emittere. πρότερον γὰρ ἐκ τοῦ σπέρματος τὸ φύλλον ἀνατέλλει, ἔπειτα αἱ ῥίζαι εἰς τὸ κάτω ἀφίενται. inquit Senex sapientissimus, idest. Ex semine enim prius folium emergit, deinde radices in infernam partem demittuntur. Et paulò post scribit τὸν βλαστὸν prius esse, quàm ῥίζας, idest germen, quā radices. Folia enim & germen sunt quod nutritur, radix verò quo. Hinc tanti Pręceptoris imitatione Aristoteles secūdo de Animalium Ortu docuit, simile euenire in conceptu animalis, ac in ijs, quæ seruntur; in seminibus enim inesse principium potestate, quod actu secretum, ab ipso ἀφίεται ὅ, τε βλαστὸς καὶ ἡ ῥίζα. idest, emittitur germen & radix; concludens propterea cor primò secerni & gigni, exindeq; & à corde venas tanquam radices. quo loco videtur velle, germen prius gigni sicuti & cor tanquam quod nutritur, quàm radices & venas tanquam quò. tametsi non me latet, cor ipsum illi potius principio quàm germini simile eo loco facere Aristotelē, quod in semine plantarum potestate existens, ad actum inquit perduci. Nec propterea sibi ipsi contrarius Philosophus, qui eodem capite infra dicit, in fœtu articulari prius superiorem partem, quàm inferiorem; idemq; in eo quod in plantis euenire, in quibus generatione superior pars præcedit inferiorem, quia τὰς ῥίζας πρότερον ἀφιᾶσι τὰ σπέρματα τῶν πτόρθων, idest, radices semina emittunt prius, quàm ramos. Enimuero ramorum nomine plantarum intelligit ramificationem, quam post folia, seu primam pullulationem, ac radices fieri in plantis palàm est; cùm scilicet in ligneam transit germen naturam, & ramificatur: quam sanè ramificationem fortasse pulchrè Hippocrates libello de Pueri Natura in fœtu τὸ διοζοῦσθαι videtur verbis illis appellasse, arborum ramificationi meritò eam similem faciens. καὶ δὴ, καὶ διοζοῦται ὡσ δένδρον, idest. Et sanè ramificatur veluti arbor. & quam longe esse posteriorem in fętu, quàm quod in eo germini respondet, & radici, nemo in dubium vocare potest. Verum autem Theophrastus ab Aristotele dissentiat, quin etiam & ab Hippocrate libro primo de Plantarum Causis innuēs radicem tanquam id, quo nutritur, prius sēper produci quàm germen; quo loco cor in animaliū generatione velle videtur radici respondere, secus quàm secundo de Animalium Ortu docuerit Aristoteles; qui non cor, sed venas, & vmbilicum radicis vicem gerere scripsit apertè, & radices esse quo, cor verò, quod nutritur; alio loco discutiemus. qui enim animaduerterit, Aristotelem voluisse, ex partibus etiam organicis nonnullas esse efficientes, quæ prius producantur; nosq; tetigisse supra, cor ipsum quasi radicem quoq; dici posse; habebit haud fortasse difficulter, quid pro tanta tollenda contrarietate dicere debeat. Si autem (vt reuertamur ad propositum) paulò post scripsit Hippocrates, non solùm carnem, sed genituram quoq; modo iam ab eo exposito distingui. dixit enim. οὕτω δὴ καὶ ἡ γονὴ, καὶ ἡ σὰρξ διαρθροῦται, καὶ ἔρχεται ἕκαστον ἐν αὐτῇ τὸ ὅμοιον ὡς τὸ ὅμοιον. idest. Ad eundem sanè modum genitura atq; caro distinguuntur, inq; ijs omne simile cum sibi simili iungitur. quem locum oculatissimus Gorræus considerans, ne Galenum ab Hippocrate dissentaneum fateri cogeretur, ita interpretatur in Annotationibus. Duæ sunt partium corporis humani differentiæ. Aliæ enim sanguineæ sunt, aliæ spermaticæ. Nam & duo sunt generationis nostræ principia, semen & menstruus sanguis. Has ergo differentias per genituram, & carnem intelligit Hippocrates. hæc certè verba aliam necessariò habere interpretationem oportere, vt sibi cōstet sapientissimus Senex; facilè quisq; cōfitebitur superiora animaduertens. Siquidem ipse & membranas fœtum obuoluentes, & carnem, corporisq; ex ea partes, videlicet fętum animalq; ipsum discerni posuit, & conformari. at membranas ex genitura oriri voluit; de prima enim, & externa sic scripsit, antequam de sāguine ex matre attracto, & descendente vllam fecisset mentionem. Cæterum spiritu distenta genitura membrana vestitur. dixeris qua parte inflatur ressicata, transit in membranam; vt idem paulò infra panis exemplo declarat planius. de posterioribus verò sic. ex Gorræo. Rursùs verò procedente tempo-

Cap. 4.
Cap. 4.
C. 3. et 13.
Ca. 4. et 5.
Annot. 23.

re multæ aliæ membranæ tenues intra primam producũtur, eodem modo quo & illa prior formata eſt. itaq; ſine dubitatione cenſuit haſce membranas ex genitura conformari; ideo enim dixit, poſteriores eodem modo, quo & primam, eſſe genitas. habent enim eaſdem cauſas efficientem, & materialem. meritò igitur ſcripſit verbis ſuperioribus genituram, & carnem modo iam expoſito diſtingui; geniturã enim appoſuit, non ob ſpermaticas partes corporis, ſed ob membranas fœtum ambientes; carnem adiecit, vt veram deſignaret materiam, ex qua animal conſtat, eiuſq; partes, & formatur. Cęteroqui contrarius fuiſſet ſibi ipſi; qui membranas iſtas ex genitura gigni, non ex ſanguine attracto ex parente docuit; partes verò corporis, & ipſam carnem ex ipſo ſanguine, non ex genitura & materia ſeminali; cuius etiam geniturę, & hoc alterum voluit, meo quidem iudicio, eſſe munus; conſtituit enim illam quaſi vehiculum quoddam, quo foueatur, ſeruetur q; vis formatrix exiſtens in genitura. item voluit magnam ipſius partem in ſpiritum abire; ſiquidem Opuſculi ſtatim initio notatum reliquit craſſam reddi, caleſcere, ac ſpiritum concipere, ſpirituq; reddi plenam, qui erumpat, alterq; attrahatur. & infra quaſi concludẽs ipſam diſputationem. Verùm de iſtis hactenus dictum ſit, tùm membrana concludi genituram, tùm ſpiritum ducere, & emittere. adeò vt hoc pacto inſtrumentum ſit commodum attractionis, quin etiam, & expulſionis, vt ſupra ex Galeno notabamus. nam & hoc eſt, quod poſtea ſubdit, ſanguinem à matre deſcendẽtem ſimul cum hoc ſpiritu trahi intra genituram; ex quo mox caro vera gignẽdi animalis materia procreatur. ſcribit enim. At verò sãguis ab vniuerſo mulieris corpore promanans, circum ipſam mẽbranam vndiq; diffunditur, atq; cùm ſpiritu intrò per membranam attractus quà forata eſt, eminetq;, agglutinatur, & futuro animali incrementum præbet. vt hinc perſpicuum, ſit, quo conſilio dixerit ſecundo de Ortu Animalium Ariſtoteles, genituræ corpus nullam fieri materiam conceptionis, nullam partem formæ conſtitutæ, ſed diſſolui, & in ſpiritum euaneſcere. ſcripſit enim. τοῦτο τὸ σπέρμα τῆς γονῆς διαλύεται, καὶ πνευματοῦται, φύσιν ἔχον ὑγρὰν, καὶ ὑδατώδη. ideſt. hoc geniturę corpus diſſoluitur, & in ſpiritum conuertitur; naturam habens humidam, & aquoſam. ſpiritum enim, quem erumpere ex genitura, cùm incaleſcit, & in quem ferè reſſolui totam genituram cenſuit Hippocrates, ſine vlla dubitatione Philoſophus intellexit; vt iniuria hac in re libro primo de Semine à Galeno reprehẽdatur; iniuria à Gorræo in Annotationibus ſuper Opuſculo de Genitura, viro alioqui eruditiſsimo, exiſtimetur rectè reprehenſus. qui ſanè Gorræus hoc alterum meo quidem iudicio grauiter peccauit, quòd cùm ſuperioribus Annotationibus fœtum non ex ſemine, ſed ex menſtruo sãguine gigni poſuiſſet de Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni etiã ſentẽtia his verbis. At verò alij, inter quos eſt hoc in libello Hippocrates, & Ariſtoteles, & Galenus, & ipſe quoq; Plinius, qui priores, vt dixi, in errorem impuliſſe videtur, ſanguine mẽſtruo fœtum & gigni, & ali ſtatuēre. loco tamen nuper citato parum ſibi conſtans, pręter menſtruũ ſanguinem, ſemen ipſum tãquam alterum principium conſtituit partium formandarum: tantò fortaſſe hac in re inconſtantior, quantò & alio loco ſanguinem menſtruum ad nutritionem tãtùm fętus efficere non ad partium vllam conſtitutionem ſenſiſſe videtur. Verùm (inquit) id primis duntaxat fit diebus, donec videlicet paulò auctior fœtus factus ſit, & robuſtior. tunc enim per membranæ foramẽ ſanguinem, ſpiritumq; ab vtero per venarum ipſius ora, quibus cum illo iunctum eſt, attrahit, de quibus ante eſt dictum, cùm de vmbilico ageremus. fruitur autem tenuiore, & puriore eius parte, reliquam verò craſſam, & feculẽtam relegat inter chorion, atq; vterum. An verò ſanguis ille, quo nutritur fœtus, menſtruus ſit, an ſimpliciter ſanguis, à nonnullis in controuerſiam vertitur. Hæc ille; quibus apertè ponit, fętum non quidem gigni, ſed nutriri ex attracto hoc ex parẽte ſanguine; nempe quia ex ſeminali materia ipſum fętum putauerit antea eſſe conformatum. quod & infra apertè his verbis expreſsit. Quemadmodũ ſemẽ totum euaneſcit, & abſumitur in plãtam, ſic vniuerſa genitura in fœtum, vt nihil eius poſtea ſupereſſe videatur. ac rurſum vt cortex ſolus è ſemine remanet, nec arboris è ſemine naſcentis pars eſt: ſic tota genitura in fœtum cedit, eumq; conſtituit, excepta parte quadam ipſius exigua, ex qua ſecundæ fiunt; quæ ſanè conſtituti fœtus partes non ſunt, & cortici proportione reſpondent. inuoluunt enim genituram, vt & cortex ſemen. quod tamen ſupra falſum eſſe oſtendimus, atq; Hippocratis placitis aduerſum. Poſtremò (vt ad

Marginal notes: Cap. 3. — Cap. 3. — Ann. 23. — Ann. 12. — Ann. 23. — Ann. 12. — Ann. 48.

nostra redeamus) illud ex tertio nostro libro memoria repetēdum, γονὴν Hippocratem appellare, non solùm quod vocant mulieris semen, sed etiam, quid quid à muliere confertur ad generationem; proindeq; & menstruum sanguinem (qui, vt docuit Aristoteles, semen est mulieri) γονὴν etiam dicere. quod & hac tota ipsius libello de Natura Pueri disputatione, nisi aliud etiam suaderet, docet euidenter. in qua, cùm spermaticam materiam, quam maximè propriè, & primò γονὴν dicit, à sanguine ex matre attracto perpetuò distinguat; ex ipsaq; spermatica materia membranas fœtum obuoluentes doceat oriri; ex sanguine animal ipsum, partesq; eius: in calce tamen Opusculi genituram ipsam membranis obtegi scribit, & viuificari. quod totum cùm de ipsa carne ex congelato menstruo sanguine orta & pronunciet Hippocrates, & habeat tātū veritatē; eò quòd hęc ipsa caro sit, quæ viuificetur, animeturq;, itē obuoluatur mēbranis, & cōcludatur; nō spermatica materia, quæ in membranas cōuersa concludit potius, & obuoluit quod viuificatur, & animatur: clarissimū est hūc ipsum sanguinem genituræ nomine ab eo intelligi; vt nil sit mirum, si dixerit genituram exposito modo articulari; nam &, vt genituræ nomine ostenderet se carnem intellexisse, illicò genituræ carnem adiecit. itaq; ex hoc loco neq; Gorræus (arbitror) neq; alius quisq; ex materia seminali partes, quas vocant, spermaticas probabit oriri Hippocratis auctoritate.

Superius positæ sententiæ reliqua pars confutatur.
Cap. 120.

NOn potest igitur, vt ad propositam redarguendam sentētiam redeamus, de Galeni mente fœtus effingi sine menstruo sanguine, quia neq; cor, neq; iecur sine eo produci queunt. at huiusmodi sanguis, nisi venarum ora in vterum desinentia aperta sint, in ipsum vterum non potest confluere, vel trahi à semine; inde enim trahitur: igitur & sine menstruo sanguine ex Galeni sententia, & nisi hæc ipsa venarum ora aperta sint, non potest fieri conceptio; quod tamen isti negant constantissimè. Quartò quod in prima sumunt ratione, quotidiana experientia compertum esse, multò etiam tēpore fieri à purgatione cōceptum, & concepisse illas, Aristotelis etiā testimonio, quæ nunquam ante, vel postea fuerunt expurgatæ; id certè non probat, sine menstruo sanguine fieri posse conceptionem. nā primùm quod petitur principium, hoc sumi videtur; quod enim cōtrouertitur, tanquam ab Hippocrate, Aristotele, Galeno dissentaneum, est an longo post, vel ante menstrua purgamenta interuallo conceptio fieri possit. qua certè de re, si verum est, pluribus diebus permanere semen in vtero muliebri ante conceptionem posse, vt in hoc ipso libro abundè ostendimus, non video quo pacto reddi certiores valeamus. si enim aliqua mulier virum adeat nonnullis diebus ante purgamenta, & postea concipiat; erit fortasse, qui dicat, non quidem tunc eam concepisse, cùm illicò recepit semen; sed ipsum semen tàm diu retinuisse in vtero, quàm diu menstruæ fluxionis tempus aduenit, qua primò apparente conceptio facta fuit. Prætereo, etiam si dicamus ante tempus incipientium menstruorum, vel desinentium fieri conceptionem posse; in quam quidem Aristotelem aliquando inclinasse sententiā suo loco notauimus; non propterea sequi vel ipso docente Aristotele, sine menstruo sanguine eam absolui; nimirum quia calore vteri attrahatur, ipsa vi attractionis venarum oris reseratis. Adhuc quod ex ipso adducunt Aristotele, illis omnino aduersatur; verum nanq; est, Philosophum septimo Historiarum literis mandasse, aliquas mulieres sine menstruorum profluuio concipere posse, & sine hac excretione; sed verum simul est, addidisse, id non omnibus, quæ menstruis carent, posse contingere; sed illis solùm, quibus tantum humoris in vtero colligitur, quantum ijs, quæ purgātur, restare soleat; quāquam non tanta copia, vt foris possit profluere. ex quò & scripsit alibi apertè, impossibile esse concipere sine menstruorum excremēto, quod aut redundans foras profluxerit, aut intus satis sit. quare si Aristoteli credimus, neq; etiam in huiusmodi mulieribus sine menstruo sanguine fit conceptio, neq; sine ista interiori excretione, licêt sine exteriori; itaq; maxima est æquiuocatio. Quintò, quæ in secunda ponunt ratione, satis ex superioribus constat nullam habere firmitatem; cùm enim semen, etsi lentum, læue etiam sit; nisi aspera reddatur vteri superficies, non potest hærere. quod verò additur, muliebre semen materiam esse, ex qua viri semen nutriatur; hoc multam afferre videtur quęstionem. siquidem ipsum quoq; muliebre semen eget nutrimento; quo igitur nutrietur? an sua ipsius parte?

Cap. 2.

L. 2. de ort. An. cap. 4.

at pri-

Tex. 45. at primò se ipsum destruet, & absumet; deinde alimentum, vt secundo de Anima docemur, quadam ex parte dissimile, & contrarium esse debet. Adhuc vtrunq; semen mixtum tàm maris quã fęminæ, quod vnum quid repręsentat, illud est, quod eget alimento; itaq; aliud illi omnino parandum naturæ lege, quàm semen muliebre. Item non omnes mulieres humoré hũc emittũt, ꝙ semé vocãt, si Aristoteli credimus; & quę etiã emittũt, nõ sẽper emittunt in cõcubitu, & tũ cõcipiunt; audiuimus enim nos à fide dignis mulieribus, quæ plures filios pepererunt; se sine vlla seminis (quòd senserint) effusione, sine vlla voluptate semper concepisse. effundi autem à muliere semen absq; vllo eius sensu, nemo, arbitror, dixerit sanæ mentis. Tandem apud Galenum est etiam alimentũ generationis, vt supra vidimus; & generationis partium, quæ sunt principes, quę ex attracto sanguine formantur; quare & aliud etiam præter muliebre semen omnino est necessarium alimentum. Sextò ipsa tertia ratio nullam nobis affert necessitatem, vt protritum hoc Veteribus dogma relinquamus; in coinquinato enim vtero, videlicet menstruis maximè redundante, vt in impetu fluentium menstruorum, non fit conceptio; at incipientibus menstruis non est adhuc vterus coinquinatus; desinentibus, iam etiam ipsa desijt coinquinatio; quare & his temporibus commodè fit conceptio. Aristotelis igitur sententiam teneamus, sine menstruo sanguine nõ posse fieri conceptionem; quam & Galenum habuisse ostendimus, & quam Hippocrates, dicens incipientibus, ac desinentibus menstruis tempus esse concipiendi, ante omnes habuit; item incipientibus tantùm menstruis, vel desinentibus fieri cõceptionem, aut certè illis temporibus maximè.

Grauis quædam proponitur difficultas, & dissoluitur. Cap. 121.

Hinc autem, vt rem interea maximi momenti non prætereamus, ac pro virili nostra parte iuxta ingenij tenuitatem publico bono consulamus; quid de Theologorum dissidio dicendum sit facilè patet; qui tùm Sententiarum quarto, tùm in Summis quærentes, an viro menstruata vxore vti liceat, in contrarias discerpi sententias, ac trahi videntur. D. enim Thomas trigesima secũda Distinctione inquit, prohibitum esse viro ad menstruatam accedere vxorem; & similiter prohibitũ mulieri, in tali fluxu debitum petere; quod tamen Dominicus Sotus eadem Distinctione intelligendum contendit, veniale tantùm esse peccatum D. Thomam censuisse, si à viro debitum petatur; nec etiam veniale ex parte mulieris, si reddatur; quia ex Apostoli sententia potestatem sui corporis non habet. Quod autem ex Leuitico obijcitur, vbi legimus ad mulierem, quæ patitur menstrua, non esse accedendum; & si id fiat, ambos interficiendos esse; ea diluunt ratione, quòd vetusta legis prohibitio, qua parte erat ceremonialis, habebat annexum supplicium illud mortis, quæ ratio iam cessauit. atq; hanc eandem opinioné Caietanus in Summa secutus est; dicens esse veniale tantùm, non mortale petere debitum, aut reddere menstruatam; quia nulli faciat iniuriam, qui vtitur iure suo: hoc idemq; Armilla Caietani auctoritate confirmauit, atq; ante hos omnes D. Antoninus tertia parte Summæ, Petro assentiens, qui scienter petere, ac reddere non esse mortale tenebat; quod &, Soto referente, voluit Paludanus. At è contra Scotus loco memorato, atq; ante illum D. Bonauẽtura, & Hugo, vt D. refert Antoninus, alijq; permulti constanter affirmant, vtrunq; esse mortale; tàm videlicet petere, quàm reddere, duplici præsertim ratione permoti; tùm quia id veteri lege prohibitum est sub mortis pœna, quæ nunquam infligebatur, nisi pro mortali; tùm quia id est contra bonum prolis, cùm Medici existiment, fœtum inde lepra infectum oriturum: & certè magna est verborum sacri contextus energia. Nam decimo octauo capite Leuitici sic scriptum legimus. Ad mulierem, » quæ patitur menstrua, non accedes, nec » reuelabis fœditatem eius. & vigesimo ca- » pite sic longè clarius, & efficacius. Qui » coierit cum muliere in fluxu menstruo, & » reuelauerit turpitudinem eius, ipsaq; ape- » ruerit fontem sanguinis sui, interficientur » ambo de medio populi sui. ex quò, & Esdræ libro quarto habemus. Et mulieres » menstruatæ parient monstra. vt non im- » meritò Sacri Canones id ipsum damnasse videãtur, veluti ex Decreti prima parte cõstat; quo loco sic proditum literis videmus. Hæ autem sciant, quæ filios suos ex » praua consuetudine alijs ad nutriendũ tra- » dunt; nisi purgationis tempus prius tran- » sierit, viris suis non debent admisceri. » quippè & sine partus causa, cùm in men- » struis consuetis detinentur, viris suis mi- »

Dist. 32. — Art. 2. in resp. ad 2. quæst. — Art. 2. — Cap. 18. & 20. — Tit. 1. Cap. 20. §. 5. — Cap. 5. — Dist. 5. C. eius.

sceri prohibentur : ita vt lex sacra morte illum feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat. At enimuero si ea recipiamus, quæ supra disputauimus, & quomodo ad grauissimam hanc quęstionem respondendum, & quo sensu eloquium sacrum, sacriq; Canones intelligendi, perspicuè elucet; adeò vt si naturalem sequamur rationem, longè fortasse aliter hæc omnia videantur definienda. Cùm enim communis sit Theologorum sententia, in matrimonij vsu tunc peccatum mortale committi, cùm vir ita congreditur, vt impediendæ conceptionis prębeat occasionē; Hippocrates verò, Aristoteles, & Galenus firmissimis rationibus demonstrauerint, cùm impetus fluxus viget, tempore scilicet intermedio, naturaliter mulierem concipere nō posse, quia sanguinis copia eluatur semen, vel obruatur: hoc, vt reor, fundamento Lege Veteri cautum videtur, mēstruata non esse vtendum; adeò vt ipsa oratio sacra de intermedio tempore, cùm scilicet impetus viget fluxus, sit intelligenda, quemadmodum etiam & Sacri Canonis decretum. cui quidem veritati ipsamet verba sacra firmissimum præbent testimonium; quæ, vt huiusmodi impetum designent, concinnè fontem sanguinis illum appellant; habent enim. Ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui. quæ verba vel etiam omnino reclamantes cogunt, vt fateantur, de impetu fluxus locum esse intelligendū: à quo etiam sensu oratio Esdrę non abhorret; qui menstruatam monstra gignere dicens, ea monstra videtur præsertim designasse, quæ ob materiæ copiam, quæ tunc maximè abundat, superuacuis partibus, vt appellat quarto de Animalium Ortu Aristoteles, oriuntur; vel, vt Iurisconsulti dicere solent, membris ampliatis. quanquam & de illis etiam verba intelligi queunt, quæ ob ipsius materiæ malam qualitatem belluinis mēbris in lucem veniunt. Quare traditum hac de re in Leuitico præceptum non ceremoniale tantùm fortasse dicendum erit, sed etiam morale, ideoq; adhuc manere; quia, vt naturalis dictat ratio, in menstruorum fluxu conceptio impeditur, & prolis generatio; quod videtur esse mortale; vt mors pro mortali peccato videatur inflicta, quemadmodum Scotus acutè contendebat, ac pro moralis præcepti, non ceremonialis tantùm transgressione. Vt enim Aduersariorum responsio vim habeat, ostendendum illis est, pro ceremoniali præcepto tantùm, quod morale etiam non sit, pœnam mortis in Veteri Lege infligi fuisse solitum.

Cap. 4.

Superior sententia confirmatur. Auerrois locus quidam affertur, & explicatur.

Cap. 122.

AT enimuero hinc palàm est, nō propter eam rationem, quam communiter afferunt; ne scilicet fœtus lepra inficiatur, abstinendum esse à menstruata; sed quia tunc conceptio fieri nequeat. Neq; enim apud Hippocratem, neq; apud Galenum, neq; apud Aristotelem scriptum legi, quòd si fortè fortuna, dum menstrua fluunt, fiat conceptio; vel lepræ, vel alterius morbi periculum immineat: sed hoc Arabum videtur Medicorum fuisse commentum, ab Auerroe præsertim tertio Colliget ex mēte cuiusdam nomine Zacharam relatum: cuius hæc est oratio. Et aliquando accidit à generatione, sicuti accidit leprosis, & maior pars talium fit ab hæreditate, aut propter coitum cum mēstruata in diebus, quos dixit Zacharam: quia lepra illa à beneficio medicinarum, curam non recipit, nisi fiant tempore crisis annorum; quod natura ordinauit: & hoc testificatur mirabilis Zacharam, & ego expertus sum. Quin potius, vt supra ex libello de Superfętatione monebamus, Hippocrates videtur innuere, si in medio fluxu conceptio fiat, fœminam oriri. qua certè in re maximè reprehendendus esset, si adeò grauis morbi adesset suspicio, nisi nos admonuisset. Accedit quòd Aristoteles libro septimo Historiarum notatum reliquit, nonnullas esse mulieres, quæ solùm, dum profluunt menstrua, concipere queant; nec verbum profert vllum, quòd hoc tempore si conceptio fiat, fœtus vel vitio, vel morbo aliquo affectus concipiatur: quod omnino diligentissimus fecisset auctor, si verùm existimasset. cui certè rei plurimùm arridet ratio naturalis; cùm enim virtus formatrix, non secus ferè ac herculeus lapis ferrum, puriorem menstrui partem ad se trahat, & cogat, atq; membrana obducatur, vt superiori disputatione planum fecimus; ab inutilibusq; proinde humoribus conceptus separetur, ac purioris semper fiat sanguinis attractio; nulla videtur inesse causa timoris, vt ob id malè affectus oriatur infans, vel leprosus. quod & eò magis verum censeri debet, quò Aristoteles, atq; Galenus benigni, atq; vtilis sanguinis, qui in venis continetur, portionem superabū-

Cap. 7.

Cap. 3.

dan-

dantem menstruum esse voluerunt. quod inter cęteros doctissimus vir Mercurialis libro quarto de Mulierum Morbis & de illorum sententia adnotauit, & tanquam verum comprobauit. vt rectissimè Gorræus in Annotationibus super libello de Pueri Natura menstruum sanguinem nulla vitiosa, & maligna qualitate præditum esse memoriæ tradiderit, dum in corpore existit à natiuo calore non destitutus; quo quidem loco pulcirè, ac doctè hãc tractat quęstionem. Vnde cùm eiusdem sit naturæ, cuius est sanguis ille, qui continetur in venis; demum cùm ille idẽ sit ex cuius parte, quæ in vtero remanet, conceptus generatur, atq; fœtus; non videbitur leprosum fœtũ posse procreare. Nec quicquã obest, quòd mulieris menstruus sanguis, vt Plinius, Columella, Aristoteles narrant, virulentã ferè quandam naturam habere comperiatur; cùm arbores, floresq; corrumpere, rubiginem ferro dare, canes in rabiem concitare, homines dementare, specula afficere videatur, & alia inferre damna infinita; vt nil sit mirum, si leprosos etiam partus queat efficere (quod tamen maxima dignũ est admiratione, eò quòd si non differt ab eo, qui est in venis, & qui formando animali materia est; si ille hæc mala non facit, neq; hic facere deberet) non, inquam, id quicquam officit; nam primùm dicere possumus, vt eidem placuit Mercuriali, sanguinem mẽstruum non semper ita prauum esse, vt referunt Scriptores; sed cùm tantùm calore naturali destitutus ex vitioso, maleq; affecto corpore exit, proindeq; vitiatus (quod Galenus quoq; libro sexto de Locis Affectis videtur voluisse) hanc habere potestatem; ideoq; per accidens contingere, vt vel tot mala inferat, vel ex se fœtus leprosos efficiat; qua de re Gorræus memorato loco eleganter. Deinde aliæ etiam causæ sunt, cur mẽstruus sanguis prę ter vitiosam ipsius qualitatem iam superius enarrata efficere possit: quarum quæ pertinẽt ad speculorum maculas, pulchrè libello de Somnijs explicantur; ex quibus alias facilè elicere possumus, quas nũc consultò præterimus. Quod verò nonnulli aiunt, Auerroem se esse expertum verbis paulò supra allatis testificari, fœtus menstrui tempore conceptos leprosos nasci; hoc certè nullius est ponderis. Nam, vt libro sexto tetigimus, Auerroes loco illo se expertum esse testificatur, lepram, quæ accidit, vt verbis vtamur ipsius, à generatione ab hæreditate; à beneficio medicinarum curam non recipere, nisi ipsæ medicinæ in crisimis, climatericisq; annis adhibeantur, aliud præterea nihil; nimirum quia climatericorum annorũ vis, quæ affert corpori mutationem, naturã ad morbum expellendum mirificè adiuuet. ex cuius verbis diligenter adnotandum, perspicuè elici, quod supra etiam dicebamus; videlicet qui auctores ex menstruata muliere leprosos gigni fœtus asserunt, de intermedio tempore intelligere: videlicet si vir cum ea congrediatur, cùm impetus fluxus viget. quandoquidem Auerroes ex mirabili suo illo Zacharam definit, propter coitum cum menstruata, non quidem toto tempore, sed in diebus, quos ipse dixit, fœtum leprosum generari, idest, vt ego interpretor, & res ipsa loquitur, non quidem in diebus, in quibus incipiunt, vel desinunt, sed intermedijs. At contrà ne impediatur ipsa conceptio ob ipsorum menstruorum copiam ingens periculũ imminet, magnaq; est probabilitas; immò, vt Tiraquello libro de Legibus Connubialibus placuit, certitudo. Neq; Caietani ratio vllius est momenti: quandoquidem vti vnicuiq; licet iure suo, sed non abuti. at certè abutitur, qui ob luxuriam & incontinentiam nullo egens remedio, quo tempore certus ferè est non posse fieri cõceptionem, proindeq; nec ipsam prolem gigni, vt in menstruata contingit, vxore vtitur. Hinc rectissimè concludunt Theologi, emoroissa vti licere; nimirum quia in remedium id viro liceat, cùm perpetuum fluxum mulier patiatur. Quòd si de tempore, in quo incipiunt menstrua, vel desinunt, intelligamus; iam patet, neq; exigere, neq; reddere debitum, vllum esse peccatum, neq; etiam veniale; quia scilicet per id temporis non solùm conceptio non impediatur, sed Hippocratis, Aristotelis, & Galeni auctoritate tunc vel tantùm fiat, vel certè longè facilius, quàm alio tempore: quibus hac in re credendum est, cùm sapienti sit credendum; vt verò habemus in Ecclesiastico, vnusquisq; in arte sua sapiens sit. Sed hæc ferè per transcursum dicta accipiantur, atq; vt ostendamus, quàm pulchrè ex vera Philosophia Theologiæ, Sacrarumq; Literarum dogmata explicentur, & comprobentur. quæ tamẽ hîc disputauimus, eatenus nobis volumus esse probata, quatenus Ecclesiæ probantur, cui hæc ipsa, & alia nostra omnia subijcimus.

Cap. 1.

Annot. 2. & 16.

Cap. 5.

Cap. 2.

Leg. 15. num. 131

Cap. 38.

Qua mensis parte conceptio fiat. Plinij obscura sentētia quædam explicatur, et defenditur.

Cap. 123.

VErùm his cognitis, vt eò redeat, vnde digressa est oratio, superest pro quinti capitis enodatione inuestigandum, qua mensis parte conceptio fiat. cùm autem superius in primi capitis expositione positum sit, decrescente mense, ac interlunio & circiter, maximæ mulierum parti menstrua moueri; nonnullis etiam plenilunio; item cùm in hoc quinto tractando capite definitum sit, incipientibus menstruis, vel desinentibus fieri conceptionem; satis hinc constat dicendum esse, ijs mulieribus, quibus interlunij tempore, vel circiter menstrua fluunt; si incipientibus illis fiat conceptio; eo ipso interlunij tempore, ac circiter effici conceptionem; videlicet post dies illos, quibus fluere menstrua solent; ne à nostro dogmate discedamus; quod plerunq; die septima à nouilunio eueniet, si in interlunij die mēstruorum fluxum incipere supponamus. ac prout tardior, citiorq; fluxus incipiet, tardius, citiusq; fiet conceptio: eademq; ratio in plenilunio locum habet. si mensibus deficientibus conceptio fiat; post dies pariter illos effici, quibus expurgatio durare consueuit: vt si exempli gratia nouilunio alicui mulieri menstrua erumpant, diebusq; illi septem fluant; si septima à fluxu viro iungatur; à nouilunio decima quarta fiet cōceptio; & in plenilunio eadem ratio. Atq; hoc est, quod obscurè quidem, sed diuinè dicebat Hippocrates in calce Opusculi de Partu Octomestri; vt doceret qua mensis parte naturaliter cōceptio facilius, ac melius fiat; oportere tempus dare mulieri, in quo purgatio contingit; atq; hoc concesso necesse esse circa plenilunium, & vltrà plerisq; mulieribus fieri conceptionem. quia enim tempus ad concipiendum omnium optimum est, si menstruis desinentibus mulier cum viro coniungatur, vt primo libro de Morbis Mulierum ab eo dictū fuit; petijt hac sententia diuinus Senex loco illo, tempus mulieri dandum esse, scilicet ad concipiendum, in quo purgatio cōtingit; idest petijt sibi concedi, mulierem ea mensis parte, in qua finita expurgatio est, virum adire oportere. quo facto sequitur circa plenilunium ipsam concipere: quod verum esse, clarius infra verba explicantes demonstrabimus. quare nemini dubium esse potest eo loco, & qua mensis parte mulier virum adire debeat, vt concipiat; & qua mensis parte ipsa conceptio potissimum fiat, Hippocratem explicare. Porrò autem hinc elucet, quàm verè affirmauerit Plinius libro septimo Naturalis Historiæ, mense septimo nonnisi pridie posteroué plenilunij die, aut interlunio conceptos nasci; concipiunt enim vt plurimū hos fœtus mulieres tantùm illæ, quæ breuissimum habent tempus purgamētorum, vt in enarratione tertij capitis docuimus; talibus nanq; eò tantùm tempore, quo apparere solent, durant purgamenta; scilicet circa nouilunium, ac plenilunium non vltrà triduum: vnde cùm per id temporis concipiant, ob dictas causas gestant septimestres: quos etiam plerunq; mares esse necesse est ob menstruorum caliditatem. Quamobrem iniuria tàm seuerè Valeriola tertio Enarrationum in Plinianam hāc sententiam inuehitur; cùm eam Plinius ex purissimis Hippocratis fontibus hausisse videatur. Eademq; de causa neq; Cardanus audiendus est, qui Contradicentium Medicorum libro primo locum corruptum arbitratur, ita scribens. Ad hæc respondi, quòd vt 163. dies est primus vitalis in septimestri, sic 182. est perfectissimi spatij septimestris terminus illius nati, qui in primis quindecim suæ generationis coniunctionem luminarium, & oppositionem habuit. Ex hoc patet, quòd verba Plinij corrupta sunt, & sic debent legi: Ante septimum mensem haud vnquam vitalis est; in dimidio autem anni nonnisi pridie posteroué plenilunij die, aut interlunij cōcepti nascuntur. Nam primùm, vt ex superioribus patet euidenter, Plinius mulierum menstruorumq; naturam respiciēs ad gignendos septimestres aptam, sententiam hanc pronunciauit; neq; vllam inter septimestre spatium, ac anni dimidium fecit differentiam; vt qui septimi mensis nomine ab Hippocrate edoctus dimidium annum, ac dierum 187. cum semisse summam intellexerit; neq; antea vitalem nasci partum posse existimauerit: itaq; subiungere omnino debuit, septimo non nisi & c. vt omnia habent exemplaria. cùm enim ante septimum docuisset partum vitalem non excludi; iure & meritò adiungit, quo mēsis tempore concepti septimo nascantur; quare & vt septimum repeteret, fuit illi omnino necessarium. Deinde, si quæ supra aduersus hunc Cardani supputādi modum disputauimus, animo versemur; videbimus non solùm iuxta ipsius dogmata nul-

Cap. 5.

Enarr. 7.

Tract. 3. Contr. 8.

nullam esse necessitatem, vt interlunio pleniluniōq; concepti (quos in primis quindecim suæ generationis diebus coniunctionem luminarium & oppositionem habere Cardanus inquit) anni dimidio oriātur; cùm & die 163. & die 178. commodissimè in lucem venire queant; sed neq; etiam fortasse oriri posse. Quæ autem aduersus hunc Plinij locum nonnulli afferunt Recentiores, affirmantes limitatione ipsū indigere; quia obseruatum sit, nasci septimestres, & concipi in omni statu lunæ, dū septimum attigerint mensem; eò quòd vniuersales causæ non agant, nisi in agens bene dispositū; an ad rem faciant, consentiantq; cùm veritate, facilè quisq; ex superioribus iudicabit. Quòd si mulier longiores habeat dies purgationum, iam fętus vel octomestris, vel nonomestris, vel decimestris erit pro natura, temperamentoq; menstruorum, ac virtutis formatricis potestate, ad menstruaq; ipsa proportione, atq; pro tēporis ratione, in quo purgantur mulieres, & cōcipiunt; ita ut à conceptionis natura gestationis, fœtificationisq; omnino tempus pendeat. quod sanè arcanū primis Galenus verbis Opusculum explicans de Septimestri Partu, siue quisquis alius fuerit auctor, fortasse significauit, ita scribens. De septimestri partu ea dicam, quæ per omne tempus animaduerti, dum summo studio seminis in vtero conceptiones à mulieribus diligenter obseruatas cognoscere studebam. quibus ignoratis ne fœtificationis quidem tempus innotescere vllo modo potest. His enim satis apertè docuit, conceptionis tempus, ac naturam esse obseruandam, vt fœtificationis tempus habeatur. quandoquidem neq; vulgare his verbis illud, meo quidem iudicio, voluit exprimere; si conceptio non ignoretur, quia fœtificationis, idest partus tempus facile sit obseruare; totum etiam fieri notum tempus gestationis: enimuero dixisset ex conceptione, & fœtificatione gestationis tempus pernotescere. sed scribens ex conceptione, si cognita fuerit, iudicium fieri de fœtificationis tempore; omnino maius aliquid nobis significauit: videlicet si natura, ac tempus conceptionis fuerit cognitum, hinc facilè de gestatione, & fœtificatione, an longior, breuiorq; sit futura, posse indicari.

Sextū, & postremum caput enarratur. Mercatus, Ferdinādus, & Vallesius refelluntur.
Cap. 124.

SEd quanto tempore, quo ordine, an incipientibus, vel desinentibus menstruis conceptio fiat, & qua mensis parte; & ab his, quæ conceptionis propria sunt, quemadmodum reliqua ducantur ad gestationem pertinentia; quæ omnia quintum caput absoluunt; satis expositum videtur. si quis enim ea, quæ dicta sunt, labefactare volet, facilè veritas se ipsa defendet. Itaq; superest sextū, ac postremum caput aggrediendum; videlicet vnde gestationis, partusq; temporis computatio ex Hippocratis mente sit inchoanda. Quod vt breuiter expediamus, auctoritate Hippocratis permoti secundo Epidemicon dicimus, à menstruorum apparitione computationem esse ineundam, siue extra vterum fluentia apparere incipiant; siue in ipso vtero apparentia nondum extra fluant; apparitionis enim nomine hæc duo intelligimus. siquidem hoc est, quod ipse citato loco docuit apertissimè, ita loquens, si verbum è verbo exprimamus. Quæ ad septimestrem, nosse oportet & à menstruis nouem menses numerantes, & à conceptione. dicit enim, vt mutationem eam, quæ fœtui euenit, cùm septimestris ætatis est, probè dignoscamus; tùm à mensium fluxu nouem mensium computationem esse ineundam, tùm ab ipsa conceptione: cuius sententiæ veritas diligentius à nobis sequenti libro expendetur. nunc satis erit pro præsenti instituto si colligamus, ab apparitione mēstruorum gestationis computationem esse faciendam: cur enim à conceptione etiam adijciat esse ineundam, loco memorato aperiemus. quod & vetustissimus auctor Timæus videtur docuisse, cùm scripsit, vt libro quinto de Placitis Philosophorū auctor est Plutarchus, fœtus omnes verè nouem gestari menses, tametsi vel decem, vel septem ferri interdum videantur. quoniā enim ante conceptum aliquando menstrua sistant; propterea fœtum, qui verè nonomestris est, decimestrem existimari; sicut & quia post conceptum vulua nonnunquā menstruis affluit, septimestris putatur, cùm tamen antea, scilicet nono mense sit conceptus; his enim ab ipsis menstruis apparentibus gestationis tempus solere cōputari, satis docuit. cuius rei ratio est, quòd conceptionis tempus omnino latet; cùm, qua die conceptio fiat, difficillimum

Sect. 3.

Cap. 1.

Cap. 18.

mulieribus sit attingere; tùm quia plerunq; partus peritæ non sunt; tùm quia ad plures dies differtur ob causas abundè superius explicatas; idq; & ob mulierum, menstruorumq; naturam, ob naturamq; formatricis virtutis, & ob sublunaris huius materiæ indefinitionem; quæ non semel ab instituto ordine discedens, plurimum, vt paulò supra monebamus, habere potest varietatis; vt quanam die fiat ipsa conceptio, cognitu difficillimum videatur. Quãobrem ad tollendam difficultatem hanc rationi consentaneum est, vt ab eo tempore, in quo primò conceptio fieri potest, computatio ducatur grauidationis: quod quidem tempus, cùm ostensum sit Hippocratis, Aristotelis, & Galeni testimonio naturaliter esse, cùm menstrua incipiunt apparere; idcircò à menstruis meritò ipsis, idest ab illis incipientibus, vt ego interpretor, computationem esse ineundam iubet Hippocrates. Non me tamen præterit, Mercatum doctissimũ virũ ita libro quarto de Mulierum Morbis hac de re statuere.

Cap. 1.

Hanc sanè (inquit) varietatem in partubus computandis suboriri ego arbitror ex varia principij grauidationis computatione; nam difficile quidem est nosse, nunquid à menstruis facienda sit grauidationis computatio, an potius ab ipso conceptu. Cuius dubij principium præstitit Hippocrates 2. Pop. part. 4. quod quidem citra enodationem reliquit. cui cùm satisfacere studuisset Valentinus; respondet ab vtroq; tempore esse faciendam. At cùm ille minimè explicuerit, vtrum esset potius, aut saltem quando ab alterutro; sine distinctione de re controuersa decernit. cùm tamẽ notum sit apud Philosophos, tempus durationis rerum esse mensuram; constat ab eo tempore subducendum esse calculũ, à quo res ipsa consistere incipit: quæ cùm à die conceptionis illud verè obtineat, ex eo proculdubio computatio grauidationis extat nobis ineunda: à menstruis verò non nisi cùm neutiquam constiterit de die conceptionis, cui fidem adhibere possimus.

Valent. 2. Epid.

Com. 7. in l. de Sep. Pa.

Hæc ille; qui (tametsi Ferdinandi viri doctissimi sententiam, & verba sequens) se suis armis confodere videtur; cùm enim de conceptionis die neutiquam constare possit, nisi secundum regulam ab Hippocrate diuinè inuentam, superiusq; à nobis ex eo explicatam; hæc verò ob expositas causas nullam habeat certitudinem: rectissimè, cùm propterea grauidationis calculus ab eo tempore, in quo fœtus constare incipit, videlicet ab ipsa conceptione, subduci nequeat; ab illo, in quo primùm consistere, incipereq; potest, subducendum esse eum Hippocrates existimauit: vt sententiæ Hippocraticæ nil Ferdinandi, Mercatiq; ratio officere videatur. Supponit enim diuinus Senex mulierem opportunis ad concipiendum temporibus cum viro commisceri; hęc autem esse tempora incipientibus mẽstruis, vel desinentibus declaratum est, ac incipientibus primùm; igitur grauidationis calculus ab apparitione menstruorum subducendus. quanquam & Ferdinandus cõmuni illo errore, vt video, irretitus, quòd conceptio eo fiat momento, quo semen in vterũ recipitur; facilè esse forsan existimaret, vt de die constet conceptionis. Scripsit enim super libello de Partu Septimestri hanc attingens quæstionem.

Com. 7.

Ego verò, vt qui optimè nouerim, tempus mensorẽ esse rerum durationis; ab eo tempore subducendum esse calculum puto, à quo res ipsa incipit consistere: quæ cùm à die conceptionis illud verè obtineat; ex eo proculdubio computatio gestationis vteri extat nobis ineunda: à menstruis verò, non nisi cùm neutiquam constiterit de die conceptionis, ceu à re probabili; secundum hactenus persuasam disciplinam, quæ post menstruas purgationes syllepsim sequi docuerat antea. quæ cùm multis de causis impediri possit; à verisimili coniectura transgressis, ad eam, quæ certissima est, quæq; horam conceptionis inuestigat, transeundum esse censeo, dum licet. Hæc ille; qui dicens à verisimili coniectura transgressis, idest, vt ego interpretor, ab ipsis menstruis, quæ verisimilem habere dicit coniecturam conceptionis, quia secundum vulgatam disciplinam dicimus, post menstruas purgationes syllepsim sequi: ad eam, quæ horam inuestigat conceptionis, esse transeundum; iam eo momento, quo semen in vterum recipitur, fieri conceptionem ipsam videtur existimasse. à qua (vt video) sententia Mercatus non abhorruit. Nec Valesius meo iudicio audiendus est, qui in Commentarijs hunc Hippocratis locum explicans, in quo à menstruis iubet faciẽdam esse gestationis computationem; filũ scindit orationis, verba hæc à prioribus, quæ ad septimestres spectant, seiungens. vt prætercam, quæ de mensium distinctione addit, volens nouem tricenarios menses Gorræum secutus decem Lunares ab Hippocrate intelligi, & appellari, omnino esse ab eius mente alienum: cùm ipse Hippocra-

cra-

crates dies 280. decimestre spatium efficere, nunquam 270. clarissimè docuerit. de qua re supra aduersus Gorræum, & Mercatum disputauimus. Quòd verò asseratur hoc loco, vt eidem Vallesio placere video, si dies conceptionis agnosci potest, ab illo incipere debere computationem; sin minus, à menstruis, non quidem ab ijs, quæ vltimò fluxerunt, sed ab eo die, quo primùm defecerunt, cùm expectarentur; eò quòd si à menstruis fluentibus fiat computatio, incerta sit, semperq; produci partus vltrà nouem menses videatur; atq; non rarò peccetur in victu, putante muliere se iam ingressam nonum, cùm nondum egressa octauum mensem sit: hoc nos longè ab Hippocratis mente alienum putamus. qui, cùm dixit ἀπὸ τῶν γυναικῶν computationẽ esse ineundam, ab apparitione menstruorum, eo tamen, quem exposuimus sensu, intellexit: quam rem Græcis mulieribus errandi causam dedisse, nos sequenti libro ex Hippocratis sententia demõstrabimus; vt propterea & in laboribus perferendis mirificè hallucinarẽtur, & in mensibus numerandis, & in octauo præsertim definiẽdo, quemadmodum in Opusculo de Septimestri Partu idem admonet Hippocrates; nosq; ex ipso abundè libro memorato explicabimus. vnde Vallesiana obiectio nihil obest; qui falsò incertam inquit esse computationem, si calculum à fluentibus mẽstruis subducamus; cùm potius ob allatas supra rationes certior hac de causa reddatur. Si enim, vt ipse vult, ab eo die, quo primùm defecerunt menstrua, cùm expectarentur, fieret computatio, quod nonnullis etiam Recẽtioribus video placuisse; semper breuior redderetur gestatio, quàm verè existeret; cùm non deficiant naturaliter mulieri menstrua, nisi facta conceptione. quare dies illi omnes, qui à conceptione præterierunt, ad diem vsq;, quo primùm defecerunt menstrua, cùm expectarentur, in computatione prætermitterentur; proindeq; partus breuioris gestationis existimaretur, quàm verè esset; adeò vt hi dies omnino addendi sint, si iustum, verumq; tempus gestationis habere volumus. quos tamen Vallesius auferẽdos esse velle videtur, ita scribens. Nam pariet 270. die exceptis tot, quot præcesserunt à die conceptionis, vsq; ad diem deficientiũ menstruorum. qui sanè error integrum ferè mensem aliquãdo capere potest; quãdoquidem si mulier desinentibus, exempli gratia, menstruis, conceperit; quoniam à die, quo primùm defecerint, cùm expectarẽtur, ex Vallesij decreto ineunda computatio est; iam non ante diem trigesimum transactum, vel circiter, quod est spatium reditus menstrui fluxus, computatio incipere poterit: nam & sic ab eo die, quo primùm defecerint, cùm expectarentur, fiet computatio: quare cuncti dies illi, qui à conceptione ad huiusmodi tempus nouæ apparitionis fluxerunt, in calculo prætermittentur, qui viginti esse possunt; quod quidem est absurdissimum. Hinc eiusdem error; quòd dicat secundum suum computandi modum semper gestationem attingere nonum mensem, & nunquam excedere, & dies 270. procedere à conceptione; si autem à menstruis fluentibus fiat computatio, semper videri produci partus vltrà nouem menses græcos. enimuero & ob expositam causam si dies 270. à tempore, in quo menstrua defecerunt, cùm expectarentur, numeremus; à conceptione plures, quàm 270. quia scilicet ante hoc tempus facta sit, contra Vallesij decretum numerabimus: & si etiam à fluentibus menstruis computemus, nonne septimestris minor nasci potest? & si à deficientibus, nonne maior decimestris? quare pariter falsum nunquam gestationem à desinentibus menstruis factam nonum mensem posse excedere, ab apparentibus semper superare. At enimuero si ab apparitione mẽstruorum fiat computatio, non solùm insignis aliquis huiusmodi error contingere non potest, sed nec ferè etiam sensibilis vllus, si ea memoria teneamus, quæ de cõceptionis periodo supra docuimus. Cùm enim Hippocrate, Aristotele, Galeno asserentibus, simulq; ratione, & experientia mulier incipientibus tantùm, vel desinentibus menstruis concipere queat; vel saltẽ, vt plurimùm ita contingat; iam cùm menstrua apparent, certa est mulier, se in vtero non habere; certa, inquam, prout certitudo in his locum habet; quia videlicet sic ratio dictat, & experientia. enimuero vt plurimùm videmus, quæ vtero gerunt, & iam conceperunt, talibus menstrua non commoueri. cui quidem rei ratio etiam suffragatur; cùm menstruus sanguis ad fœtus iam concepti nutritionem sit necessarius: quare si exit fluxu præsertim diuturno, argumento est, mulierem non concepisse; vel si concepit, vt aliquando contigisse compertum est, sed rarissimè; id morbosum, ac præter naturam, vt septimo Historiarum, & primo de Animalium Ortu do-

Ca. 2. et 3.
Cap. 19.

docuit Aristoteles, videtur existimandum. Quòd si mulier multis ante menstruorum tempus diebus, vel post cum viro congrediatur; certa pariter est, se concipere non posse; tùm ob alias causas supra explicatas, tùm ob eam maximè, quia vasorum ora sint clausa, ideoq; materia desit fœtui concipiendo: quod pulchrè libro primo de Animalium Ortu his verbis expressit Aristoteles. διὸ οὔτε ὅλως μὴ γιγνομένων αὐτῶν γεννᾷ τὸ θῆλυ. ὅτε μὲν γὰρ οὐκ ἔχει τροφὴν οὐδ' ὕλην, ἐξ ἧς δυνήσεται συστῆσαι τὸ ζῶον ἡ ἀπὸ τοῦ ἀῤῥένος ἐνυπάρχουσα τῇ γονῇ δύναμις, idest. Quamobrē neq; omnino cùm mēstrua non fluunt, concepit mulier. tunc enim alimētum materiamq; non habet, ex qua possit constituere animal vis, quæ in maris inest genitura. Si rem habuit cum viro menstruis desinentibus, & postea, cùm rursus expectarentur ipsa, deficiunt; certa est, se per mensem ferè antea concepisse. si menstruis incipientibus congressa est, & fluxus retinetur, certa pariter est, se tunc concepisse. quare longè tutior, ac certior ab ipsa apparitione computatio.

Cap. 19.

Superiora plenius comprobantur. difficilis quadam tollitur dubitatio. Aristotelis locus obscurus explicatur.

Cap. 125.

IAm verò ab hoc ipso principio nostrates etiam mulieres gestationis calculum subducere, omnibus est notum. nam si exempli gratia hodie alicui mulieri ad finē mensis Maij deficiant menstrua; hęc se per mensem grauidam esse inquit; et non à fine Maij, scilicet ab eo tempore, in quo primùm menstrua defecerunt cum expectarētur, vt Vallesius voluit; sed multò ante, scilicet ab eo, in quo iam fluxerunt illi, calculum orditur, atq; hanc tritam esse nostrarum mulierum, & consuetam gestationis computandæ rationem palàm est. licèt non me præterit, Ferdinandum de mulierum computandæ gestationis modo aliter sentire, & scribere in Commentarijs super libello de Partu Septimestri, cuius verba præstat afferre. Rogaui ego (inquit) identidem quàmplurimas mulieres, quæ de partus gestatione, atq; conceptione exactissimam rationem reddere videbantur, ac cum iudicio haudquaquam vulgari; quæ omnes nouem menses verè supputabant, relicto illo, in cuius fine menstrua purgatio defecisse primum notabatur. Immò ex his aliquot non solùm illum mensem fore relinquendum contendebant, sed alterius quindecim dies detrahendos esse calculo, qui cum quindecim alijs primi mensis, mēsem constituerent: ex qua profectò computatione decimestres exultare tales partus, ac nonnunquam vndecimi mēsis principium attingere, tàm est apertum, quàm quod maximè. precipuè cùm opportunissimum tempus conceptionis illud esse credatur, quod proximè sequitur menstruam purgationem: consequenterq; grauida cēseri debeat iam per vnicum mensem, antequam deficere primùm menstruæ expurgationes obseruentur. Quòd si ita habet, vt decimestres sint partus humani, maxima saltem ex parte; cur tantoperè in reddenda ratione diuersitatis ad criticorum dierum, mensiumue certos numeros confugere sunt soliciti curiosissimi alioqui scriptores? siquidem decimus mensis extra illos penitus extat existimandus, qui vel eorum iudicio comprobantur. Hæc ille; sed certè quas ego mulieres interrogaui de partus gestatione; omnes, non quidem relicto mense illo, in cuius fine menstrua purgatio defecisse primùm notabatur, longèq; minus alterius diebus quindecim, visæ sunt mihi nouem menses supputare: nam sic cum Vallesio ab eo tempore, in quo primo menstrua defecerunt, cùm expectarentur, calculum ducerent; sed ab ipsa ferè menstruorum apparitione; cùm se multò antea concepisse, & putarēt, & testarentur. quod tamen & hîc Ferdinandus faciendum esse, videtur concedere; volens post menstruam expurgationem, & quod redit ferè in idem, ab ipsa apparitione menstruorum grauidationis tempus esse supputandum: quod & nostra pariter docet disputatio: nempe quia, vt rectissimè ipse inquit, mulier grauida censeri debeat iam per vnicum mensem, antequam deficere primùm menstruæ expurgationes obseruentur; nam & hac de causa, vt reor, adiungit, humanum partum maxima ex parte decimestrem inueniri. nouem enim mensibus, quos supputare mulieres relicto illo, in cuius fine menstrua purgatio deficere primùm notatur, inquit Ferdinandus, relictus ille mensis addi debet, per quem antea grauida est; quare & decimestre spacium assurgit. Nec obijciat aliquis, hoc etiā modo, ab apparitione .f. mēstruorum ducta supputatione, egregiè mulierem hallucinari posse; vbi scilicet cum viro iam menstruis desinentibus congressa non concipiat; deinde cùm tempus instat

Com. 7.

nouæ fluxionis, cum ipso rursus viro cógrediatur, & concipiat; quo pacto cessantibus menstruis ob factam conceptionem, nec apparétibus extra vterum, se antea per mensem concepisse existimabit, si ab ipsa apparitione gestationis initium subducatur; quæ per triginta ferè dies antea præcessit (eò quòd, vt pulchrè Plinius inquit, nosq; supra innuebamus, hoc tale tantumq; omnibus tricenis diebus malum in muliere existit) cùm alioqui re vera non tunc conceperit, sed secundo tempore; cùm scilicet immineret noua fluxio, sed defecit propter factam conceptionem: quandoquidem obiectio est nulla; cùm incipientibus iam menstruis, atq; si non extra, saltem intra vterum apparentibus, vt supra vidimus, sic conceptionem fieri doceant Hippocrates, Galenus, & Aristoteles, vt mulier ob corporis, quam percipit, conturbationem, cùm iam iam eruptio imminet illi menstruorum, facilè se priori tempore non concepisse cognoscat: vnde quæ mulier nullam talem persentit conturbationem, nullumq; fluentium menstruorũ motum, & quasi præparationem (enimuero grauida mulier à menstruis fluentibus, vt notauit libello de Natura Pueri Hippocrates, non conturbatur) tametsi paulò ante quàm erumpere solent, cum viro iungatur, se non quidem tunc concepisse facilè percipiet, sed multò antea; videlicet cósimili tempore eruptionis proximè præterito. quæ verò talem percipit conturbationem, talemq; commotionem, ac præparationem, demumq;, vt supra appellauimus, intra vterum apparitionem menstruorum, si non extra; certa esse debet se tunc concipere, tametsi etiam nulla appareret extra vterum, non antea, tempore scilicet præterito alterius fluxionis. nam & hoc est, quod supra dicebamus, apparitionis menstruorum nomine, tàm intra vterum fluxũ, quàm extra esse intelligendum. quod sanè primum, cùm iam iam fluxu imminéte mulier congreditur cum viro, & concipit, locum habere, quo casu sistitur ipsa fluxio exterior, nemo est, qui non videat. Nec obijciat rursus aliquis, quia non statim fit conceptio, retentum semen à superueniéte mox in vtero sanguinis abundantia obrui debere; enimuero tametsi nó illicò cóceptio absoluatur; quoniam tamen natura præparatur ad ipsam; ob superuenientem alterationem hic totius sanguinis ad vterum concursus, & fluxus retardatur. Hinc Hippocrates, vt hanc doceret veritatem, dixit vniuersaliter. ἀπὸ τῶν γυναικείων faciédam esse computationem, dixeris ab ipsis muliebribus; neq; expresit ab apparétibus extra vterum. considerauit enim dari casum aliquando, in quo si non ab apparitione menstruorũ extra vterũ, saltem ab apparitione intra ipsum cóputationem fieri oporteret. Itaq; nullus, mea sententia, huiusmodi contingere quit error insignis, sicuti in Vallesij modo computandi; vel saltem longè difficilius. Quòd verò idem addit Vallesius, mulierem, si conceperit recens expurgata, initio noni esse parituram; si cùm iam menstrua imminerent, in fine; si inter hæc, medio mense, semper tamen intra nonum græcum, & nunquam vltrà 270.; hoc nullam habere firmitatem, satis ex superioribus conuincitur. cùm & diutius, & citius gestari partus posit pro temperamento, & quantitate menstruorum, agentisq; virtutis, ac pro dierum numero, quibus fluunt. præterquàmquòd nec intermedio tempore cóceptio Hippocratis, Aristotelis, & Galeni decreto fieri potest, quia fluxus viget impetus; & si fieri posset; ob menstruorum copiam & longisimæ maturitatis partus, & fœminei sexus, vt ex libro de Superfœtatione supra dicebamus, gigni deberet; ac vltrà nonum partus produceretur; tantùm abest, vt medio nono, in lucem perueniret. Sed difficilis oritur dubitatio; Hippocrates enim in computatione spatij septimestris, dierũq; 182. hor. 15. initio Opusculi de Septimestri Partu, à conceptione ipsa videtur ordiri calculum gestationis; accipit enim dies 15. de mése primo, quo tempore supponit conceptionem factam esse; itaq; non ab ipsa apparitione menstruorum calculum ducit, vt supra de illius mente perpetuò faciendum esse, dictum fuit. ita enim, si mensis initio cum interlunio menstrua vt plurimùm apparent; non à die 15. primi mensis, & sic nó à plenilunio ratio erat Hippocrati spatij septimestris ineunda; sed à primo mensis die, idest ab ipso interlunio: & sic non dies tantùm 15. de primo mense, sed mensis totus erat illi numerandus; proindeq; & septimestre illud interuallum dierum 196½ definiendum, non 182. hor. 15. vt factum ab eo videmus. Respondeo, facilem esse huius obiectionis dissolutionem, si memoria repetamus, superius à nobis esse positum, mulieribus illis, quæ gerunt septimestres, menstrua vt plurimum circa plenilunium commoueri; Hippocraté verò eo exemplo hoc ipsum supposuisse táquam ma-

Lib. 7. Cap. 15.

magis naturale; postremò in hoc explicando sexto capite acceptum esse, apparitione menstruorum, non solùm cùm extra vterũ fluentia apparent, intelligere oportere; sed etiam cùm intra vterum per venas in illum desinentes fluere incipiunt; idq; locũ habere cùm iam iã imminente fluxu, vel paulò ante mulier virum adit, & sequitur postea conceptio. his enim ita constitutis facilè videbimus, Hippocratem in computatione spatij septimestris ab apparitione menstruorum, idest ab eo tempore, in quo primùm cęperunt in vtero apparere, grauidationis principium numerasse. Cùm enim illis, quæ gestant septimestres, circa plenilunium menstrua commoueãtur, breuissimoq; tempore fluant; vna scilicet, vel altera die, triduo, vt plurimum; proindeq; breuissimam habeant periodum conceptionis: quæ dimidio anno pariunt, si die 14. mensis cum viro coniungantur, imminente scilicet iam iam expurgatione, facilè poterint die sequenti concipere; vt rectissimè Hippocrates dies 15. de primo mẽse scripserit esse capiendos; itaq; & dubitatio nulla. Hinc fortasse causam habes,

Cap. 3.

cur septimo Historiarum scripserit Præceptor. αἱ δὲ καθάρσεις φοιτῶσι ταῖς πλείσταις ἐπί τινα χρόνον συνειληφυίαις. idest. Purgationes autem accedunt plurimis, cùm conceperint ad tempus quoddam. hoc enim cõtingere facilè posse illis mulieribus, quæ incipientibus menstruis concipiunt, ratio suadet; conuerso enim per id temporis toto corpore ad expurgationem, quibus mẽstrua valde redundant, quia fluxus iam inceperit, possunt ipsa mẽstrua nõnullis post conceptionem diebus adhuc fluere, adeòq; fluere abundanter, vt etiam extra vterum appareant. quod fortasse considerãs

Cap. 19.

Aristoteles primo libro de Animalium Ortu, id si contingat, scripsit nullum esse absurdum. atq; eius hæc est oratio. οὐδὲν δὲ ἄτοπον τὸ συνειληφυίαις ἔτι γίγνεσθαι. καὶ γὰρ ὕστερον μέχρι τινὸς φοιτῶσι τὰ καταμήνια. ὀλίγα δὲ καὶ οὐ διὰ παντός. ἀλλὰ τοῦτο μὲν νοσηματῶδες. διόπερ ὀλίγαις, καὶ ὀλιγάκις συμβαίνει. idest ex Theodoro. Nec verò absurdum quicquã, si à conceptu item effluunt menstrua; nam vel post aliquandiu prodeunt; quanquam parcè, nec semper. Sed id morbidum est; quamobrem paucis & raro accidit. neq; enim ἄτοπον, idest absurdum esse potest, quod probabilem aliquã habet rationem; proinde septimo Historiarum dixerat ταῖς πλείσταις, idest mulieribus plurimis euenire; quæ enim plurimis eueniunt in natura, ea certè nec absurda, nec sine ratione esse possũt. Quòd si verbis paulò supra adductis ex primo libro de Animaliũ Ortu morbidũ esse id, paucisq; propterea, & rarò accidere, scribit Aristoteles: quod non exiguam nobis difficultatem afferre debet; si enim morbidum est, & paucis, raròq; cõtingit; quo modo plurimis? quo modo non absurdum? & si non absurdum, si plurimis euenit, quo modo morbidum, paucisq;, & rarò accidit? hoc certè (periclitandæ enim vires ingenij, & hæc oratio inclusa in veritatis lucem proferẽda est) meo quidem iudicio aliò tendit. quandoquidẽ non intelligit Philosophus, nisi velit cùm semetipso atrociter pugnare, morbidum esse, paucisq; & rarò accidere, vt à conceptione aliquandiu menstrua prodeant, parcè, scilicet, nec semper, vt idem ipse explicat; nam hoc paulò supra dixit nullum esse absurdum, & septimo Historiarum plurimis contingere. Sed intelligit, morbidum esse, paucisq; & rarò accidere, si contrario modo menstrua fluant à conceptione; scilicet non pauca, & semper; toto videlicet tempore gestationis: qua de re eleganter

Cap. 2.

septimo Historiarum fecit mentionem ita scribens. Γίνεται δ' ἐνίαις καὶ κυούσαις διὰ τέλους τὰ γυναικεῖα, συμβαίνει μέντοι αὐταῖς φαῦλα τίκτειν, καὶ ἢ μὴ σώζεσθαι εἰς αὔξην, ἢ ἀσθενῆ τὰ ἔκγονα γίγνεσθαι. idest ex Theodoro. Sunt quibus prægnantibus etiam menstrua vsq; in postremum gerendi tempus eueniant. quibus accidit, vt parua pariant, & proles, aut minus vitalis, aut infirma procreetur. Itaq; de illis mulieribus, quibus διὰ τέλους, atq; vt primo de Animalium Ortu dixerat διὰ παντός, proindeq; & multa menstrua, & semper fluunt à conceptione, pronunciauit id esse morbidum, si contingat, paucisq; & rarò accidere; & si accidat, esse absurdum. φαῦλα enim pariunt; Theodorus parua, Trapezuntius imbecilles, vetus Interpres praua interpretatur; mihi vitiosam, morbidamq; prolem, atq;, vt dixit primo libro de Animalium Ortu Aristoteles, νοσηματῶδες quid videtur significare; idest, vt idem etiã eodem hoc loco explicat, prolem non vitalem, & quæ ad perfectum non seruetur incrementum, ac debilem; quare & verè morbidum huiusmodi accidens venit existimandum. Hinc dixit ἐνίαις, & memorato primi de Ortu Animalium loco ὀλίγαις, idest nonnullis, & paucis hoc euenire, vt ostenderet id tanquã omnino pręter naturam, & morbidum, & absurdũ paucis raròq; contingere. Quod si ita est, verbis

bis illis primo libro de Ortu Animalium. ἀλλὰ τοῦτο μὲν. perspicuum est, subaudiendum esse ex superioribus, idest διὰ παντός φοιτᾶν, νοσηματῶδες. videlicet, semper prodire menstrua, morbidum. vt sententia sit, morbidum esse, si è cõtra semper, multaq; fluant menstrua mulieribus à conceptione. quem sensum particula aduersatiua ἀλλὰ, quæ aduerbio οὐ subiungitur, omnino comprobat; cuius peculiarem vsum in hoc Aristotelis loco notare possumus. Hæc cùm non considerauerint Philoponus, Albertus, & Suessanus (bona venia tantorum Interpretum dixerim) ab huius loci vera intelligentia non parum deuiarunt. Philoponus enim, vt quod non esse absurdum primò dixerat Philosophus, mox verò morbidum dixisse visus est, simul iungeret, ac tueretur, ita scripsit.
» οὐδὲν οὖν ἄτοπον τοῦτο συμβαίνειν αὐταῖς διά τινα νόσον. idest. nullum igitur absurdum hoc illis contingere (intelligitq; quòd parcè fluant menstrua, nec semper) ob aliquẽ morbum. Atqui Aristoteles dixit, non esse absurdum, si à conceptione plerisq; mulieribus menstrua aliquandiù fluant: non dixit, non esse absurdum, id paucis ob morbum euenire. Albertus libro decimoquinto de Animalibus sic locum interpretatus est.

Tract. 2. Cap. 6.

» Amplius aliquando mulier inuenit aliquid de menstruo post imprægnationem; & hoc non generaliter est malum. Iam enim expertum, quòd contigit quibusdam imprægnatis menstruum eo tempore, quo imprægnatæ fuerunt: sed erat fluxus sanguinis modicus, & accidit ex corporis infirmitate, & raró; & ideo non impediuit conceptum. Sed, vt alia interim taceam, Aristoteles dicit hoc loco, paucis mulieribus, & raró contingere hoc accidens; raró intelligẽs, vix semel, aut bis multorũ annorum interuallo. item septimo Historiarum dixerat, cùm id perpetiuntur mulieres, vel fœtum perdere, vel edere imbecillum. atqui videtur Albertus partim contrarium scribere, partim longè diuersum. mulieri enim, cui id euenit. raró in tota gestatione, idest semel, aut bis tantùm huiusmodi fluxum intelligit euenire; cui verò contingit, conceptum hac de causa non corrumpere. Demum Suessanus sic loquitur. Quasi dicat, » propterea est morbidum, quia paucis, & » quidem raró accidit. & putat de illis mulieribus esse pronunciatum, quibus parcè, nec semper dictum est id cõtingere. At verò hoc modo sibi ipsi Aristoteles contrarius, qui plerisq; mulieribus septimo Historiarum memoriæ prodidit hoc euenire, primo de Animalium Ortu, nullum esse absurdum. Cæterũ de sex propositis capitibus, quorum cognitio necessariò præmittenda erat, disputatum est; reliqua est nunc verborum Hippocratis explicatio; in qua afferenda, vt solemus, è fontibus Hippocratis iudicio, arbitrioq; nostro, quantum necessarium videbitur, hauriemus.

Enarrantur Hippocratis verba priora ad decimestres, ac vndecimestres pertinentia; scopusq; totius disputationis ipsius aperitur. Cap. 126.

PLacet igitur, quoniam omnis hoc loco disputatio de vera Hippocraticæ orationis sententia futura est, quam maximè censeo latere in occulto, antè verba rursus afferre. Cæterum decimestres (inquit » ipse) & vndecimestres partus ex septem » quadragenarijs eodem modo fiunt, veluti » ex dimidio anno septimestres. Habet autem græcum exemplar in postrema parte. καὶ ἐκ τοῦ ἡμίσεος τοῦ ἐνιαυτοῦ, non ὡς καὶ ἐκ τοῦ, » & c. vt propterea Caluus ita locum interpretatus sit. septimestres autem ex dimi- » dio anno. alij tamen, vt Cornarius, Mer- » curialis, Lalamantius primo modo legisse videntur. quorum Lalamantius propterea desiderari particulam, ὡς, scripsit; quasi inter vtrosq; partus, atq; inter gestationis tempora comparationem Hippocrates faciat; ac decimestres, & vndecimestres cum septimestribus, septem verò quadragenarios conferat cum dimidio anno. verùm quoquo modo legatur oratio, nihil refert, cùm vtroq; modo sequatur idem. Est autem horum verborum sententia talis, disputationisq; tale consilium; quanquam & de huius loci nexu nonnulla etiam sequenti libro disputabimus. Cùm iampridem libello de Natura Pueri Hippocrates ostendisset, eas mulieres hallucinari, quæ, cùm vndecimum mensem aliquando apprehendant, à conceptione propterea ad partum plures quàm menses decem se gestare fœtum arbitrantur; vt sententiam hanc magis comprobet, hoc loco docere aggreditur, quo modo verum esse possit, vt nullo etiam contingente mulierum errore, nempe seruato debito computandi modo, ac secundum veram, naturalemq; rationem dimetiendi partus tempus, perfectissimus gestationis limes, dies scilicet 280. & quadragenarij septem (quod spatium decimestrem partum constituere toties decla-

 ra-

rauit) non solùm decimum totum capiant, sed ad vndecimi quoq; initiũ posſint peruenire: adeò vt mulier non solùm decimo toto geſtare fœtum, ſed etiam vndecimi initium videatur apprehendere: quanquã à conceptione ad partum verè nõ ſint plures quàm dies 280. & quadragenarij ſeptem. videbat enim ex hoc facilè oſtendi; ſi dies 280. à conceptione numerati, qui decimeſtre exactum non æquant interuallum, vndecimum aliquando attingunt; nullam eſſe neceſsitatem, vt mulieres hac ipſa de cauſa, quia in vndecimum interdum incurrunt, plures quàm menſes expletos decem ſe geſtare vterum putent à conceptione ad partum. vt hinc illorum facilè redarguatur error, qui ea, quæ in his Opuſculis ſcribuntur ad eorum comprobationem, quæ in Opuſculo de Natura Pueri tradita ſunt, è diametro ijs, quæ ibi leguntur ſcripta, contraria eſſe arbitrantur; adeò vt modò hos, modò librum illum, vt ſe ſe explicent, Hippocratis eſſe negent. cùm enim videant, memorato Opuſculo decimeſtrem admitti, vndecimeſtrem reijci; è cõtra in his libellis recipi vndecimeſtrem; & contradictioni huic diſſoluendæ non eſſe locum, & præſertim librum de Natura Pueri non eſſe Hippocratis ſibi, & alijs ſuadere conãtur. Hoc igitur Hippocrates vt efficiat, ſtatim ſubijcit ſeptimeſtrium exemplo, qua ratione computandum hoc dierum 280. veniat interuallum. Nam & hoc eſt, quod inquit, decimeſtres, & vndecimeſtres eodem modo fieri, ſicut & ex dimidio anno ſeptimeſtres: quibus perſpicuè ſignificat, non abſimili oſtendi computatione, decimeſtres, & vndecimeſtres, ſeptem quadragenarijs fieri, qua & ſeptimeſtres dimidio gigni anno demonſtratur. quanquam & hæc interſit differentia, quòd ſeptimeſtres ſic oſtendimus ex dimidio gigni anno, vt dierum ſummam, quæ dimidium annum capit, de primo ac ſeptimo menſe maiorem partem accipere doceamus: at quod pertinet ad vndecimeſtres, ſic eos ſeptem quadragenarijs gigni probare poſſumus, vt hanc dierum ſummam ipſius primi, & vndecimi partem longè dimidia minorem oſtendamus accipere. ſiquidem hoc ſenſu ipſius verba intelligenda eſſe vt doceret Hippocrates, ſemel & iterum inculcauit, in hac computatione ſumi pro fundamento, mulierem concipere vltrà pleniluniũ; hoc .n. poſito ſequebatur, minorem dimidia primi menſis partem, ſi à conceptione calculum ordiamur, neceſſariò numerari. Item ducentos & octoginta dies vndecimum menſem ἐπιλαμβάνειν, quod eſt propriè attingere menſem vndecimum, ac ipſius tantùm initium vix apprehendere. Iam verò hîc, vt videmus, dies 280 dimidio anno reſpondere, decimeſtre ſpatium, & vndecimeſtre ſpatio ſeptimeſtri, ſatis conſtat. quo autem modo ſeptimeſtres ex dimidio anno conſtent, nil docet hoc loco Hippocrates; quoniam ſupra id iam abundè declarauerat initio Opuſculi de Partu Septimeſtri: qua de re in principio huius libri diſputauimus; vt hinc facilè eluceat, interpretationem noſtram Hippocratis genium omnino habere. Item & ipſius verba de minori ſeptimeſtri tantùm eſſe intelligenda, palàm eſt, nullo pacto de maiori, vt ſupra ſuo loco dubitabamus; cùm de minori tantùm docuerit, dimidio anno ipſum fieri. Probauit autem diuinus vir eo loco, vt à nobis fuit explicatum, ſeptimeſtres ex dimidio anno conſtare; partem primi menſis, ac ſeptimi, & intermedios totos, integroſq; aſſumens; oſtendenſq;, ideo verè dici ex dimidio anno gigni, quia hoc dierum interuallum maiorem partem de primo menſe, & ſeptimo, ac inſuper totos ingreſſos quinq; capiat. at ſimili computatione (ſi quis acutè introſpiciat) dicens eodem modo decimeſtres ex ſeptem quadragenarijs fieri, quo & ex dimidio anno ſeptimeſtres; oſtendi poſſe, ipſos decimeſtres ſeptem fieri quadragenarijs hoc loco indicat. ſi enim de primo mẽſe ſumamus dies pariter quindecim, & totos integros octo, qui diebus 236. integrantur; videbimus ex ſumma dierum 280. ad decimum menſem integrandum ſupereſſe dies ferè triginta; vt nulla poſsit eſſe dubitatio, decimeſtres partus ex ſeptem quadragenarijs non generari. Quòd cùm videret Hippocrates per ſe clarum eſſe, ac euidens, nil hac de re ſibi putauit diſſerendum; ſed totum ſe dedit, vt oſtenderet, quo modo dies 280. ex recta naturaliq; computatione vndecimum menſem valeant apprehendere: quod non exiguam cernebat continere difficultatem; eò quòd, tãetſi dies quindecim ſimili calculo de primo ſumamus pro ipſo primo menſe; nullo tamen pacto dies 280. etiam iuxta Lunarium menſium quantitatem vndecimum poſsint apprehendere. cùm enim pro ſumma dierum 280. integranda deſint diebus 265. dies tantùm 15. menſes verò completi Lunares nouem ſint dies 265. cum dimidio; palàm eſt dies ipſos 280. vndecimum menſẽ

non

non attingere, sed in penultimum tantùm diem Lunaris decimi incurrere; iuxta verò tricenûm mensium quantitaté vix quintum supra vigesimum diem decimi apprehendere. Scopus igitur ad summam loci huius difficillimi talis est; nempè demonstrare, quo modo septem geniti, editiq; quadragenarijs dici possint ad vndecimum peruenire.

Reliqua verba ad purgationum, & conceptionis tempus pertinentia explicantur.

Cap. 127.

ID autem, vt commodè exequatur Hippocrates, & probet, tantæq; rei causam reddat; statim propositionem illam subiungit tanquam fundamentum totius disputationis, plurimis mulieribus necesse esse concipere post menstruam expurgationem. siquidem inquit. Plurimis enim mulieribus necessarium est in ventre concipere post menstrua purgamenta, modò hæc habeant. quæ quidem necessitas satis apparet ex his, quæ diximus in quinti capitis tractatione. cùm enim maximæ mulierum parti, vt hoc etiam in loco idé mox subdit, menstrua fluant per plures dies, proindeq; copiosa; hinc necessariò fit, vt maxima etiam mulierum pars post mēstrua purgamenta concipiat; quia in huiusmodi talibus, cùm fluere incipiunt, difficilius retinet vterus genituram; vt potè conuerso per eum ad copiosam euacuationem toto corpore: & si retinet, facilè eam superueniens sanguis eluit, vel obruit. at à recens facta euacuatione menstrua facillimè in istis fit conceptio; quin etiam & ferè necessariò; cùm illa incipiente ob dictam causam fieri nequeat. etenim & nuperrimè aperta hiant os vteri, & quæ in vterum finiuntur venæ, & arteriæ; quod secundo Epidemion significauit Hippocrates, dicēs post menstrua aliquando dextra, aliquando sinistra hiare; & recens vacuatus vterus auidè humorem trahit, ac genituram. Atq; hoc satis citato loco monstratum est. Hinc Lalamantij error insignis, qui cùm nō animaduertisset his verbis, ac tota demum sequenti disputatione causā explicari, cur vndecimestres septem quadragenarijs oriri dici possint, particulam γάρ, pro δὲ positam contendit. Hoc vno iacto fundamento alterum postea iacit Hippocrates; petens sibi concedi, mulieri oportere tēpus dare mensis ad concipiendum, in quo purgatio ipsi contingere solet; siquidé ita subiungit. Oportet igitur mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio cōtinget. at tempus id mensis dies sunt expurgationis, ac menstrui fluxus; quod sequentibus verbis apertè declarat Hippocrates, simul docens breuissimum esse dierum trium: plerisq; verò mulieribus longè plurium. nam dicit. Et hoc tempus, quibus breuissimum fit, tres sunt dies; plerisq; autem multò plures. de qua re nos supra in explicatione secundi capitis diligenter. Itaq; mulieri dies menstrui fluxus, & quibus purgari solet, dare oportebit; dare, inquam, ad concipiendum, vt superius exposuimus. de conceptione .n. ipsa loquitur Hippocrates; & cùm dixisset plerasq; mulieres post menstrua purgamēta concipere; ne quis crederet, statim fieri post ipsa purgamenta cōceptionem, si cum viro mulier tunc congrediatur; opportunè id subiungit; admirabilem hac in re, vt superius quoq; diximus, naturæ ordinē patefaciens. cùm enim conceptio, vt in expositione quinti capitis abundè probatum est, dierum periodo, & curriculo iudicetur, efficiaturq; ac per aliquot dies in vtero genitura contineatur, antequam conceptio fiat; hos dies quot sint declarans Hippocrates, inquit, expurgationis dies illos æquare. quandoquidem & hoc est, quod infra subiungit, vt proportionē hanc ostendat inter conceptionis dies, ac menstrui fluxus, non esse possibile in paucioribus partibus fieri menstruorum solutionem, fœtuumq; conceptionem. de qua re tota, & quam ob causam eueniat, diligenter actum est in quarti, & quinti capitis explicatione. Itaq; sententia erit, dandum esse mulieri pro conceptione absoluēda tempus mensis, in quo ipsa purgatur, dies videlicet menstrui fluxus; ita vt à suscepto, retentoq; semine ad tot dies conceptio retardetur. quibus etiam verbis alterum illud nobis maximè animaduertēdum insinuat Hippocrates, quod tetigimus in quinti capitis enodatione. aperit enim qua mensis parte fiat naturaliter magis, & facilius ipsa conceptio; simul petens, vt hoc sequatur, sibi concedi, tempus dandū esse mulieri ad concipiendum, in quo purgatio contingit; idest mulierem virum adire finita expurgatione. nam & hoc est, quod dixit paulò supra, plerasq; mulieres post menstrua purgamenta in ventre concipere; hoc est quod his verbis inquit, oportere mulieri tēpus dare expurgationū, videlicet iam desinentium; dare, inquam, hoc

hoc tempus tanquam optimum, vt cum viro congrediatur; quare duo præsenti oratione docet Hippocrates maximi momenti licèt obscurè, tanquam breuitatis amantissimus; & tempus dandum esse mulieri, in quo virum adeat, idq; esse illud, in quo iā menstrua desinunt; & tempus itidem dandum esse illi, postquam virum adierit, susceperitq; genituram, & retinuerit, ad cōcipiendum, idq; dies esse respondētes diebus expurgationis; adeò vt iuxta numerum horum dierum conceptio in eā differatur. Cæterum quoniam non solùm hac de causa, quæ communis est, ac naturalissima, in omnibusq; mulieribus locum habet, conceptio profertur; verùm etiam ob mēstruorum vel insolitam copiam, vel insignē frigiditatem, vel ob agentis virtutis imbecillitatem; propterea, vt doceat his quoq; & similibus de causis, tametsi longè minus secundum naturam, conceptionem retardari; non tantùm quia mulieri tempus expurgationum dare oporteat, ita subiungit.
» Sunt autem & alia multa impedimenta in
» mulieribus, & viris, ex quibus conceptio
» retardatur. quibus simul se aliquid suprà explicasse ostendit, ex quo conceptio retardetur: fuit autem id, huiusmodi post susceptam genituram iuxta numerum dierū menstrui fluxus dilatio conceptionis; qua posita, & explicata hasce alias postmodum subnectit Hippocrates retardationis cōceptus causas; vt clarius, faciliusq; inde probet conceptionem fieri vltra plenilunium; proindeq; dies 280. ac septem quadragenarios in vndecimum mensem necessariò incidere, quemadmodum infra demonstrabimus. Oportet igitur de Hippocratis sententia mulieri tempus dare mensis pro cōceptione facienda, in quo ipsa purgatur: quod tempus, vt quantum sit doceat Hippocrates, & quotam mensis partem sibi cōceptio adsciscat; addit statim hoc vel maximè considerandum esse, numeniam, videlicet primum mensis diem, in quo nouilunium conficitur, trigesimam esse mēsis partem; duos dies fermè quindecimam; dies verò tres partem decimam: addens in paucioribus partibus neq; fieri posse mēstruorum solutionem, neq; fœtuum conceptionem; in paucioribus inquam earum partium, quæ supra enumeratæ sunt, scilicet vna die, vel duobus, vel tribus; nam has tres partes, ac dies supra recensuit. nec tamen pugnat id cum eo, quod paulò ante scripsit, breuissimum tempus, in quo mēstruorum fit solutio, tres esse dies; enimuero nō sic esse breuissimum protulit; vt eo breuius censuerit dari non posse; seb breuissimum dixit, quia communiter non paucioribus diebus menstruorum fit solutio mulieribus; & quia breuissimum iure dici potest dierum trium interuallum, cùm & breuissimo sit propinquum, ac affine, scilicet vni diei; & inter breuissima tempora recenseri debeat, breuissimumq; tempus terminet; quoniam quarti diei expurgatio iā ad longius tempus referatur: de qua quidem re satis in secundi capitis explicatione dictum fuit. Itaq; his admonemur, si mulieres triduo purgantur, pro cōceptione decimam mensis partem sumi debere; si biduo, partem quindecimam; si longè pluribus, vt plerisq; contingere notat Hippocrates, ad horum proportionem, vt idem subdit; idest si exempli gratia diebus decem, partem tertiam: quod quidem hac de causa tanquam maximi momenti considerandum esse ipse admonet. magni nanq; refert in computatione ineunda, vt sciamus, quota mensis pars mulieri pro conceptione sit tribuenda. quanquam & cur numeniæ faciat mentionem; item trigesimę, & quindecimę partis mēsis alia est grauissima causa, quam infra aperiam. quo etiam loco, si accuratè animum intendamus, videbimus, Hippocratem eam omnino docere veritatem, quam supra, Auicennæ verba illa de conceptione obscurissima, & sententiam explicantes, lectoribus proposuimus considerandam. videlicet cōceptionem ipsam non ad semen & genituram referendam esse; ita vt dicamus mulierem concepisse semen, quemadmodum pleriq; crediderunt; sed omnino ad fœtum ipsum, & embryonem. Siquidem hîc Hippocrates eam perspicuè refert ad embryonē, non ad semen, vel genituram: scribit enim. οὔτε τὴν σύλληψιν τῶν ἐμβρύων, non τῆς γονῆς, »
vel τοῦ σπέρματος. idest, neq; embryonum »
conceptione; non conceptionem seminis, » *Cap. 7.*
vel genituræ. cui septimo Historiarū consentit Aristoteles, qui, vt hoc idem significaret; vt doceret se loco illo de seminis, vt ita loquar, in vulua adhæsione habere sermonem, non de conceptione; dixit, quēadmodum supra notauimus, non quidem vuluam semen concipere (nempe quia putaret conceptionem ad semen non esse referendam) sed è contra semen ipsam vuluam apprehendere; dixeris vuluæ hærere. Cęterum his positis, & concessis, quid sequi necessariò voluerit Hippocrates videamus.

Quo

Quo modo ex positis necesse sit de Hippocratis sententia plerasq; mulieres circa plenilunium, & vltrà in ventre concipere, ac diem 280. vndecimum mensem attingere.

Cap. 128.

„ Ex his igitur omnibus necessarium est,
„ plerasq; mulieres circa plenilunium,
„ & vltra in ventre concipere, vt 280. dies
„ sæpe vndecimum mensem apprehedere vi-
„ deantur; tot enim dies septem quadrage-
„ narios constituunt, sic ex his, quæ posuit, accepitq; superius, Hippocrates cõcludit. Posuit autem duo, & plerasq; mulieres post menstrua purgamenta in ventre concipere, & mulieri tempus ad concumbendum, concipiendumq; dare oportere, in quo purgatio illi contingit. Verùm dictum est in primi capitis enodatione ex eius sententia, cur menstrua fluant mulieribus, & qua mensis parte; ac decrescente mẽse & nouilunio, quin etiam & circa primum sextilem maximè moueri demonstratum, & qua de causa. in secundo capite, quot diebus fluant, ac plerisq; mulieribus longè plures, quàm dies tres fluere explicatum. in tertio, quo modo menstruorum, & expurgationis ratione gestatio proferatur. in quarto, & quinto, quid sit ipsa cõceptio, & quot diebus efficiatur, quaue mensis parte; an facilius incipientibus mẽstruis, vel desinentibus. demum in sexto, ab apparitione menstruorum computationem esse ineundam. quæ omnia rectè intellecta, & accuratè considerata, Hippocrateam necessitatem ex duobus illis fundamentis ab eo deductam luce meridiana ostendunt clariorem. enimuero, vt suo loco ex Galeno toties admonuimus, Hippocrates, cùm necessitatis verbo vtitur, non obseruatione nititur vlla, sed omnino ratione naturali. Verùm necessitatem hãc in singulis partibus demonstremus. Sequitur igitur primùm necessariò, cùm pleræq; mulieres post menstrua purgamenta concipiant, plerasq; etiam concipere circa plenilunium & vltrà. cuius rei ratio est, ac necessitas, quia, cùm decrescente mense, ac circa nouilunium, & primum hexagonũ mẽstrua mulieribus fluere incipiãt, ac frequẽter septẽ dierum, vel octo spatio fluãt; hę quidem, si post mẽstrua purgamenta cõcipere debent; nimirum tempore magis commodo, ac magis naturali, vt supra vidimus; non ante plenilunium concipere poterint: eò quòd, vt in quinto enarrando capite expositum fuit, supraq; hoc loco ex Hippocrate monstratum, mulieri tempus dare mensis oporteat, in quo purgatur; tẽpus, inquam, in quo virum adeat, scilicet quando menstrua deficiũt, vt exposuimus; & tempus, scilicet dies menstrui fluxus tãquam periodum conceptionis. at tempus id, quod periodum dicit conceptionis, dierum septem, vel octo spatium esse sumitur; itaq; si expurgatio, quam nouilunio exempli gratia sumamus incipere, diebus septẽ durat; qua finiente virum mulierem adire, vt diximus, supponit Hippocrates; conceptio verò totidem sibi adsciscit, ac expostulat; necessariò mulier die 14. à nouilunio concipiet, & sic, vt diuinè cõclusit Hippocrates, circa plenilunium. quod idem, & lõgè facilius habere veritatem videbimus, si circa primum sextilem menstrua apparere accipiamus; etiam si paucioribus diebus mulierem dicamus expurgari. Quæ quidem conclusio (nisi me fallo) cogit nos omnino, vt nostram sequamur interpretationem; vtq; tempus mensis, quod mulieri dandum Hippocrates iubet, tempus ad concipiendum necessariò intelligamus: adeò vt per tot dies conceptionis fiat retardatio. Nam si hoc ipsum tempus, quod dandum est mulieri, cum alijs tempus, in quo conceptio fit, interpretemur: vt sententia sit, tempus, in quo purgatio fit, idest in quo ipsa purgatio absoluta est, illud esse, in quo cum viro congrediens mulier statim concipit, vt alij explicant; iam nullo modo ex his, quæ posita sunt, sequi necessariò demonstrabimus, plerasq; mulieres circa plenilunium, & vltrà necessariò concipere, vt Hippocrates concludit: eò quòd si post expurgationem statim mulier concipit, cùm primùm scilicet virum adit; quia decrescente mense, ac circa nouilunium fiat expurgatio, dierumq; septem spatio vt plurimum duret, vt iampridem supra ex Hippocratis, Aristotelisq; sententia probauimus; potius circa nouilunium, & vltrà, ac circa primam quadraturam, demũ ante plenilunium semper, nunquam circa plenilunium & vltrà, plerasq; mulieres necessarium sit concipere; quia circa hæc tẽpora expurgatio finit, finiente verò expurgatione ponatur, ipsas cum viris congredientes statim concipere; quod Hippocraticæ cõclusioni penitus aduersatur: vt omnino iam exposito modo cogamur verba interpretari. Verùm obiecerit aliquis; supra à nobis Plinij auctoritate fuisse definitum, minorum septimestrium esse propriũ,

vt cir-

vt circa plenilunium concipiantur; idq; dictum fuit, Hippocratis principijs maximè esse consentaneum: at hîc decimestribus, & vndecimestribus hoc idem ipse tribuit Hippocrates, vt circa plenilunium concipiantur. Respondemus, eo loco à nobis suppositum esse, mulieribus illis, quæ septimestres circa plenilunium concipiunt, eo etiam tempore menstrua commoueri, & breuissimè fluere; quod Hippocratem nõ leuiter indicasse, suo loco demõstrauimus. at enimuero hîc aliud omnino supponitur, scilicet interlunio excitari mẽstrua, & mulieres longissimum habere expurgationis terminum; quamobrem alia omnino ratione decimestribus, alia septimestribus conuenit, vt circa plenilunium concipiãtur. Sed ad propositum redeamus. Nostra igitur recepta interpretatione non solùm circa plenilunium monstratur fœtum concipi; sed si dies expurgationis plures sint, octo videlicet, ac nouem, vel decem; vel si à primo hexagono moueri menstrua accipiamus; etiam si dies expurgationis existant breuiores, videlicet quinq;, aut sex; omnino vltrà plenilunium conceptionem necessariò fieri ostenditur. quod similiter concludit Hippocrates, & potissimũ vult probare, vt ostendat dies 280. vndecimum apprehendere; nempè quia die 16. 18. 19. 20. à nouilunio fiat conceptio. ac sanè in huius partus computatione, si à nouilunio calculus subducatur, videlicet à tempore, in quo solent menstrua apparere, vt faciendum esse sexto capite probatum fuit; gestatio esse videbitur dierum 294. si expurgationis dies septem fuerint; dierum 296. si octo; si nouem dierum 298. si decem dierum 300. si vndecim dierum 302. idemq; eueniet, si à primo hexagono calculum subducamus; suppositis etiam diebus expurgationis breuioribus. nimirum quia semper diebus 280. dies, qui ab apparitione menstruorum, ac nouilunio, vel à primo hexagono numerantur ad conceptionem, adijcere oporteat. Itaq; in huiusmodi partu verè à conceptione ad exclusionem dies erunt 280. sed à menstruis longè plures: vt propterea 280. dies sæpè vndecimum mẽsem, quemadmodum subtiliter addit Hippocrates, apprehendere videantur, verèq; apprehendant. nam cùm vltrà pleniluniũ mulier conceperit (conceperit autem, vbi expurgationis, menstruiq; fluxus terminũ longissimum habebit; videlicet dierum octo iuxta mensium Lunarium rationem; iuxta tricênum verò dierum vndecim; vel si nonnullis diebus post nouilunium fluxus incipiat, & circa primum hexagonum) necesse erit, non quidem conceptum, aut partum, vt dixisse Hippocratem putarunt Interpretes, sed septem quadragenarios in vndecimum mensem incurrere: vt pro suæ naturæ ratione ad vltimam, longiorem scilicet quam habere gestatio sua natura potest, periodum perueniat. etenim si expurgationis dies octo fuerint, vel si primo hexagono menstrua, moueri incipiant; conceptio per regulam iam expositam erit die 16. à nouilunio, videlicet post medium mensem, ac vltrà plenilunium; proindeq; dierum 280. à cõceptione partus, die 296. excludetur à menstruorum apparitione. qui dies in primũ Lunaris vndecimi incurrit; si vndecim fuerint, aut menstrua iam dicto termino erumpant; conceptio fiet die 22. à nouilunio, exindeq; infantis exclusio à menstruis die 302. qui dierum numerus secundum tricenarij mensis diem attingit. Hoc igitur est, quod ipse inquit, si conceptio fiat post plenilunium, septem quadragenarios, diesq; 280 necesse esse apprehendere vndecimum mensem, vt vltimam periodum assequatur. vltimam enim vocat periodum vndecimum mensem, tanquam postremum in gestatione terminum, quod satis supra, ac libro tertio monstratũ fuit. si enim longissimum etiam expurgationum limitem accipiamus, longissimũq; terminum conceptionis, demumq; longissimum gestationis; nunquam poterit naturaliter vltrà mensem vndecimum partus proferri. ac verbo κατιςῆ vtitur, quo, vt ex Aphorismorum tertio secto Galeni docuimus supra auctoritate, rem propriã, suamq; ordinatim recipientẽ tẽperaturam, ac pro suæ naturæ modo genitã significare solet. rectèq; adiecit ἔξω, .i. vltrà pleniluniũ, vt περὶ, .i. circa, nõ tàm paulò ante, & in plenilunio, quàm vltrà doceret significare; nam, quæ circa plenilunium concipiunt, idest, vel paulò ante, vel in plenilunio; non possunt nõ solùm tricenarium vndecimum mensem, sed nec etiam Lunarem vndecimum partu dierum 280. apprehendere. esto .n. vt in diem decimãquintã Lunaris mensis pleniluniũ incidat; si per id tẽporis fiat cõceptio, dies 280. vt supra dicebamus, in exactũ Lunarẽ mensem decimũ cadent; videlicet in vltimũ ipsius diẽ: vnde vt gestatio vndecimũ atingat, necesse omnino est mulierem cõcipere vltrà plenilunium, quẽadmodũ Hippocrates expressit.

Aph. 8.

Obscurißimus Hippocratis locus explicatur. Ferdinandus, alijq; Interpretes reijciuntur.

Cap. 129.

IAm verò rectißimè diximus præcedenti capite intelligendum esse, dies 280. ac septem quadragenarios, non quidem partum, aut conceptum cum Interpretibus, in vndecimum incurrere; qui ita intellexerũt, ac si à conceptione ad partũ vndecim menses intercedere vellet Hippocrates; vt Ferdinandus Mena à Mercato receptus alijsq; multis, videtur exposuisse, hanc Hippocratis sententiam ita explicans in Commẽtarijs super libello de Partu Septimestri. (Com. 1.) At verò dum alios menses nonomestres videlicet, ac decimestres constituit Hippocrates, non opus est de primo & postremo plus dimidio mensis capiatur: cùm constet apertißimè, de primo fore capiendos per quàm paucos, si ad decimum attingere debeat fœtus, aut ad ipsum vndecimum, cùm enim eiusmodi fœtuum maturationes pluri tempore efficiantur, & satis spatioso, satis est, si aliquantulum temporis, seu dierum, ex primo, postremoq; mensibus desumatur: quod apertè probat Hippocrates; qui libello de Octimestri Partu ad finem, genitos post plenilunium, necessariò ad mensem vndecimum durare intra vterũ conclusit. quod quidem neutiquam fieri potest, nisi per paucißimos dies, vt ad calculum subducenti patebit; etiam si de primo conceptionis mense paucißimos quoq; sumpsetis; quemadmodum fieri necessum est, in his maximè supputationibus, quæ decimum, vndecimumuè mensem sunt obtenturæ. Hæc ille; quo loco, vt videmus, per mensem primum conceptionis mensem intelligens, si de eo quàmminimũ capiatur, ad vndecimum fœtum peruenire perspicuè ponit; & alio loco dixit. (Com. 6.) Si post plenilunium transactum (scilicet conceperit mulier) cùm de primo mense paucos acceperit dies. fit protinus vti partus ad plures menses prorogetur quàm septem. quod & nunquam scripsit Hippocrates, & hoc præsertim in loco contrarium docere profitetur, & vt semper eueniat, nulla est necessitas; cùm ad finem etiam mensis cõceptus pro sui temperamenti ratione possit nasci septimestris, octomestris, vel nonomestris, non perpetuò decimestris, vel vndecimestris: in cuius tamen computanda gestatione de conceptionis mẽse quàmminimum capiemus. Itaq; intelligendum est dies 280. (vt exposuimus) in vndecimũ incurrere, Hippocratem asseruisse; quia scilicet de diebus 280. non de ipso conceptu generaliter, ac partu id pronunciauerit. quod verba paulò supra ab eo posita, docent apertißimè, quibus ita scripsit. ὥστε πολλάκις δοκεῖν ἐπιλαμβάνειν τοῦ ἐνδεκάτου μηνὸς τὰς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίας. τοῦτο γάρ ἐστιν ἑπτὰ τεσσαρακοντάδες. quæ cùm dixisset, addens postea. ὅτι γὰρ ἢν ἔξω τῆς διχομηνίης ξυλλαμβάνῃ ἡ γυνὴ, τοῦτο πᾶν ἀναγκαῖόν ἐστι, τοῦ ἐνδεκάτου μηνὸς ἐπιλαμβάνειν. nemini dubium esse potest, verba illa, τοῦτο πᾶν, ad superiora habere relationem, ac omnino dicere τοῦτο πᾶν, scilicet ὅ ἐστι ἑπτὰ τεσσαρακοντάδες. vt sentẽtia sit, cùm vltrà plenilunium mulier concipit, hoc ipsum dierum interuallum, quod dictum est septem constituere quadragenarios, scilicet dies ipsos 280. vndecimum mensem apprehendere. Atqui Caluus ita hunc locum interpretatus est. Nam si mulier post medium mẽsem concipiat, partus ad vndecimum mensem necessariò perueniet. Cornarius verò sic. Nam cùm vltrà plenilunium mulier concipit, necesse est conceptum vndecimum mensem attingere, ac apprehendere. sic & Lalamantius. Nam si mulier post medium mensem concipiat, partus in vndecimum mensem necessitate quadam & lege naturę differetur. demũ sic & Ferdinãdus in Cõmẽtarijs super libello de Partu Septimestri. (Com. 6.) Cùm vltrà plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum vndecimum attingere pariter, ac apprehendere. qui omnes, vt videmus, quod de septem quadragenarijs, diebusq; 280. pronunciat Hippocrates, ad partum simpliciter, & conceptum falsò transferũt. cuius quidem erroris ea ratio est euidentißima, quòd tam verum est, septem quadragenarios, idest partum diebus 280. & septem quadragenarijs gestatum, si conceptio fiat post plenilunium, vndecimum mẽsem necessariò apprehendere; quàm falsum est, partum omnem simpliciter, atq; conceptum, si post plenilunium mulier concipiat, necessariò vndecimum attingere; eò quòd, vt supra dicebamus, partus post plenilunium conceptus pro menstruorum, ac virtutis formatricis temperamento possit etiam septimi mensis initio, possit ad huius mensis finem, possit octauo, ac nono, demum possit & decimo mense in lucem venire. vt rectißimè Hippocrates hęc ipsa considerans de septem quadragenarijs ac diebus 280., de partu per id tẽporis gestato, non generaliter de omni partu, & cõ-

ceptu

ceptu, de omniq; gestationis termino hoc viderit sibi esse pronunciandum. vt enim supra aduersus Ferdinandum Mena admonuimus, supponit hîc Hippocrates, partum circa plenilunium, & vltra conceptum diebus 280 gestari (nam de septem quadragenarijs, de genitisq; diebus 280. quando vndecimũ attingant, quoue modo vndecimestres septẽ gigni quadragenarijs dici possint, pposuit quæstionẽ) nõ supponit, quot quot circa pleniluniũ, & vltra cõcipiũtur, vt perperam Interpretes crediderunt, diebus 280. necessariò gestari. ex quò & lapsu insigni illud tanquam axioma prodiderunt, cùm mulier vltra plenilunium cõcipit, necesse esse conceptum hunc vndecimum mensem attingere.

Superior explicatio compendiò enarratur; pluribusq; confirmatur.

Cap. 130.

HAec igitur, nostra sententia, hoc loco Senex sapientissimus; quæ recepta planam reddunt, ac facilem disputationem vniuersam, ipsiusq; admirabile hac in re explicanda aperiunt artificium: vt reliquas omnes explanationes ex intimis legẽtium mentibus euellere videatur vis interpretationis nostræ. Cùm enim (vt quæ longius disseruimus, compendiò explicemus) sibi proposuisset ostendẽdum Hippocrates, vndecimestres ex septem quadragenarijs eodem modo fieri, velut ex dimidio anno septimestres: idest, vt ipse se ipsum explicans declarauit, quadragenarios septem à conceptionis mense, ac die numeratos in vndecimum incurrere; non secus, ac anni dimidium à mense, ac die conceptionis cõputatum in septimum mẽsem incurrit: hoc certè, vt iam supra exposuimus, eleganti propemodum ostendit artificio. Supponens enim solitã ab apparitione menstruorum, & vsitatam computandi rationẽ (qua de re tanquam notissima nullum sibi putauit verbum esse faciendũ) item docens plerasq; mulieres post menstrua purgamẽta in ventre concipere; mulieriq; omni tempus esse dandum ad concipiendum: ex his deducit, necessariò plerasq; mulieres non solùm circa plenilunium, sed etiam vltra in ventre concipere: quod quo pacto habeat veritatem, quo pacto hæc necessitas locũ habeat, supposito mulieribus vt plurimùm, quemadmodum Veterum fuit sentẽtia sensuum fide comprobata, circa interlunium menstrua commoueri (quod ante nos nemo demonstrauit) satis docuit superior disputatio. Hoc autem recepto fũdamento, quibus mulieribus conceptio efficitur vltra plenilunium, talibus necesse esse quadragenarios septem, ac dies 280. vndecimum apprehendere, perinde ac dimidium anni, diesq; 182. hor. 15. septimum mensem in computatione spatij septimestris apprehendere ostẽsum est, ex superioribus per se clarum est, ac euidens: quod cùm videam, dum breuiter voluerim dicere, dictum à me esse paulò obscurius, experiar, & dicam si poterò planius. In cõputatione spatij septimestris dictum fuit sumendam esse partem primi mensis, totosq; quinq; medios integros, & partem septimi; sumẽdam autem partem vtriusq; maiorem ob expositas causas: in præsenti calculo docemur modo non dissimili, partem primi & vndecimi accipiendam esse, & nouem integros mẽses intermedios; docemur autem, vt supra etiam vidimus, accipiendã esse partem vtriusq; minorem, quoniam si dies 280. debent in vndecimum incurrere, conceptionem opus est fieri vltra plenilunium: quo pacto supersunt de primo mense necessariò numerandi non plures, quàm 13. proindeq; & pars minor quàm dimidia: nam diem circiter 16. fieri debet conceptio, si vltra plenilunium est facienda. atqui si diebus 13. adijciamus nouem menses integros, dies scilicet 265 $\frac{1}{2}$ assurgunt dies 278 $\frac{1}{2}$ itaq; ad septem explendos quadragenarios, & dies 280. duo ferè dies supersunt ex vndecimo capiendi; proinde conceptione facta vltra pleniluniũ septẽ quadragenarij, & dies 280. necessariò in vndecimum incurrunt, vt concludit Hippocrates; atq; ex consequenti ostenditur, vndecimestres ex septem fieri quadragenariis, sicut ex dimidio anno septimestres; q̃ probandum, supra propositũ fuit: & si calculum ducamus iuxta mulierum consuetudinem ab apparitione menstruorum, partus videbitur gestatus diebus 296. quia dies 16. diebus 280. oporteat adijcere. Nec obstat, quod superius obijciebamus, si ratio eadem, ac in septimestris spatij computatione seruanda est, oportere de primo dies 15. de vndecimo dies 20. accipere; quo pacto dies 280. nunquam poterint in vndecimum incurrere: enimuero Hippocrates perspicuè ostendit, quo modo similitudinem hanc locum velit habere; & quòd eatenus locum habere censeat, quatenus, non secus ac in septimestris spatij calculo, partem de primo mense, & vltimo accipimus,

pimus, totosq; integros menses intermedios. Docuit autem apertè, vt supra etiã vidimus, minorem in hac computatione de primo partem à conceptione sumendam esse, scilicet dies tantùm qui supersunt vltrà plenilunium; cùm dixit, si dies 280. vndecimum debent apprehendere, necessariò fieri cõceptionem vltrà plenilunium oportere: de vndecimo & postremo vix ipsum principium esse capiendum, cùm scripsit hos ipsos dies 280. hoc supposito calculo vix ἐπιλαμβάνειν, idest attingere ipsũ vndecimum. Cur autem probauerit Hippocrates dies 280. in vndecimum posse incurrere, iam supra expositum fuit; iam dictum, si, etiam ab apparitione menstruorum calculo ducto iuxta vsitatum computandi mulierum modum, dies 280. reperiuntur in vndecimum incurrere; longè magis id efficere posse dies 300. spatium scilicet exactum decimestre; vt non propterea ipsæ mulieres, quia à menstruis ducta gestationis computatione ad vndecimum interdum partum differant; asserere debeãt, à cõceptione ad partum dies plures, quàm decimestri exacto cõcludantur interuallo, se fœtum gestare. quæ omnia scripta esse (quanquam Recentioribus nõnullis reclamantibus) ad ea comprobanda, quæ de gestationis termino libello de Pueri Natura tradita fuerunt, supra admonuimus. Hinc etiam præsenti disputatione, quod & supra diximus esse nobis explicandum, περὶ τῆς νυμενίης, idest de ipso interlunio facit mẽtionem: ipsum nanq; tempus notare voluit, in quo primùm menstrua apparere solent, proindeq; & tempus, à quo mulieres gestationem ipsam solent computare. Hinc trigesimam, quindecimam, decimãq; simul commemorauit mensis partem; his enim præter eam causam, quam supra attulimus, docere etiam voluit, quotam mensis partem oporteat numerare ab ipsa numenia, idest à principio, a quo ducitur computatio gestationis. nam si, exempli gratia, per decimam mẽsis partem, scilicet per dies tres mulieri alicui menstrua fluant: huic decima itidem mensis pars danda erit pro conceptione; quare & duæ partes mẽsis decimæ, idest dies 6. à numenia ad cõceptionem erunt numerandæ; & de reliquis idem iudicium. Sed obiecerit aliquis, non solùm nullam esse necessitatem, vt fateamur, Hippocratem hoc loco supponere iuxta vsitatum mulierum computandi modum ab apparitione menstruorum calculũ duci gestationis, sed contrarium potius apparere ex ipsius oratione; cùm velle videatur, ab ipsa conceptione gestationis tempus computandum esse; dies ipsos 280. apertè numerans à conceptione. Respondeo, magnum Medicinæ Parentem, non solùm à conceptione ipsa dies 280. computare, sed vsitatam à menstruis mulierum cõputãdi rationem, vt supra dictum est, omnino hìc supponere. si enim id non esset, si non à nouilunio, mensisq; principio, & quod redit in idem, si non à menstruis apparentibus calculum duceret, qua ratione dicere posset, dies 280. vndecimum apprehendere? dies enim 280. vt ab eodem in calce libelli de Principijs dictum est, menses faciunt tricenarios nouem, ac dies decem; Lunares pariter nouem, ac dies ferè 15. itaq; à conceptione numerati, nunquã poterint in vndecimum incurrere; quare & Hippocrates hoc non potuit nisi falsò affirmare. quo igitur pacto incurrunt in vndecimum? vnde vndecimum mensem numerat Hippocrates? à quo illum principio vndecimum facit? non enim à primo die septem quadragenariorum ob allatam rationem. Sanè septem quadragenarij, diesq; ipsi 280. non alia ratione incurrunt in vndecimum, nisi quia mulieres grauidationis dies computant à mensis principio, atq; à menstruis: ab hoc ipso enim termino, si conceptio fiat vltrà plenilunium, fitq; gestatio dierum 280. hi ipsi dies 280. iuxta hunc vsitatum mulieribus computandi modũ necessariò in vndecimum incurrũt, vt diuinè Hippocrates explicuit. quare & à menstruis ac interlunio, à primoq; die mensis conceptionis vndecimum numerat Hippocrates; ab eoq; mense vndecimũ facit: & ex consequenti necessariò vulgatã hanc, vt dicebamus, computandi supponit rationem. Hinc habes, cur, & quomodo mensis primi pars pro mense toto apud Hippocratem sit aliquando capienda; quod & pleriq; dixerunt (fremant omnes licèt, dicam quid sentio) nulla tamen adducta ratione. capitur enim pars pro mense toto, scilicet ea pars, quæ superest post conceptionem, quia computatio incipit iuxta vsitatum ab Hippocrate receptum mulierũ modum ab ipsis menstruis: quorum fluxus eiusdem mensis initio, ipso videlicet interlunio, supponitur incipere. Itaq; & necessariò pars mensis prior, quæ conceptionem antecedit, posteriori adijcienda est; & ex consequenti mensis totus in computatione capiendus. Potest alia obscurissimi huius loci afferri explicatio, de qua se-

sequenti libro nonnulla dicam; sed hanc longè existimo esse probabiliorem.

Soluuntur decem difficultates initio positæ. Proponitur inuestigandum, an Hippocrates decimestres exactos concedat, ac gestationem vltrà dies 280. proferri velit. ponuntur rationes pro vtraq; parte. Cap. 131.

HAec igitur, vt arbitror, vera est tandem delitescentis huius in tam obscura, tetraq; caligine loci interpretatio; quam vel ipsos Aduersarios veritati, Hippocratisq; verbis cōsentaneam fassuros esse non despero. Etenim necesse est, vt lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere. atq; hac recepta facillimè decem illæ difficultates huius libri initio positæ dissoluuntur. Etenim ad primam responsio patet; cùm iam expositum sit, quo sensu dixerit Hippocrates, septimestres fieri dimidio anno; idq; tantùm de minoribus dixisse. Ad secundam dicimus, iam clarum esse, tàm decimestres, quàm vndecimestres diebus 280. conformari; cùm à conceptione ad editionem tot dies esse numerādos in vtroq; partu censeat Hippocrates: verùm, quia ob computationis modum à menstruorum apparitione propter illas omnes causas, quas ipse docuit, dies 280. in vndecimum incurrunt, idcircò & partus hi vocantur vndecimestres, & nihilominus, non secus ac decimestres, diebus 280. dicuntur conformati. atq; hanc responsionem longè esse probabiliorem, quàm si cum Gorræo, & alijs dicamus, Hippocratem quasi Prothæum quendam, vel Chamæleontem Lunares modò menses, modò Solares induere; vel cùm Lalamantio expurgationis dies non numerare, aut mulierum errore ita fieri velle; facilè quisq; confitebitur. Tertiæ, quo pacto occurrendum, satis item elucet; cùm probatum sit, & ante, & post menstrua purgamenta ex Hippocratis mēte fieri posse conceptionem; & huiusmodi necessitas explicata, nexusq; verborum patefactus. Quarta simul labefactata est, ex eo, quòd latissimè probauimus, temporis huius nomine tempus, tùm ad concumbendum, tùm ad concipiendum Hippocratem intelligere. Quinta simul iam pridem explosa, vbi ostendimus, de numero dierum expurgationis, sibi omnino Hippocratem constare. Ad sextam respōdemus, propter retardationem conceptionis ob dies menstrui fluxus, de qua suprà fecit mentionem, adiecisse Hippocratem, impedimenta alia conceptionem tùm ex parte viri, tùm ex parte mulieris retardare: de qua re satis suprà suo loco; vt omnino de retardatione cōceptionis ante locutum ipsum fuisse appareat. Ad septimā, consilium Hippocraticum iam esse manifestum; cùm ostensum sit, ipsum de illis mēsis partibus triplici de causa fecisse mētionem. Octauæ solutio ex quintæ dubitationis solutione pendet, tùm etiam ex ijs, quæ de conceptione disputauimus; vbi ostendimus, falsum esse eum velle, statim ac semen in matricem emittitur, vel horarum spatio quodam non dierum, vt nonnulli existimarunt, fieri conceptionem. Ad nonam quid dicendum, perspicuum est; cùm necessitas ista iam declarata sit, & quæ sit illius causa, & cur plerisq; mulieribus legem imponat. cùm enim plereq; longiorem habeāt menstrui fluxus terminum, idcircò & pleræq; huic necessitati subijciuntur. Tandem decimæ dubitationis difficultates omnes præter hanc vnam sublatæ sunt, quæ pertinet ad eam quæstionem, an Hippocrates dies 280. sic postremum gestationis limitem esse velit, vt illū credat mulieres naturaliter non posse pertransire. nam & cur in mulieribus vltrà plenilunium concipientibus necessariò dies 280. vndecimum attingant mensem, iam expositum est; & nullum verbum relictum citra enodationem. Quamobrem supersunt pauca quædam, vt suscepto muneri fastigium imponamus, de hac postrema quæstione disputanda; quam boni imperatoris more ceu magis strenuam in vltima acie collocauimus: ea enim est ipsius difficultas, vt fortasse ex Hippocratis dictis planè, & apertè dirimi non posit. itaq; in tanta re opere precium me fecisse arbitrabor, si pro vtraq; parte Hippocratis loca, & rationes in medium afferam, pro viriliq; expendam; quo loco mihi ante omnia lector admonendus est, difficultatem versari totam circa tempus gestationis à conceptione ad partum; an scilicet dies tantùm 280. tempus id esse voluerit Hippocrates, an etiam exactos, integros, plenosq; decem menses tricenarios comprehendere. nam si à menstruis non à conceptione calculum subducamus, non in decimum incurrere solùm gestationem, sed vndecimum quoq; ex illius sententia attingere, abundè suprà monstratum fuit. Quòd igitur plenis, integrisq; mensibus

decem à conceptione ad partum gestari fętum crediderit Hippocrates, his, & similibus quis persuaderi posit. Primùm vulgatissimum illud se se offert ex libro de Alimento. » Alij quinquaginta ad formam, » ad primum motum centum, ad perfectionẽ » trecentos. his enim verbis concedit apertissimè, à conceptione ad partum trecentos intercedere dies: cùm primus terminus, scilicet dies 50. ad primam articulationem significandam positus sit, quæ à conceptione ab Hippocrate computatur, vt ex libro de Natura Pueri patet; vbi dies primæ formationis triginta, si mas gignatur, 42. si fœmina, à conceptione enumerantur. Nec obstat, si dicamus, Hippocratem non suam loco illo, sed aliorum o» pinionem recensere, cùm dicat. Alij & c. etenim infra huiusmodi pariendi tempus vna cum alijs, quæ retulit, approbat dicẽs. » Generantur autem in his, & c. Secundò ex Opusculo de Pueri Natura idem proba» tur; sic enim ibi scriptum legimus. Cęte» rum quę longius quàm decem mensium tẽ» pus vterum gestare sibi visæ sunt. & paulò » infra. Quòd autem non diutius quàm de» cem mensibus contingat vterum gestare, e» go demonstrabo. Alimentum & augmen» tum, quod à matre descendit, non am» plius sufficiens est puero, vbi decem men» ses præterierint. At hic omnino oculos in clarissima luce caligantes habet, qui non videt, Hippocratem decẽ plenos, integros, exactosq; menses intelligere. idq; temporis spatium tanquam longissimum gestationis limitem statuere: adeò vt naturaliter non velit illum posse pertransiri. neq; enim decem præterijsse menses dici poterint, nisi toti, integriq; omnino transierint; qui diebus 300. integrantur iuxta tricenûm mensium rationem, quam secutum esse Hippocratem ostendimus. ac intelligit quidem Senex sapientissimus de tempore, quod à conceptione ad partum intercedit, idq; est apertissimum, dicit enim perpetuò ἐν γάστρι ἔχειν quod est gestare fœtum, & iam concepisse. Tertiò Hippocrates voluit, mulierem longiori tempore in vtero articulari, tãquam ex frigidiore materia conformatam; quod nos tertio libro copiosè ostẽdimus, nullã esse inter illũ, ac Aristotelẽ in fœminei fœtus ortu, ortusq; causa, & natura differẽtiã demõstrãtes. at si longissimum grauidationis terminum septem quadragenarios ipse constituit, simulq; & perfectissimum; & pugnantia, & quauis absurditate absurdiora videbitur posuisse: ita enim partus imperfectissimus, qualis est sexus muliebris, perfectissimo tẽpore in lucem veniet. Quarto (quod ab hoc tertio pendet) si concedamus gestationem vltrà septem quadragenarios, diesq; 280. non protolli; Aristoteles, quem nos Hippocratis cum Galeno interpretem esse profitemur, præsertim quod ptinet ad humani partus generationem; ab eodem Hippocrate dissentiet toto Cęlo: siquidem iam pridem tertio libro ex eo demõstrauimus; fœminas ob materiæ, ex qua formãtur, frigiditatem magis fieri decimestres; .i. vt exposuimus, de mense decimo plures dies accipere. Itaq; , vt libro memorato dubitabamus, vel gestatio vltrà dies 280. profertur, atq; sic Hippocrati Aristoteles contrarius; vel tempus Philosopho etiam concedẽte perfectissimum imperfectissimo partui magis conueniet, quod pręcedens ratio refellebat, nec diuino Aristotelis ingenio dignum videtur. De priori positione satis dictum est; deinceps (vt erat propositum) de altera dicatur, ad quam probandã prima hæc ratio occurrit. Hippocrates & in Opusculo de Principijs, & longè clarius in libellis de Octomestri, & Septimestri Partu apertissimè se ipsum explicauit, dicens, partus decimestres eos appellari, qui diebus 280. oriuntur. itaq; vbiq; locorũ, vbi decimestrium meminit, perpetuò tanto temporis spatio genitos, ac decem mensium nomine hoc dierum interuallum intellexit. At in lbro de Natura Pueri gestationem decimum mensem non pertransire idem asseruit, itaq; nec vltrà diẽ 280. partum voluit posse ferri. Secunda; si neq; etiam vndecimestres censuit diutius diebus 280. gestari, vt ex loco mox à nobis explicato planum fit; igitur & multò minus decimestres: ex quò & Mercatus non semel notatum reliquit, grauidationis dies de Hippocratis sententia hunc terminum non excedere. Tertia; in calce Opusculi de Octomestri Partu videtur ipse septem quadragenarios, ac dies 280. vltimam, extremamq; periodum appellasse gestationis; quod falsò scripsisset, si gestari vterũ diutius posse credidisset. Quarta; si grauidationis limes septem excedit quadragenarios, inutilem prorsus laborem sumpsit Hippocrates; qui Opusculo de Partu Octomestri, idest in hoc ipso loco, quem exposuimus, tanta diligentia, & subtilitate probare conatus est, nedum decimestres, verũ etiam nec vndecimestres septem quadragenarios pertransire. Quinta; in exposito

nuper loco dicit manifestè Hippocrates, decimestres septem gigni quadragenarijs; at si vltrà hunc terminum proferri posset huiusmodi partus, & ad trecentos dies gestari, falsus omnino esset id affirmans. Hęc igitur, & similia probabilem reddunt alteram hanc positionem.

Prioris positionis rationes expenduntur. Auctoris iudicium, quæ opinio Hippocratis, & Aristotelis verbis magis videatur consentanea.

Cap. 132.

PORrò autem hę sunt pro vtraq; parte rationes. Sed, vt verum fatear, magis positio prior mihi arridet; cùm pro ea allatæ rationes, adeò validæ sint, nostra sententia, vt si aliquæ, certè non omnes dissolui queant. enimuero esto, vt ad primā respondere fortasse aliquis posit, Hippocratem in Opusculo de Alimento omnino computationem à menstruis ducere; quod satis patet, cùm dies 50. primæ formationi impartit. quod non solùm à suo dogmate dissidet, si à conceptione calculum ineamus, qui longissimam articulationē, vtpotè in fœmineo conceptu factam, dies nō excedere 42. in Opusculo de Pueri Natura memoriæ tradidit; verùm etiam & ab ipso Aristotele, & à ratione, communiq; sententia: cùm nullus Philosophorum sit, qui in huiusmodi formatione tot scripserit dies absumi; vt propterea forsitan addiderit diuinus Senex verba illa ita controuersa, & obscura. est & non est. nempe vt significaret, enarrata ea tempora, sed potissimum trecentos dies, esse quidem ad partum, ac perfectionem, si à menstruis fiat computatio; non esse verò, si à conceptione calculus ducatur, quia ab hac ad partū dies tantùm 280. esse queant. Esto eodem modo tolli ea posse, quæ in secunda ratione ex Opusculo de Natura Pueri obijciebantur. videlicet cùm dicit Hippocrates, decem menses in gestatione præteriri non posse, intelligere spatium decimestre, quod diebus 280. integrari, se ipsum explicans multis in locis docuit. At enimuero tertiam, vt diluamus nulla (si verum fatendū est) via occurret, quæ animum impleat. Dici forsitan posset, homini, quatenus sua natura vniparum maximè animal, longissimum grauidationis limitem esse præ cæteris accōmodatum; ideoq; & dies 280. proptereaq; terminum hunc perfectissimū esse, reliquisq; omnibus perfectione antecellere; & cùm menstrua temperata sunt, ac robustissima, benèq; concocta, & formatrix virtus valida, proportioneq; materiæ respondens; tunc partum à conceptu ad exclusionem tot diebus gestari; perfectissimumq; proinde, ac marem etiam fętum excludi: ita vt si in hominis ortu humana species collineet, hunc in gestatione finem assequatur: verùm quoniam aliquādo euenit, vt mēstrua frigidiora sint quàm deceat, ac virtus formatrix imbecilla; propterea contingere, vt eodem spatio imperfectior etiam fœtus, qualis est fœminei sexus gestetur; nec videri incongruum eundem effectum plures habere causas posse, cùm altera per accidens quodammodo cōcurrit, quemadmodū excedens menstruorum frigiditas, formatricis virtutis imbecillitas longissimæ gestationis, ac perfectissimi huius temporis respectu. Hæc labefactare fortasse possent, licèt non penitus tollere vim tertiæ rationis. Sed cùm quarta adijcitur, nullius esse roboris videntur. esto enim ob intemperiem agentis causæ, & materiæ in tempus id partum humanum posse proferri, quod alioquin natura æmulatur, cùm perfectissimo modo agit, & easdem causas optimè dispositas inuenit: quod tamen & videri meritò absurdum posset, & difficulter concedendum; cùm perfectius opus non nisi causis rectè dispositis produci posse videatur; sed concedatur tamen hoc. quærendum præterea est, num id sæpius efficiat, vel non; si primum respondeatur; ergo natura ipsa quod imperfectius est vt plurimum assequitur, quod videtur absurdissimum: si secundum; ergo mendax Aristoteles, qui septimo Historiarum eadem ipsa natura magistra, & duce, atq; ab ipsa dictata ratione docuit, fœminas sæpius in decimum mensem, quàm mares protrahi. nam hoc recepto, & sic cogimur ipsius verba cum Theodoro interpretari, & sic fortasse aliquis quartæ rationi putaret occurrendum, si dies 280. proindeq; decimum decimi mensis diem in gestatione nō pertransiri statuamus. cùm hoc pacto explicatio nostra libro tertio iam pridem exposita locū habere nequeat, quæ fœminas plures de mēse decimo dies quàm mares accipere ponebat; qua recepta dicebamus, si mas tanquam partus perfectissimus, sibi dies 280. adsciscit, fœminam tāquam imperfectiorem, & ex materia minus cōcocta genitam, ad dies 285. aut 290. gestari oportere. Itaq; fatendum est, vel Aristotelem citato loco fœmineum partum

sæpius in decimum incurrere, quàm maré scripsisse; quo posito natura sæpius à perfectissimo fine aberrauit: vel concedendũ, gestationis limitem dies 280. omnino excedere, vt ipsa quarta ratio probare nitebatur: vt his de causis priorem positioné magis probandam esse censeam; tùm etiam ob vim secundæ rationis, quæ valde efficax esse videtur, si quis illam accuratè animaduerrat; cùm grecum habeat exẽplar. ἐκπέσῃ οἱ δέκα μῆνες παρέλθωσι. quod est. Vbi decem menses præterierint. quæ verba decimum confectum, expletumq; mensem designare, qui non sentiat, idipsumq; veritatis vim habere, nihil omnino sensurus esse videatur. vt prætercam satis apertè initio Opusculi de Octomestri Partu Hippocratem concedere, decimestrem partum dies 280. pertransire, dum asserit, decimestrem appellatum septimo quadragenario magis in lucem edi; qui locus alioqui obscurissimus diligentissimè à nobis sequẽti libro explicabitur. item in Opusculo de Alimẽto dierum 300. partũ perspicuè recipere. qui locus etiam responsione admissa, quam supra attulimus, videlicet ab apparitione menstruorum calculum Hippocratem ducere; nihilominus, si diem 40. ac circiter ex Opusculo de Natura Pueri, atq; ex communi omnium sententia huic articulationi tribuamus; cogit nos, vt fateamur, gestationem dies 280. pertransire; nam ad formam inquit Hippocrates, dies esse 50. quare à forma ad partum supersunt dies 250. quibus si ex ipsis 50. adijciamus 40. pro diebus videlicet, in quibus à conceptione ad formam facta est articulatio; assurgunt dies 290. pro gestatione verè ab ipsa conceptione ad partum numerandi; ac dies supersunt decem expurgationi, & conceptionis periodo tribuendi.

Adhuc proposita sententia plenius comprobatur. Alterius positionis tolluntur rationes. Cap. 133.

POstremò ex quinto Epidemicon gestationem diebus 280. longiorem Hippocratem agnoscere, non leuem captare possumus coniecturam; quo loco mulieris Larissæ historiam narrans, scribit decimaquinta die mensis decimi ipsam peperisse, tametsi partus in abortum degenerauerit; idq; tempus tanquam naturale videtur recipere. eius autem hæc est oratio. Mulier in Larissa prægnans erat; huic decimo mẽse sanguis prodijt multus per quatuordecim dies, plurimus autem tribus diebus ante pueri æditionem. decimaquarta excidit ex vtero puer mortuus, habens dextrum brachium lateri adnatum. Cùm enim mensium nomine tricenarios in Epidemijs Hippocrates intelligat, vt secundo libro iam pridem docuit, nosq; supra ex eo abũdè ostendimus; partus hic dierum fuit 284. & tamen nulla ratione tanquam illegitimo tempore editus ab Hippocrate reiectus; qui voce illa ἐξέπεσεν, idest cecidit, vtens; longiori dierum interuallo, gestari oportuisse, vt temporis ratione maturus ederetur, significasse visus est: quasi hac de causa excidisse potius ex vtero, quia tempus non aduenisset pariendi, quàm esse editum dicere voluerit. quo loco Vallesius videns hæc penitus esse contraria ijs, quæ ipse antea in Commentarijs secundi libri scripserat; videlicet partum de Hippocratis sententia dies 270. & nouem, quos ipse appellat, græcos menses, non posse pertransire, qui in Lunarem decimum incurrunt; mirum est quantum se torqueat. Primùm inquit, dictum à se esse ex Hippocratis sententia loco memorato, naturales & communes partus fieri nouem mensibus græcis, & decem Lunaribus, hosq; græcos nouem Lunares menses dies nouem capere decimi Lunaris; siquidem scribit. At verò nouem menses græci non capiunt decimi Lunaris nisi nouem dies, aut quàmminimum plus, aut minus. Item ex libro de Carnibus, nouem mensibus græcis & decẽ diebus legitimum partum fieri; postremò fieri etiam decem mensibus expletis; nam inquit. Multas enim decem græcis perfectis parere illo loco diximus, confirmauimusq; testimonijs Hippocratis, & Aristotelis. & mox. Nam cùm peperisset partu omni ratione præter naturam, tempore scilicet, quia neq; nouem, neq; decem perfectis mensibus & c. quibus positis cùm videret nihil horum quadrare ad hanc narrationem, concludit hunc partum temporis etiam ratione esse præter naturam. Ac certè qua causa Vallesius persuasus, si perfectum decimum tãquam longissimum pariendi limitem admittit, hunc partum reijciat temporis ratione, non video; neq; enim arbitror virum hunc illius fuisse sententiæ, vt crederet, partum, nisi perfecto, exactoq; mense oriatur, vitalem non oriri; nam Hippocrates in Opusculo de Septimestri Partu, initio noni nascentes tanquam naturales agnoscit, ac vitales, & partum dierum 280, in libro de Carnibus, qué initium

Part. 23. Sect. 3.

tium dicit mensis decimi capere vel hoc loco Vallesio teste recipit: vt præterea hoc ipsum interuallum, si menses Lunares cogitemus, mulieris Larissæ partus tempus omnino exprimere; nam nouem Lunares menses dies habent 265. cum semisse; at huic summæ si adijciamus dies decimi mensis quatuordecim, quos enumerat Hippocrates, assurget summa exactè dierum 280. vt mirum sit Vallesium hæc non animaduertisse. qui dum græcos nouem menses dies capere nouem inquit decimi Lunaris, mea sententia à scopo aberrat; cùm dies tãtùm quatuor capiant, aliud præterea nihil. Cæterum hac recepta positione sic diluere facilè possumus contrarias rationes. dicimus ad primam, Hippocratem dierum 280. interuallum tanquam perfectißimum gestationis limitem sibi ob oculos proposuisse, & in quo editi partus robustiores, perfectiores, ac vitales magis oriantur, & ex consequenti potius etiam mares quàm fœminæ: proinde sæpißimè hoc tempore in lucem fœtum excludi non semel ipsum cum Aristotele asseuerasse. quod enim sæpius euenit, id magis est secundum naturam; quod verò magis secundum naturam, id & necessariò perfectius. itaq; nil esse mirum, si in Opusculo de Principijs, in libris de Septimestri, & Octomestri Partu dies 280. tantopere laudat: quos decimestre spatium iure conficere dicit, quia in decimum decimi tricenarij mensis diem incurrant: immò quia, vt supra tetigimus, iuxta modum computandi septimestre spatium ab Hippocrate traditum maiorem dies 280. partem de primo, ac decimo mense capiant: non tamen id tollere, quin in libro de Natura Pueri longißimum limitem decernens, tametsi imperfectiorem, hunc decimum integrum mensem esse voluerit. quãquam enim humanæ speciei longius tempus sit accõmodatius; nihilominus habet id suam cautionem, vt libro tertio fuit explicatum. nam si verum esset simpliciter, tempus lõgius perfectius esse; partus duodecimum, & vltrà attingens esset perfectißimus; qui tamen præter naturæ leges editus censetur. itaq; in Hippocratis dictis nulla erit contradictio. atq; hic notandũ est ex ipsius decreto, si post decimum ineuntem mensem partus gestatur, atq; eodem etiam finiente; certè post eundem confectum ferri non posse: quod ipse in Opusculo de Natura Pueri apertißimè testatus est. Nec verò ob id sibi ipsi contrarius est, cùm in libro de Octomestri Partu conceptum vndecimum mensem attingere scribit, quod Tiraquellus ipsi obijciebat; etenim Hippocrates à cõceptione ad exclusionem dies non esse plures quàm 280. si de tempore perfectißimo loquamur, vel ad summum 300. si de longißimo intelligamus, existimauit, videlicet septem quadragenarios cum dimidio; vltrà quod noluit partum naturaliter posse gestari: atq; hoc est, quod in Opusculo de Natura Pueri decreuit à conceptione ipsa calculum subducẽs, docensq; post decem menses (intellexitq; tricenarios) vterum non ferri. At in libro de Octomestri Partu ab apparitione menstruorum computatione facta, non à conceptione, partum dierum 280. in vndecimũ incurrere posse concessit; quo modo si calculum subducamus, dierũ 300. partus medium vndecimi mensis potest attingere; quin etiam & pertransire. itaq; in nulla re à se ipso dissentaneus. vt prætereaam iuxta Lunarium mensium quantitatem, qua in Opusculis de Septimestri, & Octomestri Partu vtitur Hippocrates, trecentos dies vndecimum attingere; qui alioqui secundũ tricenũm mensium quantitatem, quam pre oculos fortasse in Opusculo de Natura Pueri habebat, decem tantùm exactos menses conficiunt. Nec me præterit, Valeriolam doctißimũ virum primo Locorũ Cõmunium multò aliter contradictionem hãc labefactasse; cùm velit de totis vndecim mensibus Hippocratis verba esse intelligẽda, cùm negauit vndecimo partum edi: verùm quis ex nobis melius, aliorum sit iudicium. certè quod ipse inquit, iustum, & maximè secũdum naturam, proindeq; perfectißimum gestationis limitem decimum mensem esse exactum; id Hippocrati summè aduersari, qui dies 280. perfectißimũ tempus, & maximè secundum naturam esse voluit, omnibus arbitror, ex his, quæ hoc loco disputata sunt, esse compertißimum. Hinc autem nemo non videt, difficultatem eam penitus tolli, quam tertio libro in octaua dirimenda dubitatione insolutam reliquimus, & in hunc locum reiecimus dissoluendam. Cùm enim constet, verè Hippocratem plures quàm dies 280. scilicet dies 300. gestationi tribuere; Aristoteles fœminam in plures dies decimi incurrere quàm marem dicens, neq; fuit ab Hippocrate diuersus, neq; perfectius tempus partui imperfectiori est impertitus. Sed vnus superest circa hanc rem scrupulus tollendus. iam enim definitum est, gestationem de Hippocratis sententia dies

Cap. 18.

300.

300. à cõceptione non posse pertrãsire. atqui idem ipse Auctor libello de Alimento, vbi dies illos 300. ponit, & recipit, paulò post adiungit, fœtus ipsos & in his gigni diebus, & in paulò pluribus, & in paulò paucioribus. Itaq; si paulò pluribus diebus quàm 300 gigni potest fœtus,& gestatio ipsa dies ipsos 300. potest pertransire. Respondeo primùm verba illa. καὶ πλεῖω, καὶ ἐλάσσω. idest. Et plura, & pauciora. ad fœtus & embryones Galenum in Commentarijs referre; non ad dies partus enumeratos, vt Manardus, & Vallesius fecerunt. Deinde dico, etiam si ad partus dies illa referamus, esse sententiam, quod attinet ad dies 300. non valde pluribus diebus hunc terminum posse pertransiri; adeò vt, si modò id contingat, vnius alterius vè diei spatio hunc limitem naturaliter gestatio valeat excedere; quod perinde sumitur, etiam ex Iurisprofessorum decreto, ac si diebus 300. exactè fœtus excluderetur. Ad secundam responderi potest, consilium eo loco fuisse ipsius, demonstrare dies 280. posse vndecimum attingere, vt magis, quod libello de Natura Pueri docuit, comprobaret, quod non semel supra dictum fuit; enimuero si id spatium computatione à mẽstruis facta vndecimum potest apprehendere; ergo & longe magis trecenti dies idem efficere poterint: vt nullo pacto concedendum videatur, à conceptione ad partũ plures dies quàm 300. enumerari; cùm huius rei nulla sit necessitas: non tamen negauit ibi Hippocrates absolutè, longius non dari spatium à conceptione ad partum quàm septem quadragenarios. Ad tertiam dicamus, aliam verba illa habere explicationẽ, quemadmodum superius vidimus. vltimã enim periodum non dies 280. Hippocrates appellauit, sed mensem vndecimum. & sanè cùm gestatio longior, quia tardior, materiæ arguat frigiditatem; ex qua tanquam concoctu difficili genitus conceptus longius gestari, proindeq; fœminei sexus, debet; qui porrò, vt perbellè dicebat quarto de Ortu Animalium Aristoteles, læsio quasi naturalis est, & initium primum degenerandi; si dies 280. gestationi maris cõueniunt, dies plures gestationi fœminæ necessariò conuenient: vt rectissimè idem hac de causa septimo Historiarum scripsisse videatur Aristoteles, fœmineum conceptum in gestatione dies plures de mense decimo accipere. Ad quartam dicimus, non fuisse inutilem Hippocratis eo in loco disputationem, ob ea, quæ dicta sunt in labefactanda secunda ratione. Quintam demum prima responsio dirimit; etsi enim diebus 280. genitos vocat ibi decimestres, vt sæpissimè etiam alibi; non tamen negat diebus 300. editos decimestres quoq; non posse vocari. etenim tàm qui septimo cõfecto in lucem veniunt, quàm qui incipiẽte septimestres, tàm qui nono ineunte, quàm qui senescente, nonomestres ab eodem appellantur.

Cap. 6.

Cap. 3.

Doctissimi cuiusdam viri recitatur explicatio.
Cap. 134.

Haec cùm à nobis ad obscurissimi huius loci explicationẽ excogitata, & ferè iam impressa essent; ad nostras fortè fortuna manꝰ doctissimorũ quorũdã hominũ peruenit explanatio; quam & recẽsere prę-stat, & breuiter expendere. cùm igitur rẽ miram referre Hippocratẽ dixissent; ex septẽ scilicet quadragenarijs vndecimestres fieri, eodem modo, quo & decimestres, totamq; ipsius orationem recitassent; illud ponunt habendum pro comperto; duo capita, si res acrius expendatur, his verbis ab Hippocrate proponi. primum, quòd decimestres, & vndecimestres ex septem quadragenarijs eodem modo fiunt, quo ex dimidio anno septimestres; alterum, errare mulieres in mensium deductione. Primũ caput sic explicant. septimestres fieri dimidio anno ostensum esse in libro de Septimestri Partu, sumendo primum & vltimũ mensem mutilos; si enim hîc quoq; primus & vltimus mensis mutili sumantur, constare quo modo vtriq; & decimestres, & vndecimestres quadragenarijs septem nascantur. cùm ergo conceptus fiat aliquando vltrà plenilunium, sit is, gratia exempli, factus tertio post plenilunium die, idest die decimosexto cum dimidio; superesse dies tredecim, qui primum mensem constituũt. Addantur integri menses octo, qui sunt dies ducentum quadraginta; ac præterea vltimi mensis mutili dies viginti; summam totam esse dierum ducentûm septuaginta trium. atq; his absolui decimum mensẽ. Ab hoc ad diem ducentesimum octogesimum, qui est finis septimi quadragenarij, deesse dies septem, qui tribuantur mensi vndecimo. Constare ergo, & decimestres, & vndecimestres esse in septimo quadragenario. Sed fiat rursum, vt menstrua pluribus diebus fluxerint, vt multis solent: si fluxerint ergo sex dies, ita vt vigesima die fiat conceptus; tunc superesse dies decem, quo

Cost. de Hu. Conc. C. 10 27.

quo dierum numero, licèt mutilo, primus mensis constat. his si addamus menses octo integros, idest dies ducentos quadraginta, ac præterea dies postremi mensis viginti, summam assurgere dierum 270. quibus decem dies desunt ad septimi quadragenarij finem; hos verò esse mensis vndecimi. Sic quidem septimo quadragenario nasci accidere, & qui decimo mense nascuntur, & qui vndecimo. quanquam qui hoc tempore vndecimestres nascuntur, non sunt participes nisi decem Lunarium circuituū; nempe decem pleniluniorum, & totidem nouiluniorum. quorum enim conceptus est in plenilunio, eorum ortum esse post decimum nouilunium. Hęc isti pro primo capite. de secundo autem ita statuūt. Plerasq; dicere Hippocratem mulieres necesse esse in ventre concipere post menstrua purgamenta. cùm non omnes, sed plerasq; dicat, post menstrua concipere; dici id ab eo potuisse, tùm propter eas, quæ licèt nunquam eiuscemodi excretiones sint passæ, concepere tamen: tùm illarum causa, quæ instante purgatione concipiunt: tùm quia aliquæ in ipsa etiam purgatione concipiunt: tùm quarto propter illas, quæ post purgationem quidem absolutam concipiunt, sed non statim. huic postremo sensui illud consentire, quod aliquot post versus subdit Hippocrates, esse alia multa impedimenta etiam viris. quibus innuit, cōceptum prorogari & mulieris quidem culpa; cui menstrua purgatione absoluta accidere aliqua possunt, ob quæ semen non retineat: & præterea etiam culpa viri, à quo scilicet non semper fęcundum semen affertur ob varias causas. Hactenus igitur docere conceptum retardari ob causas propositas: distractis quidem & non cōtinuatis (vt sæpè in veteribus libris accidit) sententijs; at re ipsa tamen cohærentibus. Interpositum his illud esse. Oportet igitur mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio continget: & hoc tempus, quibus breuissimum sit, tres sunt dies, plerisq; autem multò plures. quibus verbis, quid velit Hippocrates, patere (aiunt) si coniungantur, quæ deinceps sequuntur, cùm dicit. Oportet autem vel maximè hoc cōsiderare, quòd nouilunium, quod dies vnus existit, proximè trigesima mensis pars est, duo autem ferè quindecima, tres verò pars decima. Hæc .n. vt superiora quoq;, ad tollendum errorem pertinere, quo mulieres partum, qui verè decimestris est, vndecimestrem esse arbitrantur. Quando igitur mulieres pleræq; absoluta purgatione concipiunt, & non tamen statim, ob impedimenta, quæ & mulieri, & viro possunt accidere; & quando etiam earum plurimæ per dies plures, saltem autem tres purgātur; si conceptum fieri accidat post plenilunium; cùm dies ante plenilunium sint quatuordecim cum dimidio, si ijs adijciantur tres purgationis dies, summam fieri dierum ferè duodeuiginti; qui, quia sunt extra conceptum, iurè non sunt in supputatione temporis partus sumendi: atqui mulieres aliquando eos quoq; simul cum consequentibus conceptum sumere. hinc itaq; fieri, vt enumeratione facta per dies; partus vndecimestres videantur, qui verè reiectis diebus, qui ante conceptum sunt, decimestres existunt, neq; excedunt numerum 280. dierum; & hæc de proposita Hippocratis sententia. Quæ autem in his de nouilunio, quod ferè trigesimam mensis partem esse ait, deq; alijs diebus afferuntur; eò dicunt pertinere, vt intelligamus, eos, qui vndecimestres iudicantur, esse tamen decimestres, sumendo non solùm mensem vulgarem, qui ex diebus est triginta; sed etiam Lunarem, qui illo dimidio die est minor; ita vt nunquam partus re vera vndecimestris sit, licèt esse videatur. Hæc, doctissimi isti viri putant hoc loco Hippocratem voluisse; adijcientes, rectè scribere diuinum Senem hæc accidere, vbi conceptus fiat post plenilunium; si enim ante ipsum plenilunium factus sit, non esse mulieribus occasionem, ob quam numerando eos dies ante conceptum addant; qui additi, vteri diutius gestati suspicionem præbeant. Ex dictis illud etiam apertum esse dicunt, quid sit, quod Hippocrates scribit, mulieribus dare oportere tempus, in quo purgatio contingit, saltem dierum trium; nempè hoc ad initium conceptus intelligendum spectare: quo intellecto, quo modo vndecimus mensis in septimum quadragenariū incidat, perspicuum fieri. Quod autem hæc scribi aliqui aiunt, quia tot dies addere oporteat, quot singulis mensibus expurgari extra conceptum mulier consueuerat; ea ratione reijciunt, quòd cùm intermedij menses integri sumantur, intra quos illi quoq; dies expurgationis menstruæ dicati continentur; si dies totidem mensibus illis addamus, quot protrahi excretionem illam mos erat, in illis, quæ menstrua per sex dies pati solent; nouem mensibus dies quinquaginta quatuor adiun-

iungere oporteret; ex quò aliquando, sed maiori ex parte, vndecimo mense partus esset, quem nono esse existimamus: præterquàmquòd & eos dies addere, omnino videatur præter rationem. quod enim aiunt, totidem in gestatione vteri matrem silente Luna fœtui nihil de suis viribus impertiri; propterea in diuturnius temporis spatium partum protrahi; nullam habere probabilitatem: eò quòd, vt facto conceptu fœtus perpetuò nutritur, proficitq; in melius; ita dare oporteat, illum & matris calore, & Cœli beneficentia ad absolutam vsq; perfectionem, atq; exitum perpetuò foueri.

Allata superius explicatio confutatur.
Cap. 135.

HAec viri isti eruditissimi doctè quidem, & eleganter in huius obscurissimi loci explicatione; quæ tamen, nisi turpiter nostra deseramus, nullo pacto possumus admittere. Principiò quod statuunt, duo capita Hippocratem hoc loco tractare, quàm verum sit; satis nostra docet explicatio; qua probatum est, totum esse Hippocratem, vt in hac disputatione ostendat, quo pacto verum esse possit, tàm decimestres, quàm vndecimestres septem fieri quadragenarijs; neq; de mulierum errore in computando vllum hoc loco verbum est, sed de vera, naturali, ac solita gestationis computandæ ratione. quæ enim verbis illis habentur. » Plurimis enim » mulieribus necessarium est in ventre con- » cipere post menstrua purgamenta. vt particula, enim, ostendit, rationem continent superiorum, non caput aliquod nouum docent, nobisq; ob oculos ponunt. Secundò quod inquiunt, in huius temporis, partusq; computatione primum, & vltimum mensem mutilos esse accipiendos Hippocratem voluisse; quia sic in computatione septimestris ex dimidio anno nascentis eos acceperit; dicat autem apertè, sic decimestres, ac vndecimestres ex septem fieri quadragenarijs, vt ex dimidio anno septimestres; quibus eadem vtendum esse, vel consimili computatione videtur « indicasse: hoc eo modo intellectum, vt isti « volunt, maximam habet apud me difficultatem; quid enim his verbis nostra sententia voluerit Hippocrates; quouè modo vndecimestrium computationem cum septimestrium computatione comparauerit; iam supra vidimus: quòd verò, etiam si illis concedatur, eadem vtendum esse computatione, non tamen huiusmodi eorum interpretatio quadrare possit; hæc probant euidenter. Esto enim tùm primum, tùm vltimum menses mutilos sumendos esse; certè cur de primo dies tantùm 13. sumi velint, de vltimo tantùm 20. erat illis ratio afferenda. Cur enim Hippocrates de primo dies 15. acceperit; de vltimo 20. suam habet rationem, suo loco à nobis explicatam à spatio dierum 182. cum hor. 15. dependentem: at cur supposito spatio dierum 280. & septem quadragenariorum, vt hîc facit Hippocrates, de primo 13. de vltimo 20. tantùm accipere debeamus, nullam video rationem. quin potius, si supputationem Hippocraticam ob oculos habeamus, longè aliter videbitur faciendum. Hippocrates nanq; sumit de primo mense dies 15. sumit integros illos, qui interiacent inter primum & vltimum; tandem de ipso vltimo mense tot dies sumit, quot erant necessarij ad summam explendam dimidij anni, & dierum 182½, quam sibi proposuerat, & in qua supponebat partum gestari, eaq; præterita excludi vitalem; siquidem inquit apertè. Ad septi- » mum mensem supersunt dies plus quàm » viginti, & est summa dimidij anni. quod » & horum explicationi maximum scrupulũ inijcit; docet enim de vltimo mense, septimo videlicet, non supputasse dies tantùm 20. Hippocratem, quia in omni partu, in omni computatione, neq; plures, neq; pauciores censuerit sumi posse. quod tamen isti ponunt pro constanti; sed viginti tantùm accepisse, quia tot, nec plures, nec pauciores ad summam dimidij anni integrandam erant illi necessarij. Eadem igitur methodo si nos progrediamur, vide amicè lector quid sequatur. accipiantur itaq; de primo mense dies 15. deinde octo, qui interiacent, menses integri; qui vel ipsis concedentibus dies efficiunt 240. assurget summa dierum 255. quare Hippocratis imitatione de vltimo mense, qui decimus est, tot numero dies erunt nobis accipiendi, quot ad summam dierum 280. absoluendam erunt necessarij; itaq; accipiendi erunt dies 25. non viginti, vt isti volunt; & tamen gestatio ipsa ac tempus adhuc intra decimum incurrit; quare alia omnino via Hippocraticæ sententiæ veritas erit nobis ostendenda: nec vllam meo quidem iudicio habet probabilitatẽ, quòd dies, qui verè sunt decimi mensis, & vigesimam sequuntur diem; mensi vndecimo tri-

tribui debeant. Similis difficultas exemplum vexat alterum, in quo de primo mése capiunt dies tantùm decem, de ipso decimo pariter 20. de vndecimo dies, qui supersunt pro diebus 280. integrandis. Cur enim de hoc mense decimo 20. sunt sumendi? cur sumendi tantùm 20? cur mutilus hic mensis semper est accipiendus? si quia postremus Hippocratici exempli imitatione; hæc ratio in decimestri tantùm locum habebit; in vndecimestri enim mẽsis vndecimus vltimus est, non decimus. quare hic non decimus mutilus erit omnino accipiendus; cæteroqui hoc fingere erit ad libitum, non constantem aliquam proferre calculi formam, ac rationem.

Alia nonnulla aduersus allatam explicationem disputantur.

Cap. 136.

TErtiò quod dicunt, quorum conceptus est in plenilunio, eorum ortum esse post decimum nouilunium; cùm velint, mulieribus, quæ istos concipiunt fœtus, ipso plenilunio menstrua commoueri; non leuem habet difficultatem; nam primùm Hippocrates, quas in plenilunio, & vltra concipere dicit; talibus supponit nouilunio menstrua excitari; naturali scilicet magis tempore, & frequentiori, vt supra explicauimus. proinde mencionem facit de numenia, idest de nouilunio, & mensis dies ab hoc principio docet computari; tẽpus enim, quo fluere mẽstrua solent, apponere voluit, & à quo subduci debet gestationis computatio: quod & his consentiens dixit in Epidemicis ab apparitione esse menstruorum; qua de re supra diligenter. At isti è contra plenilunio commoueri menstrua supponunt. Deinde, vt suo loco Plinij etiam auctoritate, & Hippocratis monstratum est, qui concipiuntur plenilunio, septimestres vt plurimum sunt, & sexto etiam nascuntur nouilunio; tantùm abest, vt decimum omnes debeant attingere. qua in re quantum errent, qui putant partus circa plenilunium, & vltrà conceptos ad decimum vsq; gestari nouilunium, ad decimumq; mensem, & vndecimum; idq; Hippocratem hoc loco asserere; non semel supra ostendimus aduersus Ferdinandum. Quartò ex quatuor illis causis, quas adducunt Hippocraticæ illius sentẽtiæ, plerasq; mulieres post menstrua purgamenta in ventre concipere; tres omnino nutant, scilicet prima, tertia, & quarta, nostra recepta explicatione; sola secunda habet veritatem; neq; enim id pronunciauit Hippocrates propter eas, quæ licèt nunquam eiusmodi excretiones sint passæ, concepere tamen; nam & cur talium gratia dicere non potuisset, ante menstrua purgamenta plerasq; concipere? neq; propter eas, quæ in ipsa purgatione concipiunt, ob eandem rationem; neq; tandem propter eas, quæ post purgationem quidem absolutam concipiunt, sed non statim, idest multis (vt ego intelligo) concipiunt à purgatione diebus (de quibus etiam omnibus nunquam scripsit Hippocrates quòd concipiant) eò quòd si Galeno, & Hippocrati, immò etiam Aristoteli credimus, vt ostendimus suo loco, expurgatione facta, venarumq; in vterum desinentium oris conclusis, fieri nequeat conceptio. Itaq; relinquitur, vt sola secunda causa vera sit; videlicet propter eas, quæ instanti purgatione concipiunt, sententiam illam Hippocratem promulgasse. quoniam enim mulieres naturaliter vel incipientibus menstruis, vel desinentibus concipiunt; sed plures desinentibus; idcircò rectissimè scripsit, plures post menstrua purgamenta in ventre concipere. Quintò quod adiungunt, ob eas, quæ post purgationem concipiunt, sed non statim, dictum esse ab Hippocrate, alia multa esse impedimẽta etiam viris; hisq; innuere, cõceptum prorogari & mulieris quidem culpa, cui menstrua purgatione absoluta accidere aliqua possunt, ob quæ semen non retineat; & præterea culpa viri, à quo scilicet non semper fęcundum semẽ affertur ob varias causas: hoc, inquam, totũ Hippocraticæ orationi videtur aduersum; siquidem ipse prorogari conceptionem, retardariq; semper post mẽstruam purgationem mulieribus intelligit, vel saltem vt plurimũ; adeò vt naturæ lege sic putet euenire, vt nostra docuit explicatio, nõ cęco quodam casu; & prorogari sic putat, ac retardari, vt pręteritis nonnullis diebus fiat postea conceptio. nã & quia his interiectis impedimẽtis prorogatur; cõcludit circa plenilunium, vel vltrà fieri cõceptionem. quod .n. retardatur, non propterea tollitur: idcircò signatè dixit Hippocrates. βραδυνέται ἡ σύλληψις. idest „ retardatur conceptio. non dixit. quòd tol- „ latur, & non fiat. at verò isti sic retardari eam volunt, vt impediatur, ac tollatur, omnino contra Hippocratis mentẽ, nec fiat vllo modo: quod quidem eueniat necesse est, cùm mulier non retinet semen, vel fęcundũ

vir non affert, vt dicunt; qua de re Hippocrates non loquitur. Sed interim notare diligenter lectorem cupio, vel horum etiã testimonio de conceptionis retardatione hoc loco Hippocratẽ agere; ꝙ explicationẽ nostrã maximè cõprobat. Sextò ꝙ inquiũt, in hac ipsa sententia, in qua de conceptionis agitur retardatione, interiecta illa esse verba, tanquam posita in loco alieno; distractis quidem, non continuatis, vt sępe in veteribus libris accidit, sententijs, at re ipsa tamen cohærentibus. Oportet igitur tẽpus dare mensis, in quo ipsa purgatio contingit, & c. an sit recipiendum, facilè, qui nostram legerit explicationem, iudicabit. hoc enim pacto non erit difficile Auctores interpretari, si transponere verba, & periodos, si emendare nobis liceat ad libitum. Itaq; & esse posita verba suo loco, & Hippocraticæ sententiæ esse fundamentum, rectè nostra docuit expositio. Prætereo, ꝙ adijciunt, huiusmodi verba, sicut & superiora, ad tollẽdum errorem esse ab Hippocrate pronunciata, quo mulieres partum, qui verè decimestris est, vndecimestrẽ esse arbitrantur; non ita facilè esse concedẽdũ, vt isti putant; cùm, vt superius docuimus, hoc loco non tàm tollere mulierum errorẽ Hippocrates profiteatur, quàm secundum rectam computandi rationem, mulieribus vsitatam, & ab eo receptam ostendere, etiã decimestres, & quod in idẽ redit, dies 280. ac septem quadragenarios vndecimum mẽsem attingere: propterea, vt suo loco notanimus, vtitur verbo, necesse. quòd .n. noluerit mulieres redarguere, illud argumento est, quòd non dicit, illas hallucinari; ꝙ tamẽ præcedenti Opusculo, quia de illarũ errore, & deceptione loquebatur, fecisse visus est, vtens verbo, πλανῶνται, .i. errant. Hinc & malè tutum, ꝙ adiungunt, eodẽm & altera Hippocratis illa tendere. Oportet autem vel maximè hoc considerare, quòd nouilunium, quod dies vnus existit, proximè trigesima mensis pars est. neq; enim hoc loco Hippocrati mens est, confutare mulierum errorem, sed aliud omnino consilium; vt diximus superius.

Adhuc superius posita reijcitur explicatio.
Cap. 137.

Septimò, quę ad mulierum errorem aperiendum afferunt, explicantes quo modo in conceptione errent; si accuratè consideretur, ingentes videtur contra hanc ipsam interpretationem texere plagas. si .n. mulieribus istis, quas circa plenituniũ concipere, & vltrà ponit Hippocrates, mẽstrua circa plenilunium commouentur, vt isti volunt, & post menstruas purgationes cõceptio illis cõtingit. ergo paulò antequã conceperint, expurgatæ sunt, quod isti apertè confitentur, & se esse expurgatas nõ ignorant; cęteroqui falsum esset, quod scribit Hippocrates, post menstruas purgationes ipsas concipere: ita enim ante ipsas facta conceptio esset. at si hoc est, quo pacto dies duodeuiginti, qui præcedunt expurgationem, & qui cùm sint extra conceptionem, iurè non sunt in supputatione tẽporis partus sumendi; mulieres aliquando simul cum diebus conceptionem consequẽtibus sumant, & computant? nemo .n. est, qui ignoret, nihil esse mulieribus certius, vsitatius nihil, nihil magis notum, quàm cũ expurgantur, se non esse grauidas putare; ac tempus illud nunquam in computationem adhibere. itaq; hac certè ratione nullus in mulierum computatione error contingere poterit; cùm necesse sit, vel ante expurgationem eas concepisse, contra quàm asserat Hippocrates, & isti velint; vel dies purgationem antecedẽtes non enumerare. vt interim taceam, si pleræq; mulieres post menstrua purgamenta concipiunt; talibus verò de istorum sententia menstrua purgamenta circa plenilunium commouẽtur; sequi necessariò, plerasq; mulieres circa plenilunium expurgari: quod & Aristoteli, & rationi, & experiẽtiæ repugnat; cùm, vt suo loco mõstratum est, naturalissimũ, frequẽtissimumq; expurgãdi mulieribus tempus sit decrescente Luna, & circa nouilunium. Octauò Hippocratis verba illa, quibus inquit, nouilunium trigesimam ferè esse mẽsis partem, & c. alium habere sensum oportere, constanter asserimus; cùm indignũ tãti viri diligentia videatur, & maiestate, hæc ipsa protulisse, vt doceret, ꝙ vndecimestres indicantur, esse tamen decimestres, non solùm iuxta mensium tricenũm rationẽ, sed etiã Lunarium habita cõsideratione; ita vt nunquã partus re vera vndecimestris sit, licèt esse videatur. nam quis est, qui ignoret, partum, qui secundum menses pluriũ dierum, atq;, vt ita loquar, longiores, vndecimestris est, decimestrẽ etiam esse, ac longè facilius, secũdum menses breuiores? quòd si id dicere voluit, quia breuioribus mensibus gestatio mensurata, quę alioqui secundum longiores erat decimestris, potest facilè vndecimestris euadere; iam & quoniam perspicuum est, nõ sic tricenariũ excedere

Lunarem mēſem, vt dierum 280. interuallū poſsit modò vndecimēſtre, modò decimeſtre euadere; rurſus & Hippocratis ingenio videbatur indignum, vt de re omnibus perſpicua lectorem admoneret. Vtrum autem partus ex Hippocratis, Ariſtotelisq; ſententia verè mensē vndecimum valeat attingere, ſuo loco à nobis expoſitum fuit. Nono quod inquiunt, rectè Hippocratem dicere, hæc accidere, ſcilicet putari partū vndecimū attingere, vbi cōceptus fiat poſt pleniluniū; quia ſi ante ipsū factus ſit, nulla ſit mulieribus occaſio, ob quā numerādo eos dies ante conceptum addant; qui additi vteri diutius geſtati ſuſpicionem præbeat: mihi contra recepta iſtarum poſitione ob expoſitam ſupra rationem dicēdū videtur; videlicet ſi ante plenilunium cōceptio fiat, magnam eſſe mulieribus occaſionē, vt dies numerent, qui plenilunium antecedunt. volūt enim iſti, vt ſupra diximus, huiuſmodi mulieribus mēſtrua plenilunio commoueri; item volunt, dies ante pleniluniū eſſe $14\frac{1}{2}$. Fiat igitur cōceptio ante plenilunium, ac ante menſtruorum apparitionem .ſ. die 13. vel 14. in hoc caſu mulier, quia mēſtrua retenta videt, meritò ſe concepiſſe ſuſpicatur; atq; dies omnes pleniluniū antecedentes ad pręcedentē vſq; expurgationē cōputare poteſt pro dimetiēda geſtatione; quos nullo modo, ſi poſt expurgationē, & pleniluniū cōcipiat, poteſt enumerare; nimirum, quia ſit certa, ſe per eos dies nō habuiſſe in vtero. Decimò tādem, ac poſtremò, quod inquiunt, Hippocratis verba illa.
» Oportet igitur mulieri tempus dare mēſis,
» in quo ipſa purgatio contingit. ad initium conceptus intelligendū pertinere; eoq; intellecto, quo modo vndecimus mēſis in ſeptimū quadragenarium incidat, fieri perſpicuum; ob ea ipſa, quæ paulò ſupra diſputata ſunt, contrarium potius videntur cōcludere. ſi enim dare mulieri tempus, in quo purgatio contingit, nil eſt aliud ex iſtorum ſententia, quàm tres ſaltem dies ad expurgationem faciendā illis cōcedere; & quod in idē redit, nil aliud eſt, quā aſſerere, trib9 dieb9 à plenilunio eas cōcipere; nā & hoc eſt, quod alibi inquiunt, quando plurimæ mulieres ſaltem per dies tres purgantur, ſi conceptum fieri accidat poſt pleniluniū, cùm dies ante plenilunium ſint $14\frac{1}{2}$, ſummam dierum conceptionem antecedētium ferè eſſe duodeuiginti; hoc eſt ꝙ hoc loco dicunt, tempus mulieribus datum, in quo purgantur, ad cōceptus initium intelligēdum ſpectare: ſi enim per dies tres purgantur, erit conceptio die 20. At hoc poſito, contrarium potius demonſtratur; videlicet quòd vndecimus menſis nullo modo in ſeptimum quadragenarium poteſt incidere; nēpe quia, cùm ſe expurgationē paulò ante perpeſſam eſſe ſciat mulier; dies, qui conceptionem, ac plenilunium antecedunt, in computationem non poſsit adhibere; & ex conſequenti nullo modo geſtationis tempus putare vndecimeſtre. vt prætercam nūquam dixiſſe hoc loco Hippocratem, vndecimum menſem in ſeptimum quadragenarium incidere: ſed è cōtra ſeptem quadragenarios incidere in vndecimum. Quæ autem adijciunt, eorum confutantes explicationem, qui hæc ab Hippocrate ſcribi exiſtimāt, vt doceamur, tot dies addere oportere, quot ſingulis menſibus expurgari extra conceptum mulier cōſueuerat; omnino tāquam veriſsima, & doctè, ac ſubtiliter diſputata recipimus. Lalamantij enim reijciunt opinionem, quam & nos explodere conati ſumus, tanquam à vero diſſentaneam; vt vehementer lætemur tantorum virorum auctoritate, quæ aduerſus Lalamātium doctiſsimum alioqui virum diſputauimus, reddi probabiliora. Verùm hactenus dictum ſit de huius loci explicatione, ac de ſeptimeſtri, nonomeſtri, decimeſtriq; partu, & vndecimeſtri de Hippocratis ſententia: hactenus abſtruſiſsima ad totum hoc negocium pertinētia ipſius verba pro rerū obſcuritate expoſita ſint; è quibus quoniā tāquā è ſcrupuloſis cotibus enauigauit oratio; reliquæ diſputationis curſum teneamus: tentantes ſequēti libro (quod inſtitutus ſermo requirit) naturam octomeſtris partus ex eodē aperire: atq; ita loca, quę ſexti libri initio aduerſari poſita ſunt explicare, vt nihil nobis aduerſi ex eis euenire oſtendamus.

FINIS SEPTIMI LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA

LIBER OCTAVVS.

Quid actum sit priore libro, quid in hoc agendum. Quot sint quadragenarij apud Hippocratem periculosi, & qui. Lalamantij opinio confutatur. Cap. I.

CVM de septimestribus, & decimestribus præcedenti libro disputatum sit; ac loca præsertim illa exposita sint, quæ ad septimestrium pertinebant computationem, ad decimestrium, vndecimestriumq; ex septem quadragenarijs conformationem: in quibus explicandis plura diximus de conceptione; quæ omnia ad ea, quæ mox de octauo mense, & octomestri partu tractanda sunt, maximè erant, vt patebit, cognitu necessaria; nunc amabò ad propositam octomestrium ex Hippocrate naturam explicandam aliquãdo deueniamus. Verùm hæc cùm probè dignosci nequeat, nisi & naturam sexti quadragenarij, qui voluitur circa octauum mensem, assequamur; eò quòd tota octomestrium infelicitas ab hoc ipso quadragenario iuxta Hippocratis placita ortum ducat: item nisi & illud teneamus, quod diuinus Senex octaui mensis naturam aperiens libello de Septimestri Partu scripsit, dies octauo mensi ex septimo mense, & ex nono accedere, & ab ipso anno; proptereaq; mulieres egregiè in eius computatione hallucinari; idcircò præsenti hoc libro in horum duorum explicatione totis viribus erit nobis incumbendum: quæ cùm tractata fuerint, tertiò loca nobis aduersantia, quæ initio sexti libri attulimus, ventilanda erunt; vt quartò tandem, ac postremò omni sublata difficultate nonnullæ eiusdem Hippocratis auctoritates hanc ipsam doceant, quam de octomestrium vita ex eo profitemur explicare veritatem; octauoq; huic libro finem imponant: quæ omnia cùm tractauerimus, absolutissimã pro viribus ex Hippocrate de Octomestris Partus Natura cognitionẽ putabimus attulisse. Sed iam susceptum munus expleamus. Dictum est crebrò in superioribus disputationibus, sed clarissimè sexto libro, quadragenarios in fœtibus iudicandis vim maximã habere de sententia diuini Senis; potissimum verò tres esse quadragenarios, qui de fœtibus iudicent, & maximas illis mutationes afferant (quod etiam præcedenti libro repetitum fuit) primum à conceptu, seu, vt verius dicam, à seminis eiaculatione; secundum, qui voluitur circa octauum mensem, atq; sextus est à conceptione; tertium demum ab ipso partu ductum. Neq; enim Lalamantius, meo quidem iudicio, audiendus est, qui in Commentarijs super Opusculo de Septimestri Partu, primum ex his tribus quadragenarijs, quos potissimum obseruãdos esse pręcipit Hippocrates, à quadragesimo die incipere censuit, tertium à sexto quadragenario, scilicet à die 240. cuius hæc est oratio. » Septem dierum quadragenarias in tres in vniuersum redigit » hîc Hippocrates; quas vtpotè decretorias » vult in fœtus ratione præcipuè esse contẽplandas. Ac primam quidem eam facit, » quæ à quadragesimo incipiens octogesimo » terminatur; seu quæ à prima quadragenaria ad secundam intercedit: qua vtiq; quadragenaria ita fœtus κρίνεται, idest iudicatur, vt & abortus effugerit periculum, » & membra distincta, compositaq; habere, » & ad hæc etiam validior esse incipiat. Secundam eam facit, quæ circa octauum mẽsem est, quæ quidem incipit à ducentesimo » die, seu à quinta quadragenaria, & ad ducentesimum quadragesimum vsq;, seu ad » sextam quadragenariam protenditur; in » hac fœtus ita iudicatur, vt ægrotet. Tertiam eam facit, quæ à sexta quadragenaria, seu à die 240. ad septimam quadragenariam, seu dies ducentos octoginta extenditur. In hac tertia si editi fuerint, » etiam vt malè habeant, pueri, robustiores » nihilominus (si quidem euaserint) deprehenduntur, & ingeniosi; splendores siquidem, &c. Hæc ille; cui certè Hippocratis verba apertè nimis aduersantur, docentis quadragenarium primum à seminis eiaculatione computari, formationem ipsam

Schol. 14.

conti-

continere, demumq; ex omnibus primum eſſe. inquit enim. At verò quadragenarij primùm in fœtibus iudicãt; quiſquis enim primos quadraginta dies trãſmiſerit, abortus effugit ex omni cauſa cõtingentes; plures autem fiunt in primo quadragenario abortus, quàm in alijs omnibus. Hoc autẽ tẽpore præterito fœtus fortiores ſunt, & c. Atq; paulò ſupra dixerat. Dies quidem igitur maximè inſignes in plurimis sũt primi, & ſeptimi, multùm potentes in morbis, & multùm in fœtibus. Nam plurimi abortus in his diebus fiunt: nominãtur autem tales, effluxus, non abortus. Verùm alij dies intra quadrageſimum inſignes quidem minus ſunt, multi verò iudicant. Itaq; primus omnino quadragenarius ex Hippocratis lege eſt obſeruandus, non quidem, vt placuit Lalamantio ſecundus; qui die 41. incipiens ad 80. protenditur. Quod enim ſubiũgit Hippocrates, & quod, niſi me fallo, fefellit Lalamantium, hoc quadragenario præterito fœtus fortiores eſſe; non probat huiuſmodi beneficium, quòd ſcilicet fœtus fortior euaſerit, ſecundo quadragenario eſſe tribuendum; adeò vt in eo, eiuſq; virtute hac de re fiat iudicium: ſiquidem hoc à primo pendet; ſicuti cùm die ſeptimo, exempli gratia, ex morbo ad ſanitatẽ fit mutatio; quòd diebus ſequentibus melius degat æger, totum id diei ſeptimo tribuitur. Similiter quadragenarius tertius (vt interim taceam de ſecundo, qui fortaſſe neq; etiam ſemper poſt quintum quadragenarium initium ducit; ſed, vt inferior monſtrabit diſputatio, ſimul cum menſe octauo multò citius aliquando poteſt incipere) non coincidit cum ſeptimo, ſed ſemper ab hora partus computatur, dicente Hippocrate. Tertius eſt, in quo vbi naſcuntur pueri; etiam malè afflicti, ſi effugerint quadraginta dies, apparent magis robuſti, ac ſapientes. Quare in omni partu (quod Lalamantio animaduertendum erat) locum habet; cùm tamẽ ſeptimus quadragenarius non in omni locũ habeat; quin potius in eo tantùm, qui die 240. ſexto, ſcilicet expleto quadragenario in lucẽ veniret, conſiderari poſſe videatur. Nam die 283. genitus huius tertij quadragenarij vim experitur; quod ſic Hippocrates perſpicuè ſignificauit. Et quadraginta dierũ afflictionem perferre coguntur ex vtero egreſsi, id, quod etiã ex decimeſtribus multos perimit. In quo quidem partu delirare videbitur, qui audeat dicere ſeptimum quadragenarium locum habere. Item partus ſeptimo quadragenario expleto edit⁹, & decimo cõfecto menſe; præterea octauo, vel nono veniens in lucem; demum omnis partus, vt dicebamus, ab hoc quadragenario inuectas perſentit afflictiones. Sed de Lalamantio hactenus.

Cur tres dicti quadragenarij præ cæteris periculoſi; & quare primus adeò timendus ex Hippocratis ſententia. Cap. 2.

TRes igitur dicti quadragenarij, vt ad noſtra redeamus, ab expoſitis initijs ortum ducunt, veniuntq; ex Hippocratis mente computandi. Cùm autem à ſecundo quadragenario, vt ipſi placuit, ſupraq; eſt dictum; & infra dicetur, tota octaui menſis pendeat infelicitas; neceſſarium profectò erit, antequam vlterius progrediamur, ſi ſuſcepto muneri deeſſe non volumus, vt ſecundi huius quadragenarij naturam veſtigemus, qui totum octauum mẽſem comprehendit: quo loco, vt plenius quæ de eo dicturi ſumus, intelligantur, de alijs quoq; duobus, cur adeò periculoſi ſint, nonnulla diſſeremus; ſecundi enim quadragenarij, ſeu, quod in idem redit, ſexti à conceptu cognita natura, ſimul etiam & planum erit, qua de cauſa circa octauũ menſem ægrotet infans, quæ ſit huiuſmodi ægritudo, quaſue habeat cauſas, an omnibus ſit communis; ac tandem quid verè de octomeſtribus ſenſerit Hippocrates, latiſſimè patebit; an cunctos (vt pleraq; ipſius loca ſonant) voluerit periclitari. Itaq; agendum primo loco de primo quadragenario, mox de tertio; quæ quidem contemplatio cùm per ſe iucunda eſt, tùm ad Hippocratis mentem plenius aſſequendam neceſſaria. Poſtremò ſeorſum de ſecũdo quadragenario longè plura erunt nobis diſſerenda. Quare igitur quadragenarij ſimpliciter dierum tùm in fœtibus, tùm in morbis iudicãdis tantoperè valeant, ſatis libro ſexto pro præſenti inſtituto dictum fuit. de quorum quidem quadragenariorum in ipſos fœtus poteſtate, deq; cauſa poteſtatis, ſic Cenſorinum de Die Natali ex Veterum mente, præſertimq; ex Pythagoræ decreto diſſerentem, audire iuuat. Itaq; vt alterius (inquit) partus origo in ſex eſt diebus, poſt quos ſemen in ſanguinem vertitur; ita & huius in ſeptem: & vt ibi quinque & triginta diebus infans membratur; ita & hîc proportio eſt diebus ferè quadraginta. quare in Græcia dies habent quadrageſimos inſignes: nanq; prægnas ante di-

te di-

" te diem 40. non procedit in fanum; & post " partum 40. diebus pleræq; fœtæ grauiores " sunt; nec sanguinem interdum continent: " & paruuli fermè per hos morbidi sine ri- " su, nec sine periculo sunt. ob quam cau- " sam, cùm is dies præterijt, diem festum so- " lent agitare: quod tempus appellant τεσσα- " ρακοστόν. Cur verò in primo quadragenario fœtus maxima subeat pericula abortiendi, causa quidem in promptu erit, si ipsius fœtus naturam consideremus, & per id temporis conditionem; cùm enim tenerrimus tunc conceptus sit, ac valde imbecillis, plurimùmq; humiditate materia redũdet; facilè potest quauis occasione ex vtero effluere: ex quò & Hippocrates in libro de Septimestri Partu in hoc primo quadragenario & effluxiones locum habere, & ex omni causa mulieres abortire notatum reliquit, & plures contingere abortus, quàm in alijs omnibus quadragenarijs; nimirum quia, vt idem primo libro de Mulierum Morbis admonuit, fœtus dum parui sunt, debiles existunt. vnde & primis septem diebus à seminis eiaculatione; primisq; septem à conceptione, in quibus hæ causæ potissimum vigent; periculũ maius imminet: vt rectissimè memorato libello scripserit Hippocrates, septimos dies in primo quadragenario multùm esse potentes, ac præ cæteris iudicare. Nam & ab eiaculatione seminis die septimo fit cõceptio, quam horror, stridor, torpor, conuulsio comitatur; septima à conceptione prima delineatio terminum habet, quemadmodum tertio, sexto, & septimo libro expositum fuit: vt in his dierum articulis plerunq; in extremum ferè discrimen fœtum, ac parentem adduci sit necesse; sicuti & in tertio quadragenario, qui ab ipso partu, ac momento, quo prodijt in lucem infans, computatur, primi septem dies pari periculo subijciuntur, ac longè sunt aliorum periculosissimi, vt sexto etiam libro diximus; quod quidem insigne est exemplum, ac testimonium, quàm bellè in natura primis vltima respondeant. ex quò & suadet ratio, primis septem diebus secundi quadragenarij eandem, ac parem vim inesse: vt ægrotatio, quam in eo contrahit fœtus, sequior, & periculosior in illis esse videatur. quare primi septem trium horum quadragenariorum dies proportione se respondebunt, eruntq; periculosiores; quia fœtus, partusq; in primi, ac tertij principio debilior est, ac tenerior; in secundi initio ægrotatio grauior; sicuti & in totis quadragenarijs istis, si illos cum alijs quadragenarijs comparemus, insigniores accedunt fœtui mutationes. In primo enim incipit esse quasi in alio, & est pars alterius, atq; , vt placuit Vlpiano, antequam edatur, portio mulieris, ac viscerum. vt enim Alexãder Aphrodisiensis scriptum reliquit in libro de Anima, ac Stoici (Plutarcho quinto de Placitis Philosophorũ teste) ante illum; fœtus, dum in vtero existit, veluti animati, ac vteri portio esse videtur. In tertio incipit esse per se, ac simpliciter, quia nascitur, & quasi denuo generatur; quod cõsiderans Aristoteles initio septimi Histor. quem Ptolemæus tertio Apotelesm. secutus est, duplicem fœtui generationem impartit, alteram in ventre fieri, alteram extra dicens; & quarto libro de Animalium ortu, cùm nascitur fœtus, generationem permutare scribit; nimirum quia hanc secundam tunc faciat generationem. In secundo verò quadragenario ægrotare incipit. Quanquam potest & altera causa ex libello de Natura Pueri elici, quare primus quadragenarius adeò sit periculosus, sicuti & prior ex eodem loco mirificè confirmari; cùm enim formatio prima, & articulatio, de qua tàm multa diximus tertio libro, diebus circiter quadraginta absoluatur; natura in tàm graui opere occupata facillimè vel leui aduersante causa delinquere potest, concidereq; , & noxam aliquam contrahere; vt hi quadraginta primi dies tanquam formationi primæ dedicati, & in quibus plurimùm natura laboret, ac fatigetur, ob idq; interdum reddatur imbecilla; maximè periculosi esse debeant. Quòd enim primis quadraginta diebus fœtus debilis sit, ac imbecillus, clarissimè eodẽ Opusculo de Natura Pueri docet Hippocrates; scribens paucissimum sanguinem diebus illis in augmentum pueri è parentis corpore descendere; descendere verò paucissimum, quia paucissimum genitura tũc trahit; trahere demum paucissimũ, quia & genitura ipsa, & spiratio paucissimas tùm habeat vires. Trahit enim semper spirationis huius beneficio sanguinem genitura, cùm in vtero est, & mulier conceperit; sed interdum minus, interdum magis, prout vires tùm ipsa, tùm spiratio habet, quemadmodum diuinè Hippocrates docet. Atq; hæc causa est, quare grauidis mulieribus non sicut & alijs semel per mensem menstruorum fluxus commouentur; singulis nanq; diebus sine vllo labore, ac turbatione, & sensim, & modicè fluit attractus sanguis,

ff. de Vẽ. in. l. tẽp. s. ex hoc res.
Cap. 20.
Cap. 18.
Cap. 1.
Cap. 1.
Cap. 8.

guis, & in fœtus cedit incrementum, vt idem admonet. Hinc, vt addit, his ferè prę-teritis diebus copiosior sanguis in vterum descendit; factus enim robustior est conceptus, vt meritò minus exinde postea subeat periculum. Verùm hactenus de primo quadragenario.

Quare tertius quadragenarius periculosus secundum Hippocratem. Cap. 3.

DE tertio verò, qui ab hora partus cōputatur, sic breuiter statuo; in eo fętum, cùm editus est, diebus quadraginta ob quatuor causas laborare, quantum mihi conijcere licet ex Opusculo de Partu Octomestri; quo loco rem hanc totam diligēter Hippocrates persecutus est. Primùm, cùm hora partus instat, ex fœtus conuersione: de qua re sic diuinus Senex citato loco. » Incipit autem laborare puer ante » partum, & interitus periculum subit, quum » in vtero vertitur. Non parum enim ex cōuersione, ac motibus illis fatigatur, quos edit, dum conatur exire. Secundò ex trāsitu per angusta matricis loca, quod perbellè τὴν ἀνάγκην τὴν ἐν τῇ γαστρὶ. idest necessitatem, quæ in ventre est, appellat Hippocrates. Læditur enim tunc plurimùm tenerrimus fœtus; ex quò & tumorem contrahit, vt idem scribit, qui, nisi tertiam circiter diem residat, morbum solet efficere, » de quo sic Hippocrates. Si enim tumor nō » residat citius quàm tertio die, aut paulò » serius, morbi ex ipso fiunt. ac fortasse hic ille morbus est, qui Aristoteli fętum septimo Historiarum intra diem septimam interimit. (Cap. 12.) Oedema autem hoc ex læsione, & compresione, vt ita loquar, quam ex trāsitu per angusta oris matricis loca patitur infans, oriri credimus, non ex nimia humorum copia, aut à mucco, quo corylidones frequenter plenæ sunt, vt Lalamantius arbitratus est. (Sch. 10.) siquidem Hippocrates ex cōuersione, & ortu tumorem hunc scripsit generari, & plerūq; ante diem à partu tertiam considere: quæ duo, si ferè naturalis fętui huiusmodi tumor existeret ex humorum illius copia genitus, locum non haberent. Tertiò ob alimoniæ, & respirationis mutationem fętus maximè laborat, ex quò » & Hippocrates hac de re ita scripsit. Pe» riculosa quippè est, & grauis cùm auræ, tū » victus mutatio. Insolens enim puerulis ex locis muliebribus, qui tepore calent, in aerem ambientem frigidum transire, eumq; haurire; vt alia nunc taceam, quæ ad victū pertinent perbellè ab Hippocrate notata. quemadmodum enim ipse subdit, & adultis etiam locorū, ciborumq; mutationes persæpè morborum causæ sunt. Quartò vestium ratione: de qua re sic Hippocrates. » Eadem ratio est & de vestibus. pro eo .n. » quòd carne, & humoribus induti fuerūt, » ijsq; tepidis, ac liquidis, & cognatis; tales » vestes pueri induunt, quales ipsi viri. Possent adduci quinta, & sexta causa accidentales, vtpotè quæ locum in cunctis non habeant, sed in illis tantùm, qui, vt inquit Hippocrates, difficilem ex matrice exitum experiuntur; ideoq; non solùm extra, sed intus etiam principium morbi nanciscuntur; cùm alioqui causæ superiores in illis etiam, qui facilem habent exitum, locum habeant. Pendent autem hæ causæ à fœtus itidem conuersione; nam & aliquando in pedes prodire infantes solent; ex quò & pleraq; fiunt impedimenta: & dum partus inuertitur, non rarò euenit, vt vmbilicus capiti, collo, aut humeris, tribus, aut quatuor inuolucris quasi laqueis, aut spiris inuoluatur; ex quò & fœtui imminet strangulationis periculum: vnde & hac de causa, sicuti & ex œdemate, morbum aliquādo contrahere potest, ipsiusq; accipere in» tus principium, dicente Hippocrate. Qua» re multi iam pueri principium morbi intus » nacti prodiere, & consequenter alij perie» runt, alij morbidi superuixerunt. In alijs enim labores ab exitu ipso, videlicet à trāsitu per os matricis, à mutatione loci, auræ, victus, & vestium ortum habent; vt extra potius, quàm intra, quemadmodum innuit Hippocrates, principium morbi (si quis eo tempore pullulabit) habere videātur, & afflictionis. Hos igitur omnes labores pericula multa fœtibus adferre rationi est consentaneum: ex quibus sanè laboribus non citius quàm dierum quadraginta spatio leuari infantem, ac vires suas redintegrare (quemadmodum in morbis plerunq; euenit) longinqui temporis vsu, & periclitatione perceptum est; vt meritò quadragenarij huius tertij vis & obseruāda sit ex Hippocratis decreto, & maximè timenda; de quo ipse præter ea quæ adduximus, tertio secto Aphorismorum ita scripsisse videtur. (Aph. 28.) Plurimæ autē pasiones pue» rulis iudicantur, nonnullæ quidem in qua» draginta diebus; nonnullæ in septem men» sibus & c. ac postea Celsus secundo libro. » (Cap. 1.) Maximèq; omnis pueritia primùm circa » quadragesimum diem periclitatur. Quod » grauissimus auctor Plinius acutè contuēs

libro

Cap. 3.

libro septimo Historiæ Naturalis, labores huius quadragenarij malignitate partui illatos maximos appellauit: vt nil sit mirum si Græci eo præterito, vt ex Censorino supra retulimus, diem festum agerent. Cùm enim menses Plinius partui dedicatos numerasset, ita postea subdidit. In quo mẽsium numero genitis intra quadragesimum diem maximus labor. quibus etiam & nos docuit, quadragenarium hunc (secus quàm de secundo eueniat) in omni partu, quocunq; mense excludatur, locum habere: quod etiã & de primo dicendum venit. Atq; hęc de tertio quadragenario. Nunc agamus de secundo, de quo longè maior quæstio est, ac difficilior; neq; enim continuò elucet causa, quare tantis laboribus debeat in eo fœtus, & morbis, periculisq; esse subiectus: dicam tamen quid potero in re obscurissima, in magnis enim voluisse sat est. Sed in primis, vt scrupulus omnis ex Hippocratis tollatur oratione, generaliter admonendus est mihi lector de horum trium quadragenariorum conditionibus quibusdam, ac proprietatibus, quas ipse Hippocrates illis tribuit; itẽ de nonnullis loquẽdi formis, quibus vti solet, dum sermonem de eis habet; quod sequenti capite faciam.

De trium horum quadragenariorum proprietatibus, appellationibus, & conditionibus quibusdam nonnulla ex Hippocrate disseruntur. Cap. 4.

SCiendum igitur est de Hippocratis sententia in primo quadragenario nec fœtum laborare, nec vllam pati afflictionem, vel ægritudinem, nec mutationem vllam in deteriorem statum; sed tantùm ob causas supra allatas periculis abortionis reddi obnoxium: in secundo verò quadragenario & mutationem in deterius pati, & ægritudinem, & afflictionem: in tertio mutationem tantùm & afflictionem, laborẽq; nequaquam ægritudinem; nisi fortasse aliquando per accidens, scilicet ex vmbilici circa collum complicatione, atq; ex œdemate, si tertia die non considat, vt supra ex Hippocrate notauimus. Quòd in primo quadragenario nullis harum calamitatum fœtus afficiatur, testis est Hippocrates locupletissimus citatis Opusculis; in quibus cùm loquitur de primo quadragenario, neq; mutationis vllius, neq; ægritudinis facit mentionem. Quòd verò fœtui tria illa eueniant in secundo quadragenario, idem ipse Hippocrates facit testatissimum. Enimuero quòd mutationem patiatur, & afflictionem, seu laborem, verbis illis ostendit. Primos quidem quadraginta dies laborantes, alij plus, alij minus; propter mutationem autem ex locis, & pelliculis, quæ ipsos aluerunt, transmutantur &c. Hîc enim videmus, Hippocratem asserere, mutationem pati fœtum, quanquam maneat in vtero, nec edatur in lucem; idest, vt infra ex eodem declarabimus, ex locis, & pelliculis, in quibus enutritus est, in aliam migrare, atq;, vt rectissimè explicat Lalamantius, amnio, & allantoide tunicis, vtpotè tenuibus, calcitrando laxatis, mox etiam effractis, abscedere in eam alteram (chorion vocatam) quæ reliquas ambiens, & complectens excidentem fœtum quasi gremio excipit, eiq; lectulum quasi sternens locum dat. cæterum quia, vt idem Lalamantius admonet, ex tunicis mollibus, ac tenuibus, & angustis in extimam capaciorem, & duriorem, eiq; non ita familiarem, & consuetam, excidit; ideo mutationem perpetitur in deteriorem conditionẽ. Item perspicuum est, Hippocratem dicere, laborare, & afflictionem pati fœtum in hoc quadragenario; cùm laborare eũ totis quadraginta diebus asserat. Demum fœtum per id temporis ægritudine conflictari idẽ sæpissimè affirmat, dum inquit, in octauo mense, &, quod idem est, in secundo quadragenario fętum ægrotare. Porrò autem hîc, cùm afflictionem dicimus, vel laborẽ, idem intelligimus; laboremq; & afflictionẽ ab ægritudine distinguimus, quia Hippocrates laborare quidem fœtum diebus à partu quadraginta scribit, idest in tertio quadragenario; siue septimestris nascatur, siue nonomestris, vel decimestris; ægrotare verò nunquam, nisi in secundo quadragenario, & octauo mense. Solet tamẽ Hippocrates & ægrotationem, & afflictionem κακοπαθείας nomine plerunq; intelligere, quemadmodum initio Opusculi de Octomestri Partu, quando scripsit, octauo mẽse genitos ob duplices κακοπαθείας succedentes manere superstites non posse; vnde & fętum τεσσαρακονθήμερον κακοπαθεῖν κακοπαθεῖν, idest quadraginta dierum afflictione conflictari tùm in secundo, tùm in tertio quadragenario, inuenies eundem asserere; licèt in Opusculo de Septimestri Partu perspicuè tria hęc (mutatio scilicet, labor, vel afflictio, & morbus, seu ægritudo) distincta verbis illis inueniantur. Quicunq; autẽ natus fuerit in his quadraginta diebus, eum impossibile est superstitem manere;

Schol. 5.

nere, ægrotanti enim adhuc ipsi in vtero mutationes, & afflictiones post partum accedunt. Videmus enim hîc Hippocratem mutationis, afflictionis, seu laboris, & ægritudinis facere mentionem. Sed & alterum hoc est etiam diligenter animaduertẽdum; si numeri, & ordinis ratione hos quadragenarios fœtui periculosos contempleris; quia tres sunt; primum vocari oportere eum, qui est à conceptu; secundum, qui post septimum mensem incipit, siue is mutilus, & inchoatus, siue integer accipiatur; qua de re infra plura dicam; tertium, & vltimum, qui à partu ducit initium. atq; hoc sensu in Opusculo de Septimestri Partu dictum est ab Hippocrate, in primo quadragenario abortus fieri ex omni causa contingentes, & plures quàm in alijs omnibus quadragenarijs, verbis illis. Quisquis enim primos quadraginta dies transmiserit, abortus effugiet ex omni causa contingentes. Plures autem fiunt in primo quadragenario abortus quàm in alijs omnibus. quo loco primum in ordine quadragenarium, qui à conceptionis momẽto, vel seminis eiaculatione subducitur, primos vocat diuinus Senex dies quadraginta, & primum quadragenarium. Quòd si rursum hosce quadragenarios animo cõcipias, quatenus in illis vel laborat fœtus, vel ægrotat, vel mutationem patitur in partem deteriorem; tunc qui secundus erat, prioris apud Hippocratem induit nomen; quoniam primus in ordine quadragenarius nullam harum rerum, vt dictum est, perpetiatur. quo sensu scripsit Hippocrates verba illa in Opusculo de Partu Septimestri, quæ paulò superius attulimus. Primos quidem quadraginta dies laborantes & c. Loquitur .n. hîc de secundo quadragenario Hippocrates, quem etiam sextum quadragenarium inferius appellat, in eũq; cadere mensem octauum dicit; veruntamen quadragenarium hunc, vt videmus, primi nomine dignatur, quia primus sit, in quo mutationem fętus laborem, & morbũ nanciscatur. Qua etiam recepta distinctione, & quo iacto fundamento, alterius cuiusdã loci difficillimi verum sensum assequimur; in quo explicando Lalamantius frustra laborauit, sicuti & in eo conuertendo vnà cũ Caluo, & Cornario toto Cœlo aberrauit, vt sequenti capite planum faciam.

Enarratur obscurus quidam locus Hippocratis ex libello de Partu Octomestri. Quomodo secundum illum ægrotationis, quæ octauo contingit, ratione, decimestres intereant.

Cap. 5.

HIppocrates in Opusculi initio de Octomestri Partu, postquã dixit nullũ octauo iam ægrotum prodeuntem vitalem esse, quia contingit ipsum ἐφεξῆς, idest cõsequenter affligi; videlicet, vt ego interpretor, nulla interposita mora, ac sine vllo medio tempore alteram post alterã perpeti afflictionem, tùm eam, quæ in vtero fit, tùm eam, quæ in partu accidit; ita gręcè loquitur; græca enim verba hîc coactus appingo, cùm in illorum interpretatione ab alijs omnibus dissentiam. Επὶ καὶ τὰ δεκάμηνα καλέομενα, λέγω ἐν ἑπ]ὰ τεσσαράκονθ' ἡμέρας μᾶλλον τίκτεσθαι, καὶ μάλιςα προσήκει ἐκ]ρέφεσθαι (καὶ τελεώτατον ἐςιν ἐν ταῖς πρώταις τεσσαράκονθ' ἡμέραις) ἐπὴν δὲ γένηται, πλείω ἀπόλλυται. ἀναγκάζεται γὰρ πολλὰ μεταλαμβάνοντα ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πολλὰ νοσεῖν, ἐξ ὧν οἱ θανάτοι γίνονται. Hæc verba sic Caluus interpretatur. Quin & qui decimestres vocantur, si victuri sunt, dico nasci oportere septem quadragenarijs dierũ, sicq; melius educi. Nam prima quadragenaria perfectissimus est; cùm verò plures accedunt, pereunt. Nam qui multa paucò tempore sumunt, plurimùm laborare coguntur; ex quibus mortes fiunt. Cornarius verò sic. Insuper & decimestres appellatos in septem quadragenarijs dierum magis in lucem edi sentio, & maximè contingere, vt educentur. Nam perfectissimus est fœtus in primis quadraginta diebus. Vbi verò plures accesserint, perit. Coguntur enim, multa in pauco tempore assumentes, ac perferentes, multùm ægrotare; ex quibus mors consequitur. Demum Lalamantius hunc in modum. Aio quin etiam decimestres nuncupatos in septem dierum quadragenarijs potissimum prodire in lucem, eòq; maximè contingere, vt educentur. Et primis quidem dierum quadragenarijs absolutissimus est, integerrimusq; fœtus; vbi verò plures accesserint, in vitæ discrimen venit. Plures enim cibos assumendo intra paucos dies, multùm ægrotare (vnde & mori etiam aliquando contingit) cogitur. Qui profectò Lalamantius locum enarrans, inquit, sententiam esse, fœtum, siue is sit mas, siue fœmina, primis diebus septimæ quadragenariæ perfectissimum esse, & omnibus numeris

Sch. 4.

meris absolutam; ideoq; si illis diebus prodierit in lucem, vitalem esse; si verò post hos dies in vtero permanserit, de vita periclitari: vel quòd liberalioribus & tamen necessarijs aere, & cibo priuetur; vel quòd altero, nempe cibo copiosiore vtens, neq; aeris tamen tantum, quantum necesse est, hauriens, & inspirans, suffocationis, atq; adeò vitæ periculum incurrat. Cæterum ego (vt veritas cuiusq; auctoritati præferatur) multò aliter censeo & verba conuertenda, & locum explicandum. Scopus nanq; Hippocratis est (quod & initio Opusculi de Septimestri Partu, vt iam pridē septimus liber explicauit, itidem factum ab eo videmus) decimestrium exemplo afflictionis, ac morbi vim ostendere, quæ fœtum adoritur sexto quadragenario, & octauo mense in vtero commorantem. Itaq; sententia est, quòd decimestrium plures, tametsi cæteris exeant validiores, quia tamen vires partus tempore perfectè non recuperauerint, adhucq; vestigia quædam tantarum seruent impressa calamitatum, quas octauo mense perpessi sunt, moriuntur ferè statim editi; quoniam grauia multa in pauco tempore perferre coguntur; vnde natura infantilis imbecilla, cùm tot graues mutationes nequeat sustinere, concidat necesse est. Ab octauo enim mense ad decimi vsq; initium, ac proinde tempore pauco mutationes, labores, & ægritudines, quæ in secundo quadragenario fiunt; item labores partus, & mutationes persentiunt, quæ fiunt in tertio quadragenario. Et sanè memoria repetendum est, dixisse in Opusculo præcedenti Hippocratem, mutationes, & labores partus, & huius tertij quadragenarij afflictiones plures decimestres enecare; nec multò post (quod & supra monebamus) octomestres labores, mutationes, & ægritudines ijsdē decimestribus interitum afferre. Siquidē
» de primo ita scripsit. Et quadraginta die-
» rum afflictionem ex vtero egressi perferre
» coguntur; id quod etiam ex decimestribus
» multos peremit. de secundo autem sic.
» Si enim in his laboribus succedant, vt in
» conspicuum prodeat puer, impossibile est
» superstitem esse ob prædictos labores, quos
» ego octomestres perimere dico; immò etiā
» multos decimestres. Itaq; hoc est, quod his verbis, quæ in præsentia explicamus, repetit Hippocrates. tametsi enim decimestres ob id maximè educantur, vt idem eodē Opusculo doctissimè admonet, quòd fortissimi sunt natura, idest temperamenti ratione perfectissimi; item quia plurimùm absunt, cùm nascuntur, à morbis, qui accidere solent octomestribus, atq; ab horum morborum tempore; ea tamen vis est huiusmodi morborum, & afflictionis, quēadmodum superius diximus, quam tunc contrahunt, vt interdum eorundem notas non exiguas tempore etiam partus retineant: ex quo & facilius partus ipsius laboribus obruuntur, ac tertij quadragenarij malignitate; adeò etiam vt emoriantur.

Clarius Hippocratis mens explicatur; ac nonnullorum reijcitur circa afflictiones fœtum octauo mense consequenter corripientes interpretatio.

Cap. 6.

INquit igitur Hippocrates, quòd octomestres ob duplicem, quam perpetiūtur consequenter afflictionem meritò intereant, illud esse argumento; quòd decimestres appellati, qui ob optimum naturæ temperamētum, & robur septimo quadragenario eduntur in lucem, & maximè inter cæteros partus hac de causa adolescunt, ac nutriuntur; licèt perfectissimi sint aliorum respectu in primo quadragenario, scilicet, vt ego explico, octauo mense (quod nullus vidit Interpretum) & sexto quadragenario, quia minus ob naturæ robur tunc morbis illis læduntur; & has calamitates non consequenter patiuntur, sed aliqua temporis mora interposita; plures tamen, cùm nascuntur, intereunt ob labores illo tempore, primo videlicet quadragenario, ac octauo mense perpessos. Fit enim, vt nisi omnino sanati fuerint, & viribus redintegrati, quasi interea languētes, necdum satis recreati, laboribus partus succedentibus minus valeant resistere. Quandoquidem si longè valentiores partus, ac robustiores his afflictionibus, quas tamen non consequenter habent, enecantur; certè rationi consentaneū est, vt multò imbecilliores, quales sunt, qui iam ægroti octauo mense in morbi vigore veniunt in lucē, hisq; propterea laboribus consequenter afficiuntur, nec sunt fortasse tēperamento decimestres, sed potius nonomestres; facilius intereant. Atq; hæ verè sunt duæ illæ afflictiones, quarum causa octomestres periclitari, quia scilicet consequenter illas patiantur, Hippocrates putauit: vt audiendi non sint, qui has ipsas afflictiones ex motu fœtus ad exitum in septimo facto causari contendunt (qua de

ve aduersus Arabes crebrò in hoc Opere disputauimus) arbitrãtes afflictionem primam oriri in septimo, cùm fœtus calcitrãdo frustra exitum tentauit; secundam in octauo, quando rursus eundem conatum repetens, victoriam tandem adeptus in lucẽ venit: ex quò & addunt, duas hasce afflictiones esse successiuas, non quòd semper durante septimo duret ipsa afflictio, sed quia exiguum tempus inter vnam, & aliam intercedit, secundaq; sequitur nondum fętu à labore primæ afflictionis instaurato. satis enim superiora docuerunt, docebitq; plenius sequens disputatio, ex Hippocratis sententia neq; motum vllum ad exitum fętum, qui natura non sit septimestris, septimo efficere, neq; ex hoc motu has duas afflictiones oriri; vt nil sit mirum, si ijdem postea scripserint, nullam adesse harum afflictionum necessitatem, quia non omnis fœtus septimo exitum affectet, sed ille dũtaxat, qui ob vteri angustiam non potest amplius intus contineri; quam sanè partus causam iam satis libro tertio confutauimus. Item primam afflictionem, dum fętus in vtero manet, semper octauo mense perdurare, secundamq; ex laboribus partus ortum habentem, dum in prima est positus fœtus afflictione, illum inuadere, vt nullum tempus inter vnam, & alteram intercedat; & apertè hic dicit Hippocrates, & clarius infra ostendemus. cui quidem pulcherrimo Hippocratis dogmati ne minimũ quidem officit, quod inquiunt, si fœtus primam contraxit imbecillitatem, non videri rationi consentaneum, vt in lucem prodire possit; quia si validior existẽs defringendi membranas non habuit potestatem, neq; etiam imbecillior factus valeat eas dirumpere; si non contraxit primam afflictionem, nullam adesse mortis causam; præsertim cùm fœtus octauo mense validior, robustiorq; fit, quàm mense septimo. Enimuero, cùm priori incipiente afflictione duæ interiores membranæ dirumpãtur; fœtus tametsi imbecillus, & in ægrotatione constitutus, vnicam, quæ remanet, à morbo stimulatus, & irritatus, idcircòq; vehementes motus interdum edens, vt videmus in ægrotis, facilè defringere poterit. Adijce quòd ob phlegmonem, & ęgritudinem, ac febrem, internasq; multas mutationes, quæ per id temporis vterum potissimum vexãt, de quibus mox dicturi sumus, extima membrana redditur imbecillior, vt facilius etiam tunc defringi valeat, & ipse vterus expulsiua virtute ad eijciendum fœtum naturæ decreto excitatur. Quòd verò fœtus octauo sit robustior, quã septimo, si octomestris est natura, id falsum esse liber tertius ex Præceptore demonstrabit: si non est natura octomestris, quia octauo percurrẽte multa grauia perpetiatur, quæ ibi ex Aristotele explicauimus, hoc loco ex Hippocrate monstramus; non est dicendum robustiorem, validioremq; esse, quàm mẽse septimo. Sed vt eò reuertamur, vnde hæc declinauit oratio; vocat igitur hoc loco Hippocrates sextum quadragenarium primos quadraginta dies, vt etiam in Opusculo de Partu Septimestri, cùm scripsit, primos quadraginta dies fœtum laborare, quemadmodum supra vidimus; quem sanè quadragenarium primum dicit, quia primus sit, in quo laborat fœtus, morbũq; contrahit vt superius itidem monuimus. quod cùm neq; Interpretes, neq; explanator Lalamantius animaduerterint, verum huius loci sensum mea quidem sententia nõ attigerunt; quod palàm erit, si illorum interpretationes, & Lalamantij explicationem cum verbis Hippocratis, & expositione nostra conferamus.

Calui, & Cornarij interpretationes expenduntur, & redarguuntur; Lalamantijq; enarratio reijcitur. Cap. 7.

PRimùm igitur quid de Caluo dicere possumus? cuius interpretatio tàm longè à græca serie aberrat, vt nihil magis; cùm aliud omnino doceat Hippocrates, aliud Caluus loquatur, & afferat, & illud quidem commentitium. Inquit Caluus, decimestres vocatos, si victuri sunt, nasci oportere septem quadragenarijs dierum. At primùm hoc non dicit Hippocrates, sed illud tantùm, decimestres videlicet appellatos septimo quadragenario frequentius edi, & maximè adolescere. Deinde si, quæ Caluus affert, Hippocrates affirmaret, falsum diceret; cùm non sit verum simpliciter, puerum, ad hoc vt viuat, nasci in septimo quadragenario oportere; cùm etiam quinto quadragenario vitalis egrediatur: non minusq; alienum sit à veritate, decimestrem partum non esse vitalem, nisi nascatur in septimo quadragenario; cùm puer ducentis, ac nonaginta diebus natus, & trecentis, vt constat ex libro de Alimento, nosq; superioribus disputationibus suo loco demonstrauimus, vitalis sit, & decimestris de illius sententia; & tamen editus extra septimum

mum quadragenarium, qui dies tantùm capit 280. vt Hippocrati placet; quod præcedenti libro abundè ostensum fuit. Quanquam non me præterit doctos quosdam esse viros, inter quos, vt primus liber ostendit, Tiraquellus inuenitur; qui ex mala fortasse huius loci intellectione occasione arrepta, partum, si septimum transeat quadragenariũ, octauumq; attingat, asserãt nasci nõ vitalem: dicente Hippocrate, vt placuit Tiraquello, decimestrem non posse viuere, nisi septem quadragenarijs dierũ nascatur; quia prima quadragenaria fœtus perfectissimus sit, si verò plures accedant dies, pereat: quasi primi quadragenarij nomine septimum hic putent intelligendum. quorũ quidem sententiam & interpretationem satis hæc non arguit disputatio. Præterea quid sit melius educi fœtum, vt inquit Caluus, non intelligo; quid verò voluerit Hippocrates, cùm dixit, decimestres illos μάλιστα ἐκτρέφεσθαι. idest maximè adolescere, facillimè percipio. Inquit enim diuinus Senex, decimestres illos, qui septimo quadragenario in lucem veniunt, tanquam cæteris perfectiores, & in tempore perfectissimo editos, vt tertio, & septimo libro probatum fuit, magis & facilius adolescere, atq; ad senectutis annos peruenire; siquidem hoc sonat verbum illud ἐκτρέφεσθαι, vt tertio libro fuit demonstratum. Item inquit, hoc ipso tempore partus sæpius nasci. Demum Caluus in postrema sententiæ parte, καὶ τελεύτατον &c. conuertens, Nam prima quadragenaria perfectissimus est; cùm verò plures accedunt, pereunt. obscurissimum sensum adducit, & ab Hippocratis mente alienissimum: qua tamen in re sectatores habuit Cornarium, ac Lalamantiũ. præsertimq; Tiraquellum, dum hũc Hippocratis locum affert, vt primo libro videre possumus. Omnes enim in communi hoc errore versantur, vt credant, verba illa. ἐπὴν δὲ γένηται πλείω. ad quadragenarium illum, ad illiusq; dies, cuius meminit Hippocrates, & primum vocat, esse referenda: qua recepta interpretatione Oedipo (meo quidem iudicio) opus est, vt commodus vllus ex ipsius verbis sensus eruatur: quod quidem ex Lalamantij conuersione, & explicatione latissimè patet; qui sententiam hanc secutus, ac verba ita interstinguens, nec videns, quo modo veritatẽ habere posset, in primo illo quadragenario decimestrem fœtum esse perfectissimum; si verò plures accedant dies, in vitæ discrimen venire; non absolutè in prima quadragenaria, vel in primis quadraginta diebus interpretatus est, sed (secus quàm fecerat in versione, vbi transtulit, à scopo etiam magis aberrans. Et primis quidem dierum quadragenarijs) in primis diebus septimæ quadragenariæ; ita scribens. Fœtus, siue mas sit, siue fœmina, primis diebus septimæ quadragenariæ perfectissimus est, & omnibus numeris absolutus. atq; eam postea commentus est explicationem, quam superius attulimus, & in qua (vt liberè dicam quod sentio) longissimè discedit à veritate, & ab Hippocrate illo, cuius se facit Interpretem. Falsum nanq; est (si modò hoc ipse voluit) in primis diebus septimi quadragenarij fœtum esse decimestrẽ; de quo tamen loquitur Hippocrates: falsum rursus, esse perfectissimum: tandem maximè dissonum est à vero, si plures dies ex septimo quadragenario accedant, vel si post dies primos eiusdem quadragenarij in vtero maneant, fœtus de vita periclitari. Quòd enim puer primis diebus septimi quadragenarij editus decimestris non sit, vel inde fit conspicuum; cùm enim primi hi dies cadant in nonum mẽsem, immò & in noni initium; partus per id temporis in lucem veniens, nonomestris omnino dicendus erit. Decimestres nanq; Hippocrati sunt, qui expleto, exactoq; septimo quadragenario oriuntur, scilicet diebus 280. vel certè post diem 270. vt præcedenti libro nos pluribus ex eodem ostẽdimus; qui dies initium ferè tantùm mensis decimi attingunt: vt mirum sit voluisse Lalamantium, primis diebus huius quadragenarij in lucem editos decimestres esse, & appellari; quod nullo pacto veritatem habet, quoquo etiam modo accipias menses, siue Lunares intelligas, siue Solares. atq; eò magis mirum de ipso Lalamantio, qui de partubus, ac singulis mensibus computandis ita scripsit in Commentarijs. *Sch. 15.* Iam hoc velle videtur Hippocrates; quemadmodum septimestres dicuntur non solùm ij, qui, cùm eduntur, septem græcanicos menses integros, idest dies ducentos sex cum dimidiato die sunt consecuti; sed etiam ij, qui ad sex menses plenos, seu dies 177. dies præterea quinq; cum horis duodecim de septimo sunt consecuti: ita & decimestres dicuntur non solum ij, qui menses græcanicos decem integros, seu dies ducentos nonaginta quinq; nacti sunt, sed etiam qui ad nouem menses dies 265. expletos, quinq; tantùm dies de decimo cũ horis aliquot sunt consecuti: quod & idẽ

Sch. 5.

de

de vndecimestribus licet iudicare. Atqui ex verissima hac Lalamantij disputatione luce meridiana clarius est, partũ 265. dierum, qui magis etiam, quàm dimidiatam septimi quadragenarij partem capit, nonomestrem dici, non decimestrem; vt longè minus talis debeat nuncupari, qui primis eiusdem quadragenarij diebus oriatur. Secundò, quòd in primis septimi quadragenarij diebus fœtus (quoquo modo appelletur, siue decimestris, siue nonomestris) non sit perfectissimus, si vocem illã τελεώτατον eo sensu accipiamus, quo ipse facit Lalamantius, atq; ante illum Caluus, & Cornarius; vt scilicet dicat tempus, in quo fœtus absolutissimam nactus perfectionem editur in lucem; quin potius quòd tunc sit è contra imperfectissimus, vel ipsomet Hippocrate teste latè patet. Enimuerò primi dies septimi quadragenarij in noni mensis incurrunt initium; sextus nãq; expletus quadragenarius totum octauũ mensem comprehendit, ac diem 240. vnde die 241. septimus quadragenarius incipit, ac die 280. finem habet: vt mirum omnino sit, quod notatum reliquit Lalamãtius, quadragenarium hunc die dicto ducentesimo octogesimo initium capere; ita enim scripsit. Ducentesimus ergo octogesimus dies primus est septimæ quadragenariæ dies. Atqui de genitis nono mense, ac noni initio, quid dicat Hippocrates libello de Septimestri Partu, audire oportet; ita enim de illis statuit. Quicunq; verò ægrotans in vtero ad nonum mensem peruenerit, & in hoc mense natus fuerit, superstes erit. Et superuiuunt quidem non minus hi, quàm septimestres; verùm pauci etiam ex his educantur. Neq; enim crassitudinem habent, quam perfectissimi habent; & labores in vtero non diù ante tolerauerunt, vt tenues euaserint. Seruabitur autem vel maximè talis puer, si nouem mensium fuerit in exitu. Fortior autem euadet etiam is, vt qui plurimum abest à morbis, qui octomestribus accidere solet. Qui enim in septem quadragenarijs nascũtur decimestres appellati, ob id maximè educantur, quòd fortissimi sunt, & plurimùm à vulgarium puerorum tempore absunt, in quo affliguntur quadraginta ęgrotantes diebus circa octauum mensem. Declarant autem de morbis, & afflictionibus octomestrium etiam nonomestres tenues nascentes. Iuxta multitudinem enim temporis etiam magnitudo corporis contingit ex morborum afflictione progressis; & non velut septimestres carnosi gignuntur, & crassitudinem probè coaltam habentes; vt qui tempus, quo in vtero gestabantur, sine morbis transigerunt.

Sch. 3.

Verba Hippocratis superiora de his, qui noni mensis oriuntur initio, explicantur. Adhuc Lalamantij reijcitur interpretatio, & circa decimestris partus imperfectionem opinio, Cap. 8.

HAec Hippocrates; cuius hac de re totã disputationem hîc apponendam duximus, quia plurimùm locũ hũc obscurissimum illustrat. Docet enim apertè, vt omnibus est conspicuum, nonomestrium nonnullos multò esse imbecilliores, quàm etiã septimestres; eò quòd non multò post actextum quadragenarium præterierint, in lucem veniant; idcircòq; parum absint ab octomestri ægrotatione: propterea eò magis huiusmodi partus fieri superstites, quò magis nouem mẽsium in exitu prodierint. quæ omnia cogunt nos, vt fateamur, partũ ipsum, quantò plures dies de septimo quadragenario cęperit, tantò & fieri perfectiorem. ex quo & rectissimè adiungit Hippocrates, eos, qui septem nascuntur quadragenarijs, decimestres appellatos (sunt autem hi, qui die 280. in lucem veniunt, proindeq; in septimi quadragenarij fine) ob id maximè educari, quia fortissimi sũt, cùm nascuntur, & plurimùm absunt à tẽpore ægrotationis octomestrium; videlicet à sexti quadragenarij fine: quos quidẽ partus paulò supra easdem ob causas τελεώτατους, idest perfectissimos nuncupauit: quod etiam idem eodem Opusculo paulò superius ostendit, scribens per vltimos dies septimi quadragenarij facilius vterum mulieres ferre, donec contigerit fœtũ verti; postea verò dolores partus incumbere, donec à puero, & à secunda mulier liberetur: vt nullo modo vocari in dubium possit, vltimis diebus septimi quadragenarij naturam ex Hippocratis sententia (si collineet) partum non edere perfectissimum. Vnde & nonomestres, addit, de morbis, & afflictionibus octomestrium declarare, quantas scilicet vires habeant; cùm tenues illorum aliqui propterea oriantur, quia non multò post dictas ægrotationes veniunt in lucem. quæ omnia de ipsis decimestribus Hippocratem repetere his verbis, quæ enarramus, nemo est, qui non videat; cùm & eos maximè nutriri dicat, esse & perfectissimos, & eorum exemplo, nõ

secus ac nonomestrium in superiori disputatione, vim aperiat ægrotationis octauo mense fetũ inuadẽtis; monstrans tantę esse potestatis, vt etiam hos partus lõgè perfectiores, ac plurimùm à tempore, in quo euenire solet, distantes, valeat interimere. quæ profectò consensio Hippocraticæ disputationis satis signi dat, nos in hoc loco interpretando ipsius genium habuisse. Secundò hoc alterum habet incommodi Lalamantij explicatio; ipsa nanq; recepta fatendum necessario est, eos partus decimestres esse imbecilliores, qui plures dies capiunt de septimo quadragenario. ex quò & sic ipse de infelicitate decimestriũ scriptum reliquit. Vt autem septimo mense nascuntur infantes, quoties vis formatrix validissima est, & sanguinem sibi commodum obtinet; ita decimo nascuntur, quoties vis eadem imbecilla est, & materiam minimè commodam nacta. Decimestres verò etiam idcircò parùm diu viuere scribunt, quòd Martem, qui naturaliter multis motibus mouetur, episcopum habent. Quod quidem ab Hippocratis, Aristotelisq; dogmate adeò esse alienum constat, qui decimestres partus cæteris perfectione antecellere vbiq; volunt; vt nil magis. Tertiò ac postremò falsum est omnino (quod satis ex superioribus elucet) si fœtus post dies primos huius quadragenarij in vtero permaneant, de vita periclitari; cùm ob Hippocratis rationem (eò quòd scilicet in dies semper longius recedant à tempore, in quo labores octomestres eueniunt, viresq; propterea semper acquirant maiores) necesse sit vitales fieri magis, si vltimis dicti quadragenarij diebus in lucem veniant. Quare ita erunt verba è græcis quasi verbis expressa secundum nostram explicationem fideliter, ac dilucidè interpretanda. Quoniam & decimestres appellati, quos dico in septem dierum quadragenarijs magis in lucem edi, & maximè adolescere (qui partus perfectissimi sunt in primo quadragenario) cùm tamen geniti fuerint, pereunt pleriq;; coguntur enim multa in exiguo tempore perferentes plurimùm ægrotare; ex quibus interire eos euenit. Hæc Hippocrates; quibus verbis (vt clarissimum est) quam superius expressimus sententiam explicat; ac primi quadragenarij nomine labores intelligit octomestres, ac tempus, in quo fiunt, secundum videlicet quadragenarium ex tribus propositis ob periculum quod afferunt, insignioribus, sextumq; à conceptu. ac perfectissimum in eo decimestrem esse inquit, tùm simpliciter, quoniam decimestris hic partus oriturus septimo confecto quadragenario reliquis perfectior est, ac valentior; tùm quadragenarij huius ratione, quia in eo langueat minus ob temperamẽti excellentiã, ac virium robur. Quo etiam loco notandũ est, cùm dicit Hippocrates, decimestrem in septimo quadragenario μᾶλλον τίκτεσθαι, idest magis edi; id propterea dicere, quia, vt septimo libro notabamus, post septimũ quadragenarium, ac dies 280. decimestres quoq; partus oriri possint; quales sunt, qui medio decimo mense oriuntur, vel eodem affecto, & senescente; cùm & trecentesimo die fœtum excludi vitalem posse libro de Alimento ipse concedat, de qua re plura suo loco disputauimus. Verùm quoniam hi partus perfectissimis comparati, & ijs, qui septimo finiente quadragenario oriuntur, & diebus 280. minus secundum naturam esse Hippocrati videntur; quod verò secundum naturam magis est, magis & crebrius in natura ipsa locum habet, vt nõ semel Aristotelis auctoritate admonuimus; idcircò diuinè adiungit, decimestres septimo magis quadragenario oriri, vt ostendat, perfectissimum decimestrium partionis limitem ac frequentiorem, diem esse 280. & septimum quadragenarium.

Sch. 3.

Adducuntur, enarranturq; Hippocratis verba ex libello de Septimestri Partu de secundo quadragenario, ac de ægritudine, quæ in illo fœtui euenit. Aristotelis, & Galeni explicantur verba quædam. Cap. 9.

IAm verò trium horum quadragenariorum natura generaliter exposita, nunc maius superest negocium pertractandum; quare scilicet secundus quadragenarius de Hippocratis sententia hanc nactus sit proprietatem, vt in eo fœtus ægrotet: cui sanè difficillimæ quæstioni ipsiusmet Hippocratis verbis occurrendum arbitramur. Ipse nanq; Senex sapientissimus libello de Septimestri Partu eam egregiè quidem diluit, ac subtiliter; atq; vtrum omnes fœtus sexto quadragenario ægrotent; quibus contingat ægrotare, & qua de causa, mirabiliter aperit; & quæ sit hæc demum ægrotatio patefacit: quod quidem cùm in Hippocrate ad hanc vsq; diem à recentioribus Medicis (quòd viderim) non satis animaduersum fuerit, meritò plurimi in huiusmodi re aperienda se mirificè torquentes à

scopo

ſcopo aberrarunt. Hippocrates igitur, (vt rem ipſam aggrediamur) cùm citato Opuſculo ſibi propoſuiſſet, octomeſtrium labores, & ægrotationem, laborum, ægrotationiſq; cauſas explicare; ideoq;, vt cõmodius id ageret, inter alias cauſas, cur ſeptimeſtres vitales prodeant, hanc vnam recenſuiſſet; videlicet propterea ipſos fieri ſuperſtites, quia antequam octauum menſem attingant, & ſextum quadragenarium (quo tempore ægrotat fœtus in vtero) exeant in lucem, vt ſeptimo libro, de ſeptimeſtri agentes partu, declarauimus; addidiſſetq; præterea, eos partus, qui laboribus illis ſuccedentes in conſpicuum tunc prodeant, nullo pacto poſſe ſuperuiuere; atq; hanc eſſe cauſam, quare octomeſtres pereant, quin etiam & plures decimeſtres. Cùm hæc, inquam, dixiſſet, ſtatim de hac ipſa ægrotatione, quæ circa octauum menſem fœtum corripit, cuius habuit mentionem, & cuius explicandæ gratia, vt ſuo loco infra adnotabimus, prouinciam ſcribẽdi ſuſcepit; quare octauo menſe fœtum ipſum inuadat, quænam ipſa ſit, quamuè habeat cauſam, ac vtrum omnes adoriatur fœtus, aggreditur aperiendum, atq; ſcribit his verbis Cornario interprete. Cęterum multi fœtus ſeptimeſtris ætatis, quum pelliculæ defringuntur, ſecedunt in id, quod cedit, & hic alimentum ſumunt, primos quidem quadraginta dies laborantes, alij plus, alij minus: propter permutationem autem ex locis, & pelliculis, quæ ipſos aluerunt, tranſmutantur; & pro vmbilico trahunt, & tranſumunt etiam per matrem labores. Pelliculæ enim dum tendũtur, & vmbilicus conuulſus, dolores matri inducunt; & fœtus ex antiquo vinculo exſolutus grauior redditur. Multæ verò mulieres etiam febricitant his contingentibus; quædam etiam pereunt vnà cum fętibus. Hæc ille; qui, vt videmus, perſpicuè ſcribit, cùm pelliculæ defringuntur, nõ quidem omnes (nam ſi omnes defringerẽtur, certè extra vterum, non adhuc in ipſo vtero, vt ſupponit Hippocrates, fœtus nutriretur) ſed allantoides tantùm & amnios, vt doctiſsimè Lalamantium eſſe interpretatum, ſupra diximus; fœtum ſecedere in id quod cedit, videlicet in ipſum chorion, in eoq; ſumere alimentum, ac primos quadraginta dies laborare, ideſt, vt ſupra explicauimus, idemq; apertè explicuit Hippocrates, ſexto quadragenario, & menſe octauo; laborare (inquam) quia ex interioribus membranis mutationem efficiat in exteriorem; & quia abruptis hiſce membranis, conuulſoq; vmbilico, & dolor, & ægritudo fœtui, ac parenti; item inflammatio, vt clarius mox ex eodẽ explicabimus, interdumq; febris oboriantur. cuius etiã orationem iam diù (niſi fallor) ipſemet Ariſtoteles ſeptimo Hiſtoriarum interpretatus eſt, vt tertio libro tetigimus, dum ſcriberet, cùm vterus ſemen conceperit, ſtatim conniuere, donec ad ſeptimum menſem peruentum ſit, plurimis mulieribus; octauo autem adaperiri, atq; dehiſcere, & partum deſcendere menſe eodem. quod etiam in ſextum Epidemicon Galenus voluit; tanquam veritati conſentaneum à Veteribus nonnullis accipiens, fœtum conuerti menſe octauo; tametſi parum fortaſſe memor eorum, quæ in libro de Septimeſtri Partu diſputata ſunt, ſed in illa tantùm aciem intendens, quæ in Opuſculo de Pueri Natura habentur; in hac per octauum menſem facta conuerſione, quam rectiſsimè motum ab ipſo fętu editum eſſe definit, nullam fieri membranarum agnoſcat effractionem: vt hinc duplicem eſſe conuerſionem intelligamus; alteram, quæ octauo menſe fit, alteram, quæ fit tempore partus, cùm ſcilicet fœtus conuertit caput, & mox venit in lucem. Ac ſanè Ariſtoteles, vt tertio libro ipſius ſententiam tractantes monebamus, naturalis partus, qui nono, ac decimo menſe fit, modum loco illo explicat, & rationem: vnde, vt cum Hippocrate conſentiat, dicit plurimis, non omnibus mulieribus ad ſeptimum vſq; menſem vterum contractum permanere. quæ enim mulieres ſeptimo menſe, vel octauo pariunt, vt infra palàm erit, labores octomeſtres nequaquam perpetiuntur: quod quidem acutè conſiderans Hippocrates, in eãdem ſententiam citatis verbis locutus eſt; inquiens plurimos fœtus ætatis ſeptimeſtris laxatis pelliculis ſecedere in id, quod cedit; quod (niſi fallor) vterum dehiſcere, fœtumq; deſcendere dixit Ariſtoteles; vt mira vtriuſq; eſſe ſententiæ conſenſio videatur.

Cap. 4.

Com. 1. part. 2.

Hippocratis mens fuſius enarratur, & eius cum Ariſtotele conſenſio: Lalamantius reijcitur. Cap. 10.

ATq; hoc loco cogente Ariſtotelis ipſius auctoritate verba illa Hippocratis. ſeptimeſtris ætatis, & c. exacto ſeptimo menſe, & confecto, ſiue is integer veniat accipiendus, ſiue non pro fœtus tempe-

ramen-

ramento (de qua re grauissima infra dicã) ac octauo incipiente debemus interpretari; adeò vt ineunte octauo hęc omnia fiant. quasi dixerit Hippocrates, vt Aristoteles interpretatus est, multos fœtus ætatis septimestris, cùm scilicet ad septimum peruentum est, octauusq; iam percurrit, mẽbranas nonnullas abrumpere; quod Hippocratem voluisse, vt potè qui cum diruptione pellicularum octauum incipere mensem ac sextum quadragenarium omnino existimauerit; pluribus infra ostendemus. Quòd verò de partu decimestri sermonem Hippocrates habeat, & non secus ac Aristoteles, editionis ipsius modum aperiat, & rationem; ipsemet infra testis est locupletissimus, dum scribit, hos fœtus, quibus septimo mense pelliculæ defringũtur, quadragenario. septimo exacto, vltimisq; ipsius diebus in lucem prodire: quo rursus loco Aristotelis auctoritate septimo mense pelliculas dirumpi, septimo exacto cogimur intelligere. atq; Hippocratis hæc est oratio, quæ superiora etiam ipsius verba illustrat maximè, & patefacit.

» Quum autem septimo mense pelliculæ dirumpantur, & fœtus secesserit, labores, qui circa octauum mensem, & sextum quadragenarium in partu fieri traduntur, corripiunt. Hoc autem tempore prætereunte, quibus benè futurum est, inflammationes tùm fœtus, tùm matricis exsoluuntur; vt venter molliatur, & tumor à pręcordijs & laterum mollitudine descendat ad locos inferiores ad facilem partus tempore progressionem. Et septimo sanè quadragenario plurimo tempore fœtus isthic existunt. Nam loci ipsi molles sunt, & transmutationes ipsis faciliores, ac frequentiores fiunt; & propterea ad partum magis solubiles consistunt; & mulieres per hos vltimos dies ex toto quadragenario facilius vteros ferunt, donec contigerit fœtũ verti. Postea verò dolores partus, ac labores incumbunt, donec à puero, & à secunda mulier liberetur.

Hæc ille; quibus, vt conspicuum est, fœtum post inflammationes exsolutas descendere sexto quadragenario finiente docet in locos inferiores, ac totum septimum quadragenarium ibi commorari; ita vt per vltimos huius quadragenarij dies facilius mulieres vteros gerere dicat; quibus etiam in fine septimi huius quadragenarij fœtum ipsum excludi ostendit; cùm & mox fœtum conuerti adiungat, & partum imminere, quod post facilem illam contingat gestationem necesse est, quam vltimis septimi quadragenarij diebus dixit euenire, videlicet eodẽ septimo quadragenario finiente. quo rursus loco cùm in fine septimi quadragenarij fœtum conuerti dicat, duplicem illam mõstrat concedi oportere conuersionem, quã supra diximus; cùm Galeni conuersio illa fiat mense octauo, incipiente videlicet, vt ego arbitror, & initio sexti quadragenarij; hæc autem postrema, quam meminit hoc loco Hippocrates, in fine septimi, ac partus hora imminente; vt ab vna ad alteram dies ferè 80. intercedant. ex quibus omnibus patet, si fœtus, qui septimo confecto mense, octauo ineunte membranas dirumpit, septimo expleto quadragenario oritur, vt placet Hippocrati; iam verè dictum à nobis esse, Aristotelem citato nuper septimi Historiarũ loco, vbi dehiscere vterum, fœtumq; descendere scribit, Hippocratem præsenti disputatione, de partu nonomestri, ac decimestri sermonem habere; eiusq; rationem explicare, & quo modo fiat. Nec nos turbet, Hippocratem dicere, septimo mense pelliculas defringi. Intelligendum nanq; est, vt supra diximus, infraq; monstrabimus, & ipse perspicuè admonet, dicens, ætatis septimestris, adensq; cùm pelliculæ septimo mense dirũpantur, fœtusq; secesserit, labores incipere, qui circa octauum mensem traduntur fieri; exacta, expletaq; ætate septimestri (siue hanc integer septimus terminet, & absolutus, siue concisus, de qua re inferius suo loco) cuius idcircò facit mentionem Hippocrates, quia ob eam, quam septimus mensis fœtui affert perfectionem, hæ fiant mutationes, & ob septenariæ periodi virtutem, vt planius etiam infra dicturi sumus. Quamobrem nullatenus probare Lalamantij possum interpretationem, qui putat, scribere hîc Hippocratem, quosdam septimestres amnio, & allantoide tunicis calcitrando laxatis, atq; etiam effractis migrare, & abscedere in eam, quam chorion vocant; si nomine septimestrium verè partum intelligit natura septimestrẽ, quemadmodum videtur intelligere, duplex faciens genus septimestrium; alterum robustum, ac valens, quod membranas omnes infringere valet, atq; hoc septimestrium genus dimidio anno prodire inquit; alterum, quod extremam tunicam dirumpere nequeat, vtpotè crassam, fortem, ac duplicem, tanquam priore motu defatigatum, nec satis validum; idcircòq; in ea ipsa ad partus vsq; tempus consistere, ibiq;

Sch. 5.

non sine molestia educari; de quo vult citatis verbis Hippocratem differere. Enimuero nullus est hoc loco apud eum de septimestribus sermo, idest de septimo maturescentibus, de quibus iam supra locutus fuit; sed de nonomestribus, vt vidimus, ac decimestribus: vnde inquit generaliter, multos fœtus, cùm septimestris fuerint ætatis, non quosdam septimestres, vt censuit Lalamantius; ac data opera vtitur loquendi illo genere, ætatis septimestris, vt tam incipientem, quàm confectum septimum comprehendat, & fœtus in vtero existentis ætatem significet, non tempus iam expletum exeundi in lucem; atq; hos dicit, secedere in id, quod cedit; & in extimā mēbranam; vt enim pulchrè Aristoteles declarauit, septimo finiente, ineunte octauo hæc eueniunt. Qui sanè Lalamantius vel ex eo de huius sententiæ falsitate poterat doceri, quòd fœtus dici nequeat septimestris, nisi septimo mense edatur in lucem, siue, vt verius dicam, nisi temperamentum eius sit septimestre; ita vt mense septimo maturitatem recipiat: hoc verò in loco dicat quidem Hippocrates, secedere septimo mense fœtum in id, quod cedit, sed non tamen in lucem exire; verùm diebus quadraginta laborantem adhuc in vtero alio etiā quadragenario permanere, eoq; expleto maturum nasci, ac vitalem; vt à secessu ad partum dies octoginta numerare videatur; ex quò & de septimestri, ac de fœtu, cui tempus iam partus immineat, nullo modo possunt verba interpretari.

Quare fœtus ægrotet octauo mense. vtrum omnes ægrotent secundum Hippocratem; quæ sit ista ægrotatio; & quas habeat causas. Cap. 11.

CAeterum ex hac tota Hippocratis disputatione, manifestè patet (quod his cognitis fore manifestum, non semel supra diximus) quare fœtus octauo mense, & sexto quadragenario ægrotet in vtero; quæ sit hæc ægrotatio, & quas habeat causas; vtrū omnis fœtus huic sit obnoxius ægrotationi. Neq; enim fœtus omnis, vt postremū hoc diluamus primo loco, per se ægrotat, sed ille tantùm, qui nonomestris editur, vel decimestris; siquidem per accidens cūcti fœtus, videlicet septimestres etiam, alioqui Hippocrate teste antequam in hanc incurrant ægrotationem orituri, & octomestres in eam labi possunt, vt infra declarabimus. Quod vt indicaret Hippocrates, dixit multa embrya, non omnia, Aristoteles multas mulieres, non omnes, vt supra notauimus, huiusmodi conflictari ægrotatione; idq; rursus infra idem ipse inculcauit Hippocrates verbis illis. Quicunq; ve- " rò ægrotans in vtero ad nonum mensem " peruenerit &c. quibus non omnes octauo " ægrotare, quoscunq; dicens, manifestè significauit. Vnde meritò Auerroes super quarto de Animalium Ortu, vt tertio quoq; libro animaduertimus, ridet Astrologorum figmenta; qui fœtus omnes in vtero ægrotare octauo mense opinabantur; validaq;, & efficaci argumentatione acutissimus philosophus illorum vanitatem redarguit; inquiens ipsam ægritudinem (vt ipsius ore loquar) non esse quid naturale, quod accidat cuilibet nato. quibus verbis licèt obscurissimis mirificè nobis Hippocraticæ sententiæ, quam nunc tractamus, aperuit veritatem. Non enim cuilibet nato, idest non omnibus, quia neq; septimestri, neq; octomestri, sed plerisq; tantùm, nempe nonomestribus, ac decimestribus euenit, vt octauo mense incidant in morbum; quandoquidem non est, vt acutè admodum, & verè subdit Auerroes, fœtui naturale, videlicet non simpliciter ei, quatenus fœtus est, congruit, vt octauo mense ægrotet, sed quatenus mense nono, decimo, ac vltra prodire in lucem debet, & naturalem seruat partus rationem. Inquit autem rectissimè id plurimis euenire Hippocrates; quoniam mense nono, ac decimo, tanquam mensibus ad humanam naturam, quantum est partus ratione, maximè accōmodatis, frequentius mulieres pariunt. Vt iam plurimum eos ab Hippocratis mente aberrasse manifestum sit, qui, cùm hasce afflictiones, & ægritudines ex Hippocratis, Aristotelisq; sententia maximè nonomestribus, & decimestribus octauo mense accidere non animaduerterint, harumq; afflictionum causam, & necessitatem non perceperint diuinè admodum ab illis explicatam; his partubus in septimo, octauoq; nil mali, nullā harum afflictionem contingere potuisse, falsò tradiderunt; simul etiam & adijcientes, si rationes Hippocratis animaduertamus, facilè intelligi, illas non concludere, idest vt nos credimus eos dicere voluisse, nullam afferre non solùm necessariam, sed neq; etiam probabilem causam, cur, qui octauo pereunt, mori videantur; quæ omnia ab recta veritatis via aberrare nihil dubito. Secūdò quæ sit ægrotatio

tatio hæc, quam contrahit fœtus octauo mense, manifestè elucet ex verbis supra allatis; quibus ægrotationem fœtus octauo mense inuadétem nullam esse aliam statuit Hippocrates, quàm febres, & labores, quos per matrem transumunt ipsi fœtus, & inflammationes; quas φλεγμονὰς vocat, si modò phlegmon hîc diuersum quid à febre significat; de qua re infra nonnulla dicam. vt enim Galenus plerisq; in locis animaduertit, phlegmon, idest inflammatio Hippocrati, & antiquis Medicis ante Erasistratum omnem igneum ardorem significabat, & quamcunq; flammeam caliditatem, etiam sine vllo tumore. Insuper omnia hæc (quod ægrotationis causas pulchrè aperit) ob pelliculárum tensionem, diruptionemq;, & loci mutationem à fœtu factam ortum ducere perspicuum est; apertè dicente Hippocrate, cùm defringũtur pelliculæ, & secesserit fœtus, ægrotationem, laboresq; octaui mensis incipere, & sexti quadragenarij: vt iam, si quis totam accuratè Hippocratis disputationem animaduertat, labores, siue dicere velimus ægrotationem, quæ octauo mense fœtum, ac parentem infestat, quadruplicem esse inueniat ab his causis ortum habentem; videlicet primò dolores matris ob vmbilici conuulsionem, & pelliculárum tensionem, ac diruptionem: secundò fœtus maiorem grauedinem tanquam ex antiquo vinculo exsoluti; quod non leuem matri laborem affert; tertiò fœtus ipsius alterationem ob mutationem hanc locorum; item ob malá parentis affectionem, quam ei parens ipsa communicat; quartò inflammationem tùm fœtus, tùm matris, quam sequitur plerunq; febris, ob tensionem, & diruptionem pelliculárum orta: quæ omnia laborum octomestrium nomine intelligit Hippocrates. Pelliculis nanq; effractis, ac fœtu secedente phlegmonem ex hac effractione oriri cẽsuit, quæ diebus quadraginta iudicetur; phlegmonis nomine intelligens membranarum illarum inflammationem, ac proinde vteri, & fœtus; excedentemq;, & igneum calorem præter naturam cõceptum ob læsionem illam; qui, si vehementior fuerit, febrem poterit etiam generare; atq; hanc videtur facere cunctis fœtibus, & parentibus communem; dicens generaliter huiusmodi phlegmones tùm fœtus, tùm matris exsolui; cùm alioqui nõ omnes, sed plerasq; mulieres febricitare scribat; quod quidem docet apertè, phlegmonis nomine febrem hoc loco Hippocratem non intellexisse.

quo fortasse sensu in Opusculo de Superfœtatione memoriæ prodidit, chorion, idest secundam præter naturam, ac violenter diuulsam phlegmonem inducere; qui locus hæc omnia, quæ ex libro de Septimestri Partu adduximus, mirificè illustrat. Fractis enim membranis interioribus descendens fœtus in chorion vmbilicum suo pondere violenter quodammodo trahit, & conuellit, vmbilicus chorion ipsum necessariò: ex quò & tenditur chorion, & vincula, quibus matrici adhæret, magis grauat, & ferè diuellit; vt necessariò ex hac chorij tensione, vinculorum agitatione, vmbilici conuulsione, fętus pondere maiore, membranarum fractione dolores matri oriantur, inducaturq; inflammatio. Vnde nõ videtur Fernelius libro septimo de Naturali Parte Medicinæ audiendus, dum asserit, vmbilicum nil pati à fœtu attractum, quia ad duos cubitos sit longus. Porrò autem tertiò, & postremò, quia, cùm hæc omnia fiunt (quod primum demum caput ex tribus propositis dissoluit) octauus incipit mensis, & sextus quadragenarius dicente perspicuè Hippocrate, cùm septimo mense pelliculæ dirumpuntur, fœtusq; secesserit, labores, qui circa octauum mensem, & sextum quadragenarium fiunt, fœtum ipsum inuadere; quod quidem verum non esset, nisi & his incipientibus octauus quoq; mensis inciperet, & sextus quadragenarius; idcircò octauo mense fœtus dicitur ægrotare; idcircò sextus quadragenarius hanc nactus est proprietatem, vt in eo fœtus ægrotet.

Cap. 11.

Obscurus quidam locus ex Opusculo de Genitura enarratur. Caluus & Cornarius reijciuntur. Cap. 12.

CVr autẽ tendantur, dirumpanturq; pelliculæ, hæc omniaq; hoc tẽpore cõtingant; cùm scilicet fœtus fuerit ætatis septimestris, libro tertio, sexto, & septimo dictum fuit, pleniusq; infra dicetur. quia enim huiusmodi tempus fœtui affert perfectionis principium, hoc autem accedente principio, vt fusè iam dictis locis fuit expositum, validiores, robustioresq; in vtero motus fœtus edit; ad validiores verò motus pelliculas aliquas defringi est necesse; iure & meritò per id temporis hæc omnia contingunt. quod cùm diuinus Hippocrates animo versaretur, pulchrè libello de Genitura notatũ reliquit, fœtum, quicunq; ægrotat, κατὰ τὴν ἰσχὺν ἑαυτοῦ.

» ἑαυτοῦ. ideſt iuxta ipſius robur ægrotare. quæ quidem aurea ſententia eis non intellectis, quæ antea diſſeruimus, nullo modo poteſt intelligi; Hippocratis autem verba
» ita habent. νοσέει δὲ τῶν ἕκαστον, κατὰ τὴν ἰσ-
» χὺν ἑαυτοῦ. quod eſt. Aegrotat autem ho-
» rum (ſcilicet puerorum) vnuſquiſq; iuxta
» ipſius robur. ſiquidē lego τῶν ἕκαστον, vt ex veteri codice in margine ſuæ editionis habet doctiſsimus Mercurialis; non ζώων ἕκαστον, vt perperam habent impreſſa exemplaria, Interpreteſq; omnes ſimul cū Gorræo legiſſe videntur, qui verba à ſuperioribus ſeiungens, nec diuinum percipiens Hippocratis artificium, ſic illa interpre-
» tatus eſt. Laborant autem omnia animan-
» tia proportione virium ſuarum. Dixerat autem paulò ſupra Hippocrates aliquando cōtingere, vt partus tenues ac debiles oriant̄ ex patre & matre craſsis & robuſtis; q. alioqui plures alios craſſos & robuſtos generarūt: huiuſq; rei attulerat cauſam, quia fœtus in vtero ægrotauit, & ex ipſo vtero prodiuit, antequam debitum incrementū, perfectionem, ac maturitatem, reciperet; vtero nimirum magis dehiſcente quàm oporteret; vt propterea ob conceptam in vtero ægritudinem debilis, tenuiſq; venerit puer in lucem. quæ cùm dixiſſet, vt iam dictæ ægritudinis tempus, & cauſam explicaret, adducta ſuperius verba pronunciauit; inquiens, vnumquemq; puerum, qui in vtero ægrotat, iuxta ipſius robur ægrotare. quod eſt, noſtra ſententia, cùm principium illi aduenit perfectionis, ac proinde robur ipſum accedit, in hanc labi ægrotationem; quare à ſuperioribus malè Gorræus illa ſeiungit. ſiquidem ἰσχὺν (robur interpretamur, ac motum à robore prodeuntem) cauſam eſſe diruptionis pellicularum, Hippocratem initio libelli de Septimeſtri Partu docuiſſe; ipſius verò roboris, perfectionis, quod aduenit, principium; iam diximus ſuperiore libro, inferiuſq; attingemus: hanc verò membranarum diruptionem, cauſam omnem habere ægrotationis octauo menſe contingentis, ſupra oſtendimus. quod certè nos admonet, in hoc loco, quem nunc ex libello de Genitura præ manibus habemus, de nullo alio fœtu, quā de eo, qui octauo ægrotus exoritur, vel certè noni menſis initio, Hippocratem ſermonem habere; de alia nulla ægrotatione, quàm de ea, quæ nonomeſtres, ac decimeſtres octauo naſcentes ducit ad interitum; & quam libello de Septimeſtri Partu explicauit. nam & hoc eſt quod ait, tenues, & imbecillos huiuſmodi fętus oriri; quæ ſanè duo memorato Opuſculo eorum, qui octauo ægrotant, ipſoq; octauo naſcuntur, vel noni initio eſſe propria demonſtrauit. dixit enim. Declarant autem de morbis & «
affictionibus octomeſtrium etiam nono- «
meſtres tenues naſcentes. & paulò ſupra «
dixerat, qui initio noni naſcuntur, non habere craſsitudinem, quā perfectiſsimi habent; & ob labores paulò antea perpeſſos tenues euaſiſſe: hoc eſt quod ait, hos fœtus, qui tenues, & imbecilli oriuntur, antequam ad debitum peruenerint incrementūm, ex vtero prodire. in qua ſanè ſententia exprimēda Interpretes omnes lapſi sūt, ni hallucinor, errore luculento. habet .n. græca oratio. καὶ ἀπὸ τῆς μητρὸς ἢ, τῆς αὔξης «
αὐτοῦ ἔξω, παρήει, τῶν μητρέων χανουσέων μᾶλλον. «
παρήει inquam τὸ ἔμβρυον, nam & hæc vox «
neceſſariò ex ſuperioribus eſt ſubaudiēda, cùm de ipſo embryone ſermonē perſpicuè habeat Hippocrates: & oratio conſtruēda ἔξω τῆς αὔξης αὐτοῦ, quod video Interpretum conſideraſſe neminem; vt ſententia ſit.
Atq; ex matrice embryon, vtero magis hi- «
ante quàm par eſſet, prodiuit profectò ex- «
tra ſuum augmentum. videlicet, vt explica- «
uimus, antequam debitum, quod illi conuenit, quatenus eſt fœtus, receperit incrementum; & quod in idem redit, vt fusè libro tertio monſtratum eſt, antequam propriam nactus ſit perfectionem; quia & fœtus (quatenus fœtus eſt) propria ſit auctio, & perfectio. At Caluus ita hunc locū interpretatus eſt. Nutrimentumq; & in- «
crementum, quod ex locellis, vteroq; ma- «
tris illi porrigebantur, nimis hiante vul- «
ua, foras fluxere. Cornarius verò ſic. Et «
ab vtero quid de ſuo ipſius incremento fo- «
ras prodiuit, vtero nimirum amplius hian- «
te. qua ſanè interpretatione à vera huius «
loci ſententia eos aberrare, ſatis docent ſuperiora.

Allata ſuperius interpretatio fuſius explicatur. Gorræi affertur opinio, & reijcitur.

Cap. 13.

IAm verò rectè inquit Hippocrates, ante adeptam maturitatem & incremētum ex vtero fœtum hunc prodire; vt enim ſuperius ex Opuſculo de Partu Septimeſtri explicauimus, partus, qui octauo menſe ægrotat, nono expleto menſe, & initio decimi, ſeptimoq; confecto quadragenario debitum recipit incrementum, ac maturitatem; vnde ſi octauo exeat, vel noni ini-

initio, antequam proprium recipiat augmentum, ac debitam maturitatem, vt diuinè inquit Hippocrates, in lucem venit; proindeq; nō adhuc plenè è morbo recreatus, & ex consequenti tenuis ac imbecillus: quidem sententiam nostram, quæ Hippocratem non de omnibus octomestribus loqui ponit, maximè comprobare, nemo est, qui non videat. Item rectè adiungit, hiāte vtero fœtum, antequam debitum recipiat augmentum, prodire; nam, vt libro tertio ex Aristotele docuimus, dehiscente vtero, fœtuq; descendente labores & ægrotatio incipit octomestris: vt si nimis (quęq; illa causa fuerit) dehiscat & hiet, quemadmodum his verbis innuit Hippocrates, facilè ex vtero labi fœtus valeat, ac decidere; prodiensq; tanquam ægrotus, ac immaturus, ob ægrotationemq; tenuis & imbecillus, vel in ipso ortu, vel paulò post intereat. atq; hic summam dogmatum in Hippocrate, & Aristotele consensionem notare possumus; cùm eadem res eodem verbo ab vtroq; explicetur. inquit enim Hippocrates τῶν μητρέων χασκουσέων, Aristoteles verò χάσκουσι, quod est hiare vterum, & dehiscere, ac adaperiri. quare hic Hippocratis locus sic ad ipsius mentem, nisi fallor, venit conuertendus. Contingit autem & hoc. Partus quandoq; tenues, & debiles generantur ex patre, & matre crassis & robustis. & si quidem (multis iam genitis pueris) tale quid contingat, manifestum est, quòd embryon in vtero ægrotauit; & ex vtero prodijt, antequam proprium receperit incrementum (ipso nimirum vtero nimis hiante) & ob id debilis factus est. vnusquisq; enim fœtus cùm illi suum aduenit robur, ægrotat. Hæc Hippocrates; quibus, iam superiori disputatione expositā ipsius de ægrotatione octomestriū sententiam licèt obscurè, designari, satis, arbitror, est manifestum. vt palàm fit sine eorum intelligentia, quæ supra explicauimus, hæc nullo modo intelligi posse quod vnius Gorręi viri alioqui eruditissimi exēplo discere quisq; valet; qui sic verba ipsa longè ab Hippocratis mente conuertens. Porrò accidit aliquando liberos etiam tenues, & infirmos à patre & matre crassis robustisq; nasci. Quod si fiat multis ante susceptis eiusmodi liberis; fœtum procul dubio in ipso vtero laborasse perspicuum est; atq; vel ab vtero, vel quòd eius nutrimentum, quo crescere debuit, foras vtero nimirum hiante, deciderit, id mali obortum fuisse; eamq; ob causam factum esse imbecillum. Laborant autem omnia animātia proportione virium suarum. in Annotationib⁹ postea imbecillitatis huius causas externas, & accidentales, omninoq; fortuitas afferre videtur; haud satis contuens, veram causam pulchrè ab Hippocrate significari. Sic enim scribit. Cùm post vnum, aut aliquot robustos liberos, debilis infirmusq; suscipitur, patre tamen matreq; non minus quàm ante crassis & robustis; quoniam robur idem manet, necesse est, idem robur seminis fuisse, eandemq; in eo vim fœtus formatricem. Quamobrē si fœtus debilis sit, nec formatricis vitio accidat, nutritoriam, vel auctricem minus probè munere suo functas esse oportet; idq; vel vteri culpa, vel alimenti accidisse. Vteri quidem, quòd aliquā ob causam redditus sit imbecillior. Alimenti verò, quòd vel vitiosum sit, vel parcius quàm expediat, quauis id occasione contigerit. & mox. Ad hæc natiui temperamenti permutatio in ascititium deterius, mutatio consuetudinis, locorum, aeris frigida humidaq; constitutio, & morbis obnoxia, atq; inter cętera maximè ætas: vel, si placet etiam ab ipso Cœlo huius rei causam petere, certæ quædam Planetarum motiones coniunctionesq;, quas Astrologi se nosse profitentur. Hæc ille; sed quorsum nutritoriam, vel attractricem vteri culpa, aut alimenti, aliaq; huiusmodi causari? quorsum etiam ad astra confugere? cùm, tametsi hæc rectè se habeant, optimèq; sint disposita, nihilominus fœtus natura nonomestris, ac decimestris, cùm illi perfectionis principium, & robur aduenit, septimo exacto mense, ægrotet, imbecillusq;, & tenuis reddatur; proindeq; si ante plenæ maturitatis suæ tempus exeat, tantarū calamitatum ferat secum vestigia? quod Hippocratem hoc loco significasse, satis docuit superior disputatio. Itaq; nil sua dignum, vt video, Gorræus eruditione in his verbis enodandis nobis affert. Sed & ex hoc Hippocratis loco alterum id elucet maximè animaduertendum. videlicet qua via ægrotationem octauo fœtum inuadentem indagauerit Opusculo de Septimestri Partu ab eo explicatam; cùm enim accerrimo vir ingenio sæpè obseruasset, ex parētibus crassis & robustis, & qui crassos robustosq; liberos septimo, nono, ac decimo mense crebrò generabant; tenues ac imbecillos octauo mense oriri; habuit pro cōperto huiusmodi fœtus hoc ipso mense in vtero ægrotare, propterea ægrotationis

Cap. 4. — Ann. 31.

huius

huius causas tentauit inuenire, inuentasq; diuinè tradidit Opusculo memorato. Sed hìc dupliciter dubitare contingit: primò fœtus septimo quadragenario cōfecto geniti crassi, ac robusti oriuntur, vt suo loco ex Opusculo de Septimestri Partu docuimus; qui tamen Hippocrate teste ægrotarunt in vtero; igitur falsò hîc tenuitatis, imbecillitatisq; causa hæc ipsa adducitur ægrotatio. Secundò, si fœtus, cùm illi suum aduenit robur, ægrotat; ergo omnis fœtus ægrotat. nam eorum hoc robur, & ipsum perfectionis principium illius causa, omnibus aduenit, vt libro tertio dictum fuit, infraq; dicetur. Respondeo ad primam; Hippocratem duo de fœtu, quem tenuem esse genitum, ac imbecillum ponit, pronunciasse; primum, ægrotasse in vtero; secundum ante debitum incrementum ex vtero prodijsse; quod sanè nil aliud significat, quàm adhuc ægrotum, vel certè non plenè recreatum, octauo nimirum percurrente mense, aut noni initio venisse in lucem. at decimestres ægrotarunt quidem, sed non ante adeptum proprium incrementum, ac plenam maturitatem prodeunt in lucem; quare crassi ac fortes, vt potè ab ipso morbo recreati, possunt exoriri; itaq; dubitatio nulla. Ad secundam dicimus nō absolutè, ac simpliciter affirmare Hippocratem hoc loco, omnem fœtum iuxta suū robur ægrotare; sed quia dixerat, eos fœtus, qui tenues ac debiles nascuntur, in vtero ægrotasse; vnumquemq; horum adiūgit, intelligitq; ægrotare iuxta suum robur. quare non de omnibus, sed de his, quos posuerat ægrotare, id pronunciat. vtrum autem omnes fœtus iuxta suum robur ægrotent; an aliqui inueniantur, qui non ægrotent, an in per se octomestri id locum habeat, infra dicetur. Sed ad propositum redeat oratio.

Cur vterus octauo mense ad abortiēdum propensus. Verba Hippocratis quædam enarrantur.

Cap. 14.

IAm verò his ita cognitis facilè elucet altera causa, cur octauus mensis maximè sit periculosus. notat enim decimo de Animalium Historia siue Aristoteles fuerit, siue (quod mihi magis probatur) alius Auctor, matricem per phlegmonem, vt rectissimè Scaliger interpretatur, maximè excitari ad expulsionem, cùm fœtum intra se habet: quò fit, vt octauo mense facilè possint hac de causa mulieres abortire, quia ruptis pelliculis, & phlegmone facto matrix ad fœtum expellendum fit propensissima. Notandum autem est, quod ait Hippocrates, vt græcum habet exemplar, τύτω δὲ τοῦ χρόνου παρελθόντος, idest, vt nos conuertimus, hoc prætereunte tempore, quibus mulieribus benè futurum est, inflammationes & fœtus, & matris exsolui; vt venter molliatur, & tumor tùm ab hypochondrijs, tùm ab ilibus pessum eat, & ad locos descendat inferiores. enimuero non inquit, veluti Caluus, Cornarius, & Lalamantius interpretati sunt, hoc præterito tempore hæc contingere; nam sic sexto peracto quadraganario descenderet vētris moles, & ipse fœtus ad locos inferiores (molis enim nomine, ὄγκος græcus contextus habet, ventrem ipsum, & fœtum Hippocrates intelligit, quem ὑποκαταβαίνειν, idest descendere ait, quemadmodum mulieribus loqui mos est, quæ dicere solent nonnullis diebus ante partum vulgari sermone, *è calato il corpo*: quod Aristoteles septimo Historiarū dixit προκαταβαίνειν κάτω τὰ ἔμβρυα, idest embrya descendere) quasi affirmaret, si diceret hoc præterito tempore, sexto videlicet quadragenario, hæc euenire; & sibi ipsi, & Aristoteli, & veritati contrarius esset. sibi quidem ipsi, quia si præterito sexto quadragenario descenderet fœtus ad locos inferiores, iam peracto octauo mense secederet in id, quod cedit, & nono incipiente; septimi enim quadragenarij initium in primum diem noni mensis tricenarij incidit. atqui dixerat ipse superius hæc omnia euenire, vbi fœtus septimestrem nactus fuerit ætatem. Præterea hìc affirmat, fœtum septimo quadragenario existere in eo loco, in quem descēderat; ibiq; toto illo quadragenario commorari: quamobrem antea, sexto nempe quadragenario percurrente, ipsum fœtum voluit descendere. item cùm exsoluitur inflāmatio, idest exsolui incipit, fœtus sanus non est; sed potius ægritudo ipsa, quæ in summo vigore erat, vires suas incipit remittere: quare & adhuc fœtus ægrotat. atqui toto sexto quadragenario ægrotare fœtum in vtero non semel hoc Opusculo asserit Hippocrates; itaq; prætereūte sexto quadragenario non præterito, & confecto exsolui incipit inflammatio ipsa; vt tempore hoc præterito penitus soluta sit, ac iudicata, & fœtus iam ab ægritudine liberatus. Ab Aristotele verò dissentiret; quoniam ipse, vt tertio libro vidimus, septimo Historiarum peracto mense septimo, & cur-

& currente octauo descendere fœtum, memoriæ prodidit, ac illa omnia euenire. rumpuntur enim pelliculæ expleto septimo, & secedit fœtus; mox labores corripiunt ipsum, & contrahit fœtus inflammationem, & mater; deinde matrem ipsam dolores inuadunt, & febris interdum, ex quò & moritur aliquando vnà cum fetu. si verò facilè res cedit, exsoluitur inflammatio, & descendit fœtus: quod vt ostenderet Aristoteles, dixit, fœtus illos descēdere, qui sunt vitales, idest, qui è tantis mutationibus,& ægritudinibus incolumes euaserint. Demum dissentiret à veritate Hippocrates; quia experiuntur mulieres circa octauum mensem, & sextum quadragenarium hosce labores, & mutationes, tametsi aliæ magis, & aliæ minus: vt propterea ipse hoc libello mulierum testimonio concluserit, octauo mense difficillimè vterum gestari. Quamobrem dicendum est verba illa, παρελθόντος τοῦ χρόνου, vt supra notauimus, non significare omnia hęc præterito illo tempore euenire, sed dum præterit contingere: vt sensus sit, dum sextus conficitur quadragenarius, quibus benè futurum est, exsolui inflammationes, & fętum descendere. Notandum autem est tria ordine quodam, dum hæc patitur fœtus, euenire. Primùm enim tenduntur, laxantur, rumpunturq; pelliculæ, quod græcè „ dixit Hippocrates, ὅταν οἱ ὑμένες χαλῶσι. & „ infra, ὅταν περιραγέωσιν οἱ ὑμένες. secundò fętus secedit in alium locum; quod μεταχωρεῖν idem vocauit: atq; tunc labores octomestres incipiunt, & dolores matris, & fętus alteratio oboritur. Requiritur enim necessariò, quemadmodum Hippocratis verba indicant, fœtus transmutatio post pelliculàrum effractionem ad laborum plenitudinem; quoniam mutatio ipsa non leuis sit horum laborum causa: vnde dixit Hippocrates, cùm effractis pelliculis fœtus secesserit, tùm labores incipere. Tertiò, quibus benè futurum est, soluitur inflammatio hæc, & descendit fœtus in locos inferiores; quibus quidem in locis manet vsq; ad partionis tempus, vt declarat Hippocrates. Sed iam satis modò, cur octauo mense laboret infans; vtrum omnes fœtus hos subeant labores, & ægritudines; quid sint; & quas habeant causas; quas tandem numero quatuor esse, vt alterum hoc postremo loco adiungamus, ex superiori colligimus disputatione. Enimuero primò quia pelliculæ laxantur, & rūpuntur; secundò quia locum permutat infans, & ex pelliculis, quæ illum aluerunt, in aliam transit minus ei familiarem; mutationes enim omnes turbulentæ sunt, & laboriosę, vt plerisq; in locis Hippocrates, Aristoteles, ac Theophrastus docuerunt. Tertiò, quia vmbilicus conuellitur, ex hisq; & mater, & fœtus doloribus afficiuntur; quin etiam & febribus, & inflammationibus. Quartò, & postremò, quia fœtus ex antiquo vinculo exsoluitur, grauiorq; idcircò redditur, quæ res non exiguam ei, ac matri molestiam affert; laborare dicitur fętus, & ægrotare: qui profectò labores, & ægritudo cùm diebus quadraginta iudicētur, sexto scilicet quadragenario, qui octauum mensem comprehendit; hinc, vt supra dicebamus, & octauo mense fœtus dicitur ægrotare, & sexti huius quadragenarij, qui & primus alioquin, & secundus diuersimodè acceptus ab Hippocrate appellatur, omnis oritur infelicitas. non enim ex vi numerorum, in quibus libro quinto de Republica, & extremo Metaphisic. nihil omnino momenti esse putauit Aristoteles, hanc mutuatur malignitatem, vt quidam leuissimè nugantur; sed ex ipsamet rei natura; quia scilicet, cùm sextus currit quadragenarius, fœtus, ac mater ob causas iam enarratas inflāmationibus corripiantur; fœtus inquam natura nonomestres, ac decimestres, vt etiam clarius infra explicabimus. Si enim quia quadragenarius est, ideo infelix esse deberet; igitur & reliqui quadragenarij noxam afferrent; cùm tamen septimus vel Hippocrate teste sit felicissimus. si quia sextus; iam omnes fœtus sextum quadragenarium ingredientes periclitari, vel saltem ęgrotare deberēt. At septimestris maior in decimū sexti huius quadragenarij diem incurrit, qui die 210. nasci dicitur, atq; inter septimestres maximè est vitalis, vt ad finem libelli de Principijs admonet Hippocrates, nosq; tertio, sexto, & septimo libro diximus; infraq; dicemus, huius rei causam simul aperientes.

Cur fœtus octauo mense laboret secundum Ferdinandum; ipsius opinio confutatur. Hippocratis uera mens aperitur. Cap. 15.

Hinc Ferdinandi opinio parum tuta; quem si interrogemus, cur hi labores in octauum mensem referantur, sic respondet in Commentarijs super libello de Partu Septimestri. Sed cur in octauum „ (Com. 10.)

refe-

» referatur culpâ menſem potius, id ſupereſt
» exponendum. Si à cauſis pendeat vitium
» exteris, non eſt quòd magis in octauum,
» quàm ad alios menſes regerenda cauſa ſit;
» cùm illæ nullo non tempore ſe ſe offerre
» poſsint, & humanis obuiam occurſare cor-
» poribus. Si verò à cauſis interioribus, an-
» tiquam ſentio eſſe quæſtionem, & quam ex
» parte perſoluimus principiò; dicentes non
» alia de cauſa id fieri poſſe, quàm qua fru-
» ctus immaturos diceremus ante vernum
» tempus; & nonnunquã eos videmus vel in
» vere ipſo nondum maturuiſſe; dubitauerat
» nanq; ſupra. Subinde ſi intra vterum ip-
» ſum conſiſtere poſſunt cauſæ vitiantes, cur
» puerperæ cauſantur protinus octaui men-
» ſis infortunium, ſeu tãtorum malorum ge-
» nitorem? At certè vel Auctoris huius mẽ-
tem non percipio, vel in tantæ dubitatio-
nis ſolutione labitur ipſe inſigniter. Hip-
pocrates enim eo loco, quem ipſe ſuſcipit
enarrandum, loquitur de illis fœtibus, qui
claudi, cæci vel aliquo ſimili accidente af-
fecti ſeptimo exacto quadragenario, aut
certè menſe nono vitales in lucem veniunt
ſuam adepti maturitatem, & iam liberi ab
ægrotatione concepta per octauum menſẽ,
ac ſextum quadragenarium; propterea ſub-
dit, interrogatas mulieres, reſpondere ſo-
litas in huiuſmodi puero octauum mẽſem
difficilius tranſegiſſe, quàm quando pepe-
rerant eos, qui nihil prauum haberẽt; pro-
pterea adiungit, embryonem mancum oc-
tauo menſe vehementer ægrotaſſe, ita vt
abſceſſum morbus effecerit. nil loquitur,
cur hi labores in octauum referantur; hoc
enim iam ſupra ab eo fuit explicatum.
Quod ſi ita eſt, quorſum immaturitatem
fœtus quaſi de Hippocratis ſentẽtia eo lo-
co adducit Ferdinandus tanquam cauſam,
cur in octauum hi labores referantur? id
enim locum haberet (etiam ſi illi concede-
retur per octauum menſem fœtum eſſe im-
maturũ, quod nos tamẽ de natura octome-
ſtri conſtanter negamus) in fœtu, qui ipſo
octauo in lucem veniret, nõ autem in illo,
qui menſe oritur nono, aut decimo, tam-
etſi ob labores, & fortem ægrotationem in
octauo perpeſſam læſus, vel mancus, de quo
loquitur Hippocrates. quem ſi octauo di-
camus eſſe immaturum, & ideo, ipſo octa-
uo ſi naſcatur, interire; iam & ſeptimo, fa-
teamur neceſſe eſt longè eſſe immaturio-
rem, quia longius abſit à termino ſuæ ma-
turitatis; proindeq; facilius, ſi oriatur, eſ-
ſe obiturum: vt nil de menſe octauo ex his
peculiare concludatur. Sic vides, ſi à ia-
nua aberremus veritatis, quot ſalebræ oc-
currant; ſi in orationis penè ingreſſu verã
non attingamus auctoris mentem, quem
ſuſcepimus interpretandum, in abſurdiſsi-
mas oportere neceſſariò incidere explica-
tiones. Nos igitur, qui cum Hippocrate
in vim menſis ſeptimi, in internarum pel-
licularum diruptionem, in cõceptum pro-
pterea flegmonem, & febrem aliquando,
in fœtus migrationem in chorion, & locos
vteri inferiores, hos labores referimus; ne-
ceſſariò octauo menſi hæc omnia tribui-
mus, quia ipſe octauus tot mala recipit ſe-
ptimum ſequens; vt abundè & libro ter-
tio, & ſupra explicauimus. quo etiã tẽpore
fœtus robuſtior, ac maturior de Hippo-
cratis ſententia hæc mala ſuſtinet acciden-
tia, quæ antea ægrotans ſuſtinere non
poſſet. vt & hinc diſcere valeamus octa-
uum menſem fœtui prodeſſe potius in tan-
tis calamitatibus, quàm obeſſe de ipſius
opinione; & immaturitatem, quam illi
tribuit Ferdinandus, omnino eſſe nullam.
qui in eo etiam altero, meo quidem iudi-
cio, non parum labitur, quòd Hippocratis
explicans verba illa. At verò quicũq; em- »
bryones in alio tempore vehementer lan- »
guerint, ægrotauerint vè, prius pereunt »
quàm abſceſſum patiantur. per tempus a- »
liud, ſex menſes interpretatur; ſiquidem
ſcribit. Quicunq; verò embryones in ali- »
is temporibus infirmantur, citius pereunt, »
quàm abſceſſum patiantur; hoc eſt per ſex »
primos geſtationis vteri, in quibus ſanè »
debilior eſt fœtus, quàm qui valeat tantũ »
perpeti morbum, quantus eſt abſceſſus; »
præcipuè ſi adeò ſit magnus, vt claudam, »
aut cæcum, aut alia ratione mutilum po- »
tens ſit reddere. At enimuero Hippocra- »
tes dicit pluries hoc etiam loco non ſepti-
mo menſe, ſed octauo fœtum ægrotare; ita-
q; ſi alijs ante temporibus ægrotare intel-
ligit fœtum; per alia ante octauum tem-
pora ſeptem neceſſariò menſes intelligit,
qui præcedunt, non ſex tantùm, vt expo-
nit Ferdinandus. Sed interim ex hoc loco
tanquam magni momenti illud quod paulò
ſupra animaduertimus, comprobemus; ſi
fœtus illi, qui alijs temporibus ante octa-
uum ægrotant, pereunt; ideoq; pereunt,
vt perbellè addit Ferdinandus, quia debi-
liores ſunt, quàm qui valeant tantum mor-
bum ſuſtinere; igitur & ante octauum
fœtus debilior, & imbecillior; igitur &
immaturior neceſſariò; igitur & menſes
alij fœtui in huiuſmodi morbo conſti-
tuto omnes præter octauum infelices, vel

certè

certè octauo longè infeliciores de Hippocratis sententia. alij enim parem vim morbi non sustinent, sed fœtum perimunt; octauus sustinet, & non solùm non perimit, sed ducit ad salutem. quare & in tãtarum calamitatum accessu fœtui prodest magis, quàm obest. Pulchrè autem, nec sine magna ratione hoc scribit Hippocrates; ęgrotatio enim per octauum mensem fœtum inuadens, etiam si abscessum efficiat, quia decretorio, & à natura definito tempore euenit, à septimi natura ortum habens, vt plurimum benè iudicatur, & ad salutem; at alijs contingens temporibus, siue antea, siue post, mortem iurè plerunq; affert, tãquam quæ præter tempus conueniens, à naturaq; definitum, inuaserit fœtum.

Ostenditur plerosq; graues alioqui viros à recta in Hippocrate explicando veritatis via aberrasse. Ferdinandi adducitur explicatio, & redarguitur.
Cap. 16.

HAec igitur (vt redeamus ad nostra) & de ægrotatione ipsa, & de causa ægrotationis octomestrium perspicuè Hippocrates; vnde maximè mirum, quo pacto tot clarissimi viri, qui huius Opusculi interpretandi prouinciam susceperunt, Cardanus, Ferdinandus Mena, Lalamantius, vel qui de Octomestri Partu disputãtes adducta supra à nobis verba expenderunt, in hanc clarissimam lucem oculos non conuerterint, non animaduerterintq;, quidquid de pellicularum diruptione, vmbilici conuulsione, fœtus in extimam membranam secessione, deq; ipsius in inferiores vteri locos descensu in illis disputatur, totum disputari, vt ægrotatio, quæ octauo fœtum inuadit, ex qua circa finem septimi quadragenarij incolumis euadit, explicetur. Hinc priora à nobis allata verba enarrans in Commentarijs Ferdinandus (vt de eo interim dicam) turpissimè labitur; putat enim ab Hippocrate in illis causas afferri, cur ex septimestribus multi pereãt; nec animaduertit, non de exitu pueri ex vtero haberi sermonem (quod posteriora verba de eadem hac re ab Hippocrate repetita, à nobis superius secundo in medio posita, clarissimè docent) sed de transitu fœtus in chorion ob amnij, allantoidisq; diruptionem, idq; totum, vt labores octomestres quales sint, & quam habeant causam, aperiat; proindeq; de ipsa ægrotatione octomestrium in eis esse disputationem.

Com. 5.

quare meo quidem iudicio (bona venia huius optimi viri dixerim) aberrat toto Cœlo Ferdinandus; cuius quidem hæc est oratio. Viuunt ob eas causas, quas diximus, ex septimestribus pauci, sed multi pereũt ob dicendas iam; nam cùm propè natiuitatem est puer, siue defectu alimenti, siue loci angustia, siue ob aliam quãcunq; causam, necesse est inuolucra rumpantur, eo ordine, quem superius significauimus, fętusq; ipsi locum mutẽt, μετεχωρήσαν Gręc. Pro vtero quidem, in aerem ambientem, qui facillimè cedit ingredientibus quibussuis substantijs: in quo sanè alimentum capiunt spirituum suorum, per inspirationẽ tracto aere, similiter & per pulsificam dyastolen, vti Galenus monstrauit, & nos libello de Pulsibus; præterea & ex ipsis matris vberibus lac sugentes, quò solidiores particulas reficiant. Patiuntur etiam per primum quadragenarium multos labores, ob subitas illas alterationes, quas denuò faciunt, de quibus dudum dicebamus, dicemusq; prolixius subterius. Hæc ille; sed certè, vt supra diximus, quòd de pueri natiuitate his verbis loquatur Hippocrates, maximum erratum; putauit enim inuolucra omnia rumpi Ferdinandus, nec animaduertit hîc dicere Hippocratem, fœtum non quidem egredi vtero, sed εἰς τὸ ὑπεῖξαν transire, idest vt diuinè Lalamantius interpretatur, in id quod locum dat, dixerisq; in id, quod fœtui præstat obsequium; vice membranarum illum antea continentium, quæ laxatæ fractæq; sunt, succedens, ipsũq; fœtum excipiens. quod quidem, vt idẽ docet rectissimè Lalamantius, ipsum est choriõ; vt nullo pacto debuerit Ferdinãdus τὸ ὑπεῖξαν aerem ambientem, qui facillimè cedit ingredientibus quibussuis substantiis interpretari, de partu ipso, deq; fœtus ex vtero egressu locum intelligens. quod & clarius Hippocrates, vt toties diximus paulò infra significauit, dicens, post abruptas hasce membranas, post hasce perpessas mutationes octaui mensis labores incipere, quos certum est fœtum experiri, dum intra vterum existit; & ipsum fœtum ad septimum vsq; quadragenarium in vtero manere; quod esse non posset, si & nasceretur fœtus, & membranæ omnes, chorion scilicet etiam ipsum, abrumperentur. Hinc verbum, μετεχώρησαν, perperam interpretatur locum mutare, scilicet vtero egredi infantem: cùm significet, fœtum abruptis amnio, & allantoide in chorion transire. quod eò magis mirum, quò po-

steriora Hippocratis verba Ferdinãdus explicans, nec videns cum superioribus esse coniungenda, illis per parenthesim acceptis, quæ interiacent, ad fidem laborum octomestrium, ad infelicitatemq; huius partus comprobandam apposita; velit nolit tamen pulcherrimas veritatis fores ingredi videtur, eaq; sic interpretari, vt nos fecimus. Scribit enim in hunc modum. Incipit oratio hæc Græcè. ὁτάν δὲ τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ περιραγέωσιν οἱ ὑμένες, καὶ τὸ ἔμβρυον μεταχωρήσει, ὑπέλαβον οἱ πόνοι. In qua aut septimestres partus insinuat, ac perinde rectè Cornarius vertebat. Cùm autem septimo mẽse membranæ rumpuntur. Aut potius eos, qui septimo mense commoti, ob robur virium, quo pollêre creduntur, octaui mẽsis labores insontes sustinere valent, quousq; aut nono, aut decimo mense salua re producantur foras. Sed posteriorem sententiam libentius amplector, vtpotè quæ cum sequentibus maximam habeat connexionem, & apertè faciat ad totius Commẽtarij explanationem commodam. nam si septimo mense nati enarrantur hoc loco, quo pacto octaui mensis labores subeunt; ac præterea illum prætergredientes grauidæ, ab inflammationibus, & alijs tumoribus liberantur, eòusq; septimo quadragenario feliciter admodum in lucem edãtur? præstabilius igitur est, de his habere sermonem, qui septimo mense agitari incipiunt; qui si sequentis mensis labores deuorauerint citra mortis periculum, maximo existit argumento, eos ad præfinitum tempus posse peruenire, quod septimo quadragenario concluditur. Quocirca sic est vertenda præfati commentarij particula. Cùm verò septimo mense membranæ collidũtur, & fœtus locum mutauerit, excipiunt labores & c. Necesse est etenim fœtu septimo mense agitato, inuolucra fœtus allidantur, distendanturq;, mutetq; locum ex parte fœtus: qui si præ virium robore labores, quos sextus quadragenarius afferre secum consueuit, euicerit; nono, aut decimo mẽse, quos septimus quadragenarius constituit, nascetur felicissimè. (Com. 8.)

Rursus alia Ferdinandi nonnulla confutantur, vulgata Hippocratis defenditur interpretatio.

Cap. 17.

HAec Ferdinandus: at si μεταχωρήσει significat Hippocrati, vt huius viri sententiam esse paulò supra vidimus, sic fœtum mutare locum, vt ex vtero excludatur; quo pacto hîc Hippocrates, non de illis, qui septimo nascuntur, sed de illis, qui commouentur septimo in vtero, sermonem habebit? dicens tantùm, fœtum mutare locum, aliud præterea nihil? qua in re & illud valde mirum, quo pacto, si verbum, περιραγέωσιν, non quidem membranarum diruptionem, sed collisionem solùm dicit, & allisionem, demum, vt ita loquar, distensionem, ex hac tantùm allisione & distensione sequatur, fœtum locũ mutare. tametsi enim ex motu illo allidantur membranæ, & distendantur, remanet nihilominus fœtus ijsdem inuolucris inclusus, ac antea, & in eodem vteri situ; quare nec ex parte, nec ex toto locum mutat. Quòd si mutare locum significat, ruptis membranis interioribus, in extimam fœtum recipi; item ad locos vteri inferiores descendere capaces magis (nã hæc duo verbum μεταχωρήσει Hippocrati hoc loco significare, supra monuimus) siq; propterea περιραγέωσιν dicit non collidi solùm & distendi, sed omnino abrumpi, vt propria est ipsius significatio; cur & superioribus verbis de eadem hac re non fuit Hippocrates locutus? præsertim cùm eo pariter loco de laboribus agat octomestribus? immò & de illis incipiat ibi disputare? At enimuero Ferdinandus, cùm non intelligeret, rumpi posse membranas tantùm interiores sine chorio, dirumpi arbitratus est omnes; & si de membranarum diruptione sermo dicatur esse; putauit pariter esse dicendum, necessariò de partu haberi sermonem; proptereaq; ne id fateri cogeretur, verissimam reiecit Cornarij damnati alioqui auctoris, interpretationem; negans verbum περιραγέωσιν diruptionem hoc loco dicere membranarum. Rectissimè igitur dictum videbitur à nobis superiori disputatione, idem esse vtroq; in loco Hippocratis consilium; videlicet agere perpetuò de laboribus octomestribus. quod cùm nec Ferdinandus, nec cæteri animaduerterint Interpretes, & quid sint huiusmodi labores, & quam habeant causam, & quando incipiunt, nullo modo ex diuinissimo viro potuerunt intelligere. qui sanè Ferdinandus hac in re illud alterum non leuiter peccauit; quòd sequenti Commentario arbitrari visus est, labores quidem & ærumnas semper per octauum mensem sextumq; quadragenarium fœtum perpeti, in hac disputatione ab Hippocrate doceri; ægrotationem vero non semper: eius enim hæc est oratio. Vbi salua res est, & potuit fœtus (Com. 9.)

in se-

in septimo mense nimium agitatus; labores ærumnas ve, quos octauus mensis per totum sextum quadragenarium secum ducit, exuperare; consentaneũ est, expulerit quoq; morbificas affectiones, si quæ eo tempore pullularunt; quibus superatis, par est, venter mollior effectus, expeditior fiat ad partum futurum, & commodam pueri cõuersionem, hoc est in caput. Hæc ille; qui dicens, fœtum, vbi salua res est, morbificas expellere affectiones, si modò eo tempore vllæ pullularunt; non quidem semper pullulare, perspicuè ponit; quod pugnare cum Hippocratis sententia, fœtum natura nonomestrem ac decimestrem, perpetuò ægrotare sexto quadragenario asserentis, facilè ex superiori nostra disputatione quisq; colliget. Quòd si quid per commotionem, agitationemq; hanc septimo mense à fœtu factam intelligat Ferdinandus, ex me scisciteris; respondebo communi errore hunc virum irretitum, motum illum intelligere, & conatum, quem ad exitum septimo mense fœtus omnes efficere, pleriq; Auctorum crediderunt; nam & sic Ferdinandus suis in Commentarijs. (Com. 12.) Creduntur siquidem septimo mense primùm vehementiori cõcussione exitum affectasse: qui si membraneas pelliculas, quibus conuoluti eatenus extiterunt, abruperint, luce concupita fruuntur; tametsi (vt antea dixit) (Com. 5.) ex multis pauci vitales euadant. Hinc rursus Ferdinandus insigni errore, cùm videret, scripsisse Hippocratẽ priore loco. Διὰ δὲ τὴν μεταβολὴν τὴν ἐκ τῶν χορίων τῶν θρεψάντων μετεβάλλετο· καὶ ἀντὶ τοῦ ὀμφαλοῦ ἔσπασε, καὶ μετεχώρησε, καὶ διὰ τῆς μητρὸς τοὺς πόνους. sic huiusmodi verba conuertens. Per primos quidem dies quadraginta laborantes, hi quidem magis, illi verò minus; ob eam mutationem, quam ex locis, seu inuolucris, quæ ipsos aluerunt, sunt passi; & vice vmbilici, per matrem ipsam labores sustinent, præter id quod trahunt, & sedem mutauerunt. putauit esse sententiam, fœtum pro vtero in aerem ambientem transire, & vice vmbilici ex ipsis matris vberibus lac sugere. Sed certè his verbis videbimus esse sententiam, si quæ supra diximus, memoria repetamus; eum fœtum, qui laxatis abruptisq; prioribus inuolucris secesserit in id quod locum dat, scilicet in ipsum chorion; primò ob hanc ipsã migrationem insignem in se mutationem esse expertum; quod verbum illud μετεβάλλετο ostendit. Secundò & vmbilici causa conuulsionem in ipso vmbilico esse perpessum; quòd illud ἔσπασε monstrat apertè. Tertiò mutauisse locum, scilicet in chorion fecisse migrationem; quin etiã, vt Hippocrates infra explicat, in locos vteri inferiores; quod verbũ μετεχώρησε significat. Quartò ex ipsa matre labores transumere ac mutuari; quod verba illa exprimunt. καὶ διὰ τῆς μητρὸς τοὺς πόνους. propositionem. n. διὰ pro ἐκ positam esse hoc loco palàm est; quasi diceret Hippocrates, fœtum præter suos, matris etiam labores ex ipsa matre participare, & transumere; nempe quia, vt septimo Politicorum docuit Aristoteles, (Cap. 16.) vt quæ ex terra gignuntur, sic fętus ex pregnante matre bona malaque contrahunt; quod & ante illum libello de Natura Pueri scripsit Hippocrates, dicens prout mater habet iuxta sanitatem & debilitatem, sic puerum se habere. quæ quidem Hippocratis verba tanquam manca (ipsum enim deest verbum, quod & ipsi, & Aristoteli est frequens) & ideo valde obscura, Interpretibus causam dederunt, vt in illorum conuersione mirificè inter se discreparent. vt hinc facilè colligas, quàm sit necesse proprijs interdũ oculis in Græcis legẽdis Auctoribus cernere posse veritatẽ. nã Caluus videtur sic ea ordinare. διὰ τοὺς πόνους τῆς μητρὸς. ac transfert. Propterq; matris labores. Cornarius ordinem non mutans. Per matrem labores. Lalamantius longè recedens à fide Græci exemplaris. Et ad hæc etiam propter matris interuentum. Ferdinandus. Et vice vmbilici per matrem ipsam labores sustinent, præter id quod trahunt. Mihi tandem sic placeret. Ob migrationem autem ex pelliculis, quæ illum aluerunt, mutationem persentit, & vmbilici causa conuulsionem est passus. & secessit (scilicet in chorion) & ex matre labores transumpsit. vel vt Caluo video placuisse; reditq; tandem in idem. Et propter matris labores, scilicet laborat etiam magis & affligitur. declarant enim hæc verba, quæ, & quot fœtui eueniant ob tantum accidens, ob hanc scilicet migrationem ex prioribus inuolucris in chorion.

Obscura Hippocratis verba quędam explicantur. Ferdinandus itidem reijcitur. Aliorum quorundam confutatur opinio.

Cap. 18.

Sed video quid fefellit Ferdinandum; putauit enim verba illa, ἀντὶ τοῦ ὀμφαλοῦ ἔσπασε, significare fœtum vmbilici vice per ma-

matrem, ſcilicet ex vberibus ipſius nutriri; qui error à Caluo emanauit, ita locum trãsferens. Et vmbilicum per quem nutrimentum trahebant & c. nec animaduertit Ferdinandus, propoſitionis ἀντὶ alium etiam eſſe vſum apud Græcos; hoc verò loco verbum ἴσπασε ad vmbilici conuulſionem neceſſariò omnino referri oportere, dicente mox Hippocrate. καὶ ὁ ὀμφαλὸς σπαϑεὶς ὀδύνας ποιέει τῇ μητρί. ideſt. Et conuulſus vmbilicus dolores matri inducit. quæ verba fortaſſe nos admonent, vt legamus pro καὶ ἀντὶ, καὶ ἄν τι τοῦ ὀμφαλοῦ ἴσπασε. ideſt. & vmbilici partem aliquam traxit & conuulſit; in deſcenſu ſcilicet illo & migratione ex interioribus membranis in chorion. Adhuc quòd Ferdinandus, quid ſit primus hic quadragenarius non dicat; quòd illius vim extra vterum ſentire fœtum velit; non videtur parum reprehendendus. Hinc demum alter ille inſignis huius viri error, quòd poſtrema prioris Hippocraticæ ſententiæ verba ſic interpretatur. Verùm (inquit) omnes breui tempore ab his laboribus partus ſe ſe expediunt. Græcis, χρῶνται δὲ πᾶσαι ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ περὶ τούτου. Dictio quippè illa χράομαι, in bonam malamuè partem vſurpari ſolet, diciturq; rectè, vti mala fortuna. Idcircò Cornarius parum rectè hunc locum tenuiſſe viſus eſt, dum vertit. omnes in breui ex hoc contaminãtur, ac inquinantur. Nihil porrò affirmaſſe planè videretur ea oratione Hippocrates, cùm iudicio meo apertam ſententiam inculcauerit, quæ breuiſſimo tẽpore puerperas à laboribus partus ſe ſe explicare, perdoceat: nimirum, aut citò peribunt tot laboribus oppreſſæ, aut parient, fauente optimo maximoq; Deo. Sed certè non de laboribus partus, non de ipſo partu, deq; tempore pariendi tota hac oratione Hippocratem habere ſermonem, ſed de laboribus, quos octauo menſe patitur puer in vtero exiſtens, paulò ſupra aduerſus ipsũ etiam Ferdinandum & alios diſputantes demonſtrauimus; vt fateri neceſſe ſit, poſtremam hanc ſententiam eodèm tendere, quare omnino perperam verbum, χρῶνται, interpretatur, ſe ſe expediũt ex laboribus partus; quod tamen facit ea re deceptus, quia putat de partu fœtus Hippocratem loqui. Caluus transfert. Quo igne febreuè cunctæ pauculo tempore vtuntur, & ægreſcunt. Lalamantius. Vniuerſæ verò paucos dies eam febrem perferunt. Cornarius, vt vidimus. Verùm omnes in breui ex hac cõtaminantur ac inquinantur. Sed certè cuncti perperam. Nos tandem quia putamus hîc eſſe atticiſmum, & paſsiuum pro actiuo χράω eſſe poſitum; quod verbum prædicere ſonat interdum, & vaticinari; dicimus ſic locum eſſe transferendũ. Omnes autem mulieres breui de hoc vaticinantur. ideſt, cùm vix hi labores inceperint, prædicunt & labores eſſe octomeſtres, & ex illorum modo, an euaſuræ ſint, an perituræ. Quòd ſi, vt doctiſsimus Budæus ex Platone in Commentarijs notauit, atq; in vulgatis etiam Lexicis habetur; verbum χρῶμαι tanquam deponens, pro reſpõdere aliquando ponitur; non erit fortaſſe à veritate alienum ſi dicamus, huius verbi peculiarem vſum hoc loco animaduertentes, ſine datiuo videlicet, ac ſine accuſatiuo, ſed cum rei genitiuo, & cum præpoſitione, ſecus quàm Græcis auctoribus ſit conſuetum; ſenſum eſſe horum Hippocratis verborum. Reſpondent autem omnes mulieres de hoc confeſtim, de hoc, inquã, quod eſt expoſitum. expoſiti autem ſunt labores, qui ex diruptione pellicularum fœtum ac parentem adoriuntur. quid ergo reſpondent ſuper hoc mulieres interrogatæ? reſpondent certè, & dicunt, hos labores eſſe octomeſtres, octauoq; propterea menſe difficillimè vterum geſtari. quod cùm dixiſſet Hippocrates, quaſi mulierum reſponſionem in medium adduceret, ita ſequitur, hanc earum approbans reſponſionem; nimirum, vt ex mulierum communi opinione octaui menſis infelicitatem confirmaret. φασὶ δὲ τοὺς ὀγδόους τῶν μηνῶν καὶ χαλεπώτατα φέρειν τὰς γαστέρας, ὀρθῶς λέγουσαι. i. Dicunt autem inter menſes octauo difficillimè vterum ferre; rectè dicentes. quare & huius loci ſenſus talis eſſe videtur. At enimuero mulieres omnes ſuper his expoſitis laboribus interrogatæ, confeſtim reſpondent, & dicunt, nullos eſſe alios quàm octomeſtres, octauoq; menſe difficillimè ſe vterum gerere, rectè ob expoſitas cauſas & reſpondentes, & dicentes. Sed de vera in his Opuſculis diuina Hippocratis ſententia plura in Commentarijs ſuper illis; quos, ſi Deus annuerit, animus eſt exactiſsimos conſcribere. nunc inſtitutum iter teneat oratio. Hoc igitur diuinum tanti viri artificium cùm in hac ipſa diſputatione pleriq; pariter alij neq; etiam procul aſpexerint, non ſunt veriti aſſerere, Hippocratem exiſtimaſſe, puerum octauo menſe in vtero contentum labores, ægrotationemq; pati ex natura quadam concomitante octauum menſem experien-

tia

tia magis, quàm ratione cognita; adeò vt nullam rationem attulerit, sed potius occultam quandam cõtrarietatem inter puerum, & octauum mensem videatur induxisse. ex quò & videntes ipsum affirmare, hæc omnia fętui contingere, cùm septimestris extiterit ætatis; perperam in ea de septimestribus, Ferdinando hac in re consentientes, ab ipso agi existimarunt; causasq; adduci, cur plerunq; hi partus, quemadmodum paulò suprà idem dixerat, intereant; quasi velit, cùm hæc casu fœtui septimum attingenti obtigerint, vt scilicet calcitrando priores membranas defringat, extimam, quæ durior est, nequeat abrumpere; necessariò mori, etiam si ad nonum vsq; mensem exitum retardet. Qui dum certè hæc fingunt, surdissimas videntur habuisse aures ad Hippocratis verba, quibus vt supra vidimus, totum, quod de pelliculaium diruptione fœtui, cùm septimestris fuerit ætatis, contingente, dixerat; ad octauum mensem, sextumq; quadragenarium refert, tanquam dictum illius gratia. Quũ autem septimo mense (inquit) pelliculę dirumpuntur, & fœtus secesserit, labores, qui circa octauum mensem, & sextum quadragenarium in partu fieri traduntur, subeunt. Item & ad illa altera, quibus inquit, fœtum sexto hoc quadragenario laborantem septimo exacto quadragenario vitalem nasci omni sanatum morbo. Hoc autem (inquit) tempore prætereunte quibus benè futurum est, inflammationes tùm matris, tùm fœtus exsoluuntur. & paulò post. & septimo sanè quadragenario plurimo tempore fœtus isthic existunt. & demum. & mulieres per hos vltimos dies ex toto quadragenario facilius vteros ferunt, donec contingat fœtum verti: postea verò dolores partus, ac labores incumbunt, donec à puero, & à secunda mulier liberetur. De qua tota oratione pluribus supra disputauimus; vt nemini dubium esse queat, de causis ægrotationis octauo mense fœtũ corripientis Hippocratem agere; hosq; ipsos fœtus, quibus septimo mense hæc eueniant, velle septimo quadragenario exoriri: vt nullum de septimestribus, idest de septimo natura maturescentibus, in Hippocratica disputatione verbum, quemadmodum isti volunt, esse possit. prĕterquàm quòd fœtus natura septimestris, vt ipsi etiam acutè viderunt, si partum in nonum differat, orietur omnino non vitalis, quia præter tempus suæ maturitatis in lucem veniat, etiam si nullum antea laborem perpessus fuerit; vt mirum sit, quomodo id causam esse nonnulli velint, cur vitalis prodire queat. Cæterum de his tribus quadragenarijs ex Hippocratis sententia, ac de ægrotatione, quæ octauo mense fœtum vexat, proindeq; de primo capite ex quatuor illis, quæ huius libri initio nobis definienda proposuimus, dictum satis videatur. Nunc secundum caput locus est vt aggrediamur, pertinens ad octaui mensis ex septimo, ex nono, & ex ipso anno incrementum.

Obscurissima Hippocratis sententia de octaui mensis ex septimo, & ex nono incremento, proponitur explicanda. septem difficillimę circa Hippocratis verba afferuntur dubitationes.

Cap. 19.

INter omnia Hippocratis dicta, quæ maximam præseferre videntur obscuritatem, illud certè, mea quidem sententia, primas tenet, quod nunc proponimus nobis enarrandum de octaui mensis ex septimo, ac nono, item ex ipso anno incremento; vt ob rei difficultatem necessarium duxerim aliorum antea afferre enarrationes. cùm autem Galeni expositione careamus, cuius super his verbis monimenta vetustate fortasse periere: ex Recentioribus verò alij nulli, qui ad meas manus peruenerint, præter Cardanum, Ferdinandum Mena, & Lalamantium obscurissimam hanc sententiam interpretari conati sint; horum prius afferam explicationes, à Cardano ducens initium: qui tamen in enodandis Hippocratis verbis adeò obscuritatem affectauit, vt quem locum illustrandum susceperit, ingentes potius illi tenebras videatur offudisse; mihi certè longè magis in eò intelligendo, quàm in Hippocratis mente percipienda laborandum fuit: sed Hippocratis ipsius verba antea legenda sunt, quę ita habent iuxta Cornarij ferè interpretationem. Aiunt autem (scilicet mulieres) & octonos menses difficillimè vteros ferre; id rectè dicentes. est autem octauus mensis non solùm hoc tempus, sed & dies accedunt à septimo mense, & à nono, & ab ipso anno. Verùm dies non similiter neq; dicunt, neq; cognoscunt mulieres; decipiuntur enim ex eo, quòd non eodem modo fiunt: sed aliquando à septimo mense plures dies accedunt ad quadraginta, aliquando à nono. Hoc enim fieri necesse est, prout contigerit, mulierem in ventre concipere

cipere tùm menſe, tùm tempore. Menſis
autem octauus minimè dubius eſt; ſecun-
dum hunc enim contingit, vt iudicatio
difficilis exiſtat. & mea ſententia pars e-
tiam in vndecimo menſe menſis eſt, vt hic
non memorabilis exiſtat. Hæc eſt Hippo-
cratis oratio, quæ difficultates ſeptẽ offert
nobis vẽtilãdas. Primùm maxima eſt dubi-
tatio, qua ratione dicat Hippocrates, octa-
uo mẽſi dies modò ex ſeptimo, modò ex
nono accedere. Secũdò nõ eſt facile cerne-
re, quã ipſe agnoſcat differẽtiã inter octa-
uũ menſem hoc modo acceptũ, videlicet cũ
hoc dierum (vt ita dicam) incremento sũ-
ptum, & per ſe conſideratum: quam tamen
ipſe non exiguam videtur putare, dicens.
Eſt autem octauus menſis non ſolùm hoc
tempus &c. quibus verbis alio modo per
ſe ſumptum octauum menſem accipit, alio
prout ei dies ex ſeptimo, & nono accedũt.
Tertiò difficile explicatu eſt, quo modo
non ſolùm à ſeptimo, vel à nono, ſed etiam
ab ipſo anno dies octauo menſi accedant.
Quartò non exigua controuerſia eſt, quæ
ſit hæc mulierum deceptio, & vnde ortum
ducat. Quintò grauis eſt difficultas, quo
ſenſu dixerit diuinus Senex, ad quadragin-
ta plures aliquando dies è ſeptimo, aliquã-
do è nono accedere. Videtur enim octa-
uum menſem quadraginta dierum nomine
intelligere, vnde hic multiplex oritur hæ-
ſitatio. Nam & dubium eſt, an plures di-
es præter eos, qui octauum menſem inte-
grant, ex ſeptimo, vel nono menſe ad qua-
draginta explendos numerari velit: ita vt
dies tantùm decem ex alterutro ſumi poſ-
ſint. an potius plures intellexerit ad to-
tam ſummam conficiendam eſſe accipien-
dos; ita vt quindecim, ſexdecim, & vigin-
ti, & vltrà ex vtroq; menſe adiungi poſſe ad
quadraginta crediderit. Item dubitatio
eſt, quo modo poſsit octauus menſis qua-
draginta dies appellari. Sextò ingens ori-
tur altercatio, quid ſit, quòd tàm obſcurè,
tàm præcisè profert Hippocrates, hoc die-
rum incrementum modò à ſeptimo, modò
à nono factum pro ratione temporis con-
ceptionis effici: ita vt totum id ab ipſa pẽ-
deat conceptione, pro menſe videlicet, ac
tempore, in quibus facta fuerit. quo loco
maximis hoc præſertim tenebris videtur
inuolutum, quod inquit, prout contige-
rit tùm menſe, tùm tempore mulierem
concipere, hæc omnia euenire neceſſe eſſe:
cùm difficillimum ſit cernere, quid menſis
nomine, quid temporis, intellexerit; cùm
duo quidem, ac longè inter ſe diuerſa ſi-
gnificare voluiſſe his duabus vocibus vi-
deatur: item quæ ſit iſta neceſsitas, & vn-
de pendeat, maximè latet in obſcuro. Se-
ptimò demum dubitatur de illorum nexu,
quæ ſubiungit de vndecimo menſe; cùm
nulla appareat ratio, cur Hippocrates ex
diſputatione de octauo ad diſputationem
de vndecimo tranſire debuerit; vt oratio-
nem totam ſic plurimum turbaſſe videatur.
Hæc ſunt, quæ mirum in modum negociũ
faceſſunt. Videamus nunc, an ex Cardani
interpretatione aliqua ad ea labeſactanda
habeantur.

Cardani affertur expoſitio; ac primùm præmittuntur nonnulla ad mentem ipſius percipiendam neceſſaria. Cap. 20.

CArdani igitur explicatio, & ſententia
nobis afferenda eſt, & ob viri in A-
ſtrologica arte excellentiam diligenter ex-
plananda; quam vt in tantis difficultatibus
aſſequamur, duo antea præfari oportet, quę
ipſe tanquam clara, ac totius ſuæ diſputa-
tionis fundamenta videtur ſuppoſuiſſe.
Primum eſt, menſium numerum à nouilu-
nijs dependere; ita vt nouilunia ſeptem
menſes ſeptem efficiant; octo, menſes oc-
to; nouem tandem nouilunia, menſes no-
uem; & de reliquis eodem modo. Hoc
crebrò videtur ipſe in Commentarijs indi-
caſſe. Nam in Commentarijs ſuper libel-
lum de Septimeſtri Partu in expoſitione
tertij textus ita ſcriptum reliquit. At quia
non perficitur nonus menſis, niſi nona cõ-
iunctio Luminarium perſiciatur. & in ex-
poſitione textus octaui. Igitur à 206. ad
220. tribuentur octauo menſi, cùm ſint ex
ſeptimo verè, quia non ſunt niſi ſeptẽ con-
iunctiones Solis, ac Lunæ. & in expoſi-
tione contextus vndecimi. Vt etiam ſep-
timus vitalis eſſe incipit 183. qui nume-
rus dierum continet ſeptem nouilunia: ve-
lut hoc anno 1567. ab vltima Nouembris
ad 27. Maij ſequentis anni ſunt ſolùm dies
180. & tamen ſeptem nouilunia. & ſæpè
alibi idem confirmauit. Alterum, quod
Cardanus accipere videtur, eſt, menſium
omnium varietatem, ita vt modò conciſi,
ac mutilati, modò abſoluti, integriq; ac-
cipiantur, ſedemq; mobilem, vel firmam
habeant, longiorem dierum terminum, vel
breuiorem ſibi adſciſcant; à conceptionis
tempore, eiuſq; ad Lunæ coitum, ac op-
poſitionem ratione ortum ducere. Si enim
paulò ante nouilunium, vel in nouilunio,
vel poſtridie nouilunij conceptio fiat; mẽ-

ſis

ſis primus integer, ac abſolutus ſumendus
erit, ideſt dierum 29. cum ſemiſſe; eodẽ-
q; modo reliqui ſequentes: ex quò & lon-
giſsimum terminum habebunt; vt nonus
Lunaris menſis ſecundum Cardanum die
etiam 251. incipere valeat, quemadmodum
poſtea ex eo explicabimus. Si verò conci-
piat mulier circa plenilunium, ac poſtri-
die plenilunij, menſis primus conciſus ve-
niet accipiendus numero dierum 16. quin
etiam & 14. cum hor. 18. ex quò & breuiſ-
ſimum terminum ſequentes habebunt: ita
vt ſeptimus menſis die 163. incipere poſ-
ſit, die 193. terminum habere, proindeq;
octauo dies 223. finẽ imponere. De prio-
rum enumerandorum menſium ratione in
explicatione contextus ſecũdi locutus eſt
,, Cardanus (niſi fallor) verbis illis. At de
,, primo, cùm omni menſe neceſſarium ſit,
,, vt Luna coeat cum Sole, & ei opponatur;
,, hoc autem ſit, vt demonſtratum eſt, in die-
,, bus 14. hor 18. cum beſſe; continget, vt,
,, ſi mulier concipiat ipſa die coitus, aut op-
,, poſitionis, ſed verius coniũctionis, vt poſt
,, dicam, vt primus menſis ſit abſolutus in
,, eo tempore: quare ſex primi menſes erũt
,, dierum 162. hor 13. aut paulò plus: quod
,, eſt dierum 162. cum dimidio, & hora cum
triente. Hæc ille; quibus docet, ſi coniũ-
ctionis die fiat conceptio, primum menſẽ
abſolutum eſſe, videlicet integrum, nõ cõ-
ciſumq; enumerandum. quanquam hu-
iuſmodi verba, vt præcedenti libro tetigi-
mus, & corrupta, & inter ſe pugnantia eſ-
ſe videantur; vt facilè ad vtranq; calculi
rationem trahi poſsint. De ſecundo com-
putandi modo in expoſitione contextus
,, quarti ſermonem habuit, ita ſcribens. Et
,, etiam quia primus menſis poteſt compleri
,, in diebus 14. & hor. 18. cum beſſe. & in
,, expoſitione ſexti textus. Sed quia primi
,, menſis dies poſſunt eſſe 15. tantùm & c.
,, Item in expoſitione cõtextus octaui. Quia
,, initium menſis octaui, ſi ſit (gratia exem-
,, pli) die 193. fuit generatio ante oppoſi-
,, tionem vna die, & finis primi mẽſis 16. die.
His ita cognitis, perſpicuum eſt iuxta Car-
dani placita, breuiſsimum terminum mẽ-
ſis ſeptimi, in quo ſcilicet huiuſmodi mẽ-
ſis initium ducat, diem eſſe 163. à concep-
tione; quod eueniet, vbi mulier plenilu-
nio conceperit. Enimuero quia tunc pri-
mus menſis habet dies tantùm 14. hor. 18.
cum beſſe; ſi menſes quinq; dierum 147.
cum ſemiſſe adijciantur, iam ſex menſes
dies 162. cum hor 6. cũ beſſe terminabũt;
proindeq; tanto emenſo tempore ſeptimus
menſis incipiet; ex quò nec ocyus quàm
die 193. ac circiter terminum poterit ha-
bere. ſi enim diebus 163. dies 29. cum ſe-
miſſe adijciantur pro menſe ſeptimo, ſum-
ma exiſtit dierum 193. quæ menſi ſeptimo
finem imponit, octauumq; inchoat, vt in
expoſitione ſexti textus docet Cardanus.
Patet rurſus, longiſsimum terminum ini-
tij ſeptimi menſis eſſe diem 177. à conce-
ptu; quod euenit, cùm interlunio conce-
ptio fiat. Tunc enim primus menſis com-
putatur integer, ac abſolutus, dierum ſci-
licet 29. cum ſemiſſe: ex quò & die 177.
incipit menſis ſeptimus (idem enim hic di-
es ſexti terminus exiſtit) dieq; 206. cum
ſemiſſe finem habet; ac per id temporis in-
cipit octauus. pro rationeq; dierum mẽ-
ſis ad interlunium, ac plenilunium, in qui-
bus facta fuerit conceptio, varium etiam
(intra hos tamen) terminum tùm princi-
pij tùm finis menſis ſeptimus habet; pro-
indeq; octauus, & reliqui: vt aliquando
tardius die 163. ocyus die 177. incipere
poſsit menſis ſeptimus, videlicet pro ratio-
ne dierum, quos primus mẽſis habet; quos
ſicut non pauciores dierum 14. hor. 18. cũ
beſſe voluit eſſe Cardanus (fortaſſe ea per-
motus ratione, quòd dies quindecim de
primo menſe computandos eſſe pręceperit
Hippocrates) ita nec plures dierum 29. cũ
ſemiſſe eſſe poſſunt. ex quò & ſi dies 16.
habeat primus menſis, incipiet ſeptimus
die 164. ſi habeat dies 17. ſeptimus die
165. initium habebit, & de reliquis eodem
modo. Poſtremò neq; alterum illud ma-
ximi momenti ad Cardani explicationem
aſſequendam prætereundum eſt, quod ipſe
in expoſitione quarti contextus notatum
reliquit; videlicet quia coniunctio eſt, ac
interlunium, quod menſem conſtituit, ac
perficit; ſi poſt coniunctionem dies primi
menſis incipiant numerari, neceſſariò dies
illos, qui deſunt ad coniunctionem, eſſe
adijciendos; quos ipſe citato loco dies,
quibus generatio antecedit diem oppoſi-
tionis, videtur appellaſſe; ſiquidem hoc
(vt arbitror) ſignificauit verbis illis. At ,,
quoniam non perficitur nonus menſis, niſi ,,
nona coniunctio luminarium abſoluatur; ,,
addemus huic tempori dies 14. hor 18. cũ ,,
beſſe, & c. Ac paulò poſt. Quia oportet ,,
in illis addere quantum eſt id, quo anteceſ- ,,
ſit generatio diẽ oppoſitionis Lunæ: adeò ,,
vt ſi generatio fuerit poſtridie nouilunij, ,,
non incipiat nonus menſis ſecundum Hip- ,,
pocratem, ſeu Auctorem huius libri, niſi ,,
in die 251. & ſunt menſes Solares octo, & ,,

vndecim dies. Enimuero si postridie nouilunij fiat conceptio, mensis primus habebit quidem dies 29. cum semisse, sed carebit nouilunio; itaq; ad diem 236. erunt tantùm octo nouilunia; igitur tunc non poterit incipere nonus mensis, qui ex Cardani mente à peracto tantùm nouilunio initium ducit. quare addendi erunt iuxta Cardani dogma dies 14. hor. 18 cum besse; nimirum ad habendum, vt ipse credidit, tempus interlunij; & assurgent dies 251. quo tempore cū nono interlunio nonus mensis incipiet. Atq; hoc est, quod eodem loco paulò supra idem admonebat; quia primus mensis potest compleri in diebus 14. hor. 18. cum besse; septem verò sequentes menses sunt dies 206. & hor. 21. cum triente; octo primos menses esse simul iunctos dies 221. & hor. insuper 16. cæterum quoniam non perficitur nonus mēsis, nisi nona coniunctio luminarium absoluatur, addendos esse huic tempori dies 14. hor. 18. cum besse, fieriq; dies penè 236. & in tanto tempore posse cōcipi nonomestrē.

Cardani affertur interpretatio, quo modo octauo mensi dies ex septimo accedant, et ex nono.

Cap. 21.

HIs positis, non erit fortasse difficile intelligere, quibus Cardanus nixus fundamētis Hippocraticam sententiā hāc, qua docemur octauo mensi dies modò ex septimo accedere, modò ex nono, & ex ipso anno, sic octauo Commentario interpretatur. Ipsamet enim Cardani verba libentissimè affero, vt quisq; liberius, & cōmodius suum valeat in tanta re iudicium interponere. Cùm dixisset (inquit) textu sexto laborare fœtum quadraginta diebus plus, aut minus; & post probasset illos, qui dixissent, quòd mense octauo; videbatur sibi contradixisse. Præterea inquit textu septimo, quòd octauo mensi accedūt dies ex septimo, vt antea demonstraui. Nam septimus mensis si incipiat à 163. die, finitur 193. & ita supersunt dies 13. ex septimo mense, qui possunt accedere ad octauum; & ita ex nono si incipiat à 237. die, qui est vltimus terminus initij eius, palàm erunt dies octaui mensis 43. medij scilicet inter 193. & 236. & hoc potest accidere ratione dierum Lunæ, non tamen potest habere vtraq; incrementa; immò si mensis septimus finiatur die 193. octauus finietur 223. & ita non extendetur ad 236. Verùm respondeo, quòd, cùm dies illi à 223. non possint adnumerari nono mensi, relinquētur octauo; quia initium mensis octaui si fit (gratia exempli) die 193. fuit generatio ante oppositionem vna die, & finis primi mensis 16. die post coniunctionem autem statim. & ita per singulos menses, vt sit finis septimi mensis coniunctio ipsa precedens diem 193. & ideo extendetur octauus vsq; ad 223. diem, & antea fuit coniūctio; ergo fluent dies, antequam superueniat oppositio, 13. Igitur hi poterunt adnumerari tàm octauo mensi, quàm nono; quare octauus mensis in hoc casu erit dierum plusquam quadraginta; sed auctori sufficiunt dies 40. Istos ergo dies surripuit ex septimo mense. Videamus modò, quomodo ex nono; & incipiat primus mēsis post Lunæ coniunctionem statim; & erunt septem mēses dies 206. cum dimidio, & octauus mensis erit vsq; ad dies 236. & quia tùm primùm celebrata erit coniunctio, tredecim dies proximè sequentes ad 249. erunt noni mēsis; sed quia in his nulla est coniunctio, nec oppositio Luminarium, poterunt ita copulari octauo mensi, sicut nono. ergo tunc octauus habebit dies 40. & erunt dies decem ex his noni mensis; ideo octauus à nono mense surripit dies decem. Iterum ponamus, quòd ante septem dies ab oppositione, seu septem post coniunctionem genitus sit infans; tunc octauus mensis incipiet die 198. & finietur circa 240. ergo rursus habebit dies plusquàm quadraginta: quorum id, quod est vltrà triginta partem subripuit ex septimo, partem ex nono. & hoc vbi laborauerit infans septimo mense ad exitum; aliter singuli menses habebunt suos terminos. quanquàm hæc ratio sit potius quadragenariorum, quàm mensium; sed hoc fecit Hippocrates, vt rationem veram opinioni communi conuenienter aptaret; quod fuit pulchrum, & ingeniosum. Hæc Cardanus; ex quibus patet, si mensis primi dies tantùm sint 15. aut 16. (erunt autem, si circa plenilunium fiat conceptio, aut ante oppositionem vna die) indeq; incipiat computatio; dies tredecim octauo mensi accedere ex septimo mense ipsum velle; nimirū quia incipiat die 193. octauus mensis: qui dierum numerus cadit in diem 16. septimi mensis absoluti, & integri. Ex quò & ad illum explendū dies desunt 13. dicti, quos octauus ex eo accipit; atq; secundum hanc calculi rationem octauus mensis die 223. terminum habebit, videlicet diem circiter 17. mensis octaui iuxta integram mensium sup-

ſupputationem accepti. Vt enim hæc omnia planius intelligantur, altera ſimul mẽſium ſeries animo concipienda eſt integra, & abſoluta; cuius ratione menſes ſex Lunares exactos diebus 177. menſes ſeptem diebus 206. cum ſemiſſe: menſes octo diebus 236. menſes nouem diebus 365. cum dimidio integrari dicimus; & cuius ratione diem 193. ſeptimum menſem terminantem, in diem alioqui 16. eiuſdem ſeptimi incidere, diem 223. octauum finientem, in 16. itidem cadere eiuſdem octaui diem affirmamus. qua recepta via, quoniam die 223. iam confectum nouilunium eſt octauum; ſequentes dies 13 ante futurã oppoſitionem poterunt adnumerari tàm octauo menſi, quàm nono; quia, vt Cardano placere video, nulla in illis fit coniunctio, vel oppoſitio; quo pacto octauus menſis extendetur ad diem vſq; 236. & dierum erit 43. initium capiens à die 193. vt diximus, ex ſeptimo tredecim dies accipiens: atq; hæc ſatis ſunt ad oſtendendum, quo modo ex Cardani mente octauo menſi dies de ſeptimo accedant. Quemadmodũ autem ex nono eos accipiat, ſic ipſe aperit, vt ex ſuperioribus verbis perſpicuum euadit. Supponatur, primum menſem incipere ſtatim poſt Lunæ coniunctionem; nimirum quia per id temporis conceptio facta fuerit: erunt ſeptem menſes integri dierum 206. cum dimidio; etenim primus abſolutus accipitur, nempè dierum 29. cũ dimidio, niſi quantum ſtatim poſt interlunium ſumitur initium ducere: vnde octauus menſis finietur die 236. eruntq; tũc octo nouilunia, quoniã in fine octaui mẽſis coniunctio efficitur octaua: igitur ſequentes dies 13. vſq; ad oppoſitionem noni menſis eſſe videbũtur. Verùm quia nec coniunctio Lunæ cum Sole vlla, neq; oppoſitio in illis locum habent; iuxta Cardani placitum tàm poterunt adiungi octauo, quàm nono. Itaq; tunc habebit octauus dies circiter 40. ac ſecundum tricẽnum menſium rationem dies nouem ad nonum menſem pertinebunt: ſiquidem additis diebus 13. ad dies 236. faciunt dies 249. qui menſes tricenarios octo continent, ac dies nouem noni præterea menſis: quamobrem tot ex nono dies octauo accedent. Quòd ſi poſuerimus ante ſeptem dies ab oppoſitione, ſiue ſeptem poſt coniunctionem conceptionem factam eſſe; tunc octauus menſis incipiet die 198. & finietur circa 240. habens rurſus dies pluſquam 40. quorum id, quod eſt vltrà 30. vt Cardanus inquit, partem ſubripit ex ſeptimo, partem ex nono. ſiquidem primi menſis quantitas dierum 21. cum ſemiſſe tunc accipitur; itaq; terminabit octauum dies 228. & quia ſequentes dies 13. non habent coniunctionem, nec oppoſitionem; adijcientur illi, & quantitas aſſurget octaui menſis dierum 42. terminans in diem 240. etenim à die 198. in quo incipit octauus menſis, vſq; ad 240. tot intercedunt: quorum partem è ſeptimo Lunari exacto, ſcilicet è diebus 206. cum ſemiſſe, partem ex Lunari nono, ſcilicet ex diebus 265. cum ſemiſſe ſumi ab eo ſatis claret. vt iam perſpicuum ſit, octauum vltrà ſuos dies 29. cum ſemiſſe, circiter nouem ex ſeptimo, circiter quatuor ex nono arripere: atq; hoc crediderim ego Cardanum voluiſſe, (ni hallucinor) cùm dixit, octauum menſem in hac computatione dierum, qui ſunt vltrà triginta (triginta nomine dies 29. cum ſemiſſe indicãs) partem ex ſeptimo ſubripere, partem ex nono.

Vberius exponitur Cardani opinio. Cur vndecimum menſem meminerit Hippocrates ſecundum illum.

Cap. 22.

HAec eſt Cardani (vt reor) explicatio; quæ vt plenius etiam intelligatur, operepræcium erit alia eiuſdem verba in expoſitione ſecundi textus in medio ponere, quæ non parum ipſius mentem vidẽtur illuſtrare. Sed quia (inquit) Hippocrates obſeruat menſes Lunares; poſtq; perfectio eſt ex dimidio anni, etiam octomeſtris perfectus eſt: perfectio enim non mutatur, nec poteſt regredi. & etiã quia primus menſis poteſt compleri in diebus 14. & hor. 18. cum beſſe; ſeptem autem menſes ſequentes ſunt dies 206. & hor. 21. cum triente; erunt octo primi menſes ſimul iuncti dies 221. & hor. inſuper 16. at quoniam non perficitur nonus menſis, niſi nona coniunctio Luminarium abſoluatur; addemus huic tempori dies 14. & hor. 18. cum beſſe, & fient dies penè 236. & in tanto tempore poteſt incipere nonomeſtris. Simili ratione cùm detraxerimus dies quatuor pro octo menſibus Lunaribus dierum 29. cum dimidio ex numero dierum 240. propoſito, relinquentur menſes octo itidem dierum 236. vt prius. ergo nonus mẽſis incipit vtroq; modo à die 237. dies igitur 237. 238. 239. & 240. ſunt ex nono menſe iuxta ſecundum modum; iuxta primum

mum possunt esse ancipites; quia oportet in illis addere quãtum est id, quo antecessit generatio diẽ oppositionis Lunæ: adeò vt si generatio fuerit postridie nouilunij, non incipiat nonus mensis secundum Hippocratem, seu Auctorem huius libri, nisi in die 251. & sunt menses Solares octo, & vndecim dies. & hæc est causa, quòd multi octomestres existimantur nouimestres, scilicet geniti postridie ab oppositione, vel tertia die, vel quarta: & nati inter 236. diem, & 240. sunt nouimestres, & tamen ægrè superuiuere possunt, quia continentur in sexta quadragenaria. Vltrà ergo 240. diem, modò sint nouimestres superuiuere facilè possunt, quia nati sunt perfecti, mense, & quadragenaria imparibus. Hæc Cardanus; quæ licèt obscurissimè dicta videantur, facilia nihilominus intellectu erunt, si ea memoria repetamus, quæ superius explicauimus. Inquit enim, multos octomestres existimari nonomestres, quoniam, si conceptio post nouilunium fiat, primus mensis totus computatur; vnde die 236. octauus finem habet; videlicet octauo confecto nouilunio: cui summæ dies 14. sequentes addere oportet ob causas ex Cardano supra expositas. Itaq; quot quot intra dies illos 14. oriuntur, erunt quidem verè octomestres, sed tamen hac ignorata ratione computandi, & quo modo dies ex nono octauo accedant, nonomestres putabuntur, quia circa noni initia in lucem venire videantur. è contra si postridie ab oppositione, & sequentibus diebus conceptio efficiatur; quia de primo mense pauci sumuntur dies, videlicet 14. ac etiam pauciores, tunc octauus mẽsis breuissimum terminum adipiscitur, videlicet diem 220. & etiam breuiorem. Itaq; si sequentes etiam dies adijciantur, nihilominus oriri infans poterit intra diẽ 236. & esse nonomestris, qui tamen octomestris putabitur; quanquam hi sicut illi, qui post exactum octauum Lunarem mensem nascuntur, videlicet post diem 236. ex Cardani sententia ægrè superuiuunt, tametsi nonomestres sint, quia sexta quadragenaria oriuntur. Hæc Cardanus de verborum illorum interpretatione. Est autem octauus mensis non solùm hoc tempus, sed & dies accedunt &c. Quod autem adiungit Hippocrates, ab ipso anno octauo mẽsi dies etiam accedere; hoc pacto Cardanus accipit, vt sententia sit, etiam si ratio coniunctionum, & oppositionum non patiatur augeri octauum mensem; extendi tamen illum ad quadraginta dies, vt sit nona pars anni. Verba autem, quæ sequuntur. Verùm non similiter neq; dicunt, neq; cognoscunt mulieres; decipiuntur enim ex eo, quòd non eodem modo fiunt, sed aliquando à septimo mense &c. contrarium omnino sensum exprimere arbitratur; atq; sic illa Commentario nouo exponit. Ipsius enim verba hoc etiam in loco duximus afferenda. Cùm laudasset (inquit) sententiam mulierum vt veram, & fideliter relatam; declarat, in quo sæpè decipiantur, & ob id etiam errent, & falsa referant; & est, quòd putant se peperisse in octauo mense, cùm pepererint in septimo, vel nono; & est hoc ad vnguem contrarium præcedenti. Nam sicut ex septimo mense accedunt dies, & ex nono, vt mensis octauus quandoq; crescat ad dies 43. ita versa vice nonnũquam octauus mẽsis exiguus redditur, quoniam dies, qui illi adnumerantur, sunt ex septimo, vel nono mense: & tunc hi menses longi redduntur; vt contra octauus valde breuis. Contingit autem hoc ex dictis; quando mensis septimus incipit à die 163. qui nascetur ad 193. erit è septimo mense; reliqui ad 206. tribuentur octauo mensi, & erunt verè. Sed cùm cõceptus fuerit infans statim post Luminarium coniunctionem, finis mensis septimi erit 206. non solùm, verùm vsq; ad 220. igitur à 206. ad 220. tribuentur octauo mensi, cùm sint ex septimo mense verè, quia non sunt, nisi septem coniunctiones Solis, & Lunæ. Pariter dicemus & in nono; cuius initium est quandoq; à 223. quãdoq; à 250. & tunc idem est finis noni mẽsis, & septimæ quadragenariæ ad vnguem. & ideo vides quòd sunt quatuor ordines, duo septimi mensis, & duo noni, & octaui. Dies enim qui sunt à 193. ad 220. pertinẽt ad septimum, & octauum: qui autem sũt à 220. ad 250. pertinent ad octauum, & nonum, sed bifariam diuersa ratione. Nam primùm à 193. ad 206. adijciuntur octauo, & sunt ex septimo semper: & à 206. ad 220. adijciuntur septimo, quamuis sint ex octauo: & ita à 220. ad 236. adijciuntur quandoq; nono mensi, quamuis semper sint ex octauo. & ita versa vice à 236. ad 250. adijciuntur octauo, quamuis semper pertineant ad nonum. Secundum est, quòd dies ex septimo mense adduntur octauo ob id, quòd mensis incipit statim post nouilunium; & ex nono, quia statim ante nouilunium. Est autem aduertendum (quod sæpè dixi) hanc additionem semper alter-

natim

natim fieri; vt si ex septimo, non ex nono, & si ex nono non ex septimo. ex quò patet singulos menses habere partem stabilẽ, & partem mutabilem; velut septimus habet stabilem à 183. ad 193. mutabilem à 193.ad 206.octauus similiter à 206.ad 220. mutabilem; & stabilem à 220. ad 236. & nonus mutabilem à 236.ad 250. & stabilem à 250. ad 265. & quod est vltrà, est commune nono, & decimo mensi. Est autem duplex mutabile quoad rem, & quoad nos, vt in sequenti exponetur. Hæc Cardanus; quæ quantum roboris habeant, ac firmitatis, infra (Deo dante) excutiemus: nunc disputatio ipsius illa ad septimestres pertinens, quæ plurimùm videtur ea,quæ ex ipso attulimus, illustrare, afferenda est; atq; ipsa quidem eiusdẽmet verbis, ne à nostro more discedamus. Ita enim an ea,quæ aduersus illum à nobis infra disputabuntur, veritatem habeant, facilius quisq; cognoscet: & cùm liber non adeò sit præ omniũ manibus (quãdoquidem nos eum diù quæsitum alibi, ex Serenissimi Principis nostri Bibliotheca accepimus) pergratum cuiq; fore arbitrati sumus, si ex ipsius Auctoris verbis potius, quàm ex nostra renunciatione veritatem pro suo quisq; captu haurire valeat, & arbitratu. Ita igitur hac de re sexto ipse Commentario scriptum reliquit. Circa quod est notandum, quòd septimestrium plures sunt species; quidam enim sunt à 162. die cum dimidio ad 182. cum dimidio, & particula illa diei; qui nõ sunt perfecti, ideoq; minimè vitales, nisi res pro miraculo possit censeri. Post sunt ab ea die vsq; ad 192. cum dimidio, & particula diei, & hi possunt viuere iuxta rationem diei conceptionis, & possunt esse non vitales etiam, vbi citius geniti sunt, vt Luna cum Sole non poterit septies conuenire. Post sunt vitales firmi à 193. die ad 200. & sunt dies septem, & sunt intra cancellos septimi mensis exacti, & quintæ quadragenariæ, sed quia primi mensis dies possunt esse 15. tantùm, & sex menses sequentes dies 177. sequitur vt in 193 die incipere posit octauus mensis: ergo tutiores sunt dies inter 183. & 193. & sunt nouem, omnibus alijs: ergo septimestri etiã præter alias causas dictas nulla est securitas nascendi. securissimi autem vt sint ex septimo mense, sunt à 183. ad 193. sed nõ sunt securi quòd sint septimi mensis perfecti; possunt enim esse imperfecti. vt contra à 193. ad 200. sunt securissimi, quòd sint septimi mensis, quòd sint perfecti; sed fieri potest, vt non sint septimi mensis, sed octaui; & tunc essent exitiales. A 200. autem die supra vsq; ad 206. cum dimidio,etsi possint esse septimestres, quòd rarius accidit, omnino tamen sunt sextę quadragenariæ, & ideo non vitales, aut egerrimè. Postremò, quod spectat ad verba illa. Et mea quidem sententia pars etiam in vndecimo mense mensis est. idcircò putat addita fuisse ab Hippocrate, vt demonstraret, partem etiam vndecimi mensis aliquam ad partionem esse idoneam, ac legitimũ partum continere. Hæc est tota Cardani expositio, à me quidem fusissimè propter maximam loci huius difficultatem, ac fideliter relata. Nunc videndum est, an cum Hippocratis verbis consentiat, ac veritate.

Cardani enarrata interpretatio expenditur, & reijcitur. obiter an septem nouilunia, & plenilunia sint necessaria secundum Hippocratem ad septimestris partus maturitatem. Aliorum quorundam reijcitur opinio.

Cap. 23.

TAmetsi Cardani interpretatio non accuratè considerantibus prima facie subtilis ac veritati consona videri possit; attamen si diligentius rem ipsam expendamus, ab Hippocratis verbis alienam, nutabundam,multisq; demum nominibus refellendam eam cernemus. Hoc vt facilius ostendamus, quatuor mensium tabulas, quibus tota hæc nititur ipsius explicatio, & sine quibus difficulter intelligi potest, oculis legentium subijcimus contemplandas; in quarum prima mensis primus 14. dies tantùm habet hor. 18. cum besse, tanquam si conceptio plenilunio facta sit: ideo in priori area vnum tantùm plenilunium, ac nouilunium notis cõsuetis notata sunt; quod sanè nouilunium sicuti primi mensis finis est, ita & secundi est initium: propterea in sequentium mensium areis vnum tãtùm plenilunium, vnumq; nouilunium ponuntur. Secunda Tabula eundem primum mensem integrum, absolutumq; ostendit à nouilunio ducentem initium, ac si in nouilunio facta conceptio esset; idcircò duo nouilunia, ac vnum plenilunium notata habet in prima area. huius tamen Tabellæ alter potest esse vsus, vt nouilunium primum in enumeratione dimittamus, vbi statim post ipsum interlunium conceptionem factam esse supposuerimus. Tertia Tabula mensem primum continet dierum 16. sup-

ponens conceptionem vna die ante plenilunium esse confectam; quo exemplo vsus est Cardanus, vt demonstraret, quo modo dies octauo mensi modò à septimo accedant, modò à nono. Quarta Tabula Hippocraticum exemplum ob oculos ponit, in quo initio Opusculi de Septimestri Partu ex primo mense dies 15. ex septimo viginti tantùm sumit: quod quidem totum Cardani disputationi magnam lucem affert. Sunt rursus in quatuor his Tabulis in mẽsium areis dies collecti, vt quisq; facilius, qua die secundus, tertius, quartusq;, & reliqui menses finiantur, cognoscere valeat. His ita constitutis iam eam, in qua recensenda nimis multi fuimus, sententiam paucis in præsentia verbis refellamus.

Primùm igitur quod Cardanus sumit, septimum mensem citius perfici non posse, quàm die 193. hoc videtur mirificè Hippocrati aduersari; vtpote qui verbis apertissimis die 182. cum quota diei parte genitũ & dici, & verè esse septimestrem demonstrauerit; septimestreq; interuallum hoc peracto dierũ spatio putauerit finire posse; de qua re infra plura dicemus: qua recepta veritate iam sedes, initiaq; demum ac fines sequentium mensium variari, longèq; aliter accipi debere, & collocari, quàm faciat Cardanus, satis constat. Accedit (ꝙ hic Auctor non semel confitetur) septimũ nouilunium septimo mensi fastigium imponere; ex quò & Commentario sexto septimi mensis finem coniunctionem præcedentem diem 193. esse asserit; nimirũ quia coniunctio illa Lunæ cum Sole septimo loco fiat. Itaq; cùm diebus 183. septẽ perfici interlunia possint, vt idem Commentario vndecimo fatetur; tot dierum numerum septimestre spatium omnino concludere dicendum erit. qua in re neq; etiam Cardani recipio assertionem, dum eodem Commentario videtur indicare, quia septẽ nouilunia diebus 180. confici possunt, tot etiam diebus edi posse septimestrem; siquidem, vt sexto libro à nobis ostensum est, Hippocrates non solùm Lunæ motum, ipsiusq; cum Sole coniunctionem, verùm etiã & Solis ipsius motionem ad partus maturitatem efficiendam necessariam esse arbitratus est: vnde & dimidio anno ob causas à nobis ibi explicatas, nec antea, vitalem oriri posse septimestrem rectissimè statuit. quin etiam & Solis motum magis quàm Lunares aspectus videtur obseruasse; ita vt censuerit nouilunia septem, dummodo dies 182. cum semisse expleantur, ad vitalem partum producendum nequaquam esse necessaria: quod quidem Cardani dogma mirificè conuellit, qui septem nouilunia ad septimestre spatium constituendum putauit necessariò requiri. siquidem si iuxta Hippocratis computationem sumamus de primo mense dies 15. & quinq; integros sequentes, deinde de septimo dies 20. assurgent dies 182. cum semisse ferè; idq; tẽpus Hippocratico decreto dicetur septimestre: in quo ex quarta Tabula satis constat, sex quidem tantùm nouilunia, non septẽ confici posse; eò quòd dies illi quindecim, qui pro mense primo accipiuntur, vnum tantùm habent nouilunium, quod finis illius est, ac secundi mensis initium: dies verò 20. qui loco septimi sumuntur, plenilunium tantùm contineant non interlunium, quod septimo finem, octauo principium afferret; intercedant verò alia quinq; interlunia, quæ tertium, quartum, quintum, sextum, septimumq; mensem inchoant; vt in hac temporis mensiumq; cõputatione non amplius quàm sex confici posse interlunia, quemadmodum dicebamus, satis constet: quam rem tanquam maxima dignam animaduersione hoc loco notare placuit; cùm etiam cõmunis ferè sententia sit, nouilunia ipsa partui afferre maturitatem. quod quidem cùm Recentiores nonnulli in Hippocrate acutè animaduerterent; viderentq;, exemplum ab eo allatum sex quidem continere nouilunia, sed tamen septem plenilunia habere; in eã venerunt opinionem, vt crederent, non semper septem nouilunia ad vitam septimestri fœtui impertiendam esse necessaria; sed pro conceptionis tempore, aut nouilunia septem, aut totidem plenilunia: nimirum si circa plenilunium facta conceptio fuerit, plenilunia septem necessaria esse; si circa nouilunium, nouilunia septem, ad legitimum ac vitalem septimestrem constituendum. qui tamen si animaduertissent, Hippocratem conditionaliter esse locutum in sui exempli explicatione, vt suis locis vidimus; item, si in proposito Hippocratico exemplo dies 12. de primo mense capiamus, dies 182. cum hor 15. in diem 23. septimi mensis incurrere; & sic tempus afferre ex Hippocratis decreto legitimum pariendi, & nihilominus sex tantùm nouilunia, & totidem plenilunia habere; non existimassent hunc horum aspectuum numerum iuxta Hippocratis sententiam esse necessarium. præterquàmquòd si, vt ponunt, menstrua vel plenilunio, vel interlunio

Cost. lib. de Hum. Cont. ca. 23.

Iunio citantur; ipsæ verò mulieres alijs extra vterinas purgationes temporibus concipere possunt, vt itidem volunt: quęrendum ab ijs esset, an quæ extra nouilunia, & plenilunia concipiunt, septem vel nouilunijs, vel plenilunijs egeant ad vitalem septimestrem excludendum. Quòd verò adiungunt, si prorogetur partus, non modò plenilunium septimum attingere, sed etiam ad octaui vsq; nouilunij cōfinia transcendere licere: quo pacto id ad septimestrem quadrare posit, non exiguam habet dubitationem; cùm suadere ratio videatur, si septem nouilunia septimestre cōficiūt ex eorum decreto interuallum, quia huiusmodi tempus septimi Lunaris circuitus sit particeps; octo nouilunia octomestre itidem spatium ob eandem rationē constituere. Hæc fortasse omnia Cardanus, tametsi parum sibi constans, cùm cōsideraret Contradicentium Medicorum libro primo, non septem amplius nouilunia, aut plenilunia, sed tantùm sex ad septimestre spatium perficiendum videtur ducere necessaria, dum contendit, die 163. partum genitum & verè septimestrem esse, & vitalem nasci; quo quidem dierum interuallo sex tantùm nouilunia, totidemq; plenilunia effici inquit; cuius verba sequenti capite afferam.

Tract. 3. contr. 8.

Quòd etiam ex Cardani sententia nouilunia septem ad septimestris maturitatem non sint necessaria. Item quot nouilunia alios partus constituant ex eodem. Computandi modus ipsius confutatur.

Cap. 24.

SIc igitur loco memorato scriptum legimus. » Quare in 162. diebus erunt sex » coniūctiones, & totidem oppositiones Lu» minarium & c. quod & paulò infra his ver» bis perspicuè confirmat. Si quis tamen (in» quit) natus intra 182. diem sex plenilunia, » & totidem nouilunia obtinuerit, quod in » 162. diebus etiam accidere potest; hic se» ptimestris est, ac vitam, licèt non facilè, » assequi poterit. ex quò & loco illo octomestres septem nouilunijs, nonomestres octo edi cōcedere videtur, vt infrà dicemus: quod & alteris etiam illis verbis indicauit, volens parem ex mensium purgationibus, ac ex Luna esse rationem; quibus etiā partum à nouiluniorum, ac pleniluniorū numero perfectionem asseruit, & vitam reci» pere. Sic enim scripsit. His visis ratio ea» dem quæ ex Luna etiam in mensium pur» gationibus habetur; nam decimestres vo» cant mulieres, cùm nouem menstruis pur» gationibus caruerint; nonimestres, cùm » octo; & septimestres, cùm sex. Si igitur » mulier concipiat in medio mēsis iuxta Lu» næ plenitudinem; habebit in 163. diebus » sex retentiones menstruorum; quare natus » tunc mulieri videbitur septimestris. Si au» tem concipiat post medium mensis, vide» bitur etiam septimestris ante 163. diē: sed » non erit vitalis, quia nō est assecutus per» fectionem pleniluniorum, aut nouilunio» rum, nisi edatur fœtus post dimidium mē» sis, in quo solebat purgationes mulier ha» bere iuxta initium. quare breuissimum » spatium erit, cùm conceptus fuerit in fine » mensis ante purgationem; nam editus post » dimidium mensis sextæ purgationis viuere » poterit, eritq; septimestris 163. dierum: » idem si fuerit conceptus ante mediū men» sis parum, & editus post initium sexti mē» sis. summam tamen perfectionem assequi» tur in dimidio anni; quanquam prius sit » septimestris etiam. & quod dico de septi» mestri, dictum velim de alijs. Hæc ille; quæ omnia superioribus disputationibus non semel negasse visus est; sed apertè de septimestribus agens, vbi docuit partum à die 183. ad 193. genitum posse esse non vitalem, si ante septem confecta interlunia in lucem venerit. scripsit enim. Post sunt » ab ea die vsq; ad 192. cum dimidio, & par» ticula diei; & hi possunt viuere iuxta ra» tionem diei conceptionis; & possunt esse » non vitales etiam, vbi citius geniti sunt, » vt Luna cum Sole non poterit septies con» uenire. Nec tamen hanc idcircò in Cardano notamus hoc loco inconstantiam, modò sex, modò septem nouilunia ad septimestrē constituendum vitalem requirente; supra Hippocratis ostendimus auctoritate, septē nouilunia non esse necessaria ad vitam fœtui tribuendam; quasi octomestres nō posse tot numero habere nouilunia timeamus, quot ad fœtus vitam aliqui putant esse necessaria; nam si etiam illorū sequamur sententiam, qui non nisi septem, aut nouem interlunijs vitalem fœtum nasci arbitrantur; nimirum quia Luna summas habeat in fœtuum auctione, ac maturatione vires; vt si, cum nona crescit Luna, oriantur, vitales omnino in lucem prodeāt; quod & mulieres præsertim opinari audio, asserētes, tunc octauo genitos nasci vitales, cùm nonum nouilunium ingressi fuerint; videbimus hac etiam ratione octomestrem partum vitalem nasci posse: eò quòd dierum

ferè

ferè 236. vel 240. spatio nouem confici interdum queant nouilunia. quod & anno 1597. & sequenti 1598. adhibito calculo à die 17. mensis Martij ad diem 10. Nouembris, & à die 9. Nouembris ad diem 3. Iulij contigisse comperiemus. nouem enim conficiuntur nouilunia, ac in primo exemplo dies tantùm intercedunt 239. in secũdo dies tantùm 237. Sed ad Cardanum redeamus. Itaq; si summa dierum 183. ex Hippocratis decreto potest mensi septimo finem afferre (quod abundè infra ostendemus) quia & dimidium anni continet, & septem interlunia; quo casu septimus mẽsis dies tantùm habebit 20. cum horis nõnullis; iam claret octauum mensem non solùm die 193. vt Cardanus existimauit, sed etiam die 183. incipere posse; proptereaq; suam enumerandorum mensium rationem ab Hippocratica methodo penitus abhorrere. Sequitur autem ex his septimi mensis terminum breuiorem diem esse posse 183. non 193. tantùm, vt Cardanus parum memor Hippocratici consilij arbitratur. præterquâmquòd si octauus mensis tunc incipit vel Cardano indicante cùm labores incipiunt, & ægritudo, ob motum ad exitum factum; quod satis verba ipsius illa monstrant. Et hoc vbi laborauerit infans septimo mense ad exitum; aliter singuli menses habebunt suos terminos. enimuero his causam reddere videtur, cur mensis octauus ante suum terminum, qui illi iuxta integram mensium acceptionem conuenit, incipere posit; si, inquam, hoc verum est, quod Cardanus innuit, infràq; Hippocratẽ sensisse clarè demonstrabimus; sequetur necessariò, post diem 163. contra ipsius Cardani decreta, octauum posse initium habere. cùm enim, vt ipse vult, mensis septimus die 163. incipere posit; tunc verò ad exitum moueri fœtus queat: qui sequuntur dies cuius nam mensis erũt? an septimi? non certè; quia tunc incipiunt labores octomestres, scilicet defatigatio, & ægritudo ex illo motu contracta; quæ, vt omnium communis sententia est, octauo tantùm mense locum habent; cæteroqui ægritudo, ac labor septimo quoq; fierent, quod neq; Cardanus vult, neq; dictis Hippocratis est consentaneum. Præterea modus ab eo allatus, quo probare nititur, dies octauo mensi accedere interdũ à septimo, interdum à nono; & quo octauum modò plures habere dies docet, ita vt 43. esse posint; modò pauciores, vt lõgè pauciores valeant esse, quàm triginta; nullam habet firmitatem. Hoc paucis sic ostendo. exemplum, quo octauum mensem dies à septimo sumere Cardanus mõstrat, tale est, vt supra explicauimus. concipiat mulier ante oppositionem vna die; igitur primus mensis dies habebit 16. octauusq; circiter diem 193. incipiet; cui dies 223. vel circiter finem statuet, vt in tertia Tabula apparet; iam enim tunc octo interlunia confecta sunt, vt tertia eadem Tabula perspicuè monstrat. Quoniam igitur dies supersunt 13. ex septimo, tot octauus ex eo surripiet. item quoniam sequuntur dies post octauum nouilunium, & diem 223. numero tredecim ad oppositionem vsq;; hi poterunt adiungi tàm nono mensi, quàm octauo: itaq; si octauo adijciantur, continebit hic mensis dies circiter 43. Hæc Cardanus sexto Commentario; cuius verba superius allata sunt, nec sunt hoc loco inutiliter repetenda. Verùm quæ amabò necessitas, vt octauo dies illos 13. qui post diem 223. sequuntur, adijciamus? si enim rem ipsam ad veritatis normam reuocemus, adiungi omnino nono mensi debebunt, nisi eum mancum esse velimus, quia die 252. cum nono interlunio mensis nonus concludatur. ceteroqui, cùm vel Cardano teste nouilunium nonum sit, quod mensem nonum ad exitum perducat, finéq; illi constituat; mensis hic nonus diebus tantùm 16. cum dimidio cõstaret, die 236. incipiens, ac die 252. finem habens; cuius rei nulla ex Cardani ratione apparet necessitas. immò cùm vel eo concedente dies illi 13. tàm nono, quàm octauo posint adiungi (quod nos tamen ob allatam causam constanter negamus) sicuti Cardano licet eos octauo adiungere, ita & licebit nobis nono eosdem adijcere. eademq; locum habet difficultas, cùm ex nono accedere octauo mensi dies probare conatur; tametsi enim supponamus conceptionem fieri statim post interluniũ; ita vt die 236. mensis octauus finiatur, vt secunda Tabula demonstrat; nihilominus dies, qui sequũtur post diem 236. nullo modo octauo adiungi posunt; cùm noni sint pars, qui simul cum nono interlunio die 265. cum semisse completur.

Plenius cõputandi ratio Cardani reijcitur. Rursus ex eodem, quot nouilunia singulos partus cõstituant. Tota ipsius exploditur interpretatio. Cap. 25.

QVod aduersus hunc hominem disputamus

tamus, alioqui subtilissimum, omnes in se continere numeros veritatis, illud argumento est; quòd eadem methodo contrarium probare ipse studet nono Commentario; videlicet versa vice septimo, vel nono dies ex octauo accedere: ita vt octauus mensis concisus reddatur, & exiguus. cùm tamen contrariorum contrariæ causæ sint, atq;, vt infra palàm erit, octauus mensis, ac sextus quadragenarius ex Hippocratis sententia concisi nunquam, & breuiores reddi possint; cùm id sit tantùm septimi proprium. siquidem inquit Cardanus citato loco, si concipiatur infans statim post interlunium, finem mensis septimi esse nō solùm diem 206. verùm vsq; ad 220. quia non sunt nisi septem coniunctiones Solis & Lunæ: at è contra Commentario sexto dicebat, si primus mensis incipiat statim post coniunctionem (*incipiet autem, si conceptio fiat post interlunium*) menses septem dies esse 206. cum semisse, & octauum mēsem inde ad dies 236. extendi; ita vt cum incipere velit post diem 206. cum semisse. itaq; si dies sequentes 14 post diem 206. adnumerari septimò possunt, vt primo loco inquit; quo modo ad octauum poterint pertinere, vt sexto Commentario est ab eo definitum? Ita enim eadem supposita causa & longior, & breuior octauus mensis erit. Nutabunda igitur, ac voluntaria Cardani huiusmodi computandi ratio, vt omnibus ex his est compertissimum. Eadem facilitate, quæ de noni mensis initio idem Auctor dicit, respuuntur; videlicet cùm postridie nouilunij facta conceptio fuerit, nonum mensem non ante diem 251. initiū ducere. siquidem vel interlunia mēses voluit absoluere, ac terminare; vel inchoare: ita vt septimum nouilunium septimo mensi, octauum octauo finem imponat, vel afferat principium. si secundum voluit, cùm die 236. non sint nisi octo confecta nouilunia, vt secunda Tabula monstrat; nonus mēsis die 265. cum semisse inciperet simul cum nono interlunio, quod est absurdissimum: cùm illa die omnium consensu nonus Lunaris mensis compleatur. Si primū, nonus mēsis cum nono interlunio die 265. cum semisse ad exitum perducetur; & ex consequenti poterit die tantùm 236. nequaquam die 251. initium ducere. Quòd si cum plenilunijs incipere posse menses, ac terminare arbitratus est; iam hanc suā cōputandi rationem longè reddi infirmiorem vel hac de causa satis constat; quòd græcanici menses à nouilunijs, non à plenilunijs principium, ac finem nanciscantur: præterquàmquòd debuit id clarè ab ipso explicari. Nec alia ad hanc mensium computandorum rationem labefactandam in præsentia addēda censemus; cùm ex his, quæ attulimus, facilè quisq; de omnium veritate, quæ Cardanus dixit, cognoscere valeat, & quantum inter se constent, intelligere. Hoc tamen vnum quod maximi ad superiora comprobanda refert, silentio non inuoluam; Auctorem hunc Contradicentium Medicorum libro primo, tametsi eandem computandi rationem, quam hoc loco instituit, sequi videatur; apertè nihilominus septē nouilunijs octomestrem nasci, vt supra innuebamus, octo nonomestrē voluisse: vt totam illius disputationem huc transferendam operepræcium duxerim, & cum his coniungendam; sic enim & facilius de his, *quæ aduersus illū disputauimus*, poterint legentes iudicare. Sic ergo memorato loco, cùm accepisset die 163. septimestrem oriri posse, & vitalē, postea scribit.

Tract. 3. contr. 8.

» Ex hoc patet, quòd mēsis septimi spatium est à 163. die vsq; ad 207. & sunt 43. nam potest & intra 207. diem nasci octomestris, scilicet post 192. & non ante; quia in 192. possunt cōpleri septem nouilunia, & totidem plenilunia, & non ante. sed benè possunt etiam differri ad 207. diem; & ideo septimestres vsq; ad id temporis nasci possunt. Qui verò 210 pro 207. scripserunt, Hippocratis subtilitatem in hoc, vt nec in alijs plerisq;, sunt assecuti. ex his patet ratio spatij cæterorum mensium; nā octauus potest incipere à 192. die, & finē habere in 236. Verùm vt solùm à 177. ad 192. necessariò septimestri, non alij mensi adnumerari potest: sic à 207. ad 222. necessariò octauo mensi spatium ascribitur. Nam à 192. ad 207. commune esse potest septimo, & octauo mensi; sic vt quandoq; vnius sit, quandoq; alterius, non quòd vnquam possit spatium hoc simul duobus esse commune. Hæc ille; quibus apertè ponit intra diem 207. & post diem 192. nasci posse octomestrem, quia septem nouilunia confici queant; vt nouilunium octauum, secus quàm supra docuerat, nequaquam ad octomestrem constituēdum necessariū ducere videatur. Adhuc quod hic Auctor Cōmentario nono subiungit, Hippocratem verbis illis. » Verùm dies non similiter neq; dicunt, neq; cognoscunt mulieres &c. » contrarium docere ab eo, quod supra dixerat; hoc tàm longè mea quidem sententia aberrat à veritate, vt nihil magis: siquidem

dem diuinus Senex, vt mox infra ostendemus, & cuiq; vel mediocriter erudito orationis Hippocraticæ filum intuenti fit perspicuum; his verbis superiorem omnino sententiam explicat, firmat, ac roborat; docens quo modo intelligendum sit, quod dixerat, octauo dies à septimo, ac nono accedere; de qua re infra pluribus agam: nec vestigium habes in Hippocratis loco vllum, quòd è contra septimo, ac nono ab octauo dies scribat accedere; vt mancus omnino Hippocrates dicendus videatur, si id verum esse existimans silētio inuoluit. Item quod idem addit sexto Commētario, de septimestrium speciebus agens; eos, qui die 206. cum semisse oriuntur, licèt septimestres sint, non tamen esse vitales, aut ægerrimè, quia in sextum quadragenarium incidant; nullam habet firmitatem. siquidem, vt infra suo loco nos ostendemus, sextus quadragenarius illis, qui natura septimestres sunt, nihil officit, nullumq; affert detrimentum; ex quò inter septimestres partum dierum 210. maximè esse vitalem censuit Hippocrates; nosq; supra ex eodem notauimus. Sed neq; & illud prætereundum; in eo, quod inquit dierum incrementum, quod octauo ex septimo accedit, & ex nono, alternatim fieri, ita vt si ex vno non ex alio dies accipiantur, sibi ipsi aduersari; nam & sic scribit, vt supra vidimus. Est autē aduertendum (quod sępè dixi) hanc additionem semper alternatim fieri; vt si ex septimo non ex nono, & si ex nono non ex septimo. Atqui alio loco hac eadem de re ita definit. Tunc octauus mensis incipiet die 198. & finietur circa 240. ergo rursus habebit dies plusquam quadraginta. quorum id quod est vltrà triginta, partem subripit ex septimo, partem ex nono. Item quod ait, qui vltra dies 240. oriuntur, modò sint nonomestres, supraiuere facilè posse; quia nati sunt perfecti mense, & quadragenaria imparibus; non exiguam videtur habere difficultatem. nam die 280. geniti secundū Hippocratem sunt maximè vitales, & nihilominus pari mense, decimo videlicet, tametsi impari quadragenario in lucem veniunt. qui verò vltrà hos dies oriuntur, vitales itidem sunt ex Hippocratis & Aristotelis sententia, & tamen pari mense prodeunt, & quadragenario; videlicet mense currente decimo, & octauo quadragenario: quare Cardani ratio nullius est momenti. Præterea quàm firmum sit, quod ad ostendendum octaui mensis ab ipso anno incrementum, Cardanus excogitauit; adeò facilè lectores iudicabunt, vt locus hic non desideret orationem nostram. Insuper esto Cardanum sequamur in verborum illorum interpretatione, quæ ad vndecimum mensem spectant; erat certè illi afferenda ratio, cur ita voluisse Hippocratem crederet; & connexio huius sententiæ cum superiori ostendenda. quod postremò toti illius disputationi putamus obijciendum; qua recepta (vt satis constat) nullā illarum difficultatum, quas initio proposuimus Hippocraticam legentibus occurrere orationem, nedum tolli videmus, sed neq; etiam leuiter conuelli. Verùm Cardani explosa interpretatione, Lalamantium audiamus.

Prima Ta-

Prima Tabula, in qua ſupponitur conceptionem factam eſſe Plenilunij tēpore; ideoq; primū mēſem dies tantū 14. hor. 18. m. 40. habere.

Menſes	Mēſiū Dies,	Hor.	M.	Menſium ☍	& ☌	D. coll.	H.	M.
1	14	18	40	☍	☌	14	18	40
2	29	12	0	☍	☌	44	6	40
3	29	12	0	☍	☌	73	18	40
4	29	12	0	☍	☌	103	6	40
5	29	12	0	☍	☌	132	18	40
6	29	12	0	☍	☌	162	6	40
7	29	12	0	☍	☌	191	18	40
8	29	12	0	☍	☌	221	6	40
9	29	12	0	☍	☌	250	18	40
10	29	12	0	☍	☌	280	6	40
11	29	12	0	☍	☌	309	18	40

Secunda Tabula primum menſem integrum habens, in qua ſupponitur conceptio facta in interlunio.

Menſes	Mēſiū Dies.	& Hor.	Menſium	☍	& ☌	Dies collecti	& horę
1	29	12	☌	☍	☌	29	12
2	29	12		☍	☌	59	0
3	29	12		☍	☌	88	12
4	29	12		☍	☌	118	0
5	29	12		☍	☌	147	12
6	29	12		☍	☌	177	0
7	29	12		☍	☌	206	12
8	29	12		☍	☌	236	0
9	29	12		☍	☌	265	12
10	29	12		☍	☌	295	0
11	29	12		☍	☌	324	12

Tertia Tabula primum mensem dierum 16. habens, vtpotè in qua supponitur conceptio facta pridie Plenilunij.

Menses	Mēsiū Dies, & Hor.		Mensium ☍ & ♂		Dies collecti & horę	
1	16	0	☍	♂	16	0
2	29	12	☍	♂	45	12
3	29	12	☍	♂	75	0
4	29	12	☍	♂	104	12
5	29	12	☍	♂	134	0
6	29	12	☍	♂	163	12
7	29	12	☍	♂	193	0
8	29	12	☍	♂	222	12
9	29	12	☍	♂	252	0
10	29	12	☍	♂	281	12
11	29	12	☍	♂	311	0

Quarta Tabula continens exemplū, & supputationē Hippocraticā; ideoq; de primo mēse habens tātū dies 15. de septimo dies 20. & partē quotā .s. hor. 3 & quinq; intermedios mēses integros .s. dies 141. hor. 12.

Menses	Mēsiū Dies. & Hor.		Mensium ☍ & ♂		Dies collecti & horę	
1	15	0	☍	♂	15	0
2	29	12	☍	♂	44	12
3	29	12	☍	♂	74	0
4	29	12	☍	♂	103	12
5	29	12	☍	♂	133	0
6	29	12	☍	♂	162	12
7	20	3	☍		182	15

Affertur Lalamantij interpretatio, Cap. 26.

IOannes Lalamantius vir eruditus, qui in plerisq; alijs Opusculi de Septimestri Partu locis explicādis mirificis modis se contorquet; hunc vnum adeò plane accipit, mente adeò quieta, ac tranquilla, adeò ab omni semota dubitatione; vt arbitrari videatur, nil in se difficultatis Hippocratis hæc verba continere: cùm alioquin omnibus sit conspicuum, inter cuncta tāti Viri obscura loca primas huic meritò deberi. Inquit ergo hic Auctor, nos ex hac Hippocratis oratione discere, octauum mensem tripliciter vsurpari. Primùm pro menstruo Lunæ tempore, quod est dierum 29. cum semisse; quo pacto octauus mensis die 236. completur. Secundò pro tempore dierum quadraginta, vt dies mutuatitij decem ad prædictum dierum menstrui mensis numerum vel anterius anticipando, vel posterius tardando accedāt: anticipare autem, ac de fine septimi anterius dies decem (vt quadraginta in totum capiat) mutuari; quoties mulier Luna crescente, hemisphærium nostrum conscendēte, inferiorem epycicli partem perreptāte, idq; in signo mobili concepit: tardare verò, & de noni mensis initio dies totidem posterius mutuari, & vsurpare; quoties mulier concepit Luna decrescente ab hemisphærio abscedente, superiorem epycicli partem perambulante, & in signo fixo existente. Hæc Lalamantius; qui etiā rem totam sic exemplo illustrat. Concipiat mulier die 15. Martij; hinc octauus mensis die 207. initium sumet, videlicet die octaua Octobris, septimo mense Lunari confecto; desinet die quinta Nouēbris, videlicet à conceptu die 236. quæ summa octo Lunares menses exactos continet. Anticipando igitur à suo initio, quod euenit, cùm priores causæ locum habent; videlicet à die 207. à conceptu & ab octauo octobris (per hypotesim supra positam) anterius retrogredietur ad diem 197. diebus decem maturius incipiens; quod est die 28. Septembris, ac vt Lalamantio placet, die 236. exitum expediet: siquidem hoc pacto ipse testatur. Anterius (inquit) retrogredietur ad centesimum nonagesimum septimum, siue in 28. Septembris; ac inde inchoans die 236. terminabitur. At si tardius per dies totidem fuerit ipsius principium, die 217. inchoabit. quod sic idem Auctor exprimit. Tardando verò ab octaua Octobris, seu die 207. ad decimum quintum Nouembris, numerum scilicet 217. retrolabetur. Sic ergo videmus, quo modo recepta Lalamantij explicatione octauo mensi dies aliquando decem è septimo accedent; cùm scilicet die 197. incipit, inde ad quadraginta dies finem habens, scilicet die 236. aliquando verò è nono; cùm 217. die incipiens ad diē vsq; 246. extenditur videlicet ad diem decimam noni Lunaris mensis. Demum tertiò sumi, & vsurpari octauum mensem addit Lalamantius pro duodecima anni Solaris parte; vt hac etiam ratione ab anno aliquid ipsi accedere scripserit Hippocrates. Vnde non δέκα, vt Caluus, non ἕνδεκα, vt Cornarius cum vulgato consentiens græco exemplari, sed δώδεκα legendū censet; atq; hoc sensu verba interpretatur. Et id est, quod hoc loco dicere mihi videtur Hippocrates, cùm dicit. κατ' ἐμὲ καὶ τὸ μέρος ἐν τοῖς δώδεκα, & c. quasi dicat. octauus mensis præter alios modos è duodecim partibus, seu mensibus, quibus annus integratur, pars etiam vna est. sed cùm hic modus paulò primum modum excedat; fit, vt octauus mēsis tertio hoc significatu acceptus, haud ita sit dignus memoratu, quin silentio possit præteriri. Sanè accessio illa, quæ octauo mēsi ab anno accedit, vnius tantùm diei est, & minutorum ferè 30. id, quod comperies, si anni summam, dies dico 365. & hor. sex, in duodecim diuiseris. Nam sic deprehendes vnumquemq; mensem dierum 30. esse, & horarum ferè 10. Itaq; horis ferè 34. siue die vno, & hor. 10. mensis octauus tertio suo significatu excedit se ipsum primo significatu acceptum; nempè pro menstruo Lunæ tempore, quod dierum 29. & dimidij esse ante diximus. Hanc igitur veram esse huius loci interpretationem arbitratur Lalamantius, vt Hippocrates hanc numeri dierum octaui mensis diuersam computādi rationē doceat; quam cùm matronæ neq; teneant, neq; in computationē, si quando opus est, adducant; falli plerunq; eas subiūgere Hippocratē inquit; cùm dolores, qui octauo mēse solent prehendere, anticipantes per dies circiter decem, ad septimum pertinere, tardātes per tot dies, ad nonum falsò iudicent: quanquam nullā alioqui habeat dubitationem, quin partus indicationes in octauo mēse omnium sententia sint difficiles; cùm omnes vno ore scribant, octomestres minimè vitales esse. Verùm de huius viri opinione satis; nunc eam ad veritatis lancem appendamus.

Sch. 6.

Lalamantij redarguitur interpretatio.
Cap. 27.

PRimùm igitur dubitationem habet, quod tanquam firmum, ratumq; accipit Lalamantius; octauum mensem è sua (vt ita loquar) sede nunquam remoueri; verùm dies tantùm decem, qui ipsi desunt ad quadraginta, vltrà, citràq; modò è septimo accipere, modò ex nono: quo pacto septimum, ac octauum duplicem terminum habere oportet; ac septimũ quidem die 197. & die 207. octauum die 236. & die 246. Enimuero primùm Hippocrates, vt infra planum erit, videtur voluisse, post diem 183. octauum mensem, ac labores octomestres incipere posse; ideoq; octauum mensem nõ semper firmam habere sedem. deinde, vt hoc interim dimittamus, inquit hoc loco, plures dies ad 40. octauo è septimo accedere, vel à nono; non inquit omnes: itaq;, etiam si cõcedamus firmam esse octaui mẽsis sedem, scilicet dierum 29. cum semisse; non totos tamen dies decem ad 40. explẽdos, sed ex illis plures debet octauus iuxta Hippocratis verba modò ex septimo, modò ex nono accipere. Quòd si alio sensu, qui Hippocraticæ orationi longè videtur accommodatior, verba accipiamus; videlicet octauo plures dies ad quadraginta ex septimo, vel nono accedere; quia non decem tantùm, sed plures etiam, quin & maiorem quadraginta dierum partem modò ex septimo, modò ex nono sumere valeat; iam satis elucet, Lalamantij explicationem omnino nutare. Præterea rationes allatæ pro ocyore initio, vel tardiore parum cogere videntur; siquidem non agentis externæ tantùm causæ rationem habere oportet, verùm etiam & internæ, & materialis. esto enim vt concedamus illi, crescentem Lunam, in perigeo epycicli existentem & c. quantum est meritò sui partum reddere maturiorem; poterit tamen materia, poterunt menstrua, poterit formatrix virtus adeò agenti causæ externæ repugnare, vt longissimum maturitatis, gestationisq; limitem habeat editio: at Hippocrates necesse esse ita euenire scribit pro mensis temporisq; ratione, in quibus facta conceptio fuerit; igitur & semper, & omnibus mulieribus id voluit euenire: vt missum faciam, si lumine aucta Luna humiditates auget; proindeq;, vt multorum opinio est, longè maiorem copiam menstruorum per id temporis excitat, partemq; illorum humidam mirificè crescere facit; contingere præterea posse, vt aucta frigiditate menstruorum, & humiditate præter modum, longè tardior formatio, gestatioq; reddatur. Adhuc verborum illorum. tùm mense, tùm tempore. interpretationem recepta Lalamantij explicatione non habemus. Satis enim erat alterum posuisse; cùm tamen Hippocrates nil redundans, ac superuacaneum; nil sine magna causa; nil quod summam non habeat necessitatem apponere soleat, ac proferre. Item, vt efficacius vrgeam; si Luna crescens lumine & c. celeriorem potest reddere gestationem; ita vt mensis septimus die 197. finem habeat, octauus inde initium ducat; cur nõ poterit etiam ocyorem adhuc die 197. eam facere? huius .n. rei causa reddenda erat Lalamantio, vt legentis animum quietum redderet. atqui Hippocrates voluisse videtur die 182. cum semisse septimum terminari mensem posse, & spatium septimestre; non igitur de illius sententia dies tantùm decem ad quadraginta de septimo sumentur, verùm etiã & plures. Ad hæc si dies decem octauus ad quadraginta ex nono accipit; necessariò finem habet die 246. siquidem octaui finis dies est 236. itaq; si ex nono decem adijciantur; quadraginta dies, qui pro octauo sumuntur, die 246. finientur. at hoc posito, nullo modo octauus mẽsis die 217. incipere poterit; quod tamen Auctor satis clarè ponit euenire, cùm dies decem ex nono accipit. Etenim hoc pacto dierum tãtùm esset 29. cum semisse non dierum 40. octauus mensis, finem habens decima die noni mensis, ac die, vt diximus, 246. Quòd si dies 40. à die 217. voluit numerari; tunc longè maiores difficultates oriuntur: quoniam ad diem 256. vsq; extendi sic posse octauus mensis videatur; proindeq; 20. etiam dies de nono capere contra eiusdem Auctoris positionem. Adhuc considerãdum est, cùm hic Auctor dicit, octauum mensem anticipare, & de septimo dies decem accipere; an ipsum septimum velit sic mutilatum remanere: quod idem, cùm tardare octauum inquit, locum habet in nono. Hoc enim si fiat, & cur ita fiat; cur hi duo menses concisi, ac mutili in gestatione remanere possint; non alij, non sextus, non quartus, nõ decimus, erat illi omnino explicandum. Itẽ Hippocrates causam, cur modò ex septimo, modò ex nono dies octauo accedant, hanc videtur innuere; quòd pro mense, & tempore variè mulier concipiat: quare ex his fontibus, non

ex Cœlo est nobis ipsa causa haurienda. Demum quòd vulgata lectio sine maxima necessitate immutetur, nullo modo ferendum est; hoc enim pacto facilè nos omni molestia expediemus. præterquàmquòd non dicit Hippocrates, mensem octauum è duodecim, siue ex vndecim mensibus, vel partibus vnam esse partē, vel mensem; quoniam nulla ibi de octauo mentio est, sed dicit, partem in vndecim mensibus, siue in vndecimo mense terminantem videlicet, ac finientem, mensem esse; mensem inquam, vt nos credimus, & Cardanus acutè vidit, gestationi, ac partioni idoneum; quod planius infra demonstrabimus. Itaq; huiusmodi explicatio (etiam si δώδεκα legamus) ad locum hunc minimè quadrat. Vna tantùm in re virum hunc eruditissimum (cuius scripta, & labores non mediocriter admiramur) scopum nostra sententia attigisse credimus, ingenuèq; fatemur; vbi scilicet de incremento agit, quod ab anno octauus mensis mutuatur; cuius quidem rei causas nos tradемus infra longè pleniores. quanquam & dum asserit, octauum mensem pro duodecima anni parte acceptum (quo modo diebus constat 30. hor. ferè 10.) se ipsum primo significatu sumptum hor. ferè 34. excedere; item quam habet accessionem ab anno, vnius tantùm diei esse, & minut. ferè 30. hoc non videtur esse verum; cùm siue accessionem ab anno consideremus, siue superationem; vtraq; hor. 22. tantùm ac paulò amplius esse comperiatur. Nam tot additæ diebus 29. hor. 12. constituunt dies 30. hor. 10. vt cuiq; est manifestum: quæ summa, si illi adijciamus minut. 30. anni partem duodecimam exactè conficit. Ac de Cardani, Lalamātijq; interpretationibus disputatum est; nostram deinceps persequamur; nam Ferdinandi explicationem commodius post nostrā expositā opinionem ventilabimus.

Propria adducitur opinio. ac primùm tria capita ad veram Hippocratis mentem assequendam cognitu necessaria præmittuntur.
Cap. 28.

TAmetsi mihi hac in re valde obscura satis esse deberet, quæ legi apud probatos Auctores recensere; vt tamen pro ingenij mei tenuitate, quoquo modo possim, studiosis consulisse videar; explicatione mea (qualiscunq; tandem sit) nequaquam duxi supersedendum: rectè, an perperam dicam, Lectores iudicabunt. Verùm vt veram Hippocratis mētem attingamus, capita quædam repetenda prius memoria sunt ex illis excerpta, quæ præcedenti libro vberrimè (nisi fallor) à me disputata, ac exposita fuerunt, dum alterum Hippocratis illud difficillimum explicarem, quo modo verum sit, tàm decimestres partus quàm vndecimestres septem quadragenarijs conformari: quæ profectò rectè intellecta ingentem huic loco lucem accendunt; vt propterea cogamur illa in præsētia repetere. Sunt autem hæc numero decem, quorum alterum ferè ab altero pendet, ac ortum habet. Primum caput est, fœtuum alios esse decimestres; alios septimestres; & ex decimestribus, ac septimestribus alios demum tardius, alios ocyus ad maturitatem peruenire pro ratione quantitatis, qualitatisq; menstruorum, & materiæ, ex quibus conformantur; item pro agentis virtutis ad materiam ipsam proportione. Etenim sicuti diuinus Vir quarto de Animalium Ortu docet moderatione, proportioneq; ad marem potius quàm ad fœminam gignendam, & è contra, demum ad conceptum simpliciter efficiendum opus esse quadam inter materiam, & agentem; qua sublata opus perfici nequit; ex quò & multis tùm maribus, tùm fœminis euenit, vt coniuncti inter se nequeant generare, vel mares tantùm, vel fœminas tantùm, disiuncti queant: ita & in partu septimestri, octomestri, nonomestri, decimestriq; gignendo; demum in ocyori, tardioriq; partu enitendo contingere necesse est. vt meritò apud Plinium libro septimo Vestilia ex alio atq; alio viro, Herdicio scilicet, Pomponio, & Orfito partus diuerso tempore maturescentes enixa sit; Sempronium & Corbulonem septimo, Cæsoniam, quæ postea Caij Principis vxor fuit, octauo, Suillum Rufum vndecimo. Secundum caput est, quod ex priori sequitur, septimestres ex calidioribus, humidioribusq; menstruis conformari, demum ex concoctioribus, vbi talia menstrua formatricem virtutem, opificemq; proportione respondentem nacta fuerint. Cùm enim partus discretio, atq; maturitas nil sit aliud secundum Aristotelem, quàm concoctio quædam, vt tertio ac septimo libro diximus; partum illum citius perfici necesse est, breuioremq; maturitatis limitem natura sua requirere; qui ex materia huiusmodi constabit, quæ facilius, citiusq; posit conformari, ac superari ab agente. atqui talem sua natura

Cap. 2.

Cap. 5.

tura calidiorem esse oportere, & humidiorem necesse est, vt tertio libro ex Auerroe probauimus; siquidem menstruum, quod frigiditate præstat, & cruditate; longiori tempore superatur ab agente ob maiorem contrarij pugnam, & resistentiam, difficiliusq; concoquitur: de qua re satis suo loco. Fit enim vt quatenus humidior materia huiusmodi est, facilius citiusq; terminetur, ac formetur; quatenus calida magis, & concocta; facilius itidem, ac citius superetur, ac discernatur. Tertium caput est, quod sequitur ex secundo, fœminas illas, quæ ad septimestres gignendos aptæ sunt, concocta magis menstrua emittẽtes, longè pauciora ipsa emittere: etenim, vt acutè quarto libro de Animaliũ Ortu docet Præceptor, minus sanguinis & sincerius fit in corpore alimenti melioris, & habitus. atqui huiusmodi fœminas calidioris esse temperamenti necesse est, vt concoquere sanguineam materiam magis propterea possint, ac in sui corporis alimentum absumere; proindeq; melioris esse habitus, & alimenti. Qua in re admirandum naturæ artificium animaduertere licet; veluti quæ septimestres partus, alioqui ob tẽporis breuitatem, in quo maturescũt, valde imbecillos, ex puriori quodammodo, ac vitaliori sanguine oriri statuit; vt breuitatem temporis materiæ perfectione, ex qua formantur, compensaret. Nec tamen id cogit nos, vt fateamur, septimestres esse decimestribus perfectiores, vt præcedenti libro abundè exposuimus, item & libro tertio.

Cap. 1.

Septem alia ponuntur capita ad huius loci interpretationem necessaria.

Cap. 29.

QVartum caput est, huiusmodi talibus per dies pauciores menstrua fluere; ita vt vix tertiam diem attingãt; cùm alioqui alijs, quæ ad nonomestres, decimestresq; producendos aptæ sunt, ex Hippocratis decreto diebus etiam decem, iuxta Sacræ Scripturæ veritatem ad 14. vsq; fluere possint; quia copia longè vberiori mẽstruorum abundent. Quintum; mulieri ex Hippocratis sententia tempus ad concipiendum dandum esse penes fluxus mẽstruorum proportionem. Sextum; eiusdem Hippocratis auctoritate ab apparitione menstruorum tempus gestationis esse computandum; quoniam vel desinentibus tantùm illis, vel incipientibus mulieres concipere possint; licèt commodissimè cùm deficiunt: vt meritò menstruis incipientibus, cùm primùm scilicet potest fieri cõceptio, computationis ratio incipere debeat. Septimum; ex Hippocratis, Aristotelisq; sententia menstrua naturaliter mulieribus interlunij tempore, ac paulò ante, vel post, apparere, & decrescente mense, idest lumine deficiente, vt præcedenti libro abũdè probauimus. Cùm enim in illa mensis parte animalium corpora frigidiora sint, & humidiora; eò quòd continens aer talis efficitur, vt Præceptor pulchrè admonuit: efficitur autem talis tunc propter Lunaris luminis defectum; iurè euenit, vt copia maior incõcocti sanguinis in mulieris corpore gignatur, frigidaq; & humida in ea materia excrescat, ob aerisq; & temporis consensionem augeatur, & excitetur; tùm etiam quia minus possit mulier ob caloris inopiam per id temporis sanguineam materiam concoquere. Neq; enim adeò validus est calor mulieris venis insitus, quatenus ad hanc rem pertinet, vt ob antiperistasim valentior possit reddi; quin potius propter aeris aduersum temperamentũ præ sua imbecillitate redditur impotentior. continens enim aer, vt illustrissima sententia in Opusculo de Longitudine, & Breuitate Vitæ docet Aristoteles, aut cooperatur, aut contra operatur. ex quò & Problematum quarta sectione idem admonuit, mulieres æstate ad concumbendum magis valere, quia illarum frigida natura æstatis calore foueatur: vt hyeme è contra minus id facere propterea possint, quia nimia temporis frigiditate earum natura lædatur. Octauum caput est, menstrua mulieribus, quæ septimestres producere possunt, non solùm interlunio, verùm etiã & plenilunio excitari, immò etiam & magis propter temperamenti aeris consensionem; ita vt breuissimo tamen tempore illis fluant scilicet diebus tribus, vt quarto capite acceptum fuit. Vocari enim irritariq; plenilunio quoq; menstruas fluxiones mulieribus pro fluentis sanguinis temperatura Vallesius in Sacra Philosophia præter cæteros perbellè animaduertit. Nonũ; conceptionis tempora ob expositas causas vel interluninm esse, vel plenilunium, ac circiter; tametsi alia ratione nonomestres ac decimestres, vt septimo libro dictum est, alia septimestres in his temporum articulis concipiantur. Item tempora illa mensis, plenilunium scilicet ac interlunium, nõ solùm necessaria esse ad gignendos septime-

Cap. 2.

Probl. 26. 29.

Cap. 71.

timestres, quia conceptio tunc tantùm effici possit, cùm menstrua fluere incipiunt, vel desinunt: huiusmodi verò mulieribus circa interlunium tantùm, ac plenilunium fluant; sed & præterea aptissima esse, quia mulierum insitus calor interlunio, licèt generaliter imbecillus sit, tamen quoniã huiusmodi mulieres longè sunt calidiores, potest aliquo modo per antiperistasim augeri: ita vt menstrua ob eandem causam reddantur etiam calidiora; genituræ verò calor, quia robustissimus itidem sit, & proportione menstruis respondens, ob antiperistasim etiam longè valentior fieri possit: qua in re diligenter illud animo versandũ, quod quarto de Animalium Ortu concinnè notat Aristoteles ipsa nixus experientia, quodq; iam pridem sexto libro animaduersum fuit; minimo videlicet momẽto causam dari caliditatis & frigiditatis, ex his verò causam generationis: vt ad maris, vel fœminæ pecoris fœturam Pastores asserant non solùm interesse, si initus fiat Aquilonijs flatibus, vel Austrinis; sed etiam si, cùm pecus coit, spectat ad Aquilonem, vel Austrum: vt non sit dissonum à ratione mensis tempus, ac temperamentum vel leuissima sui mutatione nõ solùm ad conceptionem ipsam simpliciter, vel ad sexus varietatem, sed ad septimestres gignendos, vel nonomestres posse conferre: ex quò & interlunium ob expositam causã pro vario formatricis virtutis, ac mẽstruorum habitu aptissimum esse dicimus. plenilunium verò aptissimum itidem est; quoniam tunc menstruorum & genituræ calor ambientis calore foueatur, ac roboretur propter consensionem; non secus ac vere, tempore scilicet calido calorem insitũ ventriculi ad coquendum magnas habere vires primo secto Aphorismorum ex Hippocratis, Galeniq; sententia in explicatione Aphorismi illius difficillimi mõstrabimus, si Deus annuerit, quarto libro de Hippocratica Anni Ratione. Decimum, ac postremum caput est, septimestres potius incipientibus menstruis, quàm desinẽtibus gigni; & ratio est, quoniam mulieres, quæ septimestres pariunt, vt supra tertio capite dictum est, paucum habent sanguinem. Itaq; desinentibus menstruis timendum est, ne concipere valeant, quia genituræ tunc alimentum facilè deesse possit: vt rectissimè, cùm hi partus incipientibus mẽstruis potissimũ cõcipiãtur, nouilunio auctẽ, vel plenilunio incipiãt mẽstrua cõmoueri, à Plinio libro septimo Naturalis Historię scriptum videatur, & pulchrè; septimo non nisi pridie posteroue plenilunij die, aut interlunio conceptos nasci; quẽadmodum præcedenti libro animaduertimus.

Cap. 2.

Aph. 31.

Cap. 5.

Scopus Hippocratis in Opusculis de Septimestri, & Octomestri Partu, & nexus totius disputationis proponitur explicandus.
Cap. 30.

DEcem his acceptis capitibus, atq; ad memoriam reuocatis, quoniam lõgè omnium locus est difficillimus; vt quid hoc suo ex septimo, & nono mense ad octauum dierum incremẽto voluerit diuinus Senex, clarius pernotescat; totius præterea in Opusculis de Septimestri, & Octomestri Partu disputationis scopus, & nexus, quoad eius fieri breuius poterit, est nobis aperiendus. Hoc enim explicato, & quæ superius disputata sunt de tribus quadragenarijs, atq; de ægrotatione, quæ octauo mense fœtum inuadit, mirificè cõprobabuntur; & qua ductus Hippocrates ratione scripserit dies octauo mensi, vel ex septimo, vel ex nono accedere posse, planius constabit. Satis accuratè considerãtibus perspicuum est, omnem in his libellis disputãdi prouinciam octomestris partus causa ab Hippocrate esse susceptam; nempe vt ab eo quid sit ægrotatio ipsa sexto quadragenario, & octauo mense fœtum vexans, quasuè habeat causas, explicaretur; idq; totum eiusdem Hippocratis verbis manifestè probatur, hoc ipsum in Opusculo de Partu Septimestri perspicuè sic asserentis. Alter quadragenarius est, in » quo circa octauum mensem fœcus in vtero » ægrotant; de quibus hic totus sermo in- » stitutus est. Si enim hic totus sermo est de » fœtibus circa octauum mensem ægrotantibus institutus; certè in Tractatu, quem vocamus de Partu Septimestri vel Hippocrate teste de octomestribus agitur; illorũq; gratia omnis instituitur disputatio. vt propterea hinc colligamus, maximè vero esse consentaneum, quod ex Clemente Alexãdrino elicimus huiusmodi libellos Polybo tribuente (quod & Plutarchus, & Galenus fecisse videntur, ea causa permoti, quia fortasse ipsos à Magistro acceptos diuulgauerit) videlicet vetustiori ætate inscriptionem de octomestribus fuisse etiam libello communem, qui nunc inscribitur de Partu Septimestri; siquidem sexto Stromaton sic habet Clemens. Aiunt autem fœ- » tum

" tum quoq; perfectè absolui mense sexto ;
" hoc est centum & octoginta duobus die-
" bus, & dimidio ; vt scribit Polybus quidē
" medicus in libro de Octomestribus. quæ profectò auctoritas cùm initio eius libelli habeatur, qui nunc de Septimestri Partu inscribitur ; latissimè probat Clementis ętate libellum hunc ab alio non fuisse diuisum ; neq; Hippocratem, vel Polybum eos seiunxisse ; sed vniuersam tractationem de octomestribus fuisse inscriptam: adeò vt in hoc Opusculo , tametsi inscriptio sit nostris temporibus de Partu Septimestri, scopus omnino sit de octomestri pertractare. Hoc igitur & ita esse, & omnes in se numeros continere veritatis, facilè quisq; videbit, qui & scopum, & nexum animo versabitur Hippocraticæ totius disputationis. explicaturus enim Hippocrates octomestrium ægrotationem, ægrotationisq; causas ; & quo primùm tempore hæc ipsa ægrotatio posit incipere, quouè finem habere: & ex consequenti explicaturus naturam octaui mensis, & sexti quadragenarij; vidit vir acutissimus sibi esse necessarium, vt antea terminum spatij septimestris constitueret, huiusq; mensis naturam aperiret ; vt docens quo primùm termino spatium hoc septimestre, mensisq; septimus finire posset ; simul etiam & necessariò doceret, quando incipere posset octauus mēsis; laboresq; simul & ægrotatio octomestris, & sextus quadragenarius. Hinc necessitas tractationis elucet de partu septimestri; quam cùm pleriq; non animaduerterent, Senem sapientissimum de hoc partu sermonem per se instituisse, non in gratiam octomestris falsò existimarunt. Hinc patet, cur tanta diligentia (quod & libro præcedenti innuebamus) sumpserit probandum, septimestres partus die 183. gigni posse ; adeò vt hic sit naturaliter primus terminus, in quo vitalis hic partus exire queat. Id enim fecit, vt primum septimestris spatij limitem nobis præfigeret : quādoquidem hoc constituto termino tāquam primo, & breuiore spatij septimestris, simul etiam habebatur necessario, vt planius infra elucebit, octauum mensem hoc peracto spatio incipere posse ; proindeq; labores, ægrotationemq; octomestré initium inde posse habere : quod in eius scriptis adhuc video animaduertisse neminem. Sumpsit autem diuinè in hac explicanda computatione de primo mense dies quindecim, vt doceret septimestris partus conceptionem, quemadmodum libro superiore dicebamus, & octauo nonoq; capite accepimus ex decem supra allatis, circa plenilunium fieri naturæ lege ; item vt doceret, fieri paulò ante plenilunium, & sic menstruis incipientibus ; cuius rei causa tùm libro septimo, tùm supra decimo capite exposita fuit. Dies enim quindecim ab eo acceptos de primo mense, si retrocedendo supputabimus ; comperiemus, die 14. primi mensis terminare, proindeq; ante plenilunium. Poterat certè sumere etiam nouilunium, & sic totum integrum primum mensem computare ; quoniam etiā nouilunio septimestres gigni possunt, vt locis memoratis fuit explicatum; verùm id illi non erat commodum ad demonstrādum, in hac computatione maiorem etiā de septimo mense partem nō solùm de primo accipi; ideoq; partum die 183. genitū sine vlla dubitatione esse septimestrem : qua de re libro septimo dictum fuit diligenter. at nouilunio non recepto, neq; primo mense integro, necessariò erat illi plenilunium accipiendum; quoniam intermedijs diebus, si naturæ retineatur ordo, nulla septimestris partus ob allatas & paulò supra, & libro septimo rationes, potest fieri generatio. Sed & fidei nostræ liberādæ gratia, tertiam, cur de primo mense dies 15. de septimo 20. sumat Hippocrates, hoc loco causam adiungamus; nam eā, quam paulò supra adduximus à septimestrium natura ductam, secundam esse superiore libro dicebamus, tertiam octauo hoc libro nos allaturos esse affirmantes. Hanc igitur talem esse arbitramur ; cùm enim Hippocrates die 183. incipere posse octauum mensem existimauerit, vt mox pluribus aperiam ; videns, si à primo mensis die calculum duceret, fore vt sextus quadragenarius, octauusq; mensis iuxta integrorū mensium supputationem ante integrum octauum tricenarium finem haberet ; vt hāc plagam effugeret, vt clarius firmiusq; octaui iuxta integrorum mensium supputationem accepti, infelicitatem ostenderet ; in hac computatione dies 15. de primo mense, 20. de septimo iussit esse sumendos. quo recepto calculo octauus etiam secundum integrorum mensium supputationem acceptus semper infelix habetur, quia semper totus à sexto capitur quadragenario. quod tamen, vt septimo libro vidimus, exempli loco posuit, & quia sic facilius probari intentum videbat ; nō quòd semper sic esse computandum existimaret. si enim à die 20. septimi mensis calculum

die-

dierum quadraginta subducamus, totum octauum mensem (vt palàm est) videbimus dies 40. comprehendere; additis enim diebus decem mēsi septimo, supersunt ex dierum quadraginta summa adhuc triginta, qui octauum constituūt & totum comprehendunt; quare hic fœtus non ante præteritum octauum, & sic non nisi noni initio incolumis, & vitalis exire poterit.

Cur diem 183. terminum septimestrium posuerit Hippocrates. Nexus primæ partis Opusculorum de Septimestri, & Octomestri Partu explicatur.

Cap. 31.

PRimo igitur constituto termino spatij septimestris, statim Vir sapiētissimus, vt huius rei causam doceat; vt aperiat hos partus hoc dierum genitos interuallo esse vitales; & cur tanto peracto spatio vitales exire queant; nos admonet, cùm ad huiusmodi spatium fœtus peruenerit, ad perfectionis principium peruenire. Enimuero cùm primùm perfectionis principiū fœtus obtinet, rationi consentaneum esse, vt vitalis in lucem prodire possit, nemo est qui non videat; qua de re satis libro septimo dictum fuit. at die 183. ad principiū perfectionis primò potest peruenire; igit dies 183. primus terminus est fętus vitalis. Hoc posito, de his ipsis partub9 aggreditur ostendēdum, vt erat illi necessarium, si quo modo vitales sint, docere vellet, ac sufficienter illorum naturam aperire; cur ex his, qui die 183. oriuntur, plures pereant; item cur tamen aliqui superstites fiant. de quibus itidem duobus capitibus abundè libro memorato ex eo est disputatum. semper enim intelligit (nisi me fallo) Hippocrates de partu illo septimestri, quem dimidio anno, dieq; 183. accepit exire in lucem. Cùm igitur hæc de his septimestribus docuisset, atq; inter explicandas causas, cur tamen aliqui seruentur, hanc vnam recensuisset; quòd prius ex vtero egrediuntur, quàm in ægrotationem labātur, quæ octauo statim mense illos erat inuasura; addidissetq;, si his laboribus & ęgrotatione capiantur (intelligens his verbis non solùm de his, qui die 183. maturescunt, sed de illis etiam, vt mox dicturi sumus, qui hoc ipso tempore maturitatis principium recipientes ad plenæ vsq; maturitatis tempus debent in vtero manere) tuncq; in conspicuum prodeant, impossibile esse, vt superuiuant; idq; ipsum esse, quod octauo mense prodeuntes perimit; immò etiam & eorum multos, qui post hos exantlatos labores, & ægrotationem decimo mense oriuntur: cùm, inquam, hæc dixisset; sicq; lectorem ad ipsos labores octomestres (quod illi propositum erat) & ad ipsam ægrotationem considerandam in suæ disputationis vestibulo perduxisset; statim quæ sit ista ægrotatio, & qua de causa contingat, aggreditur docendum; atq; sic orditur disputationem. Cæterum multi fœ- » tus septimestris ætatis & c.: quorum ver- » borum sententia iam satis superq; à nobis superius exposita fuit. Dicit autem maximo artificio ἐν αὐτῇ τῇ ἡλικίῃ τῇ ἑπταμήνῳ, » idest in ipsa ætate septimestri, vt doceat » post diem 183. ad septimi vsq; finem singulis diebus, qui sequuntur, proindeq; in tota, dum vertitur, ætate septimestri, quēadmodum etiam superius monuimus, hos labores, & ægrotationem incipere posse. dicit rursus, primos quadraginta dies fœtum laborare, vt ostendat sextum quadragenarium, & octauum mensem statim his contingentibus ortum ducere: primorum quadraginta dierum nomine, siue (quod in idem redit) nomine primi quadragenarij octauum mensem, & sextum quadragenarium intelligens, vt supra explicauimus. quod quidem perspicuè ostendit, quàm rectè, quàm ad Hippocratis mentem ætatem septimestrem, ac mensem septimum confectum septimum simul cum Aristotele interpretati simus; adeò vt membranarum diruptio, ac reliqua omnia, quæ ægrotationem dictam gignunt, octauo fieri percurrente colligantur: quod & sensisse Hippocratem rursus infra demonstrabimus. Iam verò tempore allato, in quo hæc ipsa incipit ægrotatio; ac simul etiam causis explicatis ipsius ægrotationis; ea verba subiūgit, quæ nunc explicamus; atq; inquit. Aiunt autem (scilicet mulieres) & octonos » menses difficillimè vteros ferre rectè dicē- » tes. Est autem octauus mensis non solùm » hoc tempus, sed & dies accedunt à septi- » mo & c. quorum sanè verborum, superio- » ribus intellectis, & nexus perspicuus est, & ipsa necessitas. Cùm enim Vir sapientissimus videret, ex sua superiori sequi oratione, in ipsa tota ætate septimestri, & sic non solùm currente medio septimo, vel expleto, sed etiam incipiente, proindeq; post diem 183. labores, ægrotationemq; octomestrem incipere posse; hinc verò necessariò sequi, sextum quadragenarium, & octauum mēsem sedem stabilem non habere;

nimirum qualem, cùm integros cogitamus menses, & quadragenarios, animo concipimus; sed aliquando à septimo mēse plures dies accedere ad quadraginta, non solùm à nono, & ab ipso anno; tantum arcanum nobis aggreditur his verbis explicandum. quod cùm Græcæ mulieres ignorarent, plurimum illis errandi dabat occasionem. verùm tota Hippocratis hac de re oratio infra diligenter ventilabitur; nunc satis fuerit nexum aperuisse. Hinc ad mulierum Græcarum sententiam comprobandam, quòd octauo mense difficillimè vterus geratur; tametsi quando verè incipere hic possit mensis, quando finire, illas latere ostenderit; adiungit, mulieribus de partu fidem non esse derogandam. Hinc addit semper eas dicere octauo, nono, decimo, vndecimoq; mense partus edi; sed octauo mense editos non fieri superstites; itē abortus plurimos contingere in primo quadragenario. quo loco sine vlla dubitatione primi quadragenarij nomine (ἐν τῇ πρώτῃ τεσσαρακοντάδι habet græcum exēplar) intelligit quadragenarium sextum, & octauum mensem, non primum quadragenarium, vt suspicari aliquis posset, qui à seminis eiaculatione capit initium. non secus ac paulò supra, τὰς τεσσαράκοντα ἡμέρας τὰς πρώτας, idest quadraginta primos dies, quadragenarium sextum, vt vidimus, octauumq; mensem appellauit. nam totum illud, quod hoc loco dicit Hippocrates, ad octauum mensem pertinet, & sextum quadragenarium; vt necesse omnino sit, primi quadragenarij nomine, sextum quadragenarium, de quo sermonem habet, ipsum intelligere. Et notandum, dicere quidē Hippocratē, in hoc quadragenario plurimos cōtingere abortus, sed non tñ dicere, plures contingere in eo, quàm in reliquis quadragenarijs: quod tamen de eo quadragenario, qui verè primus est, & qui à seminis eiaculatione computatur, huius libri initio vidimus eum pronunciasse; in quo etiam dixit, fieri effluxiones, & ex omni causa mulieres abortire. atq; ad hūc vsq; locū liceat nobis dicere doctrinæ gratia primam partem Opusculi de Septimestri Partu extendi.

Quod fuerit in secūda, & tertia parte Opusculorū de Septimestri, & Octomestri Partu Hippocratis consilium. Cap. 32.

HOc posito; in secunda parte Hippocrates, ea, quæ ad partum vsq; eueniunt, dum fiunt labores octomestres, & perdurant, vt erat illi necessarium, docere aggreditur; atq; sic loquitur. Quum au„tem septimo mēse pelliculæ dirumpuntur, „& c. Inquit igitur, cùm septimo, finiente scilicet mense, pelliculæ dirumpuntur, & fœtus secedit, labores incipere, qui circa octauum mensem, & sextum quadragenarium fieri traduntur, de quibus iam supra dictum fuit; quibus verò benè futurū est, inflammationes tùm fœtus, tùm matris exsolui, & fœtum descendere ad locos vteri inferiores ad faciliorem partus tempore progresionem; hosq; tandem partus in lucem septimo quadragenario expleto incolumes prodire. Hinc pulchrè admonet, qui læsi hoc tempore oriuntur, tales octauo mense fortiter ægrotasse. Hinc demum plura eleganter addit ad huius quadragenarij vim, & proprietatem aperiendam, nonomestrium etiam adducens exempla; quæ longum, morosumq; esset nimis in præsentia recensere. atq; hæc mea quidem sententia secundam horum Opusculorum partem comprehendunt. quibus omnibus explicatis, cùm videret Senex acutissimus superioribus verbis ab eo positum esse, fœtus, cùm ad diē 183. peruenerint, ad principium perfectionis peruenire: item in hac ipsa septimestri ætate, & ex consequēti post hunc diem 183. pelliculas defringi; atq; ingentes illas iam enarratas mutationes fœtus experiri; vt horum omnium causam adduceret, atq; vnde septimestre hoc spatium has vires nanciscatur, aperiret; diuinè de diebus decretorijs, simul etiam & de mensibus agens, in quibus morbi iudicantur, sermonem instituit. quam totam disputationem, tertiam huius omnis tractationis partem constituere nos arbitramur. atq; diuinè rursus dies, ac menses partus cum his diebus, & mensibus cōparat. Hoc enim facit, vt doceat, qua de causa dies septimus, & mensis in morbis, sunt adeò potentes, eadem certè, ac simili dies septimos, & menses septimos tantas habere vires, vt mutationes insignes, & principium perfectionis fœtui afferre valeant. Quare & sic meritò orditur. Verùm „enimuero conceptus, & abortus, & par„tus mulieribus in eo tempore, in quo etiā „morbi, & sanitas, & mors & c. Hinc tra„dit, dies septimos, dies quadraginta, menses septimos in partu iudicare; concludens (quod illi erat propositum) menses septimos his de causis in perfectionis principium ipsos fœtus constituere. Hinc tres com-

commemorat quadragenarios reliquis periculosiores; quibus præteritis quæ fœtibus bona eueniant, & salubria aperit diligenter. Qua sanè grauissima peracta disputatione, vt ad ipsum caput, cuius gratia omnia disseruerat, sua rediret oratio; concludit tanquam id, quod ex superioribus apertè colligatur, se de octomestri sic sentire generatione, quia impossibile sit puerulum duas consequenter pati afflictiones, scilicet tùm ipsam iam explicatam ægritudinem, quam contraxit, & tunc habet temporis; tùm labores partus & tertij quadragenarij malignitatem; propterea nullum octomestrium superuiuere. quo loco, vt infra etiam admonebimus, quisquis diuinum Senem ad bonum sẽsum trahi æquo animo patitur, concedat necesse est, nullum eorum octomestrium, qui octauo iam ægrotantes septimo quadragenario naturæ lege recipiunt maturitatem, nascìq; debent (nam de talibus Hippocrati est sermo institutus) si octauo mense oriatur, superuiuere posse, ipsum intellexisse. Si enim aliquis sit fœtus, qui octauo mense non ægrotet, & qui nõ septimo quadragenario recipiat maturitatem, sed ipso octauo percurrente; de quibus Hippocrates eo loco nil disseruit; aliud de illis, & certè contrarium iudicium esse futurum, nemo est, qui non videat. Vir enim sapientissimus cùm obseruasset octauo genitos interire; hosq; non leui coniectura deprehendisset septimo quadragenario maturos, ac perfectos futuros esse; de his disputationem instituit, & cur pereant, docere aggressus est; atq; quod tales non pereãt, affirmauit esse impossibile. non est tamen ausus de omnibus, scilicet de alijs, qui hoc ipso mense octauo natura maturescunt, id asserere; sicuti neq; etiam affirmare, quòd futuri sint vitales, si oriantur; quia fortasse de illis nondum ei aliquid experientia compertum erat; qua de re plura etiam infra dicturi sumus; item quia tractationẽ de partu humano per se ac simpliciter, & vniuersaliter in illis Opusculis non instituerat. Hinc initio huius sententiæ magno artificio non tàm octomestres hos partus, quàm ὀκταμήνον γένεσιν vocare voluit; nimirum vt non tàm genitos, scilicet perfectionem, & maturitatem octauo mense adeptos, finemq; generationis, quàm in ipsa esse generatione constitutos, eos doceret; idest, vt loquuntur Scholæ, in fieri, non in facto esse. vtpotè qui septimo quadragenario & mense decimo suam sint perfectionem adepturi. quod & hæc altera ratio satis probat; cùm enim Hippocrates partus causam ipsam esse maturitatem existimauerit, vt tertius liber abundè demõstrauit; alijs etiam temporibus præter septimum confectum quadragenarium posse humanum partum maturitatem adipisci, nulla certè causa est, vt credamus ipsum latuisse, cùm dixit, qui octauo ægrotant, ægrotiq; nascentes moriuntur, debere, si incolumes sunt orituri, vsq; ad septimum expletum quadragenarium in vtero permanere; nimirum quia tunc & à morbo liberati, & plenam nacti maturitatem, vitales oriantur: quasi hoc ipso tantùm septimo expleto quadragenario maturum posse humanum partum esse existimauerit, aut propria saltem maturitatis tempora non habere; adeò vt, qui septimo debet nasci maturus, ad nonum, ac decimum vsq; permanere in vtero posse voluerit, & nihilominus vitalem oriri; vel è contra qui nono, vel decimo sua natura maturus est, septimo vitalem posse nasci. Si enim neq; hæc voluit, neq; cẽsuit Hippocrates, quæ ab omni esse veritate aliena, liber tertius demõstrauit; nec minus eius principijs quàm ipsius Aristotelis cõtraria; sed partus propria omnia habere tempora maturitatis; vt sensus, ratioq; docent, arbitratus est; quia etiam & eiusdem verba, vt libro tertio vidimus abundè, & paulò post indicabimus; certè cùm scripsit; fœtum, qui octauo nascens emoritur, ideo intermori, quia ægrotat, ac, dum ægrotus est, nascitur; cùm adiecit, hunc ipsum nono, vel decimo maturum oriri, ac vitalem; id non omnibus octomestribus intellexit conuenire. cùm partus aliqui inueniri possint; qui ipso octauo mense naturæ lege maturitatem adipiscantur; de quibus nullũ hoc loco Hippocratem habere sermonem est manifestũ. quod si ita est; cùm partus ille, quem octauo ponit ægrotare, neq; septimo maturus nasci possit, neq; ipso octauo, sed tãtùm nono mense, vel decimo; palàm etiam necessariò est, ipsum Hippocratem de nonomestribus tantùm, ac decimestribus, vt supra dicebamus, hoc loco disputationem instituere; atq; hos ipsos solùm, si octauo oriantur, ob allatas ab eo rationes periclitari velle. Ab hac autem sententia, quæ docet nullum horum octomestrium viuere posse; in vulgato Hippocratis codice incipere, quem nũc habemus libellum de Partu Octomestri, magno (si, quæ supra ex Clemente adduximus, animaduertantur)

Hippocraticæ disputationis vulnere, notū est omnibus; vt rationi videatur consentaneum (quod & supra monebamus) hos libellos non sic diuisos ab ipso Hippocrate, vel Polybo editos fuisse, sed, vt Clemētis suadet auctoritas, vtrosq; simul sub titulo octomestris.

Scopus quartæ partis explicatur. Cur ad finem huius partis causam partus Hippocrates subijciat. item de nexu quintæ partis dictorum Opusculorum.

Cap. 33.

HAnc igitur sententiam arbitror ego disputationis Hippocraticæ partem tertiam terminare; in cuius calce decimestrium exemplo quanta sit vis, & efficacia laborum octomestriū perbellè ab eo ostēditur, quod abundè supra à nobis fuit explicatum. Post hanc pars quarta sequitur verbis illis. Incipit autem laborare puer ante partum &c. cuius quidem meo iudicio nexus cum superiori disputatione huiusmodi esse videtur. Dixerat supra Senex sapientissimus de quadragenarijs agens, tertio quadragenario, qui à partu computatur, pueros nasci malè afflictos; aperuerat quæ illis sequuntur commoda, si hunc effugerint quadragenarium; sed tamē causas afflictionis huius, & cur iste quadragenarius tertius adeò sit periculosus, hancq; vim habeat partus affligendi, non explicuerat. quare hoc loco, quod ibi prætermiserat, egregiè præstat; & quibus de causis quadraginta à partu diebus laboret partus, patefacit: qua de re superius actum est vberrimè: quibus quidem causis expositis in disputationis calce pulchrè, & opportunè veram partus causam aperit; docens fructuum exemplo nullam esse aliam, quàm ipsam maturitatem. qua certè sententia humanos fœtus propria, diuersaq; habere maturitatis tempora, non leuiter indicauit; scribens, vt fructus, cùm maturitatem sunt assecuti, secernuntur; sic ipsos fœtus, cùm suam sunt adepti maturitatem, nasci: quod quidem necessariò illi explicandum erat, tùm quia, cùm de septimestribus agens dixisset membranis diruptis ipsos cogere partum fieri, aliquis arbitrari potuisset, partum etiam ante maturitatem naturaliter nasci posse vitalem; quod absurdum Hippocrati erat omnino remouendum: tùm quia, cùm de octomestribus, nonomestribus, decimestribus, vndecimestribusq; egisset; opportunū erat, & necessarium vt doceret, illis demum mensibus partus edi vitales, in quibus suā recipiunt maturitatem. De qua quidem re, sicuti & de his Hippocratis verbis, fusè libro tertio dictum fuit. Hoc autem (quod & paulò supra dicebamus) sententiam nostram, quòd scilicet non de omnibus octomestribus pronūciauerit Hippocrates eos octauo nascentes intermori, mirificè comprobare, satis constat. Quinta sequitur, ac postrema pars totius Hippocraticæ disputationis, cunctis alijs, vno excepto loco, quem tractamus, difficilior, & obscurior; cuius quidem ad superiora nexus talis mea sententia est putandus. quoniam supra ex mulierum testimonio posuerat, & tanquam verum acceperat, non solùm septimo, octauo, & nono mense, sed decimo etiam, ac vndecimo partum excludi; veterem autem esse controuersiam illum non latebat, an partus decem exactos tricenarios menses transire posset; quam ipse in Opusculo de Natura Pueri dirimens, vltrà decimum proferri non posse humanum partum definiuerat: hoc loco (nisi hallucinor) ad huiusmodi dogma magis confirmandum, ex his, quæ supra disputauerat occasione arrepta, docere aggreditur, septem quadragenarios, quod spatium constituere partum decimestrem non semel dixerat, ad vndecimum aliquando mensem peruenire posse; adeò vt mulieres gestare ad vndecimi vsq; initium partum videantur, & sic dies plures, quàm 300. etiam secundum rectam computandi rationem; quanquam re vera à conceptione ad partum non amplius, quàm septem extiterint quadragenarij. Verùm quia libro septimo longa actum est de hoc loco interpretando disputatione, nil aliud in præsentia putamus adijciendum; ne cum lectoris fastidio, quæ iam dicta sunt, inutiliter repetamus. Posset & alia esse huius loci difficillimi continuatio; cùm enim supposuisset Hippocrates superiori oratione, post diem 183. incipere posse octauum mensem; videretq; hoc modo acceptis mense septimo, & octauo, septem quadragenarios nō solùm decimum mensem, sed etiam vndecimum attingere: his verbis, quasi id monere vellet, inquit, & decimestres, & vndecimestres constare eodem modo ex septem quadragenarijs, ac ex dimidio anno septimestres. Sicuti enim septimestres tūc constant ex dimidio anno, cùm septimus concisus sumitur, in suoq; initio terminum habet, & in suis quasi natalibus emoritur;

ritur; ita & eodem modo, cùm scilicet mẽsis septimus in septem quadragenariorum computatione ita sumitur, tam decimestres, quàm vndecimestres septẽ fieri quadragenarijs; adeò vt dies 280. vt Hippocrates concludit, vndecimi initium apprehendere videantur. Nam sic, vt paulò infra etiam videbimus, dies 213. octauum terminat, dies 243. nonum, demum dies 273. mẽsem decimum: adeò vt septem quadragenarij, ac dies 280. ad vndecimi initium perueniant. nam septem, qui diebus 273. desunt, dies ad 280. integrandos, secundum hanc calculi rationem ad vndecimum pertinerent. Verùm quia tota Hippocratis quæ sequitur oratio, qua huius dicti rationem affert, interpretationi huic aptari nequit; immò aduersari illi penitus videtur; idcircò eam, quam libro septimo attulimus, huic loco longè esse putamus accommodatiorem. Hic igitur scopus est, hic nexus Hippocraticæ huius disputationis; quo recepto satis elucet, nedum esse sententiam, sed neq; etiam verbum, quod ferè necessariam non habeat ad superiora connexionem. Quare superest, quod superius diximus clarius aperientes, tanquã id, quod ad hunc locum explicandum maximè nobis est profuturum, vt demonstremus non leuibus argumentis, & coniecturis, Hippocratem, secus quàm alij crediderint, existimasse diẽ 183. septimum mensem posse terminare, exindeq; labores octomestres, ac sextum quadragenarium incipere posse, & octauum mensem.

Quòd Hippocrates censuerit post diem 183. octauum mensem, ac sextum quadragenarium incipere posse. Quædam difficilis adducitur dubitatio.

Cap. 34.

HOc igitur ea maximè ratione arbitramur facilè ostendi; quòd Hippocrates velit, septimestrem ætatem, siue dicas mensem septimum, septimestreq; interuallum terminum habere, cùm labores octomestres incipiunt, & octauus mensis, sextusq; quadragenarius; hos verò incipere labores dicat, cùm pelliculæ defringuntur, defringiq; primùm possunt, & fœtus secedit in chorion; demum cùm ea sequuntur, quæ superius exposuimus ipsam causari ægrotationem: at pelliculæ defringuntur, defringiq; primùm possunt die 183. vt ipse docet verbis apertissimis ita scribens. " Quum itaq; ad hoc perfectionis principiũ " partus peruenerit, pelliculæ, in quibus ab " initio nutritus fuit, quemadmodum spicarum membranæ laxantur & c. cuius rei causam affert, quia scilicet ad hoc perfectionis principium partus peruenerit; videlicet ad diem 183. & anni dimidium, & quod in idem redire ostendit, ad mensem septimum; nimirum, quia, vt clarius infra ipse admonet, huiusmodi interuallum fœtui tale affert principium. quare necessariò die 183. septimum finire mensem posse, & post diem 183. labores incipere posse octomestres, octauum mensem, & sextum quadragenarium existimauit. Nec quicquam obest, quòd de illis loqui Hippocrates videatur, qui eo ipso die 183. egrediuntur vtero, & maturi in lucem veniunt; at verò si labores infanti subeundi sunt, manere in vtero illum sit necesse. quandoquidem illud iam superius expositum, memoria repetendum; de his partubus Hippocratem laborum octomestrium gratia disputationem instituere; vt scilicet quando in vtero possint incipere, legentibus aperiat. quare sine vlla dubitatione eorum exemplo, qui ob adeptum die 183. huiusmodi principium, quod in illis dicit omnimodam maturitatem, membranas omnes defringunt in lucem venientes; hoc ex parte idem alijs in vtero contingere posse docere voluit, qui huiusmodi principium nacti non adhuc plenè maturi, proindeq; nõ omnes, sed aliquas membranas defringentes, hosq; labores subeuntes, coguntur in vtero naturæ lege permanere vsq; ad tempus plenæ maturitatis. Hinc causas explicans, cur ex illis, qui die 183. oriũtur, aliqui superstites maneant; apertè dicit, id propterea euenire, quoniam antea ex vtero prodeunt, quàm octauo mense labantur in ægrotationem. Enimuero ita scribit, vt libro septimo nos sumus interpretati. Quin etiam & venerunt in lucem " vtero prius pariente, quàm ægrotationem " octauo mense recipiant. venisse nanq; in " lucem intelligit die 183. siquidem de talibus disputationem habet; & nisi venissent in lucem, octomestres labores affirmat fuisse subituros; diuinè addens, si eueniat, vt his laboribus fœtus succedant, eosq; subeant, & intelligas eo ipso tempore, scilicet diebus 183. non solùm plenam recipientes maturitatẽ ac perfectionẽ, sed principiũ perfectionis, & prodeant in lucẽ, impossibile esse, vt superuiuãt. subire .n. non possent, nisi principiũ nacti perfectionis in vtero manentes pelliculas aliquas defringe-

ge-

gerent. quarè esto pro fœtus temperamẽto differri poſsint hi labores in dies, qui 183. diem ſequuntur; adeò vt vel medio, vel etiam exacto ſeptimo, cùm ſcilicet huiuſmodi accedit principium, incipere valeant; nihilominus ex his fateri cogimur, ſatis apertè hoc loco Hippocratem demõſtrare, alios etiam dari fœtus, qui ſui tẽperamẽti ratione die 183. principium nacti perfectionis, membranaſq; propterea aliquas defringentes; in vtero adhuc permaneãt, octomeſtres labores ſubituri; proindeq; hos ipſos labores ſtatim poſt diem 183. incipere poſſe. Hinc adiungit mox ſequenti oratione multis fœtibus nõ quidem generaliter in ætate ſeptimeſtri, ſed ἐν αὐτῇ τῇ ἡλικίῃ τῇ ἑπταμήνῳ. ideſt, in hac ipſa videlicet ſuperius expoſita dierum 183. ætate ſeptimeſtri conſtitutis, pelliculas rumpi, & labores incipere octomeſtres. dixit enim. Cæterum multi fœtus in hac ipſa ætate ſeptimeſtri, cùm pelliculæ laxãtur, ſecedunt in id quod cedit; & hìc alimentum ſumunt, primos quadraginta dies laborantes. quo certè modo locutus eſt, vt oſtenderet, ſtatim poſt diem 183. hos labores poſſe exoriri. nam & per primos quadraginta dies, vt ſupra expoſuimus, ſextũ quadragenarium intelligit, ac octauũ menſem; ex quò & mox ſubdit mulieres octonos menſes difficillimos putare; quos primos vocauit quadraginta dies octonos menſes appellans. Hinc dixit rurſus infra, hanc repetens ſententiam, cùm τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ, ideſt menſe ſeptimo pelliculæ rumpuntur, hos eoſdem octaui menſis, & ſexti quadragenarij labores fœtum corripere: neq; enim dixit expleto ſeptimo, neq; medio, ſed indefinitè, ac ſimpliciter ſeptimo menſe, vt initium etiam ipſius comprehẽderet, totamq; ipſius amplecteretur latitudinem; atq; ſtatim poſt diem 183. incipere etiam hos labores poſſe demonſtraret. ipſius autem oratio ita habet. Quum autem ſeptimo menſe pelliculę dirumpantur, & fœtus ſeceſſerit, labores, qui circa octauum menſem & ſextum quadragenarium in partu fieri traduntur, corripiunt. quo certè loco nil clarius ad monſtrandum, ſtatim ac fœtus ingreditur ætatem ſeptimeſtrem, pelliculæq; rumpuntur, ſextum quadragenarium incipere, & octauum mẽſem; adeò vt diruptio ipſa pelliculaꝛum octauo initium dare, vt libro tertio ac ſupra Ariſtotelis auctoritate expoſuimus, in ipſoq; etiam octauo contingere intelligatur. Hinc demũ verbis obſcuriſsimis de vi huius ſexti quadragenarij ſermonem habens, aſſeruit, eos pueros maximè ſeruari, eorũ comparatione, qui initio noni menſis oriuntur, qui in nouem menſium exitu prodierint; vt qui fortiores euadant, tanquam plurimùm diſtantes à morbis, qui octomeſtribus accidere ſolent; eo ſanè argumento quòd decimeſtres, qui plurimum itidem etiam ab his morbis abſunt, hac eadem de cauſa maximè educentur & adoleſcant, ad ſenectutiſq; annos perueniant (ſi quidem hoc ſignificat verbum illud, ἐκτρέφεται, vt libro tertio aperuimus) omniumq; fortiſſimi habeantur, ac perfectiſsimi. Hìc enim valde difficilis oritur dubitatio, illiſq; non receptis, quæ ſupra diximus, meo quidem iudicio, inſolubilis. Hippocratis verba ita habẽt. Seruabitur autem vel maximè talis puer, ſi nouem menſium fuerit in exitu. fortior autem euadet etiam is, vt q plurimũ abeſt à morbis, qui octomeſtribus accidere ſolẽt. Qui .n. in ſeptem quadragenarijs naſcuntur decimeſtres appellati, ob id maximè educantur, quòd fortiſsimi ſunt, & plurimum à vulgariũ puerorum tempore abſunt, in quo affliguntur quadraginta ægrotantes diebus circa octauum menſem. Hæc ille; habetq; græcũ exemplar primo loco, vbi loquitur Hippocrates de partu in noni menſis exitu prodeunte, καὶ πλεῖστον ἀπέχον. Secundo loco, vbi agit de decimeſtri, & ſeptimo expleto quadragenario in lucem veniente, καὶ πλεῖστον ἀπέχει.

Allata ſuperiori capite dubitatio, & explicatur, & tollitur. quatuor alię graues afferuntur dubitationes, primaq; diſſoluitur.

Cap. 35.

AT certè difficillimum eſt cernere, quo pacto verum eſſe poſsit, tàm eũ partum, qui in noni menſis exitu in lucem venit, quàm eum, qui ſeptimo quadragenario, πλεῖστον, .i. plurimùm abeſſe à tẽpore ægrotationis octomeſtris: dicit .n. aduerbiũ τὸ πλεῖστον, .i. plurimùm, temporis ſuperlationem; quare & maius ſignificat tẽpus, quod accipi poſsit. at conſtituamus, exempli gratia, die 263. aliquem partum excludi; certè hic in noni menſis exitu prodibit in lucem; cùm dies tantùm ſeptẽ nono deſint, vt expleatur. hic autem partus diſtabit à ſexti quadragenarij fine, & ſic à tempore ægrotationis octomeſtrium diebus 23. Accipiamus rurſus alium partum

tum nasci die 280. & sic decem exactis quadragenarijs, vt inquit Hippocrates; huiusmodi partus diebus 40. ab eodem termino distabit. quo igitur pacto Vir Sapientissimus, qui nullum verbum sine magna causa profert, nullum sine magno ponit artificio, affirmare potuit, vtrunq; partũ plurimùm abesse ab huiusmodi tempore? atq; (quod in idem redit) æquali dierum interuallo? Magnum igitur hunc in Hippocratis oratione nodum superioribus receptis facilè soluemus; si enim post diem 183. incipere labores octomestres posse cum Hippocrate concedamus; hi cùm diebus 40. perdurent, die 223. terminum habebunt: cui summæ si dies 40. adijcias, assurgent dies dicti 263. quare die 263. genitus, non secus ac ille, qui septimo expleto quadragenario in lucẽ venit, à morbi tempore diebus 40. distabit; vt quàm verè hæc secum ipse versans diuinus Hippocrates, vtrunq; partum plurimùm à morborum tempore distare, idest æquali tempore affirmare potuerit, iam modò veritate cognita Solis luce clarius appareat; quàm verè à nobis supra dictum sit, ex hoc loco non leui coniectura colligi, post diem 183. labores incipere octomestres posse, octauũ mensem, & sextum quadragenarium Hippocratem censuisse, cunctis pernotescat. Hinc autem palàm esse, omnem octaui mẽsis varietatem tùm initij tùm finis à natura mensis septimi, & varietate dependere; vt qui modò post diem 183. terminum possit habere, modò ad finem vsq; ipsius extendi, modò diebus intermedijs pro temperamẽti fœtus ratione; nemo est, qui non videat. vt hac de causa necessarium fuerit Hippocrati, & huius mensis naturam aperire, & terminos ipsius constituere. Item hæc omnia perspicuè docere, per septimestrem ætatem, ac mensem septimum apud Hippocratem omnino confectum septimum, vt diuinè Aristoteles interpretatus est, intelligi oportere, siue mutilus, siue integer septimus accipiatur; adeò vt octauo non septimo, & pelliculæ dirumpantur, & reliqua eueniant, cunctis arbitror esse manifestum. quòd si interpretationem Aristotelis auctoritate allatam reijcientes, defringi mense septimo pelliculas pertinaciter velimus asserere; quia dicat nimis apertè Hippocrates. Cùm autem septimo mẽse pelliculæ dirumpantur. iam vel eodem Hippocrate admonente, labores, qui ex hac diruptione oriuntur, cuncti octauo mensi ac sexto quadragenario erũt necessariò nobis tribuendi; adeò vt cum hac ipsa pellicularum diruptione septimum finem habere, octauum initium dicere omnino debeamus. Non me tamen præterit, Ferdinandum Mena doctissimum virum in Commentarijs longè aliter Hippocratis verba accipere paulò supra à nobis explicata; veluti qui, quod dicitur, pueros in noni mensis fine genitos plurimùm à morbis distare, qui octomestribus contingunt; perinde accipit, ac si de decimestribus pariter sit pronunciatum; siquidem scribit. Quod multò commodius exequentur illi, qui ad finem mensis noni, ac multò æquius, si ad decimum mensem attigerint. nam cùm plurimùm distent ab octimestribus laboribus, efficient, & c. Sed an hæc Ferdinandi explicatio difficultatibus careat, eruditi iudicabunt. cuius etiam alterum illud in huius loci enarratione penitus reijcimus; quòd verbum ἐκτρέφεσθαι, veram significationem non animaduertens, à nobis libro tertio ex Aristotele positam, & paulò supra repetitam; nec considerans, Hippocratem de fœtibus, qui superstites maneant, adolescantq;, & ad annos perueniant senectutis, sermonem habere; ἐκτρέφεσθαι interpretatus est, alimento functos habitum quadratum, & mediocri corpulentia præditum recipere; quo nil à vera huius loci sententia, meo quidem iudicio, est alienius. Verùm enimuero aduersus ea, quæ dicta sunt, non leues oriuntur dubitationes. Primùm enim sic dubitabit aliquis aduersus superiora. Humanus partus ex Hippocratis sententia, vt libro tertio, ac superiori disputatione ostensum est, propria habet pro temperamenti varietate tempora maturitatis; & quicunq; fœtus præter suæ maturitatis tempus exit in lucem; siue hoc ipsum tempus præuertat, siue post illud oriatur; omnino interit. At si hoc est, quæ amabò necessitas fœtui, qui sui temperamenti ratione die 183. maturus in lucem venire deberet, sed ob aliquod accidens cùm exire non valeat, permanere cogitur in vtero ad octaui, vel noni finem; quæ, inquam, necessitas labores octomestres subeundi, vt intereat? hic enim fœtus, tametsi nullos ante partum experiatur labores, nihilominus peribit, si post diem 183. veniat in lucem, quia præter tempus prodeat suæ maturitatis. Secundò vocare quis in dubium & meritò posset, cur solus mensis septimus hanc naturam habeat, & proprietatem, vt illum quasi testudinem fingens Hippocrates, pro fœtus tẽpera-

Com. 11. & 12.

peramento, modò magis se se extẽdere dicat, longiusq; caput producere suum; modò minui, atq; sic minui, & contrahi, vt vix trium dierum æquet interuallum; quod certè facit, cùm die 183. finem habet. Tertiò, cur qui sequuntur dies post 183. octauo potius mensi adscribit Hippocrates, quàm septimo? si enim dies 183. terminat in tertium diem mensis septimi tricenarij; si tunc rumpuntur pelliculæ, & in ægrotationem fœtus incurrit, cur non dicit, fœtum septimo ægrotare percurrente mẽse, non octauo? cùm adhuc dies 27. de septimo integro tricenario supersint numerandi? adeò vt, cùm ita euenerit, omnis infelicitas partus potius septimo mensi, quàm octauo videatur tribuenda; cùm initio septimi mensis, & eo currente, non solùm expleto hæc mala eueniant. Quartò, si post diem 183. incipere potest octauus mensis; ergo die 213. finem poterit habere: nam dies 30. additi diebus 183. efficiunt summam dierum 213. & ex consequẽti dies 243. nonum mensem, dies 273. decimum finire poterit; quod videtur absurdum. Nam sic quem die 263. genitum supra ex Hippocratis mente dicebamus, & in nouem mensium exitu; vigesimo potius die mensis decimi natum esse dicendum erit; cùm sic accepto septimo mense dies 273. decimum finiat. Hæ sunt non leues difficultates, quæ superiora videntur infirmare. Sed certè primæ dubitationis vim facilè labefactabimus, si ad memoriam reuocemus, de partu decimestri Hippocratem scripsisse, horum laborum malignitatẽ hũc etiam partum aliquando interimere; qui tamen suæ maturitatis tempore venit in lucem. his enim nos admonuit, eum etiã partum, qui maturus nascitur, horum laborum vi perimi posse. quare cùm adducit tanquam causam, cur die 183. geniti viuant, quòd non subierint labores octomestres; eò certè consilio adducit, non solùm vt doceat, si die 183. alioqui oriturus, mensem octauum subiret, ac labores octomestres, morti fore obnoxium; ideoq; viuere, quia, antea oriatur, quàm eos subeat; sed etiam vt doceat, propterea hos partus viuere, quoniam eo tempore, quo in vtero permanent, hos labores non experiuntur; anteaq; exeunt, quàm illorum tempus adueniat: vt hac de causa partus tempore, cùm non fuerint antea ægrotatione vlla vexati, quantum est huius rei ratione robustiores inueniantur; quod cùm nonomestribus, ac decimestribus non contingat, qui tantarum in ortu calamitatum plerunq; vestigia seruant; meritò hos ipsos partus, tametsi maturi exeant, hanc habere causam mortis, qua die 183. geniti priuantur. quam profectò veritatem Hippocrates eodẽ Opusculo his verbis perspicuè significauit. Declarant autẽ de morbis & » afflictionibus octomestrium etiam nono- » mestres tenues nascentes. & mox. Et nõ » velúti septimestres carnosi gignuntur, & » crassitudinem propè coaltam habentes; vt » qui tempus, quo in vtero gestabantur, sine » morbis transigerunt. Quòd si vltrà maturitatis tempus, die 183. alioqui orituri, in vtero permaneant, hos labores subeuntes; tũc duplici eos de causa deleri morte, cùm veniunt in lucem, Hippocratem hoc loco affirmare, nullum est inconueniens: nempè & quia immaturi prodeant, & quia laboribus afflicti. quem sensum libro septimo in huius loci explicatione secuti sumus. vt interim non taceam, hæc propterea addidisse diuinum Hippocratem; vt doceret (hoc modo quo primùm tempore labores incipere valeant octomestres egregiè explicans, quemadmodũ superiora docuerunt) dari etiam aliquos fœtus, qui in vtero permanentes, die 183. abrumpere aliquas debeant pelliculas, exindeq; labores subire octomestres. nam & propterea subdit, si his laboribus sucedant pueri, scilicet die 183. principium accipientes perfectionis (de talibus enim, vt supra diximus, est illi sermo) veniantq; tunc in lucem; impossibile esse, vt superstites maneant; si autem prodeant horum laborum tẽpore præterito, superstites manere. quod quidem Hippocrates (diuersa in fœtibus maturitatis tempora agnoscens, maturitatemq; partus causam esse volens, nec vllo admittens pacto, fœtum qui septimo recipit maturitatem, ideoq; tunc oriri debet, vlterioribus mensibus, octauo scilicet, nono, vel decimo nasci posse vitalem, & è cõtra qui nono ac decimo maturus efficitur, septimo posse vitæ compotem oriri, vt libro tertio, & paulò supra ostensum fuit) cùm non potuerit his de causis de illis pronunciare, quos die 183. gigni maturos, ac vitales paulò antea dixerat; nempè quia huiusmodi tales, etiam si nullis laboribus vexati, etiam si his præteritis laboribus, vt supra tetigimus, septimo expleto quadragenario veniant in lucem, omnino pereãt, tanquam geniti extra tempus propriæ maturitatis; reliquum est, vt fateamur, partus dari nonnullos hoc loco Hippocratem

& vel-

& velle, & docere; qui die 183. initio scilicet septimi, vel quocunq; alio sequenti pro fœtus temperamento mensis septimi die, principium adepti perfectionis, pelliculas abrumpant, laboresq; exinde dictos subeant; post hos ipsos præteritos labores in tempore à natura illis præstituto incolumes, & vitales orituri; siue id noni fuerit initium, siue medium, siue finis; siue etiam mensis decimus: de quibus sanè fœtibus verè hæc omnia potuerit pronunciare. nam & ob id, vt nobis hoc significaret; vt doceret nō solùm de die 183. plenè maturescentibus, de quibus supra locutus erat, habere sermonem; adiecit magno artificio alteram hāc vocem τὸ παιδίον, „ verbis illis. τούτοις γὰρ τοῖς πόνοις ἢν ἐπιγίνονται, „ ὥστε εἰς τ' συμφανὲς ἐλθεῖν τὸ παιδίον. quorū sen- „ tentia est. si fœtus (& intelligit non solùm iam expositos, scilicet die 183. plenè maturescentes; sed alios etiam, qui eo ipso tempore principium nacti maturitatis non plenam maturitatem lōgiori propterea tēpore debent adhuc in vtero permanere; nā idcircò addidit hanc vocem, fetus, vt de alijs fœtibus temperamento differentibus & termino maturitatis à prioribus, de quibus antea dixerat, cum illis tamen quoad tempus recipiendi principium perfectionis consentientibus, se loqui ostenderet) si, inquam, fœtus his laboribus succedant, ægrotiq; oriantur, non posse superuiuere.

Tres aliæ superiori capite positæ dubitationes dissoluuntur. Quot modis apud Hippocratem accipiatur octauus mensis aperitur.

Cap. 36.

SEd & reliquas tres dirimere dubitationes Hippocratis cōsilio intellecto nō erit difficile; Senem videlicet sapientissimum, quia in vno quoq; genere sit optimū, quod est mensura reliquorum, quidquid de mēsibus, & quadragenarijs, laboribusq; demū octomestribus in his Opusculis disserit, partu septem quadragenariorum sibi ob oculos posito tanquam omnium perfectissimo, disserere. quod certè verbis adeò apertis nobis demonstrauit, concludens huiusmodi partum, quem sexti quadragenarij, & octaui mensis experiri labores iā dixerat, septimo tandem quadragenario vitalem prodire, & incolumē; vt nullus relinquatur locus dubitandi. Hoc posito respondemus ad secundam, mensem septimū hanc solum habere naturam, & proprietatem, quia solus partui septem quadragenariorum periodū sua natura affectanti, & ex consequenti periodum imparem sectanti, quin etiam & partui omni, vt infra palàm erit, perfectionis principium afferre potest; solus hac ipsa de causa iam dictas adducere mutationes tùm diruptionis internarum pellicularum, tùm migrationis fœtus in extimam membranā; solus propterea afferre initium laborum octomestrium. quam sanè perfectionem, & mutationes cùm non solùm ad eius finem, sed pro materiæ, ex qua fœtus constat, temperamento, modò diebus intermedijs, modò initio sui, afferre queat; ideo mensem septimum modò mutilum, & concisum, modò integrum, ac totum in computāda gestatione sumi posse concedit Hippocrates; ideo solum hanc naturā habere; quod quidem non tantùm ratione persuasum ipsum affirmasse crediderim, sed etiam experientia permotum, diligentiq; & accurata obseruatione. Ad tertiam dicimus, quoniam in perfectissimo partu, qualem & decimestrem esse septimo genitū quadragenario, & qualem sibi ob oculos præsertim contēplandum proposuisse Hippocratem supra diximus; expleto ferè septimo mense integro, & quinto confecto quadragenario labores incipiunt octomestres, & sextus quadragenarius initium habet, qui totum octauum mensem comprehendit; adeò vt in hoc partu ipso verè toto octauo mēse iuxta integrorum mēsium supputationem accepto, ægrotatio, & labores locum habeāt; proindeq; ex communi sententia octauus mensis existimetur infelicissimus; idcircò sapientissimum Senem hanc proprietatem octauo mēsi esse impertitum: adeò vt quoquo tempore hi labores incipiant, etiam initio septimi; dies, qui sequuntur imitatione perfectissimi partus, atq; vt cum cōmuni opinione consentiret, octauo censuerit adscribendos, non septimo; & statim incipere sextum quadragenarium, & octauum mensem existimauerit. Cùm enim in vnoquoq; genere quod est optimum regula sit, ac mensura cæterorum, vt supra dicebamus, eiusdem generis; quia in genere partus humani septem quadragenarijs genitus optimus partus est, ac naturæ finis præcipuus, & perfectissimus; in hoc verò partu expleto ferè septimo labores dicti oriuntur, qui idcircò octomestres fuerunt appellati; iure & meritò Hippocrates huius partus habita ratione, ad illiusq; similitudinem quocunq; septimi mensis die hi labores incipiant, & octomestres vocauit,

& inde ſextum quadragenarium, octauũq; menſem incipere voluit. Eadem reſponſio quartam diluit, ac poſtremam dubitationem; dixit enim Hippocrates, partum illum in nouem menſium exitu excludi; diximus nos die 23. noni menſis prodire in lucem; integrorum tricenûm menſium habita ratione, & temporis, quod partui cõgruit perfectiſsimo, qui decem quadragenarijs oriri dicitur; cùm alioqui decimo, & vltrà excludi dici poſsit, ſi poſt diẽ 183. octauum menſem incipere ſupponamus.

Iam enim & illud in memoria reducendũ, quod ſupra in explicanda Cardani ſententia monebamus; vt hæc omnia planius intelligantur, alteram ſimul menſium ſeriem animo concipiendam eſſe integram, & abſolutam, ad quam menſes conciſè acceptos metiamur. quare & poſteriores tres allatę aduerſus hanc noſtram explicationem dubitationes omnino nullæ. At enimuero his ita expoſitis, & conſtitutis, octauum menſem ſumi quadrupliciter poſſe, in hac Hippocratis tractatione, quin etiam & debere, ſatis ex ſuperiori diſputatione eſt manifeſtum. Primò enim dicimus octauum menſem conſiderari poſſe reſpectu fœtus natura ſeptimeſtris, qui tamen ob aliquod accidens ſtatuto tempore in lucem venire non potuit, prioribus tantùm non omnibus tunicis diſruptis; & idcircò ſit obnoxius laboribus octomeſtribus: quod initio libelli de Septimeſtri Partu Hippocratem ſenſiſſe præcedenti libro oſtendimus, & paulò ſupra; quo modo acceptus octauus menſis triplex habere principium poteſt. Nam vel poteſt incipere poſt limitem breuiſsimum ſeptimeſtrium, ſcilicet poſt diem 183 vel poſt longiſsimum, ſcilicet poſt diem 210. ſi tricenarios menſes cogites, ſi Lunares poſt diẽ 206. $\frac{1}{2}$ vel diebus intermediis. quos quidẽ fœtus natura ſeptimeſtres rationi conſonum eſt intra quadrageſimũ diem, ac octauum menſem omnes vt plurimum edi, ſiue potius eijci, quoniam præter naturam in vtero continẽtur, & matrix duplici de cauſa ad eijciendum partum exſtimulatur; tùm quia fœtus iam maturus eſt, tùm quia matrix ob eius ægritudinem ad expellendum partum eſt propenſiſsima, vt clarius ſupra dictum fuit. Secundò dicimus, octauum menſem reſpectu fœtus natura decimeſtris, ac nonomeſtris poſſe conſiderari; quo quidem modo ſumit mea ſententia initium vt plurimùm die 200. & quinto confecto quadragenario, nec poteſt antea; quanquam & valeat die 206. incipere, quin etiam & die 210. & ratio eſt, quoniam nonomeſtris fœtus, ac decimeſtris quadragenariorum periodum maximè ſequitur; itaq; quinto expleto quadragenario ſextus initium habet, proindeq; octauus menſis, vt ſupra dictum fuit. Tertiò octauus menſis ratione habita quadragenariorum conſideratur; quo modo pro diebus 40. ſumitur, ac ſexto quadragenario; nimirum quia ſextus quadragenarius octauum menſem capit, & comprehẽdit; atq; hoc ſenſu Hippocrates non ſemel octauum menſem, ac ſextum quadragenarium ſimul iungit, & pro eodem ſumit. Quartò tandem, ac poſtremò conſiderari poteſt octauus menſis fœtuum illorum ratione, quos doctrinæ gratia nothos ſeptimeſtres in præſentia appellare liceat; vtpotè qui periodum eorum, qui verè ſeptimeſtres ſunt, imitentur, non tamen exactè, verèq; ſunt ſeptimeſtres; ſed quoad tempus plenè matureſcendi omnino nonomeſtres, ſi menſes integros cogitemus, tametſi alia ratione decimeſtres, & vltrà dici poſſent, vt ſupra tetigimus. Si enim concedamus, vt ex Hippocratis mente concedendum eſſe, abundè ſupra oſtendimus, fętus aliquos dari, qui principium maturitatis intra breuiſsimum limitem recipiant ſcilicet die 183. ſed non tamen ſint exactè ſeptimeſtres; ita vt oriri tunc debeant naturaliter; verùm periodum hac tantùm in re ſeptimeſtrium retinere, ac æmulari videatur; in huiuſmodi talibus octauus menſis, labores octomeſtres, ac ſextus quadragenarius incipient die 183. vnà cum pellicularum diruptione; & naſcentur hi fœtus incolumes die 263. ideſt in nouem mẽſium exitu, vt dicebat Hippocrates: eò quòd hi labores toto ſexto quadragenario durent; eoq; confecto alter adhuc quadragenarius fœtui plerunq; neceſſarius ſit, vt à morbò perfectè recreetur; propterea ante diem 263. benè vitales oriri nequeant, qui in diem 23. noni integri tricenarij menſis incurrit, in exitum videlicet ipſius, vt Hippocrates ſignificabat. qui idcircò huiuſmodi pueros, ac partus γνωρίμους eo loco, mea ſententia, videtur appellaſſe; ideſt notos, & conſuetos, ac vulgares, quia videlicet talium magnus numerus oriatur; cùm frequenter mulieres in noni menſis ſic accepti exitu parturiant. Et ſanè naturalis ratio ſuadere videtur, ſi partus inuenitur, qui maturitatem die 183. recipit omnimodam; ita vt in lucem tunc vitalis veniat; poſſe etiam dari

par-

partum, qui tanto præterito tempore principium nanciscatur maturitatis, ac perfectionis: nō perfectionem absolutam (quod sensisse Hippocratem supra longa demonstrauimus oratione) ita vt motu facto & impetu priores defringat pelliculas, laboresq; subeat octomestres; quadraginta dierum spatio egens, vt à morbo liberetur, alijsq; quadraginta, vt perfectè ex eo cōualescat. quæ sanè eadem naturalis ratio dictat, fœtus etiam dari, qui diebus alijs diem 183. sequentibus pro temperamenti ratione, dum vertitur ætas septimestris, huiusmodi principium perfectionis recipere queant, & eo ipso die octauo mensi, sexto quadragenario, ac laboribus octomestribus initium præbere. tot igitur modis accipitur octauus mensis apud Hippocratem in disputatione de Septimestri, & Octomestri Partu; quibus quintus etiam accipiendi modus addi posset; cùm scilicet octauum mensem cōsideramus, quatenus per se ac natura in octomestribus habet locum. verùm quia de talibus in illis Opusculis Hippocrates non habuit sermonem; modum hunc in præsentia dimittimus.

Quòd sextus quadragenarius varia habeat principia. Item de varijs temporibus, in quibus fœtus vitales exire possunt. locus quidam obscurus Hippocratis declaratur. reijcitur Ferdinandus.

Cap. 37.

HInc autem elicimus (quod & supra etiam attingebamus) sextum hunc quadragenarium varia principia habere posse, sicuti & octauus habet mensis, cum quo natura consentit: adeò vt verè sextus aliquando sit; cùm scilicet post dies 200. incipit; quoniam hoc modo post quintum quadragenarium initium habet; aliquando die 23. quinti quadragenarij incipiat; cùm scilicet mensis septimus die 183. terminum habet temperamenti ipsius fœtus ratione, & octauus mensis statim incipit; aliquando die 210. cùm scilicet iuxta exactum ad tres decadas hebdomadarum numerum menses septem accipiuntur, ac tricenarij menses integri sumuntur: demum aliquando diebus inter hos intermedijs, ita vt primus terminus initij huius sexti quadragenarij, & mensis octaui sit dies 183. nec breuior esse posit; postremus die 210. nec posit esse longior; inter hos verò medius, prout temperamenti ratione fœtus ætatem finit septimestrem, principiumq; perfectionis toties dictum vel tardius quàm die 183. vel citius quàm die 210. adipiscitur. Vocauit tamen perpetuò Hippocrates quadragenarium hunc per excellentiam sextum, & perfectissimi modi generationis respectu, vt supra innuebamus, & habita ratione quadragenariorum integrorum; eò quòd fœtus decimestris perfectissimus septé integris quadragenarijs constet, sexto ægrotet in vtero, & octauo mense, septimo expleto perfectè conualescat, maturusq; ac maximè vitalis oriatur. Quòd si non eget semper fœtus totis quadraginta diebus, vt à morbo liberetur; sed dimidia pars satis esse potest in nonnullis; cùm non omnes æquè ægrotent, vt in Opusculo de Septimestri Partu dicit Hippocrates, sed alij magis, alij minus; vnde & ex leuiori morbo citius recreari fœtum rationi est consentaneū: si, inquam, id contingere potest; orietur vitalis infans die 243 videlicet circa diem tertiam noni mensis tricenarij. & si satis nonnullis esse potest ob temperamenti robur, & ægrotationis imbecillitatem, vt dies transeant quadraginta, in quibus laborarunt; initiumq; tantùm capiant sequentis quadragenarij: quod citato loco voluisse videtur Hippocrates, cùm dixit eos, qui noni mensis initio oriuntur, viuere posse, licèt parum à sexti quadragenarij fine absint; iam poterint hi partus die 225. vitales nasci, videlicet die decima quinta octaui mensis iuxta integram tricenūm mensium supputationem. Diximus Hippocratem voluisse nonnullis fœtibus satis esse dies quadraginta, sextumq; quadragenarium, vt conualescant; quoniam diuinus Auctor eos, qui non valde ægrotant, toto sexto egere quadragenario inquit, vt sani fiant, quo percurrente in matrice existant: quos etiam potius in imbecillitate, quàm in morbo, quia scilicet in leuem inciderint ægrotationem, constitutos esse inquit. Quare Cornarium, Lalamantiumq; non recipio, qui verba illa.
"Ὅσα δὲ τῶν ὀκταμήνων ἐμβρύων μὴ σφόδρα νοσήσῃ,
"ἀλλὰ καθ' ἕν τι ἐκ τῆς μεθόδου κακοπαθήσῃ, τὰς μὲν
"τεσσαράκοντα ἡμέρας διετέλεσεν ἐν ἀσθενίῃ, τὰ δὲ
"πλεῖστα ἐν τῇ μήτρῃ. & c. eo sensu transferunt, ac si dicat Hippocrates, hos fœtus quadraginta dies vt plurimū in vtero transigere, sanosq; deinde fieri; ex quò & Lalamantius particulam δὲ censet expungēdam (quo etiam loco Caluus & Lalamantius vocem illam, ἐκ τῆς μεθόδου, relinquunt,

quæ mihi tranſitum migrationemq; pueri ſignificat ex interioribus membranis in extimam, ex locisq; ſuperioribus vteri & magis anguſtis ad inferiores locos & capaciores; quod ſupra ſignificauit eleganter Hippocrates verbo illo μετεχώρησαν & μετεχώρησῃ vt expoſuimus) nam ſic vel aliquando plures, aut pauciores, quàm dies quadraginta transigere hos fœtus poſſe diceret Hippocrates; vel extra vterum aliquando hoſce dies quadraginta tranſigere poſſe, reddiq; poſtea incolumes: quorum primum huic ſententiæ aduerſatur, in qua dies hos quadraginta his fœtibus ſatis eſſe ponit, vt conualeſcant: ſecundum, ſequentibus verbis maximè repugnat, quibus perſpicuè affirmat, eos, qui intra hunc quadragenarium naſcuntur, nullo modo
» eſſe vitales; ſiquidem ſcribit. Quicunq;
» autem natus fuerit in his quadraginta die-
» bus, eum impoſsibile eſt ſuperſtitem ma-
» nere. quare ſiue non valde ægrotauerit fœtus, ſiue valde ægrotauerit; opus eſt, vt totum quadragenarium ſextum in matrice tranſigat. Caluus tñ non accipit τὰ πλεῖστα tanquam aduerbium, ſed ad fœtus refert; qua in re, meo quidem iudicio, rectè ſentit; ſed cùm vult Hippocratem dicere, pleroſq; ob dictas neceſsitates, cauſaſuè in vulua conualeſcere, à ſcopo aberrat. Hoc enim neq; facit ad rem, neq; habet veritatem; cùm fœtus ob prædictas quidem neceſsitates ægrotare perpetuò dicat Hippocrates, nunquam ob eas ipſas conualeſcere. Itaq; ſententia eſt (ni hallucinor) eos fœtus, qui non valde ægrotant octauo mēſe, quadraginta diebus in imbecillitate perſiſtere, mox ſanos fieri; horum autem plures in matrice, dum hi durant quadraginta dies permanere; cùm alioqui eorum nonnulli ante hos confectos dies caſu aliquo, & abortione quadam excludantur, qui ſtatim moriuntur. Nam & propterea ſubiungit, quicunq; in his quadraginta diebus natus fuerit, omnino periclitari: quare & ſic erunt verba interpretanda.
» Quicunq; autem octomeſtres fętus nō val-
» de ægrotant, ſed vnam tantùm ex his, quas
» ob migrationem contrahunt, afflictioni-
» bus, perpetiuntur; quadraginta quidem
» dies ob dictas neceſsitates trāſigunt in im-
» becillitate: plurimi autem horum in ma-
» trice, iamq; ſani fiunt. quicunq; autem
» natus fuerit in his quadraginta diebus, eū
» impoſsibile eſt &c. Hæc ille; quibus nos docere voluit, etiam ſi leuiter ægrotet fętus, nihilominus intra hunc quadragenarium vitalem exire non poſſe. nam & propterea, vt huius afflictionis leuitatem, leuitatiſq; cauſam demōſtraret; dixit fętū, καθ' ἕν τι ἐκ τῆς μεθόδου κακοπαθεῖν. ideſt, vt nos interpretati ſumus, ſecundum vnam tantùm afflictionem ex earum numero, quas ex tranſitu & migratione recipit, conflictari; multas enim afflictiones, labores, ægrotationeſq; ex tranſitu in chorion fœtui oboriri, iam ſupra declarauimus, ſcilicet dolores, grauedinem, alterationem, inflammationem, & ſimilia. quo loco & illud alterum diligenter attendendum; apertè Hippocratem affirmare, ob migrationem fętus, ſcilicet in membranas exteriores, afflictiones, laboreſq; oriri octomeſtres, quod ſuperiorem noſtram explicationem mirificè comprobat: item ſi (vt ipſe apertè dicit) fœtus fortiter ægrotans mancus oritur, leuiter ægrotans citò conualeſcit, & ſine vlla læſione in lucem venit; falsò nonnullos aſſerere ex Hippocratis ſententia, qui fœtus octauo ægrotant, nono mācos, læſos, mutiloſq; oriri; qui non ægrotant, ſanos naſci. cùm non quidem octomeſtrium ægrotantium, ſed fortiter ægrotantium tantùm id eſſe proprium voluerit Hippocrates, vt mutili nono menſe oriātur. Porrò hęc verba ſic trāsfert Ferdinādus in Commentarijs, haud ſatis eorum difficultatem, vt video, animaduertens. *Com. 10.*
Quin & quicunq; embryonum octimeſtri- «
um haud vehementer infirmantur, obiter «
afflictionem pertulerunt; quadraginta qui- «
dem dies in languore tranſigunt vt pluri- «
mum in vtero, propter præfatas neceſsita- «
tes; ſani verò euadunt. quæ & mox ita «
explicat. Quicunq; autem octimeſtres le- «
ui morbo fuerunt correpti intra vterum «
maternum, tametſi per totum quadrage- «
narium afflictionem pertulerint, poterunt «
tamen ſani tandem euadere, in nonum de- «
cimumue mēſem ſeruati: quod quidem qua «
de cauſa addendum eſſe curauerim, decla- «
rabit ipſe ſequenti oratione. Oratio illa. «
ἐκ τῆς μεθόδου, verſa eſt nobis (obiter, ſeu «
perfunctoriè) ita vt leues morbos eiuſ- «
modi expoſitione comprehenderemus: «
μεθοδεύω nanq; pertranſeo ſignificat, vnde «
μέθοδος hoc loco dicta putatur. quem .n. «
ſenſum faciat. ex ſeceſſu afflictionem per- «
ferre, vt Cornarius interpretatur, ego ſa- «
nè non video. At enimuero dicendum e- «
rat Ferdinando, meo iudicio, quid dictio illa τὰ πλεῖστα ſonat in contextu, quam de induſtria videtur reliquiſſe citra enodationem. quod autem altera illa vox ἐκ τῆς

μεθόδου, significet transitum, migrationẽ, & secessum pueri ex membranis interioribus in chorion, & ex superioribus vteri locis ad inferiores; nimirum vt sibi perpetuò constans Hippocrates, causas huiusmodi laborum, & ægrotationum supra ab eo expositas nobis hoc loco insinuaret; iã diximus. quare longè ad illius mentem verior ea interpretatio, quam Ferdinandus putat refellendam.

Quod nam sit frequentius initium sexti quadragenarij. Quædam tollitur dubitatio. Item quod hic quadragenarius omni partui non sit infelix. Quædam confutatur Hippocraticorum verborum interpretatio.

Cap. 38.

VErùm vt ad varia sexti quadragenarij initia redeamus; putandum est frequentiorem initij ipsius terminum diem esse 200. magis, quàm 210. cùm alioquin iuxta tricenũm mensium rationẽ dies 210. terminus sit septimi mensis: ita vt fœtus exacto hoc tempore in vtero existẽs & mẽbranas interiores defringere possit, & laboribus initium dare. Etenim quia fœtus natura nonomestris, & decimestris sequitur, vt supra diximus, quadragenariorum rationem; huiusmodi talis quinto exacto quadragenario, scilicet die 200. principiũ obtinens perfectionis rumpit membranas interiores, vt plurimumq; non differt in diem 210. Nec obstat, Hippocratem longius tempus à conceptione ad partum dierum 280. in partu perfectissimo, quem decimestrem solet appellare, non agnouisse; ex quò & etiam vndecimestres nõ tardius, quàm septem quadragenarijs scripsit conformari: vt si fœtus in vtero die 210. motum edens pelliculas abrumperet; quia diebus 40. ægrotat, alijsq; rursus 40. eget, vt à morbo recreetur; iam die 290. oriri debeat, proindeq; gestatio diem 280. à conceptu ad partum excedat, quod in partu saltem perfectissimo Hippocrates noluit. Hoc, inquam, nihil obstat; quoniam respondemus primùm, etiam si dicere velimus die 210. incipere octauũ mensem posse, & sextum quadragenarium; tunc asserendum esse, si partus sit perfectissimus, nullam esse necessitatem, vt fœtus hic toto septimo quadragenario in vtero permaneat; sed die 30. huius quadragenarij ipsum nasci posse, & sic non plures dies quã 280. gestari: si partus non sit adeò perfectus, hunc toto septimo quadragenario, & amplius etiam geri posse, quemadmodum maiori decimestri euenit, qui ex Hippocratis sententia diebus 300. vtero gestatur. cuius certè partus maximè esse proprium, vt in eo post diem 210. sextus quadragenarius, & octauus mensis incipiat, omnino arbitramur. Deinde dicimus, in huiusmodi partu hebdomadicam periodum sectante, quæ per decadas hebdomadarum progreditur, & dierum quadragenarios; fœtũ exacto quinto, vt diximus, quadragenario, impetum facere, & tunicas defringere interiores; septimoq; postea expleto quadragenario maturum prodire; quod in alijs fœtibus non est necesse. Hinc habemus in exactè septimestribus, qui natura die 210. periodi ratione perfectionis principium adepti, quod in illis dicit absolutam perfectionem, non internis tantùm, sed omnibus abruptis tunicis in lucem veniunt, dies illos 10. vltrà 200. non esse sexti quadragenarij, vt pleriq; crediderunt; quoniam sextus quadragenarius in illis tantũ fętibus, in quibus absoluta perfectio à perfectionis principio differt; longoq; post ipsum principium dierum interstitio aduenit; &, qui in vtero sunt, ac manent, manereq; debent, & natura sunt nonomestres, ac decimestres, locum propriè habeat. Quod cum doctissimi quidam Viri nõ intelligerent, Vallesius, Ferdinandus Mena, Mercatus, alijq; nonnulli, frustra laborarunt, vt magnum hunc in Hippocratis doctrina nodum explicarent, quo pacto die 210. genitus & septimestris, & vitalis dici possit; cùm iuxta Lunarium mensium rationem octomestris sit, quem putarunt Hippocratem existimasse non vitalem, non septimestris; iuxta quadragenariorum calculum decem sexti quadragenarij dies capiat, ideoq; ex Hippocratis decreto viuere non queat. Tantumq; apud nonnullos potuit hæc difficultas, vt cùm viderent ex vna parte in libro de Carnibus octomestrem repudiari; ex altera partum dierum 210. recipi tanquam vitalem; qui tamen secundum Lunares menses in tertium diem cum dimidio octaui incurrens videtur potius dicendus octomestris; non sunt veriti asserere, modum non inueniri, quo explicari possit eiuscemodi contradictio, & difficultas; nisi dicatur, per tricenarios menses computationem factam nullo modo esse sequendã, ideoq; librum de Carnibus Hippocratis non esse germanum (ad quam quidem sacram

cram anchoram confugiunt, qui aliam nō habent dissoluendi rationem) vel si ex eius prodijt officina, quæ ibi dicta sunt, fuisse postea in Opusculo de Septimestri Partu ab eo retractata (qua de re tota superiore libro satis diximus) vel demum hoc sensu in libro de Carnibus Hippocratem esse locutum, vt dixerit, septimestrem rationem & numerum ad hebdomadas habere, & exactum septenarium; per exactum septenarium intelligens non omnino præcisè exactum, sed proximè exactum: adeò vt septimestris rationem, & numerum ad hebdomadas dicatur habere, quia nascitur in tertia decade hebdomadum; vel dimidiata, vt genitus die 282. cum horis 12. vel exacta omnino iuxta calculum Lunarium mensium, quod erit die 206. hor. 12. quæ licèt omnino exacta non sit secundum Solares menses, tamen pro exacta, & plena habetur. Verba autem illa. Tres verò hebdomadum decades ex toto sunt dies ducēti & decem. quæ maximè videbant reluctari; ita volunt esse accipienda, ac si in eis decadum computandarum ratio explicetur; adeò vt docere velit Hippocrates, tres hebdomadum decadas cōstare diebus 210. non tamen septimestres, hoc dierum nasci interuallo oportere, vt sint vitales. Hæc illi; quorum tamen interpretationem perspicio lōgissimè ab huius loci vera abhorrere intelligentia. nam quòd libri de Carnibus Auctor non fuerit Hippocrates; vel quòd hæc ipsa in Opusculo de Septimestri Partu retractentur; iam libro sexto & septimo fuit confutatum. Quòd verò ipse eo loco velit, septimestres illos, de quibus loquitur, exactum numerum, vt vitales exeant, & rationem habere ad septenarium; adeò clarum est, vt probatione ferê non indigeat, quemadmodum planius etiam infra demonstrabimus. diximus exactum numerum ad septenarium vt doceremus, non quidem dicere Hippocratem, septimestrem habere numerum, & rationem ad exactum septenarium, & hebdomadam, vt isti accipiunt; sed contra (quod longè magis cogit) numerum exactum habere ad septenarium. Habet enim græcum exemplar. ϗ ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας. quod est ad verbum. & numerum habet exactum ad septenarium, vel, vt verius dicam, ad hebdomadas. quod quidem ostendit, hunc septimestrem, de quo ipse loquitur, exactum se retinere numerum velle ad hebdomadas, qualem retinet, qui die 210. oritur, scilicet exacta, expletaq; tertia hebdomadum decade. nam & ita erat Hippocrati & dicendum, & sentiendum; veluti qui septenarij potestatem ostendere volens, partum hunc nobis obijceret, qui ex ea, quam seruat ad septenarium, exacta ratione, inter septimestres maximè est vitalis: quæ sanè altera ratio est, qua horum explicatio penitus eliditur. Nihil enim probaret Hippocrates, nisi exactum ad hebdomadas numerum hunc partum mōstraret retinere: quod & de partu dierum 280. ob eandem causam demonstrauit. Quare & meritò perspicuè adiecit, habere septimestrem hunc partum tres hebdomadum decadas; in vnaquaq; verò decade dies esse septuaginta; vt necessariò posteà colligeret, hunc partum habere dies 210. quemadmodum fecit: nec alius certè sensus aptari his verbis potest, nisi illa extorqueri, miserèq; violari patiamur. Quare non est dicendum, Hippocratem ex philosopho, & medico repente arithmeticum factum, quod vel pueris notum erat, docere nos voluisse; supputandarum videlicet decadū rationem. nam quis est, qui ignoret, si decas hebdomadum dierum est 70. tres decadas dies 210. continere? quanquam & malus omnino esset Arithmeticus, si puerum die 206. cum semisse genitum, tertia exacta hebdomadum decade ortum, vt isti volunt, intelligeret. Senex igitur sapiētissimus totum hoc adiecit, vt monstraret, tanquam suo proposito conducens, partus illos septimestres diebus 210. constare, & sic exactum numerum habere ad hebdomadas; proindeq; in hominis vita magnam esse septenarij potestatem. de qua re infra in huius loci explicatione; vbi testimonia aduersus nostram positionem ex Hippocrate allata, ventilabimus.

Vberius dicta redarguitur interpretatio; monstraturq; fusius, sextum quadragenarium non esse omni partui infelicem.

Cap. 39.

SEd quid amabò est, quod istos angit? an quòd dixerit eo loco Hippocrates, septimestres gigni die 210? At certè si id tantùm ibi asseruisset, meritò de huius dicti veritate dubitari posset. At secundo, sextoq; Epidemicon partum dierum 210. videmus confirmatum, & à Galeno in Cōmētarijs; item & libro de Alimento; vt omnem ruere ipsius doctrinam sit necesse, tāti Viri dignitatem pessundatum iri, nisi aliam viam habeamus, qua, cur hos partus

Sect. 3.
Sect. 8.

ipse

ipse receperit, recipiensq; sibi ipsi non sit contrarius, monstrare valeamus. Longè igitur Ferdinandi, Vallesij, Gorræi, Mercatiq; opinio probabilior, qui tametsi dies 210. ob sextum quadragenarium reijciant, hac in re ab Hippocratis mente longè alieni; tamen pro diebus 204. positos contendunt; neq; librum Hippocratis esse negãt, neq; damnant per tricenarios menses factã computationem. quorum quidem disputatio ne minimum quidem ab illis labefactatur, qui dicunt, difficultatem ex hoc ab eis non tolli, quòd asserunt, septimestres absolui posse, quatenus sexti quadragenarij minimum capiant; nimirum quia in virtute quadragenariorum parum omnino sit fidendum: quandoquidem si Hippocratem recipiamus, in virtute quadragenariorum omnino fidendum est; cùm omnis octaui mensis infelicitas apud ipsum à sexto quadragenario pendeat & oriatur; octauusq; Hippocrati infaustus sit, non quia octauus, sed quia sextus quadragenarius illum capiat: ex quò & libello de Septimestri Partu scriptũ legimus, quadragenarios in fœtibus primùm iudicare, idest principem locum habere in iudicando, qua de re satis supra. Sola igitur nostra interpretatio, nisi communis φύλαυτια me decipit, omnem tollit ex Hippocratis dictis contradictionem, omnem explicat difficultatem; sola tantum virum sibi perpetuò, & vbiq; locorum consentaneum ostendit, sola, vt hasce effugiamus plagas, operatur. Pungit istos vehementer, quòd libro de Carnibus partus dierum 210. maximè vitalis partus esse dicatur; quod sanè spatium cùm sexti quadragenarij dies decem capiat, non videtur vitalem partum posse continere: at superius à nobis iam fuit explicatum, fœtui natura septimestri, si modò naturæ legem seruet, cùm in lucem venit, sextum quadragenarium non officere; tertio libro ex Aristotele ostensum, graues illas mutationes, quæ octauo mense fœtum vexant, in hoc partu locum non habere: quod & latius infra probabimus, demonstrantes labores, quos Hippocrates vocat octomestres ac sexti quadragenarij, naturæ lege huic partui non conuenire, quare non est timendum, vt vllam ex eo noxam dierum 210. partus recipiat: quo pacto neq; qui die 204. neq; qui die 206. cum dimidio, exacto scilicet Lunari septimo oriuntur; hoc ipso quadragenario lædi possunt. Quòd si fœtus est sua natura nonomestris, vel decimestris, nullus est huius quadragenarij dies, qui perniciem non afferat insignem. Vnde hic partus siue in principio, siue in fine huius quadragenarij oriatur, siue die 202. siue 204. siue 206. siue 237. videlicet in fine Lunaris septimi, vel initio Lunaris noni, huius quadragenarij vires sentiet: vt nullo modo audiendi sint, qui dicunt, sextum hunc quadragenariũ principium habere vitalem, scilicet dies sex cum dimidio, qui sunt terminus Lunaris septimi; item & finem; quod est principium Lunaris noni; videlicet à die 236. ad 240. ex quò & perperam arguunt, si in principio huius quadragenarij, & fine vitalis partus oritur, in medio etiam oriri posse, quia non sit maior ratio extremorũ, quàm medij: satis enim perspicuum est ex Hippocratis sententia, cùm locum habet, vim, ac potestatem (habet autem quando partus nonomestris existens periodum sequitur quadragenariorum) totum esse non vitalem, totum infelicem. ex quò & Hippocrates principio noni mensis tricenarij in lucem prodeuntes, qui post sextum expletum incipit quadragenarium, difficillimè viuere in Opusculo de Septimestri Partu notatum reliquit, quia parum absunt à fine sexti quadragenarij, vt libro septimo, ac supra monebamus; quibus vltimos ipsius dies contra istorum sententiam esse nõ vitales apertè docuit. præterquàmquòd si vbiq; clamat Hippocrates, per dies 40. fœtum in vtero laborare; omnes huius quadragenarij dies putat infelices; ac tàm finem, quàm principium ipsius existimat noxam afferre: cæteroqui decipere hoc quidem esset, non docere, si dies quadraginta fœtui ægrotationem afferre perpetuò dicens, neq; etiam triginta vellet hanc vim habere; cùm ex istorum calculo dies tantùm 29. hor. 12. ex toto hoc quadragenario nocendi habeant potestatem, fętusq; reddant non vitales: eò quòd primi ipsius dies, qui septimum Lunarem mensem claudunt, qui sunt 6. cum hor. 12. item vltimi quatuor, qui noni Lunaris principium continent, secundum eos sint vitales. Torquet istos, quòd per menses tricenarios fiat in hoc partu computatio; at id naturæ legibus, Hippocratis, Aristotelis, Galeniq; dictis esse consonum; nec propterea, si hunc calculum recipiamus, Hippocratem à semetipso esse dissentaneum, libro superiore abundè probatum est. Excruciat istos, quod partus septimestris dierum 210. iuxta Lunarium mensiũ quantitatem fiat octomestris, ideoq; non vitalis;

Cosa. li. de Hom. Con. Cap. 23.

lis; at dictum est, octauum non esse timendum, quia octauus est, sed quia in sextum quadragenarium incurrat; quare cui fœtui sextus quadragenarius nõ est infensus, huic neq; etiam octauus mensis est inimicus. quamobrem nil refert, si de octauo Lunari dies tres, vel quatuor accipiat; cùm & decem capiat, quod magis est de sexto quadragenario, & nihilominus ob dictam causam nil lædatur. Quòd verò alia, & alia supposita mensis quantitate, maiore scilicet, vel minore, partus, qui vno modo septimestris est, dici posit alio octomestris, vel è contra; iam quæ ex Gorrço, Mercatoq; libro secundo adduximus, perspicuè docuerunt. Turbat demum istos, quòd Hippocrates solùm die 210. genitos vitales partus videatur efficere; at animaduertere poterant, diuinum Senem illud tãtùm velle in sua illa libri de Carnibus disputatione, aliud præterea nihil; hos partus inter septimestres (qua de re infra vberius) esse vitales magis, non quidem solos esse vitales; nimirum quia exactum numerum seruantes ad hebdomadas perfectiori periodo in lucem veniunt, septenarijq; potestatem, quam ipse credidit esse maximã, perfectius participant: quod & de partu dierum 280. pariter indicauit ob eandẽ causam. Nam & propterea, vt paulò supra dicebamus, horum duorum partuum tantùm facit mentionem. hos enim solos tãquam ad septenarium exactum numerum seruantes septenarij vim, ac potestatem videbat comprobare. nam & si alios septimestres putauit non vitales, quia non percenset; iam & nonomestres, vt etiam clarius infra dicturi sumus, existimauit obituros, quos non commemorat: quod longè à vero est alienum.

Nonnullorum quorundam adducitur opinio, & confutatur. Proposita superius Hippocratis sententia enarratur.

Cap. 40.

Costæ. li. de Hum. Con. Cap. 23.

POrrò autem nec me præterit, Recentiores quosdam quousq; septimestris partus vitalis terminus extendatur perquirẽtes; dicentesq;, cùm hac de re libello de Partu Septimestri nil statuatur; Auctor verò libri de Principijs dies 210. absolutè quærat, Galenus autem 204. rem esse plenam dubitationis: nempè quia septimi Lunaris mensis finis dies sit 206. cùm aliquot horis; tricenarij & vulgaris dies 210. vt si sequamur mensis rationem, non solùm dies 204. sed præter Galeni sententiam dies 206. & 210 pro vitali termino habendus videatur; at si quadragenariorum spectemus initium, neq; etiam dies 204. sed tantùm dies 200. pro vitali termino sit cõstituendus; quoniam ex Hippocratis decreto, qui pari nascuntur quadragenario, non sunt vitales. Cùm, inquam, ita dubitassent; vt hunc nodum dissoluerent, sic postea statuêre. Septimestres verè maxima ex parte aptos non esse vt viuant, nisi qui à 182. die cum hor. 15. vsq; ad diem 200. nascuntur: qui verò in reliquis in lucem exeunt, licèt longè rarius viuant; proponi tamen illos, vt intelligamus, qui illos excedunt, extra omnem spem esse viuẽdi; qua, qui intra illos terminos prodeunt, non prorsus sunt destituti: propterea, quãuis in libro de Principijs numerorum ad Pythagoricam disciplinam potius quàm Lunæ circuituum ratio habeatur; non reijciendos tamen posteriores dies illos esse, quando eos non negligat Auicennas; quãdo etiam consentit ratio, vt, cùm Lunæ vis sit à Sole, atq; à Sole sit fœtus generatio, & perfectio; vulgaris quoq; mensis inter Solarem & Lunarem medius, non negligatur. Sed certè quanquam hæc & doctè & subtiliter disputata sint; constat tamẽ nullo modo eis receptis difficultatem tolli, quæ ex Galeni dicto, atq; ex assertione libelli de Principijs, item ex ratione quadragenariorum oritur circa terminum vitalem septimestrium. Constat etiam, aduersus ipsa, si firma nostra maneant, non exiguas oriri dubitationes. si enim quadragenariorum vlla est virtus; si quadragenarius sextus partum necat; si quadragenario pari editus ex Hippocratis decreto nõ est vitalis; quo pacto die 204. longèq; magis 210. genitus, viuere poterit? neq; enim scrupulum tollit, qui dicit, post diem 200. in lucem exeuntem viuere quidem licèt longè rarius: nullo enim modo viuere tales posse sequeretur, si vera essent, quæ pleriq; de sexti quadragenarij prædicant malignitate. Itaq; longè fortasse tutior nostra solutio; videlicet non semper, neq; omnibus fœtibus sextum quadragenarium esse inimicum; propterea multos partus non solùm die 200. sed die 204. & 210. & vltrà excludi vitales. vt interim taceam neq; ad numerorum Pythagoricorum rationem libello de Principijs septimestriũ terminum esse constitutum; cùm in Epidemicis, & libro de Alimento, vbi de Pythagoricis numeris nulla est mentio, idem terminus

minus tanquam perfectissimus, & vitalissimus recenseatur, proptereaq; cum perfectissimo termino dierum 280. coniũgatur; neq; Hippocratem vllibi dixisse (quòd meminerim) pari quadragenario genitum fœtum non esse vitalem. quin potius libro de Alimento partũ dierum 300. recipiens, ac vitalem esse statuens, qui in parem quadragenarium incurrit, videlicet in octauum; contrarium omnino videatur docuisse. Verùm his ita cognitis, & longa oratione disputatis, non erit fortasse nũc difficile grauissimæ simul ac obscurissimę huius sententiæ veritatem attingere, quam locus iam est, vt explicemus. Dixerat Hippocrates paulò supra, septimestres, qui 182. die cum semisse oriuntur, si manerent in vtero, labores octomestres esse subituros: dixerat malas hasce afflictiones octomestribus interitum afferre: demum, qui nam sint hi labores octomestres, quam ob causam oriantur, explicauerat; initium ducere eos simul affirmans, cùm fœtus fuerit ætatis septimestris; adeò vt post diem 183. incipere posse existimauerit. multaq; de infelicitate huius temporis disseruerat; addens tunc mulieres malè se habere, ita vt sæpè simul cum fœtibus periclitentur; quæ omnia ita esse, vberrimè supra ostendimus. Cùm igitur hęc omnia docuisset Hippocrates, mensisq; septimi naturam aperuisset; verbis, quæ nunc enarranda suscipimus, octaui mensis naturam explicare aggreditur, & quod illi superioribus receptis contingere videbat, ostendere; græcarumq; mulierum detegere errorem. quæ profectò mulieres, tametsi dicerent, & rectè, octauo mense difficillimè se vteros ferre; quia tamen octaui mensis naturã ignorabant, plerunq; decipiebantur; & quod octaui proprium est, septimo vel nono mẽsi tribuebant; vel è contra quod proprium est septimi, aut noni, octauo impertiebãtur. hunc enim verũ esse his verbis, præcipuumq; Hippocratici consilij scopum, sequenti disputatione ostendemus.

Allata Hippocratis verborum comprobatur explicatio.

Cap. 41.

INquit ergo, mulieres dicere, octauo mẽse difficillimè se vteros ferre, & quod ad hanc rem pertinet, rectè dicere; cùm verè octauus mensis difficillimæ sit semper gestationis. Verùm quia mensis octauus non solùm est tempus hoc, quod scilicet septimum mensem sequitur integrum & exactum, atq; inter hunc, & nonum interiacet, vt mulieres eum computare solent; sed & dies illi accedunt aliquando à septimo mense, aliquando verò à nono, & aliquando demum ab anno; adeò vt à sua interdum sede amoueatur: hos verò dies, & varietatem hanc nõ similiter accipiũt mulieres, neq; cognoscunt; egregiè propterea illas decipi oportere. prẹterquàmquòd & octaui mensis nomine quadraginta dies intelligere debent, non dies tantùm 30. cùm octaui infelicitatem hanc, & labores dies quadraginta metiantur. Cùm autem hæc dixisset Hippocrates; vt tanti arcani rationem aperiat, errandiq; causam ostendat maiorem; subdit, hosce dies, qui octauo è septimo & nono accedunt; non eodem modo esse sumendos: ita vt ex vtroq; mense simul accedant; sed intelligendum esse, aliquando à septimo mense plures dies ad quadraginta integrandos sumi, aliquando ex nono: vt si ex nono mense incrementum veniat, ex alio plerunq; nequeat accedere: quod tamen intelligas habere veritatẽ, cùm sedem euariat octauus mẽsis. hoc autem contingere necessariò, idest vt vel à septimo, vel à nono dies illos plures capiat mensis octauus; pro mensis, ac temporis ratione, in quo conceptio fiet. quæ concisè & obscurissimè dicta, atq; ad hanc vsq; diem fortasse nõ intellecta, locum hunc difficillimum reddiderunt. At si quæ abundè tractauimus præcedenti libro, ad memoriam reuocemus; si quæ ex eo excerpta superius compẽdiò attulimus; item quæ pro aperiendo totius Hippocraticæ disputationis nexu, & scopo disseruimus, animo versemur; videbimus hæc omnia luce meridiana esse clariora. Dictum est supra capite primo fœtuum alios esse decimestres, alios verò septimestres; & inter hos citius alios, alios tardius maturescere pro materiæ, ex qua formantur, ratione, & agentis virtutis ad materiam ipsam proportione. item sexto capite menses partus ab apparitione menstruorum esse computandos. item capite quinto, in conceptione mulieri tempus, in quo fluũt illi menstrua, esse dandum; vt scilicet suscepto semine, ac retento in vtero, inde ad dies tot fiat conceptio, quot illi, quæ conceptura est, fluere menstrua solent; quæ res abundè præcedenti libro exposita à me fuit. dictum est rursus capite nono, fœtuum conceptionem circa interlunium, ac plenilunium fieri & circiter. postremò proba-

tum est, octauum mensem post diem 183. ex Hippocratis sententia incipere posse. Omnia igitur hæc compertissimum habeo Hippocratem cogitasse, dum scriberet præsenti loco, modò è septimo, modò è nono dies octauo mensi accedere; idq; necessariò fieri, prout mulier tùm mense, tùm tempore in vtero cõceperit. Mensis enim nomine eam mensis partem intellexit, in qua fit conceptio; interlunium videlicet, plenilunium, & circiter. nomine verò temporis, dies illos, qui mulieri pro conceptione tribuuntur; pro quorum numero & ratione de fœtus temperamento iudicatur. siquidem hos dies tempus solet appellare, videlicet quod mulieri dandum est pro conceptione facienda, vt in Opusculo de Octomestri Partu verbis illis. Oportet igitur mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio continget; & hoc tempus, quibus breuissimum fit, tres sunt dies. Itaq; sententia erit, pro mensis ac temporis huius ratione varietatem omnem octauum mensem recipere; quo loco dictio illa, necesse, perpendenda est. Vt enim Galenus tertio secto Aphorismorum admonet (quod sępè etiam in hoc opere notauimus) vbi ea Hippocrates vtitur, non tàm obseruationem aliquam, quàm rei naturam sequitur, ac rationem. Si enim mulier interlunio concipiat, ac intra tertium diem; fœtus ob causas capite primo, secundo, tertio, & nono allatas, natura erit septimestris; itaq; die 183. à conceptu maturari poterit, à nouilunio ac menstruorum apparitione die 186. Siquidem dies tres ad summum dandi sunt huic mulieri pro conceptione efficienda; & per decimum caput ab apparitione menstruorum computatio in his ineunda est; cùm alioqui in nonnullis dies vnus satis esse posit, quia nonnullis vno tantùm die menstrua fluant, vt septimo libro ostensum fuit: adeò vt in huiusmodi talibus die 184. à nouilunio, & à menstruorum apparitione maturitatē fętus recipere posit. Atq; hinc palàm est, quàm rectè scripserit Hippocrates, hæc fieri necesse esse, prout contigerit mulierem in ventre concipere tùm mense, tùm tempore. In huius enim fœtus gestatione, si fœtus ipse statuto, ac naturali tempore oriri nequeat; octauus mensis incipiet die 184 vel 186. à fluxu menstruorum: quo pacto mensem octauum primo modo ex quatuor supra enarratis accipiemus; videlicet cùm septimestris natura suo tempore non oritur. itaq; dies illi plures accedent ex septimo ad quadraginta; nimirũ numero 22. & 20. iuxta mensium Lunarium quantitatem, tricenum verò 26. & 24. siquidem à die 184. & 186. ad 206. cum semisse, qui septimum Lunarem explent, dies sunt 22. & 20. ad 210. qui tricenarios septem terminant exactos, dies numerantur 26. & 24. idemq; contingere reperies, si quarto modo mensem octauum sumamus; videlicet quatenus ad nothos septimestres pertinere potest. Et quãtò tardior post diẽ 183. erit maturatio, tantò pauciores octauo ex mẽse septimo dies accedent. Quòd si secundo modo illum accipiamus; iam dies non amplius ex septimo octauo mensi accedent, sed ex nono. Si enim alicui mulieri, quæ ob causas primo capite, secundo, & quarto adductas ad nonomestres gignendos, ac decimestres apta sit, decrescente mense mẽstrua appareant; videlicet interlunio & circiter; huic fluent menstrua per plures dies, vt caput quartum docet: siquidem ita statuit ad finem Opusculi de Octomestri Partu Hippocrates. Et hoc tempus (inquit) quibus breuissimum fit, tres sunt dies; plerisq; autem multò plures. qua de re superiore libro satis diximus. Fluant igitur, exempli gratia, ad dies vsq; septem, desinentibusq; mensibus cum viro hæc cõiungatur; nam & tempus hoc commodissimum esse memorato libro de Hippocratis mente docuimus, quin etiam & in plerisq; necessarium; quia si incipientibus illis mulier ad virum accedat, vt ibi diximus, iam mox superuenientis sanguinis copia facillimè genitura obruatur, vel elui posit: vt meritò hac de causa diuinus Hippocrates citato Opusculo, vt suo loco monebamus, scripserit plurimis mulieribus necesse esse in ventre concipere post menstrua purgamenta. Itaq; conceptio fiet post septem alios dies, vt quinto capite supra docuimus; nimirum ab apparitione menstruorum die decima quarta: & quoniam fœtus natura decimestris est, vel nonomestris, non ante diem 200. à cõceptione membranarum diruptio continget: quod tempus ab apparitione menstruorum si computabimus, erit dierum 214. tuncq; incipiet octauus mensis, ac dies quadraginta; qui in diem 254. terminabunt, proindeq; octauo dies ex nono tricenario 14. accedent, ex Lunari verò dies 18. atq; eò plures accedent, quò dies fluxus plures erunt, & conceptio propterea tardior fiet; vt quisq; per se facilè supputatione adhibita cognoscet. Diximus autem & octauum mensem, & dies quadraginta

Aph. 12.

ginta secundum hanc computandi rationē incipere die 214. vt tertium modum, quo accipitur octauus mensis, significaremus; qui semper cum alijs tribus coniungitur: cùm labores octomestres prima octaui mēsis die incipiant, ac dierum quadraginta spatio iudicentur. Possunt etiam & alio modo Hippocratis verba intelligi; cùm enim ipse de mense primo dies 15. de septimo 20. & paulò amplius sumēdos esse scripserit; quod spatium dies 182. cùm horis 15. efficere demonstrauit; si die vigesima mensis septimi non oriatur infans, ruptisq; pelliculis, labores ægrotatioq; incipiat octomestris; in hoc casu die 21. septimi mēsis incipiet mensis octauus, sextusq; quadragenarius; quo pacto ex septimo mense dies decem ipsi octauo accedent.

Proposita sententia fusius enarratur. Obscurissimus locus ex secundo Epidemicon declaratur de temporis partus computatione.

Cap. 42.

SIc ergo videmus vtroq; modo mulieres hallucinari; vt quæ à mēstruorum apparitione menses partus computantes, idēq; esse conceptionis tempus arbitrantes, & hanc mensis octaui naturam ignorantes, quoue modo dies interdum à septimo, interdum à nono illi accedant; labores, qui in eo verè accidunt, in septimo, vel in nono contingere credunt. siquidem primo exemplo mulier labores illos se perpessam esse septimo mense dicet; secundo exemplo mense nono; cùm alioqui vtroq; modo verè octauo mense obtingant, quia dies septimi, ac noni octauo accedunt: ita vt octaui dies non septimi amplius, vel noni dici debeant. Atq; hoc est, quod concinnè, licèt obscurissimè, secundo Epidemicon monebat Hippocrates, ita scribens, vt ego interpretor. Quæ ad septimestres, nosse oportet & à menstruorum apparitione numerantes nouem menses, & à conceptione, & ad septuaginta ac ducentos dies græci menses fiunt. & si quid amplius vltrà hos est. & aut masculis, aut fœmellis hæc fiūt, aut contraria. Non enim loquitur de fœtibus natura septimestribus, videlicet de illis, qui vel ineunte, vel expleto septimo in lucem exire debent. enimuero non adderet, ad illa cognoscenda, quæ ipsis eueniunt, nouem menses esse numerandos; quod quidem perperam additum fuisset, & incassum: sed septimestrium nomine eos fœtus

Sect. 3.

intelligit, quos Opusculo de Septimestri Partu ætatis septimestris appellauit; labores tunc temporis octomestres superuenire illis docens, & nono mense, ac septimo quadragenario gigni maturos. Quamobrem vera sententia est, ad dignoscenda ea, quæ nonomestri fœtui, cùm septimestrem ætatem attingit, accidunt (& vt vno verbo dicam) ad tempus habendum, in quo incipit ægritudo, quæ hunc fœtū, cùm ætatis fuerit septimestris, corripit; & in quo verè illi incipiūt labores octomestres; ac mēsis octauus, & sextus quadragenarius initium habent; nouem menses & à fluxu mēstruorum esse numerandos, & à conceptione: nimirum quia pro varia hac computādi ratione septimus mensis, ac proinde octauus variam sedem nanciscantur. cùm in nonomestri, si à conceptione incipias cōputare, octauus mensis aliam habeat sedē; aliam verò, si à menstruorum apparitione calculum ducas, vt græcæ faciebant mulieres, quia veram conceptionis diem ignorabant; quo quidem pacto euenit, vt plures octauo dies de nono accedant. Interpretati autem sumus, & à menstruorum apparitione numerantes nouem menses, & à conceptione; non vt alij, aut à mensiū fluxu, aut à conceptione (quanquam & hoc etiam in idem ferè redit) quia particulam ἢ pro καὶ hoc loco ab Hippocrate vsurpari, vt aliquando græcis mos est Auctoribus, ipsa orationis series, nostra sententia, perspicuè admonet. cuius quidem particulæ alium esse aliquando apud Hippocratem à consueto vsum, Galenus quoq; tertio Cōmentario κατ᾽ ἰητρεῖον animaduertit. Inquit autem diuinus Vir, & si quid amplius vltrà hos est, vltrà scilicet dies 270. ob Solaris anni, vt suo loco monuimus, quantitatem; quæ annum ab eo vsurpatum dierum 360. excedit diebus quinq; cum quadrante. Item adiungit, & masculis, & fœminis hæc fieri; hæc scilicet, quæ fœtui eueniunt, cùm septimestris fuerit ætatis, proindeq; labores octomestres; vt ostendat, vtrunq; sexum his laboribus subijci. Postremò addit, aut contraria; vt monstret nullam esse necessitatem, vt omnibus fœtibus tùm masculis, tùm fœminis semper hi labores superueniant; cùm possit etiam contrarium obtingere: quod in septimestribus, & octomestribus secundum naturam prodeuntibus infra ostendemus habere veritatem. vt ex hoc etiam loco nostrū hoc dogma mirificè comprobetur; quòd scilicet Hippocrates non omnes octome-

ſtres putauerit eſſe mortales. Sic nos obſcuriſsima hæc verba interpretamur; viderint alij, vtrum huiuſmodi interpretatio Valleſiana & Foeſia ſit probabilior. Hæc igitur Hippocrates in præſenti loco; quæ ſi vera ſunt, vt veriſsima eſſe, debent exiſtimari; eant modò Iuriſprofeſſores ſi poſsũt, & octomeſtrem hac de cauſa reijciant, quia octauo menſe in lucem veniat; ſeptimeſtrẽ recipiant, ac nonomeſtrem, quia ſeptimo, ac nono iuxta integrorum menſium computationem oriantur. Quàm firmum enim hac in re ac tutum iudicium illorum ſit futurum, ſatis diſputatio ſuperior demonſtrauit; ex qua compertiſsimum eſt, poſſe interdum euenire, vt partum verè ſeptimeſtrem, vel nonomeſtrem pro octomeſtri accipiant; & ſic iniuſtè iuxta etiam propria dogmata illum reſpuant: aut verè octomeſtrem, quem reijcere debebant, pro ſeptimeſtri, vel nonomeſtri falsò admittant. vt concludendum ſit, ſi Hippocratem, cui tantoperè lex tribuit, ſequi velint; nullam ijs eſſe rationem, qua tutò octomeſtres cõdemnare valeant.

Alia, quæ ſequuntur, verba explicantur. Quo modo ex anno dies octauo accedant.

Cap. 43.

EXplicauimus, niſi fallor, abundè pro præſenti inſtituto, quo ſenſu dictum ab Hippocrate ſit, dies octauo menſi aliquando à ſeptimo accedere, aliquando verò à nono: ita vt ſi ab vno menſe capiat hoc dierum incrementum (quòd cùm ſedem euariat octauus menſis, veritatem habere, vt ſupra diximus, intelligendum eſt) ab alio nequaquam illud accipere poſsit; demonſtrantes neceſſe eſſe ita fieri, prout contigerit tùm menſe, tùm tempore mulierem in vtero concipere, quemadmodum pulchrè ſcriptũ Hippocrates reliquit; græcarumq; mulierum ſimul errorem aperuimus. Reliquum eſt nunc, vt alia perſequamur, oſtendamuſq;, quo modo ab anno octauo menſi dies accedant; cur minimè dubius idem menſis ab Hippocrate dictus ſit; demum quem habeant ſenſum, quæ de vndecimo menſe proferuntur. Porrò autem primi capitis exitum facilè, ac breuiter expediemus, ſi ea, quæ libro prędecedenti de anni ac menſium quantitate diximus, qua Hippocrates potiſsimum vſus eſt, ad memoriam reuocabimus: quod ſcilicet annum dierum 360. menſem dierum 30. eſſe ſuppoſuerit. Enimuero, cùm vera anni quãtitas Hippocraticum annum ſuperet diebus quinq; cum quadrante; ſiue dierum, quos ἐπαγομένυς vocant, rationem habeamus, quam Lalamantius videtur habuiſſe, licèt nullam huius rei faciat mentionem: ſiue menſium intercalationis; ſatis hinc conſtat quo modo ab anno octauo menſi veræ illius quantitatis ratione dies accedere poſsint. Addi enim temporis aliquid his de cauſis ipſi neceſſe eſt, ſeu Lunarem illum excogites, ſeu tricenarium; vt meritò ab anno dies octauum menſem capere ſcribat Hippocrates. Nam & hoc eſt, vt paulò ſupra dicebamus, quod ſecundo Epidemicon ſcriptum legimus, ad ducentos ac ſeptuaginta dies græcos menſes finire, & ſi quid amplius vltrà hos dies eſt adijciendum: quod dierum ratione, quos ab anno menſes accipiunt, dictũ eſſe nemo inficias ibit. Sunt enim nouem menſes græcanici tricenarij dies 270. vt ibi dicit Hippocrates, & aliquid amplius, ob dies, qui ſuperſunt. Mulieres igitur græcæ tempus iſtud octauo anni ratione additum non conſiderantes, labores in nono ſe perpeti arbitrabantur. Etenim cùm dies octauo ab anno accedunt, de nono partem octauus aliquam capere videtur: quod contuens Hippocrates ſecundo loco, vbi de incremento dierum ex nono agit, nil amplius de anno ſubiungit; nimirum quia videbat id incrementum, ſaltem quo ad ſenſus apparentiam, in idem redire; vel ſi magis placet, quia videbat exigui eſſe momenti. Iam verò ſi hæc rectè intelligantur, quàm verè ἀναμφισβήτητος octauus menſis ab eo dicatur, ideſt minimè dubius, quod ſecundo loco explicandum propoſuimus, ita vt eius ratione difficilis reddatur omnino iudicatio; omnes arbitror habere exploratum. labores enim, qui fœtum, ac parentem mirabiliter affligunt, ſemper in octauo eueniunt; tametſi interdum in ſeptimo ob ſuperius expoſitas cauſas, interdum in nono contingere mulieribus videantur: vnde nulla dubitatio eſt, quin difficulter in octauo menſe vterum mulieres gerant, difficiliſq; in illo ſit iudicatio; malam ſcilicet ob ægritudinem, ſæuaq; ſymptomata, quæ in octauo fœtum, ac matrem adoriuntur: de quibus omnibus paulò ſupra pleniſsimè actum fuit. Eſt enim τὸ δύσκριτον, ideſt difficile iudicatu apud Hippocratem, vt concinnè Galenus ex eodem Aphoriſmorum tertio ſecto explicat, idem quod κακόκριτον ideſt mali iudicij; quod eue-

Aph. 8.

euenit, cùm periculosa symptomata, vel statim interimẽtia iudicationem ipsam comitantur. quæ omnia in laboribus & ægritudine, quæ octauo mense fœtum infestat, locum habere, ex superiori disputatione palam fuit: vt plerunq; & conceptus, & mater simul pereant, quemadmodũ Hippocrates admonuit; atq; hæc de secundo capite. Tertium vt enodemus, illud, quod & supra innuebamus, animo percipere ex superioribus disputationibus oportet, ac memoria custodire, videlicet fœtus ex Hippocratis sententia non longiori tempore à conceptu ad partum gestari, quàm mense decimo; propterea Opusculo de Pueri Natura ab eo dictum esse, mulierum contingere errato, quòd partus diutius geri credatur; hoc tamen tempus vndecimum mensem interdum attingere pro mensis, ac temporis ratione, in quo mulieres conceperint. quod enim ex libello de Octomestri Partu abundè septimo libro exposuimus conuenire diebus 280. id longè magis locum habere in decimestri confecto spatio, diebus scilicet 300. nemo dubitabit.

Quo sensu dixerit Hippocrates, partem in vndecimo mense mensem esse. Ferdinandi Menã adducitur expositio, & reijcitur.

Cap. 44.

CVm igitur in præsenti loco eam Hippocrates, & gestandi, & computandi rationem attigisset, quam pluribus in calce Opusculi de Octomestri Partu erat explicaturus; dixissetq;, mensem octauum accipere dies modò à septimo, modò à nono; ita vt varia fiat sedes eius: id autem totum dependere à mense, & tempore, in quo mulier in vtero conceperit; cuius rei ratione multa in mensibus oritur varietas: ita vt gestatio vel diuturnior, vel breuior esse credatur. cùm, inquam, hæc dixisset; ad horum omnium cõfirmationem subdit. Et mea sententia &c. quasi diceret. atq; mea sententia hac habita computandi, cõcipiendiq; ratione, non solùm octauus mẽsis è propria sede remouetur longiores limites accipiens, verùm vndecimi pars habetur mensis ad pariendum idoneus, vt gestatio illum interdũ attingat. Hæc Hippocrates; qui secum ipse cogitans, non propterea formationem fœtus verè adeò esse diuturnam, vt à conceptu ad partum gestatio in mensem vndecimum perueniat: quæ profectò eodem teste mensium decem spatio longior esse nequit; sed ob computandi rationem à mẽstruorum apparitione vndecimo contingere, vt mẽsis partui idoneus esse credatur; idcircò subdit, non esse hac de causa mensem vndecimum memoratu dignum, & admiratione: nimirum quia non conformationis, ac gestationis ratione id ei conueniat (quo modo valde memorabilis existeret) sed tãtùm ratione computationis mẽsium à mẽstruorum apparitione. Hæc (nisi fallor) vera est, ac palmaris loci huius abstrusissimi interpretatio: qua recepta commodissimè vulgatam lectionem retinemus; nec cogimur aut verba violenta peregrinaq; interpretatione extorquere, aut immutare; cum Caluoq; ἀμφισβήτητος legere, mox εὔκριτος cum nonnullis Recentioribus, aut δέκα, vel δώδεκα cum Caluo rursus & Lamantio; demumq; ἐυμένιςα cum Cornario: qui omnes (pro suo quisq; arbitratu) cùm se se è tantis tenebris nescirent explicare, locum hunc innumeris, varijsq; lectionibus mirificè vulnerarunt. vt nil sit mirum, si Ferdinandus Mena vir doctissimus in illius explicatione hærere videatur; scribit enim. Prima orationis huius particula, aliter scribitur in Codice Veneto, ac legebat Cornarius. Sic enim Græcè. κατ' ἐμὲ καὶ τὸ μέρος ἐν τοῖς ἕνδεκα μησὶ, μὴς ἐςι, ὥςε τοῦτον οὐ μνημόνευτον εἶναι. hoc est. Mea sententia, pars mensis vndecimi mensis existit, etiam si memorabilis non sit. Ita vt hoc notetur discriminis inter vndecimum & alios menses: quòd aliorum plus dimidio requiratur, quemadmodum ex Galeno, in præcedenti Commentario sumus interpretati; in vndecimo verò sufficiat minor portio ipso dimidio. Quod constat liquidò ex eo, quòd libello de Octimestri Partu, ducẽtos & octoginta dies sæpè mẽsem vndecimum attingere pronunciauit, qui septem quadragenarios efficiunt, & quatuor hebdomadum denarios: quod fieri haudquaquã potest, nisi satis sit, in paucis diebus vndecimum attigisse mensem. Quem sensum fortasse Plinius, alioqui in enodandis obscurissimis pigerrimus auctor, illis insinuauit verbis: quæ humanos partus admittere videntur septimestres, octimestres, vsq; ad initia decimi & vndecimi. Quòd si memorabilem portionem cuiusq; mensis postulaueris, quemadmodum Cornarius volebat, Oedipo expositore opus est. ac sanè sic quidem Hippocraticam assertionem assequeris, quæ septem quadragenarios vndecimum mensem pertingere, manifestè declarat. Sed certè, si no-

Com. 7.

si notat discrimen Hippocrates inter vndecimum, & alios mēses; si hoc discrimen est, quòd aliorum plus dimidio requiratur; in vndecimo verò sufficiat minor portio ipso dimidio: quo pacto dicere potuit præcedenti Commentario Ferdinandus, in partu vndecimestri de primo mense, nō solùm de postremo & vndecimo, minorem partem ipsa dimidia esse capiendam? quod & alibi sæpè non semel confirmauit? quo pacto ipse Hippocrates libello de Principijs potuit, dierum 280. partum nouem mensium partum ac dierum decem appellare? ita enim & decimus quoq; cum vndecimo cōueniret; cùm minor portio ipso dimidio, scilicet dies tantùm decem ab Hippocrate numerentur. Sed & in Ferdinandi explicatione hoc alterum animaduertendum; cùm enim sic transferat Hippocratis orationem. Et mea sententia pars mensis mēsis est, vt hæc memorabilis existat. à vulgata Codicis Græci lectione (quam tamen & fatetur & recipit) non solùm in postrema huius sentētiæ parte valdè recedit, cùm affirmatiuè legat, scilicet μνημόνευτον, quod cum negatione aduersus Cornarium dicit esse legendum, scilicet οὐ μνημόνευτον. sed in parte etiam priori; cùm contra fidem exēplarium omnium, quin etiam & Interpretum aliorum, neq; de decimo mense, neq; de vndecimo, neq; de duodecimo faciat mentionem; ex quò & primo Commentario, & sæpe alibi Hippocratis verba generaliter accipiens, in eam sententiam illa trahere conatus est, vt doceant partem mēsis cuiusq; debere mēsem existimari. quod iam libro septimo satis à nobis reiectū fuit; & aduersus quod facere videtur, quod inquit verbis superioribus, portionem memorabilem cuiusq; mensis (scilicet dimidia maiorem, vt ipse velle videtur) præter vndecimum ab Hippocrate hîc postulari; vndecimi verò non memorabilem, scilicet minorem portionem ipsa dimidia. Si enim memorabilis cuiusq; mensis portio, scilicet pars ipso dimidio maior, præter vndecimum ab Hippocrate hoc loco postulatur; quo modo hoc eodem loco docetur à diuino Sene, partem quantulācunque mensis in gestatione computanda, prēter eam, quæ de septimestribus habetur, vt Ferdinandus octauo notat Commentario, mensem esse? ita enim non quidem memorabilem portionem, scilicet ipso dimidio maiorem, sed non memorabilem quoq; scilicet ipso dimidio minorem, & quoslibet mensis dies, etiam si paucissimi existant, pro mense computandos esse, in alijs mensibus præter vndecimum admoneret. Constat igitur Ferdinandi explicationem graues perpeti difficultates.

Aliorum quorundam affertur explicatio, & refellitur. Septem initio allatæ difficultates dissoluuntur.

Cap. 45.

Porrò nonnulli sunt recentiores, qui huiusmodi verba hoc sensu accipiūt, vt dicat Hippocrates, partem mensis mensem esse, quasi nos admonēs, quocunq; mēsis die fiat conceptus, si tempus, quod à conceptu ad finem vsq; mensis interest, maiorem mensis partem referat, & mensis dimidium exsuperet, quamuis integrum mēsem non conficiat, qui esse debet dierum 29. cum dimidio, habendum tamen esse pro integro mense; quo etiam sensu volunt, in exemplo partus septimestris, mensis primi, quò exactus dicatur, maiorem partem sumpsisse, nempè dies 15. Sed certè esto verum esse, vbi maior mensis pars capitur, haberi pro integro mense; huiusmodi tamen Hippocratis verba nullis machinis in hunc sensum trahi posse, satis docuit superior disputatio; satis liber septimus aduersus Ferdinandum Mena sententiam hanc Hippocratis generaliter itidem ad omnes menses referentem, demonstrauit. Loquitur enim Hippocrates de mēse vndecimo, cùm inquit, mensis partem mensem esse; non profert id de omnibus mensibus generaliter, vt admonuimus. At in gestatione, si naturæ seruetur ratio, primusq; mēsis integer computetur; vndecimi pars maior capi non potest; vix enim vndecimi initium gestatio naturaliter potest attingere Hippocratico, Aristotelicoq; decreto, vt suis locis à nobis fuit explicatum, cùm alioqui dies 300. qui gestationi limites Hippocrati imponunt; si eiusdem imitatione dies tantùm 15. de primo sumamus; ad dies vsq; 20. mensis vndecimi pertingere queant. Quod autem inquiunt, in septimestris partus computatione, mensis primi eodem sensu, vt exactus dicatur, integerq; accipiatur, maiorem partem Hippocratem sumpsisse, quasi mensis partem hanc, mensem integrum esse voluerit; hoc pariter ex nostra superiori reijcitur explicatione, qua libro septimo ostendimus; non vt doceret, totum capiēdum esse in supputatione mēsem primum, Hippocratem dies de eo 15. accepisse, sed vt maiore parte accepta, sic

Cost. li. de Hum. Par. Cap. 24.

longè

longè facilius ostẽderet, dierum illud 182. cum semisse interuallum, spatium continere septimestre. quòd enim propterea tanquam integrum mensem hunc neq; accipiendum esse existimauerit, neq; acceperit; exemplum ab eo allatum satis docet; in quo dies tantùm 15. de primo cõputat, non mensem integrum; quem si cõputasset, fuisset dicendus partus dierum 196. cum dimidio, non dierum 182. vt ipse voluit. Iam verò vt ad institutum redeat oratio; nostra recepta explicatione facillimè septem illæ difficultates supra huius libri initio positæ labefactantur. Primæ nanq; , & secundæ quo pacto occurrendum, satis elucet; vt earum dissolutio nõ desideret orationem meam. Ad tertiam dicimus (clarius quod supra tetigimus explicantes) octauum mensem pro diebus 40. sumptum à septimo, ac nono, item ab anno dies accipere. Etenim si illum consideremus quatenus iuxta mensium integrorum cõputationem inter septimum & nonum interiacet, ac sedem non euariat, dierumq; est 29. cum semisse; cùm sextus quadragenarius die 240. finem habeat, initium autẽ post diem 200. octauus verò iuxta Lunarium mensium rationem die 236. expleatur, incipiat autem septimo confecto, scilicet die 206. cum semisse; perspicuum est, accedere octauo mensi ad 40. ex septimo dies sex cum semisse; incipit enim sextus quadragenarius post diem 200. itaq; capit ex septimo mense dies sex cum semisse; cùm septimus die 206. cum dimidio finiatur. postea sequuntur dies octaui mensis, qui 29. cum semisse sunt; & assurgit sũma dierum 36, cui, ob eam quam sumit octauus mensis ab anno partem ratione dierum ἐπαγομένων, habito Lunaris mensis respectu accedunt rursus ab ipso anno hor. 22. cum semisse; demumq; à nono accedũt dies tres hor. 1. cum semisse, vt quadraginta dies expleantur: vt meritò dixerit Hippocrates, octauum mensem non solùm esse tempus hoc, quod scilicet dierum est 29. cum semisse inter septimum, ac nonum interiectum; sed pro diebus 40. sumptum ac pro sexto quadragenario dies illi accedere à septimo, & à nono, & ab ipso anno: itaq; difficultas nulla. Atq; hoc est, quod supra monebamus, octauum mensem, si sedẽ non mutet, tertio modo acceptum, scilicet pro dierum quadraginta spatio, non solùm ab alterutro, sed ab vtroq; simul, scilicet à septimo, & nono incrementum accipere: vt non debuerit Cardanus adeò constanter affirmare, additionem hanc semper alternatim fieri; vt si ex septimo, non ex nono; si ex nono, non ex septimo efficiatur: quod quidem euariata ipsius sede, cùm .s. septimo ineũte incipit, vel exacto, habet veritatẽ, vt quisq; ꝑ se facilè cognoscet. Quarta itidem quo modo labefactanda, ex superioribus patet euidenter; vndeq; mulierũ græcarum error ortum ducat. Quinta diluitur ex eo, quòd ostensum est, plures etiam quàm dies decem ex septimo, vel nono pro computandi ratione à menstruis, vel à conceptione, & pro maturescendi lõgiori, vel breuiori termino octauo accedere posse: qui sanè mensis cùm à sexto quadragenario totus comprehendatur, & in octauo mense pariter, ac in sexto quadragenario fętus dicatur maximos perpeti labores, ideoq; cum sexto quadragenario summã habeat affinitatem; propterea quadraginta dierum loco, sexti nimirum quadragenarij, vsurpatur. Sextam illud penitus dirimit, ac tollit, quod dictum est, mẽsis nomine interlunia, & plenilunia esse intelligenda, demum partem mensis, in qua fit conceptio; temporis verò nomenclatura dies, quos solertissimus naturæ operum indagator Hippocrates voluit dandos esse mulieri pro ipsa perficienda conceptione: quã rem summam afferre huic dierum cõputationi à septimo, vel à nono necessitatem, nemo est, qui non videat. Quo fundamento septimam facilè diluimus difficultatem; cùm hoc recepto computandi modo gestatio partus mẽsis vndecimi partem interdum attingat; vt non sine magna causa verba illa Hippocrates addiderit. Verùm hactenus de nostra interpretatione; quam si doctis viris arridere audiemus, grauissimo labori, quem in ea inuenienda, explicandaq; sustinuimus, magnam successisse mercedem autumabimus.

Nonnullorum Recentiorum super expositum Hippocratis locum affertur explicatio. Cap. 46.

SEd dum imprimuntur hæc, ecce doctissimorum quorundam pulchra quædam super hoc obscurissimo loco affertur nobis, & erudita explicatio; quam ne videamur despexisse, non vt redarguamus, huc afferre est consilium; atq; tanquam in trãscursu difficultatum capita adnotare, quæ nostra recepta expositione aduersus eam nobis occurrunt; eruditi deinde viri iudicabunt, vtra Hippocratis genium magis ha-

Cost. li. de Hu. Par. Cap. 24.

habeat. Inquiunt ergo octaui mensis naturã considerantes, cùm Hippocrates scribit, illi accedere dies de septimo, de nono, & de anno; vt huius loci sensus pateat, scire licere, quòd cùm mensis sit dierum circuitus à nouilunio vno ad nouilunium alterum per plenilunium; quocunq; die fiat conceptus, si quidem tempus, quod à conceptu ad finẽ vsq; mensis interest, maiorem mensis partem referat, & mensis dimidium exuperet, quamuis integrum mensem non conficiat, qui esse debet dierum 29. cum dimidio; haberi tamen pro integro mense. Sic Hippocratem partem mensis (quod & paulò supra de istorum mente dicebamus) mensem esse dixisse; & in septimestris partus mense primo, quò exactus dicatur, maiorem mensis partem sumpsisse; nempe dies 15. Quòd si dies plures desint, veluti si conceptus factus sit post plenilunium; tũc quidem, si adhuc plenilunij vis perstet, quod ferè est ad quintum vsq; post ipsum diem; dictare id rationem videri, vt quantuncũque est, quod ad finem vsq; mensis superest, pro integro mense habeatur. At si cõceptus factus sit tot post plenilunium dies, vt plenilunij vis minus sit efficax, veluti si post quadrantem Lunæ postremum; tunc, quia fętus primi illius Lunæ circuitus parum attigit; indignos esse paucos illos dies, qui pro mense habeantur. in his inchoandam esse mẽsium enumerationem à proximo nouilunio; & huic mensi tanquam primo paucos illos nouilunium præcedentes dies esse adiungendos. Si ergo conceptus ad mensis initia, & gratia exempli ad diem quintum fiat, esse primum mensem dierum 24. cum dimidio. igitur deesse illi dies quinque, qui negliguntur; ita vt viginti quatuor illi pro mense primo completo habeantur. Sic fieri, vt de primo (qui pro ratione Lunaris mensis esse deberet dierum 29. cum dimidio) secundus mensis dies illos quinq; surripere videatur. & eodem ordine tertius de secundo, quartus de tertio, quintus de quarto, sextus de quinto, septimus de sexto, octauus de septimo, nonus de octauo, & decimus de nono. At si è conuerso conceptus sit die vigesimoquinto; ita vt ad mensis finem dies desint quatuor cum dimidio; quia tot censentur menses, quot sunt ex nouilunio & plenilunio circuitus; dies illos quatuor cum dimidio, qui reliqui sunt à die conceptus ad nouilunium, addi primo mensi; ita vt hic sit dierum triginta trium cum dimidio. Habere igitur mensem primum præter suos vigintinouẽ dies cũ dimidio, quatuor cum dimidio, quos surripere videtur secundo. sic totidem secundum, quos aufert de tertio: atq; ita deinceps octauum totidem, quos detrahit de nono: & totidem nonũ, quos surripit de decimo. Patere igitur ex his, quo modo octauus mensis nunc habeat de septimo, nunc de nono, quod Hippocrates notat. Quod autem habere ait etiã de anno, esse intelligendum, si mensis octauus vulgaris comparetur Lunari. cùm .n. Lunaris sit dierum 29. cum dimidio, vulgaris dierum 30. sicuti vulgaris primus occupat de Lunari secundo dimidium diem; ita secundum de tertio diem integrum, tertiũ de quarto diem vnum cum dimidio, quartum de quinto binos dies, quintum de sexto binos dies cum dimidio, sextum de septimo tres integros, septimum de octauo tres cum dimidio, octauum de nono dies quatuor occupare. quod cùm ita habeat, quia ex duodecim vulgaribus mensibus annus conficitur, non præter rem dici, octauum etiam occupare de anno: ita difficillimam Hippocratis sentẽtiam posse interpretari. At si res ita sit intelligenda, apertum quidem esse non octauo tantùm mensi, sed singulis mensibus accidere, vt habeant nunc de præcedenti mense, nunc de sequenti, atq; etiam de anno; propterea causam adducendam esse, cur hoc aduerterit de solo octauo. obseruandum igitur esse illius, vbi hoc scribit, propositum. itaq; agi eo loco de octomestri partu, quẽ, cùm alij vitalem asserant, alij negent; dissidium hoc ex eo pendere, quòd non omnes eodem modo enumerant menses, neq; octauum mensem expendunt; cuius, prout variè numeramus, pars, nunc prior videtur esse pars septimi mensis, nunc posterior noni, aut anni; vt dicit Hippocrates. De octauo igitur, de quo maxima erat cõtrouersia, non de reliquis hæc scribi opportunum fuisse.

Reliqua pars adducitur dictæ explicationis.
Cap. 47.

PORrò his ita disputatis addunt, quanquam non videntur hæc à ratione dissentanea; hanc ipsam tamen huius loci interpretationem id perturbare, quòd paulò post subdit Hippocrates hæc verba. "Verùm dies non similiter vel dicunt, vel cognoscunt mulieres; decipiuntur enim ex eo, quòd non eodem modo fiunt, sed aliquando à septimo mense plures dies accedunt"

» ad quadraginta, aliquando à nono. tunc
» enim fieri necesse est, prout cōtigerit mu-
» lierem in ventre concipere, tùm mense, tùm
» tempore. quæ verba scriptam esse superiorem sententiam significant, facta obseruatione quadragenarij circuitus; ad quem nunc à septimo, nunc à nono ait plures dies accedere. hæc igitur cùm non sint superioribus clariora, sic tamen esse explicāda. Proposuisse Hippocratem causam dissidij in decernendo de octomestri partu; nempè errorem in numerando, & quòd qui septimus est, aliquando videtur octauus; qui autem octauus, videtur septimus, & aliquando etiam nonus. Erroris itaq; eius causam aliam nunc adducere; quòd nō eodem modo fiunt (intelligit partus) sed aliquando à septimo mense plures dies accedunt ad quadraginta, aliquando à nono. Afferendum hoc loco esse ex hoc ipso libello ad calcem, tres quadragenarios circuitus in fœtibus indicare; primum à cōceptu; secundum, quo circa mensem octauum fœtus in vtero ægrotat (est verò is sextus) & tertium post ortum. Quod igitur hîc de quadraginta scribitur, de secundo ex his quadragenario esse: de quo etiam hoc ipso in libro antea dixerat, ex septimestribus fœtibus plurimos perire ob afflictionem, quam perferre coguntur ex vtero egressi. Sextum igitur quadragenarium circuitum, quia certo tempore cum mensium enumeratione non semper aduenit; propterea incertam de partu octomestri reddere obseruationem: hoc quomodo verum sit, sic patere. Si enim factus sit conceptus quinto mensis die, primum mēsem dierum esse viginti quatuor cum dimidio; menses sex, qui sequuntur, dies esse centum septuaginta septem; quibus additos viginti quatuor cum dimidio ducentesimum primum & dimidium diem complere: quintum quadragenarium circuitum in diem ducentesimum desinere; superesse igitur duos postremos illos dies, qui licèt sint septimi mensis, sunt tamen non vitales, quia extra quintum quadragenarium sunt. die ducentesimo secundo cum dimidio octauum mensem incipere, qui desinit in diem ducentesimum trigesimum primū. Sequi nonum, cuius dies primi octo sunt de sexto quadragenario circuitu; propterea ipsos quoq; esse non vitales, quamuis sint noni mensis. Si rursus sit conceptus die mensis decimo quarto; primum mensē dierum esse quindecim; septimū mēsem desinere in centesimum nonagesimum tertiū; die centesimo nonagesimo quarto incipere octauum. habere hunc dies septem vitales, quia tot desunt ad quadragenarium quintum absolutum. Finem octaui mensis esse die ducentesimo vigesimo tertio cum dimidio. hîc nonum mensem inchoare in sexto quadragenario, in eo perstantem per totum diem decimum sextum cū dimidio; totum hoc tempus, licèt noni sit mensis, non esse vitale.

Adducta explicatio confutatur. Cap. 48.

HAec illi; adeò quidem doctè, & elegāter, vt videantur semper in hæc studia intendisse animum, oculos, manus. sed tamen multa nobis afferunt quæstionē superiori nostra animaduersa explicatione. Primùm enim, quod inquiunt, si tempus, quod à conceptione ad finem vsq; mēsis interest, maiorem mensis partem referat, & mensis dimidium exuperet, quamuis integrum mensem non conficiat, qui esse debet dierum 29. cum dimidio; haberi tamen pro integro mense oportere; si denominationis ratione intelligunt, item non solùm in primo, sed etiam in postremo mēse habere veritatem; id tametsi verum sit, certè non est necessarium; cùm Hippocrati, & Aristoteli minor etiam mensis pars ipsum partum denominet; vt in vndecimestri palàm est, cuius gestationem attingere vix quidem concedunt vndecimū mēsem, & tamen vndecimestrem volunt appellari. quod & de septimestri, & de aliis partubus passim habet veritatem, qui ab eo mense denominantur, in quo veniunt in lucem, quanquam vix in primos eius dies partus incurrat, quemadmodum de partu dierum 280. liquidò constat; quem in calce libri de Principijs nouem mensium partum, ac dierum decem vocat Hippocrates; & alibi se ipsum explicans decimestrē; tametsi primos dies mensis decimi capiat, non maiorem eius partem. Si ratione cōputationis intelligunt id habere veritatē; hoc est si dies, qui desunt, volunt cōputari; hoc Hippocratis dogmati omnino est aduersum; qui in exemplo septimestris dies tantùm quindecim de primo mēse computauit, non alios, qui supersunt, quatuordecim; quod alio etiam loco animaduertimus. Secundò, quod dicunt, Hippocratē ea sententia asserere, mensis partē mensem esse; & cùm in exemplo septimestris maiorem de septimo partem sumeret, id

ipsum nobis docere voluisse; hoc & libro septimo, & paulò supra est confutatum. Tertiò, quod de ipsa dicunt plenilunij potestate, & de tempore ac parte mensis, in qua præesse eam volunt; putantes inde sumi indicium, an pars mensis pro integro mense sit habenda, an verò sequenti adiungenda; malè tutum mihi videtur: eò quòd non solum plenilunium, non sola potestas huius aspectus mensem constituit, vt alio etiam loco admonuimus, sed reliquæ etiã cõfigurationes. siquidẽ Aristoteles in calce quarti de Animaliũ Ortu mẽsẽ esse definit cõmunes Solis ac Lunę periodos; hasq; periodos enumerans, non plenilunium tantùm, sed etiã interlunium percenset, ꝙ φθίσεως nomine intelligit, & ipsas præterea quadraturas. quare cùm hi omnes aspectus mensis partes existant, intra eos cadens conceptio ad mensem ipsum, cuius partes sunt, videbitur pertinere. neq; enim solum interlunium, ac pleniluniũ habẽt potestatem in hæc inferiora, sed ipsæ etiam quadraturæ multùm possunt. Quartò, quod ponunt de dierũ accessione atq; surreptione, vt ita loquar, valde certè apud me dubium; qua fortasse in re Auctoris mentem non percipio. si enim dies illi 24. pro mense primo completo habendi sunt, quo pacto poterit secundus de hoc primo mense dies quinque surripere? quãdoquidem si primus esset integer, certè secundus de eo nullum surriperet diem; at pro integro sumendum esse isti volunt; quare secundus de primo non surripiet eos dies. quòd si intelligunt sic dies computari, vt quinta mensis primi die ipse incipiat mensis primus; & quinta secundi mẽsis die terminum habeat; iam hoc modo primus surripiet de secundo mense, non secundus de primo, vt ipsi volunt. deinde qui sint isti dies, qui accedant ex septimo, vel ex nono ipsimet octauo (quod tamen apertè dixit Hippocrates) hac supposita explicatione, & quo modo accedant, fateor me non videre. Nec tutiora mihi sunt, quæ adiũgunt, vt modum explicent, quo primus mẽsis secundo dies surripit; esto enim mensi secundo additionem fieri dierum $4\frac{1}{2}$. quia tamen secundus in locum primi succedit, dicentibus ipsis, habere mensem primum præter suos viginti nouem dies cum dimidio, quatuor cum dimidio; quomodo dici poterit, hos quinq; dies primum mensem surripere secundo, qui sequitur? quando palàm sit, de præcedenti, qui alioqui primus erat, eos surripere? primi hanq; mẽsis dies illi 4. cum dimidio pro nihilo habentur secundum istos, siue, vt verius dixerim, ipse primus mensis, cùm non computetur; & secundus mensis primus euadit. Præterea qui dies hac recepta positione hinc octauo accedant, siue diebus 40. non percipio. Quòd si à die 25. primi mẽsis calculum esse ducendum intelligunt, & sic in diem 25. secundi, ac sequentis mensis, mensem ipsum terminare; iam hoc pacto tùm ex primo, tùm ex secundo mense dies surripi ipsos, poterit aliquis, prout illi magis placebit, affirmare. cùm enim diebus 25. sequentis mẽsis desint dies quinq; qui ex præcedenti sumuntur; sic dicemus, secundum ex primo surripere. rursus quia diebus quinq; mensis præcedentis desunt pro complemento dies 25. qui de secundo sumuntur; sic dicemus primum mẽsem hos dies surripere secundo; & de reliquis mẽsibus, qui sequuntur, idem est iudicium. præterquàmquòd, quomodo dies ex septimo hinc octauo accedant, & ex nono, nemo, arbitror, docebit. de quo solo cùm id pronunciauerit Hippocrates, non videtur probabile, mensibus etiam alijs hanc posse proprietatem conuenire; & si quidem conuenit, non videtur carere reprehensione Hippocrates, qui hoc tacuerit. quod enim ad hanc tollendam difficultatem inquiunt, multam (nisi me fallo) habet dubitationem; cùm palàm sit, in Opusculis illis de gestatione fœtus difficili, ac laboriosa per octauum mensem contingente, deq; laboribus octomestribus Hippocratẽ disputasse: quòd verò dubitatum esset, an vitalis octomestris exire in lucem posit, vel non; nullum habuisse verbum; quin potius pro constanti ex mulierum assertione posuisse, qui octauo nascuntur, interire: quod tamen quo pacto sit intelligendũ, ne aduersetur nostro dogmati, diximus supra, pleniusq; dicemus. Prætereo, neq; vnquam dixisse Hippocratem, neq; ex eius sequi verbis, mensis octaui priorem partem, prout fiat enumeratio, nunc videri esse septimi partem, nunc partem noni, & anni; sed contrarium potius, septimi scilicet, & noni partem verè euadere partes octaui, secus quàm mulieres existimarent.

Alia quadam adductæ explicationis reijciuntur. Cap. 49.

IAm verò quintò illud, quod ponunt, vt ostendant, octauum de anno dies habere,

bere, rem certè ipsam non explicat: Esto enim tricenarium octauum mensem, qui die 240. terminum habet, iuxta lunarium mensium supputationem dies 4. accipere de lunari nono; hoc quid referat ad probandum ex anno dies octauo mensi accedere, non video. vt præteream, cùm Hippocrates de lunaribus in hoc Opusculo mensibus intelligat, non posse de vulgaribus simul intelligere; adeò vt ab vna ad alteram transeat mensis speciem. Quod verò addunt, ex duodecim vulgaribus mensibus annum confici, eis, qui annum recipiunt Iulianum, non paruam affert causam dubitandi; nam annus, si ex duodecim constat vulgaribus mensibus, non maior est diebus 360. at Iulianus annus dies habet 365. cum quadrante. Sextò quod inquiunt, verba Hippocratis posteriora explicantes, quibus habet, mulieres decipi ex eo, quòd non eodem modo fiunt; non leuem continet dubitationem. neq; enim his verbis alteram, nouamq; erroris, ac deceptionis mulierum causam profitetur aperire; sed potius iam adductam causam magis explicare; quod satis nostra superior docuit disputatio: neq; Hippocratis » verba illa. Quòd non eodem modo fiunt. ad partus referri possunt, sed ad dierum accessiones modò ex septimo modò ex nono ipsi octauo factas, vt palàm fit considerantibus Hippocratis orationem. Septimò, ab Hippocratis mente videtur alienũ; certè ab ijs, quæ supra ex eo disseruimus, valde est dissentaneum, quod dicunt; quæ de quadraginta diebus hoc loco Hippocrates differit, de secundo quadragenario ex tribus, qui inter cæteros tanquã insigniores fœtum iudicant, ipsum intelligere; qui etiam sextus dici solet; de quo in eodem Opusculo supra dixerat, ex septimestribus fœtibus plurimos perire ob afflictionem, quam in eo perferre coguntur, ex vtero egressi: enimuero, vt supra nos ostendimus, septimestres ex vtero egressi perferunt afflictionem non sexti quadragenarij, vel ex tribus insignioribus secundi, qui mensem octauum comprehendit; cùm, antequam huius quadragenarij experiantur malignitatem, egrediantur vtero, vt initio Opusculi de Septimestri Partu docuit Hippocrates, hanc vnam, cur viuant aliquando, causam præter aliam adducens, vt satis supra explicuimus; sed tertij quadragenarij vim persentiunt, qui à partu numeratur. quod perspicuè monstrauit Hippocrates dicens eo loco, huius quadragenarij vi etiam decimestres interire. at enimuero qui diceret, ob sexti quadragenarij vim decimestres periclitari, ita vt hoc currente quadragenario intereant; is certè desipere videretur. quare verum est, cùm hoc loco quadragenarium commemorat Hippocrates, secundum, seu dicere velimus sextum, ipsum intelligere; falsum omnino, cùm dixit, septimestres ex vtero egressos quadraginta dierum afflictionem perpeti, de secundo, vel sexto hoc quadragenario intelligere. Octauò quod pro conclusione ponunt, quodq; volũt causam erroris continere, & incertæ de partu octomestri obseruationis; demũ ꝙ volunt causã aperire, cur alij vitales octomestres afferant, alij negent; videlicet quia sextus quadragenarius circuitus certo tempore cum mensium enumeratione non semper conuenit; hoc non leues perpeti mihi videtur oppositiones, vt sequens caput demonstrabit.

Quòd falsò allata posuerit explicatio, sextum quadragenarium non semper cum mẽse octauo conuenire.

Cap. 50.

PRimùm igitur sextus quadragenarius non est omni fœtui inimicus, quod supra septimestris maioris exemplo satis docuimus. Adhuc in supputandi modo magna est difficultas; Hippocrates enim à conceptione menses præcipit esse numerãdos, vel à menstruis; cui mulieres subscribunt, vt docet experientia. atqui vsitatus mulierum computandi modus est, cùm se grauidas putant; vt, quoquo mensis currentis die incipiant gestationem computare, ab illo ipso die mensem primum, ac diem primum primi mensis ipsius gestationis velint initium ducere: vltimum diem finẽ habere ea sequentis mensis die, in qua mẽsis ipsius quantitas terminum habet; quare si die quinta mensis gestationem incipiant computare, primus gestationis mensis nõ habebit dies 24. cum dimidio tantùm, vt isti supponunt, sed quinta die sequentis mensis terminum habebit ex mulierũ supputatione. Præterea, vt in secundo patet, quod afferunt, exemplo, datur casus, in quo dies aliqui octaui mensis possunt esse vitales, quia cadunt extra sextum quadragenarium; siquidem dicunt, si die centesimo nonagesimo quarto incipiat octauus; habere hunc mensem dies septem vitales, quia tot desunt ad quadragenarium quin-

tum absolutum. At verò Hippocrates nũquam hoc loco dixit, vllam partem octaui mensis vitalem fœtum dare posse, vllã partem laborum esse expertem. quin potius minimè dubium, scripsit, hunc esse mensẽ, vt potè in quo toto & labores & ægrotationem existimauerit locum habere. quod quidem falsò ab eo dictum fuisse, nemo est, qui non videat, si aliqui huius mensis dies vitales essent, vitalemq; partum dare possent. Item mensis octauus & dies 40. siue dicere velimus, sextus quadragenarius ex Hippocratis sententia pari passu ambulant, vt superiora satis docuerunt; nec potest octauus extra sextum quadragenarium incurrere, quem ab hoc ipso quadragenario scripsit Hippocrates omnem mutuari infelicitatem. quare & quando incipit octauus mensis, incipit etiam sextus quadragenarius, quando finem octauus habet, sextus etiam finitur quadragenarius. vt propterea supra dixerimus, octauum mensem Hippocrati idem esse, ac sextum quadragenarium, ita vt ipse octauus ad dies quadraginta extendatur: itaq; non potest octaui mensis pars vlla extra sextum quadragenarium incurrere; neq; septimi mensis, ac noni aliqua pars in sextum quadragenarium incidere; quod tamen isti volunt. si enim ita esset, igitur non solus octauus mensis partui infaustus & infelix, sed septimus quoq; & nonus, vel saltem pars illorum aliqua; nec minus infesti & infelices quàm octauus. quod & isti concedunt, & non tantùm est contra Hippocratem, qui solum octauum mensem fœtui infelicem esse scripsit, in ipsoq; toto fœtum ægrotare, non in septimo, vel nono; sed nullus dixit Auctor. igitur non semper, nec totus octauus etiam partui ægroto, ac morituro esset infelix; quod valde Hippocrati repugnat, qui in fœtu ægroto, & sexti quadragenarij vim sentiente semper octauum, & ipsum quidem totum putauit esse infelicẽ, igitur diebus quadraginta accedent non solùm ex septimo & nono dies, vt scripsit Hippocrates, sed etiam ex octauo; quod similiter δὶς διὰ πασῶν ab eo dissentit: qui perspicuè mandauit monimentis, ad quadraginta dies, & ad ipsum octauum accessionem fieri vel ex nono, vel ex septimo tantùm, non ex octauo; nimirum quia & putauit & voluit, dies quadraginta cum ipso octauo coincidere; quare non dixit solùm dies ad 40. ex nono & septimo accedere, sed ad ipsum octauum & 40. quod & ipsum existimasse, satis supra suo loco ostendimus, & in Hippocratis oratione isti non animaduerterunt. ita enim ipsi octauo ex semetipso dies accederent, quod est impossibile. at in exemplis, quæ ponunt, dies ex octauo quoq;, non ex septimo tantùm, & nono ad quadraginta accedunt. incipiat enim (inquiunt) octauus mensis die 194. finiatur die 223 $\frac{1}{2}$. hîc primùm dies septem octaui, qui desunt ad integrandos dies 200. & sic ad quintum conficiendum quadragenarium, qui die 200. finem habet, vitales sunt; quia non capiuntur à sexto quadragenario, sed à quinto. Deinde ad sextum quadragenarium cõficiendum, qui incipit die septima octaui mensis, dies 22 $\frac{1}{2}$ ex octauo accedunt, ex nono dies 17 $\frac{1}{2}$. tot enim simul iuncti constituunt dies 40. ergo mancus falsusq; Hippocrates, qui dixit octauum mensem totũ, ac semper esse infelicem; qui dixit, solùm à septimo, & à nono dies ad ipsum octauum & 40. accedere, non ab octauo. Patet igitur istorum opinionẽ eo niti fundamento, quòd in computatione quadragenarios sẽper integros putent esse accipiendos; menses verò non semper, quia mensem primum mutilum non integrum pro conceptionis in ipso factæ tempore, interdum accipi necessariò existiment. qua quidem ex re omnis oritur varietas; cùm mutilo sũpto primo mense in quadragenariorum integrorũ circuitu necesse etiam sit octaui mẽsis partem in quintum, noni mensis partem in sextum quadragenarium incurrere. quod tamen ab Hippocratis mente tùm ob allatas supra rationes videtur abhorrere; tùm quia ipse Hippocrates, vt suo loco supra explicauimus, cùm mensem septimum mutilum accipit, mutilum etiam accipit quintum quadragenarium, & concisum, vt in notho præsertim septimestri demonstrauimus. propterea verè scribit, sextum quadragenarium cum octauo mense perpetuò coincidere.

Ostenditur, allatam supra explicationem cum Ferdinandi explicatione consentire; ipseq; Ferdinandus redarguitur. Item hac recepta positione eorundem de septimo mense, nono, ac decimo affertur sententia.

Cap. 51.

SEd (nisi valde hallucinor) sumpserunt isti huius explicationis semina ex Ferdinando Mena, qui in Commentarijs super Opusculo de Partu Septimestri, hæc Hippo- *Com. 6.*

po-

pocratis verba explicans, videtur hoc idem innuere. quandoquidem & iam locus est, vt huius viri explicationem afferamus, quã superius diximus post nostram expositam opinionem tanquam in loco commodiore nobis esse afferendam. Inquit igitur ipse.
» Sed redeamus ad pensum. Mensis octauus
» non tantùm hoc tempus est, hoc est, præ-
» cisi illi dies, qui octauo respondent, sed à
» septimo capit, & nono, nunc plus, nunc
» minus; quod fortasse de sexto quadrage-
» nario prudenter edixit, qui octauo mensi
» tribui censetur; quiq; partem accipere se-
» ptimi mensis, partem etiam noni, prout
» conceperit mulier in mense temporeq., af-
» firmatur. Quãtò enim pauciores dies pri-
» mi mensis computantur, in ea temporis ra-
» tione, quæ de gestatione fœtus habetur,
» tantò sunt plures enumerandi ipsius septi-
» mi ad quintum quadragenarium: & quantò
» plures fuerint de septimo supputati dies,
» tantò plures erunt è nono capiendi ad sex-
» ti quadragenarij constitutionem, quem di-
» ximus octauo esse vendicandum, & è con-
» uerso. Quocirca rectè dixit diuinissimus
» Hippocrates, nonnunquam dies plures ac-
» cedere ad quadragenarium ex septimo, nõ-
» nunquam ex nono secũdum rationẽ, quam
» dudum inculcauimus: quam diuersitatem
» cùm mulieres nequeant attingere, haud
» possunt in reddenda ratione temporis ge-
» stationis non hallucinari. Sed id sanè mi-
» nimè vertitur in dubium, octauum men-
» sem perperam iudicare, scilicet erga par-
» tuum præsagitiones: quod antea sua sen-
» tentia iterum affirmauerat Hippocrates.
Hæc ille; qui dicens, quantò pauciores dies primi mensis computantur, tantò esse plures numerandos ipsius septimi ad quintum quadragenarium; & quantò plures de septimo fuerint supputati dies, tantò plures esse è nono capiendos ad sexti quadragenarij constitutionem; sine dubio mensem primum mutilũ, quadragenarios perpetuò integros sumere videtur. aduersus quem tamen ea pugnare, quæ supra attulimus, patet euidenter; ac præsertim illud, quòd hac recepta positione cõtingere possit, octauum mensem ferè totum esse felicem; vt si ex primo, exempli gratia, dies tãtùm sex capiantur. tunc enim septimus mensis die 186. finem habebit; quare octaui mensis dies 14. tanquam in quintũ quadragenarium incurrẽtes, qui die 200. terminatur, vitales erũt. quod si cõcedamus, quo pacto sine insigni falsitatis nota scribere potuit verbis superioribus Ferdinandus, ex Hippocratis sententia octauum mensem sexto quadragenario tribui? sextum quadragenarium octauo vendicandũ, & è conuerso? demum minimè verti in dubium, octauum mensem erga partuum præsagitiones perperam iudicare? quibus certè omnibus octauum de Hippocratis mente cum sexto quadragenario perpetuò conuenire, adeò vt nullus ipsius dies extra eum incurrat, manifestè docuit. quod tamen cum sententia pugnare superiori, nemo non videt. Sed hactenus de horum interpretatione, deq; hoc loco difficillimo. iam nunc, postquam illorũ hoc fundamẽtum de mensium vario principio, ac fine pro conceptionis tempore, & pro quadragenariorum circuituũ decursu explicauimus; superest, vt videamus, an cultoribus veritatis persuaderi possit, quod ex hoc eodem fundamento de septimo, nono, ac decimo mense concludunt, non vitales scilicet aliquando eos esse. nam de septimo sic inquiunt. Factus sit concep-
» tus quinto mensis die, primus mensis die-
» rum est viginti quatuor cum dimidio. mẽ-
» ses sex, qui sequuntur, dies sunt centum
» septuaginta septem. quibus additi vigin-
» ti quatuor cum dimidio, ducentesimum
» primum cum dimidio complent. Quintus
» quadragenarius circuitus in diem ducen-
» tesimum desinit. Supersunt igitur duo po-
» stremi illi dies, qui licèt sint septimi men-
» sis, sunt tamen non vitales, quia extra
» quintum quadragenarium sunt. De nono
» autem, ac decimo sic. Nunc de nono mẽ-
» se agendum. Cuius quum, sicuti & præ-
» cedentium, non idem semper sit principiũ
» & finis; sed pro conceptus tempore, & pro
» quadragenariorum circuituum decursu,
» varius; ita non idem euentus. Si integri
» menses Lunares sumantur, noni principiũ
» est dies ducentesimus trigesimus septimus;
» finis ducentesimus sexagesimus quintus cũ
» dimidio. primi tres dies in sexto adhuc
» quadragenario sunt, quare inutiles ad vi-
» tam: reliqui omnes vitales. Quòd si, vt
» proximè dicebamus, conceptum die quin-
» to factum esse accidat, quia primus mensis
» dierum est viginti quatuor cum dimidio,
» noni principium est post diem ducentesi-
» mum trigesimum primum cum dimidio, fi-
» nis in ducentesimo sexagesimo primo. in
» hoc primi octo dies cum dimidio, qui in-
» tra sextum quadragenarium circuitũ sunt,
» inutiles erunt: reliqui dies vnus supra vi-
» ginti omnes vtiles vsq; ad septimi quadra-
» genarij absolutionem. qui, quum decimi

Coll. de Hu. Con. Cap. 24. & 26.

men-

mensis dies decem cum dimidio attingat, sit etiam vt mensis decimus tot diebus aptus sit ad vitam. At rursum, si, vt in secũdo exemplo diximus, conceptus sit die decimo quarto; quum mensis primus sit dierum quindecim, prætereaq; noni mensis initium sit post diem ducentesimum vigesimum cum dimidio; finis sit dies ducentesimus quinquagesimus primus; apertum quidem est, primos dies decem & septem cum dimidio, qui sunt quadragenarij sexti, inutiles esse ad vitam; reliquos duodecim vtiles, qui sunt septimi. Prorogatur autem septimus quadragenarius circuitus ad ducentesimum octogesimum, quo fit, vt sequentis decimi mensis, qui ducentesimo octogesimo primo cum dimidio desinit, dies viginti octo sint vitales; vnus cum dimidio reliqui non vitales, quos quadragenarius circuitus octauus comprehendit. Hæc quum ita dictet ratio; quod quidem in libro de Principijs scribitur, non viuere præter septimestres, nisi qui ducentesimum octogesimum diem attigerit; sic intelligendum. vitales eos vt statuamus, qui in quadragenario illo circuitu nascuntur; cuius terminus est dies ducẽtesimus octogesimus: qui quadragenarius est septimus. alioqui à veritate, & ratione prorsus dissentit, solum diem illum vtilem esse ad vitam. Ex his patet, quo modo Hippocrates non temerè alibi decimestres quoq; vitales censeat, non illos tamen solùm vitales esse velit, qui decimo mense nascuntur. Patet etiam, qui partus in nono & decimo mense natura sint vitales: nempe vniuersim qui intra septimum quadragenariũ circuitum fiunt.

Quæ secundum allatam explicationem de mense septimo, nono, ac decimo dicta sunt, redarguuntur. Item quid senserint isti de mense octauo.

Cap. 52.

Hæc illi; At primò quòd Hippocrates, vel Aristoteles vllã septimi mẽsis partem non vitalem esse scripserint, nullibi reperio. quod enim obijci solet de postremis diebus mensis septimi, qui in sextum quadragenarium incurrunt; quàm nihil sit, iam supra ostendimus. neq; enim id septimo cõuenit quatenus septimus est, nec semper; quia sextus quadragenarius, secus quàm isti credunt, non semper est fœtui inimicus. propterea Hippocrates, & Aristoteles septimi mensis naturam per se contemplantes totum septimum vitalem esse pronunciarunt, nec verbum fecerunt vllum, quòd aliqua ipsius pars non sit vitalis. Secundò, quod dicunt in primo exemplo, primos tres noni mensis dies, quia in sexto adhuc sunt quadragenario, inutiles esse ad vitam; magnam habet difficultatem. Hippocrati enim per menses tricenarios gestationem computanti; item sextum quadragenarium semper coincidere cum mense octauo arbitranti, semper mensis nonus extra sextum quadragenarium incurrit; propterea, vt suo loco admonuimus, apertè scribit, initio noni mensis nascentes esse vitales. Itaq; longè minus cũ Hippocratis doctrina consentit, quod adijciunt in secundo exemplo, primos octo dies mensis noni non esse vitales; deniq; & longè minus, quod in tertio exemplo ponunt, dies 17 ½ noni mensis, si conceptio fiat die 14. mensis primi, omnino inutiles esse ad vitam, tanquam in sextum quadragenarium incurrentes. sic enim nõ solùm qui initio noni prodeunt, sed etiã ipso medio, & ferè iam affecto in lucem venientes, nascerentur non vitales; & ex consequenti maxima noni mensis pars inutilis aliquando esset ad vitam; quod nullus dixit Sapientum. Et sanè valde reprehendendus esset Hippocrates, valde errasset, si dies 17. & plures noni mensis esse possunt nõ vitales, id non dicens; quin potius contrarium affirmans, noni scilicet initio prodeuntes, & ipso nono toto semper esse vitales, nisi aliquid extrinsecus occurrẽs impediat. Tertiò, quod de mense decimo scribunt, asserentes, quia decem huius mensis dies in septimum incidunt quadragenarium, ideo mensem decimum tot diebus aptum esse ad vitam; quibus apertè docent, quidquid capitur huius mensis ab octauo quadragenario, quia in hunc ipsum incurrat quadragenarium, non esse vitale; nam & propterea in exemplo tertio, in quo nonum mensem die 251. finiri ponunt, dies 28. decimi mensis vtiles esse dicunt ad vitam; quia scilicet à septimo quadragenario capiantur; vnum cum dimidio, qui supersunt, non vitales; quia eos octauus quadragenarius circuitus comprehendit: hoc (inquam) vniuersum existimo Hippocrati, & Aristoteli vehementer repugnare; qui à Iuris Professoribus recepti, vt suis locis ostendimus, decimum totum mensem tanquam vitalem admiserunt. quod enim isti innuunt, octauum quadragenarium non esse vitalem, quia sit par; quãtum habeat firmitatis, eru-

diti iudicabunt; ita enim neq; decimi initium, quia mensis sit par, esset vitale. decimi finis non esset vitalis, cùm tamen dierum 300. partus Hippocratis decreto vitalis existat; qui in octauum quadragenariũ incurrit? vt interim taceam, menses ipsos maioris fortasse, quod spectat ad partus maturitatem, esse potestatis quàm quadragenarios, illud satis demonstrare; quòd quinto quadragenario accedẽte partus tamen non redditur maturus, & ex cõsequẽti vitalis, nisi insuper septimus mensis accedat; vt propterea magis decimi mensis vis salutaris, quàm octaui quadragenarij malignitas (si modò vllam haberet) ad maturum fœtum producendum posse videatur. Præterea istas à numerorum virtute ductas rationes nullius esse momẽti, vt suo loco demonstrauimus. Sed cùm satis de istorum dixerimus positione, quod ad alios menses, ac partus spectat; expendamus amabò postremo loco ea, quæ eadem recepta de partu octomestri statuerunt ex Hippocratis sententia. inquiunt igitur.

Cost. de Hu. Com. Ca. 25.

» Veram Hippocrates docuit huiuscé varietatis causam. Quum enim in septimo mẽse fœtus in quærendo exitu laboret, & ex labore imbecillus reddatur; inde fit, per accidens quidem, sed verè tamen, vt si septimo mense transacto prodeat, in quadragenario sexto prodeat. qui, quum in vtero esse soleat grauis, extra vterum autem grauior ob insueti aeris, atq; alimenti accessionem; insalubris est, & maleficus. Non ita, si in nonum mensem exitus protrahitur. quòd, quum in octauo intra vterum instauretur, in maioremq; molẽ, ac robur maius proficiat; fit, vt, quum exit, externis iniurijs minus succumbat. Quid ergo? Nonne octimestres & Aristoteles, & Auicennas alicubi viuere affirmant? Verùm quæ rarò eueniunt, adnotare tantùm satis est, non etiam vt ex naturæ proposito, ac lege constituta pronunciare. Si alicubi vixisse octimestres contigit, siue id ob causam paulò ante allatam acciderit, siue ob regionum calorem fœtus etiam imbecillos fouentem: alibi tamen passim non viuere obseruatum est, ꝙ ab Hippocrate, vt id ꝙ frequentissimum est, rectè fuit adnotatũ.

Demonstratur, quæ de octauo mense, & octomestri Partu dicta sunt; Hippocratis, Aristotelisq; dogmatibus penitus aduersari. Cap. 53.

HAec illi; quæ tamen ijs receptis, quæ nos tradidimus, grauissimas perpeti videntur difficultates. Primò Hippocrates, vt vidimus, fusiusq; libro decimo videbimus, diximusq; in nostra Disceptatione; nunquam motum hunc fętus ad exitum quærendum, quem in septimo fieri volũt, somniauit; nunquam ægrotationis octauo mense fœtum vexantis causam in hunc motum retulit, vel in contractam ex eo imbecillitatem. Secundò, in eo, quod dicunt, si septimo mẽse transacto partus prodeat, in quadragenario sexto prodire; cùm similiter ponant, vt supra vidimus, non semper post septimum transactum incipere sextum quadragenarium, sed interdũ nonnullis octaui mensis præteritis diebus initium habere; proindeq; primos illos octaui mensis dies tunc vitales esse: interrogandi sunt, si septimo mense hic partus facit motum ad exitum (quandoquidem omnes partus septimo hunc facere motũ ponunt) & postea intra dies octaui illos vitales exiuit in lucem; moriturus nè exiuit in lucem? Si non moriturus; ergo contracta ex motu in septimo ad exitum facto imbecillitas non est sufficiens, & vera causa mortis octomestrium: si moriturus; ergo extra quadragenarium sextum prodiens moritur, quod Hippocrati, & illis aduersatur; ergo post septimum veniens in lucẽ non prodit in quadragenario sexto, cuius tamen rei contrarium pro constanti ponũt ipsi, Hippocratesq; posuit. vt interim taceam, cùm dicunt, ideo hos partus mori, quia contracta iam in septimo ex motu imbecillitate, postea transacto mense septimo in sexto quadragenario prodeunt, qui in vtero est grauis, grauior extra vterum; esse rursus interrogandos, an hi fętus ob cõtractam ex motu imbecillitatem, an ex vi sexti quadragenarij morte deleantur: item vnde sextus habeat quadragenarius, vt in vtero fœtui sit grauis, extra vterum grauior. Si enim moriuntur ob imbecillitatem; ergo frustra vis sexti quadragenarij inducitur, & imploratur: si mors ob vim huius quadragenarij illis contingit; incassum ponitur motus in septimo factus ad exitum, & ex eo contracta imbecillitas. item si sextus quadragenarius fœtui grauis ex se; igitur imbecillitas ex motu frustra ponitur; si ex imbecillitate grauis; igitur sextus quadragenarius neq; vt sextus, neq; vt quadragenarius fœtui grauis; igitur neq; vt sextus, neq; vt quadragenarius aliquid operatur, quod Hippocraticis dogmatibus mirificè repugnat. Quòd si dicant, non alte-

terum horum tantùm, sed ambo simul iũcta, imbecillitatem videlicet, & quadragenarium, seu vires vtriusq; fœtui mortem inferre; iam quia sextus hic quadragenarius non nisi in partu habet vires; nam si in vtero maneat infans, vel ipsis concedentibus instaurat ipsum fętum; partus verò ipse, videlicet labores, quos in eo patitur infans, etiam extra sextum quadragenariũ genitos fętus imbecillos vim habeant interimendi, vt in quinto, vel septimo quadragenario genitis sępè videre licet; certè absq; alia vlla sexti quadragenarij vi labores ipsi partus imbecillitati adiuncti satis erunt; vt nulla quadragenarij huius comminiscẽdi videatur esse necessitas. Tertiò, quod inquiunt, sextum hunc quadragenarium extra vterum fœtui esse grauiorem, non recipimus; eò quòd ab Hippocrate edocti, vt suis locis admonuimus, pro comperto habeamus, sextum quadragenarium extra vterum locum non habere. nam edito partu non sextus, qui alioqui ex tribus insignioribus quadragenarijs secũdus est, sed omnino tertius de sententia diuini Senis, qui à partu computatur, locum habet. Quartò, si octomestris viuit tanquam aliquid rarò eueniens; ergo non quia octaui mensis pars aliqua, & in hac ipsa parte fœtus nascens, fit in quinto quadragenario circuitu, viuit octomestris; hoc enim vel ex ipsorum fundamento & sæpè contingere potest; vbi scilicet primus mensis mutilus in computatione accipiatur; & nihil habet raritatis. Quintò, falsum omnino est, vt liber tertius fusissimè docuit, octomestres rarò viuere, ac præter naturam, si modò quod præter naturam est, & rarò euenit, in maximè propria significatione accipiamus; cùm teste Præceptore omnino ex naturæ proposito, & lege producantur. Sextò, si viuit nono mense nascens, quia, cùm octauo in vtero maneat, in maiorem molem, ac robur maius proficit; cur octauo genitus nõ viuet magis, quàm septimo editus ob eandem rationem? in maiorem enim molẽ, ac robur maius necessariò proficit diutius in vtero permanens. Septimò, quòd simpliciter regionis calor nõ sit causa vitę octomestrium, iam quintus liber docuit abundè. Octauò ac postremò, si fœtus octauo mense editus, per accidens octauo moritur, nempe quia septimo in quęrendo exitu imbecillitatem cõtraxerit; ergo septimus mensis fœtui per se infestus & malignus, non quidem octauus; si in octauo intra vterum fœtus instauratur, si maiorem molem, ac robur maius acquirit, vt apertè ponunt; ergo octauus mensis sua natura, & per se fœtui benignus; ergo Medicinæ, ac Philosophiæ parentes Hippocrates, & Aristoteles mendacij condemnandi, quin etiã & vniuersa Philosophorum, ac Medicorum turba, qui octauum mensem non septimum infelicem fœtui esse, ac inimicum sua voce prædicarunt. Sed de his hactenus. superest nunc, vt horum profligata opinione ad propositum redeuntes, cùm Hippocratis mentem de octomestrium ægrotatione, ægrotationisq; causis, & temporibus; item de octaui ex septimo mense, & nono incremento abundè explicauerimus; dubitationes quasdam diluamus, quæ aduersus ea, quæ de causis ægrotationis octomestrium diximus, oriri possent.

Dubitationes quinq; aduersus ea, quæ dicta sunt de causa ægrotationis octomestrium afferuntur. Cap. 54.

PRimùm igitur dubitatio est, quoniam superius diximus, causam potissimũ ægrotationis octomestrium esse, quia pelliculæ defringuntur: atqui idem etiam septimestribus contingit. docet enim, vt vidimus, initio Opusculi de Partu Septimestri Hippocrates, huiusmodi tales oriri, quia valido motu laxant pelliculas, ac dirùmpunt, & ita partum fieri cogunt. quãobrem meritò quis dubitaret, qua de causa eadem ægrotatio illos non corripiat. Quòd si respondeamus, septimestres ideo eiusmodi ægrotatione non conflictari, quia exeant statim effractis pelliculis ex vtero; tũc maius fortasse relinquitur negocium. dubitare nanq; est, quare tũc septimestres tunicas omnes abrumpant, nec antea saltẽ aliquas abrumpant, illisq; ruptis hac data porta ruant; nonomestres verò, ac decimestres eodem mense septimo non omnes, sed duas tantùm defringant interiores, ideoq; oriri nequeant; extimam autem vt abrumpant, tempus partus expectant. Si enim melius est effractis statim pelliculis fœtum oriri, quia sic non subit ægrotationem; natura verò semper, vt docet Aristoteles, vbi potest, quod melius est molitur; cur vel statim cùm rumpuntur cõfecto septimo, octauo incipiente pelliculæ, non permittit hunc fœtum in lucem prodire? vel si id non potest, quia nõdum maturus existit; huiusmodi saltem pelliculas dirumpi nono, ac decimo mense, partus videlicet tem-

tempore non decreuit? ita enim infelicitas omnis octaui mensis sublata esset. Tertiò dubitatio omnium maxima, ac difficillima oritur circa Hippocratis dicta. quòd enim finiente septimo mense defringantur priores duæ membranæ, ac interiores, fœtusq; in extimam, chorion dictam, secedat, ac transeat; in eaq; vsq; ad partus tempus commoretur; videlicet, si septimo expleto quadragenario oriatur, dierum ferè octuaginta spatio: nam septimo completo mense, & quinto quadragenario priores duæ membranæ dirumpuntur, & ægrotatio incipit, quæ per totum sextum quadragenarium perdurat, ac iudicatur; mox vt è morbo perfectè recreetur infans, indiget alio quadragenario; quo præterito postea nascitur incolumis omnino, ac vitalis: quòd, inquam, hæc ita eueniant, non videtur verum. Principiò hoc nulli, qui post Hippocratem clarissimi extiterunt viri, neq; Galenus, neq; Recentiorum vllus, docuerunt; qui omnes contrarium potius & arbitrantur, & scribunt; videlicet partus tempore omnes tres membranas defringi, amnion scilicet, allantoidem, & chorion, & sic fœtum excludi. Deinde, si amnion sudorem excipit fœtus; allantoides vrinam ipsius continet, vt communis sententia est, & Galenus decimo quinto de Vsu Partium admonet; ex quò & fœtus in amnio videtur quasi enatare, vt sic pondus illius parenti leuius reddatur; si frangeretur amnion, fœtus grauior factus vincula abrumperet. nisi enim innataret, mulieres omnes abortirent, vt Galenus loco memorato perspicuè docet his verbis. *Cap. 5.* Vtilitas autem (inquit) non est contemnenda eius humoris, qui intra amiculum continetur. Fœtus enim in eo quasi innatans sursum tollitur, ac vehitur; vt minus sit grauis ijs vinculis, per quæ matrici cohærescit: quæ res Hippocratem impulit, vt diceret. Quæ ventrem ferentes bimestres, aut trimestres sine causa manifesta abortiunt, ijs accetabula mucore sunt plena, neq; possunt fœtum præ grauitate retinere, sed abrumpũtur. Accetabula (græce κοτυληδόνας) vocat vasorum, quæ ad matrices perueniunt, orificia (id enim alibi demonstrauimus) dicens ipsa non posse fœtum vehere, neq; gestare cùm mucore referta fuerint, sed permittere ipsis præ pondere abrumpantur. Id certè omnibus semper accideret vterum gerentibus, nisi fœtus humori, qui intra amiculum habetur, innatando leuior fieret, ipsaq; vasorum cum matrice connexio minus detraheretur. Præterea si rumperetur amnion, allantoides, quæ vrinam continet, fœtum exciperet; demumq; effracta allantoide simul cum ipsa vrina fœtus in chorion abiret: itaq; vrinæ copia obrutus insigniter læderetur, eius acrimonia tenerrimum corpus ipsius necessariò exulcerante: quod Galeni est eodem loco ita disserentis. Reliquarum verò duarum (inquit) quæ intestinalis quidem nominatur (& intelligit allantoidem) quam ad vesicam diximus esse pertusam ad vrinaculum; ad vrinam recipiendam fuit comparata. Longè enim præstiterat, fœtum non per pudendum lotium reddere, sed vt nunc habet, per vmbilicum. Postquam enim totum ipsum membrana, quam amiculum nominant, complectitur, aliam humoris speciem recipiens; non erat consentaneum, eũ humorem cum lotio permisceri. Euidenter enim apparet humor is, qui est intra intestinalem, tùm tenuior esse, tùm flauior, tùm acrior eo, qui est intra amiculum; vt etiam hanc membranam dissecantium olfactum angat, ac feriat. Quod igitur sudoris instar intra amiculum aceruatur, in orbem fœtui est circunfusum, quod cutim ipsius lædere haudquaquam potest. Seorsum autem lotium à fœtu est abductum, ac seiunctum, neq; cutim, neq; venas, quæ secundis insunt attingens, ne ab eius acrimonia partes vicinæ lederentur. Hæc Galenus; quibus docet apertissimè, in hanc tutelam interius inuolucrum amnion dictum à natura esse fabricatum (quod & Vesalius libro Anathomes quinto scripsit) vt corpus fœtus ab vrinæ acrimonia tueatur. *Cap. 17.* Itaq; si defringatur amnion, illa, quæ diximus, incommoda sequi necesse est. Quartò, Hippocrates docens in libro de Septimestri Partu hanc pellicularum diruptionem septimo mense fieri, moxq; fœtum ad septimum vsq; confectum quadragenarium in vtero permanere, sibi ipsi manifestè repugnare videtur; cùm in libro de Natura Pueri membranas fœtum inuoluentes cunctas, cùm partus instat, abrumpi tradiderit, ita scribens. Quando verò mulieri partus appropinquat, tunc puero se mouente, & manibus, ac pedibus calcitrante pelliculam quandam internam rumpi contingit; rupta autem vna etiam aliæ debiliorem vim habent, & rumpuntur: primùm quidem illi contiguæ & cohærentes, postea extrema. Quum autem ruptæ fuerint pelliculæ, tunc fœtus à vinculo exsoluitur, & agitatus foras procedit. Accedit quòd

in calce Opusculi de Genitura apertè scribit, si membrana fœtum continens rumpatur, quod intelligendum videtur antequam partus immineat, fœtum ipsum omnino perdi. Vnde si frangerentur septimo mense inuolucra illa duo, totq; dies ante partum, necessariò fœtus interiret. Quintò dubitatio est, quoniam hæc membranarum effractio nil incommodi fœtui ac parenti afferre posse videtur; cùm huiusmodi membranæ nec sint fœtus partus, vt Galenus docuit aliquando, nec vteri: vt, etiam si defringantur, nullus labor, aut dolor, ægritudo nulla conceptui, aut parenti oriri debeat. Pulcherrimæ quidem dubitationes, ac difficillimæ; quas sicut nemo ante nos attulit, ita & venia digni erimus, si in illis dissoluendis neq; nobismetipsis, neq; rei difficultati fortasse satisfaciemus.

Priores duæ soluuntur dubitationes. Quare septimestribus omnes abrumpantur pelliculæ simul, partusq; tempore; videlicet mense septimo: decimestribus verò nec simul omnes. & priores ante partum, menseq; itidem septimo.

Cap. 55.

Dicimus igitur primæ dubitationi manus admouentes, quòd septimestres partus labores illos non perpetiantur, verè causam esse, quia simul omnibus statim effractis pelliculis in lucem veniunt: vnde & mater, & fœtus, sed præsertim fœtus nullam potest cōtrahere inflammationem, nec laborem vllum; redditur enim partus beneficio ab omnibus istis incōmodis immunis. Quòd si prioribus tantùm membranis effractis (quæq; illa causa esset) non omnibus, in vtero fœtus permaneret, postquam diruptæ pelliculæ essent interiores; tùm hac ipsa afficeretur ægrotatione, vt suis locis ex Hippocrate notauimus. Omnes autem hi defringūt membranas, ac statim oriuntur (quod in secunda dubitatione quærebatur) quia maturi iam sunt, & natura illis tempus partus imminet. septimestris enim fœtus, si illum cum perfectiori, cum decimestri scilicet conferas, principium potius perfectionis, quàm absolutam perfectionem adipisci dicitur; sed tamen quantum in se est, ac sui ipsius respectu omnimodam nanciscitur; vt tertio præsertim, ac septimo libro, fuit explicatum. Itaq; adeptus sui respectu totam suam maturitatem, validissimum motum efficiens pelliculas tunc longè teneriores, quàm decimo essent mense, facilè rumpit, ac omnes ob eandem causam frangit, in lucemq; vitalis venit: tunc enim naturaliter prodire debet sui temperamenti ratione; nisi ob aliquod præter naturam illi contingens prohibeatur: ex quò & Hippocrates huiusmodi tales, vt septimo libro visum est, ἰσχυροτάτους & ἁδροτάτους, idest valde robustos vocat, & maturos. Decimestris autem natura, etsi robustior sit fœtu septimestri, attamen, cùm septimum percurrit mensem, non adeò in motu valens est, quia longè est immaturior; cùm temperamēti ratione propriam perfectionem, ac maturitatem, omnimodam videlicet ac totam, decimo tantùm mense recipiat; itaq; mouetur quidem natura dirigente septimo mense, quia tunc adipiscitur temperamenti ratione principium perfectionis (menses nanq; septimi, vt superioribus disputationibus toties ex Hippocrate notauimus, fœtibus afferunt perfectionis principium, videlicet illis, qui ex septēdiali materia formantur, vt nos interpretamur) & in motu illo dehiscit vterus, pelliculæ dirumpuntur, fœtusq; descēdit, vt diuinè Hippocrates docuit, ac post illum Aristoteles, nosq; abundè supra, ac libro tertio ex eorum scriptis explicauimus; sed quia motus non adeò validus est, quoniam perfectionem absolutam fętus nō habet, pelliculæ non rumpuntur omnes, verùm duæ tantùm, neq; ipse nascitur: neq; enim motum ad exitum facit puer, vt pleriq; somniarunt, cùm non sit perfectè maturus, ideoq; non adeò validum ob eandē causam; ex quò & si tunc prodiret, intempestiuè nasceretur. Huiusmodi enim tales maturi sua natura nono, ac decimo mense edi debent, vt superius dicebamus. Cur autem septimestribus non defringantur quædam pelliculæ antea, sicuti decimestribus; & cùm rumpuntur, partus contingit; è contra verò nonomestribus, ac decimestribus non omnes eodem tempore defringantur, sed multò ante priores rumpuntur, quàm pariendi tempus immineat; & cùm hæ rumpuntur, non fit partus, ex his intelliges. Causa propria, & immediata, cur pelliculæ defringantur, nulla est alia, quàm motus fœtus validus, & calcitratus; siquidem ita verbis illis præceptor Hippocrates initio Opusculi de Septimestri Partu indicauit. Et fortissimi, ac plenissimi fœtus vim facientes, ac pelliculas dirumpentes partum fieri cogunt. Siquidem

Cap. 17.

dem nos vim hanc, vt superiora docuerũt, robur ac motum interpretamur, quẽ ἰσχὺν paulò supra dixisse videtur, & diruptionis pellicularum causam; cuius & rursus dixerat causam esse perfectionem ipsam: quare hic colligimus, non antea pelliculas posse dirumpi, quàm principium adsit perfectionis, & maturitatis: qua de re tota & septimo libro, & supra diligenter. Hoc igitur perfectionis principium cùm nulli fœtui ante septimum ineuntem mensem adueniat, vt tertio, sexto, & septimo libro abundè ostensum fuit; iure ante septimum nulli pelliculæ naturaliter dirumpi queũt; quare & septimestribus, in quibus perfectionis principium coincidit cum ipsa perfectione, & qui perfectionis hoc principiũ, simulq; maturitatem suam septimo mense vel incipiente, vel currente, vel confecto nacti cùm in lucem prodire debent; meritò euenit, vt per id temporis non ante & pelliculæ defringantur, & omnes defrin-
" gantur; neq; enim aliter oriri possent. At-
" q; hoc est, quod libro tertio Albertum af-
" firmate adnotabamus, decimoq; rursus A-
" uicennam ante illum pronunciasse adnota-
" bimus, septimestribus eodem tempore si-
" mul cum desiderio; & ad exitum motu, e-
" xitum ipsum euenire; desiderij conatusq;
" huius nomine ad exeundum motum hunc
" intelligentes, sed omnino perperam; cùm in septimestribus tantùm ad exitum tẽdat, vt toties aperuimus; non in alijs, quod tamen isti volunt. Quibus verò partus ad longius tempus imminet, talibus exacto septimo mense, ac octauo ineunte triplici de causa meo quidem iudicio contingit, vt aliquæ pelliculæ, sed non omnes dirumpãtur. aliquarum verò diruptio ad partus vsq; tempus differatur. Cùm enim natura, vt plerisq; in locis admonet Præceptor, sed potissimum secundo libro de Animalium Ortu, rem quãcunq; faciat, aut quia necessaria est, aut quia melius est; & vbi potest, id quod melius est, attingat; vbi nõ potest, sequatur necessarium: & quod necessariò facit, melioris notæ gratia hoc ipso abutatur, vt idem pulchrè docet: quoniam in huiusmodi fœtibus, quod pertinet ad rem hanc, id quod melius est assequi non potuit, necessarium ipsum secuta est; melioris notæ gratia ipso vtens. Melius quidem fortasse erat, eodem temporis momento & dirumpi pelliculas, & fœtum oriri; verùm in omnibus non potuit hoc natura efficere: & ratio quidem est, quoniam membrana extrema chorion dicta tũc rumpi debet,

Cap. 8.
Cap. 4.

ac tutò potest, cùm fœtui adest perfecta maturitas; iamq; mulieri imminet tempus pariendi: at maturitas huiusmodi non eodem tempore omnibus contingit; itaq; nõ eodem tempore omnibus chorion potest defringi. Cùm enim hæ membranæ rumpantur ex valido motu fœtus, & calcitratu, motus verò hic duplicem habeat differentiam; nam vel fœtus est iam plenè maturi, & in quo principium perfectionis coincidit cum absoluta perfectione, vt in septimestribus; vel eius, qui principium tantùm nactus sit maturitatis, & in quo absoluta perfectio differt insigniter à principio perfectionis, vt in decimestribus, cùm fuerint ætatis septimestris; iure euenit, vt diuerso tempore pro horum motuum varietate diuersis partibus rumpãtur; ac priores quidem duę necessariò in fœtibus decimestribus mense septimo, quia tunc ob principiũ perfectionis acceptũ maiori accedente robore, longè quàm antea validiorem edunt motum, sed non tamen adeò validum, vt membranas omnes defringere queant; quia non sunt perfectè maturi, ideoq; non mouentur ad exitum, si naturæ modum seruant; vnde extremam nequeũt defringere reliquis robustiorem: ita enim intempestiuo tempore editi perirent. omnes verò in septimestribus defringantur, quia eodem tempore & perfectionis principium, & omnimodam perfectionem, ac maturitatem adipiscuntur; vnde extremã quoq; rumpere possunt.

Fusius explicatur, cur decimestribus non omnes membranæ partus tempore dirumpantur. Aristotelis locus quidã obscurus enarratur.
Cap. 56.

HAc igitur diruptione, quæ necessariò euenit decimestribus circa mensem septimum, vtitur natura melioris notę gratia, videlicet commodioris partus, & facilioris ipsius fœtus. Enimuero si pellicularum omnium effractionem ad tempus vsq; plenę maturitatis decimestrium natura differret, tunc fœtus hasce pelliculas temporis longinquitate duriores effectas rumpere non posset, vel certè longè difficilius: ꝗ facilè ex Galeno libro decimoquinto de Vsu Partium comprobare possumus, pręter alias causas, cur non statim initio natura singulas hasce tunicas fortes effecit, hanc vnam adducente, vt in ipso partu facilè rũpi possent. Quod enim Galenus partus

Cap. 5.

tempore factum iri extimescit, si statim cũ-
ctæ duræ, & crassæ hæ tunicæ gignerentur;
id meritò timendũ nobis esset euenire, si iq
decimestribus, dum pariendum est, omnes
simul essent defringendæ. Accedit quòd
in prioribus illis tunicis fœtus hi natura
corpulentiores, & maiores, tanquam in ar-
ctiori loco quasi vincti, & adstricti perma-
nerent. Prudentissima igitur mater, vt hęc
effugeret incommoda, & saluti fœtus con-
suleret, rumpi pelliculas quasdam exacto
septimo statuit; tempus verò ortus distu-
lit, vt suam partus reciperet maturitatem.
Porrò autem his ita expositis, vt multa in
paucis conferamus, tres elucent causæ,
cur priores in decimestribus membranæ
peracto septimo defringantur. prima, &
secunda gratia necessitatis; quia scilicet
tunc mouetur validè fœtus, cùm principiũ
recipit perfectionis; ad validum verò mo-
tum hunc aliquas frangi pelliculas sit ne-
cesse; item quia per id temporis fœtus na-
tu grandior, & auctior factus ampliorem
locum requirit; vnde primam, ac secundam
dirumpit tanquam tunicas angustiores,
vt eat in capaciorem: in qua cùm existit,
longè facilius partus tempore conuertitur
propter loci capacitatem: quæ sanè spatio-
sitas adeò necessaria est in fœtu conformã-
do, ac pariendo, vt si vterus angustior sit,
quàm oporteat, fœtum tenuem, ac morbi-
dum oriri sit necesse, ac imbecillem, vt in
libro de Genitura docet Hippocrates; quo-
niam locum non satis amplum habuerit ad
incrementum capiendum, ad seseq; cõuer-
tendum partus tempore; de qua re satis li-
bro tertio disputauimus. vt hinc facilè di-
scas, quàm sit consonum rationi, vt quo tẽ-
pore sit conceptus corpulentior, eo statim
requirat loci capacitatẽ. respondet enim
decimestris, vt tertio libro ex Aristotele
ostensum est, suo temperamento magnitu-
dini; cuius sanè magnitudinis ratione &
pariendi, & ferendi vteri tempora legem
recipiunt, & pleraq; alia partus acciden-
tia, vt suo loco notatum fuit; quare cùm
fœtus natura decimestris maioris sit molis,
& corpulentior quàm septimestris, & octo-
mestris; ex quò & Hippocrates libello de
Septimestri Partu septimestres μικροὺς, .i.
paruos vocat; euenit vt septimo mense e-
xacto, quia tunc molem insignem corpus
recipit, quasi ampliorem locum quærens
principio perfectionis recepto ex priori-
bus membranis, in quibus nutritus erat,
tanquam ex loco angustiore exire cone-
tur; vnde motu facto admirabili naturæ ar-
tificio duas illarum frangit. Simile enim
accidit ac in spicis, quarum fructu auge-
scente, vt de septimestribus dicebat Hip-
pocrates, membranæ laxantur, ad id coac-
tæ antequam fructus perfectè maturescat:
quod quidem, vt septimestribus, ac octo-
mestribus contingat nulla est necessitas;
cùm longè minoris sint molis, ac minus
corpulenti; ex quò & patet motum deci-
mestris partus in septimo mense esse etiam
propter insigne corporis augmẽtum, quod
tunc temporis adipiscitur. Tertia causa
est gratia finis; quia si tribus tunicis con-
clusus ad partus vsq; tempus permaneret,
non posset cunctas iam redditas fortiores,
ac duriores defringere, vel omnino diffi-
cillimè: quas quidem omnes causas diui-
nè Hippocrates libello de Septimestri Par-
tu tetigisse, facilè modò quisq; veritate co-
gnita videbit. Enimuero cùm dixisset, se-
ptimo mense membranas rumpi, ac fœtum
in extremam transire, & in ea nutriri, ita
subdit. Et sanè septimo quadragenario „
magnam partem fœtus isthic fori delite- „
scunt. nam ipsis fœtibus loci illi molles „
sunt, & ijsdem ibidem etiam agitationes „
& faciliores sunt, & crebriores, eòq; ad „
partionem accommodatiores. & paulò su- „
pra dixerat. Et ad inferiores locos descẽ- „
dit ad faciliorem instante partu conuersio- „
nem. Hæc ille; quibus satis clarè docet, „
in exteriorem membranam fœtum ipsum
dirigente natura transire, descendereq; in
locos vteri inferiores, vt locum habeat am-
pliorẽ; faciliusq; proinde & crebrius mo-
ueri posſit, quemadmodum viribus & ma-
gnitudini ipsius conuenit; demum vt par-
tus tempore facilius cõuertatur, egrediq;
valeat. Atq; hoc est (nisi fallor) quòd Hi- *Cap. 8.*
storiarum septimo inquit Aristoteles, fœ-
tum, cùm iam maturitatem accepit, ad v-
teri caua proficisci, & locos petere infe-
riores, ita vt aliquando voluatur circa pa-
rentis genitale, ibiq; motus edere apertio-
res. Eam enim mutationem, quam supra
quarto capite tetigit, quando dixit, cùm
ad septimum mensem ventum est, vterum
dehiscere, fœtumq; descendere, & de qua
tàm multa libro tertio disputauimus, de-
mum eam mutationem nobis ob oculos
ponit, quam hoc loco ex Hippocrate ex-
plicauimus: cùm scilicet ruptis prioribus
membranis descendit fœtus in locos vteri
inferiores. quare Philosophus rectè dixit,
fœtum ἁδρυνόμενον, idest cùm iam maturus
est, εἰς τὰ κοῖλα proficisci, idest ad caua v-
teri, & locos ipsius inferiores; nam & hoc
mihi

mihi τὸ κοῖλον sonat. principium enim maturitatis, quod septimo mense fœtui aduenit, iam libro tertio ex eodem explicatum designauit; quo recepto hos omnes motus edit vehementiores. Quare haud facilè mihi persuadeo, locum hunc de palpitatione, ac primo fœtus motu esse intelligendum, vt placuit Theodoro, qui sic illum interpretatus est. Fœtus autem grandescens caua vteri subit, vbi palpitans iam sentitur, & circa genitale parentis interdum voluitur.

Tertia proponitur soluenda dubitatio. quot sint mēbranæ fœtum inuoluentes secūdum Hippocratem; quo tempore, & qua de causa à natura productæ ex Aristotelis sententia.

Cap. 57.

VErùm hactenus de prima, & secūda dubitatione; nunc tertia soluenda est, quæ tres continet difficultates adeò quidē graues, & difficiles, vt cogant nos, si Hippocratis dignitatem pessundatum iri nolumus, de tunicis fœtum inuoluentibus diligētissimam disputationē instituere; cùm mirum omninò sit, neq; Galenum, neq; alios postea Medicos, qui tàm multa de humano partu disseruerunt; hæc ab Hippocrate de amnij, & allantoidis diruptione dicta vel approbasse, si vera esse illis videbantur; vel si falsa cognouerant, reiecisse: præsertim cùm Hippocratis omnia quasi Deorum oracula venerati sint; vt nulla debuerint ratione despicere, quæ ad grauissimam dissoluendam quæstionem ab eo diuinitus excogitata fuere, ac in medium allata. Nec dicendum videtur, hoc vnum, quod docetur de harum pellicularum diruptione, de eorum esse numero, quæ minus Hippocratica à Thesalo filio, vel Polybo, alijsq; inserta fuerunt; quę quidem fuga illorum est, qui alio modo se se nesciūt explicare; cùm librum de Septimestri Partu Galenus librorū Hippocratis iudex integerrimus verum ipsius partum iudicauerit; ideoq; eius enarrandi prouinciam susceperit: cuius in illum Commentarij nisi temporum iniuria perijssent, fortasse hac de re dubitandi nulla esset nunc occasio. Sed vt rem totam ea, qua digna est, diligētia persequamur; primùm quot numero hę tunicæ sint fœtum ipsum inuoluentes, dicendum est; deinde cuius gratia à natura constructę: qua in re adeò varios Auctores ipsos inuenio, adeò non cum alijs tantùm, sed cum semetipsis pugnantes, vt nihil supra. Verùm de inuolucris fœtum inuoluentibus aliqua dicturus, Hippocratis primùm sententiam perquiram; mox Aristotelis, deinde Galeni dogmata afferam: demum Recentiorum, ac Vesalij præsertim recitabo opinionem; qui vnus adeò sibi parum constans in his membranis describendis visus est, vt à magistro Galeno dissentiens, omnia turbauerit. Tritissima igitur Veterum sententia est (vt rem ipsam aggrediar) tres esse membranas fœtum ipsum inuoluentes; quarum primam & extimam chorion, secundam & mediam allantoidem, tertiam & postremam, quæ fœtū ipsum tangit, amnion vocant: quam etiam sudorem fœtus continere, sicut & mediam eiusdem vrinam dicunt; primamq; ac tertiam fœtum totum perfectè cōtegere, mediam ipsius tantùm partes extremas; quanquam de prima, an fœtum ambiat vniuersum Neotericorum quosdam scio dubitasse. Ego tamen, vt apud Galenum, recentioresq; Medicos hasce tres voces passim inuenio; ita & apud Hippocratem, Aristotelemq; chorij tantùm reperio mētionem; qui reliquas membranas τῶν ὑμενῶν nomine videntur intellexisse. Non me tamen fugit, Rufum Ephesium, dum appellationes partium humani corporis persequitur, duas tantùm fœtum tunicas obuoluentes recensere, chorion, & amnion, quasi Veteres has solùm cognouerint, atq; huius vocis amnios Empedoclem auctorē agnoscere: qui tenuem, ac molliorem membranam fœtum ipsum circumplectentem dicitur amnion vocasse, deducta ab ἀμνὸς, idest agnus appellatione: idemq; Pollucem docere comperio in Onomastico; vt amnios vox, interiorisq; tunicæ appellatio vetusta omnino esse videatur. Harum membranarum ortus talis est de Hippocratis sententia in Opusculo de Pueri Natura; hac enim de re tametsi abundè libro superiore disseruimus; operæprecium est tamen Præceptoris imitatione, & commoditatis, & clarioris doctrinæ gratia ea repetere, quæ ad præsens institutū videntur necessaria; quod non semel toto hoc opere occasione data putauimus faciendum. Semen vtero receptum, quia lentum est, & omni ex parte cohæret; calore vteri crassius fit, geniturę; virtute corpulenta ipsius pars cogitur magis; ob idq; externa & summa eius facies tanquam magis terrea membranæ constantiam sumit. Atq; hoc loco seminis nomine intelligo menstruorum, & geniturę con-

coniunctionem; interea Medicorum cum Aristotele certamina relinquens in Opere de Monstrifici Fœtus Formatione à me diligenter ventilanda. Cogitur enim excrementum fœminæ à maris genitura, vt secundo de Animalium Ortu placet Aristoteli, perinde & lac ab ipso coagulo: atq; cùm iam corpulentæ coguntur partes & crassiores; cùm non sit totum menstruum ad formandum fœtum aptum, sed inutilis aliquid adhuc contineat, quod paulò quoq; supra Aristoteles significauit; pars humidior excernitur, atq; membranæ circum obducũtur parte resiccescẽte terrena, tùm necessariò, tùm alicuius gratia; vt diuinè citato loco idem docet. Nam & calescentis, frigescẽtisq; rei extrema siccescere necesse est; & animal non in humido, sed seorsum contineri oportet: quod idem repetitum inuenies infra eodem libro, dicente Præceptore, chorion, & membranas inter fœtum & vterum positas esse; omnesq; fœtus tùm volucres, tùm aquatiles, & pedestres pari modo membranas tenues ambire, separantes eos ab vtero, atq; ab humoribus admissis: vt hinc ex Aristotele discas, naturam idcircò conceptum membrana tegere, vt ipsum ab humidioribus partibus, quæ in coagulatione corpulentiorum secretæ sunt, atq; ab humoribus, qui in vterum confluunt, tueatur; tùm etiam & ab vteri tactu, qui tenerrimo fœtui, & conceptui sua duritie non incommodi parum erat allaturus; quod Albertus quoq; vndecimo de Animalibus animaduertit. atq; hoc est, quod libello de Natura Pueri docebat Hippocrates, genituram ipsam in vtero permanentem misceri, deinde coaceruari, crassamq; reddi, & spiritum concipere, cùm in calido loco existat; vbi verò spiritum conceperit, pelliculam acquirere, eò quòd circumtendatur, quod forinsecus circum ipsam est, continuumq; fiat, vt potè viscosum existens. ex quo quidem Hippocratis loco (vt hoc obiter non præteream) tanquam ex veritatis tribunali longè alias, dum concipitur fœtus, vteri esse colligimus actiones, quàm à Laurentio multæ alioqui eruditionis viros Oper. Anatom. libro secundo explicatas; cùm, vt ipsa docet diuini Senis oratio, prima ipsius vteri actio receptio sit, siuè cũ Laurẽtio attractio appelletur; secũda permãsio & retentio; tertia permixtio; nã dicit apertè Hippocrates, si genitura in vtero recepta permanserit, misceri. cùm alioqui Laurentius tertiam actionem Præceptorem deserens quem tanti facit, retentionem esse doceat; secundam, permixtionem. quarta demum actio seminũ sit coagulatio. quod tamen quo pacto intelligẽdum, ne ab Aristotele coagulationem hanc virtuti seminis tribuente Hippocrates desciscat, septimo libro fuit explicatum. & si quintam addere velis; cùm dicat Hippocrates, genituram tanquam in calido loco existentem spiritum concipere; ea sit non quidem formatricis virtutis in semine existentis suscitatio, sed spiritus, quod ipsius est virtutis instrumentum ad conformationem, generatio & excitatio; post quam spiritus generationem, primæ membranæ sequitur ortus, vt admonet Hippocrates. Huiusmodi autem membrana oritur antequam fiat ipsa conceptio, vt septimo libro exposuimus; ex quò & Hippocrates in sex dierum genitura illa, quæ ex mulieris illius saltu in terram profluxit, vnam tantùm membranam videtur adnotasse: nempe quia, vt libro memorato diximus, nondum esset facta conceptio. atq; hæc ipsa est, quę extimum, exteriusq; inuolucrum dicitur, primaq; fœtus tunica matricem tangens, & chorion maximè propriè appellatur, vt infra etiam clarius dicam. Post hanc duæ aliæ pelliculæ, & membranæ generantur secundum Hippocratem, qui ita libro de Natura Pueri perspicuè harum membranarum ortum explicauit. Verùm sanguis à toto corpore mulieris descendens in orbẽ forinsecus pelliculam circũstat, simulq; cũ spiritu sanguis intra per pelliculam trahitur, qua parte perforata est, & à genitura distat, congelaturq;, & futuro animali augmentum præbet. Quum autem tempus accesserit, rursus aliæ pelliculæ intra primam pelliculam tenues, & multæ circuntenduntur eo modo, quo prima pellicula facta fuit: sunt autem hæ ab vmbilico extentæ, & inter se mutua ligamenta habent. Cùm verò hoc factum est, ex descendente à matre sanguine, & congelato caro fit. Hæc ille; ex quibus intelligimus, primùm exteriorem membranam gigni, mox eandem ob causam intra primam interiores alias; quas & primæ respectu tenues vocat Hippocrates, ac præterea multas, vt doceat, plures vna intra primam gigni, duas, videlicet; duo.n. multa sunt, vt decimo Metaph. docemur; sed omnes tamen antequã caro oriatur. ac rectè quidem triplex hoc tegmentum fœtui ante carnem oboritur, cùm ad gignẽdam carnem plurimum, quod triplex sit, conducat.

Cap. 4.

Cap. 5.

Quæst. 24.

Tex. 20.

Su-

Superior sentẽtia ex Aristotele cõfirmatur. De mẽbranarũ numero Hippocratis rursus explicatur opinio. Cur extima membrana chorion dicatur secundum illum.

Cap. 58.

EAndem sententiam secutum esse Aristotelem hi facilè norũt,qui ad eius verba in extremo capite septimi Historiarum posita animi aciem intenderint; quo loco intra vltimum inuolucrum (ἐσχάτου χορίου habet græcum exemplar) primò gigni animal scribit; addens alteram inueniri positam membranam, quæ & iam dictum inuolucrum, & ipsum animal obuelat. qua in re maximè laudandus in Cõmentarijs Suessanus, dum in intrinseco, & in interiori inuolucro fieri animal primò interpretatur. Siquidem & ipse Hippocrates de extremo,vltimo scilicet, quod fœtum tangit, intelligens in calce libri de Natura Pueri, dixit in eandem sententiam, genituram membrana obtegi, & viuificari,vt superiore libro declarauimus. sit enim animal in extrema & vltima mẽbrana, quam amnion vocant. quam veritatem Albertus non vidit, dum nono de Animalibus notatum reliquit, animal primò, vt ipsius ore loquamur, fieri in secundina, voce fortasse illa, χορίου, deceptus, simulq; & veteris Interpretis conuersione; ignorans Aristotelem hoc loco Hippocratis imitatione, reliquas etiam membranas interiores χόρια appellare,tametsi & hîc, & alibi chorion passim à membranis distinguere videatur. nam Hippocrates in Opusculo de Partu Septimestri allantoidem, & amnion chorij nomine intellexit verbis illis. διὰ δὲ τὴν μεταβολὴν ἐκ τῶν χορίων τῶν θρεψάντων, &c. idest ad verbum. Ob mutationem autem ex choris, quæ ipsum (scilicet fœtum) aluerunt. at nutriri fœtum intra amnion, vltimam .s. membranam, quæ illum tangit, palàm est; quam χόριον vocat Hippocrates; siue enim per ω magnum scribatur, siue non, nil refert ad propositum. quanquam adducto loco duas tãtùm membranas videatur Philosophus ponere; vt qui rem hanc ad inuolucra fetus pertinentem vbiq; locorum tãgere tantùm visus sit, sedula de illorum numero inuestigatione prætermissa: ratus forsan satis esse, si plura esse docuisset, & si causas, ob quas oriuntur, explicasset; quod pulchrè ab eo factum fuisse, supra vidimus. Interea tamen accuratè notandum est ex superioribus Hippocratis verbis, ac diligenter obseruandum, omnes hasce membranas ab vmbilico extentas esse, & inter se mutua ligamenta habere; quasi ligamẽtorum, vinculorumq; munere fungantur. siquidem id rectè intellectum demonstrabit, quid voluerit diuinus Senex in libello de Septimestri Partu, cùm de harum pelliculatum diruptione agens, dixit, fœtum illis fractis ex antiquo vinculo exsolui, de qua re infra nonnulla. Etenim hæ membranæ aliqua ex parte, vt Galeno placuit, vicissim cohærentes, licèt pro maiori contiguæ tanquam globi quidam, non tamen continuæ, vniuntur in vmbilico,ac mutuo vinculo per eum, atq; in eo vinciuntur. Quòd autem Hippocrates inuolucra hæc tria esse censuerit, nec plura, satis colligitur ex eius verbis, quæ supra in quarta dubitatione adduximus ex Opusculo de Pueri Natura; quo loco luce meridiana clarius est, ipsum & internam, & mediam, & extremam tunicam in fœtu agnoscere, quã & postremo loco abscindi scribit: vt nulli dubium esse queat, alias prius interiores rumpi velle, extrema hac integra adhuc permanente. quod totum admirando, sed consueto tamen naturæ contingit ordine, atq; artificio; cùm in omnibus eueniat,vt, quod vltimum fit, id primum deficiat, & quod primum, id vltimum, quemadmodũ secundo de Animalium Ortu perbellè notatum reliquit Aristoteles: quasi natura decursionem reducem agat, & à calce ad carceres, vnde prouenit, redeat. ex quò & membrana illa, quæ primò ad fœtum in vtero continendum producta est, iure, & meritò postrema defringitur, cùm iam illi egrediendi vtero tempus instat. Nec nos turbet, mediam membranam Hippocratem plurali numero ὑμένας exprimere, quasi plures intermedias esse censuerit; enimuero ea est ipsius consuetudo, quemadmodũ etiam & Aristotelis,vt τῶν ὑμένων, idest pellicularum nomine vnicam plerunq; intelligant, & solitariam: quod, ne lõgius abeamus, fecisse Hippocratem eodem Opusculo satis constat verbis illis; quibus & causam aperit, cur extrema tunica chorion dicatur. Sic enim scribit. Quum autem generatur caro, tunc pelliculæ augescente in vtero sanguine etiam ipsæ augentur, ac sinuantur, & præsertim externæ; & sanguis à matre descendens, quem sanè caro spirans attraxerit, in incrementum cedit: & si vtilis non sit, in sinus pellicularum secernitur; & vbi sinuatæ factę fuerint, ac sanguinem susceperint, tunc iam secunda appellatur. Enimuero cùm dicit pelliculas auge-

Cap. 7.

Tract. 1. Cap. 7.

Cap. 4.

augeri, sinuariq; sanguine augescente, ac præsertim externas, clarum est, ipsum externarum nomine extremum inuolucrum intelligere, quod vnicum tantùm est, & reliqua continet, & ambit, matrici adhærēs: vnde & alia, quę subiungit, ad externas pelliculas referenda sunt; nimirum sanguinē inutilem in sinus pellicularum, externarū videlicet secerni; & vbi sinuatę fuerint factę, & sanguinem susceperint, chorion vocari; quam vocem Interpres secundam rectè interpretatur. Significat enim χωρίον pro ω magnum scriptum propriè vas, atq; conceptaculum; vt meritò extima hęc mēbrana benè sinuata, atq; in sinus suos inutilem sanguinem excipiens, chorij nomine de Hippocratis mente dignanda videatur. Non me tamen præterit, Andream Laurentium virum doctissimum Oper. Anatom. libro secundo scriptis mandasse, non quidem extimam membranam secundam dici; sed tria hæc tegmina sibi mutuò connata vnum constituere, quod Græcis δευτέριον καὶ ὕστερον, Latinis secunda, vel secundina dicitur; aut quòd in pariendo vltimum sit, aut quòd secundum sit ab vtero fœtus domicilium. Recta autem euenit ratione, vt inutilis iste sanguis in sinus dictos influat, ac labatur; perinde enim natura atq; pater familias prudens nihil dimittere solet, ex quo facere aliquid commodi possit, quemadmodum secūdo de Ortu Animalium docet Aristoteles. Dispensatur autem in cura rei familiaris ita, vt cibus optimus detur liberis, deterior seruis, vilissimus animalibus. sic igitur in fœtus ortu natura sanguine vtili, ac sincerissimo, qui ex parentis corpore huius rei gratia in vterum descendit, ad alendum augendumq; fœtum vtitur; inutilem in sinus membranarum mittit, vt ex illo fortasse & nutriri, & augeri possint.

Cap. 12.

Cap. 4.

Membranę cur triplices à natura productę. Aristotelis locus quidam obscurus expenditur.

Cap. 59.

HAs autem membranas triplices natura gignit; quoniam, vt perbellè libro secundo de Ortu Animalium, item libro tertio notauit Aristoteles, in ternario numero, & tertia mutatione finem generatio recipit. Ac sanè triplex inuolucrum primis diebus gigni potuit, quoniam per id temporis, cùm modica spiratio fiat, vt libello de Natura Pueri docet Hippocrates, modicus etiā sanguis ad alendā genituram absumitur; ex quò non solùm ad externam membranam producendam, verùm ad secundam, & tertiam ex sanguine ipso materia non deficit: quæ, statim ac amplior ipsius copia ad conformandum, nutriendumq; fœtum, ipsiusq; partes absumi incepit, iam & meritò deest ad plures tunicas gignendas. Item vt triplices essent huiusmodi membranę valde commodum fuit; tùm ad maiorem fœtus tutelam, cuius cōseruandi natura maximè est studiosa; tùm quia humores multi, ac diuersi multaq; fętus excrementa, quæ vt miscerentur commodum non erat, in illis erant coaceruanda; tùm quia, si ex parentis, aut fœtus valido motu vna, vel altera abrūperentur ante statum pariendi tempus, fœtus adhuc incolumis nihilominus permanere posset; tùm demū quia diruptis interioribus mēbranis ob mutationem, quæ octauo mense fœtui aduenit, de qua iam diximus; adhuc superesset extrema, quæ cadentem illum exciperet. quòd si quintam ex Laurentio causam addere velis Oper. Anatom. libro secundo, coaceruationem scilicet spiritus, & conseruationem, non repugno. Si autem discere ex Hippocrate cupis, quo modo hæ membranæ in partu dirumpantur; id ex libello de Pueri Natura sic audies ab eo explicatum. Dum ex partu laborat mulier maturo fœtu, conturbatur ipsi sanguis, & à forti pueri motu vehementer calescit; atq; ex capite, reliquouè ipsius corpore secernitur, in vterùmq; confluit, & membranas. adhuc puero vehementius se mouente, & manibus, ac pedibus calcitrante, seq; in caput conuertente, interiores primùm membranæ, tandem chorion abrumpitur; quibus ruptis cruentus ille humor, ac pars sanguinis, qui iam descendit foras procedit; deinde pueri caput, postea reliqua mēbra; postremus autem vmbilicus, deinceps chorion ex vmbilico tentum: post hæc mucus residuus sanguinolentus, & aquositas quoq; viam sternunt purgationi à partu consequenti. Hæc in Opusculo illo Hippocrates; quæ, licèt obscurius videantur prolata; si accuratè tamen, ac sedulò considerentur, cur & quo modo in partu hæ membranæ dirumpantur, & tres esse fœtū obuoluentes, manifestè docere cōperiemus. Eadem de harum membranarum diruptione, diruptionisq; causa videtur septimo Historiarum expressisse Aristoteles (quanquam in eius verbis cōuertendis maior fortasse in Interpretibus diligentia desidе-

Cap. 1.

Cap. 10.

Cap. 12.

Cap. 9.

siderari possit) dum scribit, maturo fœtu, ac se mouente, & ob motum ipsius membranis ruptis ydropa effluere; deinde fętũ, conuersa matrice ad eum expellendum; & secundæ quod erat intus extra facto, in lucem venire. gręca enim Aristotelis oratio ita habet. πρῶτον μὲν οὖν ὕδρωψ ἐξέρχεται γινομένου τοῦ ἐμβρύου, καὶ ῥηγνυμένων τῶν ὑμένων, ἔπειτα τὸ ἔμβρυον· ϛρεφομένων τῶν ὑϛερῶν, καὶ τοῦ ὑϛέρου τὰ ἔσω ἐκτὸς ἴσχοντος. Quæ verba sic Theodorus interpretatur. Primùm aqua illa subter cutem fusa per fętus motionem ruptis membranis effluit; deinde fœtus inuerso vtero, & secundis interna euoluentibus, foras venit in lucem. Trapezuntius verò sic cum ipso ferè consentiens. Primùm igitur egreditur humiditas embryone perfecto, & membranis diruptis: deinde embryon verso vtero, & secundinæ interioribus extra conuersis. demum & in hũc modum vetus Interpres à Trapezuntij, ac Theodori conuersione non discedens. Primò quidem igitur ydrops egreditur facto embryone, & ruptis ymenibus; deinde embryo versis quidem matricibus, & matricali interiora exterius habente. At certè, quòd in partu vterus inuertatur quasi interna ipsius pars exterior fiat, vt præsertim Theodorus exprimit verbis illis, inuerso vtero, quem sensum & vetus Interpres, & Trapezuntius sequi videntur, nec puto hoc loco Aristotelem dicere, nec fieri posse credo; sed ϛρέφεσθαι τὰς ὑϛέρας, idest conuerti matricem esse autumo, se se eam ad fœtum propellendum omni enixu conuertere. cùm enim procedit puer, & vim facit, dilatat matricem in enixu, vtpotè teneram existentem. quemadmodum libello de Natura Pueri docet Hippocrates; mox ore ad fœtus prolaptionem satis patente vniuersus matricis fundus, vt inquit Galenus tertio libro de Naturalibus Facultatibus, quàmproximè potest ad os se contrahit, fœtumq; propellit, ac magno impetu extrudit; quod præ cæteris elegans Rei Medicæ scriptor Fernelius septimo libro de Naturali Parte Medicinę se vidisse testatur. vt iam his cognitis facilè intelligamus, quid voluerit verbis superioribus Aristoteles, cùm dixit, in fœtus exitu ϛρέφεσθαι τὰς ὑϛέρας, idest matricem conuerti; fundi enim ad os ipsius contractionem ad fœtum propellendum, mea quidem sententia, significauit: quod tamen perperam ad inuersionem matricis videntur Interpretes retulisse. Dicit autem rectissimè Aristoteles, γινομένου τοῦ ἐμβρύου,

Cap. 3.

Cap. 11.

seu, vt legisse videntur vetus Interpres & Trapezuntius, vtq; habet Camotiana editio, γενομένου τοῦ ἐμβρύου, (quod optimè Trapezuntius, perfectò fœtu, interpretatus est) ruptis membranis humiditates egredi; quia diruptionis membranarum, proindeq; exitus, fluxusq; humorum causa motus est validus infantis; huius verò motus maturitas ipsa, & perfectio; quod satis libro tertio, ac septimo monstratum fuit, quin etiam & superiori disputatione indicatum. Theodorus loco γινομένου legisse videtur κινουμένου, proindeq; transtulit, per fœtus motionem, quod non improbo. Adhuc rectè dixit Aristoteles, chorion, secundamq; inuerti, adeò vt interior ipsius superficies, quæ fœtum tangebat, exterior fiat, quoniam fœtus in transitu chorion exuit, & inuertit; quod & mox fœtum sequens, cernitur vmbilicum extrinsecus habere; quæ res acutè ab eodem Fernelio loco memorato animaduersa est. vt perbellè Aristoteles libro octauo Historiarum, docere volens, quo modo serpentes exuant senectutem, fœtuum exemplo, qui chorion exuunt, id docuisse visus sit: siquidem scripsit. γενέται δὲ ἐκδυομένου τὸ ἐντὸς ἐκτὸς, ἐκδύεται γὰρ ὥσπερ τὰ ἔμβρυα ἐκ τῶν χορίων. quod est. Cùm serpens exuit cutem, pars interior ipsius exterior efficitur; exuit enim quemadmodum fętus chorion. quo loco mirum est quantum recesserit Theodorus à fide græci exemplaris. Postremò vocatur hîc ab Aristotele ydrops humiditas illa, quam aquosam, ichorosam, & sanguinolentam supra appellauit, atq; inter chorion, & sequentem membranam dixit contineri; & quam mulieres πρόφορον appellare scripsit, dixeris partus prænunciam; vt quæ puerum iam iam nasciturum antecedat. nostræ mulieres aquam nominant; humores scilicet illos cruentos, qui paulò ante pueri ortum effluere solent: nõ tantùm partus quidem prænuncij, sed si Auicennæ credimus libro nono de Animalibus, etiam sexus; cùm, si aquam saniosam repræsentent, marem, si sanguinolentam, fœminam præsagiant. quare perperam, meo iudicio, Theodorus vocẽ, ὕδρωψ, hoc loco aquam subter cutem fusam (quod in morbo tantum hydropico locum habet) interpretatus est. Intelligendum est autem admisceri his humiditatibus etiam aquam illam, quam ab altera membrana post chorion genita, qua parte seiuncta est à vulua, contineri scripsit idem Aristoteles; de qua etiam nos infra nonnulla opportunè dicemus.

Cap. 17.

Cap. 7.

Cap. 5.

mus. Arbitramur enim aquam hanc vrinā fœtus à nostris esse appellatam, à Vesalio rectissimè in vesica quadam collocatam. Verùm satis hæc pro præsenti instituto de harum membranarum natura, quæ fœtum ambiunt, ex Hippocratis sententia & Aristotelis; modò hoc vnum adijciamus, tunicas bruta inuoluentes ab vtroq; auctore membranas vocari, chorion humano fœtui tantùm impartiri: vt hac de causa fortasse idem Aristoteles Historiarū septimo inter membranas, & chorion differentiam aliquam videatur agnoscere. quanquam & ipsos has omnes, chorion scilicet, & reliquas membranas in fœtu non quidem specie inter se distinguere patet, sed tantùm secundum magis & minus (quod apertè secundo de Ortu Animalium docuit Aristoteles) præcipuamq; inter ipsas chorion esse velle: ità vt sæpissimè ipsius tantùm reliquis prætermissis mentionem facere videantur; quod Opusculum legentibus de Superfœtatione fit manifestum. Sed iam reliquum est, vt Galeni, aliorumq; dicta ponderemus; ita enim an rectè scripserit Hippocrates, rumpi circa septimum mensem harum membranarum nonnullas, facilius cognoscemus.

Cap. 7.

Cap. 4.

Galeni, aliorumq; Medicorum placita expenduntur. tollitur insignis ex Galeno contradictio. Eiusdem ab Hippocrate dissensio notatur.
Cap. 60.

GAlenus postea, & alij Medicæ artis professores, qui secuti sunt (Vesalio vno, & Pareo exceptis) tres esse tunicas fœtum ipsum inuoluentes scriptis mandauerunt; extremam ac vterum matricemq; tangentem chorion dictam, mediam allantoidem, tertiam amnion fœtum circumplectentem: & chorion quidem, & amnion exactè fœtum circundare, maioresq; esse tunicas: allantoidem verò non toti fœtui esse circumiectam, sed tantùm eminentibus ipsius partibus capiti, natibus, pedibusq; superiectam, diciq; à figura allantoidem, quia sit τῷ ἀλλᾶντι persimilis, idest, vt interpretantur, intestino farto. ex quò & intestinalem passim vocant; vt omnino præter rationem Valeriola libro primo Locorum Communium scribere audeat, chorion intestinalem tunicam Galenum dicere. quanquam libro duodecimo de Re Anatomica Columbus in brutis tantùm farcimini similem huiusmodi tunicā esse scribit: atq; hanc primo libro de Semine addit Galenus ex muliebri semine esse genitam, ideoq; cęteris imbecilliorem; ac simul tēpore cum ipso chorio. quā in re ab Hippocrate dissentit; qui, vt vidimus, chorion primò, mox alias produci existimauit, quē Aristoteles secutus est: vt mirandum quoq; videatur, Fernelium virum doctissimum libro septimo de Naturali Parte Medicinæ voluisse, allantoidem primò generari, etiā ante chorion, quod memorato loco Colūbus quoq; voluit. Nec nos turbet, Galenum libro decimoquinto de Vsu Partium membranas fœtum inuoluētes quatuor efficere verbis illis. "Non igitur est mirum, "si, quando membranæ quatuor sibi mutuò "incumbunt, robur ex ea coniunctione ac"quirant. cùm alioqui vbiq; tres esse tantùm statuat, sed clarissimè in Opusculo de Vuluæ Dissectione, & libro primo de Semine, & libro decimoquarto ac decimoquinto de Vsu Partium. Etenim quartam potuit addere & recensere, vel allantoidis ratione, quam duplicē in Opusculo de Vuluæ Dissectione efficere videtur; fortasse quia vtrisq; vuluæ cornibus appensam esse voluit; quod & primo de Semine facilè colligitur: vel (quod magis probo) chorij ratione, cuius duplicem esse membranam, quæ vasa conectit, libro decimoquinto docuit de Vsu Partium. Cuius autem rei gratia hæ membranæ fœtum ipsum circumplicantes genitæ sint à natura quærens Galenus citato loco; in eam videtur sententiam abire, vt credat, chorion esse quandam vasorum radicationem, venarum scilicet & arteriarum, quæ in vterum ex toto corpore mulieris desinunt, ac sanguinis redundantiam mensibus singulis in illum deriuāt: vnde & chorion propterea vocari subdit (in quo etiam, vt patet ex superioribus, ab Hippocrate recedit) quia chorion vas Græcis sit, & conceptaculum; hæc autem tunica nil aliud sit, quàm huiusmodi vasorum multitudo, & coalescentia tenui membrana connexorum. quod si verū est, hinc necessitas alias membranas producēdi elucet; nempe quia commodum non erat fœtui, vt in ea aleretur, augereturq; membrana, quæ tanta vasorum, orarumq; multitudine est referta: ex quò & secunda membrana producta est; quæ tamen cùm angustior sit, quàm vt totum fœtum circūplicet, ac inuoluat; tertia circumcirca vniuersum conceptum amplectens gignenda fuit. In hunc igitur vsum chorion productum est ex Galeni mente. allantoidem verò

Cap. 7.
Cap. 9.
Cap. 5.
Cap. 10.
Cap. 4. 7.
Cap. 11.
Cap. 4. 5.
Cap. 10.
Cap. 7. 10.
Cap. 4. 5.

Cap. 18.

verò genitam dicit, vt fœtus vrinam excipiat; quæ ne tenerrimum corpus sua acrimonia exulceret, ac corrodat, amnios tertia tunica producta est; tùm etiam vt eiusdem sudorem contineret, qui non erat consentaneum vt cũ lotio permisceretur: nec aliud erat inter allantoidem & chorion excrementum conseruandum, cùm fœtus nil ex aluo deponat, cibum ore non capessens, neq; ventriculo concoquens. atq; hos quidem humores mira naturæ prouidentia seruari propterea idem subdit, vt partus tẽpore lubricam ceruicem reddãt, proindeq; exitum infantis faciant lõgè faciliorem. quanquam & sudoris, qui in amnio coaceruatur, hanc esse potissimum velit Galenus à Columbo & Laurentio citatis locis receptus vtilitatem, quòd fœtus in ipso quasi enatans multò leuior ad gestandum parenti reddatur: quod totum supra in tertia afferenda dubitatione clarius enituit; vbi ipsius vniuersam adduximus hac de re disputatiõẽ. quo loco & illud etiã maximè animaduertẽdum, quod paulò post subiungit, hasce tres membranas adeò esse tenues, imbecillas, atq; aranearum telis similes, vt nisi quis eas moderatè inter dissecandum contrectet, facilè abrumpantur: quod idem ne in motu fœtus eueniat, vel cùm grauida currit, ac salit, maxima solertia naturam eo consilio occurrisse, vt aliam propterea alij cumulauerit. ex hac enim vnione, vt Galenus scribit, adeò validæ redduntur, & robustæ, vt frangi ad parentis, vel fœtus motum non facilè queant. Quòd si ipsum interroges, cur fortes ipsas non fecit natura membranas; respondet, id propterea factum esse (quod & supra ex eo annotabamus) quia si duriores fuissent, partus tempore dirumpi non possent: quanquam & parum sibi constans hac in re alicui fortasse Galenus videri posset, cùm libro primo de Semine manifestè scribat, hasce membranas subinde magis, ac magis in dies indurescere, ac demum ad perfectam duritiem peruenire; & mox, cùm intestinalis tunica imbecilla sit tanquam ex semine imbecilliori orta, membranam aliam gigni oportuisse, quæ & valida, & dura esset, & crassa; quæ proximè fœtum contineret, ac non solùm esset sudoris receptaculum, verùm etiam membrorum futuris motionibus sua duritie resistere posset. quæ quidem omnia chorion & amnion longè esse duriores, & validiores membranas ostendunt, quàm ipse citato paulò supra loco concedere videatur,

Cap. 6.

Cap. 10.

ac statuere. vt prætercam libro decimoquinto de Vsu Partium sic de chorio ipsũ clara voce decernere. Colligat autem, inquit, ea (scilicet vasorum orificia) inter se tenuis quidem, sed fortis membrana, quæ extrinsecus vasis omnibus circumhæret. Atq; hæc quidem Galenus doctè & subtiliter de membranis fœtum ipsum inuoluentibus Opusculo de Vuluæ Dissectione, decimoquarto & decimoquinto de Vsu Partium, ac in libro de Formatione Fœtus, primoq; de Semine: quibus locis, sed potissimũ decimoquinto de Vsu Partium parum memor eorum, quæ de harum pellicularum diruptione docuit libello de Septimestri Partu Hippocrates, videtur velle, cunctas partus tempore dirumpi, illisq; abruptis humores effluere, postea ipsum fœtum. Nec alia Auicennas postea, Albertus Magnus, recentioresq; demum Medici Fernelius, & Valeriola tradiderunt; qui & diligenti opera, & ex proposito rem hãc videntur pertractasse; omnes simul miro consensu arbitrãtes, hasce membranas, cùm partus imminet, abrumpi; vt nec vmbram quidem Hippocratici dogmatis toties enarrati aspexisse videantur. Addit tamen his omnibus nono de Animalibus Auicennas, membranæ illius, quæ primò oritur, vsum explicans; ipsam semen, ne præ sua effluat humiditate, continere; simulq; calorem seminis naturalem retinere, ac quasi concludere, ne exhalet: quod quidem postremum tàm rationi consonum videtur, quàm illud, quod antecedit, non necessarium post primam coagulationem (quæ tamen dum efficitur nulla adhuc membrana genita est) cùm partes seminis corpulentiores secundum Aristotelem, vt præcedens liber explicuit, antea cogantur ad modum lactis saltem naturæ prioritate, & compingantur, quàm membrana oriatur; adeò vt nullum postea immineat fortasse effluxionis periculum, etiam si membrana illas non obuelaret. Verùm his ita cognitis & constitutis, superest nunc vt Vesalij aliorumq; quorundam placita expendamus; postremò ostensuri hanc membranarum diruptionem ab Hippocrate excogitatam & rationi, & sensui, & horum omnium dictis magnoperè esse consentaneam.

Cap. 4.

Cap. 4.

Vesalij sententia de tunicis fœtum inuoluentibus expenditur; dogmatumq; ipsius notatur varietas, & inconstantia; ab alijsq; Auctoribus dissensio.

Cap. 61.

ANdreas Vesalius vir in Anatome exercitatissimus ac magni nominis, in Epitome suorum librorũ de Corporis Humani fabrica, quam anno Salutis millesimo quingentesimo quadragesimo secundo in lucem dedit, & in eorundem librorum prima editione; fœtum quidem in vtero complexum tribus inuolucris integi scripsit, chorio, allantoide, & amnio; verùm longè à Veteribus dissentiens Hippocrate, Aristotele, Galeno, dixit chorion non vniuersum fœtum amplecti, sed tantùm instar latioris cinguli ipsum ambire; ac aliud nihil demum huiusmodi inuolucrum esse voluit, quàm fungosam illam, carneamq; substantiam insigniter crassam, & lienis modo nigricantem, quæ vtero connata vasa in vterum pertinentia excipit. quam profectò carneam substantiam rectissimè Veteres (nisi fallor) tanquam chorij partem agnouerunt; vtpotè membranæ adnatam, & cohærentem, quæ fœtum vniuersum amplectitur, & quam extimam, & primam tunicam esse arbitrati sunt. Secundum inuolucrum censuit esse membranam illam, cui carnea dicta substantia connata est; quam, vt diximus, chorion esse Hippocrates, Aristoteles, Galenus opinati sunt; ideoq; mẽbranam esse fœtum vniuersum amplectentẽ statuit, farciminisq; imagini assimilatam, propterea q; dictam allantoidem: cùm alioqui Galenus præsertim medium hoc inuolucrum, allantoides ab eo appellatum, nequaquam totum exactè fœtum ambire scripserit; minusq; fortasse membranæ naturã sapere. In alijs cæteris consentiens Auctoribus in intermedium hoc, & tertiũ inuolucrum fœtus vrinam colligi dixit; quominus vrina fœtui circunfusa ipsius acrimonia obsit. Tertium demum inuolucrum tenuissimam esse membranam asseruit amnion dictam, idest agninam, fœtui proximè obductam, fœtusq; sudorem inter se & fœtus cutem subflauo quasi luto oblitam asseruantem. Hinc libro quinto primæ editionis in trigesima figura explicanda de huiusmodi fœtum inuoluentibus tunicis disputans, carneam hanc, fungosamq; substantiam cinguli instar fœtum, & quam ipse dicit mediam tunicam, quasi ouum in medio cingentem; tanquam extimum primumq; inuolucrũ cõspiciendũ offert, fętũ vniuersum obuoluere eo modo negans, quo nucleum à suo putamine integitur, aut quo reliqua duo inuolucra ambiũt fœtum ipsum. ex quò & huiusmodi inuolucri substantiam nequaquam membranam esse addit, sed carneam omnino, & lienosam, qualem supra expressimus: cuius exterior superficies vteri internæ superficiei adnata sit; interior verò adhuc secundo fętus inuolucro pertinacius hærens, & obnata: admonens præterea extimum huiusmodi ac primum inuolucrum, Galenum, reliquosq; dissectionis professores choriõ vocasse, Latinos secundam, seu secundinam, alios loculos; omnes in hoc aberrantes à vero, quòd membranam esse arbitrati sint (cùm neutiquam sit, sed potius lienis substantia) totumq; fœtum circumplicare. Hinc rursus secundum, & medium inuolucrum exactam esse membranam scribit fœtum vniuersum amplectentem; Galenumq; redarguit, quòd toti fœtui non obduci attestetur, sed duntaxat clunibus, & extremis partibus. Hinc demum tertium intimumq; fœtus inuolucrum forma prorsus secundo respondere asserit, sed minus esse amplum, & longè tenuius, fœtui proximè, & vndequaq; obductum. Hæc igitur Vesalius citatis locis; cuius opinionem Columbus libro duodecimo Anatomes, Laurentius vir multæ eruditionis Oper. Anatom. libro secundo secuti sunt. quanquam Laurentius chorion nõ omni ex parte fœtum ambire ponens, sed circuli & coronæ instans eum circundare; proindeq; nil aliud quàm lienosam illã substãtiã cum Vesalio chorion esse volens; in eam incidit, mea sententia, difficultatem, quòd secundum & medium inuolucrum, quod allantoidem appellat, fœtum similiter ponit non omni ex parte ambire, vt Galeno consentiat. quod quidem si esset, sola membrana amnios fœtum circumplecteretur vniuersum; quod sensui aduersatur; cùm pręter amnion, alia etiam extima membrana comperiatur & fœtum, & ipsum amnion circundare. proinde Vesalius, & Columbus, *vt hunc scopulum* effugerent, posuerunt allantoidem, à Galeno dissentientes, fœtum vniuersum ambire. qui sanè Laurentius in eo altero, meo quidem iudicio, nõ est recipiẽdus, quòd hasce mẽbranas à vi formatrice fieri volens, & rectè; audet de Hippocratis mente affirmare, genituram, postquam permixta fuerit, & retenta, quocunq; die & hora excernatur, pellicula qua-

Cap. 17.

Cap. 12.

Quæst. 27.

quadam quasi crusta (dixeris vel omnibus hisce membranis, vel illarum altera) perpetuò tectam cerni: tùm etiam quòd Fernelio & Gorręo consentiens, conceptionisq; munus vtero impartiens, & ingenitæ illius proprietati, ponit conceptionem ipsam ante harum membranarum ortum locum habere; nilq; aliud eam facit, quàm delitescentis in semine virtutis ab vtero factam suscitationem; volens quartam esse ipsius vteri actionem, ac post tractionem, seminum permixtionem, ac retentionem, tres scilicet quæ præcedunt, secundum illos actiones, locum habere. quæ omnia ex his, quæ præcedenti libro disseruimus, satis remanent labefactata; cùm tantum absit, vt genitura permixta in vtero, & retenta, quacũq; die & hora excernatur, membrana tecta exeat, vt Galeni, Aristotelis, Hippocratisq; testimonio vix quinta à retentione die, id illi contingat; si Macrobio credimus, non ante septimam. Quòd verò ad conceptionem pertinet, ante membranarum obductionem eam locũ nõ habere; itẽ non esse vteri actionem, ab vteroq; vim seminis non excitari; pluribus ostendimus. Sed ad Vesalium redeamus. qui tamen in secũda postea editione Venetijs anno millesimo quingentesimo sexagesimo octauo diuulgatâ, non ab alijs solùm, verùm à se ipso dissentiens, noua omnino rursus, & diuersa de inuoluentibus fœtum tunicis videtur docuisse. Vt iam verissimè illud à Galeno proditum sit libro decimoquinto de Vsu Partium, sicuti naturæ artificium in his condendis inuolucris admirari cogimur, ita & quæ ad eorum cognitionem spectant, explicare apertè, perdifficile esse: nilq; propterea sit mirum, si idem Vesalius lubens fateatur, ac ingenuè, se in hac materia pleraq; ignorare; vtcunq; etiam non oscitanter dissectionibus incubuerit; nec modica habere in hac fœtus inuolucrorum historia, de quibus ipse meritò ambigeret: cùm in paucas mulieres vtero gerentes inciderit, ex quarum dissectione verum assequi posset. Vesalius igitur (qui in Anatome vir, & quantus?) in hac sua posteriori editione libro pariter quinto in eo potissimum ab alijs omnibus videtur discrepare, tùm à semetipso; quòd scribit, totam horum inuolucrorum molẽ veteres Græcos chorion, veteres Latinos secundam vocasse, seu secundinam, & loculos; vt qui arbitrarentur non plura, sed vnum tantùm esse inuolucrum fœtum ipsũ circumplicans; cùm tamen Hippocrates, Aristoteles, Galenus, Auicennas, ex Latinis Albertus, & qui postea secuti sunt, plura esse inuolucra docuerint, extimumq; chorion dixerint græco nomine retento, latino secundam; vno aut altero loco excepto, in quibus Hippocrates alias etiam membranas chorij nomine videtur intellexisse. Item subiungit, cùm postea plura fœtum ambientia inuolucra esse obseruarẽt, haudquaquam chorij nomine cõtentos, allantoidem & amnion ea appellasse; cùm alioquin enarrati omnes Auctores tria esse perpetuò docuerint, nec vllo in loco chorion illis exceptis, quæ indicauimus (quòd obseruauerim) cum reliquorum appellationibus confundãt. Hinc tertiò Vesalius toto illo capite, secus quàm fecerit in Epitome, & in prima editione, duo inuolucra tantùm ponit; & primum exterius nominat, secundum & vltimum interius; parum fortasse memor quòd tria in primis suis scriptis enumerauerit. Lienosam enim illam carneamq; substantiam, quam pro primo inuolucro vsurpauit, cinguli instar fœtum ambire docens, in hac secunda editione resipiscens, & cùm cęteris conueniens, tanquam partem prioris inuolucri admunerat; & quod secundum ibi inuolucrum appellauit, primum esse hîc constituit; simul cum substantia illa carnea volens totum fœtum amplecti: interea non parum vtroq; in loco inconstans in tradenda causa, cur ad farciminis speciem dicatur; cùm modò à lienosa illa natura, modò à membranea deductum id putet; proindeq; modò primum, modò secundum inuolucrum farcimini simile agnoscens. quod verò fecit ibi tertium inuolucrum, hîc facit secundum, & postremum. Nec sunt mihi verba ipsius in præsentia recitanda, ne in immensum caput excrescat; præsertim cùm obuiam liber sit omnibus, vt varietatem hanc indicasse satis esse videatur.

Cap. 4.

Cap. 17.

Adhuc Vesalij notatur circa membranarum numerum inconstantia, & ab alijs Auctoribus dissensio. Item Parei de eadem re opinio.

Cap. 62.

SEd & alia est insignis in Vesalio differentia; cùm enim reliqui Auctores fętus vrinam in allantoide, media videlicet tunica colligi, & adseruari scripserint; quod etiam ipse in prima editione recepit; Vesalius postea in vesica quadam membranea

reci-

recipi dixit, & contineri, inter ambo vni-
uersum fœtum verè amplectentia inuolu-
cra consistente, hanc vesicam dissectionum
professoribus ansam errandi præbuisse ad-
dens, vt eam medium aliquando inuolu-
crum, mediamq; membranam esse existima-
rent; proindeq; tria non duo fœtus esse
inuolucra decernerent. qua in re quantũ
falli ipsum in inuolucrorum enumeratione
cẽseo, cùm tria perpetuò comperta ab Au-
ctoribus esse sine hac vesica arbitrer; ita &
tantùm existimo ad veritatem eundem ac-
cedere, quatenus ad huiusmodi vesicam
spectat; quam primum Vesalium summa cũ
laude inuenisse, & per dissectiones animad-
uertisse video; cùm ego ex maximè versa-
tis Obstetricibus audierim non semel, fœ-
tum excludi huiusmodi vesica adhuc vrina
plena existente, non dirupta, verùm inte-
gra tunicis adhærente: vt nulli dubium es-
se queat, hanc, vt Vesalius tradidit, inue-
niri. quam tamen ego allantoidi adnatam
esse arbitror, quæ medium inuolucrum à
Galeno dicitur; ad hoc certè à natura cõ-
donatam, & progenitam. quod quidem
acutè cernentibus videbitur significasse A-
ristoteles, vesicam hanc indicans, cùm di-
Cap. 7.
xit septimo Historiarum, alteram membra-
nam, quæ post chorion gignitur, & quæ
nulla alia esse potest quàm allantoides, qua
parte à matrice seiuncta est, aquam conti-
nere, idest vt ego interpretor, vrinam fœ-
tus; quo loco proprium vas videtur aquæ
illi assignare. Quod verò ad tertium in-
uolucrum spectat, quod ipse interius vo-
cat, & secundum vltimumq; in fœtu agno-
scit; in nihilo ab alijs dissentiens sudorem
in ipso colligi scribit, ac vnà lutosam quã-
dam materiam cuti fœtus adhærentem, vt
à sudoris acrimonia illum tueatur: atq; e-
ius hac de re hæc est oratio loco memora-
Lib. 5.
Ca. 17.
to. Fœtus porrò sudor (inquit) quum pri-
uato aliquo meatu inter fœtus inuolucra,
aut in peculiarem aliquam vesicam educi
nequeat; inter internam interioris inuolu-
cri superficiem, & fœtum ipsum coaceruа-
tur. Et ne sua forsitan acrimonia (quam
nonnihil quoq; sibi vendicat) fœtui noxi-
us sit, crassum, quod per insensibiles cutis
meatus alioquin educitur, & aliàs cuti no-
stræ, & indusijs quasi hæret, excrementum
præstat; quod glutinis lutiuè modo fœtus
cuti oblitum sudoris vim arcere cernimus.
Hanc Vesalij sententiam, quòd duo tãtùm
sint inuolucra, quæ fœtum amplectantur;
Ambrosius Pareus Parisiensis regius Chi-
Cap. 35.
rurgus de Corporis Humani Anatome li-
bro secundo mordicus defendit; apertè
scribens, nusquam sibi contigisse, vt in
grauidis mulieribus allãtoidem reperiret,
etiam si summo studio perquisiuerit, remo-
tis Obstetricibus, quæ aliquam tunicarum
violare possent; ideoq; in ea sententia ani-
mum suum obfirmasse, duabus tantùm tu-
nicis chorio & amnio fœtum humanum in
vtero inuolui; vt nullam subesse pro certo
habendum sit allantoidem. Quæ autem
obijci illi possent ex vrina, quam in hac
membrana colligi dicunt, ne fœtum tan-
gat; sic dissoluit. Sed etsi nullam esse al-
lantoidem tunicam pro confesso habeatur,
quid inde sequetur incommodi? prȩsertim
cùm sudor vrinaq; fœtus facilè, & sine vl-
lo incommodo eadem tunica excipi, colli-
gi, & contineri queant propter exiguum,
quod inter vtrunq; est, discrimen. Quòd
si quis subijciat, vrinam acrimonia sua, &
contactu noxiam fœtui futuram; respon-
debo, non posse magnam in tantuli fœtus
vrina subesse acrimoniam; eamq;, si quæ
subsit, temperari sudoris vnà permixti va-
pore halituoso. Si præterea vsum huius-
modi humoris respexerimus (qui est sub-
stinere fœtum, ne suo pondere vincula ab-
rumpat, quibus vtero alligatur) nullum ad
eam rem humorem seroso magis idoneum
comperiemus; vt qui crassitie sua sustinẽ-
dis ponderibus longè sit accommodatior,
quàm tenuis & nimium liquidus sudor.
Item enim maria longè grauiora pondera
citra submersionis periculum vehũt, quàm
flumina. Itaq; concludo, nihil esse neces-
se, vrinam tunica vna, & sudorem altera
excipi, & contineri. Qui secus scripserint
Veteres, ex obseruatione in brutis facta
scripserunt. Quare duas constituemus tã-
tùm tunicas, chorion, & amnion; quarum
vna cùm alteram contineat, ambæ sic fœtũ
continent, vt ipsum vndiq; inuoluant.
Huic sententiæ succinit quodammodo Fa-
loppius; duas enim tantùm tunicas ponit,
chorion, & amnion, sed fœtum vrinam ex-
cernere autumat in chorij partem quandã,
vt lectis eius obseruationibus intelliges.
Hæc Pareus; qui negat etiam meatum, quẽ
vrachon dicunt, inueniri: vt ferè tantorum
hominum inconstantia, obseruationumq;
varietas cogãt nos hac in re veritatem val-
de desperare. Cappiuacceus tamen vir
doctissimus contrariam sententiam, quòd
scilicet tria sint inuolucra fœtum ambien-
Cap. 5.
tia, non duo, libro quarto de Affectibus
Vteri sequi videtur. cuius opinionem se-
quenti capite præstat expendere, ac simul

etiam

etiam ad pleniorem huius rei cognitionē quid doctissimi homines Gorræus, & Ferdinandus hac de re senserint inuestigare.

Capiuaccei, Gorræi, ac Ferdinandi de membranis fetum inuoluentibus expenditur opinio. Cap. 63.

INquit igitur Capiuacceus adducto loco. Sed aduertendum, non indefferenter ijs materijs vti principium vegetale; primùm enim generantur inuolucra, deinde producitur fœtus. Inuolucra tria sunt; primum est χώριον, quod generatur è parte impuriore seminis viri, & fœminæ; & est illud inuolucrum, in quod pertingūt vasa vmbilicalia. Alterum est membrana allantoides, quæ producitur è semine fœminæ, vt patet cap. 6. & 10. lib. 1. de Sem. & cap. 4. lib. 2. de Sem. Tertium dicitur ἄμνιον, quod producitur è semine adhuc magis puro; & cùm membrana hæc proxima sit fœtui, dicitur ab aliquibus indusiū; & generatur in omnibus (nam inter capacitatem amnij & allantoidis colligitur humiditas vsq; ad tempus partus; cuius cōtactu fœtus læderetur, nisi hæc interueniret membrana) non in quibusdam tantùm, vt obstetrices statuunt: interdum simul cū chorio egreditur: interdum autem chorion ita adhæret vtero, vt cum fœtu tantùm egrediatur membrana amnios. Hæc ille; cuius tanti viri auctoritas, qui sensu periclitando ad extremam ferè vsq; senectutem hæc omnia manu contrectauit; eos planè conuincit, qui hæc inuolucra non tria, sed duo esse volunt; quam profectò de numero velamentorum sentētiam ante Capiuacceum duo illa Medicæ Artis lumina secuti sunt Gorręus in Annotationib⁹ super libello de Natura Pueri, Ferdinandus Mena in Commentarijs super libello de Partu Septimestri; hac tamen differentia quòd Gorræus chorion totum putat fœtū ambire, idemq; & amnion efficere. scribit enim. Etsi chorion è semine primùm generatur, vt ante diximus, & per initia fœtum proximè ambit. & alio loco. Sin tensum (scilicet semen) non diuellatur, protinus tota eius exterior facies, quę vterum contingit, in membranam tenuem quidem, veruntamen fortem, coalescit, quæ Græcis χόριον. Latinis secundæ dicitur. Si enim fœtum ambit, ergo & vniuersum; si tota seminis facies exterior, quæ vterum contingit, in membranam coalescit, ergo & fœtum totum circundat. cōtingit enim

Ann. 4. & 13. Com. 2.

vndequaq; vterū, quià matrix seminis auida se se ita contrahit, nullum innane spatiū relinquens, & corrugatur, vt semen vndequaq; comprehendat. At verò allantoidē existimat non circumplecti fœtum vniuersum. siquidem inquit. Est autem ea tenuis & inualida, minusq; quàm possit vniuersum fœtum circundare (nam veluti zona est fasciaq; lata, à mucronata cartilagine vsq; ad ima ilia infantem cingens) vt quæ ex semine fœmineo, quod tùm paucū, tùm tenue est, Galeno authore fiat. quam & allantoidem ideo dicit esse appellatam, consentiens communi opinioni, quòd farciminis speciem præseferat. sicuti & chorion, secundasq; extimam membranam dictam hac de causa. Quorum nominum, inquit, rationem inuestiganti mihi, non occurrit potior, quàm χόριον Græcis dictū esse, quòd coronæ circuliq; modo fœtum circundet. χόρος enim apud Græcos κύκλον καὶ στέφανον, hoc est circulum coronamq; significat. Quanquam audiui nōnullos doctos quidem & celebres viros, qui dicerent, videri sibi scribendum χώριον per ω magnum, quod locum & spatium significat; quoniam in membrana illa fœtus vt in suo loco consistat. Iam quod ad latinum nomen pertinet, vel dictæ sunt secundæ, eò quòd membrana illa à fœtu secunda formetur; vel quòd natum infantem sequatur. quanquam non ea sola, sed etiam allantoides, & amnios simul decidant; inter quas tamen, quia χόριον maxima est, & admodum insignis, sub eius nomine alias quoq; duas vulgus facilè comprehendit. Hæc Gorræus; at verò è contra Ferdinandus loco memorato, quasi priorem Vesalij & Colūbi sequatur opinionē, ipsum chorion putat fœtum vniuersum minimè circūdare; item nil fortasse aliud esse, Columbo cōsentiēs, quàm lienosam illam carneamq; materiam; allantoidem è contra, quemadmodum Columbus arbitratus est, ambire totum, sicuti etiam & amnion; nominis ipsius allantoidis rationem pulchram interim, & reliquis fortasse probabiliorem causam adducens. allantoidem scilicet esse dictam, quòd fœtum perinde contineat, ac intestinum magnum infartum aliquod; vt potius ab effectu, quàm à similitudine inditum nomen esse velit. Ac vt in procinctu (inquit) teneat auditor, fœtus inuolucrorum numerum & figuram; tria esse dissectionis peritis probantur: primum quidem ac extimum, quod fasciæ modo fœtum obuoluit, non equidem vndiquaq;, sed per mediam

Ann. 4.

Com. 2.

re-

regionem ab ilium elatissima sede ad ensiformis ossis mucronatã cartilaginem, spleni ipsi simillimum, quantum attinet ad nigredinem, friabilem substãtiam, fungosamq; , & quatenus frequentissima vasorum serie implicatur. Hoc solum venas & arterias recipit innumeras ab vtero deriuatas; secũdina Barbaris appellatum, Galeno χόριον. Quin etiam venæ & arteriæ, quæ in hoc semel recipiuntur, in caudices quosdã se colligentes, arteriæ nempè in arterias, & venæ in venas, binos scilicet, duo alia inuolucra penetrantes, in vmbilicum perueniunt, sanguinem & spiritum suppeditaturæ concepto semel animali: ac, vt in summa dixero, si particulam hanc expenderis paulò morosius, παρέγχυμα, splenis modo potius, quàm membranaceam naturam imitari videtur. Secũdum inuolucrum verè extat membrana, circunquaque fœtum tegẽs, nullibi vtero hærens, præter quàm ea parte, qua iam prædictæ assui circumspicitur, per venulas illas à primo in vmbilicum penetrantes: ἀλλαντοειδὴς, idest, farciminalis dictum, quòd fœtum perinde cõtineat, ac intestinum magnum, infartum aliquod. Seruit ea capacitas, quæ inter hoc & tertium dicendum intercipi intelligitur, recipiendæ vrinæ per vrachion, qui meatus quidam est à fundo vesicæ procedens, & per vmbilicum graditur ad dictam vsq; capacitatem. Hoc duntaxat clunibus, & extremis partibus obduci attestari videtur Galenus; cuius contrarium diximus recentiorum dissectorum opinione. Tertium inuolucrum, fœtuiq; ipsi proximum, tenuissima pelle constans est, fœtumq; omni ex parte obtegens: quæ sudorificæ redundantiæ recipiendæ creata esse creditur, in eo quidem spatio, quod inter ipsũ & fœtum constituitur. Hæc Ferdinandus; qui, vt videmus, non secus ac Gorræus tria agnoscit velamenta fœtum ambientia, eo tamẽ modo, quem notauimus, ab ipso Gorræo diuersus. Sed certè carneã illã materiam chorij partẽ facere, extimęq; membranę tanquam adnatam agnoscere, quod voluisse Gorræus videtur; itẽ hanc ipsam extimam mẽbranam choriõ dictã fœtum vndequaq; obuoluere; quod negauit Ferdinãdus; mihi magis placet; nã Hippocrates choriõ, idest primã mẽbranã quę geniturã ambit, & cuius partem lienosam eam esse materiã, nemo dubitare potest; geniturã ambire vniuersam apertè scribit, mẽbranaceamq; naturam habere; quod in reliqua sui parte verum esse apparet, tum etiam, si quis accuratè intueatur, in lienosæ, & carneæ illius substantiæ parte interiori: vt vndequaq; non per mediam tantùm regionem fasciæ modo, primam & extimam membranam chorion dictam, fœtum ipsum ambire & velare Hippocrates intellexerit. quod Aristoteles ab ipso edoctus septimo Historiarum pariter expressit, & meo quidem iudicio satis clarè; dicens post membranam, in qua fœtus gignitur, alteram esse membranam, quæ & hanc ipsam, & fœtum obuelat, plurima sui parte vuluæ adhærentem. verba hæc sunt. Εἶθ' ὑμὴν περὶ τοῦτο ἄλλος, τὸ μὲν πλεῖστον προσπεφυκὼς τῇ μήτρᾳ. idest, vt ego interpretor. Postea altera membrana circa dictum inuolucrum & fœtum plurima quidem sui parte vuluæ adhærens. At non potest loqui Aristoteles, nisi de extimo inuolucro chorion dicto; nam hæc sola est membrana, quę vulue adhæret quadam sui parte. hanc autem fętũ ambire dicit vniuersum; siquidẽ hoc illa sonant, περὶ τοῦτο, vt legit rectè Sylburgius in Notatione; referuntur enim ad τὸ χόριον & τὸ ζῷον. quasi dicat, circa dictũ inuolucrum, & ipsum, quod ab eo continetur, animal. nisi enim totum ambire & inuolucrum, & fœtum putasset (quod prępositio περὶ omnino monstrat) certè valde esset reprehendendus, quia non dixit. quo etiam loco notare potes, membranas quoq; interiores Hippocratis imitatione chorij nomine Philosophum dignare. Quanquam, quod ad numerum hunc attinet mẽbranarum, valde me mouet Petri Mathæi Pini Vrbinatis, qui nuper Tabulas in Hippocratem magno studiosorum cõmodo edidit locupletissimas; viri integerrimi, & in Anatome exercitatissimi obseruatio; qui se in dissectionibus sæpè expertum esse, non semel mihi affirmauit, tandemq; scriptis (eleganti disputatione de tunicis fœtum inuoluentibus ad me missa) confirmauit; duo tantùm esse inuolucra, quæ fœtum humanum ambiant, non tria, vt ferè omnes existimant; allantoidemq; illi nunquam apparuisse, sed chorion tantùm & amnion, quod & Pareus quoq; censuit, vt supra vidimus, & sua posteriori opinione Vesalius. quanquam & cùm membranã choriõ dictam geminam testificetur se dissecando inuenisse; non absurdè fortasse dicemus, ipsius obseruationes cum aliorum obseruationibus consentire; nempè quia alteram illam membranam, quam ipse chorij partẽ facit, alij tertiam existimauerint constituere tunicam fœtum inuoluentem.

Cap. 7.

Hip-

Hippocraticæ sententiæ veritas ostenditur. Aliorum pleraq; refelluntur; ac primùm prima diluitur dubitationis tertiæ difficultas: item tollitur & secunda.

Cap. 64.

HAec igitur de inuoluentibus fœtum tunicis dicta sufficiant; quæ licèt huic loco peregrina hucusq; legentibus videri possent, aptissima tamen, & penè necessaria erant ad tollēdam omnem ex Hippocratica oratione controuersiam, & ad dubitationem tertiam vnà cum triplici, quam continet, difficultate labefactandam: & à nobis non potuit melius. Siquidem primùm varietas tanta, vt modò tres, modò duas, modò vnicam esse tunicam conceptum ipsum circumplectentem Auctores affirment; ac omnes quidem alioqui graues viri ex dissectionibus totum id se didicisse profiteantur; clarissimè demonstrat, veritati consentaneа esse, quæ de illarum diruptione scribit Hippocrates; cùm hinc non leuem liceat captare coniecturam, huiusmodi viros in fœtus aliquando incidisse natura nonomestres, vel decimestres, qui aliquam harum membranarum ex motu, & calcitratu diruptam habentes; aut vnicam, aut duplicē tātùm repræsentarēt tunicam fœtum inuoluentem (quandoquidem si etiam dicamus mense septimo nonomestrē, ac decimestrem non duas semper, sed vnicam interdum defringere ex membranis interioribus, videlicet ipsum amnion, non repugnabimus; vt propterea fortasse Hippocrates neq; chorion, quod fœtum excipit, neq; allantoidem voluerit appellare, sed generaliter τὸ ὑποδέχον, vt ambas comprehenderet; idest quod cedit, recipitq; fœtum, siue fuerit allantoides, siue chorion. nam & si etiam sola dirumpatur tunica amnios, poterit laboribus octomestribus causam dare) aliquando in bimestres, trimestres & vltrà, quimetiam & septimestres; qui omnibus adhuc integris triplicem esse docerent. quandoquidem si partum nonomestrem, ac decimestrem conspiciamus, ac vnà cum eo chorion & secundam exeuntem; vnicam tantùm videbimus apparere tunicam fœtum ambientem; & vnicam tantùm sæpissimè Obstetrices obseruasse, & comperisse, ex illis ego diligenti sciscitatione audiui; immò & vnicam tantùm, chorion scilicet, proprijs oculis vidi in nonomestri partu præterito anno 1593. & obseruaui; in quo ne vestigium quidem amnij, & allantoidis apparebat: nimirum quia huic fœtui ob motum in septimo factum iam priores duæ diruptæ, vt rectissimè scripsit Hippocrates, paulatim euanuissent. atq; dum hæc ferè imprimuntur; hoc anno 1598. idem obseruaui in partu similiter nonomestri. chorion enim mihi diligenter inspicienti, adhibita etiam Chirurgi opera, tantùm apparuit; nec vestigium vllum aliarum membranarum; nisi quantum tenuissima quædam membranæ pars chorio adnexa, potius quod de hoc inuolucro Galenus scripsit libro decimoquinto de Vsu Partium, cum veritate consentire mihi persuasit, duplicem scilicet hanc membranam esse; quàm quòd vllam amnij portionem repræsentare videretur. cuius certè rei vt periculum faciant, eamq; vsu tractando cognoscant, omnes veritatis studiosos vehementer oro. ita enim longinqua, crebraq; periclitatione, an quæ de huiusmodi pellicularū diruptione monimentis mandauit Hippocrates, cum sensuum fide congruant, facilè videbimus. Quanquam non me præterit, Pareum loco memorato testificari, se neq; etiam in mulieribus semestri, septimestriq; fœtu grauidis tres tunicas inuenisse; cuius tamen vnius viri dictum non debet nos à communi sententia remouere; præsertim cùm non minoris auctoritatis viri se experientia contrarium comperisse, fidem faciant; inter quos præter omnium Veterum testimonium, & Iacobum Rueffum inuenio libro primo de Generatione Hominis. Hoc igitur Hippocratis dogma nos vt verissimum recipientes, propositas modò aduersus illud supra in tertia dubitatione difficultates nullius esse momenti ostendamus; quod facilè peragemus ijs intellectis, ac probè cognitis, & consideratis, quæ de horum inuolucrorum historia ex Hippocrate, Aristotele, Galeno, & alijs in superioribus collegimus: quibus innixi ad primam respondemus difficultatem; non sanè, si alij postea Hippocraticum dogma hoc oscitanter præterierunt, id nostra sententia cogere, vt eius dictis fidem non habeamus; cùm & Aristoteles, vt tertio libro probauimus, hanc membranarum diruptionem non leuiter indicauerit; & si extarent in librum de Septimestri Partu Galeni Commentaria, hoc ipsū Hippocratis dogma mirè commendatum fortasse inueniremus. quod certè Cardanus, & Lalamantius, qui post Galenum ex Recentioribus eiusdem libri explicandi prouinciam suсе-

Cap. 11.

Cap. 5.

Cap. 4.

Cap. 3.

sceperunt, videntur admisisse; nam de Ferdinando iam vidimus quàm longè in hoc loco interpretando discedat ab Hippocratis mente. Quanquam Lalamantius (vt verum fatear) aliquo modo hæsitare videatur; scribens dubitatione non carere, an fœtus suis amnio & allantoide tunicis explicatus, in chorio posit ad dies tot subsistere, & ibi etiam educari. Verùm cur pleriq; alij postea de harum membranarũ diruptione nullam fecerint mentionem, nõ est nostrum diuinare: quam tamen nonnulli, licèt procul, videntur aspexisse, inter quos & Fernelius libro septimo de Naturali Parte Medicinæ; dum scribit, fœtum circa nonum mensem grandiorem factum, cùm diutius concludi patiatur, primùm se se conuoluere, caputq; declinare, ac pudendo offerre; crura ac reliquos artus in sublime distendere: id autem nonnunquam moliri vno mense ante partum. quam enim capitis inuersionem, infantisq; conuolutionem, de qua nonnulla etiam Aristoteles septimo Historiarum, vno ante partum mense factam Fernelius dicit, nos ipsius fœtus motus esse credimus ab Hippocrate septimo peracto obseruatos, quibus membranæ rumpuntur interiores. Quam profectò veritatem res ipsa manifestè comprobat; cùm grauidæ mulieres pluribus ante partus tempus diebus, nimirũ, vt nos censemus, ac dixit Hippocrates, post mensem septimum, & corpus descendere, vt supra etiam monuimus, & pondus fœtus longè ad gestandum grauius experiantur; vt pleræq; interdum pro motuum varietate, ac temperamenti robore dolores partui similes persentiant. Atq; hoc est, quod citato loco dicebat Aristoteles, parturire aliquando mulieres videri, cùm tamen tempus non sit; sed quoniam fœtus inuertit caput, id contingere; se enim per id temporis miris modis conuoluit in vtero fœtus. quæ omnia diuinè libro de Septimestri Partu aperuit Hippocrates, docens membranis interioribus ruptis fœtũ longè reddi postea grauiorem, corporisq; molem descendere; item parentem dolores maximos, & labores his de causis subire: vt nulla ratione, aut falsa, aut leuis hęc de membranarum diruptione ab eo enarrata historia censenda videatur. qua sanè sublata diruptione frustra in probabili alia, non dicam vera (Aristotelicam tamen excipio positionem) de octomestris partus ægrotatione, & infelicitate causa inuenienda laboramus; cùm præter hanc vnam ab Hippocrate adductam reliquæ omnes post habendæ videantur, tanquam vel Astrologicis figmentis innixæ, vel nulla naturali suffultæ ratione. Secundæ difficultati duplici responsione occurrimus. Primùm dicimus, si vera est Galeni sententia, quòd humor intra amnion contentus sursum fœtum euehens minus grauem eum reddat ijs vinculis, per quæ mulieri cohæręscit; tantùm abesse, vt rupto amnio, & allantoide grauior illis fiat, vt longè leuior esse debeat. Patet id considerantibus humorem, qui in amnio colligitur, amnio dirupto alij misceri humori oportere, qui in allantoide continetur; nam & dirupto amnio misceri vrinam Fernelius quoq; libro septimo de Naturali Parte Medicinæ notauit: quò fit vt aucta humorum copia corpus fœtus sursùm tolli, ac vehi longè facilius ab illis debeat. à maiori enim aquæ quantitate quodcunq; pondus facilius sustineri, sensu euidentissimum. Verùm quia inuenio, diuinum Hippocratem statuere ex hac pellicularum diruptione fœtum reddi parenti ad gestandum grauiorem; idcircò in eam tandem sententiam lubens trahor, vt credam, fœtus ἄλυπον ὄχησιν, idest indolentem vecturam, vt interpretantur, à Galeno excogitatam ob humorem in amnio contentum, sursumq; illum attollentem, mirificas pati, & multas difficultates; sicut & alium horum humorum vsum ab eo animaduersum, quòd scilicet facilem, celeremq; partus tempore reddát fœtus exclusionem, fœtum lubricum reddendo, & collum matricis ad maximam dilatationem facile, probo vehementer.

Sch. 5. — Cap. 11. — Cap. 4. — Cap. 11.

Galeni placitum de indolente vectura fœtus, ac enatatione rationibus vocatur in dubium.

Cap. 65.

ITaq; secundò respondeo (bona venia me audient Galeni sectatores) hoc ipsius placitum mihi non probari ob multas rationes; si de tanto viro ita mihi loqui fas est, cui debitos habeo honores, semperq; habebo; & cuius hac in re sententiam fortasse non intelligo: quod ob ingenij mei tenuitatem facilè mihi persuadeo. Prima; sudor is, ac humor tantus in amnio colligi nequit, vt huic vsui inseruire valeat; quoniam ex purissimo sanguine fœtus in vtero alitur, iam in matre ab omnibus ferè excrementis purgato; vnde ob eam causam Fernelius vrinam paucam in allãtoide

coaceruari notatum reliquit loco memorato, quoniam quo sanguine fœtus alitur, is iā in matre ab vrina magna ex parte fuerat purgatus. Secunda; non videtur aptus huiusmodi humor, vt fœtus in eo possit enatare, ac sustineri; scribunt .n. hoc sudore fœtus corpus esse circunfusum, vt cutem vsquequaq; contingat: item pro maxima parte esse lutulentum; ex quò & Vesalius, vt supra vidimus, memoriæ prodidit, crassiorem ipsius partem fœtus cutem quasi luto oblinitam reddere. quanquam in humoris quoq; huius qualitate describenda insignem inter Anatomicos inconstantiam inuenio, & contrarietatem; cùm Pareus non quidem lutulentum, & crassum, sed tenuem, & valdè liquidum eum esse contendat, vt palam est ex eius disputatione supra adducta, ideoq; sustinendo fœtui minimè idoneum: quod etiam si recipiamus, nostram aduersus Galenum rationem nihilominus comprobat. Tertia; si corpus fœtus, molemq; ipsius consideremus, si tunicarum, & amnij potissimum, loci scilicet angustiam spectemus, in quo colligitur huiusmodi humor, & in quo fœtus existit; præsertim quo tempore auctior factus longè parenti redditur ponderosior; manifestè apparebit, nullo modo fieri posse, vt Galeni sententia locum habeat; etenim vt posset fœtus enatare, sursumq; tolli, ac vehi, loco longè spatiosiori, & ampliori indigeret, ac humoris copia longè maiore; quemadmodum in his quæ vehuntur in aqua, experimur: at amnion circundat corpus totum ipsius, ac tangit; ex quò & qui hac tunica aliquando nascuntur intecti, eam corpori cohærentem habent; adeò vt mulieres priuatim illi puero, si masculus sit, galeam, aut thoracem, si fœmina, vittam, aut indusium (prout nimirum huic, illinè fœtus parti potissimum in partu hæserit) à Deo datum gestiant, vt Vesalius præter cæteros notatum reliquit. Atqui cùm iam grandior fœtus est septimo peracto, octauo, & nono; vix eum vterus capere potest, nedum vt valeat per id tempus enatare in sudore, qui sub amnion mēbranam omnino paucus colligitur, propterea; reddi leuior: vt si accipiatur non tantùm sudor, sed etiam vrina; quin cruētus sanguineusq; humor, qui in partu exit; omnes hi simul coaceruati non tantā efficiant humoris copiam, quæ fœtum ipsum vehere, ac sustinere valeat; præsertim cùm iam auctus corpore grandior extiterit. at tunc maximè huiusmodi auxilio ipsum non carere prouida natura prospexisset, quæ in necessarijs nunquam deficit, & quod melius est persequitur; si in hunc vsum humorem illum creasset, & colligi decreuisset. Quarta; esto locum capacem esse, & humorem tantum aptumq;, corpus fœtus vtiq; immergeretur sua natura graue in humore totum, non enataret; itaq; nil hinc auxilij matri, aut vinculis ad eum gestandum oriretur. Siquidem mirum profectò, quo miraculo, quouè modo, & qua arte iam fœtus ante ortum vrinator factus contra sui corporis naturam emergere queat, ac seipsum sursum vehere, vt Galenus tradit. Quinta; natura nihil facit frustra, neq; deficit in necessarijs; at vincula illa, à quibus fœtus pendet, ad eū sustinendum producta sunt; igitur sine vlla alia ope ad hoc munus obeundum debēt esse satis. Sexta & postrema, ac fortasse cunctis alijs efficacior; fœtus per chorion matrici adhæret, quod Galeni est libro decimoquinto de Vsu Partium sic scribentis. Et per medium chorion fœtus matrici connectitur. siquidem vincula, quæ fœtum ligant, & ad matricem continent, accetabula sunt, per quæ matrici chorion adhærescit: accetabula enim ora vasorum sunt venientium ad vterum & matricem, ex quibus chorion pendet, vt in quintum sectum Aphorismorum Galenus docet; & chorion nulla alia re matrici inhæret, quàm vasorum orificijs; atq; hoc modo accetabula validum vinculum ad matricem efficiūtur, vt idem in Opusculo de Vuluæ Dissectione admonet. Itaq; chorion est, quod primò vincula grauat, fœtus verò ipsum chorion; quoniam per chorion matrici adhæret; ex quò & Hippocrates citato Aphorismo scriptum reliquit, quæcunq; mulieres benè se corpore habentes secundo, aut tertio mēse abortiunt sine occasione manifesta, ijs accetabula plena mucoris esse, & non posse ex pondere fœtum continere, sed disrumpi: qui locus à Galeno ad suam sententiam confirmandam libro decimoquinto de Vsu Partium adductus, mirificè hac de causa infensus illi videtur; cùm & accetabulis sustineri fœtum doceat, & si secundum naturam fuerint constituta, ipsum fœtū posse sustinere; nil de leuiori ob humorem illum pondere dicat. Est enim mucus Hippocrati libro de Locis in homine pituitosus ille humor, & lentus, qui naturaliter in articulorum accetabulis continetur; qui cùm purus sit, & secundum naturam habeat, benè valentes & facilè mobiles articulos reddit;

Cap. 4. *Aph. 45.* *Cap. vlt.* *Cap. 5.*

at si contra naturam succreuerit, & redũdauerit, nimio humore articulorum ligamenta imbibens, & lubricans, eorum prolapsiones facit: vt meritò si accetabula, quę matrici chorion alligant, muco plena, eoq; præter naturam aucta fuerint, disrumpi illa Hippocrates asseruerit.

Galeni dicta positio plenius reijcitur.
Cap. 66.

SI igitur fœtus matrici per chorion adhæret, chorion per vasa ipsa; item si fętus in sudore est, sudor in amnio, amnion in allantoide, allantoides demum in ipso chorio; satis perspicuum est, humores illos in tunicis coaceruatos pondus fœtus longè grauius reddere; vt obiectio à Galeno in alios facta potius iugulare ipsũ omnino videatur. Ita enim nuper citato loco ille scribebat. » Qui verò ipsi matri leuiorem aiunt esse fœtum, quòd ipse humori, qui est intra amiculum, innatet; ridendi planè sunt, non intelligentes, ipsum quoq; humorem à matre gestari. Siquidẽ humor non à matre tantùm, sed ab ipso amnio gestatur, amnion à chorio; proindeq; à vinculis illis, quæ chorion continent; cùm & fœtus, & humor, & reliqua, quæ diximus, intra ipsum chorion contineantur, per illudq; matrici adhæreant, & à matrice sustineantur: vnde etiam si fœtus intra amnion enataret, pondus eius matrici, & chorio nihilo leuius redderetur. Longè enim leuius fore pondus, si chorion allantoidem, & amnion, ac fœtum sustineret sine istis humoribus, quàm si præter hæc omnia humorum pondus insuper addatur, omnibus arbitror esse compertissimum. Nec video quo modo verum esse posit (quod Galenus tamen apertè scribit) fœtum, quia quasi innatet, & se ipsũ attollat, humoris illius beneficio minus grauem ijs vinculis reddi, per quæ matrici cohærescit; & tamen matri non reddi propterea leuiorem; eò quòd ab ipsa non fœtus tantùm, sed humor etiam gestatur fœtum vehens, vt Galenus argumentatur. quandoquidem fœtus à matre per media illa vincula gestatur; vnde si grauior vinculis illis fit, matri etiam ponderosior necessariò efficitur; & è contra si parenti ponderosior, necessariò & grauior vinculis illis. Cùm hanc ego difficultatem cum nõnullis eruditis Medicis communicarem; dixerunt alij, humorem illum æqueponderantiam quandam efficere respectu omniũ vinculorum, ita vt non magis vni quàm alij vinculo fœtus grauior reddatur, idq; Galenum voluisse: quo sensu recepto facilè patet quo modo fœtus etsi non matri, vinculis tamen leuior fiat; æqueponderans enim, fit & singulis, & simul omnibus quodammodo leuior. Dixerunt alij, fœtum vmbilico reddi leuiorem; Galenumq; vinculorum nomine vmbilicum intelligere, scilicet eam partem, quæ à fœtus corpore ad amnion extenditur. Cùm enim fœtus ferè in humore illo enatat, sursumq; se attollit, reddi minus vinculo illi grauis videtur. Verùm huiusmodi responsiones (vt cuiq; palàm est) in clamorosis quidem disputationibus, quæ captandæ potius popularis auræ, quàm veritatis indagandæ gratia fiunt, videri possent probabiles, re autem ipsa non planè intellectum quietum reddunt; cùm Galenus non vincula inter se conferat, non alteri grauiorem, alteri leuiorem fieri posse fœtum doceat; sed generaliter omnino, & simpliciter omnia vincula cum fœtu comparare videatur, quatenus omnibus simul vel grauior, vel leuior humoris intra amiculum contenti ratione euadere potest. Quod verò ad secundam attinet responsionem, clarum est Hippocratem, & Galenum vinculorum nomenclatura accetabula intellexisse, quibus matrici chorion adnectitur, & cohærescit; itaq; vt Galenũ ab oscitantia defendamus, adducenda ratio esset, quo modo his accetabulis fœtus reddi posit leuior, nec tamen parenti sua illa enatatione, quæ meo quidem iudicio difficulter reddi potest; nam quòd accetabulis & vinculis reddatur leuior fortasse ex Opusculo de Superfœtatione elicere possumus, vbi Hippocrates fœtum, dum vtero egreditur, vmbilicum conuellere & attrahere, vmbilicum verò secundam, memoriæ prodidit. ex quo & paulò supra admonet, cùm modum docet, quo secundam, quæ non facile excidit, attrahamus; id sensim esse faciendum, & non violenter; ne præter naturam secunda ipsa diuellatur: quod fieret, si fœtus confestim excideret, & violenter præ grauitate non sensim trahendo vmbilicum, & per vmbilicum ipsum chorion; ita enim ex accetabulis chorion violentia diuelleretur, ac subitò & præter naturam. Quibus positis, si quis diceret, eatenus vinculis & accetabulis fętũ reddi leuiorẽ, quatenus humore illo euectus minus trahit vmbilicũ; vmbilicus verò, circa quem chorion, ac reliquę membranæ coalescunt, minus diuulsus fę-

tus pondere chorion etiam minus trahit, proindeq; ipsa vincula, per quæ matrici chorion adhæret; fortasse ab Hippocratis mente, ac veritate non aberraret. Nam & simili de causa fœtum reddi grauiorē matri libro de Septimestri Partu docuit Hippocrates, scilicet eò quòd interioribus abruptis membranis vmbilico attracto, tenso, & conuulso, attrahatur etiam chorion per ipsum vmbilicum; proindeq; fœtus parenti reddatur ponderosior. At enimuero sequitur ex his leuiorem esse matri quoq; fœtum ad gestandum necessariò, non solùm vinculis, quod Galenus inficiatur.

Tertia aufertur tertiæ dubitationis difficultas: item soluitur quarta dubitatio principalis. Tollitur ex Hippocrate contradictio.
Cap. 67.

VErùm hæc (testis sit mihi Deus) non tàm contradicendi studio quàm amore ductus veritatis in medium profero; quibus ita disputatis, nunc tertia superest tertiæ dubitationis difficultas tollenda; ad quam facilis ex superioribus responsio patet, & ea quidē multiplex. Nam primùm videtur rationi consentaneum, parum, aut nil acrimoniæ, vt Pareo etiam placuit, vrinam fœtus habere, quia ex purissimo sanguine oriatur; argumento est amnion mēbranā ipsam nō exulcerare, quæ vt Vesalius tradit, adeò mollis est, vt à mollitie nomen acceperit; valde enim probabile est, si vrina mordendi facultate prædita esset, facilè hanc lędere, quod tamen Hippocrates non existimauit: quin potiùs ex his humoribus fœtum, quasi cognata veste illis indutum, non leuem capere vtilitatem arbitratus est; tantum abest vt exulcerari illius corpus eorum acrimonia existimauerit: quod in Opusculo de Partu Octomestri satis docuit verbis illis. „Eadem ratio „est & de vestibus; pro eo enim quòd carne „& humoribus induti fuerunt, ijsq; tepi„dis, ac liquidis, & cognatis; tales vestes „pueri induunt, quales ipsi viri. Intelligit enim (opinor) humorum nomine sudorē, & vrinam; quibus in humoribus quasi veste quadam induti decimestres partus, de quibus loquitur, & quorum, dum pariendum est, pericula exponit; à mense septimo, quo tempore effractæ membranæ sunt, ad partū vsq; permanent. Secundò, si aliquid seruaret acrimoniæ, consonum est sudori admixtum, vt Pareus etiam voluit totum illud amittere; præsertim cùm pauca gignatur vrina, vt rectissimè Fernelio placuit. Tertiò, vrina habet propriū locum, in quo recipiatur, vesicam scilicet illam membraneam à Vesalio notatam; quæ instante partu vt plurimum rumpitur, quo tempore fętus manuum, pedumq; crebra impulsione vehementius calcitrat, non peracto septimo in motu, quem tunc edit, longè placidiore: itaq; non est timendum, vt sua acrimonia, & mordendi facultate cutem fętus exulceret, aut venas, quæ secundis insunt, lædat. Quartò, crassior sudoris pars, quæ cutem, quasi luto oblinitam reddit, atq; eam à sudoris acrimonia defendit, vt placuit Vesalio, poterit etiam vrinæ acrimoniam arcere. Atq; hæc de tertiæ dubitationis difficultatibus. Nunc quartā dubitationem dissoluamus, quæ non minoris fortasse est negocij: sic autem eam à nobis tollendam censeo, vt dicamus, si rectè vtraq; Hippocratis loca expendantur, verè nullam esse cōtradictionem; cùm probabile sit, longè antea libellum de Pueri Natura scripsisse diuinum Senem, ac edidisse, quàm aliquid de octomestris partus infelicitate cogitasset; in cuius rei gratiam, vt suo loco supra animaduertimus, Opuscula de Septimestri, & Octomestri Partu exarauit. Itaq; in libro de Pueri Natura generalem, & communissimam partus rationem secum ipse reputans, brutis etiam communem (ex quò & illorum exēplo eam ipsam aperit & firmat) membranas fœtum inuoluentes rumpi omnes instante partu alteram post alteram asserit, nec distinguit; quod quidem in septimestribus, & octomestribus contingere credimus, & in belluis cūctis, quia vnicum ipsę habent, secus quàm homo, pariendi tempus. In Opusculo autem de Septimestri Partu, cùm longinqui temporis vsu, & periclitatione plures octauo mense in lucem prodeuntes intermori comperisset; huiusq; rei causā esse labores, & ægrotationem ex amnij & allantoidis diruptione fœtui, ac parenti superuenientem, diuinè suspicatus esset; rem ipsam postea sensuum fide expertus, & in partubus sæpius obseruans, literis mandauit, clarissimum tanto naturæ arcano lumen accendens. Nec semel inuenies, grauissimos Auctores in ijs rebus, quæ ab experientia pendent, alia & alia docuisse, cuius rei Vesalij scripta testes sunt locupletissimi. Sic Galenus, cùm in libris de Semine tria præcipua membra eodem temporis momento gigni asseruisset, postea in Opere de Formatione Fœtus sententiam

mu-

mutans (vtinam in priori perstitisset) aliud omnino docere visus est; vt prætereà verba Hippocratis illa. cùm partus appropinquat & c. latitudinem quandam habere posse; ita vt non solùm dicant, cùm partus imminet, pelliculas rumpi; sed cùm primùm tempus ad pariendum aptum aduenit (quale septimus mensis affert) hasce membranas defringi. Verùm hactenus de quarta dubitatione; his enim accuratè cõsideratis perspicuum est ex Hippocratis dictis omnem sufficienter tolli repugnantiam.

Soluitur quinta, & postrema dubitatio.
Cap. 68.

SVperest nunc quinta, ac postrema dubitatio diluenda; qua ambigebatur, etiam si concedamus, priores membranas defringi, quin etiam & omnes, nullũ propterea laborem, nullam ægritudinem parenti, ac fœtui superuenire posse; cùm huiusmodi membranæ, vt Galenus in Opusculo de Formatione Fetus docuit, extra vterum sint, nec inter proprias ipsius partes adnumerentur. Hanc vt tollamus, quod supra diximus, memoria repetendum; choriõ per accetabula matrici cohærere: quod Hippocrates libello de Natura Pueri his verbis indicauit. Cohærent enim pelliculæ matrici, vbi circum puerum obuoluuntur, non adeò vi valida, ac multa. intelligit enim de chorio. Rursus ex eodem loco addiscendum, tres membranas, choriõ scilicet, allantoidem, & amnion ab vmbilico extentas esse, & mutua inter se habere ligamenta; quod Hippocratis pariter est, ita asserentis. Sunt autem & hæ ab vmbilico extentæ, & inter se mutua ligamenta habent. & alio loco. Verùm ex vmbilico pelliculæ tentæ sunt, ipsum continentes. Atq; mutua huiusmodi pellicularum ligamenta, quæ διαδέμυς vocat Hippocrates, dixerim ego illas etiam esse fortasse partes, quibus simul nonnullis in locis hæ tunicæ coalescunt. Enimuero, vt Galenus libro decimoquinto de Vsu Partium docet, hæ tres membranæ non solùm sibi ipsæ mutuò incumbunt, sed multis in locis coalescunt, multisq; à se se inuicem per tenuia fibrarũ fila ab vna ad alteram peruadentia pendẽt. Demum animaduertendum, cùm instante partu calcitrat fœtus, tria euenire; siquidem membranæ ipsæ tenduntur, & mox defringuntur; item chorion à matrice abrumpitur, ac eius vincula & vasa; tandem vmbilicus, dum hæc fiunt, vellitur, trahiturq;, ac instar cordæ arcus tenditur: quæ omnia perbellè indicauit Hippocrates, quæ in partu contingunt exponẽs in Opusculo de Natura Pueri verbis illis, quæ supra adduximus. Siquidem cùm dixit, abrumpi pelliculas, tendi etiam significauit; in vehementi enim fœtus motione, ac manuum pedumq; crebra impulsione, cùm se puer distendit, tenduntur membranæ, & mox defringuntur: quod cùm euenit exsolui à vinculo fœtum dicit Hippocrates; vinculum etiam vocans, vt arbitror, huiusmodi membranas. ex quò & in Opusculo de Partu Septimestri, quemadmodum supra innuebamus, cùm pelliculas laxari disrumpiq; dixisset, statim adiecit, fœtum ex antiquo vinculo exsolui. Disruptis enim illis non amplius habet fœtus robur, vt se in vtero sustentet, & contineat. Enimuerò, vt idem infra inquit, cùm in vteris fœtus est, validus se sustentat vsq; ad pellicularum rupturam; nimirum quoniam fœtus ipsi pelliculis sustinentur; quibus fractis necessariò hac data porta ruunt; deserunt enim abruptæ membranæ officium fętus sustinendi, vt docet Hippocrates. Itẽ cùm dixit, ab vteris pelliculas abrumpi, chorion diuidi à matrice significauit in valida illa motione; demum cùm asseruit, ex vmbilico secundas tensas esse, trahi, tendiq; ipsum ostendit: quæ omnia, vt supra satis fuit demonstratum, in Opusculo de Septimestri Partu adeò perspicuè explicauit, vt nũquam minus obscuritatem videatur affectasse. At his positis facilè tollitur omnis difficultas; dum enim geruntur hęc, vterum atq; adeò matrem, ac fœtum contristari necesse est vasorum, quibus inter se communicant fœtus & vterus interuentu, vt doctè Lalamantius in suis Cõmẽtarijs animaduertit. Chorion enim matrici hæret, vt diximus, & vmbilicus à chorio sumit originem; allantoidemq; & amnion tunicas peruadens medium tandem infantem transuerberat. itaq; fœtus per vmbilicum cum tunicis communicat, & chorio præsertim; tunicæ inter se per mutua ligamenta, ac proinde interiores cum ipso chorio, chorion demum cum matrice: quare dum hac mira connexione & fœtus & tunicæ, & matrix vniuntur, tunicæ & parentis & fœtus quodammodo partes euadunt. ex quò & ex illarum læsione necessariò fœtus & mater contristantur: quamobrem dubitatio nulla. Verùm de his hactenus; satis enim demõstrasse arbitramur,

Cap. 2.

Cap. 5.

quod pertinet ad hanc circa octaui mensis initium allantoidis, & amnij diruptionem, nos Hippocratis fide tutò niti posse. qui, vt aliquando Macrobius dixit, Celsusq; cõfirmauit, & tàm fallere, quàm falli nescit; & primus omnium, quos scimus, Galeno admonente de formatione fœtuum vera conscripsit, non ratione tantùm innixus, sed sensui etiam expositis, atq; his nõ paucis euidentijs.

Enarrata superius ægrotatio, quo modo septimestribus, & octomestribus conueniat, quo modo decimestribus. quædam proponuntur de his partubus dubitationes, ac dissoluuntur.
Cap. 69.

IAm verò his omnibus ità constitutis satis elucet ex superiori disputatione, ægritudinem ex harum fractura pelliculārum contractam fœtui septimestri, & octomestri per accidens conuenire (liceat enim nobis hoc sensu clarioris doctrinæ gratia his terminis vti) nonomestri verò, ac decimestri omnino per se, quod & supra dictũ sæpè est, & nunc venit clarius explicandũ. Enimuero septimestres, vt toties antea ex Hippocrate docuimus; si ruptis pelliculis prioribus postremam prę imbecillitate frãgere non possent, in vtero permanẽtes ægrotationem dictam necessariò contraherent: quod etiam octomestribus contingeret, vbi octauo percurrente, cùm exitum tentant, omnes rumpere non valerent eandem ob causam; oritur enim ægritudo hęc, vt supra vidimus, ex laxatione, fracturaq; pelliculārum. verùm id per accidens dicimus illis euenire, nimirum quatenus in vtero manent præ imbecillitate exire non valentes; huiusmodiq; permansio illis maturitatem suam iam adeptis est præter naturam. at nonomestribus, ac decimestribus per se dicimus congruere huiusmodi ægritudinem, quia hi ruptis pelliculis adhuc manent in vtero naturaliter ad tempus vsq; præfinitum, & quia illis naturale est, vt septimo motum edant, interioresq; abrumpant pelliculas, quod ægrotationis est causa. Quin etiam ex superioribus disputationibus, ex ijsq; præsertim, quę libro sexto diximus, hoc alterum perspicuum euadit, quod summam continet totius nostræ disputationis; non omnes fœtus, cùm septimestris extiterint ætatis, seu, vt verius dicam, ante exeundi tempus, pelliculas aliquas rumpere debere; sed illos tantùm, qui nonomestres sunt natura, vel decimestres; de quibus supra satis est disputatũ. Qui enim octomestres natura sunt (quod maximè animaduerti cupio) id nequaquam efficere debent; & ratio quidem est, quoniam per se octomestres tunc pelliculas solùm vel aliquas, vel omnes rumpere & queunt, & debent, cùm maturitatis principiũ recipiunt, aut perfectam adepti maturitatẽ ad exitum se parant: quod quidem vtrunq; temperamenti, ac periodi ratione cùm octauo nanciscantur; meritò non antea pelliculas defringunt, sed octauo percurrente, & cùm octauum mensem ingrediuntur, vel explent. Verùm multiplex oritur aduersus hæc, quæ hoc loco definimus, dubitatio; cur enim septimestres, & decimestres mense septimo, motum illum edunt? cur mense septimo currente septimestres omnes membranas defringunt, decimestres eodem septimo exacto aliquas; octomestres verò per id temporis nullas rumpunt, sed tardius; nullum edunt motum? cur septimestri & octomestri eodem temporis puncto, & perfectionis principium oritur, & omnimoda perfectio? in decimestribus verò principium perfectionis à perfectione absoluta temporis seiungitur interuallo? ita vt perfectionis principium septimo mense, perfectionem verò ac maturitatem absolutam nono ac decimo nanciscatur? Hæc enim voluntariè dicta omnino videntur, & sine vlla ratione. Respondemus, quam ob causam septimestribus ac decimestribus eueniat, vt mense septimo motum hunc edant, vt hi pelliculas omnes, illi aliquas abrumpant, iam supra esse explicatum. cur autem octomestribus contrarium accidat, si huius partus naturã consideremus, facilè elucere. octomestris enim non septimo percurrente, sed octauo motum edit, quoniam tunc motum edit, cùm ab Hippocrate expositam recipit perfectionem, seu dixerim verius perfectionis principium, quod huius motus est causa. recipit autem non septimo currente, vt natura septimestres ac decimestres, sed octauo; quia formatur ex materia, quæ periodum parem expostulat, vt sexto libro est demonstratum. itaq; & exitum tentat per id temporis, non mense septimo; & valido motu tanquam maturus sui respectu temperamenti pelliculas rumpit omnes; eodemq; tempore rumpit, quia simul & perfectionis principium, & omnimodam perfectionem recipit, vt de septimestribus supra dicebamus; ideoq; vitalis in lucem venit:

nit: ac si præ imbecillitate omnes non defringit, nec exire potest; tunc ægrotationẽ concipit; & quoquo postea tempore nascatur, moriturus exit, veluti partus intempestiuus; quod idem de septimestribus euenit. Differt autem perfectionis principium in decimestri (quod secundo loco dubitabamus) ab omnimoda perfectione, diuersisq; temporibus huic fœtui hæc duo innascuntur ob duas causas. prima pendet ex temperamento, scilicet ex magnitudine, cui decimestris, vt tertio libro dictum est, respondet. cùm enim magnitudinis ratione partus perfectissimus sit decimestris, ac longiori tempore maturitatem propterea recipiat; iure euenit, vt primò principium perfectionis, mox procedente tempore absolutam recipiat perfectionem, septimo enim mense ob causas tertio, octauo libro, & supra expositas perfectionis principium oportuit habere; quo tamen tempore non potuit absolutam adipisci perfectionem: cùm alioqui septimestris, & octomestris eodem momento tanquam tempore ocyori maturescẽtes, ac lõgè imperfectiores ambo admittant propriæ naturæ ratione. Altera causa, quare perfectionis principium, absolutaq; perfectio decimestri non eodem momento adueniat, octomestri adueniat; ipsa est periodi ratio diuersa, & natura, quæ temperamentis illorum congruit. cùm enim tàm septimestres, quàm decimestres imparem periodum naturaliter affectent, & ad hebdomadas exactam sua natura retinere debeant rationem, vt suo loco ex Hippocrate docuimus, dicemusq; inferius; meritò contingit, vt septimo mense vtriq; perfectionis principium recipiant; hac tamen differentia, quòd septimestres principium perfectionis non sui respectu, sed in comparatione ad decimestres recipere dicantur; cùm alioqui ad semetipsos comparati, vt supra diximus, & libro tertio, ac septimo, omnimodam maturitatem adipiscantur, ac perfectionem, cùm maiorem nequeant recipere; decimestres verò relati ad semetipsos mense septimo perfectionis principium recipiant, totam verò ac absolutam perfectionem mense nono, ac decimo. Cùm igitur mensis septimus decimestri fœtui periodi ratione afferat principium perfectionis, vt suis locis fuit declaratum; iure euenit, vt hoc ipsum perfectionis principium à perfectione absoluta in illo seiungatur; iure euenit, vt per id temporis decimestris motus istos edat valentiores, quàm antea; vt propterea mẽbranas aliquas defringere valeat. quod sanè perfectionis principiũ cùm mẽsis septimus octomestribus afferre nequeat, quia materia, ex qua effinguntur, parẽ affectat periodũ sua natura, & retinet; sed octauus mensis illis afferat; quo tempore absolutã simul recipiunt temperamẽti ratione perfectionem; hinc fit, vt eodem temporis pũcto octomestres principium recipiant perfectionis, & ipsam perfectionem; hinc fit, vt octomestres mense septimo nullum motum efficiant, nec vllas pelliculas rumpãt; quas octauo currente, cùm scilicet vnà cum perfectionis principio absolutã quoq; adipiscuntur maturitatem, meritò infringunt, ac omnes eandem ob causam infringunt, vitæ omnino compotes in lucem exeuntes. Enimuero si Auicennas, & Albertus (vt locum hunc difficillimum diutius vrgeam) septimestribus eodem tempore & motum ad exeundum, & ipsum exitum cõtingere affirmant; cur & nos ob allatas superius rationes idem & octomestribus euenire posse diffitebimur? Neq; enim tẽpus maturitatis illorum adeò longum est, vt omnes tunc pelliculę factę sint duriores, ideoq; abrumpere ipsi non valeãt cunctas; vel aliquas propterea antea defringere debeant, vt in decimestribus contingit: neq; periodi, naturæq; illorum ratione vlla est in illis necessitas, vt perfectionis, maturitatisq; principium ab omnimoda maturitate temporis interuallo seiungatur. quin potius cùm septimestribus sint proximi, ac tempore paulò longiori vtero gerantur, illorum naturam hac in re participantes, non secus ac illi, vtrunq; eodem tempore recipiunt, & membranas omnes momento eodem defringere possunt ob eandem causam: quare & vitales omnino oriuntur, cùm laborum & ægritudinis nullæ in illis causæ vigeant.

Difficillima aduersus superiora adducitur dubitatio.
Cap. 70.

Sed adhuc aduersus hoc, quod dicimus, octomestres non septimo, sed octauo mẽse principium recipere perfectionis, ingens oritur, ac difficillima dubitatio; nam quod tertio libro, sexto, septimo, atq; hoc ipso octauo positum est, ex Hippocratis sententia menses septimos fœtus in perfectionem constituere, vel saltem in perfectionis principium; id si quis accuratè cõside-

ſideret, & de omnibus fœtibus pronunciatum ab eo videbitur, etiam de ipſo octomeſtri, & in omnibus rationi conſentaneum eſt habere veritatem. quare, quod & ſuperioribus libris, & paulò ſupra dicebamus, hoc Hippocratis dictum in fœtibus tantùm, qui imparem ſequuntur periodũ, locum habere; aut falſum videbitur alicui, aut certè parum omnino tutum. Augetur mirificè difficultas, quoniam ipſe quoq; Ariſtoteles idem voluit; qui libro quarto de Animalium Ortu perſpicuè docuit, menſe ſeptimo non ante, vt fusè libro tertio explicuimus, lac vtile dari mulieribus, quia hoc primùm tempore, non antea fętus perfectionem aſſequatur; ſiquidem dixit. τελειμένων δὲ τῶν κυημάτων. quod eſt, vt vetus Interpres clarius forſan quàm Theodorus tranſtulit. Perfectis autem fœtibus. vel vt Trapezuntius. Cùm autem fœtus perfecti fuerint, plus concocti ac dulcis excrementi ſupereſſe, & ideo lac vtile generari; quod quidem nõ ſolùm in ſeptimeſtribus, nonomeſtribus, ac decimeſtribus, ſed etiã in per ſe ac ſua natura octomeſtribus habet veritatem; cùm in partu quoq; per ſe octomeſtri lac vtile ſeptimo menſe efficiatur. vt iam his verbis Ariſtoteles & ſeptimo fętus omnes perfectionem aſſequi docuerit, & eam ipſam perfectionem, quam ſeptimos menſes fœtibus afferre dixit Hippocrates (quaſi hoc dogma comprobare videatur) ſignificare; ita vt hanc prærogatiuam menſi ſeptimo cum Hippocrate tribuere voluerit. At his poſitis palàm eſt & ſuperiora omnia penitus ruere, & Hippocratis rationem omnes octomeſtres reijcere, ac probare non vitales; ideſt non ſolùm eos, qui per accidens ſunt octomeſtres, ſed etiam eos, qui per ſe ac ſua natura hoc ipſo menſe matureſcunt; namq; ſic ego argumentor. ſi octomeſtris ſeptimo menſe adueniente recipit perfectionem, ſeu dicere velis, principium perfectionis; igitur & motum faciens valẽtiorem pelliculas quaſdam rumpit; hoc enim ita fieri, negare non poſſumus, cùm ideo nonomeſtres exacto ſeptimo pelliculas defringere priores poſuerimus, quia illis hoc menſe huiuſmodi accedit principium perfectionis; ideo ſeptimeſtres defringere omnes, quia hoc perfectionis principium in illis dicit omnimodam maturitatem, ac perfectionem. vt ſi hoc principium perfectionis cùm primùm fœtui aduenit, cauſa eſt, vt ipſe fœtus pelliculas defringat; iam & cùm octomeſtribus aduenit, id neceſſariò præſtare debeat; ſed octomeſtribus aduenit ſeptimo; igitur per id temporis pellicularum diruptio illis continget. at enimuero abruptis prioribus pelliculis, iam incipiunt labores octomeſtres, iam octauus menſis, ſextuſq; quadragenarius habent initium. qui ſanè labores non ante hunc expletum quadragenarium, terminum habent; quo percurrente quadragenario fœtus nequeunt prodire vitales. quare per ſe octomeſtris octauo menſe, quia ab hoc quadragenario huiuſmodi menſis totus comprehendatur, venire in lucem vitalis non poterit; qui cùm neq; etiam ſeptimo ſi exiret, vitalis eſſet, quoniam ante ſuæ maturitatis tẽpus naſceretur; neq; nono, quia poſt nullo modo videtur poſſe oriri vitalis. vt propterea rectiſsimè diuinus Hippocrates hæc cogitans, & nullum vnquam vixiſſe octomeſtrem deprehenſum eſſe, & nullum viuere poſſe, adeò conſtanter aſſeruerit. Nec rationem hanc vel minimum labefactabimus, ſi dicamus (quæ ſuperius poſuimus pertinaciter amplectentes) principiũ perfectionis toties ex Hippocrate expoſitum octomeſtres per ſe ac natura menſe ſeptimo non adipiſci, ſed octauo periodi paris ratione; nam eſto apud Hippocratem reſponſionem hãc locum habere poſſe, qui tamen, vt paulò ſupra dicebamus, generaliter proferens ſeptimos menſes in perfectionem fœtum conſtituere; hoc in omni fœtu locum habere videtur voluiſſe: certè Ariſtoteli non ſatisfaciet, cùm ex ſua ſequatur ratione, principium perfectionis, ſeu appellare velimus, vt libro tertio fecimus, perfectionem primam, graduмq; primum perfectionis, ſeptimo menſe, vt paulò ſupra vidimus, omnes fœtus recipere, & proinde per ſe quoq; octomeſtrem. eò quòd lac vtile in octomeſtris per ſe quoq; geſtatione mulier menſe ſeptimo recipiat; recipere verò nequeat, niſi fœtus principium adeptus ſit perfectionis.

Reſpondetur ad propoſitam dubitationem iuxta Hippocratis principia.

Cap. 71.

RESpõdemus, quod ad Hippocratis ſpectat auctoritatem, primùm verè dictum à nobis ſuperius eſſe & concluſum, perfectionis principium, quod menſe ſeptimo poſuit ipſe fœtui aduenire; ſeptimeſtribus tantùm ac nonomeſtribus ex illius ſententia eo menſe accedere; demum illis ſolùm, qui imparem periodum ſectantur;

idq; totum huius imparis periodi ratione. quod sanè vel ex eo patet euidenter, quòd Hippocrates ob septenarij ac imparis periodi potestatem, vt ex libro de Principijs est manifestum, septimo mẽsi hanc vim impartit. ex quò & in Opusculo de Partu Septimestri, vbi hanc pronunciat sententiã, videlicet septimos menses, his, quæ vterũ gerunt, fœtus in principium perfectionis constituere; septenarij pariter celebrat mirificè potestatem. nam & paulò ante dicit, dies septimos in fœtibus maximè esse insignes; & paulò post, in mensibus eadẽ, quæ in diebus, iuxta rationem inesse; & mox, pueris septimo à partu mense dentes apparere, ac dierum crisimorum, & mensium eandem esse rationem: vt nulli dubiũ esse queat, & imparis periodi ratione hanc potestatem mensi septimo tribuere Hippocratem, & propterea illis tantùm fœtibus, qui imparem periodum sua natura exposcunt, velle esse communem. quod & hac altera monstratur ratione; Hippocrates enim quos partus hoc nancisci perfectionis principium ponit mense septimo, hos octauo affligi ponit, ac sexto quadragenario; quos octauo affligi constituit, hos septimo confecto quadragenario, scilicet impari & hebdomadica periodo, maturos vult oriri, ac vitales. at id per se octomestribus non potest conuenire, qui septimo quadragenario si nascantur, vt tertio libro ex Aristotele & Auerroe vidimus, nequeũt superuiuere tanquam geniti præter tempus suæ maturitatis: enimuero, vt ibi abundè probatum est, non solùm si in mensibus, sed etiam si in diebus contingat error maturitatis ratione, partus non superuiuunt. Itaq; & rectissimè à nobis supra dictum fuit, hoc perfectionis principium, de quo loquitur Hippocrates, octomestribus septimo mense non accedere; & superiora tanquam Hippocrati, & rationi consentanea, firma manebunt. Secundò dicimus, etiã si concederetur hoc perfectionis principium octomestribus quoq; mense septimo oriri Hippocratem censuisse; nil tamen hinc habere Aduersarios, quod nobis verè obijciant; esto enim ipso mense septimo hoc principium octomestribus accedere; esto, quod magis est, hoc ipso mense simul cum huius principij aduentu membranas abrumpere alios partus posse; & sic per id temporis ægrotationem in illis incipere: quæ tamen omnia, vt libro tertio, & supra vidimus, octauo magis quàm septimo fieri Hippocrates, & Aristoteles docuerũt; perspicuum nihilominus est, natura admonente, ac ratione, non tamen ex his fore, vt partus octomestres, quoniam longè sũt septimestribus, & nonomestribus sua natura imperfectiores, & imbecilliores, quemadmodum libro tertio ostensum fuit, tantum haberent virium, vt hasce pelliculas defringerent; sed omnino fore necessariũ, vt plenam nihilominus expectarent maturitatem, quam octauo percurrente recipiunt, antequam suo motu eas possent abrumpere. nemo enim sanæ mentis negabit, minus posse cęteris paribus imbecilliorem, imperfectioremq; partum pari præditum potestate, quàm robustiorem. at vix septimestris plenè maturus rumpit omnes mense septimo, decimestris aliquas; igitur octomestris longè imbecillior, & imperfectior, nullas per id temporis defringet; itaq; & difficultas nulla.

Eadem dubitatio iuxta Aristotelis placita diluitur. Obscura quædam ipsius verba explicantur. Interpretes reijciuntur.

Cap. 72.

POrrò autem hoc idem, ijs etiam, quæ ex Aristotele adducebantur, omnino satisfacit. verum enim est, per se etiam octomestri septimo mense principium accedere perfectionis, ipsum existimare, de quo libro quarto de Animalium Ortu ab eo disputatur; nam & tunc, quia perfectionem iam aliquam obtineat fœtus, ideoq; minus absumat alimenti, lac vtile gestanti mulieri aduenit; generationi enim articulationiq; finis ferè imponitur; quæ duo perfectionis nomine ipse intellexit, γένεσιν & ἄρθρωσιν eam appellans; & disponitur propterea fœtus ad perfectam maturitatem adipiscendam; proindeq; ad vitam perfectius participandam; de qua re libro tertio antea diximus: sed hoc ipsum perfectionis principium ob huius fœtus propriam imperfectionem, & imbecillitatem iam libro memorato ex eodem Aristotele explicatã, non tantum roboris afferre illi potest, vt suo motu aliquas valeat abrumpere membranas: cuius rei neq; ipsi etiam vlla est necessitas, quia, cùm non sit adeò corpore magnus vt nonomestris, nullam habet causam, vt capaciorem locum quærat; quod supra etiam admonitum fuit. His addo, hãc perfectionem ex Philosophi sententia in illis, qui post septimum mensem maturescũt, proindeq; in ipso per se octomestri, potius in fieri esse, vsq; ad tempus plenæ maturitatis,

Cap. 8.

tatis, si quis accuratè ipsius verba expendat, quàm in facto esse;vt hac etiam de causa vel nullas vires ipsi octomestri imperfecto sua natura, ac imbecillo afferat,vel certè non tantas posit afferre, vt pelliculas valeat septimo mense abrumpere. hanc .n. perfectionem voluisse videtur Aristoteles, habere latitudinem quandam; adeò vt septimo mense incipiens inde ad ipsam partus horam pro fœtus temperamento extendatur, in eaq; finem recipiat. siquidem inquit loco memorato, cæteris animalibus, quoniam vnicum illis tantùm partus tempus datum est, hoc ipso tempore lac vtile adesse; hominibus verò, quia plura sunt tempora, primo accedere necesse esse, videlicet mense septimo. quod & septimo Historiarum iam pridem posuerat, scribens lac, quod ante septimum mensem contractum est, inutile esse, sed simul & infantem γόνιμον esse, Theodorus natalem interpretatur, & lac esse vtile incipere, at huius rei causam esse docet, quia perfectis, articulatisq; fœtibus, minus absumant alimẽti, ideoq; dulcis supersit facultas, quæ ad mammas delata, lac vtile reddit; proinde subdit, alimentum non amplius, idest septimo iam superueniente mense, ad fœtus formationem absumi, sed ad exiguum ipsius incrementum, quoniam fœtus iam cõstet;constare verò, quia embryo finem habeat, sitq; aliqua conceptus perfectio, & propterea exeat, ac permutet generationẽ. quæ verba si arctè intelligamus, si mense septimo id totum dicamus cõtingere, perfectionemq; hanc extendi non posse;sequetur necessariò, omnes fętus hoc mẽse exire oportere: nimirum quia fœtus, vt etiam Ioãnes Gramaticus in Cõmentarijs admonet, cùm perfectus est, non potest naturaliter in vtero amplius permanere; quod nec voluit Aristoteles, nec habet veritatẽ. quare relinquitur vt dicamus, ipsum quidem hoc perfectionis principium mẽse septimo in fœtu ortum habere voluisse, sed tamen pro fętus temperamento eo tempore, quod fœtus sibi exposcit temperamentum pro sua adipiscenda plena maturitate, existimasse finem habere; ideoq; esse sententiam, non adhuc, scilicet post septimũ mensem, in conformationem alimentum absumi, sed in exiguum incrementum, quia tunc fœtus constet; constare verò, quoniã embryo finem habet, cùm aliqua sit conceptus perfectio, quam cùm recipit exit, permutatq; generationẽ, septimo autẽ mẽse fętus vel hunc finẽ,& perfectionẽ adipiscatur, ꝙ ijs euenit, qui septimo mẽse maturescũt; vel saltẽ finis huius, & perfectionis principiũ, mox absolutũ finẽ ac perfectionẽ adepturus: vbi scilicet exiguũ illud incrementũ terminum receperit; quod eis contingit, qui vlterioribus & sequentibus mensibus maturi fiunt. Siquidem hoc est, quod dixit Aristoteles verbis illis, simul & causam adducens. ὥσπερ ἐσηκὸς ἤδη διὰ τὸ τέλος ἔχειν τὸ ἔμβρυον. quæ verba sic Vetus Interpres transfert. Tanquam superantem iam embryum propter finem habere. Trapezuntius verò sic. Itaq; quasi iam redundat, quoniam embryon finem habet. Theodorus demum sic interpretatur. Quasi iam fœtus constet adeptus suum finem. sed certè omnes à scopo aberrarunt; nam quid sibi vetus sua embryi superatione velit Interpres, non facilè dixeris. Quòd verò ad ipsum lac, eiusq; redũdantiam verba referantur, vt putauit Trapezuntius, nulla est ratio, quæ suadeat; cùm palàm sit in illis, sicut & verbis præcedentibus Philosophum de embryone loqui, deq; ipsius formatione, & incremento, non de lactis redundantia. Postremò quòd dicat Aristoteles, fœtum adeptum tunc esse suum finẽ, vt censuit Theodorus, mihi non probatur; quia sic necesse esset, mense septimo omnes fœtus in lucem venire; quod verba, quę sequuntur satis docent: quibus causam volens afferre, eius, quod dixerat; finem suũ embryonem habere, ita scribit. Est enim & conceptus aliqua perfectio; quamobrẽ exit, permutatq; generationem. his enim finem illum nil esse aliud quàm perfectionem fœtus, perspicuè docet; quo accedente fœtum ipsum exire addit, permutareq; generationem. quamobrem, cùm finem illum embryon recipit, tùm in lucem venire eum intelligit. quod cùm experientia teste non omnibus septimo mẽse cõtingat; quia non omnes fœtus mense septimo oriuntur: fatendum necessariò est, Aristotelem hęc verba non eo sensu pronũciasse, vt diceret, tunc, mense videlicet septimo, fœtum ac embryonem finem suum esse adeptum, vt expresit Theodorus, quasi præteritum tempus tantùm respiceret; sed certè eo sensu, vt futurum etiam comprehenderet: adeò vt non solùm finem suum esse adeptum, sed etiam paulò post adepturum esse, adipisciq; posse intellexerit. quare & altera illa. Τελεουμένων δὲ τῶν κυημάτων. non solùm præteritum tempus, sed futurum etiam aliquo modo comprehendunt.

Cap. 8.

Cap. 5.

Allata superius responsio, Aristotelisq; verborum enodatio, plenius ex eodem Aristotele comprobatur. Item alia uia adducta tollitur dubitatio.

Cap. 73.

HAec igitur est sententia Aristotelis, quam & nobis significabat, cùm hãc quæstionem tractandam aggrederetur, interprete Trapezuntio his verbis, qui longè clarius Philosophi mentem exposuit. » Rationabiliter autem & propter causam, » quæ ex necessitate est, accidit, vt digestio » fit in vltimis temporibus. tempora enim dixit non tempus, vt non solùm septimum mensem, sed etiam alios comprehenderet. » habet enim græcum exemplar. εἰς τοὺς τελευταίους χρόνους. nimirum quia mense septimo ob expositam causam incipit vtile lac fieri, ac si fœtus non est septimestris, quò diutius permanet in vtero, ob eandem causam eò fit vtilius; quia scilicet, cùm in dies magis, ac magis fœtus perficiatur, minusq; absumat alimenti, maior portio relinquitur dulcis facultatis. Hinc tertio libro rectè dictum à nobis est, non haberi ex hoc Aristotelis loco, articulationem septimo mense semper, ac penitus finem recipere; sed esse sententiam, post septimum in incremento potius quàm in articulatione naturam laborare; ipsam vero articulationem hoc sensu acceptam (quam & quartam constituere speciem ibi dicebamus) verè ex Aristotelis mente, quo mense iam plenè maturus est fœtus, finem sortiri: adeò vt in septimestri septimo, in octomestri octauo, in nonomestri nono vltimum finem adipiscatur. quam profectò veritatem in Sacris Literis Sapiẽtię septimo satis clarè his verbis legimus explicatam. » In ventre matris figuratus sum caro, » decem mensium tempore coagulatus sum » in sanguine ex semine hominis. quibus certè, figurationem, articulationem videlicet, quam nos quartam dicimus speciẽ efficere, decimo mense finem habuisse admonemur. Sed ad propositum redeat oratio. Hæc igitur dicta sint, vt ostẽderemus, etiam si mense septimo perfectionis principium octomestribus accedere cõcederemus, & quod magis est, in alijs partubus, cùm hoc aduenit principium, videlicet ipso mense currente septimo membranas abrumpi; non propterea hoc in octomestribus locum habere. Quòd si, vt libro tertio, ac superiori disputatione pluribus ex Hippocratis, Aristotelisq; sentẽtia probatum est, partus etiam illi, qui imparem periodum sectantes mense septimo sine vlla dubitatione principium recipiunt perfectionis, tametsi septimo mense membranas defringunt, nihilominus cum hoc ipso accidente octauum mensem ingrediuntur, & sextum quadragenarium; adeò vt etiam post septimum, & currente octauo diruptionem membranarum, & fœtus descensionem, vteri apertionem, labores & ægritudinem fieri Hippocrates & Aristoteles voluerint; ipsum octauum statim post hoc principium, immo & cum hoc principio initium habere statuentes; quis est qui nõ videat, nisi omnino sit rudis, & imperitus, etiã si huiusmodi principiũ perfectionis concedamus octomestribus septimo oriri; non propterea septimo, sed omnino octauo membranas eos abrumpere, esse dicendum? nempe quia cum ipsa diruptione membranarum octauus mensis incipiat, tametsi ob potestatem, perfectionemq; fœtui à septimo allatam dirumpi dicantur. Si .n. decimestres, qui sunt partus lõgè robustiores, etiã si septimo hoc principiũ recipiant, octauo etiam non septimo tantùm membranas ponuntur defringere, nimirum quia hoc accidens septimo finem afferat, octauo principium; certè octomestres lõgè imbecilliores, aliamq; sectantes periodum, non septimo id præstare, sed octauo dici debent; septimo enim acquirit partus principium perfectionis, non acquisiuit, vt tertio libro notabamus. quare octauo currente, post scilicet adeptum hoc principium, quo etiam tempore simul plenam temperamenti ratione recipit maturitatem, meritò & validiores motus edere fœtus potest, ac debet, & membranas defringere omnes, nasciq; vitalis. Concludendum igitur, etiam si perfectionis principium per se octomestribus septimo cõcederemus innasci; quia tamen, postquam aduenit hoc principium, octauus mensis incipit; totumq; quod sequitur tempus octauo mensi tribuitur, ac sexto quadragenario; ita vt cum huius principij aduentu septimus mensis finem habeat; quæ verò sequũtur mutationes scilicet membranarũ diruptio, fœtusq; descensus currẽte octauo fieri dicantur; concludendũ (inquam) erit, ipsis quoq; octomestribus hoc ipso mense hæc contingere; proindeq;, cùm nõ ante suæ maturitatis mensem eueniant, nullo modo hos partus non vitales reddere posse. cùm enim rationi consentaneũ sit existimare, nõ statim eo momento, ac princi-

cipium hoc accedit alijs etiam partubus, membranas defringi; eò quòd actio omnis naturalis aliquo tempore indigeat; octomestribus per se ad finem septimi integri mensis (vt par est) hoc principium accedente, vel ipsius octaui initio, vel medio, vel fine pro fœtus temperamento ac termino maturitatis, huiusmodi talia ijsdem euenient; vt palàm sit, nec vllam hinc noxam eos posse recipere; nec vllam esse illis necessitatem, vt incolumes veniant in lucem, cunctos octaui initio ex vtero egredi. Quanquam principium perfectionis ab Hippocrate positum, quod apud illum ab impari, & hebdomadica periodo omnem recipit virtutem, vt ostendimus; octomestres non quidem septimo, sed octauo adipisci ex illius sententia omnino existimamus. Hinc verò illud etiam, de quo & libro tertio, & supra dubitabamus, quodq; locis illis dicebamus & hoc libro octauo, & sequenti disputatione nobis esse definiendum, perspicuè explicari; an scilicet octomestres principia perfectionis ab Hippocrate, & Aristotele posita septimo habeant, vel non; item an primã perfectionem ipso septimo adipiscantur (qua de re eodem etiam tertio libro est dubitatum) satis elucet. ab Hippocrate enim positum fortasse non habent mense septimo, ab Aristotele positum habent; cuius ratione hoc ipso septimo mense dici possunt primã habere perfectionem. Vtrum autem hoc perfectionis principium in ipsis fœtibus à perfectione, vt ita loquar, vltima & absoluta differat, si quis ex me sciscitaretur; dicerem, in septimestribus vel non differre, vel certè coincidere; in reliquis sic differre, vt imperfectum à perfecto, vt quod fieri incipit, ab eo quod factum est, ac suum finem obtinuit; cùm nil aliud vltima perfectio esse videatur, quàm quæ septimo inceperat vltimum iam terminum adepta. vt meritò Censorinus libello de Die Natali veritatem hanc pulchrè nobis explicans, litteris mandauerit, de Veterum sententia à septem mensibus incipientem maturitatem vsq; ad decimum perduci. quod sanè dictum, cùm octauo concedat partum esse maturum posse, octomestribus non parum fauet. Cęterum satis modò: quã enim Hippocratis de octomestris partus natura fuisse sententiam existimamus, vberrimè exposuisse credimus; vt locus hic obscurus mehercle, & maximarum difficultatum plenus, satis (nisi fallor) à nobis videatur illustratus. quamobrem pauca quædam, vt inchoato huic operi, ac penè absoluto fastigium imponamus; de locis Hippocratis illis supersunt pertractanda, quæ initio sexti libri aduersus octauo genitos in medium adduximus; quorum explicationem (vt verior, clariorq; haberetur) præsenti sermoni reseruauimus, atq; hucusq; distulimus: quæ quidem in nulla re, superioribus ad memoriam reuocatis, octomestribus reluctari facilè cognosci, audacter affirmamus, licèt maximopere aduersari videantur. quod cùm à nobis factum fuerit, deinceps octomestres ex Hippocratis sententia vitales esse eiusdem met dictis postremo loco demonstrabimus.

Loca Hippocratis controuersa enarranda proponuntur; ac primum ostenditur, verba ex libro de Carnibus, seu de Principijs excerpta aduersus octomestres nil concludere.

Cap. 74.

LOca nostræ sententiæ contraria, quæ initio sexti libri in medium adduximus, post expositam veram Hippocratis mentem sunt nobis ventilanda (quod etiã in principio octaui huius libri faciendum proposuimus) ac demonstrandum, in nulla re aduersari ijs, quæ pro veritate decreuimus; nilq; contra octomestres concludere. Fidem nostram facilè liberabimus, si ea, quæ à tertio libro ad hunc vsq; locũ ex Hippocratis, & Aristotelis mente disputata sunt de temporibus humani partus, de octomestribus per se, & per accidens, de partus decimestris ratione, & quo modo fiat, de pari periodo, & impari, tandemq; non multò antea de ægrotatione octomestrium quid sit, an fœtibus omnibus communis, ad memoriam reuocare non pigebit: ad quæ omnia si quis mentis aciem intenderit, facilè cognoscet, Hippocratem, quo loco magis videtur octomestres enecare, eodem vitam ijsdem liberaliter largiri. Enimuero si mensis octauus inter partus tempora naturalia recenseri debet, vt tertio libro ad quintum vsq; demõstratum est Aristotelis auctoritate, à sexto ad hunc octauum ex Hippocratis opinione; infraq; ex libro de Alimento eum recensuisse ostendemus; si octomestres per se, & sua natura tales, vitæ compotes octauo nascentes censendi sunt, vt eodem tertio libro probauimus; si natura vel Hippocrate monente parem quoq; dierum, ac mensium periodum recipit, vt sexto libro osten-

sum fuit; si qui fœtus octauo nascentes Hippocrate teste moriuntur, ideo moriũtur, quia per id temporis ægrotant; ægrotant verò ob causas enarratas, nec tamen omnes fœtus ægrotant octauo mense, vt ex eodem clarissimè monstrauimus hoc libro octauo; igitur & octomestres illi de Hippocratis sententia, qui per se tales sunt, & quorum natura parem periodum exposcit, & quos nulla inuadit ægritudo, diem suũ nequaquam erunt obituri, si octauo mense in lucem veniant; quia nil præter naturam contineant, nullaq; fit in illis mortis causa: sed tantùm illi erunt secundum ipsum interitui obnoxij, qui per accidens octomestres sunt; & qui, cùm septimo, nono, vel decimo nasci deberet, ob aliquod symptoma octauo mense veniũt in lucem; & quorum materia, ex qua formantur, sua natura, vt loquitur Hippocrates, ἑπλαήμερος est, idest septendialis, ac septenarium numerum, imparemq; periodum affectans, & quæ non potest nisi imparibus mensibus, diebusq; imparibus, & nisi exactam ad hebdomadas rationem retinens vitalis egredi; hanc enim materiam statim ac talem animo concipit Hippocrates, & contemplatur; statim etiam in octomestrium perniciem sententiam profert. quo recepto fundamento diuinum Senem negasse eo in loco, quem primum in ordine ex libello de Principijs attulimus, sicuti & in alijs omnibus, octauo mense genitos vitæ compotes fieri posse, quia tales præter naturam hoc mense in lucem veniant, grauissimaq; affecti ægrotatione oriantur; & iam locus est vt demonstremus, & ij facilè concedent, quos mecum ipsius verba non pęnitebit exactiori contemplatione ad veritatis normam reuocare. Ita igitur scriptum ibi reliquit Senex sapientissimus,

" Ἔστι δὲ καὶ τὸ δὲ τεκμήρασθαι· τὸ παιδίον ἑπλάμηνον, γόνον γενόμενον, λόγῳ γεγένηται, καὶ ζῇ, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, καὶ ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας. ὀκτάμηνον δὲ γενόμενον, οὐδὲν βιοῖ πώποτε. Ἐννέα δὲ μηνῶν, καὶ δεκαημερέων γόνος γίνεται, καὶ ζῇ, καὶ ἔχει τὸν ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας.

Cæterum quid quæso, ex hoc quod his verbis subdit Hippocrates, probandum sibi proponit? sanè nil aliud, vt primis verbis ipsemet inquit, nisi quod superius dixerat; vitam, scilicet, ætatem, ac naturam hominis septendialem esse, septenarioq; numero magna ex parte gubernari: vnde Lalamantius consilium explicans Hippocratis, ita scribit. Nimirum quòd hoc loco Hippocratis propositum erat probare, hominis ætatem septenarij numeri ratione progredi. quod ante illum Gorræus in Annotationibus super libello de Pueri Natura animaduertit, vt ex eo secundo libro admonuimus. Hoc igitur ostensurus Hippocrates exemplo partus; inquit, naturã hominis regi septenario, puerum septimo mense vitalem editum, esse argumento: natum enim eo tempore ratione dici natum, idest tempus, quod illi proprij temperamenti ratione congruit, esse assecutum, & viuere; propterea quòd habeat septendialem, quam sua natura exposcit, rationem, & numerum exactum ad hebdomadas, & septenarium; vt idcircò concludendum videatur, hominis naturam, ac ætatem septendialem esse, septenariumq; numerũ magna in hominum vita virtute pollere. Exposuimus autem λόγῳ fœtum hunc gigni, & λόγον habere; septendialem retinere rationem, ac numerum exactum ad hebdomadum decadas; quoniam Hippocratis oratio interpretationem hanc apertissimè nobis videtur ob oculos ponere; tametsi nos non latet, Laurentium doctissimum virum Oper. Anatom. libro secundo, ratione gigni, pro ratione editum interpretari; pro ratione verò editum ab Hippocrate dici, quia ad partium perfectionem nihil in eo desideratur; cùm duobus sequentibus mensibus, nil addatur ad perfectionem partium amplius, sed ad perfectionem roboris. Verùm hanc expositionem verbis potius initio libelli de Septimestri Partu editis cõgruere: quibus diuinus Vir agit de minori septimestri, dicens & rationem, & tempus, in quo enutritus est, constare; satis docent, quæ præcedẽti libro super eo loco disseruimus. Itaq; vt redeamus ad nostra, hîc affirmat Hippocrates, puerũ hũc habere numerũ, & rationẽ sufficientem ad septenarium; atqui hoc est, materiã, ex qua puer formatus est, septendialem esse, ac sua natura talem, vt impari hac periodo suam debeat recipere maturitatem. quare sententia erit, puerum idcircò septimo vitalem edi, quia ex septendiali materia fit conformatus; nam & hoc est, quod verba illa, γόνον γενόμενον, & mox altera illa, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, significant, antehac à nullo satis fortasse considerata. Quatuor enim huiusmodi voces in Hippocratis oratione maxima animaduersione dignæ sunt, παιδίον, ἑπλάμηνον, γόνον, & γενόμενον; quas non ociosè, immò non sine magno artificio ipse posuit, alioquin breuitatis in loquendo amantissimus. Nam cùm ex duabus

Sch. 20. — Ann. 59. — Quæst. 27.

bus illis γόνον & γενόμενον; altera videatur esse satis; si eo sensu Hippocratem interpretemur, vt alij volunt; id mihi persuadet, magni aliquid voce illa γόνον significari. Est autem hoc, nisi fallor, puerum septimo mense γόνον γενόμενον, idest vitalem genitum, ratione vitalem per id temporis effici, & viuere; quoniam, vt superius dixerat, & infra repetit, ἑπταήμερον λόγον habet; videlicet genitus est ex materia septendiali, & quæ imparem hunc numerum affectet: vt si per id temporis nascatur, ratione genitum esse, & viuere appareat; nempe quia septendialem hunc numerum retineat, ac periodum suæ naturæ accomodatam. significat enim γόνος oxitono hîc mea sententia idem quod γόνιμος, idest vitalis: quod & græcis Auctoribus non est insolens, & quæ sequuntur verba de nonomestribus, satis docent. interpretationemq; hanc nostram verba illa, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, mirificè probant; quorum vera explicatio est, vt τοιοῦτον ad ἑπταήμερον referamus: quam tamen vocem Cornarius ad τὸ παιδίον, Caluus, & Lalamantius ad sequentia falsò retulerunt; non animaduertentes tautologiæ vitium subesse orationi, si Hippocrates ita loqueretur; cùm idem omnino sint, & λόγῳ γίνεσθαι, & λόγον ἔχειν; idemq; hîc profectò λόγον ἔχειν, & ἀριθμόν: inquit enim puerum hunc septimestrem & ratione nasci, idest pro naturæ suæ lege, & λόγον τοιοῦτον, idest ἑπταήμερον, rationē scilicet hanc septendialem habere, ideoq; tūc egredi vitalem: vnde cùm subdit diuinus Senex, ὀκταμήνον δὲ, & c. perspicuum est ex serie orationis subaudiendum esse ex superioribus λόγον ἔχον ἑπταήμερον: vt sit sētentia, puerum ex septendiali genitura, & materia conformatum septimo mense, diebus scilicet 210. vitalem edi, octauo nunquam; quoniam primum tempus exactum ad hebdomadas numerum, & septendialem rationem habeat, qualem fœtus requirit temperamentum; posterius verò non. quod quidem dum Hippocrates affirmat, neq; repugnat veritati, neq; Aristoteli: materiam enim sua natura talē per accidens tantum fieri octomestrem, nos quoq; tertio libro ex eodem declarauimus. Vnde meritò subdit Hippocrates, puerum ex eadem hac septēdiali materia genitum, nouem mensium & decem dierum spatio vitalem egredi, quia tempus id eandem ad septimanas, ac septenarium numerum rationem habeat; siquidem verbis illis ἐννέα δὲ μηνῶν καὶ δέκα ἡμερῶν, subaudiendum est γενόμενος, & vox altera γόνος tanquam adiunctum quoddam accipienda venit, vt aperta sit diuini Senis oratio. Quamobrem miror tot claros viros, qui in horū verborū interpretatione laborarunt, id non animaduertisse; dicit nanq; Hippocrates, nouem mensium & dierum decem spatio ortum puerum fieri γόνον, idest vitalem; ac proinde viuere eadem de causa, ob quam & genitus septimo mense viuit: nēpe quia tempore nascatur pro suæ naturæ ratione legitimo, & septenarij rationem retinente, prout materia expostulat, ex qua formatur. Possent etiam aliter obscura hæc, & concisa verba interpretari, quod nihilominus in idem rediret: vox enim γόνος Aristoteli libro sexto Historiarum, & libro tertio de Animalium Ortu fœturam significat; videlicet materiam, ex qua deinceps fœtus conformatur: quo sensu vti ea hoc loco Hippocratem, non est à ratione dissentaneum; cùm dicit, ἑπτάμηνον γόνον: quo pacto sententia erit, si ex septendiali materia fœtura fiat septimestris, partum ex ea conformatum ob causas iam expositas ratione nasci & viuere; si ex eadem fœtura fiat octomestris, nec ratione nasci, nec posse viuere; quia scilicet septendialis materia octauo mense maturescere non exposcat.

Cap. II.
Cap. IO.

Mens Hippocratis vberius enarratur. Calui, Cornarij, Lalamantij, & Mercati reijciuntur opiniones. Cap. 75.

PORrò autem hac recepta interpretatione clarum est, sententiam illam Hippocratis de octomestribus non ita esse accipiendam, vt Caluus, Cornarius, Lalamātius, & Mercatus credidere; quando non absolutè quidem, & generaliter Hippocrates, vt putarunt ipsi, pronunciet, octomestres omnes nunquam aut viuere, aut vixisse: quem profectò (si id affirmaret) statim experientia ipsa mendacij redargueret, qua obseruatum est, octauo mense genitos omnes in Aegypto esse vitales, non omnes in Græcia interire, plures in Italia, & Hispania seruari, vt Aristoteles, Polybus, Plinius, & Auicennas memoriæ prodiderunt; quin etiam & à semetipso dissentiret Hippocrates, qui aliquando viuere posse octomestres, vt inferius ostendam, affirmare visus est: sed sunt verba ad superiora referenda, & eadem lege accipienda, interpretandaq; ; quo modo affirmabit diuinus

uinus Senex. Παιδίον ἑπταήμερον λόγον ἔχον γινόμενον ὀκτάμηνον. ideſt, puerum ex ſeptendiali genitura conformatum, ſi octauo mēſe naſcatur, nullatenus viuere poſſe. nam cùm dicat ὀκτάμηνον δὲ &c. patet & ſuperiorem orationem Hippocratem ſupponere, & ad ipſam verba referre: adeò vt quęcunq; ſubdit de octomeſtri partu, pendeāt à ſuperioribus. Itaq; ſic verbum è verbo exprimentes, Hippocraticam orationem clarè & fideliter interpretari debemus.
» Quòd verò natura hominis ſeptendialis ſit,
» hinc etiam coniectari licet. Puer ſepti-
» meſtris vitalis genitus (aut ſecundum po-
» ſteriorem interpretationem. Puer ſepti-
» meſtri fœtura generatus) ratione genitus
» eſt, viuitq;, & rationem huiuſmodi ſeptē-
» dialem habet, ac numerum exactum ad he-
» bdomadas. ſi autem naſcatur octauo mē-
» ſe, nullatenus viuit: ſi verò nouem menſi-
» um ac decem dierum ſpatio edatur in lucē,
» vitalis gignitur, & viuit, & habet ad heb-
» domadas numerum exactum. Hæc ille; quo loco perſpicuum eſt, ſic ſapientiſsimū Senem ratiocinari. Quòd ætas hominis, ac natura ſeptendialis ſit, hac inſuper ratione monſtratur; nam humanus fœtus ſeptimo menſe natus propterea vitalis exit, quia materia, ex qua gignitur, ſeptendialem hanc rationem ſua natura maximè affectat; quam cùm eo tempore exactè adipiſcatur, eo etiam tempore fœtus in lucē veniens fit vitæ compos: ita vt tunc & ratione genitus eſſe, & viuere dicatur. atq; tanta vis eſt ſeptenarij, vt ſi puer ex materia ſua natura periodum hanc requirente conformatus, octauo menſe oriatur, nullatenus viuat; quin etiam & eandem ob cauſam nouem menſium & decem dierum partus vitalis maximè egreditur. Hæc Hippocrates; ex quibus omnibus latiſsimè patet, quæcunq; de his menſibus ſeptimo, octauo, & nono, ſeu verius decimo ipſe dicit, eo omnia niti fundamento, vt materia in illis accipiatur, ſupponaturq; ſua natura ſeptendialis; idcircòq; non vniuerſaliter de octomeſtribus cum protuliſſe, hos partus non eſſe vitales, ſed de illis tantùm, qui natura ſeptimeſtres cùm fuerint, vel decimeſtres, ob aliquod ſymptoma, vel, vt loqui ſolet Hippocrates, ob violentam aliquam paſsionem, extra legitimum, & præfinitum tempus naſci coacti, octauo pariuntur: quos profectò tanquam non ſua natura & per ſe octomeſtres, ſed per accidens tantùm, meritò vitæ compotes non fieri ſcribit. Atq; hîc animaduertendum eſt, cùm inquit Hippocrates, ſi nouem menſium, & decem dierum ſpatio naſcatur puer, vitalem egredi; non eo sēſu dicere, vt velit, materiam natura ſeptimeſtrem nouem præteritis menſibus, ac diebus decem poſſe exoriri; adeò vt in tantum tempus differatur. Enimuero, vt tertio libro diximus, & ſuperiori quoq; diſputatione, fœtus natura ſeptimeſtris non poteſt niſi menſe ſeptimo egredi vitalis: verùm intelligit, materiam ſeptendialem, imparemq; periodum affectantem ſua natura vel ſeptimo exacto tantùm, vel decimo menſe, ſcilicet poſt nonum mēſem, ac decem dies pro ſui temperamenti ratione maturitatem adipiſci: ita vt his tantùm temporibus vitalem naſci velit. Quòd ſi verba generaliter (vt iſti volunt) accipiamus, iam ſtatim elucet, falſam omnino eſſe ipſius ſententiam. Eſto enim humanum fœtum octauo menſe non edi vitalem; certè quòd ſeptimo tantùm menſe, & decimo, ideſt, vt idem exponit, diebus 210. & 280. & rationem ad hebdomadas exactam tantùm retinens vitę compos in lucem veniat, id mirum in modum à veritate diſcrepat: cùm & exactè nonomeſtres, ideſt diebus 270. prodeuntes, & noni etiam menſis initio, ſcilicet diebus 250. & 260. vitales naſci non minus ac ſeptimeſtres libello de Septimeſtri Partu, & in Epidemicis idem ipſe Hippocrates affirmet, doceatq; experientia; quos certum eſt exactam hanc ad hebdomadum decadas rationem nō ſeruare: item & minores ſeptimeſtres, qui die 183. in lucem veniunt, vita potiuntur, nec tamen exactam hanc retinent ad hebdomadas rationem. quo autem pacto hi nihilominus partus menſurari hebdomadibus dici poſsint, tametſi confectis exactè hebdomadum decadibus in lucem non veniant, exactumq; ad hebdomadas non ſeruēt numerum, ac rationem; libro ſexto ac ſeptimo expoſitum fuit. itaq; nulla potuit Hippocrates ratione affirmare, pueros 210. diebus, & 280. tantùm editos, vitales naſci, niſi hoc iacto fundamento, quòd ex ſeptendiali materia conſtent, ac tali ſua natura, vt niſi exactum hunc ad hebdomadas numerum ſeruet, vitalis egredi nequeat. eſt enim hoc loco Hippocrati exactum ad hebdomadas numerum ſeruare, exactis, expletiſq; hebdomadum integris decadibus in lucem venire, vt ipſe partus dierum 210. & 280. exemplo perſpicuè docet. quod quidem totum in medium adduxit, vt ſeptenariæ periodi oſtenderet poteſta-

tem:

tem: quo sensu verum est fœtum ex illa cõformatum octauo mense, quin etiam & nono, ac vltrà spatium dierum 280. superstitem in lucem non prodire. Hippocrates tamẽ octomestres tantùm exprimit, idq; ob eam causam quam paulò infra explicabimus. Itaq; si verba (quemadmodum dicebamus) generaliter prolata animo concipiamus, vide quid sequatur absurdi; sic enim ego argumentor. Fœtus septimestris & decimestris, scilicet dierum 210, & 280. spatio genitus ideo viuit; quia exactum ad hebdomadas habet numerum; cuius rei causa est, quia ille tantùm fœtus viuit, qui exactum hunc retinet numerum ad hebdomadas; igitur vitæ causa in humanis fœtibus hæc est, nec alia vlla; videlicet quòd exactum hunc ad hebdomadas numerum fœtus seruent. quamobrem qui eum non seruant, nullatenus vitales erũt; quod falsissimum esse minorum septimestrium, ac nonomestrium exemplo supra ostendimus, quibus & senescente decimo nascentes, & periodum sectantes parem addere possumus. Qui enim fœtus ex materia parem periodum sectante, non imparem, & per hebdomadas progredientem, conformantur, huiusmodi tales alijs etiam diebus ac mensibus, in quibus non solùm non seruatur exactus numerus ad hebdomadas, sed nec etiam periodus hebdomadica, superstites oriuntur, proindeq; octauo vitales in lucem veniunt. ex quò & rectissimè Aristoteles (vt sexto quoq; libro monebamus) in extremo septimi Politic. notatum reliquit, qui ætatem, naturamq; humanam per hebdomadas tantùm diuidunt, scilicet imparem solùm periodum, vt ego interpretor, illi tribuunt; à vero longè aberrare: ætatis nomine intelligens (ni hallucinor) acutissimus Philosophus à cõceptu ad mortem vsq; tempus, ac omnia illa, quæ naturam humanam temporis huius ratione comitantur; vt non temperamenti tantùm mutationem, ac robur, quod per ætates ipsas variatur, eum respexisse crediderim, sed & fortasse conformationem ipsam, & menses partui idoneos, & huius generis alia, cùm non per hebdomadas tantùm, idest per imparem septenariamq; periodum ætatem, naturamq; hominis admonuit esse dimetiendam.

Cap. 117.

Nonnullorum Recentiorum super loco de Principijs adducitur explicatio, & reijcitur. Item aduersus expositionem supra allatã graues quædã afferũtur dubitationes.

Cap. 76.

POrrò autem scio doctissimos esse quosdam huius ætatis viros, qui existimãtes sextum & octauum quadragenarium perpetuò inutiles esse ad vitam, locum hũc ita interpretantur; quòd quidem non viuere præter septimestres, nisi qui 280. diem attigerit, eo sensu dicat Hippocrates; vt vitales eos esse velit, qui in quadragenarij septimi circuitu nascuntur, cuius terminus est dies 280. nempè quia alienum prorsus à ratione sit, & veritate, solum vltimum diem septimi quadragenarij, scilicet ducentesimum octuagesimum vtilẽ esse ad vitam. Sed certè hoc primùm illis obijcere possumus, Hippocratem nullam hoc loco de quadragenarijs facere mentionem, sed de hebdomadum decadibus; quod hãc ipsorum interpretationem penitus elidit. Secundò, si verus hic esset sensus huius loci, Hippocratis ratio valde claudicaret; quando satis constet, non omnem partum, qui currente nascitur septimo quadragenario, habere numerum exactum ad hebdomadas, sed eum tantùm, qui nascitur huius quadragenarij vltima die. nam & ineunte, medio, senescenteq; nono mense veniens in lucem, item decimi mensis initio; in septimo cuncti quadragenario oriũtur, & omniũ cõsensu vitales oriũtur, nec tñ exactum retinẽt ad hebdomadũ decadas numerũ. Tertiò, si Hippocrates quadragenariũ septimum intelligens, totũ intelligit, non eius tantùm diem postremum; ergo & à simili decadam nominans, intelligit vniuersam, non diem vltimum illius. at hoc pacto decadis tertiæ nascens initio, & sic die 141. vitalis esset, quod dictu est absurdissimum. item intra decadam quartam veniens in lucem, & sic die 215, 220. vitalis similiter esset, & ex consequẽti octomestris, quod isti nolunt. Quo autem pacto à veritate & ratione non dissentiat, quòd Hippocrates hoc loco velit, postremum solum diem tertię & quartæ decadis, & sic diem vltimum septimi quadragenarij, vtiles esse ad vitam; facilè patet ex superioribus; hoc enim in partu exactum numerum ad hebdomadum decadas spectante locum habere, nullum est absurdum, Atq; hinc colligere etiam possumus causã

Costę. li. de Hum. Par. Ca.9. et 26

præter alias, quæ locum habere queunt, & quæ quoscunq; partus quantumuis vitalissimos necare valent; cur paulò ante diē 210. & 280. geniti non raro moriuntur. non attingunt enim vltimam diem, nec periodum exactè assequuntur. item non seruant in ortu numerum exactum ad hebdomadum decadas, vt pro eorum temperatione est illis necessarium. Sed obiecerit aliquis aduersus hanc nostram totam interpretationem, si quis hunc Hippocratis locum accuratè consideret, hac sua sententia nihil dici posse manifestius ad excludēdum octomestrem è vitalium numero; neq; enim distinctionem illam à nobis allatam ad respondendum satisfacere vllo modo posse; videlicet octomestrem alium esse natura talem, alium ex accedenti, alium ex parem periodum spectante materia cōformatum, octauo oriri, alium ex septendiali; huncq; viuere non posse, illum vitalem non minus esse quàm septimestrē; ideo cùm Hippocrates octomestrē hoc loco negauit esse vitalem, de eo intelligere, qui ex accidenti talis fuerit, & ex septendiali materia conformatus. Siquidem sic aliquis aduersus argumentari poterit. Cùm de Septimestri & nonomestri loquitur Hippocrates, aut de his agit, vt tales sunt ex accidenti; aut vt tales natura: si de ijs primo modo, non magis sunt ipsi vitales etiā ex nostra positione quàm octomestris ipse ex accidenti; & propterea non debebat Hippocrates eos vitales ponere. At si de ijs, vt sunt natura tales locutus est; rationi etiam consonum esse debet, cùm de octomestri in illorum medio posito agit, eodem penitus modo desumi, nempè vt à natura talis; quo modo si sumamus octomestrem, inanis prorsus erit distinctio. Adhuc dum suæ sententiæ rationē tradit Hippocrates; cur nempe septimestris, & nono mense natus sint vitales, in completum septimanarum numerum eam refert. quòd si vitalis etiam natura sua octomestris erit, completum septimanarum numerum habere oportebit, qui necessarius ad vitam esse solet, alioqui non viuet. quod si ita est, nulla apparet ratio, dum de octomestri natura & vitali agere debebat, vt de alio subderet. » Octauo autem mense natus nullus vnquam vixit. » Censendum potius igitur erit, quomodocunq; in lucem edatur is fœtus, siue natura, siue ex accidenti; existimasse Hippocratem, nunquam viuere posse. Præterea quod dictum est, ipsius verba de octauo genitis intelligenda esse

Coll. li. de Hum. Par. Ca.9. & 26

de eo partu, qui septimestris est natura, demum de eo, qui septenarij numeri imparisq; periodi ratione progreditur, insignē pariter habet difficultatem: vt enim prima illa de imparis periodi virtute tanquam verissima cōcedantur; ita postremum hoc, quòd de octomestri Hippocrates loquatur, qui septimestris cùm esse debuisset, accidenti aliquo superueniente in octauū dilatus est, omnino videtur reijciendum. Si enim concesserimus octomestrem partum, qui talis est natura sua, vitalem esse, sequitur Hippocratis argumentum nullius esse momenti; non enim vitam hominis in septenario positam esse probabit, si octomestris natura sua vitalis fuerit. & si quis Hippocrati repugnare voluerit; respondere poterit, quamuis octomestris partus, qui septimo mense edi debebat in lucem, sed aliquo accidenti superueniēte in eum mēsem est dilatus, non viuat; non propterea tamen probatum esse, in septenario vitam hominis positam esse; quoniam qui natura sua est octomestris, octauo mense nascens viuit, cùm tamen cum septimanis nullam habeat rationem proportionis. Et quoniam videbat Hippocrates, partum nonomestrem, extra septenarium numerum esse, & propterea minimè vitalem esse debere; respondet, ortum quidem in septimanam mensium non incidere, septenario tamen hebdomadarum numero terminari, vnde vitæ potissimum facultas desumitur: quod de octomestri secundum naturam dici nulla ratione potest; cuius exitus neq; in mēsem septimum incidit, neq; ex completis hebdomadum septimanis completur. Quin si suppositiones Hippocratis sequamur, vitalis magis esse deberet octomestris hic per accidens, quàm qui natura sua talis est; quòd ille, quamuis extra mensem septimum prodit in lucem motibus suis, tamen rationem hebdomadum pertransiuit, quod neutiquam alteri euenit. Poterit præterea Aduersarius hæc nostra ita redarguere. Si Hippocratis sententia est, vitam hominis septenario perfici, quòd partus natura sua septimestris, septimo editus viuit, si verò in octauum deferatur, interit; vtiq; etiam vitam hominis octonario absolui dicere poterimus; quia partus natura sua octomestris octauo mense editus viuit, si autem septimo mense emergat, interit. Censendum igitur est, mentem Hippocratis eo loco fuisse nobis ostendere, hominis vitam septenario formari; argumento ex septimestri, & octomestri desūpto, quorum

Cap. 117.

rum alter viuit, alter moritur: & huius rei rationem afferre, quòd septimestris septimanis gubernatur, octomestris minimè. quæ ratio si in octomestri natura sua locū non habet, sequitur rationem septimanarum ad hominis vitam non conferre, vt igitur necessariò Hippocratis argumentū concludat, necessarium esse, velimus nolimus, asserere, hoc loco Hippocratem opinatum fuisse, octomestrem partum, qualiscunq; tandem is fuerit, siue natura, siue ex accidenti, non viuere, si septenario hominis vitam formari ex Hippocratis sententia, quod multis iam confirmauerat, affirmare velimus.

Allatæ superiori capite dubitationes labefactantur.
Cap. 77.

HAec igitur & similia acerrimè quis resistens superiori disputationi, obijcere nobis posset; quæ tamen, si rem accuratè expendamus, nullius sunt momenti. respondemus enim, primò considerandum esse, si Hippocrates de septimestri, octomestri, & nonomestri per se sumptis, & absolutè sermonem haberet, certè obiectionem ad soluendum nostro quidem iudicio esse difficillimam; sed quia de talibus, atq; de materia, ex qua oriuntur, disputationem instituit, quatenus ad vitam hominis septendialem, demum quatenus ad imparem, hebdomadicamq; periodum referūtur; idcircò argumentationis vim labefactari facilè posse. dicimus enim consilium esse Hippocratis, vt potestatem septendialis periodi ostendat, vt vitam hominis maxima ex parte periodo septendiali gubernari doceat, proindeq; esse septendialem; partus nobis eos ob oculos ponere, qui septendialem hebdomadicamq; hanc periodum sectantur, ex materiaq; illa constant, quæ exactum ad hebdomadas numerum sua natura affectat; quasi ita fuerit, vt supra dicebamus, argumentatus. quòd vita hominis potissimum sit septendialis; quòd septenaria periodus maximam habeat in ea gubernanda potestatem, illud argumento est; quòd fœtus ex materia exactū hunc ad hebdomadas numerum requirente conformatus, septimo tantùm mense, ac nono cum decem diebus vitalis exeat, octauo mense nullus vitalis. Hinc verò nemo non videt, causam haberi, cur de illo partu, qui mense septimo, ac nono cū diebus decem nascitur, vt est natura talis, loqui debuerit; de illo, qui octauo prodeat, vt talis est ex accidenti: adeò vt rationi non sit consonum, cùm de octomestri in illorum medio posito agit, eodem penitus modo desumi octomestrem, quemadmodū ipsa ponit argumentatio; quia enim refert Hippocrates materiam ad periodum septēdialem; eius autem respectu partus illi sua natura tales oriri possunt, octomestris verò non potest; idcircò illos tanquam sua natura tales contemplatur, octauo nascētem tanquam ex accidenti. Secundò, quærendum hîc ab Aduersarijs, qui talia obijcerent, an velint, Hippocratem sic referre rationem, cur septimestris, ac nono mense & decem diebus editus viuat, in completum hebdomadum numerum, vt omni partui eam conuenire credat, esseq; necessariam; an tantùm duobus illis, de quibus loquitur, scilicet septimo expleto genito, ac mense nono, & diebus decem. Si primū respondeāt; quod sanè esse responsuros, illa docent apertissimè, quibus subditur, si vitalis etiam sua natura octomestris erit, completum septimanarum numerum habere oportere, qui necessarius ad vitam esse solet, alioqui non viuere: & quibus conditionem hanc omni partui, vt vitalis sit, esse necessariam, omnino ponitur; si, inquam, ita respondeant, ingens statim se se offert difficultas. ita enim nullus partus in lucem vitalis exibit, qui completum, exactumq; septimanarum numerum non habeat; quod & in Disceptatione ostensum est, & disputatione superiori esse falsum. si enim exactum ad hebdomadas numerum habere, nil est aliud, partus dierum 210. & 280. exemplo docente Hippocrate, vt supra vidimus, quàm expletis, confectisq; hebdomadum decadibus in lucem venire; si hoc est fœtui necessarium ad vitam, iam nullus alius præter hos duos vitalis in lucem prodire poterit; quia nullus alius exactis hebdomadum decadibus nascatur. quod longè esse à veritate, atq; ab Hippocratis mēte alienum tàm est clarum quàm quod clarissimum. Itaq; secundum cogemur respondere; videlicet de duobus illis tātùm partubus id esse ab Hippocrate pronunciatum. quo recepto palàm est, neq; natura octomestri esse necessarium ad vitā, vt completum hebdomadum numerum habeat, neq; absonum esse à ratione, vt Hippocrates de octomestri ex accidenti verba illa subiungat.

Alia quædam affertur dubitatio, & dissoluitur. Item superiori capite allatæ responsiones plenius comprobantur.
Cap. 78.

SEd vnus adhuc scrupulus superest euellendus; si enim duobus tantùm partubus, quos recensuit, putauit Hippocrates necessarium ad vitam, vt completũ numerum septimanarum habeant; si his id esse ideo necessarium voluit, quia ex materia tali constant, quæ hanc periodum suâ naturâ exposcit, quorsum octomestris tantùm fecit mentionem? cùm verum præterea sit, fœtum ex tali materia conformatũ, si extra exactum ad septimanas numerum nascatur; non solùm si mense octauo prodeat, non superuiuere, sed etiam si nono, si decimo senescente, si initio septimi, vel medio. Respondeo, octomestrem nominatim Hippocratẽ expressisse propter cõmunem de eius infelicitate opinionẽ; quasi illius infortunia in hãc referat causam; proindeq; nobis explicet, quam ob causam tam crebro intereant, qui octauo nascentes mori comperiuntur; quasi diceret, quia humanus fœtus vt plurimum ex materia conformatur hanc periodum sectante, quæ tamen ob aliquod accidens octauo abortione quadam in lucem venit, propterea hos partus tàm sæpe periclitari; propterea adeò existimari infelices: quod quidem nemo sanæ mentis negabit, longè esse diuersum ab vniuersali illa propositione, quã hoc loco pronunciare Hippocratem plerią; volunt; videlicet nullum octomestrem superuiuere posse. Præterea, quòd Hippocrates hoc loco probare velit, vitam hominis adeò in septenario esse positam, vt nil extra hanc periodum salutare illi contingat, nulla certè est ratio, quæ suadeat; cùm pleriq; partus, vt alia interim omittam, quemadmodum supra notauimus, neq; in septimanarum decadas, neq; in septimanas ipsas incidant, & tamen vel Hippocrate concedente vitales oriantur. quare superest, vt consilium fuerit illius ostendere, septimanarum hac periodo pro maxima parte hominis vitam gubernari; adeò vt dierum, mensium, annorumq; septimanis, non quidem omnia, sed certè plura, & maximi momenti, & perfectiori modo in hominis vita contingant. Hoc igitur sensu Hippocratis si accipiatur oratio, ipsius rationes efficacissimè concludere nemo est, qui non videat. Esto enim concedamus octomestrem natura vitalem esse; num propterea septimestris maioris exemplo, qui inter septimestres est partus omnium perfectior; item exemplo partus dierum 280. qui inter omnes partus est perfectissimus, & omnium maximè vitalis; demum aliarum rerum exemplo, quas in medio ponit Hippocrates; sufficienter non demonstrauit, longè esse præstantioris potestatis periodum septenariam? adeò vt rectissimè concludi possit, hominis vitam in septenario potissimum esse positã? nam & ab hac ipsa periodo habent partus, vt perfectiores edantur, ac vitales magis; ab hac ipsa octomestris, vt imperfectior sit reliquis; vt plerunq; hoc mense nascens emoriatur. quare hominis vita certè est posita in septenario. Adhuc si vitæ facultas desumitur à septimanis; adeò vt partus nullus vitalis sit, qui vel non mense septimo, vel non completis hebdomadum septimanis in lucem veniat; iam illa omnia absurda locum habebunt, quæ supra adnotauimus; completis enim hebdomadum septimanis, explicante Hippocrate, vt supra diximus, completis septimanarum decadibus intelligere debemus: at nonomestris, qui omnium consensu vitalissimus censetur, neq; mense septimo, neq; expletis septimanarum decadibus exoritur, ergo non vitalis. Quòd si completis tantùm septimanis, non illarum decadibus volumus intelligere; iam, vt libro sexto à nobis probatum est, etiam octomestris hac ratione vitalis nascetur; quia, etsi non mense septimo, tamen expletis septimanis, vt nonomestris, oriri queat. sicuti enim triginta septimanæ septimum explẽt, ita septimanæ 31. 32. 33. & 34. in octauum incurrunt. quibus omnibus dierum articulis, si expleta septimana partui vitam affert, vitalis octauo mense partus nasci poterit. Item, tametsi octomestris natura octauo tantùm mense veniens in lucem viuat, septimo si oriatur, intereat; non tamen ob expositas causas vitam hominis in octonario esse positam monstratur; quia denominatio omnis à superabundanti digniorią; est deducenda. quare cùm longè plura, & maiora septenarijs in vita hominis absoluantur, longèq; perfectius absoluantur; rectissimè ex his concludit Hippocrates, hominis vitam in septenario esse positam. Postremò quòd partus ex septendiali materia conformatus moriatur octauo nascens, id certè ostendit maximã vim septendiali periodo inesse; quæ si extra sua tempora trahatur, partum necat;

quod

quod Hippocratis erat consilium demonstrare. quòd verò etiam si concedamus hâc rationem in octomestri natura locum habere, non propterea sequatur, rationem septimanarum ad hominis vitam non conferre, paulò supra diximus; quare vt argumentum Hippocratis concludat, nulla erit necessitas, vt dicamus, ipsum, octomestrem omnem partum, qualiscunq; tandem is fuerit, siue ex accidenti, siue natura, hoc loco comprehendere, omnemq; octomestrem non vitalem pronunciare.

Verba Opusculi de Alimento proponuntur explicāda. Verum Hippocratis in illis consiliū, admirandumq; artificium aperitur. Probatur hoc loco Manardi etiam testimonio octauo mense genitos Hippocratem recipere. Cap. 79.

SEd iam secundus locus, qui secundum adducit testimonium, ex Opusculo de Alimento excerptus expendendus est; qui si rectè accipiatur, tantùm abest, vt nostrę officiat opinioni, vt demonstret eam (quod multis mirum videri poterit) maximè esse probabilem; cùm in ipso manifestè Hippocrates testificetur, octauo mense hominem gigni, & vitalem esse. Sic igitur ibi scri-
„ ptum legimus. Ad figurationem triginta
„ quinq; Soles; ad motum septuaginta; ad
„ perfectionem ducenti decem. Alij dicūt,
„ ad figuram quadragintaquinq; ; ad motum
„ septuagintasex; ad exitum ducentos de-
„ cem. Alij, quinquaginta ad formam; ad
„ primum saltum centum; ad perfectionem
„ trecentos; ad distinctionem quadraginta;
„ ad transitum octoginta; ad elapsum ducē-
„ tos quadraginta. Non est, & est. Gene-
„ rantur autem in his, & in pluribus & pau-
„ cioribus. Et secundum totum, & secun-
„ dum partes. Non valde autem pluribus,
„ aut paucioribus. Hæc ille; quo loco, vt Vallesius in Commentarijs notat, luce meridiana clarius est, tùm suam, tùm antiquissimorum Medicorum Hippocratem sentētias recensere; qui tentabant definire terminos exitus ex vtero, & quot diebus figuram & motum acciperent humani partus. putabant enim ipsi seruari quandam certam rationem temporis figurationis ad tempus motus, & huius ad tempus exitus: quæ sententia vsq; ad Arabes etiam Medicos peruenit; tamen non eodem modo sētiebant omnes, sed proferebant varia. proinde Hippocrates refert omniū sententias, & eas partim quidem recipit, partim corrigit, & temperat; non quòd falsæ sint, sed quòd de re contingenti prolatæ quasi de re necessaria sint; aper tq; deinceps rem ipsam, vt habet. quin etiam & aliud aliquid maius (vt mea fert sententia) molitur Hippocrates, & docere vult horum referens opiniones; cùm enim quatuor suscipiat sententias enarrandas; atq; ex eis duas priores recenseat ad partum septimestrem pertinentes: ponitur enim in illis ad perfectionem, idest ad exitum ipsum & partus tempus ducentis & decem diebus opus esse; quod spatium tres hebdomadarum decadas exactè explet, & septem mēses tricenarios; tametsi non desint, qui secundam ad nonomestrem velint pertinere, corruptum locum esse arbitrantes; tertiam ad partum decimestrem exactum, in qua iuxta mensium tricênum rationem dies trecenti ad perfectionem requiruntur; quartam demum ad octomestrē, in qua dies ducenti & quadraginta. videtur mihi horum exemplo Hippocrates & hominem sua natura habere enorme tempus pariendi, & tria partus tempora humanæ naturæ esse consentanea, docere voluisse: de qua re ex Aristotelis sententia satis superq; tertio libro disputauimus; hac tamen lege, vt non solùm his diebus exactè, sed & paucioribus interdum, & pluribus, non tamen valde pluribus, aut paucioribus posse humanum fœtum suam recipere maturitatem velit, & in lucem edi: qua in re mirandum in modum cum Aristotele consentit, qui, vt vidimus, tria hæc tempora homini esse in partu naturalia, eò quòd natura sit vniparum animal, pauciparum, & multiparū, rectissimè statuit. Quid igitur ad hæc respondere poterint illi, qui Hippocratem omnes omnino partus octomestres enecare pugnacissimè defendunt? Nonnè dicit ipse hoc loco, ad distinctionem quadraginta, ad transitum octoginta, ad elapsum ducentos quadraginta consumari? quòd tempus cùm mensium octo spatium explear; sanè octauo mense gigni hominem posse, & vitalem esse, necessariò his verbis affirmat. quod quidem Manardus vir eruditissimus contuens libro decimosexto Epistolarum sic locum hunc interpretatur. *Epist. 1.*
Quatuor enim (inquit) recitat opiniones „
de tempore, quo fœtus in vtero comple- „
tur; quas vbi recitauit, addit est, & non: „
volens videlicet ostendere, dies formatio- „
nis, motus, & partus non esse certos, & „
pręscriptos, sed varietatem tantam reci- „
pere.

» pere, vt quæuis opinionum quandoq; vera » esse posſit. Ex cuius doctiſsimi viri verbis ſatis patet, octomeſtre tempus eſſe recipiendum; cùm de illius ſententia aſſerat Hippocrates, quatuor recitans matureſcendi fœtus tempora, quolibet horum humanum partum poſſe compleri, quamlibet harũ opinionum eſſe veram poſſe; ita vt dierum 240. ſpatio vitalem fœtum, ac perfectum egredi velit. Nec obſtat, vt paulò infra monſtrabimus, ſi dicamus, diem 240. in quartum noni menſis diem incurrere habita Lunarium menſium ratione, quos Hippocratem ſecutum eſſe volunt; quam arripuiſſe fugam Franciſcum Valleſium libro ſecundo vidimus.

Dubitationes quædam, quæ ex ſuperius dictis oriri poſſent, diluuntur. Hippocratis explicãtur verba. Cardani, & Galeni afferuntur interpretationes.

Cap. 80.

SEd dicet, aliquis, Hippocratem loqui de ſententia aliorum; ſiquidem ſcribit. ἄλλοι φασὶ, ἐς μορφὴν, ideſt. Alij di» cunt ad formam & c. quibus oſtendit, id » non ex propria protuliſſe ſententia, ſed ex aliorum opinione. Item obijciet, vocem illam, ἔκπτωσιν, rei alicuius è propria ſede prolapſionem (vt propriè apud Hippocratem oſsium è propria ſede exceſſum & luxationem) ſignificare: quaſi ea fuerit vſus Senex ſapientiſsimus ad octomeſtrium excluſionem exprimendam eo conſilio, vt illorum partum immaturum, violentum, ac præter naturam eſſe demonſtraret; quod fortaſſe Sabinum etiam impulit, cuius explicationem mox adducam, vt de octomeſtri agere hoc loco Hippocratem tanquam de abortu exiſtimaret. non diſsimili enim cõſilio verbo ἐξέπεσεν quinto Popularium vſum eſſe conſtat, ad informis carnis, mortuiq; pueri ex vtero prolapſum. Verùm hæc nullam, meo iudicio, habent firmitatem. quod enim pertinet ad primum; » cùm paulò poſt ſic ſcribat. γίνεται δὲ ἐν τού» τοισι. ideſt. Generantur autem in his. quis erit tàm impudẽs, qui negare audeat, omnia paulò ſuperius ab eo enarrata tempora, & ex conſequenti octomeſtre interuallum, ipſum non confirmare? ſi enim generantur humani fœtus, vt clariſsimis ver« bis ipſe teſtatur, in his temporibus, ideſt « temporibus ſupra expoſitis; quin etiam & « diebus paulò pluribus, vel paulò paucio« ribus; inter illa verò tempora ducenti & quadraginta dies continentur, qui dies menſes octo comprehendunt; iam menſibus octo, ideſt diebus ducentis quadraginta, vel etiam paulò paucioribus, & gignũtur partus, & in lucem eduntur naturaliter de Hippocratis ſententia: ita vt exacto octauo, & nonnullis etiam ante diebus, circa medium videlicet ipſius, vitales hi partus in lucem veniant. De naturali enim generatione, & de tempore partus naturali, deq; maturitate illius, ac perfectione, vt ſatis patet, ibi ſermonem habet diuinus Senex, vt præſertim voces illæ mõſtrant τελειότης, ἔξοδος, ἔκπτωσις, ideſt perfectio, & exitus; quæ naturali tantùm, ac maturo, vitaliq; partui conueniunt. Et notandum Hippocratem duce ratione partum generaliter & per ſe, ideſt maturitatis ratione hoc loco conſiderare; proindeq; de octomeſtri per ſe ac natura ſermonem habere. maturum enim hunc partum octauo menſe prodire dicit; at verò octomeſtris per ſe tantùm octauo menſe maturus venit in lucem, vt tertius liber declarauit. Quod verò attinet ad poſteriorem difficultatem, illud, quod paulò ſupra dicebamus, omnino eã tollit; tametſi .n. vox ἔκπτωσις propriè accepta eam habeat ſignificationem; negare tamen non poſſumus, niſi & ipſam negare velimus veritatẽ; quin hoc loco idem ſonet, quod τελειότης, ideſt « perfectio; cùm palam ſit, pro eodem ſumi « hìc ab Hippocrate τύπωσιν, μορφὴν, ἰδέην, « pro eodem κίνησιν & πρῶτον ἅλμα. demum « pro eodem τελειότητα, ἔξοδον, ἔκπτωσιν. quæ « quidem voces ad tria illuſtria illa ſignificanda, formationem ſcilicet, motum, & partum poſitæ ſunt. vt Gorræum, ac Foeſium non parum admirer, qui hunc vocis huius, ἔκπτωσις, vſum apud Hippocratem non adnotarunt. quare dicet omnino ἔκπτωσις hoc loco perfectionem partus octauo naſcentis, & maturitatem. Sed vrgebunt aliqui rurſus; quoniam videbat Hippocrates, ſuſpicari aliquem potuiſſe, quia ſupradictas recitauit opiniones, & approbauit, ſe partum octomeſtrem propterea approbaſſe, ac tempus octomeſtre, quod ab illis opinionibus approbatur; idcircò, vt id non eſſe monſtraret, ſtatim ſubdidiſſe. ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστι ὀκτάμηνος γένεσις, ſci» licet. Eſt autem, & non eſt octomeſtris » partus. Etenim ſic verba Gellio referente » de Sabini auctoritate legenda veniunt, vt primo libro expoſitum fuit. Hìc triunphant, qui octomeſtres partus omnino reiectos eſſe ab Hippocrate contendunt;

" ast ego & hoc rursus nihil esse puto; quando hinc potius sententia nostra mirificè comprobetur. Primùm enim si vulgatos Codices, in quibus illa verba non leguntur, & Vallesij sequamur interpretationẽ, quam ante eum, vt vidimus, Manardus habuit; verbis illis Hippocrates. Non est, & est. docet enarrata tempora non esse adeò certa, & præscripta, quin aliquam interdum recipere varietatem possint, vt iã supra expositum fuit; vnde dicit, non est, & est; videlicet nullum horum temporum est perpetuum, sed fieri potest vt ita sit, & non ita, sed aliter sit; cùm generentur in his temporibus, & pluribus etiam & paucioribus diebus, & fœtus totus, & partes eius: siquidem hoc est, quod sonant verba illa, quæ mox sequuntur. Generantur autem in his & pluribus, & paucioribus, & totum & partes. quæ huiusmodi interpretationem maximoperè comprobant; ita enim sequitur non esse & esse, quod superius dictum fuit. Nec valde dissimilis est Cardani explicatio, qui in Commentarijs super hoc loco nullo pacto verba ad octomestres referens, sic scribit. Ergo vult quòd, cùm statuantur quatuor principia aucta per quinq;, dies 35. vt in prima: 40. vt in quarta: 45. vt in secunda: 50. vt in tertia, vt reliqua sequantur. Propterea dixit, non est initium hoc necessarium, sed neq; consecutio. Primùm ratione formę, quia ex motu Astrorum fętus formatio diuersa habet tempora; sed dato principio necessaria esset consecutio, sed non est ratione materiæ. Et cùm dixit plura, & pauciora secundum totum, intelligit seruato ordine inter partes, & tunc stat ratio formæ: & secundum partẽ; idest ratione partium inuicẽ comparatarum diuersitas accidit. & mox. Intendit quòd talis tamen excessus, & hæc diuersitas non est libera, sed angustis terminis continetur; vt si absoluatur in 40. diebus, deberet moueri in 80. mouebitur quandoq; in 78. quandoq; in 90. vel circa. & paulò post. Docet quòd pauciora sunt tot, idest magis determinata. nam non potest puer nasci in sex mensibus, potest tamen in decem. Et non potest multò minus oriri in quinq;, potest autem magis ad 11. peruenire. & ita declarat quòd ratio similitudinis in varietate est eadem, sed non in quantitate, quoniam natura facilius fert excessum quàm defectum. His addo Galenum Commentario quarto hunc eundem Hippocratis locum explicantem, aliam similiter horum

Lect. 66. Tex. 80.

verborum afferre interpretationem; neq; ea referre ad partum octomestrem; si modò totus ille labor mancus & lacunosus à Rasario diuulgatus Galeni excellẽti ingenio dignus est. Legens enim locum, vt communiter habetur in impressis exemplaribus, ita scribit. Fœtus sunt, quoniam geniti iam sunt, & formationem quandam habent; Non sunt autem, quia nondum perfecti sunt. Rursus autem veluti sumpto initio ait, in his diebus, quos ante præscripsit, & plures & pauciores infantes exoriri: quasi nos docet, non vnum esse eis definitum tempus, sed diuersum pro natura seminis, vteri, temporis anni, regionis, ac præterea multarum aliarum rerum.

Galeni adducta interpretatio explicatur. Hippocratis, & Galeni obscura quædam verba enodantur.

Cap. 81.

HAec ille; qui, vt videmus, priora verba. Non est, & est; ad dies formationis 35. 40. 45. 50. videtur referre. quasi dixerit Hippocrates eo tempore fœtus esse, quoniam geniti iam sunt, & formationem quandam habent; non esse autẽ, quia nondum sunt perfecti. Altera verò illa. Fiunt autem in his & c. refert ad dies partus, scilicet ad dies 210. 240. 300. volens Hippocratis esse sententiam, in his diebus & plures, & pauciores infantes oriri, quasi nos doceat, non vnum esse eis tempus definitum. quam sanè interpretationem ex Peripateticis fontibus haustam esse, facilè confitebimur, si quæ paulò supra dicebamus, reuocabimus ad memoriam; videlicet tria pariendi tempora, homini quatenus multiparum, pauciparum, vniparumq; animal est, congruentia, hîc Hippocratem recensere; quod cùm fecisset, rectè adiecit Galeno explicante, gigni in his temporibus, quæ ante præscripsit, & plures fœtus, & pauciores; hoc enim adiecit, vt doceret, non esse æquè naturalia, sed plures in illis, scilicet in spatio nonomestri, & decimestri gigni fœtus; pauciores in septimestri, & octomestris interuallo, quia minus sint secundum naturam. Hinc addidit. & totum, & secundum partes. toto intelligens partum ipsum; partibus verò figurationem & motum, quæ duo naturæ decreto legem partus sequũtur. Hinc adiecit. Non multò autem plures, aut pauciores & c. voluit enim docere, hac in re tanquam scilicet naturali eundem seruari

tenorem, ita vt enarratis temporibus, nec multò plures oriantur, nec multò pauciores; ſed naturalis ſeruetur ordo. Quod autem dicit, pauciores eſſe tot, ob ſeptimeſtres & octomeſtres dictum puto tanquam partus in natura rariores. Illa autem, & quicunq; alijs ſimiles, meo iudicio reſpiciunt exactos decimeſtres, & qui vndecimi initium videntur attingere. ſunt enim hi ſimiles paucioribus, ideſt partubus rarioribus, quia minus ſint etiam ſecundum naturam. Sic ergo de Galeni mẽte nulla eſt neceſsitas, vt hæc Hippocratis verba ad octomeſtres referamus. qui paulò poſt Glauciæ cuiuſdam Hippocratis interpretis id fuiſſe inuentum & additamentum videtur innuere; tametſi etiam Sabinũ commemoret: cuius quoq; Glauciæ Commentario primo in ſextum Epidemicon facit mentionem. Galeni verba hæc ſunt.

Veteres autem Interpretes hũc locum aliter intelligunt. Hoc enim de partu, qui octauo menſe edatur, dictum arbitrantur. Etenim Glaucias ſic legit. Non eſt & eſt infans octauo menſe natus: & huc tranſfert ea omnia, quæ in libro de octaui mẽſis partu ſcripta ſunt; quo in loco habetur, neminem eo menſe natum, eſſe ſuperſtitem. Sabinus autem ait, hos fœtus poſt partum apparere quidem, & ita tanquam animalia eſſe: at non eſſe, vt mox moriantur: ita vt in lucem quidem edantur, non viuant tamen. Hæc ille; qui veteres Interpretes dicens ſic legiſſe, perinde eſt ac ſi dixiſſet, locum corruptum coinquinatumq; hac ſuã additione nobis eos reddidiſſe. nam & ſic Commentario primo in ſextum Epidemicon, vbi & huius Glauciæ meminit, perſpicuis verbis de his Interpretibus teſtificatur. Sextum Hippocratis librum de Popularibus Morbis multi explanatores corruperunt, alij aliter (vt quiſq; ſe veriſimiliter explanaturum eſſe ſperabat) ipſius verba permutantes. Quamobrem & propter hoc ego veteres codices indagare, & eorum commentaria, qui primi librum hũc explanauerunt, euoluere coactus ſum. Inter quos & Zeuxis Tarentinus, & Erithræus Heraclides cenſetur: ante quos etiam Bacchius, & Glaucias extiterunt. Iſti ſanè, ſi veterem prius ſcripturam edocentes, locum eſſe mendoſum poſtea dicerent; cõſentaneum eſſet propterea & ipſos veram Hippocratis ſcripturam hanc, aut illam eſſe cogitare: eorumq; mihi diligentia probaretur, ſi poſt loci caſtigationem, eos aliquid vtile vnà & veteris Magiſtri opinioni conſentiens edocere perſpicerem. Quapropter, cùm illi nonnunquam in vtroq; aberrent, illud mihi longè ſatius fore viſum eſt, ſi antiquam lectionem ſeruans, eã ſemper interpretari ſtuduero. Hęc perpulchrè Galenus; ex cuius oratione ſatis cõſtat, ſi veterum Interpretum fuit inuentũ, vt Hippocratis libello de Alimento verba ita legerentur. Non eſt & eſt octomeſtris generatio. vt certè fuiſſe ipſe teſtatur Galenus; nullo eum modo hanc probare lectionem, cui eorundem fides ſuſpecta ſemper fuit, & benè nota fraus in immutandis, adulterandiſq; verbis diuini Senis, quæ ob nimiam obſcuritatem intellectu illis videbantur difficilia; vt idem ipſe teſtatur adducto in ſextum Epidemicôn Commentario; in talium numero Glauciam ponens. quandoquidẽ verba ipſius illa. Inter quos & Zeuxis, & c, non ſunt ad illud referenda, quod inquit paulò ſupra, eorum Commẽtaria, qui primi eum librum explanauerunt, euoluere ſe eſſe coactũ; quaſi & Zeuxim, & Heraclidem, & Bacchium, & Glauciam primos illos fuiſſe intellexerit enarratores, qui veterem lectionem non immutarunt: ſed ad illud omnino referẽda sũt, quod orationis initio dixit, multos explanatores ſextum de Morbis Popularibus librum corrupiſſe; alioſq; aliter (vt quiſq; ſe veriſimiliter eſſe explanaturum ſperabat) ipſius verba permutaſſe; è quorum numero (poſtquam adiecit ſe & ad veteres codices & ad primos Interpretes confugiſſe) inquit fuiſſe Zeuxim, Heraclidem, Bacchium, & Glauciam; quibus Sabinum adiungere poſſumus. Siquidem vt Galeni verba docent ex Commentarijs ſuper libello de Alimento paulò ſupra à nobis allata, Glaucias & Sabinus ex eorum sũt numero Interpretum, qui Hippocratis verba permutarunt veteri reiecta lectione, vt hic locus, quem explicamus, fidem facit, in quo illa omnia. Infans octauo menſe natus. adiecerunt. prætereo Galenum, vt manifeſtum eſt, recitare quidem, ſed non tamẽ approbare hanc Glaucię, & Sabini interpretationẽ. Deinde dicimus, aliã ac fortaſſe non minus verã, licèt ex intimis Hippocratis arcanis ac penetralibus ſumptam, poſſe huiuſmodi verba recipere interpretationem. cùm enim inter partus terminos dies 300. recenſuiſſet, & mox infra addidiſſet, paulò pluribus diebus partum poſſe generari; idq; non rectè intellectum pugnare omnino videret cum ijs, quæ in Opuſculo de Octomeſtri Partu tradidit;

vbi

vbi geſtationem in decimeſtri, & vndecimeſtri non vltrà dies 280. proferri ſcripſit; item cum ijs, quæ libello de Natura Pueri ſanciuerat, vbi ſimiliter docuit, vltrà decimum menſem partum non geſtari: proinde ad hoc tantùm tempus animum intendens, non generaliter ad omnia tempora quæ recenſuerat, addidit. eſt & non eſt. vt ſcilicet trecentos dies, & amplius partum geſtari dicamus; cùm vno modo verũ ſit, altero nequaquam; atq; interpretationem hanc ſatis erit in præſentia indicaſſe, quã libro ſeptimo vberrimè enodauimus. Adhuc, eſto quòd loquatur Hippocrates de partu octomeſtri, ne Veteribus fidẽ derogemus; dicimus conſiderandum eſſe, vſitatam ei eſſe formulam loquendi illam per contrarias propoſitiones in eo Opuſculo; vt mirum videri non debeat, ſi eodem modo locutus fuerit de partu octomeſtri. Nam & paulò ante de facultate corporis gubernatrice ſermonem habens, dixit. Facultas vna, & non vna. & paulò poſt de humido & ſicco alimento. Humidum alimentum benè commutabile magis quàm ſiccum: ſiccum alimentum benè commutabile magis quàm humidum. ac de lacte. Lac alienum bonum, lac proprium nociuum: lac alienum nociuum, lac proprium bonum. vt clarè hinc colligatur, non finxiſſe de induſtria Hippocratem genus illud locutionis ad octomeſtris partus (vt pleriq; crediderunt) oſtendendam infelicitatem; cùm in reliquis eo fuerit vſus. Item animaduertendum (quod & ſupra monebamus) poſt hoc ænigma ſequi verba illa. Generantur autem & in his. quibus gigni enarratis omnibus ſupra temporibus, naturaliter videlicet, & ex conſequenti octauo quoq; menſe hominem affirmat rurſus Hippocrates; cùm octauus menſis, ducentorum ſcilicet & quadraginta dierum ſpatium, inter illa tempora recenſeatur; vt neceſſe ſit fateri, Hippocratem vitalem partum ac naturalem his verbis octomeſtrem affirmare. Demum iamdiu Hippocraticum hoc oraculum & ænigma Ariſtoteles optimus ipſius interpres explicauit. enimuero quid aliud ſignificant illa. ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις, videlicet, eſt octomeſtris partus, quàm quòd Ariſtoteles exponens, quarto de Animalium Ortu dixit. καὶ γὰρ τὰ ὀκτάμηνα ζῇ μὲν, ideſt, & octomeſtres partus quidem viuũt? quid aliud altera illa, οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις, videlicet, non eſt octomeſtris partus; quàm quòd ſubdidit idem Ariſtoteles ἧττον δὲ, ſcilicet minus autem? Neq; enim alienũ eſt à veritate, ſi arbitremur, ad hæc fortaſſe verba Hippocratis obſcuriſsima animũ intendiſſe Ariſtotelem, cùm ita ſcripſit. Atqui hoc pacto ſapientiſsimi Senis oratio ſi accipiatur, omnia clara erunt, aperta omnia; & qua de cauſa eo modo locutus ſit Hippocrates, erit manifeſtum: quia enim octomeſtris partus viuit naturaliter, ac tempus id partui humano naturale eſt, idcircò eſſe dixit partum octomeſtrem; idcircò inter naturalia tempora octauũ mẽſem recenſuit. Rurſus quia ob allatas tertio libro à nobis cauſas, dum ſententiam exponeremus Ariſtotelis, quin etiam & in ſuperiori diſputatione, tempus id tùm per ſe, tùm per accidens minus eſt reliquis naturale, & locis multis periculoſum; idcircò ſubdit, non eſſe partum octomeſtrem. rarò enim ſeptimeſtris ac decimeſtris reſpectu gignitur, raròq; viuit, quia dictorum partuum reſpectu rarò per ſe editur octomeſtris. Refert autem nihil, vtrum legamus Hippocratis ſententiam, vt in vulgatis habetur exemplaribus, vel vt apud Galenum, & Gellium reperitur. Sunt enim verba illa, ὀκτάμηνος γένεσις, declaratiua eorum, quæ protulerat ad elapſum quadraginta dies haberi. & ſi legamus ea οὐκ ἔστιν, καὶ ἔστιν ſine illis, nihilominus ad proximum tempus octomeſtre, id referri poteſt; vt de eo dixerit Hippocrates, nõ eſſe & eſſe, non de omnibus, vt Valleſius, ac Manardus voluerunt; quanquam hanc ipſam illorum interpretationem Hippocratis omnino genium habere autumo. eſt enim ac ſi docere vellet, ducentos quadraginta dies tempus eſſe partus octomeſtris: vnde, cùm his verbis gigni hominem naturaliter octauo menſe aſſeruiſſet, ne quis crederet, octauũ menſem pariter vt reliqua duo tempora eſſe naturalem; vel ipſum aliquo pacto in re hac mendacij argueret, cùm nõ viuere plerũq; hunc partũ in Græcia quotidie obſeruarent; rectiſsimè propterea ad omnes hos ſcrupulos diuellendos ſubdidit, eſſe & non eſſe partum octomeſtrem, & hos ducentos quadraginta dies ad elapſum; quibus ſignificauit, vt ſuperius diximus, & eſſe quidem vitalem, & naturalem partum hunc, ſed minus tamen, vt Ariſtoteles affirmauit; vt nil ſit mirum, ſi rarò in Græcia hi ſuperuiuere comperiantur.

Vallesius defenditur. Sabini interpretatio quo modo accipienda, vt veritatem habeat. Difficilis quædam ex Hippocratis dictis tollitur dubitatio. Manardus, ac Vallesius reijciuntur.

Cap. 81.

IAm verò si ita explicemus Hippocratis verba, non erit fortasse adeò à veritate aliena Vallesij interpretatio, vt nonnulli putarunt, licèt suppresso nomine illum reprehendant; quòd scilicet dicat Hippocrates, octomestres non esse, quia plerisq; in locis emoriantur; esse verò, quia alicubi seruentur, videlicet in Aegypto, & in quadam Græciæ parte, vt testatur Aristoteles. quo interim loco notare possumus, tanti viri auctoritate Aristotelem in quadã Græciæ parte octomestres superstites agnouisse. tametsi enim non id primò his verbis significet Hippocrates; secundò tamen respexisse, facilè mihi persuadeo. Neq; hoc pugnat, vt isti credunt, cum ipsius Hippocratis placitis, quanquam idem libello de Octomestri Partu dicit fieri non posse, vt nati in octauo mense superuiuant; nam eo loco, vt diximus, & dicemus etiam inferius, materiam generationis supponit septendialem, & mense decimo maturescentem; ex qua nullus per se octomestris nasci potest; vnde meritò talium nullum superuiuere ipse affirmat. Quod verò inquiunt isti, Hippocratem his verbis nihil aliud docere voluisse, nisi quòd octomestris partus nõ propriè dicatur generatus, sed impropriè tantùm; quasi potius abortus sit, quàm vera generatio: id mihi videtur in idem redire cum Sabini explicatione; qui tamen si omnes octomestres putat esse ἐκτρώσεις, idest abortus, mea quidem sententia defendi non potest. at si Hippocratis verba ad octomestres tantùm per accidens refert, non laboro. verè enim tales, vt in Disceptatione notabamus, dici possunt esse, quia viui nascuntur; non esse tanquam mox emorituri. Verùm Hippocratis verba oportet quàm maximè vniuersalia seruare: & considerandum est ipsum affirmare hoc loco manifestè, in temporibus dictis gigni hominem: quo loco verbum γίνεται, vt etiam apud Aristotelẽ, sonat ita nasci hominem, ita partum edi, vt nutriatur, ac adolescat; vel possit, nisi aliquis alius casus eueniat, quantum est meritò partus, ac temporis pariendi ratione viuere naturaliter, ac adolescere. Arbitror tamen ego non posse aliquid de Sabini interpretatione nisi malè tutum pronunciari; cùm tota desit ipsius disputatio. Sed rursus obiecerit aliquis Vallesij auctoritate dicens, vt supra tetigimus, ducentos & quadraginta dies (si quis accuratè animaduertat) in noni mensis initium potius incidere, videlicet in quartum ipsius diem: vt dicendum videatur, nullum esse citatis verbis de octomestri partu sermonẽ, siquidem Hippocratis sententia est in tertio libro Prognosticorum, neq; menses, neq; annos posse integris diebus numerari; & eum locum enarrans Galenus, mensem omnem, vt septimo libro vidimus, minorem esse ait triginta dierum, maiorem verò nouem & viginti: mensemq; apud antiquos Græcos vocatum tempus medium duorum Solis & Lunæ cõgressuum. ex quo & idem Hippocrates initio libelli de Septimestri Partu duos menses ait in nouem & quinquaginta ferè diebus perfici. Quæ omnia recitans Manardus libro decimoquinto Epistolarum, & concedens, notat eodem sensu ab Hippocrate dictum esse, decem menses septem dierum quadragenis absolui: quod verum non esset, si singulo mensi triginta dies daremus. Itaq; hoc pacto, cùm mensis sit dierum viginti nouem cum dimidio, dies ducenti & triginta sex mensem octauum terminabunt. Dubitationem hanc quis facilè effugiet, si dicat, Hippocratem non solùm voluisse mẽsem diebus viginti nouem cum dimidio, vt adducta loca sonant, sed diebus etiam triginta, quin & magis integrari; quo pacto summa dierum 240. exactè menses octo explet: de qua re satis septimo libro actum est, & omnes sublatæ funditus superius positæ auctoritates, vt nil de illis in præsentia dicere nobis sit necesse. Vnde Sabinus tempus id dierum 240. ad tempus octomestre rectissimè retulit, vt apud Gellium videre licet; vt prętere am quadragenariorũ habita ratione spatium hoc dierum 240. sextum quadragenarium terminare, qui ad octauum mensem pertinet, atq;, vt superius vidimus, pro ipso octauo mense ab Hippocrate ponitur, omnisq; octomestrium infelicitatis est causa; vt nullo modo hæc dierum summa ad nonomestrem partũ referri possit, sed ad octomestrem tantùm quadrare videatur; cùm nonnisi præterito hoc quadragenario (vbi tamen partui affert læsionem) & sequentis quadragenarij initio vitalis fœtus de Hippocratis mente oriri possit, vt satis supra ostensum fuit. Sed & secunda quoq; occurrit fugiẽdi via, si di-

Epist. 1.

si dixerimus, Manardi, & Vallesij sentétiam amplectentes; hoc loco non solùm diebus ducētis & quadraginta humanum partum perfici Hippocratem scribere, verùm etiam & paulò paucioribus, vt superius animaduertimus; quare idem partus ducentis triginta, ac ducentis triginta sex diebus ex Hippocratis sententia perfici poterit: quod tempus, etiam si diebus non integris menses numerentur, ac Lunares menses accipiantur, in octaui mensis partem postremam incidit, vel illum exactè terminat; vt Vallesij fuga nullius esse momenti videatur. Quod verò ad Manardũ spectat, dicimus, egregiè illum esse hallucinatum, si credidit, dies ducentos octuaginta, septem videlicet dierum quadragenas, decem menses posse absoluere; cùm hoc dierum spatium, quoquo modo mensis accipiatur, etiam diebus non integris, decimum quidem vix attingat, eiusq; medium, nequaquam expleat; Hippocratis verò dictum illud maxima quidem obscuritate inuolutum, quo modo, vt veritatē habeat, sit intelligendum, abundè libro septimo explicauimus. Quid ergo dicent Aduersarij? An vna est salus victis, si dicāt hunc librum esse spurium? In hanc enim latebram se se esse recepturos eos video, nam semper cùm aliam non habent dissoluendi rationem, ad istam sacram anchoram confugiunt; vel librum non esse Hippocratis, vel sententiam à discipulis additam esse, & insertam: sed si ita dixerint, nullam hinc sperare posse salutem, satis constat; cùm & hunc librum verè Hippocrate dignum pleriq; docti viri arbitrentur, inter quos Hieronymus est Mercurialis in Censura, cuius iudicium plurimi facio: & fugam hanc palàm sit se se potius occultantium esse propriam, quàm ingenuè disputantium: et quod maximum est, Galenus librorum Hippocratis vel ipso Mercuriali teste iudex integerrimus, idem confirmauerit. qui sexto libro de Placitis Hippocratis, & Platonis non solùm hoc Opusculũ Hippocratis germanissimum esse inquit, sed eius vtitur testimonio, & auctoritate ad spurios Hippocratis libros iudicandos, ad falsaq; illi imposita dogmata reijcienda. Galeni autem hæc est oratio. At verò de dissectione harum venarum, eam neq; Hippocratis, neq; Polybi tractationem esse, & ante nos alij demonstrarunt; & nos etiam, si Deus aliquando concesserit, vt de germanis, verisq; Hippocratis libris Commentarium scribamus, pluribus ostendemus, explicabimusq; quæ nam sit Hippocratis de venarum origine sentētia; quam tùm ex libro de Alimento, tùm ex secundo Vulgarium Morborum colligere possumus. Sed hoc aliàs, aliudq; in tempus differendum. Hæc ille; quibus librum de Alimento Hippocratem habuisse auctorem perspicuè ponit, sicut etiam & secundum Epidemicon. quare & Tiraquellus nullo modo audiendus est, dum librum de Alimento Herophilo tribuit, vt secundo libro ipsius explicantes opinionē adnotauimus. Rectè autem dictum videtur à Galeno, ex libro de Alimento, & ex secundo Epidemicon, quæ nam sit Hippocratis sententia de venarum origine, haberi; nam & libro de Alimento scriptum legimus, hepar radicationem esse venarum; & secundo Epidemicon, videmus confirmatũ. sed, vt eò redeat, vnde discessit oratio, his ita cognitis luce meridiana clarius est, octomestre tempus, hoc loco Hippocratem spatio dierum 240. expressisse, in eoq; gigni vitalem partum asseruisse.

Cap. 3. — Sect. 4.

Proponuntur loca ex Opusculis de Septimestri, & Octomestri Partu enarranda. Tertium, quartum, & quintum testimonium expenduntur. Dubitationes afferuntur nonnullæ, & diluuntur.

Cap. 83.

PORrò autem illis expositis locis, quæ ex libro de Principijs, & ex libro de Alimento adducebantur; nunc ea, quæ ex Opusculis excerpta sunt de Septimestri & Octomestri Partu, ad examen reuocemus: quæ si eadem lege accipiantur, clarum est nil sententiæ nostræ aduersari. Erat enim tertium testimonium inde allatum his verbis. Si enim in his laboribus succedant, & in conspicuum tunc prodeat puer, impossibile est, superstitem esse ob prædictas affectiones, quas ego octomestres perimere dico, immò etiam multos decimestres. Dicebat enim paulò superius de septimo mense genitis agens, vt septimo libro vidimus & superiori disputatione, hos partus esse vitales, quia ante octauum mensē, & sextum quadragenarium vtero egrediātur: quo tempore fœtus ægrotant; vt septimo prodeuntes antequam ægrotationem contrahant, vitæ meritò compotes veniāt in lucem; alioquin ægrotaturi si in vtero permansissent. modò his verbis subiungit, si fœtus hi natura septimestres septi-

mo (quæq; illa causa fuerit) non oriantur,
verùm paulò post, octauo scilicet percur-
rente, in conspicuum prodeant; in his la-
boribus & morbo succedentes, fieri non
posse, vt viuant ob prædictas affectiones:
nimirum quoniam, vt toties exposuimus,
tertij quadragenarij labores superueniũt;
vt fœtus iampridem ægrotus, ac propterea
valde imbecillis, nullo modo tantas per-
peti posit calamitates: quos quidem vtri-
usq; quadragenarij labores affectionũ no-
mine intelligit Hippocrates; perbellè ad-
iungens has affectiones tantæ esse potesta-
tis, vt non solùm hos partus octauo nascẽ-
tes interimant, sed etiam prodeuntes de-
cimo perimere videantur; qui ob summam
perfectionem robustissimi partus existi-
mantur: de qua re supra plenè disputaui-
mus. atq; hanc Hippocratis sententiam
non solùm de natura septimestribus, idest
die 183. maturescentibus, sed de alijs e-
tiam partubus intelligendam esse, qui hoc
ipso die, vel sequenti alio pro ipsorum tẽ-
peramento labores subeuntes, suo postea
tempore, nono scilicet ac decimo, demum
septimo deberet confecto quadragenario
oriri, iam admonuimus. Hinc, quod su-
pra diximus Plinium libro septimo Natu-
ralis Historiæ prodidisse, fœtui iam genito
intra quadragesimum diem maximum esse
laborem; in ijs, qui octauo nascuntur, ma-
ximè habere veritatẽ palàm est. siue enim
partum hũc cum Aristotele naturaliter re-
liquis imperfectiorem cogitemus, siue cũ
Hippocrate iam pridem in vtero ægrotum;
necesse est, eum has ob causas tertij qua-
dragenarij vires, cùm in lucem venit, lon-
gè vehementiores experiri, quàm qui alijs
mensibus oriuntur: vt rectè cum Plinio
laborem huius quadragenarij causa illi su-
peruenientem maximum appellare valea-
mus. Hoc igitur est, quod ipse hoc testi-
monio subdit, has afflictiones octomestri-
bus perniciem afferre. neq; enim intel-
ligit omnes, quot quot oriuntur, octauo
mense interire, vt perperam multis video
placuisse: sed causam allaturus eorum, qui
octauo editi pereunt, hanc esse docet; quòd
iam ægroti in vtero per id temporis in lu-
cem veniant, vt secundos propterea labo-
res ex tertio quadragenario ortum haben-
tes nequeant sustinere. Cùm enim tertij
quadragenarij afflictio ægritudini iam cõ-
tractæ superueniens causa sit mortis octo-
mestrium apud Hippocratem; quando ne-
q; sola ægritudo sufficiat, neq; soli labo-
res partus; quod & non semel nos supra
admonuimus, & sic ipse docuit. Quicunq;
autem natus fuerit in his quadraginta die-
bus, eum impossibile est superstitem ma-
nere. Aegrotanti enim adhuc ipsi in vte-
ro transmutationes, & afflictiones post par-
tum accedunt. ex quò & fœtus iam sanus
factus, si nono & decimo nascatur, incolu-
mis nascetur; si non omnes fœtus octauo
ægrotationem hanc concipiunt, vt abundè
superius ex Hippocratis sententia ostensũ
est, sequitur necessariò, eos, qui hoc mor-
bo non correpti octauo mense oriuntur,
nullam secum afferre necessitatem intere-
undi. Itaq; Hippocratis verba de omni-
bus octomestribus interpretari non possu-
mus; cęteroqui ipse à semetipso dissenti-
ret. Atq; hîc prætereundum non est, de oc-
tomestribus per accidens Hippocratem lo-
qui esse manifestum; cùm de septimestri-
bus natura, item de nonomestribus, ac
decimestribus, qui suis temporibus oriri
non potuerunt, octauoq; nascuntur, ser-
monem habeat. Eodem modo quarto te-
stimonio occurrendum est; græcarum .n.
mulierum videtur Hippocrates adducere
sententiam, vt octomestris partus probet
infelicitatem, magisq; confirmet. Atq;
hæc illa est peruagata & vulgaris opinio
apud Græcos; cuius septimo de Historia
Animalium meminit Aristoteles, & detegit
falsitatem, vt tertio libro vidimus; dicens
ex octauo genitis in Græcia, tametsi plu-
res intereant, aliquos tamen seruari; ve-
rùm ob conceptam de illorum interitu o-
pinionem, si quis seruetur, non existima-
ri octomestrem, sed eum antea mulierem
concepisse. dicebant enim omnes in Gręcia,
ac putabant octomestres non super-
esse, & mulieres præsertim: quarum qui-
dem auctoritas impulit diuinum Senem,
vt tantæ rei causam inuestigaret. Verùm
non propterea sequitur, Hippocratem om-
nes omnino octauo genitos interire volu-
isse; tametsi communem recenseat aduer-
sus hos partus opinionem; sed eos, qui
intereunt, ob causam ab eo subtiliter, ac
diuinè inuentam periclitari. Sed quid?
nonne si accuratè eius verba expendamus,
fuisse etiam mulieres vel eo ipso teste in-
telligemus, quæ sua ætate huic communi
sententiæ contradicerent? vt palam sit,
hanc, quam docere de octomestrium vita
profitemur veritatem, suos omni tempo-
re habuisse patronos. Cùm enim præfatus
esset Hippocrates, mulieribus de partu-
bus fidem non esse derogandam; duo sta-
tim mulierum genera commemorat; alte-

Cap. 5.

Cap. 4.

rum, quod verbis illis nobis designat, αἱ δὲ κρίνουσαι & c. sunt autem hæ prudentes Hippocrati & expertæ, quibus credendũ esse, nec fidem derogandam ipse censet. alterum verbis illis alteris. τὰς δὲ βουλομένας ἄλλο λέγειν. quæ Hippocrati videntur esse mulieres illæ, quæ vel leui quaq; coniectura, nulla certa nixæ experientia, de partu, partusq; temporibus pronunciant. At enimuero has suis dictis prudentibus aduersari mulieribus inquit Hippocrates, aliaq; & diuersa proferre; inquit enim eas ἄλλο λέγειν. i. aliud dicere. at prudẽtes mulieres eodem teste asserebant, ac testabantur, nasci septimestres, octomestres, nonomestres, decimestres, & vndecimestres, & ex his octomestres non manere superstites, alios superesse. mulieres ergo habitę imprudentiores quid dicere poterant, quod huic conclusioni esset contrarium, ab eaq; diuersum? non certè septimestres, nonomestres, decimestres, & vndecimestres nõ nasci, nec superesse; nam id ab omnibus est receptum, nec vlla est tàm fatua mulier, quæ hoc neget. itaq; superest, vt in hoc vno tantùm discreparent, quòd videlicet octomestres non solùm nasci, sed superstites etiam manere aduersus illas affirmarent. quod quidem si considerabimus, facilè vel ex hoc vno loco perdiscemus, de octomestrium periclitatione opinionẽ nõ adeò fuisse ætate illa communem, vt putant Aduersarij. Quintum testimonium iam superius explicatum est, quod quidem nil amplius habet, quàm octauo genitos idcircò interire, quia morbo laboranti fetui noui succedant partus labores: quod etiam nos libentissimè fatemur. Verùm quia contrariæ contrariorum causæ sunt, si per octauum mensem non ægrotanti ijdem hi labores superueniant, nullam interimẽdi habebunt potestatem. Sed circa hunc Hippocratis locum, quem pro quinto attulimus testimonio, dubitabit fortasse aliquis secum ipse repetens ea, quæ superius tradidimus, huiusmodi verba, si nostram sequamur interpretationem, aut de octomestri natura, aut ex accidenti intelligi oportere. de octomestri ex accidenti Hippocratem verba facere, nullo modo dici posse; quoniam in nonum mensem is minimè produci poterit; eum enim ex accidenti octomestrem dici, qui, cùm natura septimo mense in lucem edi deberet, aut nono, aliquo superueniente accidenti octauo nascitur, paulò tardius, aut celerius: reliquum igitur esse, vt dicamus, Hippocratem de octomestri ex natura loqui. hic autem octauo mense natus moritur secundum illum, si verò ad nonum protrahatur, omnino viuit, aduersus nostram sẽtentiam, qui eum, octauo mense si nascatur, vitalem facimus, non vitalem autem, si aut celerius octauo mense edatur, aut tardius. Non igitur aliud sibi hoc loco voluisse Hippocratem, nisi fœtum, qualiscũq; tandem is fuerit, vbi ad octauum mensem peruenerit, laboribus conflictari; qui si vehementer ingruant, fœtum occidunt, si verò leniores fuerint, si sextam dierum quadragenariam pertransire poterit, persanatur, & nono mense nascens viuit. Respondemus, nullam esse causam, rationem nullam, cur loco adducto Hippocrates de octomestri ex accidenti verba facere non possit; quin potius ipsam docere rationem, de octomestri natura eum nullo modo loqui, quoniam in nonum mensem is produci nequit; cùm natura octomestris dicatur, qui octauo naturæ lege oriri debet, neq; eius ortus in alios menses naturaliter transferri potest; in quos si transferatur, nullo pacto vitalis nascitur; quare cùm Hippocrates in allata auctoritate dicat, eum partum, si octauo nascatur & intra sextum quadragenarium, mori; si ad nonum perueniat, superuiuere; necessariò non de octomestri per se, ac natura intelligit, sed de octomestri ex accidenti; & quod in idem redit, de natura nonomestri, cùm ex accidenti octomestris, natura nonomestris, ille partus fit, qui, cùm nono nasci deberet, octauo ex accidenti aliquo veniens in lucem interit, si verò ad nonum producatur, vitalis nascitur. Atq; hoc loco diligenter considerandum (quod & in Disceptatione diximus, & paulò supra tetigimus, & clarius hoc eodem libro supra explicauimus) Hippocratem perpetuò in his Opusculis de nullo alio octomestri sermonem habere, vt apertissimis verbis demonstrauit, nisi de eo, qui nono mense, ac septimo expleto quadragenario perfectus, ac maturus, proindeq; vitalis in lucem venit. quod sanè accuratè animaduersum, vel opiniosissimos quosq; conuincere potest, non de natura octomestri, sed de octomestri ex accidenti ipsum loqui, cùm dicit, fœtum hoc mense nascentem intermori; item non vniuersaliter omnes octomestres repudiare.

Cap. 18.

Sextum testimonium ventilatur. Verba Hippocratis quædam obscura enarrantur,
Cap. 84.

DE sexto itidem testimonio quid dicendum, satis ex his fit perspicuum; eandem enim sententiam verba continent; videlicet duplices afflictiones non posse consequenter, nempe nulla interposita mora, fœtum sustinere. si enim laboranti adhuc morbo fœtui partus immineat; iam secundus hic labor priori additus omnino illum necat. Atq; hoc est, quod inquit Hippocrates, propterea octomestres non superstites manere; quasi dicat, qui octauo mense intereunt, hanc ob causam interire: ex quo & cùm dixisset. Contingit enim, ipsos consequenter affligi, tùm ea, quæ in vtero fit, afflictione, tùm ea, quæ in partu accedit. statim subdit. καὶ διὰ τοῦτο τῶν ὀκταμήνων, οὐδὲν περιγίνεται. quo loco verba illa, τῶν ὀκταμήνων, energiam quandam mihi habere videntur, qua satis docét, totius orationis serie perspecta, non simpliciter esse accipienda, quasi de omnibus generaliter octomestribus sint prolata, sed de illis tantùm, de quibus sermonem habet Hippocrates; qui scilicet consequenter duos illos labores perferre coguntur. Sunt autem hi, qui iam per octauum mensem in morbo sunt constituti, atq; in dictã ægritudinem inciderunt; & natura mense nono, ac decimo maturescunt, vt supra iã fuit explicatum. Itaq; sententia erit, propterea nullum horum octomestrium superuiuere, quia duobus laboribus consequenter conflictantur, ac sine vllo temporis interuallo; articulus nanq; ille, τῶν, idem hoc loco sonat, quod τούτων, vt non semel apud Aristotelem: cuius rei clarum habemus primis verbis septimi Historiarũ exemplum; quibus inquit, quæ circa hominis generationem, & propriæ naturæ ratione eueniunt, τὸν δ' ἔχειν τὸν τρόπον, idest hoc modo se habere. quod & in Hippocrate longè magis esse concedendum, qui linguã grecã callét, optimè norũt; cùm Hippocrates Ionica scripserit lingua, Ionũ verò sit propriũ præpositiuis articulis pro pronomine vti demonstratiuo, vt Grammatici notant, illud τὸ ἐθέλει λέγειν pro τοῦτο ἐθέλει λέγειν, idest hoc vult dicere, pro exemplo afferẽtes. quodq; cùm Interpretes in Hippocratis loco conuertendo non animaduerterint, plurimum à recta ipsius intelligentia, meo quidem iudicio, aberrarunt. Itaq; non quidem vniuersaliter nullum octomestrium, sed illorum nullum superesse inquit, qui continuata serie duas illas afflictiones perpetiuntur. si enim, vt superius diximus, aliquis nullo antea affectus morbo, mense octauo in lucem veniat, is certè nulla erit ratio, quin superuiuat: at non affligi omnes octomestres ægritudine, ex Hippocratis etiam mente supra decreuimus; itaq; non potest ipse octomestres omnes facere interitui obnoxios. Quod hac etiam altera ratione demõstratur; dictum enim antea à nobis est, scopum & nexum totius Hippocraticæ disputationis aperientibus, libellum de Septimestri Partu octomestrium gratia esse conscriptum; adeò vt totus in eo disputationis scopus in librum de Partu Octomestri dirigatur, seu verius dixerim, in partum octomestrem. At enimuero si hoc verum est, de iisdem illis octomestribus Hippocrates sermonem habebit in Opusculo de Octomestri Partu, de quibus in præcedenti locutus est; verùm in superioribus iam abundè ostensum est, Hippocratem, cùm de ægrotatione ageret in libello de Septimestri Partu, quæ octauo mense fœtum inuadit; hanc non omnes octomestres adoriri voluisse: præsertim non eos, qui verè octauo mense maturescunt; sed nonomestres natura tantùm vexare, ac decimestres; ideoq; concludere necesse esse, hos partus, qui ægrotauerint, si vitales sunt orituri, toto sexto, ac septimo quadragenario in vtero permanere. Itaq; de his iisdem octomestribus intelligẽdum erit his verbis diuinum Senem loqui, in quibus inquit, nullum octomestrium fieri superstitem; siquidem hi duas illas afflictiones consequenter perpetiuntur: vt meritò paulò supra diceremus, horum octomestrium nullum esse superstitem, Hippocratem intellexisse, non generaliter octomestrium nullũ superesse. Quod doctissimus vir Ioannes Picus Mirandula libro tertio contra Astrologos acutè contuens, cùm locum Hippocratis hunc adduceret, in hanc eandem sẽtentiam illum interpretatus est; dicens, nõ quidẽ omnes in eo periclitari octomestres, ipsum asserere, sed plures tantùm: atq; eius hæc est oratio. Sed Hippocrati potius accedo, qui tractatu, quem scribit de Octomestri Partu, causam, cur plerunq; non viuant, hanc esse ait & c. Hæc ille; de cuius opinione, vt patet, dicit Hippocrates, octauo genitos plerunq; interire: non semper interire; adeò vt non quidem censuerit, nullum, quemadmodum commu-

Cap. 18.

nis

nis sonat interpretatio, viuere; sed tan-
tùm plures, ac vt plurimum non viuere, &
ex consequenti aliquos, & aliquando su-
peresse.

Ferdinandi super eodem Hippocratis loco affertur explicatio; eiusdem notatur inconstantia; atq; varia in varijs locis Hippocraticæ sententiæ expositio.

Cap. 85.

IN hunc eundem sensum doctissimum
Ferdinandum Mena huiusmodi Hip-
pocratis verba in suis Commentarijs super *Com. 4.*
libello de Partu Septimestri video acce-
pisse. Est enim (inquit) vt antea dixi-
mus, plurium causarum externarum su-
bitus occursus, & insueta consuetudo, po-
tissima causa ob quam octimestres intere-
unt, similiter & decimestres, seu nonime-
stres: verùm crebrius octimestres, quòd
intra vterum sexti quadragenarij violenti-
am, ac parum propitiam mutationem ex-
periantur, ob quam quidem, simul &
causarum externarum alterationes, impos-
sibile est, superstitem euadere partum octo
mensibus natum. De qua re fecit Hippo-
crates seorsum libello ad id dicato. Atq;
infra ferè ridens à septenarij virtute ad- *Com. 19.*
uersus hos partus petitam rationem, atq; à
delirio Astrologorum. Jam verò Astrono-
mi, quorum sententia Saturnus octauo tri-
buitur mensi, Planetarum omnium vitæ
inimicissimus, qua lege illud senserint, de-
ceret explicasse; nisi placato suo sic sensis-
se responderint. Donemus porrò Platonē
nasci decimæ diei hora decima mensis De-
cembris, Socratem octaua die Nouembris
vesperi: quo iure fiet, vt vtroq; tempore
Saturnus vigeat, atq; dominetur, etsi mil-
lia hominum nascantur in infinitum varijs
horis, in totidem sit dominator primi mē-
sis, & octaui ab ipso conceptu. Rursum
Jupiter fauet mihi hodie septimum agē-
ti mensem, & eodem tibi Saturnus octa-
uum mensem vtero gestato. Postremò, vt
octauo mensi Saturnum vendicassent; reli-
cto Planetarum ordine primum mēsem Sa-
turno tribuunt, secundum Lunæ; quod sa-
nè à quo fuerint edocti, explicent opor-
tet, aut dicant suis figmētis fecisse opinio-
nem. Vnde ratio illa, quæ septenarios,
quadragenariosq; extollit, ceu diuinā quā-
dam vim adeptos, quæ morborū, embryo-
numq; fortunas aut felices, aut infelices
reddat; eatenus à me amplectetur, quate-
nus illis numeris explicarit tempus statu-
tum natura cuiq; actioni consumandæ: q
quidem non potest non esse multiplex, pro
vario temperamento rerum, pro regione,
tempore varijs, proq; varia causę facientis
natura. Inter quæ sanè quæ calida fuerint,
effectus producent ocyus, quæ verò frigi-
da, tardius; & quæ mediam fuerint nactę
conditionem mediam rationem temporis
seruabunt. Hæc ille; qui apertè dicens
subitum externarum causarum occursum,
& insuetam cōsuetudinem potissimam esse
causam ob quam octomestres intereunt,
similiter & decimestres, alijq; partus, sed
crebrius octomestres; quòd præter hunc
occursum sexti quadragenarij in vtero ve-
xantur malignitate; adeò vt si hęc duo cō-
spirent, impossibile sit, superstitem euade-
re octomestrem; hoc idemq; sensisse Hip-
pocratem volens; certè non omnes eum o-
ctomestres putasse non vitales, statuere
videtur: sed eos tantùm, in quorum ortu
hæc duo conueniunt, sexti videlicet qua-
dragenarij vis, & subitus causarum exter-
narum occursus. Cæteroqui falsò scrip-
sisset, crebrius octomestres quàm decime-
stres periclitati; si nūquam hos partus fieri
posse superstites existimasset. Hinc reijcit à
septenarijs, & à Saturno petitam rationem,
quæ octomestres perpetuò omnes conde-
mnat. vt nulli dubium esse queat, hac re-
cepta Ferdinandi explicatione Hippocratē
eo loco non quidem nullum superesse oc-
tomestrem affirmasse, sed eorum nullum,
de quibus disserebat, quemadmodum &
nostra ponit expositio. Quanquam eo-
dem Commentario infra (vt liberè dicam *Com. 6.*
quod sentio) secus videtur hic Auctor vo-
luisse; innuens Hippocratem loco memo-
rato octomestres omnes facere non vita-
les; vt propterea temeritatis notam ferè
eum non effugere, censere videatur. Ver-
ba hæc sunt, quæ & afferre præstat post-
quam occasio est, & expendere. Testimo-
nijs ab ipsis mulierculis petitis, studet oc-
timestres partus prorsus vituperare, conse-
quenterq; ipsum octauum mensem: refe-
runt siquidem interrogatæ, in octonis mē-
sibus à conceptu, se malè perpetuò gessis-
se, octimestresq; natos non manere super-
stites contestantur. Sed & nostra tempe-
state vix reperias imperitissimam quan-
q; fœminam, quæ non detestetur par-
tus octauo mense editos: aut à suis maio-
ribus edocta prius, aut quòd ipsa per se pe-
riculum fecerit, aut à coetaneis fuerit ad-
monita sedulò. Libello de Octimestri Par-
tu in vniuersum protulit, nullum eiusmodi

vnquam vixisse: experiētiam profectò suā, & quam interrogatione assequi potuit simpliciter pronuncians. Aliorum verò si sequeretur obseruationem, eorum præcipuè, qui Aegyptiacam plagam incolebant, multò moderatius esset locutus. nisi quisquā Hippocratis vellet acerrimum se adeò prębere defensorem; vt Aristotelem aut culpet credulitatis, quam ταχυπειθείαν Græci dicunt, aut de experientia minus diligentem examinatorem. Quin & sequenti Commentario hoc idem sensisse Hippocratem, videtur testificari. Sed quæ de tempore (inquit) gestationis fœtus asseruntur, probat experimentis ab ipsis puerperis acceptis: quæ perpetuò confitentur, in septem, octo, nouem, decem, vndecimue mensibus fœtum edi contingere, ex quibus solos octomestres minimè vitales esse dicunt. Iustissimaq; ratione id fieri debere Hippocrates suadet; inquiens, septimestres secundum rationem viuere, & nasci, similiter & nonomestres, decimestresq; nēpe septimestres ad tres denarios hebdomadum habent rationem; nonomestres verò simul & decimestres, ad hebdomadū quartum denarium, quorum nihil octomestribus partubus accidere certò cōstat eis, qui ad calculum hæc omnia retulisse pluris fecerint. & Commentario decimo his verbis. Corroborat, octomestres non esse vitales firmioribus adhuc fundamentis, quæ ab expertissimis mulieribus petebat diligentissimè: quod quidem maxima ex parte intelligendum esse diximus; aut in ea regione, quam familiarissimam colebat Hippocrates ob causas à me memoratas antea. Item Commentario vndecimo. Vt libello de Octimestri Partu latissimè monstrauit Hippocrates, impossibile est, octimestrem viuere; rationem annexuit hanc potissimam, quoniam fieri nequit, vt duas afflictiones, alteram post alteram puer ferre possit, quin succumbat. Patitur autem vtero gestus ærumnas, quas per sextum quadragenarium infestare grauidas dixit, & ipsarummet testimonijs cōprobauit egregiè: succedunt aliæ in ipso partus tempore; vt est ipsa fœtus commoda versio, siue in caput, siue in aliam figuram commutetur; & peregrinæ aliæ, quas ab aere, victus noua specie, & vestimentis insolitis mutuatur improuidus. Ob quas omnes difficillimum est, imò verò impossibile penitus, eos qui octauo mense nascuntur, superstites euadere. Quòd si periculum istiusmodi præ virium robore semel aufugerit, in nonumq; mensem commigrare potuerit, sospes nascetur nihilominus ac septimestris.

Com. 7.

Ferdinandi opinio de Partu Octomestri.
Cap. 86.

HAec igitur quod ad Hippocratis pertinet sententiam Ferdinandus; à qua quàm longè aberret, superiora docuerunt; quòd si doctissimi huius viri propriam de hoc partu opinionem quisq; cupit agnoscere, eam, postquā nos inuitat occasio, ex hac altera ipsius disputatione, quā huc pariter appingere putamus operę preciū, legentium oculis ponimus perdiscendam. Sic ergo Ferdinādus hac de re difficillima. Cur autem octimestres ita in vniuersum mortales pronuncientur, aut quæ sit ratio tanti discriminis, haud facilè scriptum inuenies: cùm in Auicenna, & Aristotele versatis maximè sit perspicuum, Aegyptios esse vitales: quinimò in Italia tales partus fuisse vitales, auctor est Plinius. Quamobrem handquaquam sunt omnino è numero vitalium excludendi tales fœtus. Item Astronomi, qui septem planetas mensibus grauidarum accomodantes, Saturnū vitæ ex diametro repugnantem octauo mēsi vendicauerunt; tàm sibi arrisisse videntur, & proprijs dogmatibus, vt ea sola ratione sectam tueantur suam; nulla alia, quę sit probabilis: nam cùm nullo non tempore oriri possit embryo, & diuersissimis tēporibus varij nascantur fœtus, cur ad omnium octauum mensem trahendus sit Saturnus, ego non video: siue cur Luna ad eundem mensem sit perpetuò commouenda, seu ad tanti infortunij auctorem, quemadmodum Zimara in Problematis voluit, iudicent peritissimi. Ergo sicut in diebus decretorijs defendendis, obseruatio ipsa plus virium habet, quæ legitimum cuiq; actioni declarat tempus, quantum scilicet requiratur ventriculi coctioni, quantum elixationi ad ignem conficiendæ, ac quantum maturationi fructum: sic quoq; neglecta alia siue arithmetica, siue astronomica computatione, ad solam obseruationem, quæ septem, quinquene quadragenarios probat, sextum verò damnat, confugiendum videtur, in ea ratione, quæ de partubus in præsenti est ineunda. Arithmetica quippè, quæ impares facit mares, ac perinde fœcundos, rursum pares numero fœminas, ex quibus debito iure coniugatis prolem reddi aiunt perfectam: sicut ex duobus

bus

» bus imparibus, aut paribus, sterile con- » iugium resultare, ad eum modum, quo du- » os viros, aut duas mulieres ineptum face- » re coniugium constat. Illa, inquam, hac ra- » tione septenarium laudat, nonum, quina- » rium, quòd ex mare & fœmina componan- » tur; vituperat senarium, duodenum con- » traria causa. Quæ quoniam pari syllogis- » mo quatuordecimum est vituperatura, » similiter & vigesimum, dies alioqui Medi- » cis probatissimos, redargutione quadam » deprehensa pessum ire sponte cernitur: » præsertim cùm decimum numerum alia ra- » tione commendauerit, medicinalibus ob- » seruationibus perpetuò facinorosũ. Qua- » re, quod soleo alibi sæpè profiteri, de tem- » pore durationis actionum naturalium nul- » la tradi certa potest ratio, præter experiẽ- » tiam; propterea quòd si rogaueris, cur hic » ventriculus coquat cibos septem horis, il- » le octo, ille verò alius pluribus, aut pau- » cioribus, nihil verius responderetur, quàm » id temporis eiusmodi actionem destinasse, » varium quidem pro agentis causæ varia ef- » ficacia, & potestatis diuersa mensura. Sic » porrò solet physicis Scriptoribus respon- » deri; pro varia scilicet proportione faciẽ- » tis causæ ad subiectas substantias, varijs in » temporibus actiones absolui; ac nunc qui- » dem celerius, nunc verò serius. Iam ve- » rò si, vt probabimus, maxima pars fœtuum » humanorum decem mensibus in lucem e- » ditur perfecta; quæ ratio esse potest men- » sium, quæ aut septenarium, aut quater- » narium numeros Antiquitati tantoperè » celebratissimos, referat? profectò pari » censu in vndecimum, aut nonum, qui per » quaterniones, aut intercidentes subsul- » tant, transferri deberent vitales partus: » neutiquam necessariò in decimum mẽsem, » qui de classe prorsus existit prauè iudican- » tium, vti decimus ipse dies. Quòd si de » fœtura aliorum animalium libeat quàm- » plurima testimonia conferre; certè nihil » erit manifestius, ac in edendis partubus » haudquaquam seruari debere famosam il- » lam septenariorum, aut quaternionum di- » numerationem: cùm pauones triginta die- » bus pullos excludãt; equa gestet vtero vn- » decim menses, decemq; dies; asina mensi- » bus duodecim, sues quatuor, anseres vi- » ginti nouem diebus, frigore vigenti 30. » diebus. Cassius Dionysius auctor est. Quin » etiam nonnulla testimonia ex ipso Aristo- » tele capientes, inuenimus assertum esse, tẽ- » pora ferendi vteri pro magnitudine ani- » mantium, quę generantur, descripta esse: nõ

Li. de Agricult.

enim breui tempore constitutiones perfici » posse magnas vel animalium, vel aliorum » autumat. Quo in loco equum gestare an- » num, alia denos menses, elephantes bien- » nio, certa quadam historiæ fide pronuncia- » uit: quæ omnia si vera sunt, haud dubiè ni- » hil referre putandum est, septimestris sit » partus, aut octimestris, quantum attinet ad » numeri rationem. Pariunt quippè dicta » genera animantium nõ solùm paribus mẽ- » sibus, & numero dierum infidelium respõ- » dentibus, sed & in imparibus, & multa fi- » de comprobatis: & quædam decem mensi- » bus, aut duodecim in lucem se pron unt, » paribus nimirum mensibus, quædam bien- » nio, aut quadriẽnio: sicuti rursum alia sũt, » quæ spatio temporis nimirum diuerso suas » actiones peragunt, quæcunq; illæ sint; de » quarum duratione non nisi diutina experi- » entia nobis constare poterit. Quæ ratio- » cinatio, cùm in certa regione, quæ certo » temperamento constat, fuerit dep ręhensa, » sit protinus, vt non omnes regiones vni- » uersim comprehẽderit; quin potius in Ae- » gypto calidiori multò, quàm Coos Hippo- » cratis patria, fieri potuit, vt qui in nouem » mensibus consumantur alibi partus, in o- » cto perfici potuerint; hoc est celerius ob » calorem efficaciorem. Hinc quoq; haud » absurdum videri debet, si quinquemestris » partus vitalis editus sit apud Valentinos, » feruentem sanè plagam: sicuti, & apud Ma- » driti incolas nonnullos, obseruatum sentio » ex pudica matre, honestissimamq; viuendi » rationem nacta, natum esse quinquemestrẽ » vitalem. Nulla itaq; ratiocinatione sua- » debor vnquam ad aliquem temporis nu- » merum amplectendum actionis naturalis » dimensorem: nisi quatenus in illo conti- » gerit, operationem esse absolutam, per ip- » sumq; explicari deinceps quantum tempo- » ris duratura sit, plus minusue. »

Allata Ferdinandi de octomestri Partu opinio confutatur.

Cap. 87.

Haec doctissimus Ferdinandus; quæ ta- men, vt verum fatear, à veritatis scopo longissimè aberrant, parumq; vi- dentur habere probabilitatis; tùm quia omnis res naturalis, quæ experientia com- probatur, suam habet rationem; quare & si experientia comprobatum, partum vno tempore non viuere, vel minus, suam id habeat rationem est necesse; tùm quia, si ca- lidius regionis temperamentum causa es-

set vitæ octomestrium in Aegypto, mortis in Coo Hippocratis patria: quoniam videlicet qui consumantur in Coo nouem mẽsibus; in octo, vt ipse inquit, ob calorem efficaciorem perficiuntur in Aegypto; non posset in Coo, longèq; minus locis nostris nasci septimestris; non posset in Aegypto nasci nonomestris. Ideo enim non nascitur in Coo octomestris, quia calor in regione non adest tantus, vt possit eo tempore fœtum perficere; quare longè minus septimo illum perficiet. & si calor in Aegypto tantus est, vt eum, qui nobis nono perficitur, ibi octauo perficiat; vtiq; ipso octauo mẽse perficiet omnes, nono nullũ. Quòd si apud nos calor adeò est efficax, vt celerius etiam quàm octauo mense partũ, ac materiam consumare possit, ac perficere, videlicet mense septimo; cur & octauo eam non consumabit? cur ad Aegyptum confugere oportet, vt octauo consumatum partum nobis reddat? & si frigidior nostra regio septimo consumat; igitur Aegyptus sexto, calidior regio quinto, longè calidior etiam quarto consumabit. quæ omnia deliramentis quàm simillima esse, nemo est, qui non videat; cùm in Aegypto septimestres & nonomestres nascantur, quin etiã & decimestres crebrò; sexto verò mense, longèq; minus quinto, aut quarto nullus, neq; in alia quauis regione, nisi monstrosè ac prӕter naturam. nempè quia partus tempora & limites à natura, & temperamento hominis pendeant, certamq; propterea vbiq; locorum habeant & eandem rationem, vt tertio, & quinto libro fuit demonstratum. quo quidem loco vera causa vitæ octomestrium in Aegypto explicata est; sicuti & ventilatum libro septimo, quod de quinquemestribus dicit Ferdinandus. Vidit doctissimus vir quadã ex parte hanc obiectionem, illiq; satisfacere infra conatus est his verbis. Variatur equidem rerum maturatio pro constitutione temporum, pro regionum temperamento vario, pro corporum ipsorum diuersa valde natura: idcircòq; qui in Coo insula vitales nequibant nasci octimestres, apud Indos, Aegyptiosue calidiores multò plagas, viuere commodè poterant. Quòd si mihi obieceris, septimestres vitales esse, breuiori tempore maturescentes quàm octimestres. Respondetur, paucos ex multis superesse tales, vt principiò dixerat Hippocrates. tàm breui siquidem tempore fructus humani nequeunt maturari, sicuti neq; octimestres: & sicuti præcoces fructus gignuntur temporum constitutione properanti solito citius; eadem ratione septimestres eueniunt, sicuti & quinquemestres, de quibus mentionem dudum fecimus. Sed certè non abstulit difficultatem, sciscitamur enim nos ex illo, an octomestrium quoq; sicuti & septimestrium paucos ex multis apud nos superesse velit; si dicat superesse; ergo & octomestres naturales partus, ac vitales, non secus ac septimestres, ex Medicorum Iurisperitorumq; decreto; ergo falsus Hippocrates, qui, Ferdinando explicante, nullum dixit superesse locis nostris octomestrium. Si respondeat non superesse ex multis paucos octomestres; cur ergo in nostris regionibus id cõtingit octomestribus lõgiori tempore maturescentibus, septimestribus verò tempore breuiori maturitatem recipientibus nõ contingit? hoc enim est quod obijcimus, & quærimus. non soluit igitur Ferdinandus difficultatem. Prætereo, cùm ex Hippocratis sententia octomestriũ mortis causam putat, quòd ad sexti quadragenarij malignitatem accedant partus tempore ærumnæ; commoda scilicet fœtus versio, & peregrinæ aliæ quædam mutationes; demum externarum causarum subitus occursus, dixeris per accidens euenientiũ, nec à partu quadragenarij incipientis, eiusq; potestatis vllam facit mentionem, à vera Hippocratis mente longè discedere.

Com. 10.

Adducta super sexto testimonio explicatio Polybi auctoritate comprobatur. Itẽ septimũ, et octauũ testimonium discutiuntur. Cap. 88.

SEd, vt ad institutum reuertamur, quòd Hippocrates his verbis, quæ pro sexto attulimus testimonio, demũ quòd his Opusculis, non omnes omnino reijciat octomestres, vt nostra ponit explicatio, argumẽto etiã illud est, quòd Polybus quoq; Hippocratis discipulus & alumnus, vt inquiunt, vtq; tertius liber ex Plutarcho ostendit, non omnes putauit octomestres intermori: at non ita putasse, nullo modo dicere potuissent, nisi & hoc alterum habuissent exploratum, in his Opusculis non omnes octomestres repudiari; quæ, vt multis placet, vel ipse edidit, vel ab Hippocrate accepta, vt pleraq; alia, suo nomine diuulgauit; ex quò & à grauissimis viris Clemente, Galeno, & Plutarcho, vt supra notauimus, eadem hæc Opuscula illi tribu-

uatur: quod certè non leuem nobis affert coniecturam, Magistrum quoq; eiusdem fuisse opinionis. quin etiam, & quod magis est, neq; ipsemet Hippocrates, Plutarcho innuẽte, vt eodem libro diximus, cunctos octomestres censuit interire; sed eos tantùm, qui ob vehementem læsionem vmbilici octauo mense contingentem nutriri nequeunt; quare nec debuit, nec potuit omnes hoc loco octomestres repudiare, nisi à se ipso turpiter voluit dissentire; qui in Opusculo de Partu Septimestri, vel ab eo edito, vel certè ex eius ore à Polybo accepto, non omnes octomestres ægrotare, proindeq; non omnes mori, in libello de Alimento hos ipsos partus perfici asseruit, maturosq; edi; atq; alijs etiam in locis, idem significauit, vt mox infra sumus ostensuri. Sic videmus nihil esse periculosius in Aristotelis, Hippocratisq; sensis inquirendis, quàm vnam, vel alteram auctoritatem sibi ob oculos ponere, cætera despicere; ita enim eorum scripta connexa sunt, ita ob affectatam breuitatem obscura; vt si minimum quid eorum, quæ antecesserunt, omittamus, aut perperam intelligamus; tota nobis aberrare via fit necesse. Igitur (vt redeamus ad rem) ita acceptus locus iste, qui aduersus nos putatur atrociter pugnare; nil repugnabit nostræ opinioni; sicuti nec alius vllus ex dictis Opusculis, si in hanc eandem sententiam accipiatur, qui octauo mense genitos videatur non vitales pronunciare. Atq; eadem responsio septimo testimonio satisfacit (octauum enim nihil aduersatur), cùm tantùm tempus motus triplum esse temporis partus ostendat; id septimestris maioris exemplo, & exactè nonomestris docẽs; septimestres minores, noni initio nascentes, ac decimestres prætermittat, non solùm octomestres; sexto nanq; Epidemicon materiam septendialem ac imparem periodum affectantem Hippocrates contemplatur, ac totus est, vt septenarij numeri vim ostendat: ex quo & solui vocem impari die, hominem mori impari die, mẽse impari, & anno impari subiungit. quanquam & huius loci, vt libro sexto vidimus, alia esse potest interpretatio. Itaq; & meritò imparibus mensibus editum fœtum nutriri scribit & adolescere, scilicet septimo & nono, hebdomadumq; exactam seruantem rationem; vt qui decimestris apud ipsum dicitur, scilicet diebus 280. & septem quadragenarijs genitus. Neq; enim decimo senescente mense ortum eo loco intelligit, cùm nominat decimestrem, sed eum, quem ad hebdomadas exactam seruare rationem dixit ad finẽ libelli de Principijs; nempe ineunte decimo natum; vtpotè qui ex materia, quæ imparem numerum, ac periodum sua natura exposcit, cõformetur; cùm alioquin decimus mensis exactus ad parem periodum pertinere videatur. quam profectò materiam cùm talem animo concipit Hippocrates, statim, vt supra monuimus, vel octomestrem partum excludit, vel pronunciat non vitalem; statimq; illi perniciem minatur, ac interitum. Nec aliquem conturbet si mensem decimum ad vtranq; periodum pertinere dicimus, parem, & imparem; siquidem duplex est, vt alibi quoq; notauimus, mensis decimi consideratio: vel enim vt mensis est, ipsum contemplamur; quo modo ad pares omnino periodos spectat; vel vt primi ipsius dies septimo quadragenario terminum imponunt, & quartæ decadi hebdomadarum; de quare Hippocrates ad finem libelli de Principijs, docens totum id ad imparem ac septenariam periodum spectare. Quòd si materiam periodum parem affectantem cogitet diuinus Senex, vitales illicò octomestres pronunciat; quod & libello de Alimento ipsum fecisse, clarissimè supra demonstrauimus; & nonnullis alijs in locis idipsum significasse, in præsentia ad magis firmandam veritatem ostendere non pigebit, vbi nonum tamen testimonium antea labefactatum fuerit: quod postremum superest nobis explicandum, vt huic libro finem imponamus. Quanquam & altera est commoda horum verborum explicatio à Vallesio tradita, quæ nihilominus ea nobis demonstrat non officere; videlicet si dicamus, non quidem de partu Hippocratem sermonem habere, sed de quibusdam alijs accidentibus, ac mutationibus, quas editi iam in lucem pueri subeunt; nempe de tempore dentitionis, dandi cibos solidiores, soluendi manus, ambulandi, edendi vocem, & similibus; de qua re ibi pulchrè Vallesius, & doctè.

Sect. 6.

Nonum testimonium expenditur. Hippocratis mens ex primo libro de Diæta enarratur.

Cap. 89.

DEmum nonum testimonium, quod ex primo libro de Diæta afferebatur, nihil obest. tractans enim ibi multa Hippocrates de partu, & corporis totius for-

rmatione, atq; de formationis ipsius tempore, ita scribit. Discriminantur autem partes, & augescunt simul omnes, & neq; prius alteræ alteris, neq; posterius. Verùm maiores natura priores apparent minoribus, quum non priores existant. Non autem in æquali temporis spatio omnes fœtus exornantur, sed alij citius, alij tardius; prout singuli & ignem, & alimentum fuerint nacti. Aliqui itaq; in quadraginta ac tribus diebus scaturiunt, ac formantur; aliqui in quatuor mensibus similiter etiam vitales fiunt; ac gignuntur aliqui citius septimo mense perfectè: aliqui tardius nono mense perfectè in Lucem prodeunt. At primùm videmus hîc Hippocratē dicere, partes, & membra omnia simul discriminari, & distingui, & augeri, non alia prius, alia posterius. quod quidem an pugnet cum Aristotele secūdo libro de Animalium Ortu asserente, partium alias prius, alias posterius fieri, non omnes simul, & sensu & ratione esse manifestum; falsumq; esse nonnullas, licèt prius genitæ fuerint, præ sua exiguitate latere; cùm pulmo, qui amplioris quàm cor magnitudinis est, posterior corde in primo ortu conspiciatur; qui & idem rursus videtur infra confirmasse, scribens primùm cor gigni tanquam principium, post principium verò interiora prius quàm exteriora conformari, sed prius maiora quàm minora apparere, quamuis nōnulla prius non oriantur; hæc, inquam, vtrum sint contraria, & quo modo concilianda, dicemus, Deo dante, abundè secundo libro de Monstrifici Fœtus Formatione: vt nil propterea hac de re in præsentia tractandum nobis videatur. Secundò inquit Hippocrates, licèt simul & æquali tempore partes distinguātur, nō tamen spatio æquali exornari; vt inter διάκρισιν, & διακόσμησιν (quemadmodum græcum habet exemplar) non exiguam faciat differentiam; cuius sētentiæ veritatem egregiè citato loco demonstrauit Aristoteles, dum scripsit, partes omnes lineamentis primùm describi, & terminari, seiungiq;, deinde colores recipere, & mollitiem & duritiem; quasi pictoris officio natura fungatur, dum condit animal & creat: qui vbi lineis primùm descripserit animal, mox vario illinit colore, ac perficit. vt meritò dixerit Hippocrates, non eodem tempore discerni partes, & exornari; primò nanq; lineamentis partes describuntur, quemadmodum docet Aristoteles, & hoc est διάκρισις Hippocrati hoc loco; secundò colores recipiunt duritiem, & mollitiem (quæ omnia tempore procedente natura operatur) quod Hippocrati est fortasse διακόσμησις, videlicet perfectioris cuiusdam articulationis opus, vt tertio libro admonuimus: atq; hanc non fieri simul scribit Hippocrates, nec tempore æquali omnibus contingere, sed alijs citius, alijs tardius. Rectè autem inquit exornationem hanc vel ocyorem, vel tardiorem ab alimenti qualitate dependere; nam eadem est materia, ex qua nutritur animal & partes, & ex qua formatur; vt non semel secūdo de Animalium Ortu docuit Aristoteles: quamobrem alimentum dicens, ex quo partes & animal nutriuntur, materiam etiam ex qua formantur, dicit necessariò. Hoc igitur est, quod subdit, aliquos fœtus die quadragesimatertia exornari, citius videlicet; aliquos mense quarto, nempe quarto ineunte, vt tertio libro intelligendum esse monuimus, quod est tardius; pertinet enim hoc ad tertiam articulationem, vt citato libro ostēdimus. Quoniam autem ad articulationis huius tertiæ ferè pēsum & rationem quarta quoq; & postrema efficitur articulatio, quæ maturitatem fœtui affert, vt eodem libro diximus; ita vt quia citius & tardius ipsa fit, nec eundem in omnibus terminum habet, citius etiam, vel tardius articulatio vltima fieri debeat, & proinde partus; propterea cùm varios huiusmodi articulationis limites esse docuisset Hippocrates; vt varios quoq; terminos quartæ esse demonstraret, eleganter subiungit, similiter & fœtus varios habere maturitatis terminos; & alios quidem citius fieri vitales, in lucemq; prodire, scilicet septimo mense perfectè; alios verò tardius, idest nono mense perfectè: id verò euenire pro ignis, idest formatricis virtutis, opificisq; caloris ratione; quem aliquando ignē vocat quoq; Aristoteles, & pro ratione alimenti, materiæ videlicet, & menstruorum, ex quibus formatur conceptus. quo loco per nonum mensem nonum etiam intelligere cum parte decimi possumus; quem partum nouem mensium, ac decem dierum in libro de Principijs appellauit: siquidem tēpus id longius est, si de naturali loquamur & perfectiori, vt placuisse Hippocrati in superioribus libris demōstrauimus. cuius cùm hæc sit hoc loco disputatio, quid modò ex ea sequatur, quod octomestribus officiat, non video. eius nanq;, vt patet, consilium est, diuersa, & ferè extrema tempora pariendi exprimere, videlicet mensem

Cap. 1.

Cap. 4.

Cap. 4.

Cap. 4.

ſem ſeptimum tanquam terminum partus breuiorem, & nonum ſimul etiam & decimum intelligens, tanquam longiorem (nã & de talibus tanquam de extremis locutus eſt Ariſtoteles quarto de Animalium Ortu dicens, gigni hominem & ſeptimeſtrem, & decimeſtrem, & temporibus intermedijs) hæc verò diuerſa pariendi tempora ſubijcere, vt veritatem propoſitionis antea poſitæ oſtendat, ſcilicet non omnes fœtus eodem tempore exornari ; quo poſito ſequitur, non omnes fœtus eodem menſe, ac tẽpore maturitatem adipiſci. Neq; hoc loco inquit diuinus Senex, aliquos citius gigni ſeptimo menſe perfectè ; aliquos tardius nono menſe perfectè, quaſi ſenſus eſſe videatur, ante confectum, perfectumq; ſeptimum, poſt expletum perfectumq; nonum fœtum excludi, quemadmodum ſonat Interpretis conuerſio ; quoniam hoc pacto & minores ſeptimeſtres & nonomeſtres omnes repudiaret ; ſed dicit gigni aliquos ocyus, ſcilicet ſeptimo menſe perfectè; quia perfecti iam & maturi eo tempore oriantur: ſiquidem ita græcè locutus eſt. ὡσαύτως καὶ γόνιμα γίνεται, τὰ μὲν θᾶσσον ἑπτάμηνα τελείως· τὰ δὲ βραδύτερον ἐννέα μησὶ τελείως ἐς φάος ἀναδείκνυται. quod eſt verbum è verbo exprimentes. Similiter & vitales fiunt alij citius ſeptimeſtres perfectè: alij verò tardius nouem mẽſibus perfectè in lucem veniunt. Quamobrem duo illa tempora exprimit perfectam habere partionem, vt ſuperioris axiomatis veritatem magis comprobet; itaq; non ponit ea, vt alia reijciat; non exprimit ſeptimum & nonum, vt alios menſes reſpuat, & præſertim octauũ: nam & decimum totum, & vndecimi initiũ illum recipere notum eſt; ſed hoſce menſes tanquam frequentiores ponit, & communius receptos, vt ex inſigni illorum diſtãtia verum id eſſe oſtendat, quod ſupra dixerat, non omnes fœtus æquali temporis ſpatio matureſcere ; quod quidem nihil octomeſtribus officere latiſsimè patet: quos aliquando Hippocratem recepiſſe, paucis nunc ſupereſt nobis indicandum.

Loca nonnulla adducuntur, in quibus videtur Hippocrates octomeſtres partus recipere tanquam vitales. Verba quædam ex quarto Epidemiωn obſcuriſſima explicãtur, ac reſtituuntur.

Cap. 90.

EST igitur locus pro octomeſtrium vita primùm obſeruandus (vt interea quę libello de Alimento ſcripta ſunt tanquam ſuperius explicata ſilentio inuoluam) ex quarto libro Epidemicon; vbi ſcriptum legimus, Antigenis vxorem, quæ neſciebat ſe in vtero habere, octauo menſe peperiſſe ; & non ſolùm non fuiſſe periclitatam, ſed è contra ex tuſsi, & anhelatione liberatam, quam patiebatur; nempe quia, vt ego cenſeo, materia erat octomeſtris : adeò vt mẽſe illo naturaliter partus edi debuiſſet. Hippocratis verba libẽter recito, cùm ſint valde difficilia. Quæ (inquit) in Perintho morabatur anheloſa Antigenis vxor, quæ non ſciebat, an prægnans eſſet, cùm menſes comparerent rubri, venterq; aliàs, atq; aliàs paruus, aliàs magnus; obtinuit cùm velociter deambulaſſet : menſis erat octauus, ſedata eſt prius fębricitans. Verùm hîc ſi non dicit mulierem hanc peperiſſe, quid aliud quæſo dicit? ſcribit enim latuiſſe eam, an prægnans eſſet, & cauſas enarrat. comparuerunt enim menſes rubri, & venter interdum paruus, interdum magnus videbatur. Verùm longinqui tẽporis vſu perceptum eſt, prægnantibus pro maxima parte menſes non fluere, ventrem in illis varietatem hanc non præſeferre ; quamobrem meritò arbitrabatur illa mulier, ſe in vtero non habere : quod cùm nõ putaret, ſe vterum geſtare comperta eſt. quod etiam ſignificat Hippocrates, cùm dicit, mulierem hanc ignoraſſe, an prægnãs eſſet : hoc enim cùm in enarratione hiſtoriæ ponit, intelligit ſemper mulierem in vtero habere, euentu rem ita eſſe oſtendente ; vt infra non multò poſt de filia Aedilis apud Tecomæum animaduertit, ita ſcribens. Cùm obſcurum eſſet ipſi, quòd vterum geſtaret, ſecundi menſis initio erupit vomitus pituitoſus, aliquando verò bilioſus difficulter peperit : perfectè purgata eſt. Neſciebat igitur Antigenis vxor ſe eſſe prægnantem; cùm tamen & ſe prægnãtem eſſe poſtea inuenerit. At hoc non potuit fieri niſi ex partu, vel ex abortu manifeſtum ; non quidem ex abortu; quoniam hoc diligentiſsimus Senex adnotaſſet, ſicut & mox in hiſtoria Apemanti fratris vxoris fecit, ſcribens ſic. Apemanti fratris vxor ſeptimo die abortiuit fœmellam, veluti dixit ſexaginta dierum. Pręterea mulier vnà cũ fœtu interijſſet; tùm quia octauo menſe abortientes vna ferè ſemper periclitantur; tùm quia, cùm eſſet malè affecta ob morbum, paratior erat ad mortem obeundam. at ſanatam eſſe ſcribit Hippocrates octauo menſe ; igitur ex partu claruit prægnãtem

eam

eam fuisse; nempe quia octauo mense feliciter peperit. quod tamen non audet apertè dicere Hippocrates; veluti fortasse cui, vt infra dicturi sumus, cùm plures octauo genitos mori obseruaret, ex communiq; sententia videret, hos partus non putari vitales; distrahebatur in deliberando animus, asserebatq; ancipitem curam cogitandi. Hoc tamen vt ostenderet, scripsit, ἐτύγχανεν ὁδοιπορῆσαι θᾶσσον. μὴν ἦν ὄγδοος. græcam enim seriem apponere cogor, cùm Interpres veram (ni hallucinor) sententiã minimè sit assecutus: cuius vis tota in verbo illo, ἐτύγχανεν, posita est, quod Interpres cum totius sensus ruina prætermisit. Sonat enim hic ἐτύγχανεν, quod obtinuit, feliciter assecuta est; demum quod peperit, nisi potius ἔτεκεν, legendum sit: quam lectionem & res ipsa exposcit, & quæ sequũtur verba omnino docent. Nam & prægnãtis narrat historiam; vt de partu mentionẽ illum fecisse dicendum sit; & sequentibus statim verbis, quibus pariter prægnantis historiam exponit, de Apemanti vxore loquens, consimili verbo vsus est; dicens. θυγάτερα ἔτεκεν, idest peperit filiam. Itaq; Hippocraticæ orationis sententia erit, Antigenis vxorem ægrotantem anhelatione, cùm nesciret se in ventre habere, cùm velocius deambulasset, peperisse octauo mẽse, ab ægritudineq; euasisse. Rectè autẽ deambulationis frequentioris, & laboriosæ magis facit mentionem; scimus enim exercitia, & labores partum reddere faciliorẽ, quin etiam & celeriorem. At hîc qui non videt, Hippocratem partum octauo mense genitum tanquam vitalem recipere, nihil videt. Non me tamen præterit, vtrum hic liber sit inter Hippocraticos recensendus, apud doctos viros dubitari; verùm quàm turpis hæc sit fuga, aliorum sit iudicium. Est & locus alter secundo Epidemicon, qui octomestres partus vel Galeno indicante similiter recipit; dicit enim Hippocrates, iudicationes octomestribus, qui scilicet vitales nascuntur, non cùm in vtero existunt, sed postquam egresi sunt, cõtingere: quæ profectò sententia quo modo intelligenda sit, in Galeni exponenda opinione decimo libro vberrimè dicemus. Quin etiam & eodem loco infra nil aliud significasse Hippocrates mihi videtur verbis illis. Alimento quidem transmutationem recipiente; octomestri verò (periodo videlicet ac tempore, vt ego explico) perficiente. quanquam & alia est huius loci ex Galeni mẽte & lectio & interpretatio; quæ nihilominus octomestribus fauet, vt libro decimo explicabimus. recipit enim alimentum, idest materia, ex qua formatur fœtus, mutationem tùm ex impari periodo, quam vt plurimum solet adamare; tùm ex pari; quam cùm exposcit, octauus quoq; mẽsis naturaliter eam perficit, vt his verbis significat Hippocrates, ac perducit ad maturitatem. Quòd verò alimenti nomine materia, ex qua formatur fœtus, veniat audienda, & ex libello de Pueri Natura palàm est, & ex primo libro de Diæta; vbi alimentum nominat materiam, ex qua fœtus efformatur, quemadmodum paulò supra notabamus.

Sect. 1. Sect. 3.

Aduersus exposita secundi Epidemicon Hippocratis verba dubitationes nonnullæ afferuntur, & reijciuntur. Alter Hippocratis locus ex sexto Epidemicon explicatur.

Cap. 91.

SEd, dicet aliquis, hac certè auctoritate nullum nos octomestribus ius acquirere; si animaduertatur, absolutam nos nõ proposuisse sententiam, nullamq; lactis fecisse mentionem; cùm verba, quibus constat sermonem hoc loco Hippocratis de lacte institutum esse, tùm hîc, tùm in Compendio subticuerimus. neq; enim dicere Hippocratem absolutè; alimento mutationem accipiente, octomestri verò perficiente; sed primipararum lac ab alimento mutationem, octauo verò mense complementum, & absolutionem adeptum esse. In Græcis enim quamuis apud Frobenium legatur. τῶν ἐπιμηνίων περίοδος & c. certum esse tamen Interpretes omnes aliter legisse. Cornarius enim sic. Quæ ante has fiunt grauitates, similes sunt laboribus octomestribus. & puncto interposito sequitur. Primipararum lac alimento quidem transmutationem accipiente, octomestri verò perficiente. Caluus etiam. Menstruorũ circuitus præ istis grauedines octimestribus similes ferunt. Primiparatum lac cibus si mutetur, octimestre perficietur. Sic doctissimus Foesius, qui multis manuscriptis codicibus adiutus Hippocratem nobis integrum dedit, post verbum, πόνων, punctum interserit, & subdit. πρωτοτόκων γάλακτα & c. & sic transfert. Primipararum lac ab alimento mutationem, octauo verò mense complementum & absolutionem adipiscitur. Vallesius etiam eruditissimus in suis Commentarijs aliter legit quidem, at verba illa ad lac refert absolutè,

tè, non verò ad lac primipararum, vt & ex eius interpretatione colligere licet, & ex Commentarijs. quæ cùm ita sint, concludendum erit, Hippocratem hoc loco nobis tradere modum generationis lactis ex sanguinis transmutatione, quæ eo tempore absoluitur; quod nos ad fœtus perfectionem falsò referri volumus; vt hæc Hippocratis verba rectè intellecta, nil ad propositum faciant, vel certè adeò controuersa sint, vt si eo modo etiam legantur, quo nos censemus, multos possint sensus habere; & sit tandem verisimilius, ad priora verba debere referri. Respondemus, nos in veterum Græcorum sensis eruendis hanc sequi rationem; in nullius magistri verba iuramus; vulgatas lectiones, quas præ manibus habemus, libentissimè amplectimur, ac sequimur, easq; quoad eius fieri potest, literatis viris vt famam caputq; suum putamus esse defendendas; varias lectiones, & emendationes, nisi summa, euidentissimaq; cogat necessitas, omnino reijcimus, atq; tanquam sæuissimam ingeniorum pestē existimamus fugiendas. Itaq; quantacūq; sit Anutij, Vallesij, aliorumq; auctoritas; dum aliter contextum legūt Hippocratis, ac vulgata habet lectio, emendareq; illum profitentur, eam censemus posthabendam. quanquam si vllius auctoritate hic locus emendandus esset, Galeni potius auctoritate esset emendandus; qui, vt libro decimo videbimus, multò aliter quàm & isti fecerint, & impressa habeant exemplaria, Hippocratis hanc orationem legisse videtur. Si igitur eam, vt Frobeniani, Venetiq; codices, demum vt vulgata habent exemplaria, legamus; facilè quisq; iudicabit, sententiam illam. Primipararum lac. seorsum accipi posse. quasi nos ea admoneat Hippocrates, primipararum lac summa nobis diligentia esse obseruandum. quod cur dixerit, & quam habeat rationē, non est hic locus disserendi. esse enim Epidemicam orationem breues quosdā Aphorismos, ac sententias simul iunctas & collectas, vt facilè quisq; suo arbitratu valeat eam interpunctionibus seiungere, omnibus est notum. At hoc recepto sequitur necessariò sententiam alteram. Alimento quidem & c. & seorsum accipi oportere, & facilè, quam attulimus, admittere interpretationem. Sed quid, si de lacte in ea ab Hippocrate sermonem haberi cōcedamus? quod & libro decimo concedemus? neq; enim propterea vel Galeno admonente de primiparis in ea sermo est, vt Cornarius, Caluus, Anutius, Vallesius putarunt; & si ad lac ipsum eam referamus, magnum nihilominus hac Hippocratis auctoritate octomestribus ius acquiritur; quemadmodū idem ipse decimus liber abundè demonstrabit. Hæc igitur cùm ita sint; cùm octauus mensis partui afferre possit perfectionem, nil esse mirum debet, si Epidemicon sexto generaliter diuinus Senex considerans naturam humani partus, nil aliud in eo requirere videatur, vt vitalis prodeat, nisi quòd nihil accidat incommodi vtero gerentibus intra constitutum ac præfinitum à natura tempus pariendi; scripsit enim. Quibus nihil intra constitutum tēpus accidit, singulis partus vitales fiunt. vt iam, quia octauus mensis sit inter constituta tempora, ac præfinita recensendus, quemadmodum ipse apertissimè libello de Alimento testatus est, nosq; superioribus libris non semel demonstrauimus; si mulieribus intra tempus id nil mali accidat, partus eo tempore editus necessariò vitalis esse debeat. Sed hic obiecerit aliquis, nostrā hanc orationem id supponere, quod positum est in controuersia; quod nil est aliud quàm principij petitio. vertitur enim in dubium, sit ne vitalis octauus mensis; sit ne inter constituta tempora collocādus. itaq; dicet Aduersarius, minimè præfinitum, cōstitutumq; tempus esse octauum mensem, sed septimum, nonum, & decimum; quibus mensibus si nihil accidat, quod fœtum in vtero constitutum lædat, quales sunt saltationes immoderatæ, nimia voluptatum, & veneris indulgentia, insignes animi affectiones, corporis elegans nimium pressura, vestium strictura, aliaq; id genus; vitales partus edi. At enimuero obiectio certè nulla; nam εἴσω τοῦ τεταγμένου χρόνου inquit Hippocrates, idest intra tempus ordinatū. at quis nam tempus ordinauit pariendi? natura ipsa; ordo enim propria est natura sensibilium, & ordinis causa omnibus natura est, vt ex tertio de Cœlo, & ex octauo Naturalis Auscultationis alibi notauimus. Proinde suis locis ex Præceptore ostendimus, septimo Historiarum octauum mensem inter tempora esse pariendi à natura definita; ideoq; efficere partus perfectionem. Itaq; cùm, vt supra vidimus, ex auctoritate libelli de Alimento habeamus, octauo mense partus effici perfectionem; quod efficere non posset, nisi esset inter ordinata pariendi tempora à natura; concludendum erit, octauum mensem per se sumptum ex Hippocratis opinione inter con-

Sect. 8. Tex. 24. Tex. 53.

sti-

stituta tempora esse recensendum; propterea id tanquam diuini Senis ore prolatum, non esse principij petitionem, si supponatur. & cùm octomestribus per se ac natura nil intra huiusmodi constitutum tempus mali, noxijq; acciderit, hos quidem partus naturæ lege nasci vitales. Verùm hæc satis sint in præsentia ad demonstrãdũ, non semper Hippocratem octauo mẽse genitos tanquam interituros reiecisse. quòd si aliter alicui videatur, qui pugnacissimè resistens Hippocratem contendat nullum vnquam octomestrem viuere velle; non repugno. Etenim suo cuiq; iudicio vtendũ est. Ipsius nanq; verba difficillima esse, & hunc sensum libentissimè admittere, ego quoq; non diffiteor; qui nil magis aliud, quàm veritatem ingenuè fateri volo; nil aliud quàm veram Auctorũ sententiam haurire cupio. Hoc certè audacter pronunciabo, si id sentit Hippocrates, quod isti volunt, si ab ijs, quæ postea docuit Aristoteles, dissentit; si nullum octomestrem vitalem agnoscit; esse omnino deserendũ. Verùm si quis deposito sectę amore rei naturam introspiciat; si non vnum, aut alterum ipsius verbum, vel auctoritatem, sed totam Hippocraticam disputationem, eiusq; consilium animaduertat; ac præsertim quòd in Opusculo de Septimestri Partu eos, quos octauo posuit laborare, septimo exacto quadragenario, si naturalem seruent partus rationem, decimo scilicet ineunte mense, nasci voluit, quod supra fusè explicauimus; Hippocratem ipsum ob allatas in superioribus libris rationes in hanc trahi sententiam facilè posse, quin etiam & debere, fassurum eum non despero: vt verissimè dictum à nobis supra videatur, diuinum Senem in Opusculis ad id dicatis non tàm partus octomestris naturam per se, ac simpliciter proposuisse inuestigandam, & vtrum illi proprium sit, ac naturale, vt mori debeat (quod altioris negocij erat & disciplinæ, & ad Philosophum magis pertinebat) idcircòq; non tàm causam reddere voluisse, cur omnes octauo geniti intereant, vel debeant interire; quàm illius, quod non semel obseruauerat, scilicet genitos octauo mense mortuos esse, rationem voluisse inuestigare; propterea q; causam potius, cur qui octauo mori comperiuntur, intereant, quàm cur nullus queat superuiuere, docere voluisse: quæ duo maximè inter se differre nemo est qui non videat. Quod & altera illa ratio supra à nobis & in Compendio vsurpata, mihi omnino persuadet. Plutarchus enim Galenus, Clemens, vt memoratis locis diximus, libellos de Partu Septimestri, & Octomestri Polybo tribuunt; at idem Plutarchus, & Galenus tanquam vulgatum ponunt, ab omnibusq; receptum, hunc virum existimasse, octauo genitos superuiuere. quod certè, vt argumentabamur, ponere non potuissent, monimentisq; mandare; nisi & hoc alterum sciuissent vulgatum tritumq; fuisse, in his Opusculis non omnes ab eo octomestres repudiari. quod quidem cùm alicui videri possit graues perperi difficultates ex maximè parte, qua & libris superioribus ex Plutarcho, & Galeno diximus, & in pręsentia confirmamus, Polybum octomestres approbasse; operepræcium erit, in huius libri calce hanc rem, vt veritas magis eluceat, rursus ventilare; omnesq; afferre dubitationes, & expendere, quæ nobis obijci possent.

Aduersus ea, quæ de Polybi opinione dicta sunt, sex graues afferuntur dubitationes; primaq; dissoluitur.

Cap. 92.

PRimùm igitur obiecerit fortasse aliquis, Polybum illum, quem Plutarchus scribit, octomestres existimasse vitales, Hippocratis discipulum esse non posse; vel certè Plutarchi locum esse corruptum, ac vocem eam, Πόλυβος, omnino esse delendam. ac ratio est, quia Polybus dogmaticus fuit, ac rationalis, quemadmodum & Hippocrates ipsius præceptor, nequaquam empyricus. at Plutarchus huiusmodi Polybum empyricum esse testatur; scribit enim » Πόλυβος, Διοκλῆς οἱ ἐμπειρικοὶ, » quod est. Polybus, Diocles Empirici. Secundò, Plutarchus sequentibus verbis videtur ponere, Polybum octomestres partus existimasse non vitales; in quibus etiã docet, Polybum partum die 182. genitum vitalem nasci censuisse; & in quibus, nulla est dubitatio, de Polybo Hippocratis discipulo ipsum verba facere; cùm sententia illa habeatur initio Opusculi de Partu Septimestri; quem libellũ à præceptore Hippocrate acceptum Polybus dicitur diuulgasse. quare & priori loco de Polybo Hippocratis discipulo asserere Plutarchus non potuit, octomestres partus ipsum putasse vitales. Tertiò, Plutarchus primo loco dicit, Polybum, ac Dioclem in ἀτονίαν octaui mensis & fœtus octomestris causam mor-

mortis huius partus retulisse; at secundo loco, Polybi Hippocratis discipuli explicans opinionem, in vmbilici læsionem causam mortis octomestrium referre eum scribit. quod cùm valde diuersum à priori videatur, perspicuè docet, primo loco vel alterum nomen librariorum vitio Polybi vice irrepsisse; vel alium Polybum Plutarchum intellexisse ab Hippocratis discipulo diuersum. Quartò, Galenus in Philosophi Historia, vbi eadem, ijsdemq; ferè verbis narrat, ac Plutarchus; de Polybo sermonem habens, eandemq; de septimestribus narrans ipsius sententiam; octauo genitos pariter ex eius mente videtur facere non vitales. Quintò, Galenus eodem loco, vbi Dioclis octomestres approbantis explicat opinionem, cum Diocle non Polybum, sed alios coniungit empiricos; quod argumēto est, vel Plutarchi locum corruptum esse, vbi Polybum cum Diocle coniunxit; vel alium Polybum Plutarchum intellexisse. Sextò, Galenus Commentario primo in librum de Natura Humana testatur, Polybum in suis libris à nullo vnquam Hippocratis dogmate deuiasse; quare neq; potuit esse empiricus, neq; octomestres partus putare vitales: ita enim plurimum ab ipsius Præceptore discrepasset. Hæc igitur sunt, quæ Aduersarij fortasse opponere possent, tanquam ea, quæ non parum conturbant expositam iam à nobis veritatem; videlicet Polybum Hippocratis discipulū octomestres vitales agnouisse; proinde explicationem nostram, quòd in Opusculis de Septimestri, & Octomestri Partu non omnes octauo geniti ab Hippocrate, seu Polybo reijciantur, hinc valde probabilē reddi. quare omnis conatus noster in harum obiectionum solutione adhibendus est. Dicimus igitur ad primam, nullam esse non solùm necessitatem, sed neq; etiam probabilitatem, vt credamus, & Plutarchi locum esse corruptum, quod spectat ad Polybi nomen; & ipsius Polybi nomine alium vllum ipsum intellexisse, quàm qui Hippocratem habuit præceptorem, idq; totum vel ex eo latissimè patet, quòd Dioclem quoq; Plutarchus inter empiricos recenset, Carystium Dioclem intelligens sine vlla dubitatione. cùm, vt in Disceptatione quoq; vidimus, grauissimo viro Censorino teste libello de Die Natali, Diocles Carystius octauo genitos existimauerit esse vitales; quod & hìc rursus nō piget demonstrare. Censorinus enim tempora ad pariendum apta ex Veterum mente aperiens, cùm hæc præfatus esset. Hippon Metapontinus à septimo ad decimum mensem nasci posse existimauit. quibus Hipponem octauum quoq; partui existimasse naturalem posuit; post nonnulla ita subdit. Huic opinioni in parte aliqui repugnant, alij in parte consentiunt. quibus positis, statim his verbis consensionem narrat, & dissensionem; simul & consentientium, dissentientiumq; nomina exprimens. Nam septimo (inquit) mense parere mulierem posse plurimi affirmant; vt Theano Pythagoricus, Aristoteles Peripateticus, Diocles, Euenus, Straton, Empedocles, Epigenes, multiq; prætera; quorum omnium consensus Euriphonem Gnidum non deterret, id ipsum intrepidè pernegantem. contrarium fermè omnes Epicarmum secuti, octauo mense nasci negauerunt. Diocles tamen Carystius, & Aristoteles Stagirites aliter sentiunt. Hæc ille; quibus Hipponi in parte consentire docet, quod ad septimum spectat, Theano, Aristotelem, & alios; illi verò repugnare in parte Euryphonem, qui septimo nasci partum negauit, octauo concessit. cui Epycarmum cum alijs ferè omnibus aduersari adiungit, qui octauo mense nasci negauerunt vno excepto Aristotele, & Diocle Carystio, qui aliter sentiunt, nimirum quia cum Hippone, & Gnido Euriphone octauo nasci existimarunt. At certè hic Diocles non solùm non fuit empiricus, sed, si Galeno credimus libello, cui titulus est Introductio, seu Medicus, rationalis sectæ post Hippocratem fuit princeps. Galeni enim hæc sunt verba. Rationalis sectæ & auctor, & princeps Hippocrates Cous fuit, post hunc Diocles Carystius. quem etiam libro primo de Diebus Decretorijs cum ipso rursus Hippocrate ferè videtur adæquasse, ita scribens. Cùm autem optimos medicos simul & homines (ambo enim sunt Diocles, & Hippocrates) item alios &c. vt hinc facilè quisq; videat, magnum pondus accedere ad nostram sententiam confirmandam, Dioclem virum tantum octauo genitos vitales, ac naturales esse partus existimasse. quare si vlla in parte corruptus locus Plutarchi censendus esset, certè potius in hac voce, Ἐμπειρικοὶ, irrepsisse mendum, dicendum videretur. Sed cùm non sine graui causa empiricos hoc loco à Plutarcho dictos Polybum, & Dioclem mecum ipse considero, in eam cogor abire opinionem, vt nullo modo existimem hūc lo-

Cap. 4.

Cap. 3.

locum esse mendosum. Cùm enim, vt ex eodem Galeni loco colligimus, empirici & rationales ante Phylinum Coum ijdem essent; qui primus empiricam sectam à rationali separauit; proindeq; consentaneũ videatur, & empiricos indistinctè, & rationales appellatos fuisse ante id tempus ab Auctoribus; nil mirum videri debet, si Polybum, ac Dioclem, tametsi rationales; Plutarchus empiricos vocare potuit. quod eò magis probabile est, quia nullum alium Polybum inter Medicos, quàm Hippocratis discipulum, nullum alium Dioclem, quàm Carystium (quòd meminerim) qui empirici extiterint, videmus ab Auctoribus recenseri. Galeni autem hæc est oratio. Empiricæ præfuit Philinus Cous, qui primus eam à rationali separauit; occasione ab Herophilo suo præceptore accepta. Cùm autem suam hæresim vetustiorem, prioremq; esse vellent; Acronem Agrigentinum, quò rationali esset vetustior, ei dedisse initium dixerunt. Accedit quòd rectissimè Plutarchus empiricos hac in re eos appellauit; vt potè quos viderit more empiricorum, non tàm ratione, quàm experientia octauo genitos vitales demonstrasse. nam cur non viuant rationem posuerunt, scilicet octaui mensis imbecillitatem, ac vmbilici læsionem; cur viuant, experientiam tantùm, nullam rationem. quasi eam prudenti lectoris iudicio reliquerint colligendam. dixerunt enim, vt narrat Plutarchus, γεγεννῆσθαι πολλοὺς ὀκταμηνιαίους ἄνδρας, quod est, plures ex octauo genitis in viros euasisse. quod certè totum sola niti experientia, nemo est qui non videat. neq; enim semel docuit Galenus libello de Sectis, empiricos esse dictos, quia experientiam sequerentur, rationem non curarent.

Secunda soluitur dubitatio. Plutarchi verba quædam obscura enodantur. Obiter an fœtus in vtero ore nutriatur.
Cap. 93.

AD secundam facilis responsio est; cùm tantum absit, vt posteriori loco Plutarchus Polybi sententiam enarrans, eum dicat octauo genitos putare non vitales; vt è contra cum superioribus consentiens videatur non leuibus inditijs significare, vitales hos partus hunc Auctorem omnino existimasse. siquidem cùm dixisset, die 182. partum vitalem gigni Polybum voluisse, ita subiungit. Τὰ δὲ ὀκταμηνιαῖα μὴ ζῆν, ὅταν προκύψῃ μὲν τῆς μήτρας τὸ βρέφος, ἐπὶ πλεῖον δὲ ὁ ὀμφαλὸς βασανισθῇ· ἄτροφος γὰρ γίνεται, ὡς τοῦ τρέφοντος αἴτιος: quæ verba, si quis cum superioribus ea conferat, statim videbit eandem planè sentẽtiam explicare, quam Plutarchus Hippocrati, & Aristoteli tribuit, & quam libro tertio iam nos abundè exposuimus; propterea; nihil, quod verè octomestribus officiat, cõtinere; vel sit illi cõtrariũ, quod supra Plutarchus de Polybo octauo genitis vitam concedente narrauit. vt hac fortasse ratione vir grauissimus Budeus, cùm hunc Plutarchi librum conuerteret; videns hæc verba idem quod & superiora continere; illa putauerit tanquam ociosa relinquenda: ea certè in re lapsus, quòd non videtur animaduertisse, Polybi, alterius scilicet Auctoris, non Hippocratis, & Aristotelis sententiam explicari. nam & illa tantùm, quæ ad septimestres pertinent, interpretatus est; vt quisq; suam legens conuersionem facilè videbit. Habent autem græca verba, si latina ea faciamus, hanc sententiam, vt vel mediocriter græcis literis eruditus confitebitur. Octomestres verò non viuere (scilicet Polybus dixit) quando fœtus ex matrice se se inclinans descenderit; plurimum autem læsus vmbilicus fuerit. tunc enim oritur non vitalis; eò quòd causa nutritionis læditur. verbum enim προκύψῃ eo significatu hîc accipiendum esse, vt descensum fœtus ex loco vteri superiore dicat ad inferiorem, non quidem exclusionem ex vtero, fusius libro tertio demonstrauimus. Item verba illa, ἄτροφος γὰρ γίνεται, ad fœtum, scilicet ad τὸ βρέφος, esse referenda, Galeni locus alter huic respondens satis docet; vbi sic clarius hanc sentẽtiam legimus explicatã. Ἄτροφον γὰρ γίνεται τὸ ἔμβρυον. quod est, non vitalis oritur fœtus. ἄτροφον enim placuit hîc non vitalem interpretari, quẽadmodum & libro tertio Plutarchi verba exponentes, Hippocratis & Aristotelis sententiam explicantia; cùm significet, fetum nasci non nutriendum, ideoq; cito moriturum. Tandem verba illa, ὡς τοῦ τρέφοντος αἴτιος, tanquam manca, & concisè, breuiterq; prolata, vt Græcis plerunq; mos est, sic esse supplenda, vt nos fecimus, nemo sanæ mentis vocabit in dubium. Neq; hîc obijciat aliquis, fœtum in vtero nõ solùm per vmbilicum, sed ore etiam nutriri; vt si lædatur vmbilicus, non propterea parcior in ipso necessariò fieri debeat nutritio, vllaq; hinc noxa oriri; proindeq; nullius momẽti Polybi ratio esse videatur;

quod Hippocrates libello de Principijs his
» verbis asserere visus est. Cæterum puer
» in vtero comprimens labra sugit, & tùm a-
» limentum, tùm spiritum cordi intro tra-
» hit, vbi sanè mater respirarit. & in Opu-
sculo de Pueri Natura alteris illis inter-
» prete Gorræo. Quum autem peruenit in
» vterum, iam speciem lactis induit, eoq; exi-
» guo puerulus fruitur. quam sententiam
alibi à nobis explicatam Gorræus in An-
Annot. 44. notationibus visus est recipere, dicens, lac
in mammis genitum in vterum relabi, atq;
vt scribit Hippocrates, in fœtus cedere a-
limentum; perspicuè autem recepit Fer-
Com. 5. dinandus in Commẽtarijs super libello de
» Partu Septimestri, ita scribens. Non du-
» bium igitur, quin in vtero consistens puer,
» & sugat ore vicinas humiditates, ex qui-
» bus quanquam paucis temporis progressu
» stercus aceruat, μηκώνιον Aristoteli dic-
» tum: & tùm per pulsificam motionem,
» tùm etiam per thoracem factam dilatatio-
» nem, trahatur aer per proprium os, tem-
» peraturus cordis excessum, quemadmodũ
» in natu maioribus fieri persuasum est. ne-
» q; video quibus argumentis tueri contra-
» riam opinionem valeant alterius sectæ pa-
» troni: ac qua demum versutie spirationis
» munus impeditum esse toto tẽpore gesta-
» tionis propugnent. Respondemus enim,
communem esse sentẽtiam & ratione ipsa,
& Aristotelis auctoritate confirmatã, præ-
Ca. 4. et 5. sertim libro secundo de Ortu Animalium,
cui & Galenus assentitur; non ore, sed
vmbilico infantem, dum in vtero perma-
net, nutriri perpetuò. quod Andreas Lau-
rentius vir eruditissimus Oper. Anatomic.
Quæst. 33. libro secundo nuper confirmauit. quo e-
tiam loco reprehendit eos Philosophus,
qui dicebant, fœtus ali in vtero sugentes
carunculam. quod tamen aduersus sen-
tentiam libri de Principijs non videtur
pronunciatum; cùm in ea de caruncula i-
sta nulla habeatur mentio. Quanquam de
respiratione illud afferre posset dubitatio-
Quæst. 34. nem (qua de re idem Laurentius loco me-
morato eleganter) quòd Aristoteles ad-
ducto loco non negat respirare infan-
tem in vtero, sed respirare antequam
» pulmo articuletur; scribit enim. Alia,
» quanquam spirant, & in vtero capiunt
» explanationem, tamen non prius spirare
» incipiunt, quàm pulmo perficiatur.
» Articulatur & hic, & omnes priores par-
» tes antequam animal spiret. Sed viden-
dum tamen, an propterea concedat Aristo-
teles, ore fœtum in vtero spirare, qua de
re aliàs dabitur occasio disserendi. itaq;
ad nostra redeamus.

Adhuc Plutarchi verba explicantur. Ostenditur quæ ipse scripsit, maximè cum ijs consentire, quæ in Opusculo de Septimestri Partu ab Hippocrate traduntur. Plutarchi locus quidã emẽdatur. tertia tollitur dubitatio.

Cap. 94.

SIc igitur accepta Plutarchi verba, quid amabò continent, quod ostendat, Polybum, vt communis sententia est, omnino octomestres reiecisse? inquit enim ipse, non quidem absolutè ac simpliciter cũctos octomestres mori, sed sub conditione loquens, vt Hippocratem, Aristotelemq; fecisse ex eodem Plutarcho libro tertio notabamus; tunc mori, cùm & descendere fœtum, & grauius in hoc descensu contigerit ipsius lædi vmbilicum. inquit enim manifestè, ὅταν, & mox ἐπὶ πλεῖον. vt, quia contrariorum contrariæ causæ sunt, si in descensu non lædi, aut certè non ita grauiter lædi contingat vmbilicum; iam tunc de Polybi mente oriantur omnino vitales. quod & voluisse Hippocratem, & Aristotelem de Plutarchi sententia libro tertio animaduertimus. nimirùm quia, vt eo loco ostendimus, octomestres per se sint, qui octauo mense in descensu læsionẽ hanc vmbilici non sentiant, & ex læsione parciorem nutritionem. vt rectissimè à nobis dictũ ibi videatur, hæc omnia, quòd scilicet lædatur in descẽsu vmbilicus, quòd in vtero hac de causa parcius fętus nutriatur, proindeq; exeat tunc immaturus, & imbecillis, ideoq; non vitalis, octomestribus per accidens omnino competere; videlicet ijs, qui septimo quadragenario, nono scilicet, ac decimo mense maturi naturæ lege oriri debent, & vitales oriri, vt libello de Septimestri Partu expositũ videmus. cum qua quidem tota illius Opusculi tractatione hæc omnia, quæ Plutarchus Hippocrati, Polybo, Aristoteli tribuit, mirificè consentire, nemo est, qui non videat; vt palàm sit, ex eo libello cũcta esse excerpta: quod & sententiæ nostræ veritatem, ibi non omnes repudiari octomestres asserentis, maximè comprobat. Nam Hippocrates, Polybus, Aristoteles, vt refert Plutarchus, vmbilici læsionem causam infelicitatis, ac mortis octomestrium potissimum agnoscunt; habet enim Plutarchi

" oratio. ἀσθενοῦντος τοῦ ὀμφαλοῦ. & mox.
" ὁ ὀμφαλὸς βασανισθῇ, quod eſt, vmbilicum lędi, & affligi. At ſuperius docuimus, inter cauſas ægrotationis octomeſtrium libello de Septimeſtri Partu expoſitas, conuulſionem, læſionemq; vmbilici recenſeri; ſiquidem ſic eo Opuſculo ſcriptum legimus.
" καὶ ὁ ὀμφαλὸς σπασθεὶς ὀδύνας ποιέει τῇ μητρί. ideſt,
" & vmbilicus conuulſus dolores matri ef-
" ficit. quod planè eſſe idem palàm eſt; cùm hanc vmbilici conuulſionem videatur rectiſsimè Polybus & læſionem, afflictionemq;, & inde ortum nutritionis impedimētum interpretari. quod in alijs ſuis ſcriptis conſentaneum eſt ipſum feciſſe; in quibus, ſi diuinare licet, ſuam, & Hippocratis præceptoris clarius de octomeſtribus ſententiam explicans, non omnes eſſe reijciendos fortaſſe demonſtrauit; nec omnes in Opuſculis de Septimeſtri, & Octomeſtri Partu, ſi quis accuratè animum intendat, eſſe reiectos, vt meritò Plutarchus, alijq; grauiſsimi viri monumentis mandauerint, Hippocratem & Polybum octauo genitos vitales exiſtimare. Item vmbilici læſionē hanc fieri notat Plutarchus, quia fœtus ſe ſe inclinet ex ſuperiori vteri parte in inferiorem, ac deſcendat; ob idq; ad geſtandū læſo vmbilico reddatur laborioſior. nam
" & hoc verba illa ſonant, quæ ſic lego. διὰ τὸ
" ἐπίπονον αὐτὸ γεγενῆσθαι τὸ κύημα. & quæ libro tertio in hunc locū reieci enodanda. quod
" eſt. Eò quòd ipſe fœtus in geſtatione fa-
" ctus ſit laborioſior; lego enim τὸ κύημα, non τὸ κρῖμα, vt perperam habet Henrici Stephani græca editio. Atqui ex eodem Opuſculo ſupra aperuimus, item & libro tertio ex Ariſtotele; ob hanc fœtus deſcēſionem, & tranſmigrationem in extimam membranam, vmbiliciq; tractionem & cōuulſionem fœtum ad geſtandum reddi grauiorem. Poſtremò hæc omnia Plutarchus explicat illis fœtibus contingere, qui, vt maturi ac vitales naſcantur, ad exactum vſq; nonum menſem debent in matrice cōmorari. quod libello de Septimeſtri Partu poſitum eſſe, ſuperior quoq; docuit diſputatio; cùm & illi ipſi partus, quibus & conuelli trahiq; vmbilicum, & reliqua euenire ibi dicuntur; ſeptimo naſci ponantur quadragenario. vt perſpicuum ſit, Plutarchi locum cum ijs, quæ memorato Opuſculo traduntur, omni ex parte conſentire; meritòq; propterea à nobis dictum eſſe libro tertio, non pauca in eius oratione ſemina contineri totius huiuſce diſputationis; idq; octauum hunc librum eſſe oſtenſurum. Quod autem tertio loco obijciebatur, Plutarchi narrationem (quod
" ad Polybi ſentētiam explicandam attinet)
" variam eſſe; hoc quàm nihil ſit, iam tertius
" liber pleniſsimè docuit. quo loco verbis
" illis, in quibus de imbecillitate octaui mē-
" ſis, & fœtus octomeſtris Plutarchus agit;
" de per ſe octomeſtribus ſermonem haberi
" demonſtrauimus: vbi verò agit de vmbili-
" ci læſione, de octomeſtribus per accidens. quare nulla eſt in Plutarchi oratione varietas, nulla inconſtantia; proindeq; hinc petita ratio contra noſtram ſententiam omnino nulla.

Aduer. 14.

Quædam aduerſus ſuperiora adducitur obiectio, & labefactatur. Reliquæ tres ſoluuntur dubitationes; quarta, quinta, & ſexta.
Cap. 95.

Cons. 5.

SEd aduerſus hæc, quæ ex Plutarcho hoc
" loco de cauſa infelicitatis octomeſtri-
" um per accidens adducimus, ſuperiuſq; ex
" libello de Septimeſtri Partu attulimus; di-
" centes vmbilici læſionem, pellicularum di-
" ruptionem & c. ægrotationis illorum, pro-
" indeq; mortis cauſam eſſe, non leuis oritur
" difficultas. cùm enim hi per accidens oc-
" tomeſtres, ſi octauo naſcantur, veniant in lucem immaturi; vt ſupra & Plutarchi teſtimonio, & libelli de Septimeſtri Partu auctoritate oſtendimus: ad quid vel hanc vmbilici læſionem, parcioremq; nutritionem, vel ægritudinem hinc ortam, aliudq; aliquid tanquam mortis, infelicitatiſq; illorum cauſam comminiſci? ipſa nanq; immaturitas ſufficiens cauſa omnis eorum infelicitatis eſſe videtur; cùm quotquot partus immaturi oriuntur, etiam ſi nullam experiantur ægritudinem, cuncti oriantur non vitales, vt libro tertio expoſitum fuit; quare fruſtra hæc omnia adiecta videntur, cùm hi fœtus ſi octauo naſcantur etiam nō ægroti; neceſſariò tanquam immaturi debeant interire. Reſpondeo (quod & alibi admonui) verè hæc potius concauſas eſſe mortis octomeſtrium, quàm cauſas ſimpliciter: Hippocratem tamen, Polybumq; tùm apud Plutarchum & Galenum, tùm in Opuſculo de Partu Septimeſtri, eas tanquam ſimpliciter cauſas relicta immaturitate retuliſſe; quia vt Medici, ac ſenſati Artifices cauſas, quæ ſenſui paterent, Artiſq; eorum magis propriæ viderentur, tantæ rei ſibi putarunt eſſe tradendas, ea prætermiſſa, quæ ad Philoſophiæ ſcholam perti-

Ca. 4. & 5.

Quæſt. 33.

Quæſt. 34.

nebat. cùm enim experti essent, cunctos, qui octauo nascentes vidissent intermori, valde esse extenuatos; quod in illis, qui septimo oriebantur, vel nono senescēte, ac decimo nō videbant locum habere (nam & hac via ægrotationem octomestriū, causamq; mortis illorum diuinum Senem inuenisse, iam supra notauimus) ex quò & sic libello de Partu Septimestri scriptum legimus. Neq; enim crassitudinē habent, quam perfectissimi habent; & labores in vtero non diu antea tolerauerunt, vt tenues euaserint. & paulò post. Declarant autem de morbis & afflictionibus octomestrium etiam nonimestres tenues nascētes. Iuxta multitudinem enim temporis etiam magnitudo corporis contingit ex morborum afflictione progressis: & non velut septimestres carnosi gignuntur, & crassitudinē probè coaltam habentes; vt qui tēpus, quo in vtero gestabantur, sine morbis transegerunt. hāc ipsam tenuitatē tenuitatisq; causam ęgrotationem; demumq; vmbilici læsionem, inflammationem, ac reliqua tanquam causas ægrotationis; rectissimè pro causa mortis octomestrium ob oculos nobis posuerunt; iureq; omnis eorum in his explicandis versata oratio est. Ad quartam eadem ferè locum responsio habet; cùm enim totus ille liber siue Galeni, siue alterius fuerit, luxatus, mendosusq; sit; si verba sententiam Polybi de octomestribus explicantia Plutarchi auctoritate restituamus, ac pro οἷον προκύψαν, legamus ὅταν προκύψῃ. item & mox pro ἐπὶ πλέον τε, ἐπὶ πλεῖον δὲ, vt rectissimè scribitur apud Plutarchum; quod & faciendū esse verba Auctoris superiora docent, quibus Hippocratis & Aristotelis de octomestribus sententia explicatur; & quibus, ἐὰν δὲ προκύψῃ μὲν, videlicet conditionaliter sermonem haberi, vt tertio libro abūdè fuit demonstratum, pariter videmus; eandem recipient interpretationem: ideoq; nil, quod nostræ aduersetur opinioni, continebunt. mendosissimum autem græcum esse exemplar vel illud probat euidenter, quod Aldinus Codex pro ὁ πόλυβος habet τὸ λύκιος, Basiliensis ὁ λύκιος. quāquam in margine legi in alio contextu πόλυβος adnotauerit. Quintam ex eo tollimus, quòd palàm fit, Galenum Dioclē quidem nominare, eumq; facere vitales octomestres affirmare; sed neq; vllam empiricorum habere mentionem, neq; quòd Diocles empiricus extiterit; quem verò illi adiungit Epicurum, neq; Galenum in Introductione, neq; alium quemquam inter empiricos recensere. habet enim græcum exemplar tùm Aldinum, tùm Basiliense. Διοκλῆς δὲ καὶ Επίκουρος & c. idest. Diocles autem & Epicurus. quare non Galeni hoc loco assertio, sed Interpretis inuentum fuit, quòd empyrici recenseantur, qui pro Επίκουρος videtur Ἐμπειρικοὶ, emendasse: atq; Galeni orationem sic trāstulit. Diocles, & Empirici. Postremò dicimus ad sextam, si vllam vim huiusmodi ratio habeat, modis omnino omnibus nobis fauere. nam verum quidem est, Galenum eo loco affirmare, Polybum nullum Hippocratis dogma mutasse; sed notandū, adijcere, Polybum ipsum Iuniorum etiam recepisse disciplinas; quibus nos Galenus docet; alia etiam Polybum vel scripsisse, vel docuisse præter ea, quæ ab Hippocrate didicit; adeò vt Hippocratis dogmatibus alia non pauca adiecerit, quæ tamen non essent illis contraria. At sic ego argumentor; Polybus à nullo Hippocratis dogmate vnquam deuiauit; Polybus Plutarcho perspicuè teste, à quo & Galenus non dissentit, octomestres superuiuere posuit; igitur hoc ponens à nullo Hippocratis dogmate deuiauit; igitur, quòd octomestres viuant, vel Hippocratis dogma, vel certè Hippocratis dogmatibus non cōtrarium. siue enim Plutarchus, atq; Veteres ex alijs Polybi scriptis hoc collegerint; in quibus & Hippocratis mentem, & suam in Opusculis de Partu Septimestri, & Octomestri clarius explicans, docuerit, non omnes omnino octomestres in illis reijci; posseq; aliquos esse vitales: siue quòd tota illorum Opusculorum disputatione perlecta, id facilè colligi arbitrati sint: siue demum quòd ab alio aliquo fide digno auctore id acceperint; de qua re non est nostrum in præsentia diuinare: illud certum, exploratumq; nobis esse debet, Polybum vel ipso Veterum testimonio non omnes octomestres reiecisse; proindeq; summa probabilitate à nobis dictum esse, in his Opusculis non quidem omnes omnino repudiari octomestres (quod tam crebro tanquam summam totius nostræ disputationis inculcauimus) non vniuersale hoc inuestigari, decerniq;, an octauo geniti sint vitales sua natura, an eorū nullus queat superuiuere; sed nonomestres solùm, ac decimestres, qui octauo abortione in lucem veniunt, cōsiderari; causasq; tātùm propterea afferri, cur, qui desiderātur geniti hoc mēse, intereant; aliud præterea nihil.

Adhuc nonnullæ aduersus superiora adducuntur difficultates, & tolluntur.

Cap. 96.

SEd & aduersus hanc nostram Hippocraticæ sententiæ explicationem sic fortasse rursus obijcere aliquis posset; dicens, tametsi hæc omnia à nobis disputata sint, nihilominus, si accuratè quis animũ intendat, difficillimum esse ex ipso Hippocrate probare, octauo genitos esse vitales, idq; ob tres potissimum hasce rationes. Primò, quòd nusquam obseruauerit hos partus superuiuere; vel se obseruasse testificetur. Secundò, quòd si ex eo id quispiã colligi posse censeat, quia mulieribus non omnino fidem, in ijs potissimum, quæ ad partum pertinent, esse derogandam, aliquando docuerit; ex mulieribus autem aliquæ sunt, quæ octomestres in lucem se edidisse fatentur, & tamen superuixisse: ex aduerso is eundem audiat libro de Natura Pueri asserentem sæpenumero in principio grauiditatis mulieres esse deceptas; quod septimo de Historia Animalium Aristoteles met confirmauit de eo ipso octomestri loquens. Tertiò ac postremò, quòd si ipsius sententias, quibus aut octomestri vita defenditur, aut à vitalibus eximitur, perpendamus; videamus eas, quibus vitalem esse defendimus, aut omnino alium sensum habere, aut certè adeò obscuras esse, vt plures sensus habere possint. At vbi Hippocratem adducimus contrà sentientem, ita manifestè vitalem negare videatur esse octomestrem, vt nullus omnino subsit subterfugiendi locus; ita apertè, & luculenter, vt nullus contradicendi concedatur. vt magna certè res videatur, adeò clarè tot in locis dixisse Hippocratem, octomestrem non viuere, nunquam autem asseruisse vitalem esse, nisi verbis obscurissimis, & ijs quidem, quæ in alium sensũ duci possunt, & ad aliud explicandum, quàm ad octomestrem vitalem, aut non vitalem ostendendum. Quòd, si, cùm octauo genitos mori dicit, ipsum de octomestribus ex accidenti tantùm loqui dicamus; non de natura octomestri, vt nostra ponit explicatio; certè reprehendi quasi Hippocrates iure meritò possit, qui, si octomestrem natura cognouit, quæ de octomestri ex accidenti senserit, adeò apertis verbis explicauerit; de eo autem, qui secundum naturam octauo mense editur, ne verbũ quidẽ fecerit, aut adeò abstrusè, vt, aut nullus sensus inde colligi, aut saltem in alium sensum transferri commodè possit. vt iam si Aduersarius aliquis & octomestrem è vitalibus eximens Hippocratis nobis obijciat auctoritatem; difficillimum sit, aut fortasse impossibile, nostram hanc disputationem ab hoc telo protegere. Sed & tametsi quis hæc nobis obijciat, eius tamen veritatis, quam explicauimus, facilis est & prompta defensio. nam quòd nusquam ipse octauo genitos vitales obseruauerit, nihil mirum, nihil officit; satis est peritissimos alios homines ante illum, & postea id obseruasse. quanquam si, quæ scripsit de vxoris Antigenis partu, animaduertamus; obseruasse forsitan aliquãdo ipsum hos partus comperiemus. Quod verò ad mulieres pertinet; illud diligenter considerandum, duas hac de re nos legere apud Hippocratẽ propositiones, quæ prima facie sibi videntur esse contrariæ; alteram esse, mulieribus fidem in ijs, quæ ad partum spectant, non esse derogandam; alteram esse, mulieres sæpè in principio grauidationis constituendo decipi solere. si enim frequenter decipiuntur, quo pacto fides vlla eis habenda est? & si fides habenda illis, quo pacto dicere audebimus, eas decipi? Sed certè ambæ propositiones in Hippocratis schola veræ sunt; nec vllo modo inter se contrariæ, si diuini Senis mentem rectè consideremus: qua de re nũc consilium non est disputationem instituere. Hoc tantùm ex ambabus liceat nobis in præsentia colligere, si Aduersarius aliquis, & octomestrem è vitalibus eximens hoc fundamento nitatur; videlicet, quia mulieres sæpè falluntur, ideo illis non esse credendum, quæ vitales affirmant nasci partus octomestres; statim prestò esse posse, qui dicat, eandem ob causam neq; alteris fidem esse adhibendam, quæ asserunt hosce eosdem partus nasci non vitales: nimirum quia in principio grauidationis decipi potuerint, & quem octauo editum putant, & postea mortuum; verè septimo, vel nono esse genitum: nam hoc est, quod in Disceptatione diximus, nimis duras leges octomestriũ defensoribus eos imponere, qui volunt, illis mulieribus esse credendum, quæ hos partus non viuere dicunt; alijs verò non, quæ contrarium cõstanter affirmant. cùm enim Hippocrates generaliter mulieres circa conceptionem decipi asserat, non speciatim id de illis, quæ octomestribus fauent, pronunciet; cur nos mulieres tãtùm illas deceptas esse volumus, quæ octauo genitos se peperisse

Cap. 4.

vi-

vitales asserunt? illas verò non esse deceptas, quæ eodem hoc mense se genuisse affirmant non vitales? An potius, quoniam experientiæ non est fides deneganda, asserendum est, vtranq; mulierum sectam verũ dicere? scilicet tùm eas, quæ octauo genitos affirmant periclitari, quia multi eorum pereant; tùm eas, quæ asserunt, hos partus superuiuere, quia non pauci vitales oriantur. Postremò quòd Hippocrates suis verbis superficie tenus inspectis apertè faueat illis, qui octauo genitos omnes non vitales partus arbitrantur; nos perspicuè, quibus nil iucundius quàm ingenuè philosophari, supra fassi sumus. Item quòd auctoritates, quas pro octomestribus ex eo adduximus, in alium sensum trahi facilè patiantur, non obscurè in Disceptatione indicauimus, vna tamen excepta libelli de Alimento, qua nescio an clariorẽ possit aliquis adducere pro vita octomestrium. Verùm quia (nisi valde me fallo) graues coniecturæ, probabiles rationes (quarum semina quædam sparsimus in Disceptatione, diligenter verò superioribus libris eas explicauimus) nos suadent, vt credamus, non omnes omnino octomestres Hippocratem reiecisse: hinc in eam toties à nobis explicatam iuimus sententiam, diuini huius Auctoris esse consilium, non tàm probare velle, nullum octauo genitũ posse superuiuere, quàm eorum, qui hoc ipso mense mori obseruantur, ipseq. obseruauerat, causam explicare. quod eò magis mihi persuadeo, cùm animaduerto, statim ac ratione duce partum generaliter ac per se, maturitatis scilicet ratione, Hippocrates considerauit, quod fecit in auctoritate libelli de Alimento; statim etiam octauo genitos vitales pronunciasse. quod tamen, quia sensuum fide non vidit comprobatum; cùm aut nullum fortasse octauo genitum, aut rarissimos obseruauerit ipse superuixisse; non est ausus alijs in locis clarius affirmare; sed potius se totum dedit, vt mortis eorum, quos periclitari obseruauerat, causam afferret. quod si recipiamus, putauimus non esse difficile, auctoritatum, quæ aduersantur, scopulos declinare; earum autem, quæ fauere videntur, sententiam, ac sententiæ veritatem longè plenius, certiusq; attingere.

Cur de octomestrium morte apertius scripserit Hippocrates, de eorundẽ vita timidius & obscurius. Cur de octomestri per se non egerit.

Cap. 97.

HInc nec mirum, nec absurdum, quòd Hippocrates, dum loquitur de morte octomestrium, loquatur apertius; vbi vitales eos facere videtur, longè obscurius: varietatis nanq; huius non est fortasse omnino difficile causam afferre. cùm enim insitam, receptamq; esse videret in animis multorum, plurimarumq; pręsertim mulierum opinionem, octauo nascentes non superuiuere; ipseq; expertus esset, aut omnes fœtus, aut partem sine dubio multò maximam, quos hoc ipso mense nasci obseruauit, vel mortuos in lucem venisse, vel paulò post morte esse deletos; proindeq; totum se dedisset, vt mortis causam eorum, qui hoc ipso mense mori comperiũtur, inueniret, inuentamq; nobis explicaret; nil mirum, si de talibus sermonem habens, & quod nostra sententia redit in idem, de octomestribus ex accidenti; apertam de illorum morte sententiam profert; si de octomestrium aliorum vita loquens, quia scilicet hac de re non ita illi cõstaret, timidius loquitur, & obscurius; quod in partu Antigeni vxoris enarrãdo factum ab eo fuisse, supra adnotauimus. Et magna certè res esset, admirationeq; dignissima, Hippocratem, si de partu humano per se, & absolutè disputationem instituisset; si omnes partus, scilicet septimestrem, octomestrem, nonomestrem, decimestrem, vndecimestrem, ipsorumq; naturas per se sibi ob oculos contemplandas proposuisset; de octomestri etiam natura nõ considerasse; & cùm tot locis dixerit, octauo ex accidenti genitos non viuere; viuere etiam natura, ac per se octomestrem, aliquo saltem in loco non asseruisse. proindeq; posset meritò reprehendi; qui, quæ de octomestri ex accidenti sensit, adeò perspicuis verbis aperuit; de eo autem, qui secundum naturam octauo mense editur, ne verbum quidem fecit. At enimuero quoniam hic non fuit Hippocratis scopus; cùm altioris sit indaginis, & Philosophi vel proprium, non Medici, vel certè magis proprium: sed consilium tantùm fuit ipsius, vt toties iam diximus, in Opusculis de Septimestri Partu, & Octomestri, eorum qui octauo moriuntur, mortis causam afferre; certè nec mirum, nec dissonum à ra-

ratione, quòd & de octomestrium morte adeò apertè locutus sit in Opusculis illis, & de octomestribus per se nullam fecerit in eis mentionem. Hoc totum, quod dicimus, vero summè esse consentaneum, quæ supra ex libello de Alimento notabamus, faciunt testatissimum. Hippocrates enim eo loco humanum partū generaliter, ac per se considerauit; proindeq; (quod maximè animaduerti cupio) diuersa tempora & notauit, & recepit maturitatis. atqui inter hæc tempora octauum recensuit; hoc ipsoq; mense scripsit partus effici perfectionem: siquidem, dixit die 240. & ante partus effici ἐκπλωσιν, idest, vt superiora explicant verba, exitum & maturitatem: quod Aristoteles postea Historiarum septimo explicauit clarius. igitur cognouit Hippocrates duce ratione per se ac sua natura octomestrem. non egit autē de illo separatim, vt mea sententia est, tùm quia ad alium vidit fortasse Artificem pertinere, tùm quia sensu rationem non vidit comprobatam. Sed si libello de Alimēto maturum exire octauo mense partum scripsit; quomodo in Opusculis de Septimestri & Octomestri Partu notatum reliquit, hoc ipso tempore prodire immaturū? maturitatisq; suæ tempus decimi mēsis esse initium? sic enim vel vnus & idem numero partus diuersa habebit tempora maturitatis; quin &, quod longè magis est, eodem tempore maturus, & immaturus erit; quod dictu est absurdissimum: vel fatendum erit, alia ratione in Opusculo de Alimento octauo genitos considerari; alia verò, & longè diuersa in Opusculis de Septimestri & Octomestri Partu; vt qui mori in his dicuntur Opusculis, si octauo veniant in lucem, nullo modo sint illi, quos octauo maturos nasci liber ponit de Alimento. Quæ omnia si recipiantur, vt recipi debent, perspicuè ostendunt, longè alio sensu, quæ de octomestribus tradita sunt in Opusculis de Septimestri & Octomestri Partu, accipienda esse, vt supra tetigimus, quàm communis credit opinio; nisi cum semetipso Hippocratem pugnare atrociter velimus.

Cap. 4.

Graues quędā aduersus Aristotelis tertio libro enarratam sententiam de Octomestri Partu dubitationes afferuntur.

Cap. 98.

SEd, quoniam satis de Hippocrate disputauimus; atq; vt magis veritas eluceret, aduersus ipsius sententiam à nobis expositam dubitauimus: iam nunc, quia aduersus illa, quæ ex Aristotele libro tertio disseruimus de partu octomestri, aliæ nonnullæ (dum imprimuntur hæc) in mentem veniunt dubitationes, quæ iampridem explicatam à nobis sententiam turbare possent; non putamus alienum, postquam hoc libro de octomestri agimus, contra iam dicta similiter dubitantes, propositasq; dubitationes, vt in Hippocrate fecimus, dissoluentes; Hippocraticæ opinionis confirmationi, Aristotelicæ pariter adiungere confirmationem. Dicere igitur aliquis posset, ad monstrandum, Aristotelem octomestres partus non recipere; primùm maximè illud facere, obseruationes ab eo factas in naturali solo, vbi natus & educatus est, & vbi, cùm diutius vitam traduxerit, maiori diligentia res omnes potuit obseruasse; multò magis fide dignas esse debere, quàm eas, quæ in alieno solo, in lōginquis admodum regionibus, ad quas aut nunquam peruenit, aut breui tempore cōmoratus est; in quibus necesse erat aliorū relationi fidem habere, quę vel negligētia, vel ignorantia falsa esse poterat: quò fit, vt cùm in Græcia prouincia, in qua & natus est, & diutius vixit, octomestrem partū rarò viuere dixit; verum id magis esse credamus, quàm vbi de hoc eodē partu scribēs, dicit in Aegypto, vbi aliorum relatione opus fuit, vitalem esse. Secundò, si altius petito principio causam inuestigemus, cur octomestris partus debeat omnibus ferè in locis aut rarò viuere, aut non viuere; cùm alioqui septimestris, & nonomestris vbicūq; vitalis sit; hoc idem concludemus. non enim octomestri partui id euenire dicemus quatenus partus est; sic enim septimestri, & nonomestri idem eueniret: illud igitur eueniet vt octomestris; quare & quatenus octomestris vbiq; vel rarò vitalis, vel nullo modo. Nec aliquid fortasse faciet ad tollēdam hanc difficultatē, si dicamus hoc euenire octomestri, non quatenus octomestris est, sed quatenus imperfectionem quandā participat; ex quò & libro tertio positum est, duas esse conditiones, quæ pro fœtus perfectione necessarię sunt, magnitudinē vnā, caloris & humoris tēpera mētū alterā: illam noni & decimi mensis esse propriam, hanc septimi; quibus vtrisq; cùm careat octomestris partus, effici, vt duplici ratione imperfectus dicatur, atq; plerisq; in locis minus propterea vitalis: enimuero vel duæ hæ conditiones, quas pro fętus perfectione ne-

necessarias esse diximus, viribus æquè valent; aut altera alteri prævalet. Si æquè valent; quantum deficit octomestris temperamento, tantum magnitudine excedet; sicq; septimestrem perfectione æquabit; & quantum magnitudine cedet nono, tantū temperamento eundem superabit. octomestrem itaq; perfectiorem dicemus septimestri. Si verò è contra temperies prævaluerit, nonum superabit perfectione. Tertiò, imperfectio hæc, quam libro tertio & in Disceptatione in octomestri ex Aristotelis sententia esse diximus; aut octomestri conueniet ex accidenti, aut tali natura. non primum illud dici potest; tunc .n. octomestris natura non minoris esset perfectionis septimestri, aut nonomestri, nec minus esset vitalis. Sed si imperfectionem hanc octomestri secundum naturam attribuemus, semper illud consequetur, octomestrem rarissimè esse vitalem; quoniam octomestris ex accidenti nunquam viuit: qui verò etiam talis natura est, rarò admodum vitalis erit; quòd natura imperfectior cùm sit, pluribus in locis superuiuere non potest, aut vix vnquam viuere; quoniā qui natura imperfectus est, omnibus iniurijs externis expositus succumbet, nec poterit resistere, & morietur. Quartò, si Aristotelis septimo Historiarum dicēdi modū diligenter considerauerimus, facilè etiam in eam veniemus sententiam, octomestrem partū è vitalium quasi numero eum seclusisse. quæ enim rarò admodum eueniunt, quasi sunt ex accidenti; neq; regulam, quę semper penes ea sumitur, quæ aut semper, aut vt in pluribus eueniunt, constituere poterunt: verba Aristotelis sunt, quòd in Græcia perpauci seruentur. quod enim libro tertio & in Disceptatione dictum est, verbum illud, perpauci, intelligēdum esse nō absolutè, sed ad eos comparatione facta, qui moriuntur; nempè quia, licèt multò plures ij sint, qui intereunt, quàm qui superstites euadunt; multi tamē octomestres viuant: videri potest Aristoteles dicendi modo omnino aduersari, qui dicit. » Sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi perpauci seruantur. quasi nobis omnē vellet occasionem adimere intelligendi ea verba, vt locis memoratis sumus interpretati; multos scilicet mori, nec paucos superstites viuere. adiecit .n. nisi perpaucos seruari, vt nos doceret, se nō intelligere, multos superuiuere. nam si in eam, quam exposuimus, iuisset sententiam, satis fuisset dicere. » multi intereunt. neq; opus erat addere, nec nisi perpauci seruantur. dictione illa, perpauci, nobis commonstrans, paucissimos reperiri, qui octauo mense editi superuiuerent. & quòd ita verba Aristotelis sint intelligēda, colligi potest manifestè ex subsequētibus verbis. » Vnde fit, vt si quis seruetur, nō octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui conceptus initiū latuisse. quasi nobis etiam his verbis innuens, perpaucos quoq; illos, qui superuiuunt, falsò creditos esse octomestres, sed septimestres, aut nono mense natos esse. quòd si multi octomestres secundum naturam viuerent, nō esset verisimile mulieres toties fuisse deceptas. Neq; etiam dicendum est, verba illa ex aliorum sententia esse prolata, quam tamen ipse non recipiat; cùm enim eam non reprobet, videtur illam recipere; aut saltē ambiguum esse, & subsequenter dubium, an in Græcia superstes aliquis octauo mēse natus remaneat. In quarum rerum confirmationem videmus eum post ea verba subdere. » Simili modo & qui diuturniores quā vndecimo mense nasci videntur, latere putantur: latet enim mulieres conceptus initium. vbi dici non potest, Aristotelem voluisse, etiam post vndecimum mensem fœtus edi ex propria sententia, quamuis aliorum opinione secus cēsendum esset, sed matres in tēpore grauiditatis decipi; quoniam dum refert menses partus, vndecimū non est transgressus, cùm dicit. » Homini vni multiplex datum est; nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo; nonnullæ etiam vndecimum attingunt. Ita fit, vt particula, latere putantur, rationem ab eo allatā contineat, vt partum vndecimestri tardiorem omnem reijciat ex propria sententia. Vbi igitur de octauo mense natis agens vsus est eodem dicēdi modo, cùm dicit. » Vnde fit, vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur. cēsēdum est, nō ex aliorum opinione, sed propria locutum esse.

Allatæ superiori capite dubitationes diluuntur.
Cap. 99.

HAec igitur, & similia si quis objiciat aduersus nostra; sic nos tollenda ea existimamus. Dicimus ad primā difficultatem, Aristotelem obseruationes tùm naturalis soli, tùm alieni tanquam veras referre; & obseruationū, quas adducit causas perspicuè recēsere; propterea non esse, nostro quidem iudicio, vt dubitemus, nisi cū magna iniuria Præceptoris, quas ex Aegypto af-

affert, fide non esse dignas. Posuerat supra, octauum mensem naturale esse tempus pariendi; quod certè fecerat verbis illis manifestè, quibus dixit, alia cuncta animalia, μοναχῶς, idest vno tantùm modo efficere τοῦ τόκου τελείωσιν, idest partus perfectionem; solum hominem multipliciter: cuius rei causam subiecerat, quia reliquis vnum definitum sit tempus pariẽdi, homini verò plura; cuius dicti & rursus addiderat probationem, quia & septimestres, & octomestres, & nonomestres, & decimestres vt plurimum fœtus oriantur; ac nonnullæ etiam mulieres gestando vndecimum attingant. Si enim, quia non vnico modo, sed multiplici homo partus efficit perfectionem, multa illi sunt tempora ad partum præfinita; tempora verò hæc præfinita enumerans Aristoteles, inter alia octauum commemorat; igitur necessariò octauo mense homo partus facit de illius opinione perfectionem; necessariò octauus mensis homini ad partum præfinitus: at si id, necessariò & tempus naturale pariendi. nec enim tempus esse præfinitum ad partũ posset, neq; in ipso effici posset partus perfectio, si tẽpus esset præter naturam. Cùm igitur hoc Philosophus accepisset; iure & meritò huius partus locorum respectu differentias subiungit, scribens in Aegypto omnino viuere, in Græcia rarius; & causam pulchrè affert: quare vtraq; obseruatio æquè mea quidem sentẽtia pro vera recipienda est. Ad secundam dicimus, præter ea, quæ ad illam dissoluendam libro tertio disputauimus; etsi temperamẽto, quod ab humore & calore pẽdet, vincere aliquo modo octomestris videatur nonomestrem; non tamen id efficere, vt nonomestrem perfectione octomestris antecellat; tùm quia temperamenti ratione, quod magnitudini respondet, & quod omnibus est perfectius, vt libro memorato expositum est, nonomestris cunctis est perfectior, & sic octomestri; tùm quia caloris & humoris temperamẽtum imperfectè octomestris participat, non perfectè vt septimestris, qui huic temperamento exactè respondet. Ob similem causam, tametsi temperamenti ratione, ꝙ ad magnitudinem refertur, superare octomestris septimestrem videatur; quia tamen id imperfectè participat, & in alio temperamẽto longè vincitur ab ipso septimestri; verè non superat, ac iure & meritò ex Aristotelis sententia existimatur imperfectior, veluti qui ab vtraq; cadat perfectione: quare & huius imperfectionis causa plerisq; in locis, non quatenus octomestris, est plerunq; non vitalis, & argumentatio omnino nulla. Ad tertiam respondemus, imperfectionem hanc octomestri secundum naturam conuenire, nec tamen sequi, si octomestris ex accidenti nunquam viuit, octomestrem natura raró admodum viuere; quòd natura imperfectus cùm sit, pluribus in locis superuiuere non potest, aut vix vnquam viuere; quoniam qui natura imperfectus est, omnibus iniurijs externis expositus succumbet, nec poterit resistere, & morietur. nam primùm non solùm octomestris ex accidenti nunquam viuit, sed neq; etiam septimestris, nec nonomestris ex accidenti viuere potest. deinde septimestris Hippocrate, & Aristotele teste imperfectus, vt suis locis à nobis ostensum fuit, & tamen non raró admodum vitalis; nimirum quia imperfectio non est tanta, vt vitæ aduersetur: quod idem locum habet in octomestri. licèt .n. minus resistere queat quàm septimestris, non tamen sic omnibus iniurijs est expositus, vt ab illis vincatur; cæteroqui natura in necessarijs deficeret, & frustra hunc partum produceret, quod dictu est absurdissimum; quare & viuet octomestris naturaliter. Postremò, vel iniuriæ istæ modum excedũt, ac præter naturam eueniunt; vel modum seruant; si excedũt, etiam nonomestrem, vt ipsa docet experientia, possunt interimere; si seruant, neq; etiam octomestrem ducunt ad interitum; quia natura, cùm maximè studeat vitę fœtus, tametsi hunc partum reliquis producat imperfectiorẽ, non tamen adeò producit imperfectum, vt labores ac iniurias, quæ modum non excedunt, non possit sustinere. Itaq; etsi imperfectionem hanc octomestri secũdum naturam attribuamus; non semper illud consequetur, partum hũc rarissimè esse vitalem. Quartam demum ac postremam sic putamus diluendam. Vocem illam, perpauci, opponi voci, multi, nemo ire potest inficias, cùm dicat Aristoteles, si verbũ è verbo exprimamus. » In locis » autẽ circa Græciã perpauci seruãtur, multi » autem pereũt. quare & perpaucos istos ad multos cõparatione facta necessariò oportet intelligere; vt in se considerati nõ adeò pauci esse queant, quin vitalem esse, naturalemq; partum octauo genitum ostẽdant; nõ secus ac Sacrarum Literarum vulgatum illud. Multi vocati, pauci verò electi. sic Theologi interpretantur, vt multorum respectu paucos intelligendum esse velint dici electos.

Po-

Postrema dubitatio plenius reijcitur. Aristotelis verba denuò explicantur. Cap. 100.

SEd quid? sint etiam perpauci in se ipsis considerati, qui octauo mense in Græcia nascentes superuiuunt; an id præterea sequetur, & ex accidenti, & præter naturam hos partus in Græcia esse vitales? an propterea dicemus, regulam nullam, quæ semper penes ea sumitur, quæ aut semper, aut vt in pluribus eueniunt, cōstituere posse? non quidem; quæ enim semper, vel vt plurimum per se eueniunt (vt nō semel diximus) regulam constituunt; secus si ex accidenti. Atqui Aristoteles duas ponens propositiones, scilicet perpaucos in Græcia seruari octomestres, multos in Græcia perire octomestres; causam simul videtur attulisse. cùm enim in Aegypto, locisq; similem temperiem nactis octomestres paulò supra viuere affirmans, simul etiā, vt tertio, quintoq; libro expositum est, & contrarias propositiones in Aegypto, ac similibus regionibus habere veritatem significasset; videlicet multos octomestres in illis seruari, perpaucos octomestres in illis perire; huiusq; rei causam triplicē attulisset; quia scilicet ibi mulieres ad exactos mēses vterum ferunt; quia gestant, & pariunt facilè multos; demum quia in illis regionibus monstrosi aliqui partus si nascantur, viuere possunt: certè subiungens, in Græcia cōtrarium euenire, id, vt superioribus itidem disputationibus admonuimus, ob cōtrarias etiam causas, quia contrariorū cōtrariæ causæ sunt, contingere putauit. quare in locis circa Græciam perpauci seruabuntur octomestres, multi verò peribunt, quia mulieres ad exactos mēses vterum nō gestant, sed sæpe abortiunt; item quia nec gestare multos facilè, nec parere possunt; postremò quia partus mostrosos nequeant alere. At primam & secundam causam (vt tertiam interim omittam) octomestres per accidens nobis ob oculos ponere, nemo est, qui non videat; vel certè, si octomestres ꝑ se, tamen ex accidenti intereuntes. quoniam .n. multi ꝑ abortum in Græcia octauo mense nascūtur, qui alioqui vel septimo, vel nono naturaliter nasci debebant; item quoniam, etiam si sint per se octomestres, ob ingentes aeris mutationes laboribus partus mirificè auctis ipsius partus difficultate obruuntur; quod etiam septimestribus, & nonomestribus non rarò interitum affert; idcircò eorum multi in Græcia periclitantur, qui octauo mense in lucem veniunt, quæ omnia abundè quinto libro exposita fuerunt. at id, quia, vt videmus, ex accidenti est, aliquo enim extrinsecus impedimento sequitur, non naturæ impetu, nec per se; nullā regulā potest cōstituere; quare nec naturale dici debet, nec probat hos partus esse natura non vitales. non enim quæ aliquo extrinsecus impedimento sequuntur, admonente, vt alibi notauimus, primo libro de Plātarum Causis Theophrasto naturæ tribui debent, sed quæ ipsius naturæ agūtur impetu, huiusmodi .n. talia per se à natura fiunt. Rursus quoniam perpauci per se octomestres, videlicet octauo natura nascentes, ipso octauo mēse in Græcia nascuntur, paucíq; etiam hoc mēse natura editi labores, difficultatesq; partus superare queunt, perpauci etiam in Græcia seruantur. quod quidem cùm euenit, quia per se, & natura euenit, non ex accidēti, & præter naturā; & regulā omnino cōstituere debet, & octomestres partus naturales esse ostendit ac vitales. Postremò quantuscunq; sit paucus octomestrium numerus, & contractus, quos in Græcia seruari dicit Aristoteles; nos octomestrium hostes interrogamus, an voluerit Philosophus, perpaucos istos per se, ac naturaliter in Græcia seruari, ac superuiuere; an ex accidenti, & præter naturam. postremum hoc ipsum sensisse, certè respondere nequeunt; nam si id voluit, cur octauo mense effici partus τελείωσιν supra dixit? cur tempus esse partus definitum? cur in eo hominem gigni? cur in mensium numero, qui partionem habent naturalem, collocauit? cur in Aegypto, locisq; similibus octauo genitos vt plurimum viuere scripsit? tandem cur in re grauissima quasi subterfugiens diuerticula affectauit? cur non dixit palàm, octauo genitos non esse vitales, in Aegyptoq; & Græcia si viuant, viuere præter naturam? Itaq; Aristotelis esse sententiam, perpaucos istos in Græcia naturaliter seruari, ac viuere, velint, nolint, respondebunt. At enimuero perpauci isti Iurisperitorum labefactant axioma, & tollunt funditus; quia enim vitales aliquando partus octauo mense gigni possunt, ac naturales: viuereq; hoc tempore geniti, quantum est temporis ratione, queunt naturaliter; licèt alia aliqua de causa, vt in nonomestribus nō rarò contingere videmus, valeant interire; nulla certè ratione possunt repudiari: quos, vt iusta de causa à se repudiatos isti demonstrarent, nullum

Cap. 13.

octomestrem naturaliter viuere posse, nec vllo in loco, tanquam verum ac indubitatum esse recipiendum, scriptis mandauerunt. Quod autem ad Aristotelis verba attinet, iam verum eorum sensum & libro tertio, & in Disceptatione attulimus; iam diximus, cùm asserit Philosophus, διὰ τὴν ὑπόληψιν, .i. ob conceptam opinionē, si quis octauo genitus seruetur, existimari non esse editum ipso octauo mense, sed mulieres conceptionis initium huius partus latere; & de vulgi errore nos commonefacere, & de aliorum non de propria sententia id proferre; & non mulieres, quæ octomestres istos pepererunt, esse deceptas, quasi falsò crediti sint ab illis octomestres, sed vulgus deceptum esse, significare. qui ex iam falsò inueterata opinione, mulieribus illis octomestrem se genuisse, qui superuixerit, attestantibus, fidem non adhibebat. quo posito locum non habet, quod ponebat obiectio, si multi octomestres secundum naturā superuiuerent, non esse verisimile mulieres toties fuisse deceptas. Quòd autem verba illa ex propria non ex aliorum sententia sint ab Aristotele prolata, vox illa σώζεται, & altera illa σωθῇ τις, vt suo loco animaduersum fuit, probant manifestè. enimuero si primo loco sine vlla dubitatione ponit, seruari aliquos in Græcia octomestres; si secundo loco perspicuè asserit, si aliquis seruetur, ob opinionem existimari non genitum octauo mense; certè non vocat in dubium, an seruentur; sed adiungit tantùm, qui seruantur non esse creditos octomestres: quod & valde est diuersū, & dū ponit Aristoteles, necessariò quam recitauit opinionem, videtur reiecisse; cæteroqui contraria posuisset: cùm inter se contraria sint, seruari aliquem octomestrem; & si existimatur, hunc partum, qui octauo nasci dicitur, alio mēse editum esse, rectè existimari. si .n. qui sic existimant, rectè existimāt; igitur octomestris in Græcia nullus seruatur. at seruari aliquos perspicuè supra & scripsit Aristoteles, & tāquam verum recepit sine controuersia. Postremò, quæ ad cōfirmandam adducebātur obiectionem, nullius esse momenti, hæc satis mōstrant; supra enim Philosophus, vt suo loco dictum fuit, cùm vulgi adduceret opinionem, qui octomestres non seruari, sed mulieres conceptus illorum latere existimabat; dixit νομίζουσι λαθεῖν, idest putant latere. quare totū illud de vulgi, aliorumq; mēte recitauit; & non solùm non approbauit; sed ponens, recipiensq; eos partus seruari, omnino reiecit. At è contra hoc loco, cùm eiusdē vulgi opinionem de vndecimestribus affert, eā ipsam recipit, ac probat; nam cùm dixisset, simili modo, ac scilicet de octomestribus dictum est, vulgo videtur latere cōceptionis initium eorum partuum, qui longius, quàm vndecimo mense gestantur; statim hanc ipsam comprobans opinionem, subdit, non amplius ex aliorum mente, vt de octomestribus agens fecerat, sed ex propria sententia, si verbum è verbo exprimamus. Etenim horum conceptionis principium mulieres latet. cuius loci interpretationē haud satis Theodorus videtur attigisse, quēadmodum libro tertio adnotauimus. Hinc autem, etsi vbi Philosophus de octauo mēse agens vsus est eodem loquendi modo, non propterea sequi, ibi eum non ex aliorum opinione, sed ex propria locutum esse, vti allata ponebat obiectio; luce meridiana clarius apparet: eò quòd vulgi opinionem, dū ageret de octomestribus, reiecerit; de vndecimestribus dum pertractaret, confirmauerit. Sed harum quatuor obiectionum pleniorem habebit solutionem, qui ea accuratè legerit, quę circa Aristotelicæ disputationis explicationem libro tertio, & quinto sunt tradita. Porrò satis modò. Hippocratis .n. & Aristotelis opinio de partu octomestri cū iam satis superq; enarrata sit; cùm abundè (nisi fallor) sit demonstratum, nullam esse inter eos dissensionem; ac de vtriusq; sententia partum hūc esse natura sua vitalem; iam locus est, vt cum Iurisprofessoribus, & Medicis in arenam descendamus. oportet enim non solùm ea, quæ pro octomestrium vita responderi possunt, in promptu habere, de quibus iam diximus; sed & esse armatos, vt occurrere possimus rationibus eorum, captionesq; discutere: quod deinceps facere constitui.

Cap. 13.

FINIS OCTAVI LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA

LIBER NONVS.

Quid actum sit, quid agendum. Iurisconsultorum scopus in legibus circa tempora humani partus condendis aperitur.

Cap. I.

QVEMADMODVM Aristotelis, Hippocratisq; sententia de octomestris partus natura intelligenda sit; quid ijdem hi grauissimi viri de septimestribus, nonomestribus, decimestribus, vndecimestribusq; senserint, satis explicatum, arbitror, libris superioribus: vt qui in antiquissima, nobilissimaq; Philosophia his Auctoribus versantur, nullam fortasse habeant posthac errandi occasionem; quin potius veritatem assequentes, ijs simillimos se reddere valeant, qui ista præclara pepererunt. Sequitur, vt quantum conniti animo possum, quantum labore contendere (si aberrantes à vero opiniones refellendi labor est potius, quàm voluptas) tãtum efficiam, vt illorum placita coarguam, quorum primo, & secundo libro sententias attuli octomestrium vitæ pertinaciter infensas. Hanc igitur partem relictam vt expleam (quod eò facilius exequar, quò superioribus intellectis per se Aduersariorũ tela reiecta videantur; cùm recto cognito facillimè cognoscatur obliquum) de Iurisprofessoribus primùm dicere aggrediar; quibus etiam primus liber dicatus fuit. qua in re neq; ab Aristotelis etiam imitatione discedam, post expositam opinionem meam descendens cum illis in arenam; quãquam ipsum iustissimæ persæpè causæ impulerunt, vt antequàm opinionem suam in animis legentium insereret, iam insitas euellere conaretur. Hos igitur vt commodius refellere possim, antea quædam mihi tractanda sunt de Iurisconsultorum mente, & consilio in legibus sanciendis, quæ spectant ad tempora humani partus. eo enim cognito, simul etiam & conspicuum erit, quantum hęc habeat Iurisprofessorum opinio firmitatis; quidue generaliter de ea sentiendum videatur. Erimus autem hac in re eò breuiores, quò hic locus in Disceptatione à nobis diligẽtius expositus fuit. Iurisconsultos igitur (vt per me diligentissimè perquisiuerim, atq; ex ipsis Iurisprofessoribus fuerim percuntatus) de nullo alio mẽse ad parturitionem idoneo, prę ter quàm de septimo, ac decimo locutos esse inuenio; de nullo alio partu, præter quàm de septimestri, ac decimestri. tametsi enim in Nouellis Constitutionibus de ea, quæ parit in vndecimo mense, habeatur mentio; attamen quia locus ille controuersus est, cùm alij velint, partum vndecimestrem in eo repudiari omnem, tàm scilicet qui ineunte vndecimo, quàm qui ipso affecto confectoq; in lucem venit; alij verò vndecimo incipiente genitum admitti: de hac ipsa dissensione postea dicemus. De mense septimo, ac partu septimestri, Vlpianus libro decimoquarto ad Sabinum, Paulus libro decimonono Responsorum locuti sũt; quorum alter quasi totius spatij septimestris primum terminũ, ac breuiorẽ exprimeret, centesimo octogesimo secundo die natum Hippocratis auctoritate à Diuo Pio recepta iusto tempore videri natum asseruit, tacens hanc dierum summam tempus constituere septimestre; tanquam ab eodem Hippocrate perspicuè definitum. septimestrium nãq; breuissimum limitem de Hippocratis sentẽtia tot dierum numero concludi, iam septimo & octauo libro plenè à nobis mõstratum fuit, ac simul tertio libro & sexto causa exposita. alter quasi Hippocratis mentem, & Vlpiani dictũ enucleatius explicaret, illudq; adderet, quod reliquerat Vlpianus, scilicet dierum 182. summam spatium septimestre constituere; septimo mense nasci perfectum partum, iam receptum esse scripsit propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, & ideo credendum esse, eum, qui ex iustis nuptijs septimo mense natus est, iustum filium esse. De mense decimo, ac partu decimestri Sceuola libro sexto Quæstionum, Vlpianus loco nuper citato sermonem habuerunt; summa consensione statuentes, partum in decem mensibus natũ post mortem viri ad legitimam hæreditatem admitten-

In Auth. de rest. & ea quę parit. §. fin.

ff. de suis et legit. hær. l. intest. §. fin. ff. de stat. hom. l. sept. mense.

ff. de lib. et post. instit. l. Gallus.

tendum esse; post decem menses mortis genitum nequaquam recipiendum; quibus cum Iustiniani in Nouellis Constitutionibus sanctio de nonnullorum opinione, vt superius tetigimus, videtur cõsentire. Hoc quare factũ fuerit ab huiusmodi viris prudentissimis; quare de septimo tantum mẽse, & decimo; de septimestri partu tãtùm, ac decimestri sermo ab illis habitus sit octomestri prætermisso, ac nonomestri; qui intra hos terminos comprehendũtur: quærentibus nobis, & sæpè diuq; cogitantibus vnica illa exposita in Disceptatione ratio occurrebat; quam Paulus elegãter expressit. vt scilicet filij tantùm illi admitterentur, qui ex iustis nuptijs, atq;, vt Imperator Iustinianus appellat, inculpabilibus geniti essent. enimuero cùm summi hi viri animaduerterent, humanam speciem hãc præ cæteris nactam esse proprietatem, vt diuersa, & ferè dixerim, incerta tempora haberet partus maturescendi; variaq; à varijs Auctoribus hac de re memoriæ tradita fuisse: ita vt non solùm septimo, octauo, nono, ac decimo gigni hominem vitalem posse; sed & ante septimum, ac post decimum, creditum aliquando videatur: præterea cùm experientia edocti obseruassent, hac spatiosa humani partus latitudine plerunq; homines abuti ad quæstum, atq; ad libidinem: eò quòd non semel animaduersum fuerit, mulierem aliquam, quæ ex alio antea concepit, mox nuptui traditam ante septem à nuptijs menses peperisse; vel defuncto viro ex alio itidem conceptum partum post decimum ab eius morte mensem esse enixam; idcircò, vt, quantum in illis erat, hæc facinora tollerent, duos limites humano partui, alterum breuiorem, alterũ longiorem præfigendum existimarunt: statuentes, vt intra hos geniti partus legitimi cuncti haberentur, & ex iustis nuptijs procreati; ante breuiorem verò, vel post longiorem in lucem editi, arcerentur omnes tanquam illegitimi, ex alioq; concepti, quàm ex proprio viro. atq; hoc est, quod Socinus senior ex Alexandro docere profitebatur, vt primo libro notabamus, has leges eo fine conditas esse, vt cognosceretur, an ex iustis nuptijs partus esset procreatus. sicut enim partus non subijci publicè interest, vt ordinum dignitas, familiarumq; salua sit, quemadmodum Vlpianus libro vigesimoquarto ad Edictum perbellè docuit; ex quò & plura apud Valerium Maximum libro nono habes exempla eorum, qui infimo loco nati mendacio se clarissimis familijs inserere conati sunt; ita & ad eãdem ordinum, familiarumq; dignitatem retinẽdam, ne illegitimi ad legitimã hæreditatem admittantur, optimè consultum fuit, vt quisquis ante septimum mensem, siue ante diem 182. post mensem decimum à viri morte in lucem venerit, is nec iusto tẽpore natus, neq; ex iustis nuptijs censeatur; quoniã Hippocrates, ac post illum Aristoteles, vt superioribus disputationibus verrimè ostensum fuit, humanum partum ante id tempus naturaliter vitalem prodire non posse, literis mandauerunt: vltrà decimum verò mensem naturæ lege gestationẽ non proferri.

ff de ventr. insp. §. quãtus. Cap. 18.

Superiori recepto fundamento ostenditur, Iurisprofessorum opinionem aduersus partum octomestrem vel etiam grauissimorum inter eos hominum testimonio nil habere firmitatis.

Cap. 2.

HIs igitur iactis fundamentis, quid sequitur, vt taceam, conclusio ipsa loquitur; quiduè generaliter de Iurisprofessorum circa octomestrem partum opinione sentiendum sit, satis elucet; vt ipsis, velint nolint, sequenda hæc veritas videatur. si enim nulla est lex, quæ illum reijciat; si non, quia præteritus sit, ob id reiectus dici potest; quoniam & sic nonomestris quoq;, de quo nulla est mentio apud Iurisconsultos, necessariò esset repudiatus; & tamen sine lege loqui Iurisprofessores erubescunt: certè nulla erat ratio, cur octomestrem partum adeò constãter, adeò pertinaciter refellerent; vt ingens fuerit omnino ipsius calamitas, quòd etiam sine lege, quin potius & contra legem condemnatus videatur. quæ quidem ego cùm mecum ipse cogitarem, sæpiusq; repeterem; in eam tandem sententiam veni, vt arbitrarer, ipsos Iurisprofessores hac in re (quantacunq; sit eorum auctoritas) nullo esse pacto sequendos. quod cùm & publicæ vtilitati consulens scribere, in vulgusq; proferre decreuissem; dum in his lucubrationibus meis perficiẽdis essem occupatus, ecce audio Sfortiam Oddum principem huius memoriæ Iurisprofessorum, virum omnibus virtutibus ornatum, Responsa quædam edidisse, in quibus hanc, quam ego credo esse veritatem, aduersus suæ familiæ viros tuebatur; cuius scripta cùm ad meas manus peruenissent, tanti viri iudicium de hac grauissima quæstione tale esse inueni.

Conf. 28.

Sed

» Sed tamen (inquit) his non obstantibus cõtraria opinio, videlicet quòd natus in octauo mense, si viuus natus est, & cum spiritu, & in cæteris est partus perfectus, & ad nullum declinet monstrum, vel prodigium, sit capax vtriusq; successionis, mihi verissima de iure videtur. & paulò post. Secundò ratione quoq; clara probatur hæc conclusio, quia legitimus partus in iure nostro habetur ille, qui gestatus est in vtero ad minus centum & octoginta & duobus diebus, & ad plus decem mensibus; & qui prius, vel postea nascitur, nõ admittitur ad legitimam successionem, vt est expressum ad literam in l. 2. in fine. ff. de suis & legit. hęred. vbi dicitur, quòd qui non prius nascitur, iusto tempore nasci dicitur. Cùm ergo lex ciuilis nõ excludat natos post sextum mensem, & ante vndecimum, quare volumus excludere illos ambiguis Naturalium opinionibus circa breuiorem, vel lõgiorem vitam illorum, qui septimo, vel octauo, vel nono, vel decimo mense nascantur? de quibus mox dicemus. Et profectò mirum semper mihi visum fuit, quòd Iuris nostri Interpretes attentauerint hoc de puero nato viuo, & suis membris omnibus cõposito in octauo mense; & dubitauerint, illum admittẽdum ad successionem, & trãsmisionem illius: quando leges prædictæ expressè dicunt, quòd septimo mense dicitur etiam perfectus partus, & quòd in vtero potest gestari vsq; ad vndecimum mensem. & infra. Videtur penè ridiculum quòd nostri Iuris interpretes ita temerè concurrant in illam opinionem, quòd isti partus octomestres nullo pacto sint vitales; & propterea dici debeant abortiui, & tales, vt in Iure pro non natis haberi debeant: quando lex nil de hoc dicit, & cõtrarium expressè vult sub sua generali dispositione. & non multò post. Ex quibus constat, quòd hoc primum assumptum ex Naturalibus (videlicet quòd octauo genitus non sit vitalis) non solùm auctoritatibus est ambiguum, & in confuso positum, sed etiam rationibus omnibus concludentibus destitutum; & propterea vt varium, & fallax præsertim in regionibus nostris non admittẽdum pro veritate comprobata, & infallibili; prout Doctores nostri supra allegati faciunt. quando pręsertim leges nostræ nihil de hac re dicunt; immò contrarium sub earum generali dispositione sanxerunt, vt supra est ostensum.

Quæ superiori capite dicta sunt, plenius probantur.
Cap. 3.

HAec igitur vir doctissimus, qui demũ ad finem his verbis idem confirmauit. Ex quibus patet, quòd ratio illa vnica, qua mouentur Doctores ad tenendam opinionem contra nos supra primo loco positam, tàm in primo, quàm in secundo assumpto deficit; & consequenter cùm non habeant legem illam probantem, neq; rationem aliquo modo veram, vel verisimilem; & nos habeamus textum clarum in sua generali dispositione in d. l. quod certatum est; ista opinio secunda ad fauorem partus octomestris, remanet verior, æquior, & amicabilior legali simplicati, vt omnino à Iudicibus doctis, & perspicacis ingenij, & qui auctoritatibus nudis Doctorum non sunt contenti, sit sequenda. Prout aliàs in hac Ciuitate iudicatum fuit in causa cuiusdam octomestris partus ab excellentissimo, & clarissimo I. C. Io. Paulo Lancellotto eius causæ Iudice; non obstante quodam consilio eleganter & subtiliter edito in contrarium, quòd scilicet partus huiusmodi non sint vitales, ab Eximio Medicinę, Artiumq; professore hîc Perusiæ per 30. annos Magnifico Camillo Mannutio Tifernate, & ciue Perusino modò. Hæc vir clarissimus Oddus; qui me valde mouet, vel quòd amo hominem, sicut ille me: vel quòd ita iudico, politissimum & acutissimum omnium nostræ memoriæ Iurisprofessorum veritatem in hac grauissima re esse assecutum; quo cum sicut & summa familiaritate coniunctus sũ, ita & opinionum consensione esse adiunctum, vehementer lætor: præsertim cùm viderim, me in Iuris scientia omnino rudem ab ipsa ductum veritate eadem in Disceptatione mea ex Iuriscõsultis rei huius, quam docere profiteor, iecisse fundamenta; quæ virum in hac professione tantum, ac tàm magnum posuisse inueni. cuius rei pleriq; grauissimi viri testes esse possunt; quibus longè antea, quàm Oddi Responsa exirent in lucem, Disceptationem nostram legendam, considerandamq; dedimus. qua in re neq; illud oscitanter à nobis prætereundum; ei, quod vir inquit eruditissimus, Perusiæ à Lancellotto in octomestris partus fauorem fuisse iudicatum; hoc alterum illustre nos addere posse testimonium: videlicet eximiũ Iurisprofessorem Alexandrũ Baldutiũ apud quem tùm Vrbini Prætorem

torem

torem similis causa superioribus annis agebatur; contra eos, qui partum esse octomestrem, octomestrem verò non vitalem affirmabant, iudicasse: eandemq; sententiam postea excellentissimum Iuris interpretem Stephanum Miniũ anno 1595. confirmasse; qui tanquam appellationum Arbiter huic quæstioni iudex præfuit. siue quòd veluti maximè in tenebris delitescẽs, ac probatu difficillimum, non sufficienter eos probasse partum illum esse octomestrẽ arbitrati sint; siue quòd, si id etiam euidenter probatum esset, nulla nedum demõstratiua, sed neq; etiam probabili posse ostendi ratione octauo genitos non esse vitales, tanquam acerrimi iudicij viri, atq; in alijs etiam scientijs versati existimauerint.

Bartholi, & Baldi opinio expenditur.
Cap. 4.

IAm verò Iurisprofessorum generaliter explosa opinione, nunc particulatim illorum vnusquisq; aggrediendus est; ipsorũq; auctoritates, ac rationes ponderandæ; non .n. tàm Auctores in disputando quàm rationum momenta quærenda sunt. Ac primùm quoniam, vt vidimus, Bartholi obijciunt auctoritatem, qui menses enumerans partui humano præfinitos, septimo, nono, & decimo adductis, octauum prætermittit; respondemus difficile esse de eius mẽte diuinare; cùm nihil loco illo habeamus de octomestri partu ab eo explicatum. quin potius vir tantus, cùm erubesceret sine lege loqui, videns apud Iurisconsultos nullã esse de hoc partu mentionem, prudenter illos imitatus, nihil de octauo mense statuere voluit; illumq; silentio præteriens, menses tantùm eos recensuit, quos fortasse existimabat magis esse naturales, ac receptos sine controuersia: vt Bartholi auctoritas nihil Iurisprofessoribus conducere videatur ad octomestres refellendos. Quæ autem de partu decimestri ab eo ex Gentilis mente disputantur, infra suo loco commodius expendemus. illud potius videtur in præsentia accuratè animaduertendum; ex pulchra disputatione illa de genito ex muliere duobus diebus post primi viri mortem cum altero cõgrediente, sententiam nostram de conceptione libro septimo expositam mirificè comprobari; enimuero cùm Bartholus concedat, mulierem illam, si post duos dies cum alio congrediatur, ex primo viro, non solùm ex secundo, adhuc posse concipere; certè nõ eo momento, quo semen in vterum iacitur, neq; horarum septem spatio, vt pleriq; existimarunt, sed omnino dierum quodam interuallo conceptionem fieri, ostendit se arbitrari. Nam & hoc est, quod grauiter subiũgit aliorum refutatis explicationibus, si appareant signa conceptionis antequam alteri viro iungatur, non esse locum dubitationi; si non appareant, standum esse mulieris consuetudini: quibus apertissimè monstrat, ex priori semine, etiam postquàm mulier alteri iuncta fuerit, fieri posse conceptionem se existimasse. quæ dubitatio his receptis, quæ libro septimo diximus, die quoq; septimo à primi viri morte locum haberet. Quo etiam loco dũ mulieris naturam, Medicorum, Obstetricisq; iudicium, ei quod frequentius euenit, in partus negocio videtur anteponere; perspicuè docet, non illud solùm, quod frequentius contingit, sed illud etiam quod rarius, dummodo sit mulieri naturale, esse inspiciendum; quod Socino negocium nõ parum facessere, infra suo loco demonstrabimus. Sequitur Baldi opinio ventilanda; quæ tametsi ex superioribus disputationibus satis reiecta videatur; in quibus ostendimus, partus octauo mense per se genitos, atq; hoc mense sua natura maturescentes, ex Aristotelis, Hippocratisq; sententia omnino esse vitales; adeò vt de illorũ quidem vita partim natura nos admoneat, partim nos ratio doceat; hoc tamen in præsẽtia addere non pigebit, ipsum Baldum Medicis etiam imponere, quod nunquam ipsi dixerunt; dum ex illorum opinione statuit, sic esse notum, certum, ac necessarium octauo prodeuntes diem suum esse obituros, vt notum, certum, ac necessarium est cunctos mortales morituros esse. cùm .n. mors sit homini naturalis, vnde & Aristoteles in Opusculo de Respiratione mortẽ corruptionem naturalem appellat; quod Interpretes ratione materię veritatẽ habere dicũt; sicuti .n. generatio naturalis est, ita & corruptio; vt mors quæ corruptio est quædã, naturalis quoq; censeri debeat; ex quò & homini ex naturali, & substãtiali ipsius cõstitutione mortẽ dicimus accidere, quia ex rebus contrarijs, perpetuòq; pugnantibus inter se constitutus est; sequeretur, si octomestribus quatenus talibus mors congrueret, sicuti & alijs hominibus, vt naturaliter illos oporteret interire; ita vt nullus vnquam viuere posset, nec vllo in loco: sicuti nullibi vllus homo est, qui mor-

Cap. 14.

ti non sit obnoxius. quod tamen nemo Medicorum quantumuis hac in re opiniosissimus ausus fuit asserere. cùm omnes ferè, vt secundo libro patet, aliquem octauo mense genitum, licèt rarissimè, viuere posse locis nostris concedere videantur: at verò sine vlla dubitatione fateantur Aristotelis, Auicennæq; auctoritate permoti, in Aegypto, in Hispaniaq; cunctos adolescere. quod quidem esse non posset, si illud, quod Baldus illis imponit, affirmarent: cùm, sicut non solùm nostrarum regionum homines, sed in Aegypto quoq; nati moriuntur, quia mors est omnibus æquè naturalis; ita & octomestres, si mori illis esset naturale, tùm in Aegypto, tùm vbiq; locorum periclitari esset necessarium. itaq; satius Baldo fuisset vitam octomestribus concedere, quàm tàm præter rationem resistere. quanquam de Medicis quantum habeat illorum opinio firmitatis, & deinceps videbimus, & facilè ex superioribus quisq; per se cognoscere potest.

Pauli de Castro sententia discutitur. Item quid propriè sit abortus secundum Medicos, & Philosophos. Obiter quorundam Recentiorum nonnulla expenduntur.
Cap. 5.

VErùm de Baldo hactenus. Nunc Pauli dogma adoriamur. Is dum ea ratione octomestrem partum refellit, quòd naturaliter viuere nequeat; qui verò partus vita potiri naturaliter non potest, censeri debeat ac si mortuus fuisset editus; qui autem nascuntur mortui, abortus dici debeant; proindeq; & qui viuere nō possunt, tametsi viui oriantur, abortus pariter sint existimandi; tandem quòd abortiui partus nec vitales, nec legitimi, nec naturales partus habeantur: cogit nos, vt quantum habeat virium hæc sua ratio cognoscamus, pauca quædam de abortu ipso disputare, quid secundum Medicos, & Philosophos propriè sit, & secundum Iuriscōsultos; vtrum mortui editi fœtus, licèt iusto tempore veniant in lucem, abortus vocari debeant; an viui, sed qui tamen superuiuere nequeant, itidem abortus appellandi sint; demumq; vtrum octomestres partus sint inter abortiones collocandi. adeò vt imperfecti, immaturi, illegitimiq; partus dici debeant. quæ quidem ferè omnia, licèt accuratè in Disceptatione à nobis iampridem definita fuerint; operæpretium tamen erit ea hoc etiam loco exponere clarioris doctrinæ gratia, vberiusq; explicare. Vt igitur quid propriè abortus sit apud Hippocratem & Aristotelem intelligamus; primùm illud animaduertendum, tres esse voces, quæ apud illos infelicem hanc fœtus editionem significant: ἀποφθορὰν, ἄμβλωσιν, & ἔκτρωσιν, siue ἐκτρωσμον: addere & quartam possumus ab illis ἔκρυσιν dictam. Quod ad priores duas voces pertinet, notat Galenus Commentario primo in sextum Epidemicon, quod Attici ἄμβλωσιν dicunt, idest abortum, Hippocratem vsitato vocabulo ἀποφθορὰν, hoc est deperditionem appellare; addēs ἀμβλώσκειν apud Atticos imperfectam dicere fętus emissionem, vtcunq; facta fuerit. quanquam & Eustathius verbum hoc propriè significare fœtum ex vtero eijcere, Suidas imperfectum gignere, & corrumpere, memoriæ tradiderunt. ἐκτρωσμον Aristoteli esse Gorræus Budeum sequens existimauit fœtus intra quadragesimum diem corruptionem; ἔκρυσις effluxio rectè dicta, vt septimo libro explicauimus, Hippocrati, & Aristoteli est, nostra sententia, seminis ante conceptionem ex vtero lapsus, atq; primis septem diebus locum habet: nec alia ad exactiorem harum vocum distinctionem in præsentia addenda sunt, cùm nonnulla etiam in Disceptatione dixerimus scitu nō inutilia. Cùm autem fœtus omnis duplicem perpeti corruptionem videatur; quoniam vel ante iustum maturitatis tempus, partui generaliter dicatum, ac breuiorem pariendi limitem oritur; vel, tametsi iusto tempore nascatur, non semel tamen aut mortuus nascitur, aut in ipso ortu interit nondum totus vtero egressus: hinc, si Hippocratis loca plura accuratè animaduertamus, duplicem abortum, deperditionemq; apud ipsum esse videbimus. Harum altera immatura, violentaq; fœtus est ex vtero emissio, cùm scilicet siue interna, siue externa causa vexatus vterus fœtum immaturum ante legitimum pariēdi tempus cogitur emittere, & corrumpere; quod quidem ante diem 182. cum dimidio locū habet: nimirum quia hac in re generaliter tempus ipsum pariendi accipiendum sit, in quo primo potest fœtus maturus exire, nō huic, vel illi fœtui accomodatum, quomodo, exempli gratia, nonomestris septimo genitus abortus dici posset. Atq; hoc sēsu Latini nostri abortum appellant partum ante tempus pariendi editum; ac diligentius has voces distinguentes, vt apud No-

Part. 2.

nium Marcellum scriptum legimus, abortum propè tempus pariendi natum dicũt, cuius mors sequatur, aborsum verò illum, qui est in primis mensibus, cùm conceptui exordium factum est. Hanc abortionis speciem fœtus quoq; in vtero comprehendere si quis dixerit extinctionem, quam ab Hippocrate abortum pariter vocari Andreas Laurẽtius Operum Anatomic. libro secundo pulchrè animaduertit; non valde fortasse aberrabit; cùm vt plurimum abortus in vtero factus foras naturæ vi propulsetur, vel statim, postquam mortuus in vtero fœtus est; vel non multò post, dicente libro tertio de Facultatibus Naturalibus Galeno vterum, si improsperè aliquid contingat, desperata fœtus perfectione statim expultrice virtute illũ abijcere. Quòd si in vtero ante nascendi tẽpus fętus extinctionem placet secundam abortionis speciem constituere, non laboro, dummodo tamen post inceptam articulationem, post factam conceptionẽ, &, quod redit in idẽ, post septimam ab eiaculatione seminis diẽ contingat. cùm ante diem septimam facta deperditio, non quidem abortus, quia nõdum conceptio absoluta sit, vt septimo libro abunde declarauimus, sed ἔκρυσις, id est effluxio veniat appellanda. tametsi nõ me latet, huic dogmati doctissimum Laurentium loco memorato valde repugnare; veluti qui effluxum velit locum habere post conceptionem, cùm ipsum ita definiat. Effluxus verò ante genituræ perfectã conformationem exclusio. & paulò ante dixerat, Aristotelem septimo Historiarum eas corruptiones, quæ ante perfectam formationem incidunt, effluxiones vocare (quod tamen Philosophum noluisse; effluxumq; ante cęptam articulationem, ante factam conceptionem locum habere voluisse, septimus liber demonstrauit) vt nemini dubium esse queat, Laurentio effluxum omnino effici post conceptionem; adeò vt cùm alibi scribit, si ante conformationem excernatur genitura, non abortum propriè sed effluxum dici debere; ante perfectam articulationem eodem explicante intelligere debeamus, nisi cum semetipso atrociter eum pugnare velimus; ita vt iam incepta conformatio, articulatioq; sit, ac proinde iam sit facta conceptio, quam cum ipsa incipere articulatione septimo libro ostẽsum fuit. Hinc Hippocratis verba illa ex Opusculo de Septimestri Partu adducẽs.
" ὀνομάζεται δὲ τηλικαῦτα ἐκρύσεις, ἀλλ' οὐ τρῶσμοι.
sic ea interpretatur, vt doceant, effluxum post conceptionem omnino effici. Quæ, inquit, primis post conceptum diebus fiunt corruptiones, effluxus propriè non abortus nominantur. quibus tamen, vt, qui græcam linguam callent, optimè norunt; non quidem, quæ primis post conceptum diebus fiunt corruptiones, effluxus propriè non abortus nominari dicit Hippocrates; nam de conceptu, vel conceptione, & quòd facta sit, nulla est mentio: sed cùm sumpsisset συλλήψιες, τρωσμούς, τόκους, idest conceptiones, abortus, partus embryonum ijsdem temporibus mulieribus iudicari, quibus & morbi, & sanitas, & mors iudicãtur; huiusmodiq; tempora declarasset dies esse, menses, dierum quadragenarios, & annum ipsum: item cùm addidisset, dies inter alios maximè insignes primos esse, & septimos tùm in morbis tùm in fœtibus, quia hisce ipsis diebus plurimi fiunt abortus. cùm, inquam, hæc ita explicasset, ea in medium profert, vt doceat, deprauationes vteri τηλικαῦτα, idest tunc, à die nempe prima post semen in vterum iniectum ad septimam vsq; contingentes, quæ generaliter, ac minus propriè vocantur abortus; propriè quidem non abortus, sed effluxus esse appellandas. nimirum quia, vt libro memorato diximus, nondum facta conceptio cẽseatur. ex quò & pulchrè quatuor hæc ponens Hippocrates in contextu; cõceptionem scilicet, partum, effluxum, & abortum; certè effluxum non secus conceptioni voluit respondere & opponi, ac abortus opponitur partui, & respondet; ita vt, sicuti cùm fit abortus, partus non est, & è contra; sic & cùm fit effluxus existimauerit non fieri conceptionem, & è contra. cui sanè conceptioni diem septimam pro termino & periodo propria, vt septimus liber explicuit, Hippocrates ab Aristotele receptus dedicauit. vt nullo modo Laurentius recipiendus videatur, dum Macrobij fortasse, & mox Ludouici Mercati auctoritate adductus, statuit libro secundo, semen in vterum iniectum septem horarum spatio viuere; qui error satis memorato libro explosus fuit. si enim hoc ponatur; si recipiamus, effluxum fieri post conceptionem; viderint alij, an ipse Laurentius ab impietatis ac periurij crimine Hippocratem Psaltriæ, seu Cantrici ancillulæ ex saltibus abortum consulentem ea tueatur ratione, quòd septeno saltu non abortiuum ediderit fœtum, sed effluxum tantùm; genituram quippè nondum dearticulatam. quandoqui-

[Margin notes: Quæst. 36. — Cap. 3. — Quæst. 36. — Quæst. 38.]

quidem ſi ſemen Laurentio teſte in vterum iniectum ſeptem horarum ſpatio viuit; ſi effluxus poſt conceptionem tantùm locum habet; ergo ſemen illud, delapſaq; ancillulæ genitura viuebat: iam enim non ſolùm ſeptem horę, ſed dies ferè ſeptem præterierant, iam facta conceptio erat. Atqui ſummo Dictatori ſeptimo Politicorum, vt ſuperioribus libris oſtenſum fuit, cùm vita adeſt, nephas eſt quod geſtatur perdere: vt interim taceam, ſi effluxio Laurentio ante perfectam articulationem efficitur; certè poſt inceptam omnino effici oportere; vt, ſi ancillulæ deperditio illa effluxio fuit, genitura penitus inarticulata eijci ab ea non potuerit, ſed quæ aliquam iam accepiſſet articulationem. Sed ad inſtitutum redeat oratio. Altera verò abortio, deperditioq; apud Hippocratem ad ſecundam fœtus corruptionem ſpectat; cùm ſcilicet, licèt iuſto maturoq; tempore edatur fœtus, nihilominus vel mortuus venit in lucem, vel in ipſo ortu interit.

Cap. 16.

Quæ de duplici abortus ſpecie ex Hippocrate dicta ſunt, fuſius explicantur.
Cap. 6.

DE priori deperditionis ſpecie potiſsimum locutum eſſe diuinum Senem exiſtimo quinto ſecto Aphoriſmorum, quo loco eam perpetuò videtur ἔκτρωσμον appellare; vt meritò de mulieribus bimeſtres, trimeſtreſq; fœtus abortientibus mentio ibi habeatur. loquitur enim Hippocrates mea ſententia de fœtu ante menſem ſeptimum, atq; ante maturitatis tempus eiecto; qui ſiue mortuus naſcatur, ſiue cum ſpiritu, nihilominus abortus dici debet. Quod pertinet ad alteram ſpeciem deperditionis; locus quidem ille Hippocratis illuſtriſsimus eſt, & maximè obſeruandus, quem & ſupra tertio libro, in quo hac eadem de re nonnulla diſputauimus, & in Diſceptatione ex tertio ſecto Aphoriſmorum adduximus; quo loco Hippocrates partũ, licèt iuſto ac maturo tempore prodeuntẽ, ἔκτρωσμον, ideſt abortum vocat; quia ſcilicet vel mortuus oriatur, vel in ortu ipſo moriatur. dicit enim. Si verò hyems auſtralis, pluuioſa, & clemens fuerit; ver autem ſiccum, & aquiolonium; mulieres, quibus partus ad ver ineſt, ex quacunq; occaſione abortiunt. quæ verò parient, imbecilles, & morbidos infantes pariunt. quare vel ſtatim intereunt, vel tenues, ac valetudinarij viuunt. At hîc, vt omnibus eſt conſpicuum, Hippocrates partum abortui opponit; quia ſcilicet abortus nequaquam partus propriè vocari poſsit; & partum appellat fœtus viui iuſto tempore emiſsionem, licèt ſtatim poſt ortum moriatur: quin etiam & imbecilli, tenuis, ac morbidi fœtus editionem. ita vt ad partũ verè conſtituendum nil aliud requiri his doceat Hippocrates, præter viui infantis iuſto, ac maturo tempore excluſionem. nam & ſupra dixerat, huiuſmodi mulieribus, quas parere mox ſcribit, ad ver partum imminere, vt doceret iam adeſſe tẽpus pariendi. Itaq; abortus dicet hoc loco neceſſariò de Hippocratis ſententia emortui fœtus, vel certè emoriẽtis editionẽ; etenim Hippocrates inquit, mulieres iſtas, quibus in ea temporis cõſtitutione partus ad ver inſtat, vel parere, vel abortire; parere verò eas, quæ vel fœtus edunt, qui ſtatim geniti emoriantur; vel qui tenues viuant, & valetudinarij: igitur, quæ abortiunt, mortuum emittere fœtum neceſſe erit, vel qui in naſcendi actu intereat; quod in partu mori Galenus dixit, ſic verba explicans Hippocratis iuxta Leoniceni interpretationem. Vt infantes, qui longo tempore calori iam ſunt aſſueti, vehementer à frigore percuſsi, non abſq; cauſa hi quidem prius in vtero, hi verò mox in partu moriantur; qui verò viui in lucem eduntur, non ferentes ſubitam ad contrarium mutationem, vel breui poſt tempore moriuntur, vel exiles, atq; inſalubres effecti, vix in vita perdurant. Hæc ille; qui, vt in Græco patet exemplari, vbi omnia longè extant clariora; quod Hippocrates vocauit ἔκτρωσμον, ideſt abortum, ipſe ἤδη νεκρὸν, vel ἀποθνύσκοντα κατ' αὐτὸν τὸν τόκον interpretatus eſt, ideſt iam mortuum fœtum, aut dum oritur morientem: quem dixit Hippocrates partum, appellauit ἃ ζῶντα τεχθῇ, ideſt fœtus, qui viui pariantur; quos vel διὰ τάχους, ideſt celeriter mori, vel morbidos viuere ſcribit: vt nulla ſit dubitatio abortum eo in Aphoriſmo fœtum iuſto tempore mortuum editum, vel in ipſo ortu intereuntem ſignificare, vt ſuperius dicebamus. cuius rei teſtis eſt Ariſtoteles locupletiſsimus, vt hæc quidem veritas præſtãtiſsimi Philoſophi iudicio, ac teſtimonio comprobetur, qui prima ſectione Problematum locum hunc Hippocratis enarrans, his mulieribus partũ inſtare vernum ſcribit; vernoq; huic partui abortum opponit, in quo fœtum ſphaceliſmo voluit perire.

Aph. 44. & 45.

Aph. 12.

Prob. 9

Loca duo Hippocratis ad secundam abortionis speciem pertinentia explicantur.

Cap. 7.

PORrò hoc etiam totum eiusdem Hippocratis auctoritate confirmare possumus; qui Epidemicon quinto in historia mulieris Larissæ mortui fœtus decimo mēse editionem contingentem ἀπόλυσιν appellauit; quam vocem rectisimè Vallesius eo loco corruptionem interpretatus est. vt nil sit mirum si in Opusculo de Aere Aquis, & Locis de mulieribus agens, quæ loca ad Septentriones sita incolūt; illarum ἐκτρώσεις, idest abortiones, earundem simpliciter partui opposuerit; abortus nomine inopia alimenti extenuatum, mortuumq;, vel certè emorientem in ortu fœtum, licèt iusto tempore editum, potisimum significans. quo loco (liberè dicam vt sentio) Interpretum diligentia fortasse maior in diuini Senis sententia tùm conuertenda tùm enarranda, vt quarto, & quinto libro etiam tetigimus, desiderari potest: enimuero cùm ipse dixisset de huiusmodi mulieribus, quòd illarum multæ steriles fiunt « propter aquas, quæ sunt duræ, crudę, & fri« gidæ; quod quidē facit, vt purgationes mē« sium idoneas non habeant, sed paucas, & » prauas, ità subiungit. ἔπειτα τίκτουσι χαλε» πῶς, ἐκτιτρώσκουσί τε οὐ σφόδρα. quæ verba sic » omnes interpretantur. Deinde pariunt » difficulter, & non valde abortiunt. atq; « sic accipiunt, ac si dicat Hippocrates, con« tra quàm de alijs mulieribus in Austrinis locis degentibus supra affirmauerat; mulieres locorum Septētrionalium rarius abortum pati, ac difficillimè: quasi nunquam, vel rarisimè velit illas abortire. at ego eorum memor, quæ Galenus libro tertio de Differentijs Pulsuum docuit, vbi notatum reliquit τὸ σφόδρον actionem vehementem, & cum impetu factam, ac celeritatē significare; Hippocraticæq; disputationis seriem animaduertens, contrario sensu locum hunc reor esse accipiendum. cùm .n. maxima, præcipuaq; abortionis causa inopia sit alimenti apud Hippocratem; ex quò & quinto secto Aphorismorum mulier vtero gerens sanguine emisso ex vena abortit, quia alimentum fœtui subtrahitur; defectus verò alimenti fœtum destruit, vt Galenus ibi, & sæpè infra docet; certè si mulieres ad Septētrionem positę paucas, prauasq; habent mensium purgationes, non rarò etiam abortiant necesse est fœtui alimento deficiente: ex quò & rectisimè subdit Hippocrates, vbi mulieres istæ pepererint, filios etiam nutrire non posse, quia lac ab aquarum duritie & cruditate illis extinguatur. atq; hanc nostram interpretationem facilè illi recipient, qui scriptis mandarunt & rectisimè, easdem propemodum causas, quæ sterilitatem inducunt, frequentiorum abortuum causas esse. Itaq; sententia erit Hippocraticæ orationis, vt græca series satis monstrat, quæ abortire illas mulieres affirmat, nequaquam negat, ἐκτιτρώσκουσι οὐ σφόδρα, idest abortiunt non cum impetu, & celeriter, ita vt sensus sit, abortire quidem mulieres illas, sed tamen neq; citò, neq; facilè, neq; cum impetu, sed tardè omnino, ac difficulter; sicuti & maxima cum difficultate pariunt; nam & Hesichius τὸ σφόδρον celeritatem notauit significare. quare verba illa οὐ σφόδρα modum abortionis negant, nō ipsam abortionem. Hoc verò quàm congruum sit ijs, quæ de illarum mulierum natura docet Hippocrates, aliorum sit iudicium; quæ .n. causæ pariendi difficultatem in illis faciunt, eædem & difficultatem faciunt abortiendi. Verùm hactenus quid abortus propriè significet apud Hippocratem & Aristotelem; nunc Iurisconsultos in nihilo à tantis Præceptoribus discrepare ostendamus.

Cap. 5.

Aph. 31.

Quid propriè significet abortus apud Iurisconsultos. Dubitationes mouentur nonnullæ aduersus ea, quæ de abortu ex Iurisconsultis sunt definita.

Cap. 8.

SI ea, quæ superiori disputatione ex Hippocrate & Aristotele adduximus, cū Iurisconsultorum verbis conferamus; facilè erit cognoscere, ipsos de vtriusq; deperditionis specie sermonem habuisse. etenim de ea, quæ ad fœtum in vtero existentem spectat, & immaturum, Triphonius libro decimo Disputationum locutus videtur; dicens Milesiam quādam mulierem auctore Cicerone, cùm esset in Asia, quòd ab hæredibus secundis accepta pecunia partū sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam. vnde & si qua visceribus suis post diuortium, quòd pręgnans fuit, vim intulerit, temporali exilio iubet coercendam; quod idem Vlpianus libro vigesimo tertio ad Edictum sanciuit. atq; hoc sensu Paulus libro quinto Sententiarum statuit, qui abortionis poculum dant, & si dolo non faciant, tamen quia mali exem-

ff. de pęn. l. Cicero.

ff. ad legem Cor. l. si mulier.

ff. de pę. l. si quis. §. qui abortionis.

exempli res est, humiliores in metallum damnari, honestiores in Insulam amissa parte bonorum relegari. Item priorem hanc deperditionis speciem Paulus, & Vlpianus legibus supra citatis excludunt, dũ scribunt, septimo mense ac die 182. perfectum partum nasci, ac iusto tempore. quibus omnibus in locis, sicuti & in alijs similibus legibus, species hæc deperditionis vocatur, abortum facere, vim inferre visceribus, abigere partum, & eijcere, imperfectum partum edere, nec iusto tempore; atq; abortus partui perfecto, ac iusto tẽpore genito opponitur. tametsi enim viuus partus oriatur, vt solet aliquando, nõ solùm mortuus; præsertim si quintum, aut sextum mensem fœtus attigerit; vnde mulieres in huiusmodi deperditionibus infantem habuisse animam dicere solent; nihilominus abortus appellatur. De posteriori specie deperditionis, vt in Disceptatione etiam monuimus, loquitur Imperator Diocletianus, vbi statuit, vxoris abortu testamentum mariti nõ solui: posthumo verò præterito, quamuis natus illicò decesserit, non restitui ruptum. quin etiam & sequenti lege tertia Imperator Iustinianus, tametsi nullam habeat abortionis mentionem; perbellè definiens viuum perfectè natum, atq; vt paulò infra idem explicat, viuum ad orbem totũ procedentem, ad nullumq; monstrum declinantem, vel prodigium, licèt illicò postquam in terram ceciderit, vel in manibus obstetricis, decesserit, nec vocem emiserit, testamentum rumpere. siquidem inquit Iustinianus. Hoc tãtummodo requirẽdo, si viuus ad orbem totus processit ad nullum declinans monstrum, vel prodigiũ. quo loco vox illa, tantummodo, posita est, tùm ad excludendam vocis emissionem, quam nõnulli putabant necessariam ad legitimum partum constituendum; tùm ad docendum, nil aliud requiri vt legitimus sit partus, quàm quòd, vt supra dixerat, perfectè viuus fœtus nascatur: videlicet, vt clarius his verbis explicat, in idemq; redit, quòd viuus ad orbem totus procedat ad nullum declinans monstrum, vel prodigium. quibus in locis apertissimum est, partum viuum editum, licèt statim moriatur, mortuo opponi; scilicet illi, qui vel iam mortuus nascitur, vel in ipso ortu nõdum totus vtero egressus moritur: ac primum tanquam legitimum partũ admitti; alterum reijci tanquam abortionem: vt necesse sit, partum hunc mortuum, quantum

C. de posth. her. l. vxoris abortu.

l. quod Certatum.

est meritò temporis, & perfectum esse partum, & iusto tempore editum; ita vt hac de causa non dicatur abortus, sed tamen, quia mortuus editur, abortum verè esse, & appellari. cuius rei ratio quidem illa euidens est, quòd huiusmodi partus, qui mortuus nascitur, si cum vita & spiritu nasceretur totus, rumperet testamentum ex decreto Imperatorum; at rumpere non posset, si ante iustum tempus, licèt perfectè viuus, oriretur; videlicet ante mensem septimum, ac diem centesimum octogesimũ secundum; quare necesse erit emortuum partum hunc, huiusmodiq; abortionem iusto tempore in lucem prodire. quod quidem Glossator animaduertens, abortum rectissimè mortuum fœtũ interpretatur; vt ex hac lege euidentissimè colligatur, mortuum fœtum iusto tẽpore editũ abortũ dici apud Iurisconsultos. Atq; hoc est, quod Tiraquello in Compendio obijciebamus; non esse illum audiendum affirmantes, dũ statuit, arguitq; ex l. QVOD CERTATVM EST auctoritate, partum immaturum prodeuntem, tametsi viuum editum, nihilominus abortum dici; ita vt iura ibi non distinguant siue viuus nascatur, siue mortuus, dummodo pleni tẽporis non sit, nec viuere possit; ideoq; octomestrem per eandem hanc legem nõ rumpere testamentum in illis verbis, si viuus perfectè natus est; quia perfectè natus non dicatur, tametsi oriatur viuus, qui intempestiuè, atq; immaturus natus est, vt viuere non possit. Neq; enim dicere volumus, Tiraquellum in eo aberrare, quòd scripserit, partum immaturum prodeuntem, scilicet ante septimum, abortum esse appellandum; quod veritati summè esse consentaneum superius ostendimus; sed in eo ipsum nostra sententia hallucinari, quòd ingenti æquiuocatione idem putans significare viuum perfectè nasci, & perfectè nasci; de hac abortionis specie sermonem in ea lege censuerit haberi; ex illiusq; legis verbis octauo genitos omnino reijci; quod falsum esse credimus sine vlla dubitatione: eò quòd in ipsa, vt superius, ac in Disceptatione probatum est, abortus pro mortuo edito fœtu accipiatur iustis mensibus, videlicet à septimi initio, ad exactum vsq; decimum; proindeq; nil elici possit, quod octomestribus officiat. Nec obest quidquam, si diceret aliquis magnam in hac nostra explicatione difficultatem facere l. SEPTIMO MENSE, in qua visum est, Iurisconsultis Hippocratis omnino sentẽtiam

tiam sequi; ex quò & colligi facilè potest, noluisse fortasse eos in abortus significatione ab eiusdem sententia discedere, qui simul cum alijs Medicis non modò fœtum mortuum abortum videtur appellasse, sed eum etiam, qui perfectè viuus natus statim interit à sexto mense ad vndecimum. nec rursus aliquid officit (quod maiorem etiã infert difficultatem) si objiciat aliquis; si abortus nomine insigniri is fœtus non debet, qui post sextum mensem natus est perfectè viuus, quamuis pauco interposito tẽpore sit mortuus; statim apparere, sine ratione vlla adeò Romæ dubitatum fuisse, si partus perfectè natus viuus octauo mense, sufficeret pro assequendo iure trium liberorum, vt scribit Aulus Gellius Noctium Atticarum libro tertio; quo loco perspicuum est dubitandi fuisse rationẽ, quòd illum partum crederent omnino abortum esse, non autem perfectum partum, vbi natus esset, tametsi viuus, fœtus octauo mense. verba Gellij hæc sunt aperta.

Cap. 20.

» Cùm abortio quibusdam videretur men- » sis octaui intempestiuitas. Si enim octauo mense natus perfectè editus viuus, etiam si statim interierit, secundum legem non est abortus; qua ratione Romæ dubitari poterat, an abortus dici posset? asserendum itaq; esse necessariò, aut legem à nobis allatam aliquam pati limitationem, aut dubium, de quo Gellius scribit, fuisse ineptissimum. neq; enim dici posse, Gellium eo loco de partu octaui mensis per accidens locutum esse ijs » verbis. intempestiuitas octaui mensis, quoniam sequeretur, etiam necessarium esse, legem limitare ad fœtum octauo mense perfectè viuum secundum naturam editum, & non ex accidenti, quo concesso hoc alterum contingeret absurdi, quòd, cùm non adsint signa, quibus distingui possint fœtus viuus natus natura, à nato ex accidenti octauo mense, qui statim interit; alterum duorum sequi necesse esset; vt aut neuter eorum pro abortu habeatur contra litem ab Aulo Gellio propositam, & contra legem à nobis allatam; aut vtrunq; abortum statuamus aduersus pariter ipsam legem, & nostram opinionem.

Propositæ superiori capite dubitationes dissoluuntur. Quid sit apud Iurisconsultos partus maturus, perfectus, iusto tempore editus, integrũ animal, viuus totus ad orbẽ deuolutus. Obiter an monstrum abortus dici possit.

Cap. 9.

HAec igitur si objiciantur, nihil obsit, vt initio dicebamus. Ad primum enim difficultatis caput respõdemus; quòd Medici cùm Hippocrate non modò fœtum mortuum appellent abortum, sed etiam eum, qui perfectè viuus natus à sexto mense ad vndecimum statim interit; nisi valde impropriè ac generaliter abortus nomen accipiamus; nullo pacto esse concedendum. quia, vt supra probatum est, Solis luce clarius appareat, ipsum Hippocratem duodecimo illo Aphorismo tertij secti partum ab ipso abortu perspicuè distinguere; & abortum vel mortuum fœtum iusto tempore genitum, vel in ipso ortu intereuntem appellare; partum verò eũ fœtum, qui totus, ac perfectè viuus cùm natus sit, statim interit, vt iam necessariò dicendum sit, Hippocratem abortus nomine intellexisse, quemadmodũ pulchrè Galenus explicuit in Commentarijs, eos fœtus, qui prius in vtero, vel mox in partu moriuntur; ob idq; & necessariò pariter concludendum, quòd si lex in abortus significatione Hippocratis sententiam sequi velit, ab ea, quam exposuimus, sententia non discedet. Ad secundum caput dicimus; si fœtus post sextum ad vndecimum vsq; natus viuus, sed pauco interposito tempore mortuus abortus nomine insigniri debet; sequi necessariò, fœtum septimo, nono, vel decimo mense viuum editum, & paulò post mortuum, etiam si vocem ediderit, abortum debere appellari; proindeq; non rumpere testamentum; quia iuxta legum decreta vxoris abortu non rumpitur testamentum: quòd si quis asserat, rem tùm ab omni Philosophia, tùm à Iurisperitia alienam affirmabit. Hinc perspicuum fieri adiungimus, quòd octauo genitus antiquitus à nonnullis, & hodie à cunctis ferè Iurisperitis abortus nomine dignetur, non esse quidem causam, quia paulò post ac natus est intereat; sed, cùm existiment hunc fœtum viuere non posse; paria autem apud istos sint, non nasci, vel nasci viuum, sed viuere non posse, vel mortuum nasci; mortuum verò natum leges ab-

C. de posth. hær. l. vxoris abortu.

L. quod Cartaliuo.

abortum appellent; his de causis octauo genitum, tametsi perfectè, & totum viuũ natum videant, abortum nihilominus appellare, quia, perinde ac si mortuus natus esset, eum accipiunt. Cùm igitur hęc opinio Gellij etiam ætate in quorundam animis insedisset, non tamen communis esset; nam inquit Gellius loco memorato, quibusdam, non omnibus visam esse abortionem, non partum, octaui mensis intempestiuitatem; putarentq; isti octauo genitũ, ac statim mortuum, tametsi viuus editus sit, quia partum hunc naturaliter viuere non posse crederent, abortum esse dicendum; quæstioni causam dederunt. in qua sanè Gellij disputatione illud maximoperè animaduerti cupio, quod alibi notaui; Gellium quidem ipsum asserere, quibusdam visam esse abortionem, non partum, mensis octaui intempestiuitatem; sed cùm non adijciat, rectè istis esse visam, horumq; sententiam Iudicis auctoritate fuisse comprobatam; non leui nos coniectura admonere, eam tanquam falsam fuisse reiectam. qua in re illud diligenter lectores velim animaduertant; quòd si ponit obiectio, & tanquam ex Gellij verbis clarum supponere videtur, legem ab ipso Gellio quandam citari, quæ octauo genitum abortionem esse statuat; id nos omnino falsum arbitrari. Siquidem Gellius quibusdam, inquit, visam esse abortionem octaui mensis intempestiuitatem, sed quòd hoc vlla fuerit lege definitum, quòdq; ab altero illo lõgè est diuersum; nec verbum quidem vllũ habet. quam profectò legem, si nos hodie inter alias leges positam inuenissemus; vel ab aliquo Veterũ antea diuulgatam, etiã si non extaret, apud vllum Auctorem legissemus; vt qui legibus libentissimè pareamus; liberè fateremur, frustra, immò & temerariè à nobis hunc sumptum esse laborem, vt de Aristotelis sententia octauo genitos vitales, ac naturales partus esse probaremus. ad quam certè prouinciam capessendam nulla maior fuit incitatio; nulla suasit ratio efficacior, quàm quòd Iurisperiti erubescant sine lege loqui; nulla verò sit hodie lex, vel vnquam antea extiterit, quæ octomestres cõdemnet. Hinc autem cùm argumentatur obiectio, si natus, perfectè editus, & viuus octauo mense, statimq; mortuus secundum legem abortus non est, qua ratione Romæ dubitari poterat, an abortus dici posset? adeò vt dicendum sit, vel limitationem aliquam legem pati à nobis allatam, vel dubium fuisse ineptissimum; palàm est nullius momenti argumentationem nobis obijcere. ideo enim potuit cum ratione dubitari, ideo dubium non fuit ineptissimum, quia nulla aderat lex, quæ hoc speciatim sanciret de octomestri; hic verò partus ob suam imperfectionem, an inter abortiones sit collocandus, quasi natura non vitalis censeatur, non leuem præbeat suspicionem. quæ sanè imperfectio cùm non sit tanta, vt partum hunc è vitalium, naturaliumq; serie expellat, satis monstrat, legem à nobis allatam octomestris respectu non esse limitandam. Quòd si intelligamus ponere obiectionem, legem citari à Gellio, quę statuat, octauo genitum, tametsi perfectè viuum editum, abortum esse; iam patet se ipsam destruere, si hoc ponit; si enim huiusmodi lex aliqua aduersus octomestrem extitisset, certè non potuisset Romæ dubitari, an abortus dici deberet; vt ea ipsa mota dubitatio, nullam extitisse aduersus illum legem faciat testatissimum. Neq; nos turbet, quoquo modo Gellij verba accipiamus, illam tamen effugere plagam non posse, quin octaui mẽsis partionẽ vocet lex intempestiuitatẽ. enimuero Gellianam hãc intempestiuitatẽ, nil aliud dicere, & significare, quàm imperfectionem octomestriũ propriam; cuius ratione & naturalis minus, & imperfectior, & difficilior, periculosiorq; aliorum respectu partus esse dicitur; adeò vt illis comparatus, intempestiuus quodammodo his de causis esse videatur; si quis ea, quæ à nobis libro tertio disputata sunt de huius partus natura, cõsiderabit, facilè confitebitur. Tandem ꝙ postremo loco obijcitur, modis omnibus nobis fauere perspicuum est, tãtum abest, vt vel minimum officiat; dictum .n. à nobis suo loco est, partũ per se & per accidens in alijs etiã mẽsibus non solùm in octauo locũ habere; admonitum est, partus per accidens in mẽse nullo viuere posse; ideo in septimo, nono pręsertim, ac decimo, tàm sępe genitos fętus intermori; demũ animaduersum est, Iurisconsultos prudentissimè, quia viderent nulla adesse signa, quibus distingui possint fœtus per accidens geniti ab illis, qui nascuntur secundum naturam; vtrosq; tanquam naturales partus recepisse; nilq; aliud ad legitimum constituendum partum expostulasse, nisi vt intra terminos ab illis positos totus viuus, ad nullum declinans monstrum oriatur; vt iam, cùm lex particularis nulla aduersus octomestres condita sit, simul etiam sit perspicuum, secus

eus quàm ponit obiectio neutrum eorum pro abortu esse habendum; & Gellij verba ad octomestrem per accidens, non esse trahenda, & legem à nobis allatam ad octomestrem per se non esse limitandam. Sed ad nostra redeamus. Eodem igitur, quem explicuimus, sensu Vlpianus mortuum editum iusto tempore fœtum abortum putans; viuum editum nullo modo abortum; libro nono ad Sabinum decernit, filium exsecto ventre editum, & si non integrum animal nascatur cum spiritu tamen, rumpere testamentum; & libro quadragesimo sexto ad Edictum, matris suæ, quæ prægnans decessit, accipere bonorum possessionem posse: huiusmodi enim partus exsecto ventre editos intelligit Iurisconsultus iusto tempore editos esse, & viuos; ita vt mulier, quæ prægnans interijt, iam septimum mensem, naturaleq; pariendi tempus ingressa fuerit, nec transiuerit decimum in gestatione: & quia iusto tempore perfectè viui nati sint, licèt illicò moriantur, tanquam non abortus accipere bonorum possessionem posse statuit, & rumpere testamentum, rectè adiungens, etsi non integrum nascatur animal, partum esse admittendum; quoniam non integrum intelligit, si videlicet aliquo membro careat, puta vel digito, vel manu; non quòd totum viuum animal ad orbem non procedat: vnde nulla est, quemadmodum in Disceptatione quoq; animaduertimus, inter illũ ac Imperatorem dissensio, nulla contrarietas. Hinc elucet, quo sensu apud Iurisconsultos partus dicatur perfectus, maturus, iusto tempore editus, legitimus, integrum animal, viuus perfectè natus, viuus totus procedens, demum ad monstrum nullum declinans, vel prodigium; ita vt quadruplex sit significatio. siquidem priora illa verba, videlicet perfectus, maturus, iusto editus tempore, legitimus, vnius significationis sunt, ad legitimumq; pariendi tempus referuntur; partusq; dicunt maturitatem: vt nonnullorum subtilitas in hac generali partus consideratione recipienda non videatur, qui inter maturum partum, atq; perfectum distinctionem faciunt. perfectus enim, & maturus partus est, cùm septimum mensem attingit, quia scilicet eo tempore nascitur, in quo primùm viuere potest; proindeq; & iusto tempore editus dicitur; quod, cùm vndecimi initium non pertransit, habet quoq; veritatem; intra quos terminos nascens, legitimus appellatur, tanquam editus intra limites à lege

ff. de lib. & posth. inst. l. q dicitur. ff. unde cog. l. hęc bonorũ §. si qua prægnans.

præfinitos. Altera verò illa, integrum animal, secundam constituunt significationẽ, membraq; ipsa fœtus respiciunt & partes, discretamq; quantitatem. item ea altera, viuus perfectè natus, viuus totus prodiẽs, tertiam; actumq; dicunt nascendi, & quãtitatem respiciunt continuam, totius scilicet corporis ex vtero egressum, ac partes simul sumptas. Demum postrema illa, ad nullum declinans monstrum, vel prodigiũ, quartam constituunt significationem, & qualitatis habent rationem, ad figuramq; humani generis referuntur; vt libro primo de Monstris demonstrabimus. atq; vt apertissimum est, abortus in prima, & tertia significatione locum habet; in secunda, & quarta nullo modo. nam abortus ille est, non partus, qui ante maturitatis tempus in lucem venit; & qui editur mortuus, vel in ipso ortu interit, tametsi tempore iusto ac maturo, abortus itidem dici debet: cùm alioquin neq; abortus possit appellari, nec verè sit, qui aliquo carens mẽbro oritur, vel contra figuram humani generis, sed potius monstrosus partus, licèt specie alter ab altero seiunctus, quemadmodum secũdo libro de Monstrifici Fętus formatione declarabimus: vt audiendi nõ videantur, qui monstra censent appellanda abortus. Verùm hactenus in præsentia disputatum sit à nobis, quid propriè abortus nomine apud Iurisconsultos veniat intelligendum: nunc reliqua tria capita breuiter discutienda sunt, quorum ex superioribus facilis est solutio.

Vtrum mortuus, licèt iusto tempore editus, fœtus abortus sit dicendus; an viuus editus, sed qui secundum naturam viuere non possit, abortus appellari debeat; contrariæ hac de re sententiæ adducuntur, et quę nã sit uerior, expeditur.

Cap. 10.

QVærebamus an fœtus mortuus editus dici abortus debeat; quid ad hoc respondendum sit, satis arbitror ex superioribus esse manifestum; cùm Hippocratis, Aristotelis, Galeni auctoritate, quod ad Medicos pertinet ac Philosophos, mõstratum sit, partum mortuum editum abortũ maximè propriè esse, & appellari; id ipsũq; Iurisconsultos recipere probatum sit ex ipsis Diocletiani Imperatoris verbis. Quod verò tertio loco quærebatur, an scilicet partus viuus editus, sed qui tamen viuere ne-

nequeat, tanquam genitus immaturus, abortus vocari queat, maiorem habet dubitationem; cùm grauissimæ auctoritatis viri inter se dissentire, ac mirificè digladiari videantur: asserentibus alijs partum, qui viuere nequeat, licèt viuus totus natus sit, abortum omnino censendum esse; idq; in octomestri locum maximè propriè habere contendentibus: alijs verò, partum, qui viuus totus ad orbem procedat, nullo modo abortum posse vocari, tametsi viuere non posit; vt ferè cogamur dissensione Sapientum veritatem ignorare. quarum profectò sententiarum, vt quæ ad veritatem sit propensior iudicare valeamus, & rationes, & fundamenta recitanda breuiter sunt: ita enim sunt in plerisq; contrariarum rationum paria momenta, vt aliquando facile non sit videre veritatem.

Prior igitur sententia huiusmodi fulcitur ratione. Qui mortui nascuntur, neq; nati neq; procreati videntur, quia nunquam liberi appellari potuerunt; vt Paulus libro secundo ad Legem Iuliam, & Papiam pulchrè docuit. item abortus censendi sunt, vt supra monstratum fuit. at qui viuere nequeunt, perinde sunt, ac si mortui oriantur; quoniam, vt Iurisprofessores summa consensione dicunt, paria sunt nasci mortuum, & viuum nasci, sed viuere non posse: itaq; si partus illi, qui, licèt viui oriantur, quia tamen nequeunt superuiuere, in mortuis sunt collocandi; certè huiusmodi tales & tanquam non nati, neq; procreati, & tanquam abortus censeri debent, tametsi editi cum vita & spiritu.

l. q mortui ff. de Verb. Signif.

Posterior sentẽtia hoc potissimum nititur fundamento, quòd Imperator Iustinianus in lege illa Codicis tertia, quam superius attulimus, illud tantùm requirere in partu videatur, & aliud præterea nihil, vt testamentum rumpere posit, & ex consequenti vt abortus dici nequeat; quòd viuus perfectè nascatur, licèt illicò in manibus obstetricis decesserit; idest, quemadmodum idem infra declarat, quòd totus viuus ad orbem procedat ad nullum declinans monstrum, vel prodigium; itaq; non considerat, an viuere posit secundum naturam, vel non. vnde huius opinionis defensores concludunt, Imperatoris verba violari, si viuum, idest eum, qui viuere posit, suppleamus ac interpretemur; cùm ille, qui viuus oritur, viuus tamen dicatur, tametsi viuere non valeat; & idcircò posit baptizari, licèt certum sit, illum mox esse moriturum. ex quò & addunt, ex huius legis auctoritate abortiuum partum illum tantùm dici debere, qui vel monstrosus est, vel natus est mortuus, vel non totus ad orbem procesit. Hoc idem ex Imperatoris Diocletiani verbis, quæ supra attulimus, colligi dicunt apertisimè; in quibus habetur, filium natum viuum non dici abortiuum; item ex verbis Vlpiani libro nono ad Sabinum, in quibus illud tãtùm requirit Iurisconsultus, vt cum spiritu nascatur infans licet nõ integrum animal; ex quò & inferunt, cùm vox, non integrũ, perfectionem significet, partum quoq; intempestiuum, ac temporis ratione immaturum comprehendi; adeò vt lex, si integritatem partus non curat, neq; etiam curet perfectionem; dummodo cum spiritu nascatur: ex quibus omnibus euidens esse dicunt, & manifestum, Iura non attendere an partus viuere posit, sed tantummodo an nascatur viuus. quibus receptis sequitur necessariò, partum viuum totum ad orbem deuolutum, & cum spiritu nullo modo abortum posse appellari: quibus addere potuissent Paulum libro secundo ad Legem Iuliam nil aliud requirentem, vt natus, procreatusq;, ac liber dici posit, nisi vt non mortuus nascatur. sequitur enim ex his à contrario sensu, vt partus, qui viuus nascetur, siue iusto tempore, ac perfectò oriatur, siue non; & procreatus dici debeat, & liber, & ex consequenti non abortiuus. Demum probant sigillatim de octomestri partu hac ratione, quòd abortus dicendus non videatur, quoniam legitimi partus apud Iurisconsultos illi censendi sint, qui septimum mensem attingũt, siue decimum non pertranseunt; vt omnis partus, qui intra hos terminos viuus totus ad orbem procedit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium, pro legitimo habendus videatur, nec abortus dici posit; eò quòd lex vel natos mortuos, vel monstra, prodigiaq; excludat, vel ante septimum editos, ac post decimum; quæ omnia cùm in octauo genitis locum non habeant, hi profectò partus nec abortiui, neq; illegitimi dici poterint, proindeq; necessariò erunt recipiendi. Hæ sunt pro vtraq; parte rationes. Verùm, vt liberè dicam quod sentio, opinio prior omnes in se numeros videtur continere veritatis; ita vt ferè demonstrationis vim habere appareat: & ratio quidem est, quoniam Iurisconsulti, tametsi in condendis legibus ad humanum partum pertinentibus, non videantur considerasse an hic, vel ille partus sigillatim, dum-

C. de posth. her. l. vxoris abortu. ff. de lib. & post. l. quod dicitur.

ff. de Verb. Signif. l. qui mortui.

dummodo legitimo tempore nati sint, viuere posit; sed tantùm voluisse, vt viuus totus nasceretur: attamen partum generaliter viuere posse supposuerunt, & necessariò expostularunt. quod quidem tùm docuerunt apertissimè, vbi decernentes die 182. scilicet septimo mense genitum, perfectum esse partum, & iusto tempore editum, & ad legitimam hæreditatem admittendum; è contra partum illum, qui ante hos dies in lucem veniat, tanquam imperfectum, nec natum iusto tempore, videntur reiecisse; nec vlla certè alia de causa reiecisse, nisi quia imperfectus existens, & non iusto tempore natus, viuere naturaliter non posit, & idcircò sit abortiuus. enimuero si ante septimum genitus, ac diẽ 182. quia viuus totus progreditur in lucẽ, non declinans ad monstrum, vel prodigiũ, rumperet testamentum, admitteretur q; ad hæreditatem; igitur non esset abortus; at si hoc daretur, legum maxima inter se esset contrarietas, atq; inter Iurisconsultos sũma dissensio; cùm iam Vlpianus decreuerit, ante diem 182. genitum iusto tempore non videri natum, & ex consequenti non esse admittendum ad hæreditatem. quæ quidem contrarietas si concedatur, nemo est qui non videat, rem concedi absurdissimam. & ratio quidem est, quoniam qui ante iustum tempus editur, verè non nascitur, nec paritur, sed abigitur, & eijcitur; vnde & abortio est, quoniam abortus nil est aliud, quàm eiectus partus ante iustum tempus, tametsi viuus egrediatur: quo pacto certum est, partum hunc non esse vitalem; & si viueret, multo antea ex iniustis nuptijs genitus censeretur. Itaq; relinquitur, vt hoc verum firmumq; recipiamus. ac fateamur, quod Alciatus grauissimè in Commentarijs de Verborum Significatione animaduertit; partus eos, qui viuere non possunt, tametsi viui nati sint (non possunt verò viuere, quoniam imperfecti geniti sunt, atq; ante iustum tempus) abortiuos omnino esse dicendos; quemadmodum rectissimè prior sentẽtia tuebatur. cuius rationi nemo est qui non sit crediturus, cùm vim afferat in docendo.

L. qui mortui

Posterioris sententiæ soluuntur rationes. queritur an octomestris partus verè sit dicendus abortus, non vitalis, illegitimus. Recentiorum quorundam affertur opinio.

Cap. 11.

IAm verò hac recepta veritate facile est contrariæ positionis euertere fundamenta; eò quòd omnes illæ leges, quæ in partu, vt admittatur, nil aliud requirere videntur, nisi vt viuus totus, & cum spiritu oriatur, ad nullum declinans monstrum, licèt non integrum animal editum fuerit; vt bellissimè Alciatus in Responsis admonuit, præsupponant habilitatem in cæteris; atq; hac supposita procedunt: nec est credibile tali generalitate esse derogatum dispositioni legum aliarum. erudita verò vox, & magno viro ac sapiente digna; quæ declarat quo sensu, vt omnis tollatur contrarietas, omnes hæ leges sint intelligendæ. Nil igitur officiet priori sententiæ illarum legũ auctoritas, quoniam partum viuum totum ad orbem deuolutum ad monstrum nõ declinantem præsuppositis cæteris habilibus, quòd scilicet iusto tempore nascatur, decernit admittendum. atq; hoc modo, quod ex Pauli verbis deducebamus à contrario sensu, intelligendum est; qui enim viui nascuntur, & nati videntur, & procreati; si modò, vt rectissimè eo loco Alciatus animaduertit, iusto tempore nascantur: cæteroqui non dicentur nati, neq; procreati, quia tanquam nõ iusto imperfectoq; tempore orti abortus sunt, & viuere ideo non possunt; vnde habentur ac si nati mortui fuissent. itaq; falsum erit quod isti dicunt, has leges non curare, an partus viuere posit, verùm illud tantùm attendere, quòd totus viuus nascatur; cùm iusto tempore genitum partum supponentes, necessariò etiam supponant & curẽt, quòd eo tempore nascatur, in quo vitæ compos fieri queat, & secũdum naturam viuere posit, proindeq; necessario curent, quòd posit viuere. Nec probat quidquam, quòd partus ante iustum tempus genitus posit baptizari; cùm alia omnino sit ratio baptismatis, alia successionis; ex quò & in nõnullis casibus etiam si totus viuus non fuerit genitus, dummodo aliquod membrum fœtus emiserit, potest baptizari, vt quarto Sententiarum Theologi docent; quem, si quis dixerit idcircò rumpere testamẽtum, videbitur omnino delirare. quo loco nec illud etiam recipimus, neq; elici posse credimus, quod ex Iustiniani verbis elici clarissimè isti contendunt; videlicet partum monstrosum abortum appellari; quod supra quoq; monuimus, & alibi fusius demõstrabimus. Quod verò addunt, apud Vlpianum voces illas, non integrum animal, partum temporis ratione non perfectum designare; id ex superiori nostra expositione

Tom. 3. lib. 9. Resp. 23.

tione longissimè patet à vero aberrare; cùm certum sit, non integrum animal Vlpianum ibi appellare partum membro aliquo carentem, qui temporis ortusq; ratione perfectus nihilominus existit; sicuti & vir manu amputata non minus perfectam hominis substantiam in se habet: vt non tantùm ad tempus, sed neq; etiam ad quantitatem corporis continuam, ad partesq; simul sumptas vox, integrum, referri possit; quoniam sic è diametro pugnaret Vlpianus cum Iustiniano totum viuum partum oriri oportere decernente, vt superius tetigimus. Postremò, ratio illa, quæ ad octomestres pertinet, & quæ caput quartum superius positum dissoluit; si ponamus octauo genitos sua natura vitales esse, vt ponendum nos censemus; sine vlla dubitatione demonstrationis vim omnino habebit: qua & nos in Disceptatione vsi sumus, & apud Iurisconsultos efficaciorem nullam inueniri posse arbitramur: verùm si, vt isti concedunt, octauo genitos viuere non posse admittamus; tunc ratio ipsa nullius erit momenti; enimuero cùm leges non paucas exceptiones ac limitationes patiantur, suasq;, vt loqui solent Iurisprofessores, fallentias habeant; dicere possemus, partus intra septimum ac decimum genitos vitales esse, ac legitimos excepto octomestri; idcircò octauo genitum, licèt viuus totus oriatur ad nullum declinans monstrum, nihilominus cēseri abortiuum, quoniam naturaliter viuere non possit. Cæterum his ita cognitis, quid pro veritate ad quartum caput respondendum sit, satis elucet: audacter enim pronunciandum est, partum octomestrem abortum dici non posse; sed vt id probemus, pugnacissimè est defendendum, octauo genitos sua natura esse vitales: quo posito omnia ruunt Aduersariorum fundamenta. qui enim hoc negant, sed tamen abortum postea partum hunc fateri nolunt, frustra laborant; & pugnātia, mea quidem sententia, ponere videntur. abortus enim non est, nec dici potest, vt rectissimè isti ponunt, partus octomestris, quia perfectus oritur & maturus, ac iusto tempore; item quia totus viuus ad orbem deuoluitur. at si perfectus venit in lucem, ergo & vitalis, ergo & legitimus, quod ipsi negant; quo igitur pacto non abortus, & tamen non vitalis dici potest? Neq; enim doctissimos quosdam huius ætatis viros sequendos puto, inter quos eruditissimū Laurentiū Oper. Anatom. libro secundo reperio, qui octomestrem partum abortum esse negantes, perfectum partum esse statuentes, & rectè; illegitimum, ac non vitalem esse postea cōcludunt istorum imitatione. Laurentius enim memorato loco sic eleganter. Cùm itaq; septimo mense perfectus sit puer, nihilq; ad perfectionem partium in eo desideretur; si eo mense satis validus sit, membranas disrumpet, exitum sibi parabit, eritq; superstes (quia perfectus) præsertim si fuerit mas. At octauo mense si prodeat, licèt perfectus sit, vitalis non erit; quia duas afflictiones sibi inuicem succedentes ferre non potest. Superiore enim mense plurimum colluctatus est; nūc eundem conatum repetit nondum refectis viribus; succumbat ergo necesse est. Quin etiam octimestris vitalis non est, quia venit post diem partus, qui septimestris esse debebat, ante diem verò illius, qui nonimestris erat futurus: vnde sinistri aliquid contigisse existimandum, quòd vel septimestrem partum tardarit, vel anteuerterit nonomestrem. Hæc ille; quas putat veras ex Philosophiæ ac Medicinæ schola causas adducens octauo genitos non vitales partus, ac illegitimos probantes. Arithmeticas enim & Astrologicas tanquam leuissimas ac figmentis persimiles, meritò reijcit. Hinc paulò infra definiens, abortum nil esse aliud quàm imperfecti, immaturiq; fœtus editionem extinctionemue; partum nil aliud quàm perfecti in vtero fœtus editionē, siue vitalis exeat, siue non: concludit, non leuiter eos errare, qui octomestrem partum abortum vocant, quia vitalis non sit; eò quòd non sit de essentia partus simpliciter & absolutè, vt vitalis prodeat, sed vt perfectus; octomestris verò perfectus sit, sed non vitalis: vitalem enim esse, & non vitalem, legitimum & illegitimum differentias esse partus. Hinc legitimum partum esse definiens, qui suo tempore prodit, illegitimum, qui aut post diem, aut ante diem erumpet; octomestrem illegitimum esse dicit, quia vel nonomestrem anteuertit, vel retardat septimestrem. Hinc sequenti disputatione tanquam ratum firmumq; ponit, octomestris fœtus editionē partus quidem nomen nō abortus mereri, sed nec vitalem esse, nec legitimum dici debere. si autem in Aegypto, vbi fœtifer potu Nilus, & in Hispania ob pariendi facilitatem, ac Cœli, soliq; clementiam aliqui viuant, hæc tanquam rara, & præter naturam vniuersalem esse existimanda.

Cap. 15. Quæst. 36. 37. 38.

Cap. 16.

Quæst. 36.

Quæst. 37.

Quæst. 38. Hinc demum ad superiorum confirmationem Hippocratis verba adducens ex initio Opusculi de Octomestribus cōcludit eius etiam auctoritate, octauo mense genitos, licèt perfecti sint, non posse esse vitales, ob allatam suprà rationem, quia scilicet duas afflictiones sibi inuicem succedentes ferre non possunt. quas quidem afflictiones explicat nullas esse alias de Hippocratis mēte, quàm antea expositas; videlicet colluctationem in septimo factam ad exitum, & eundem conatum quem octauo repetunt nondum refectis viribus.

Allata superiori capite opinio confutatur. Aristotelis explicatur locus quidam. Concluditur octomestrem perfectum, vitalem, legitimum esse partum, ac naturalem. Pauli de Castro sententia reijcitur.

Cap. 12.

HAec isti; sed me hercle valde periculosum in vastum hoc disputationis de natura humani partus mare vela pandere, nisi fluctuantes in eo animos erigat salutaris, & prosperæ stellæ fulgor Aristotelicæ orationis; nisi Argonautam habeamus & ducem optimum, diuinum Aristotelem. Summo nanq; Philosopho perfectio in partu ac maturitas vitam dicit necessariò; itaq; repugnantia in terminis est, & contradictio, partum maturum ponere, ac perfectum, sed non vitalem. Cuius rei ratio est, quia partus vt partus non alio fine à natura gignitur, genitus in vtero perficitur, perfectus editur, nisi vt iam perfectus quantum in se est, si aliquid extrinsecum non prohibeat, oriatur ad vitā; ita vt actu viuat & adolescat, aut saltem quantum in se est, viuere possit, & adolescere. quare perfecti editi fœtus propria operatio, quatenus talis, nulla esse alia videtur quàm ipsum viuere; quod adeò quidem per se clarum est & euidens, vt nulla egeat probatione; in hac enim rerum vni- » uersitate ἅπαντα ἐστιν ὡρισμένα τῷ ἔργῳ. idest, » omnia munere proprio, & operatione sunt » definita; & quæ suum ipsorum munus obire possunt, verè sunt talia, vt oculus si videat: quæ autem non possunt, æquiuocè talia sunt, vt mortuus oculus, & lapideus. quemadmodum in calce quarti Meteoron diuinè docet Aristoteles. quo loco in Philosophi oratione loquendi modus ille ac- » curatè ponderandus. τὰ μὲν γὰρ δυνάμενα » ποιεῖν τὸ αὐτῶν ἔργον, ἀληθῶς ἐστιν ἕκαστα. idest, » quæ possunt proprium exercere opus, verè » talia existūnt. neq; enim dixit, quæ exercent actu proprium opus, verè esse talia; sed quæ possunt exercere; nimirum vt doceat, satis esse habilitatem, potestatemq; exercendi ad verè tale aliquod constituendum, tametsi ob extrinsecus quoddā contingēs impedimentum proprium exercere opus prohibeatur; quamobrem partus, qui dicitur oriri perfectus, sed non vitalis, æquiuocè erit partus; non solùm enim actu nō exercebit, sed neq; etiam aptus erit, vt opus propriū ac munus exerceat, ad quod à natura est productus; quo nil absurdius potest affirmari; quodq; absurdum vt effugiamus; secus quàm viris istis eruditissimis videatur, concludendum erit; nempe vitalem esse, absolutè ac simpliciter ad perfecti partus essentiam pertinere, non esse differentiam. Hinc summus Dictator, cùm septimo Historiarum accepisset octauo mense naturæ decreto effici humani partus τελείωσιν, idest perfectionem & maturitatē, statim hoc mense nascētes retulit inter vitales. Hinc quarto de Animalium Ortu, cùm posuisset, intermedijs inter septimū ac decimum mensibus, ac proinde octauo humanum partum gigni, idest perfectum nasci, ac maturum; statim tanquam ex veritatis tribunali pronunciauit, octomestres esse vitales; videbat enim diuinus vir, perfectum partum necessariò sua natura esse vitalem, cùm perfectio in partu, ac maturitas causa sit vitæ, sicuti mortis imperfectio ipsa, & immaturitas, vt videmus in abortu. contrariorum enim contrariæ causæ sunt; ac partui perfecto abortus cōtrarius est, vt mors ipsa vitæ; vt maturitas & perfectio, imperfectioni ac immaturitati. itaq; perfectus editus partus, necessariò & vitalis. quam veritatem doctissimus Laurentius negare non potest; si modò & illud tanquam verum ab eo receptum non negabit, quod ad Romanorum leges adducit explicandas. inquit enim. Quin » etiam legibus Romanorum septimo mense » vitalem edi partum, propter auctoritatem » summi Hippocratis sancitum est. Atqui » Paulis Iurisconsulti lex illa pro vitali perfectum habet partum. legimus enim in ea sic, vt toties vidimus. Septimo mense na- » sci perfectum partum, iam receptum est » propter auctoritatem doctissimi viri Hip- » pocratis. quare interprete Laurentio vi- » talis in partu idem quod perfectus; vel certè perfectio causa vitæ. vt interim taceam, ex huius legis verbis clarissimè elici, vel

Cap. 4.

Cap. 4.

Quæst. 37.

ff de stat. hom.

vel ex perfectione vitam inferri, vel si ex perfectione vita non sequitur, satis esse partui perfectionem, vt à lege recipiatur; proindeq; octomestrem, tametsi non vitalem eum fateamur, nihilominus iuxta legum decreta esse recipiendum, quia perfectus oriatur. Sed vide quanta sit vis veritatis. idem Auctor paulò supra allatis ex eo verbis de Septimestri disserens, sic argumentatur, & concludit. Eritq, superstes, quia perfectus. Verùm si septimestris superstes nascitur, quia perfectus nascitur; ergo & superstes octomestris, quia oritur perfectus. Quòd si vrgeas pro istorum opinione; non esse vitalem, quoniam motum facit in septimo ad exitum, ex quo imbecillitatem acquirit quandam; quod tamen ab eis video prætermissum. Respōdeo; ergo, octomestris vitalis quidem per se, ac sua natura, sed non vitalis per accidens. at quæ ex accidenti sunt, lex non curat, non respicit Philosophia: quæ ex accidenti sunt, rarò eueniunt, non vt plurimum. quid enim absurdius in natura, plus posse semper; certè crebrius contingere, quod est per accidens quàm quod est per se? Præterea, motum istum ad exitum septimo factum iam esse ex verioris Philosophiæ agro à nobis expulsum; iam dictū (quod & decimo etiam libro plenius dicetur) neq; Hippocratem, neq; Aristotelem illum vnquam somniasse; afflictionem & ægritudinem, quam censuit Hippocrates fœtum in vtero octauo mense perpeti, nullo pacto ex hoc motu ortum ducere; verba ipsius à Laurentio adducta nulla ratione ad hunc motum trahi posse; quod octauus liber satis aperuit. Porrò autem fœtiferum potu Nilum, Cœli, Soliq; clementiam, pariendiq; facilitatem in Aegypto octomestres vitales non reddere, plenè fuit libro tertio, & quinto demonstratum; plenè ostensum, quòd viuat octomestris, non esse rarum, non præter naturam existimandum. Altera verò ratio illa, quæ ad Laurentij tribunal octomestres condemnat, & quæ hos partus illegitimos decernit; quòd scilicet vel post diem septimestris erumpant, vel ante diem nonomestris; si ad tribunal Aristotelis eum sistam, nescio quantum virium habebit. Si enim octomestris ideo moritur, quia vel septimestrem tardat, vel anteuertit nonomestrem; ergo septimestris, & nonomestris ex sua natura propria habent tempora maturitatis; neq; septimestris octauo, vel nono; neq; nonomestris octauo, vel septimo vitalis oriri poterit; quod verum esse tertius liber ex Præceptoris decreto demonstrauit. at enimuero si septimestris & nonomestris propria habent suæ maturitatis tempora, cur & non octomestris? cur octauo maturus nascens proprij temperamenti ratione, ac perfectus; non quidem post diem septimestris, non ante diem nonomestris, sed proprio, ac suo die, & tempore nasci non dicetur? hoc enim esse oportere idem liber diligenter explicuit de summi Dictatoris opinione. Et si hoc maximè vero est consentaneum, quo modo & illud non omnino falsum, quod tamen isti cum Laurentio supponunt tanquam verum; partum septimo nasci vitalem, quia sit perfectus; si verò octauo oriatur, nasci non vitalem ob allatas rationes; si differat in nonum exitum; superstitem refectis viribus venire in lucem? quibus eundem numero partū septimo & nono vitalem nasci posse, vidētur admittere? Si enim hoc verum est, ergo fœtus non habet propria ac diuersa maturitatis tempora pro temperamēti diuersitate; ergo octomestris non idcircò non vitalis, quia post diem septimestris, ante diem nonomestris erumpat; cùm nullos proprios habeāt hi partus dies, in quo nasci debeant. Si verò falsum; si fœtus sua naturæ lege habet tempora maturitatis; ergo & octomestris suo tempore nascens, vitalis omnino in lucem veniet. Quanquā neq; hoc si esset, illegitimum faceret partum octomestrem; illegitimus enim partus maximè propriè mihi est, à lege reiectus; reiectus verò à lege ille est, qui præter limites ab ea præfixos, ante septimum scilicet, ac post decimum deuoluitur ad orbem; sicuti non naturalis partus ille est, qui exit immaturus, non qui sine fœtus, ac fœtę contentione, aut in pedes prodeat, aut cum maxima difficultate, & symptomatum vehementia. hæc enim editionem potius, & exitum fœtus declarant non naturalem; cùm alioqui partus, tametsi absq; parentis enixu, & in pedes, difficulterq; exeat, dummodo sit maturus, naturalis partus veniat appellandus. Sic vides, quàm durum sit contra veritatis stimulos calcitrare; & quàm indignū Philosopho, quàm periculosum, quorumcunq; dogmatum consensione sine delectu, sine lance peripatetica, gradum sibi parare ad gloriam. Concludendum igitur pro quarti capitis definitione octomestrem partum perfectū, maturum, vitalem, legitimum, naturalem esse dicendum; abortum, vel non vitalem, ac il-

ac illegitimum & non naturalem nullo modo. nec nos illud moneat, quod tertio libro de huius partus imperfectione fuit definitum; quasi falsò hîc perfectus à nobis statuatur, si aliorum partuum respectu imperfectus dici debet; super hac enim dubitatione iam tibi idem ipse tertius liber responsum tulit. Sed hactenus de quatuor à nobis propositis capitibus disputatum sit: quæ cùm exposita sint, iam quanta facilitate Pauli de Castro opinio refellatur videamus: si enim octauo geniti vitales sunt secundum naturam, ergo si toti ad orbem viui deuoluuntur ad nullum declinãtes monstrum, vel prodigium, abortus nullo modo dici queunt; nullo modo partus præter naturam: igitur aduersus octauo genitos Pauli ratio nulla.

Socini senioris opinio proponitur discutienda. Loca quædam falsò à Socino adducta ex Galeno notantur. Quæ sint quæ rarò contingentia lex respuat, quæ verò recipiat. leges nonnullæ afferuntur.

Cap. 13.

BAldi, ac Pauli sententia explosa, iam senioris Socini opinio sequitur discutienda; quæ, vt mihi videtur, tres habet partes; quarum prima abortum esse definit partum viuum editum, qui tamen secundum naturam viuere non possit. secunda statuit, leges ea tantùm respicere, quæ communiter eueniunt, & frequenter; ex quibus duabus conclusionibus quid aduersus octomestres sequatur, satis libro primo expositum fuit. Tertia agit de partu decimestri. Quod pertinet ad conclusionem in prima parte definitam, nihil est quòd differamus: cùm & tanquam veram nos quoq; eam ponendam arbitremur, & iampridem supra posuerimus; quæ tamen nihil officit octomestribus, quos & iusto, & maturo tempore oriri probauimus, & propterea vitales. Illud tantùm in hac Socinianæ disceptationis prima parte putamus admonendum, doctissimum illum Medicum falsò eum docuisse, à Galeno cùm tertio secto, tùm quinto Aphoris. partum viuum editum abortiuum appellari; quoniam, vt superius vidimus, priori in loco Galenus abortum, vel antequàm oriatur, mortuum fœtum vocat, vel qui in ipso ortu moritur; ita vt antequam totus ex vtero egrediatur, velit interire; quo modo iuxta Imperatoris Iustiniani sanctionem natus viuus dici nequit, quia nec perfectè, nec totus viuus ad orbem sit deuolutus. in posteriori verò loco nec verbum quidem de abortu à Galeno haberi, quisq; ipsius Commentarium legens in illum Aphorismum facilè videbit, vt nil sit mirum, si aliorum falsis decepti relationibus Iurisprofessores pleraq; Hippocrati, Aristoteli, Galeno imponentes, quæ nunquam etiam somniarunt; de grauissimis quæstionibus (vt in hac ipsa, quæ ad partus octomestres spectat, accidisse videmus) ex illorum sententia pleraq; etiam à vero aberrantia decreuerunt. Sed neq; hoc alterum prætereundum, Socinum, meo quidem iudicio, Imperatoris Iustiniani mentem non attingere, dum ipsius verba ad temporis maturitatem, & perfectionem refert; & perfectum cum Paulo partum temporis ratione dici loco illo credit; etenim ibi Imperator requirit, vt partus viuus perfectè natus sit, non vt perfectè natus sit, vt Socinus inquit: quæ duo non paruam habent inter se differentiam, vt ex superioribus cuiq, palàm est, sed potissimum ex ijs, quæ in Disceptatione diximus circa legis illius explicationem. hoc enim postremũ, quòd scilicet perfectè natus partus sit, idest iustis mensibus, supponit Imperator non requirit, vt superior docuit disputatio. De secunda parte, etsi in Compendio dictum sit non indiligenter; quoniam tamen nulla est Iurisprofessorum aduersus octomestres, meo quidem iudicio, ratio efficacior, nulla probabilior; hoc etiam in loco mihi ad respondendum studio omni enitẽdum puto; præsertim cùm hoc ipso fundamento Socinus quoq; iunior, omnisq; demum Iurisprofessorum schola octauo genitos maximè refelli, illegitimosq; partus demonstrari arbitretur. Summa igitur rationis hæc est (vt illorum ore loquamur) quia non sufficit, vt res, si à lege ad mittẽda est, possit in natura contingere, & quẽadmodum dicunt, vt secundum possibiliter accidentia eueniat; sed necesse est, vt secundum communiter accidentia fiat; eò quòd per l. NAM ad ea, quæ raro eueniunt à Iurisconsultis non recipiuntur; idcircò octomestrem partum admitti nõ posse; quoniam, tametsi vitalis aliquando oriatur, id secundum possibiliter accidentia contingit, ac rarissimè. At principiò quid nam sit, quod rarò contingens lex ipsa respuat, videtur definiendum; deinceps videndum, an octauo geniti ad huiusmodi caput referantur: hæc enim in re Iuris-

Aph. 12. *Aph. 57.*

l. quod certatum est.

l. quod certatum est.

Iurisprofessores in ingenti versari æquiuocatione in Disceptatione dicebamus. Hoc igitur vt commodè statuatur, Iurisconsultorum verba afferenda sunt, ac ponderanda. itaq; sic Pomponius libro vigesimoquinto ad Sabinum; Celsus libro quinto, & decimoseptimo Digestorum; Paulus libro decimoseptimo ad Plautium hac de re loquuntur. Iura constitui oportet, vt dicit Theophrastus, in ijs, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, non quæ ἐκ παραλόγου. Ex ijs quę fortè vno aliquo casu accidere possunt, iura non constituantur. Nam ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ perrarò eueniunt; quoniam, vt ait Theophrastus, τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὺς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, idest quæ semel, aut bis accidunt, contemnunt Legislatores. Hæc illi; at enimuero ex primis statim verbis notum est (quod in Disceptatione quoq; monebamus) leges ipsas humanos actus potissimum respicere, non naturæ operationes; atq; in illis, quæ frequenter eueniunt, quæ rarò considerare; primumq; genus recipere, postremum repudiare. quod quidem vox illa Theophrasti, ἐκ παραλόγου, potissimum indicat; quæ, vt eruditissimus Budęus in Annotationibus super Pandectas admonet, significat ea, quæ nec opinato accidunt, vel præter hominũ opinionem. quod sanè ad humanos actus pertinere, nemo est, qui non videat; cùm Theophrastus, atq; ante illum Aristoteles, quæ rarò in natura fiunt, vsitata voce τὰ παρὰ φύσιν, idest præter naturam contingentia, non præter opinionem soleant appellare; vt hac de causa Iurisprofessores nõ parum aberrare existimem; cùm harum legum auctoritate de naturæ operibus nulla alia distinctione adhibita, & consideratione iudicare volunt. quod & eò magis mihi persuadeo, cùm videam, leges ipsas, si naturæ opera animo versemur, ea, quæ rarò fiunt, statim recipere. nam pręterquàm quòd & minores septimestres, & maiores decimestres admittunt, qui partus rarò in natura generantur; quinquagenariæ, immò & sexagenariæ partum, quod longè magis rarum est, legitimam iudicant, ac naturalem sobolem; vt ex Imperatoris Iustiniani responsis satis constat. quin etiam, quod non minus fortasse rarum est, & tergeminos nasci, & quod adhuc magis est, quinq; numero vno coitu, & partu mulierem gignere, & edere posse statuere videtur; vt apud Paulum libro decimoseptimo ad Plautium, apud Caium libro primo Fideicõmissi, & apud Iulianum libro primo ad Verscium Ferocem scriptum legimus. Iustiniani nanq; respõsum primũ ad quinquagenariæ partum, & porrò spectans, tale est. Sancimus, nuptias, quæ inter masculos & fœminas maiores, vel minores sexagenarijs, vel quinquagenarijs lege Iulia, vel Papia prohibitæ sunt, homines volentes contrahere; ex nullo modo, vel ex nulla parte tales nuptias impediri. Secundum verò responsum ita habet. Si maior quinquagenaria partum ediderit; si debet huiusmodi soboles suo patri succedere, & hæreditatem eius nancisci, à Cæsariana aduocatione interrogati sumus; & sancimus, licèt mirabilis huiusmodi partus inueniatur, & rarò contingat, nihil tamen eorũ, quæ probabiliter à natura noscantur esse producta respui; sed omne ius, quod ex quacunq; lege liberis præstitum est, hoc merum, atq; immutilatum huiusmodi filijs, vel filiabus seruari in omnibus successionibus, siue ex testamento, siue ex intestato. & summatim non absimiles alijs fiãt, quos similes natura effecit: maximè cùm & anteriore nostra lege huiusmodi nuptias permisimus impares eas videri minimè cõcedentes. Hæc Imperator; quibus definit mulierem maiorem natu quinquagenaria, & annum etiam sexagesimum agentem gignere posse, partumq; in legitimis, ac naturalibus habendum. quod tamen, si Aristoteli quinto & septimo Historiarum credimus, non solùm rarum est, sed etiam naturæ lege impossibile omnino censeri debet: enimuero sic ipse primo loco videtur statuisse. Mulier vsq; ad quinquagesimum (scilicet potest generare) verùm id rarò. paucis enim proles in eo ætatis tempore procreata est. secundo verò loco sic longè clarius, scilicet septimo libro. Sed desinunt (inquit) plurimis menstrua circa quadragesimum annum: quod tempus quę excesserint, ijs ad quinquagesimum seruatur: & iam nonnullæ eo tempore pepererunt. sed vltrà hoc tempus nulla potest protrahere.

ff. de leg. & senatusc. l. Iura cõst. & seq. — *C. de Nupt. l. sancimus.* — *C. de legit. hęred. l. si maior.* — *ff. de solut. et liber. l. si pater.* — *ff. de rebus dub. l. Vtrũ* — *Cap. 14.* — *Cap. 5.*

Probatur adhuc aduersus Socinum, quòd lex quæ rarò eueniunt recipiat. adducuntur verba Pauli Iuriscõsulti nonnulla de multiplici partu, & explicantur.

Cap. 14.

Haec princeps Philosophorum; quibus perspicuè docet, ad quinquagesimũ vsq;

vsq; nonnullis mulieribus menstruorū fluxum perdurare, sed rarò; atq; circa hoc tempus aliquas etiam peperisse, postea verò nullas; quia post annum quinquagesimū deficiant omnino menstrua, materiaq; propterea desit, ex qua fœtus conformetur; vt si lex huiusmodi partum admittat, rem rarò contingentem admittere eam, sit perspicuum; ideoq; præter omnem rationem vterq; Socinus affirmauerit, ea quæ rarò eueniunt ac secundum possibiliter accidētia, à lege respui: cùm quòd mirabile hoc loco lex ipsa appellat, ac rarò contingens, probabiliterq; productum, nil aliud sit, quàm quod secūdum possibiliter accidentia fieri isti dicunt; immò etiam & amplius aliquid; quod tantus verborum apparatus, quo res ipsa explicatur, satis docet; cùm non satis fuerit Imperatori huiusmodi partum rarò contingentem appellasse, nisi mirabilem etiam diceret; quod supra rarum addere videtur. ex his enim verbis docemur, legem non solùm in naturæ opere non requirere certitudinem, vt illud recipiat tanquam naturale; quam in illis cadere rebus, quæ vt plurimum ab ea fiunt, & secundum communiter accidentia eueniunt, inter omnes conuenit; cùm nulla sit dubitatio, quin ab ipsa natura certa lege producantur: sed satis illi esse, si probabilitas quædam ac suspicio adsit, vt potuerit saltem ab ea produci; quod ad eas ipsas pertinet, quæ rarò in illa contingunt, & secundum possibiliter accidentia. Sed & hoc idem pernotescit, si in ea, quæ apud Iurisconsultos de multiplici partu recepta sunt, aciem intendamus; siquidem Paulus libro decimoseptimo ad Plautium ita scribit. Antiqui libero ventri ita prospexerunt, vt in tempus nascendi omnia ei iura integra reseruarent; sicut apparet in iure hæreditatum: in quibus qui post eum gradum agnationis sunt, quo est id, quod in vtero est; non admittuntur, dum incertum est, an nasci possit. Vbi autem eodē gradu sunt cæteri, quo & venter; tunc quæ portio in suspenso esse debeat, quæsiuerūt. Ideo quia non poterant scire, quot nasci possent; ideo multa de huiusmodi re tàm varia & incredibilia tradiderunt, vt fabulis annumerentur. Nam traditum est & quatuor pariter puellas à matre familias natas esse. Alioquin tradidere non leues Auctores, quinquies quaternos enixam Peloponesiam; & multas Aegypti vno vtero septenos: sed & tergeminos senatores cunctos vidimus Oratios. sed & Lelius scribit se vidisse in Palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta esset, vt Hadriano ostenderetur cum quinq; liberis: ex quibus quatuor eodem tempore enixa (inquit) dicebatur; quintum post quadragesimum diem. Quid ergo? Prudentissimè Iuris Auctores medietatem quandam secuti sunt, vt quod fieri non rarò admodum posse intuerentur; idest quia fieri poterat, vt tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio adsignauerunt. τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς (vt ait Theophrastus) παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. Ideoq;, etsi vnum paritura sit, non ex parte dimidia, sed ex quarta interim hæres erit. Hæc Paulus de multiplici partu, ac potissimum de tergeminis; cuius vocis appellatione tres vno vtero enixos debemus intelligere; nō quidem sex, vt Accursius ridiculè interpretatur; existimans tanquam bonus arithmeticus geminos per tres multiplicatos sex efficere. At verò ex his certè habemus, omnino contra vtriusq; Socini opinionem leges ipsas & quæ rarò contingunt recipere; & quæ secundum possibiliter accidentia eueniunt: nam hoc loco Paulus inquit, vt quod fieri non rarò admodum posse intuerentur. itaq; non reijcit quod rarò in natura fit, sed tantùm quod rarò admodum in ea contingit. quod quid verè significet, & quàm verè à Iurisconsulto dictum sit, paulò infra explicabimus. Item quod fieri potest admittit. quod etiam sequentibus verbis illis clarius aperuit. Idest quia fieri poterat, vt tergemini nascerentur. hîc enim, vt verbum, poterat, ostendit, possibiliter accidentia omnino recipit; cæteroqui non diceret, quod fieri potest Iuris Auctores intueri.

ff. si pars hære. pet. l. antiqui.

Caij, & Iuliani verba ad multiplicem partum spectantia afferuntur. probatur rursus contra Socinum possibiliter accidentia legem recipere. Tres aduersus ea, quæ dicta sunt, dubitationes adducuntur.

Cap. 15.

IN eandem cum Paulo sentētiam Caium libro primo Fideicomissi abijsse, ipsius verba, si in medium afferantur, facient testatissimum. Vtrum (inquit) ita posthumus partem faciat, si natus sit, an & si natus non sit, quæritur. Ego commodius dici puto, si quidem natus non est, minimè eum partem facere, sed totum ad te pertinere quasi ab initio tibi solido relicto. sin au-

ff. de rebus dub. l. Vtrū.

» autem natus fuerit, vtrosq; accipere quātum cuiq; relictum est; vt vno nato pars tibi dimidia debeatur; duobus natis tertia tibi debeatur; tribus natis (quia tergemini quoq; nascuntur) quarta. & nostra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est cum quinq; liberis, quos vno fœtu enixa est. Sed tamen quod vltrà tres nascitur, ferè portentosū videtur. Hæc ille; apud quem tergeminos vno fœtu nasci, atq; à lege recipi tanquam partus naturales, nulla est dubitatio; tametsi id rarò & secundum possibiliter accidentia eueniat: quod postrema verba satis monstrant, quibus Caius inquit, quod vltrà tres nascitur, ferè videri portentosum. his enim, quòd tres nascantur, non quidem quasi portentosum, ac monstrosum esse, sed certè rarum videtur indicasse. At enimuero & Iulianus libro primo ad Verseium Ferocem vltrà tres etiam vno fœtu mulierem eniti posse volens meridiano Sole clarius docet, quæ secundum possibiliter accidentia eueniunt, contra vtriusq; Socini opinionem leges ipsas non reijcere. Iuliani autem hæc est oratio. Si pater meus prægnante vxore relicta decesserit: & ex causa hæreditaria totum hoc, quod patri meo debitum fuisset, petijssem; nihil me consumpsisse quidam existimant; si nemo natus sit, rectè me egisse; quia in rerum natura verum fuisset, me solum hæredem fuisse Iulianus notat. verius est eam partem me perdidisse, pro qua hæres fuissem, antequam fuisset certum neminem nasci; aut quartam partem, quia tres nasci potuerint; aut sextam, quia quinq;. Nam & Aristoteles scripsit quinq; nasci posse, quia multæ mulierum totidem receptacula habere possint. Et esse mulierem Romæ Alexandrinam ex Aegypto, quæ quinq; simul peperit, & tùm habebat incolumes. & hoc in Aegypto affirmatum est mihi. Hæc Iulianus; at nonne tergeminos nasci posse; item &, quod longè magis est, vno vtero quinos concedit? igitur sine vlla dubitatione possibiliter accidentia, & recipit, & admittit: vt iam, quod initio disputationis huius dicebamus, liquidò constet; si in naturales actus aciem intendamus, leges, quæ rarò eueniunt, & secūdum possibiliter accidentia, secus quàm vterq; Socinus existimauerit, omnino recipere. Sed aduersus hæc, quæ dicta sunt, tres oriuntur difficillimæ dubitationes. Principiò enim videtur absurdum quod affirmatum est, per ea, quæ rarò eueniunt, illa tantùm esse intelligenda, quæ circa humanos actus versantur, non circa naturales; cùm ea etiam, quæ in naturæ operibus rarò contingunt, & respicere; &, quod magis est, refellere leges videantur; vt de partu ad mōstrum, vel prodigium declinā- te satis constat; qui à Paulo libro quarto Sententiarum à liberorum appellatione excluditur, ab Imperatore Iustiniano in responsis arcetur à successione. Secundò, si, quæ rarò in natura eueniunt, lex admittit; ergo & quæ præter naturam; ergo & monstrosa, ac prodigiosa; cùm Aristoteli idem sint monstrosum, prodigiosum, pręter naturam, ac rarò contingens. quod & per se quidem absurdum, & legibus nuper adductis contrarium apparet. Tertiò, si ipsas leges, quas in medio posuimus, consideremus; videbimus, & inter se se eas mirificè pugnare, & Socinianæ sententiæ, quā supra refutauimus, maximum parari adiumentum. Nam Paulus, & Caius tergeminos recipiunt tanquam partus naturales; numero plures tanquam rarò admodum, ac portentosos respuunt; ex quò & quartam tantùm hæreditatis partem superstiti filio assignari statuunt. at è contra Iulianus experientia ipsa, & Aristotelis auctoritate fultus è diametro cum Paulo & Caio pugnans quinq; vno partu naturę lege nasci, ac recipi decernit; sextamq; hæreditatis partem assignari iubet, non solùm quartam: scribit enim. Aut quartam partem, quia tres nasci potuerint, aut sextam, quia quinq;.

ff. de solut. et liber. l. si pater.

ff. de stat. hō. l. nō sūt liberi

C. de posth. hær. l. quod certatum.

Tertia superiori capite mota dubitatio fusius explicatur.

Cap. 16.

PORrò autem neq; obstat, si dicamus diuersos esse in l. ANTIQVI & in l. SI PATER casus; cùm prior quod futurum est, scilicet nascituros filios respiciat, & interim antequam fiat, scilicet antequam nascantur, quid agendum sit statuat; posterior quod futurum est, vt fiat expectet; & cùm factum fuerit, scilicet cùm fuerint nati, quid agendum doceat. quandoquidem primùm, etsi hoc verum sit, nihilominus ex l. SI PATER aliquo modo non leuem captare valemus coniecturam, sextam hæreditatis partem assignari posse, quod in l. ANTIQVI omnino prohibetur. Deinde in l. VTRVM etiam quod futurum est, vt fiat expectatur; & postquam geniti filij fuerint, quid agendum

 dum

dum sit definitur; siquidem inquit Caius. Vt vno nato pars tibi dimidia debeatur, duobus natis &c. qua tamen in lege decernitur, quartam tantùm hæreditatis partem assignari; quare & dissensio hac quoq; in re videtur manifesta. Grauissimam hanc inter has leges contradictionem ex Iurisprofessoribus Cagnolum in Commētarijs aliquo pacto olfecisse video: sed certè (quantum coniectari valeo) non solùm nobis non solutam, sed auctam potius reliquisse; cuius verba huc appingere in tanta re omnino est necessarium. In dicta (inquit) l. si Pater citatur auctoritas Aristotelis volentis eodem partu quinq; nasci posse; & propterea videbatur, si pater meus vxore prægnante relicta decesserit, ventre adhuc pleno admitti me solùm ad hæreditatem, aut petendum debitum hæreditarium pro sexta parte, ex quò alij quinq; possint nasci; hoc tamen iuri consonum nō est. quum enim nasci possint vnum, duo, tres, quatuor, & quinq;, prudentissimè Iuris Auctores medietatem quandam secuti sunt; vt quod fieri non rarò admodum potest intuerentur. & quia fieri poterat, vt tres gemini nascerentur, quartam partem superstiti filio assignauerunt † tex est. not. in l. Antiqui supra si pars hæred. pet. in l. sed etsi restituatur §. fin. ſ de Iud. vbi omnes scribentes notant, & etiam in d. l. si Pater. Per hoc tamen non damnatur auctoritas Aristotelis in d. l. si Pater. sed quia id non frequenter contingit, lex illa mediam viam elegit, assignando quartam partem filio superstiti † Similiter quamuis secundum opinionem Aristotelis, & Auicēnæ partus nasci possit legitimus, & successibilis patri præmortuo mense vndecimo, duodecimo, & tertiodecimo; quia tamen hoc non procedit secundum communiter accidentia (etsi possibile sit) lex approbat opinionem Hippocratis de decimo mense: vnde in §. fin. d. l. intestato dicit, post decimum mensem mortis natus non admittitur ad hæreditatem. Hæc Cagnolus; qui, vt videmus, contra Iuliani sanctionem in l. SI PATER, iuri non esse consonum dicit, vt sexta hæreditatis pars superstiti filio assignetur; sed quartam tātùm Paulo, & Caio concedens esse illi impertiendam; volens hac in re Pauli in l. ANTIQVI decretum esse sequendum: quod etiam eiusdem Pauli auctoritate cōfirmat in l. SED ETSI restituatur hoc idem asserentis; cuius libro decimo octauo ad Plautium hæc sunt verba. Si pater familias mortuus esset relicto vno filio, & vxore prægnante; non rectè filius à debitoribus partem dimidiam crediti petere potest; quamuis postea vnus natus sit; quia poterant plures nasci; cùm per rerum naturam certum fuerat vnum nasci: sed & Sabinus, & Cassius dicunt, partem quartam peti debuisse, quia incertum esset, an tres nascerentur; nec rerum naturam intuendā, in qua omnia certa essent, cùm futura vtiq; fierent; sed nostram inscitiam aspici debere. Verùm quomodo, vt sexta hæreditatis pars assignetur, iuri non consonum, si à Iuliano lege SI PATER definitum? an & ipse Iulianus, qui medietatem illam non videtur secutus, inter Iuris Auctores non venit recensendus? Sed esto, quia casus diuersi sunt, aliquem contentiosè dicere, non esse id à Iuliano statutum: quid de hæreditatis partes iam natis filijs assignanda dicemus? cùm Caius quartam tātùm assignari, quia tres tantùm oriri queant, Iulianus sextam, quia quinq;, velle videatur? vnde & altera hæc oritur circa numerum partuum inter has leges contrarietas; quæ Cagnolo nullo pacto erat dissimulanda. ex quò & illud alterum valde dubium apparet ab eo additum; non propterea Aristotelis auctoritatem in d. l. SI PATER adductam damnari. Enimuero si tres tantùm nasci posse vno enixu à Paulo & Caio definitur; ideoq; non sextam, sed quartam tantùm hæreditatis partem superstiti filio assignari, quia, quòd quinos vno vtero mulier edat, rarò admodum in natura locum habet, & portentosum debet iudicari; si à simili Cagnolus ratione ducta vndecimestres, ac duodecimestres reijcit; quo modo & Iuliani sanctio simul cum Aristotelis auctoritate in lege SI PATER non damnetur, equidem non video. quare hi nodi erant Cagnolo, mea quidem sētentia, dissoluendi; & reddenda causa, cur potius vnum, quàm alterum legum hac in re decretum videatur amplectendum; & quo modo tanta contrarietas diluenda: vt non sine magna causa non solùm dubitationem hanc eum non labefactasse, sed difficiliorem potius reddidisse diceremus. vt prætercam, quod ipse supponit, tergeminos partus de illorum esse numero, quæ frequenter contingunt, & secundum communiter accidentia, magnam habere difficultatem, vt infra dicemus; sicuti & alterū illud sine vlla dubitatione falsum est, quod hic Auctor Aristoteli imponit, videlicet legitimum, successibilem, & quod idem est, natu-

In Com. 1 l. primā ff. si cert. pet.

ff. de Iudic. §. si pater familias.

ff. de solut. et liber. l. si pater.

naturalem partum vndecimo toto, immò duodecimo, ac decimotertio mense in lucem edi ipsum existimasse; cùm omnino contrarium Philosophum sensisse satis libro tertio fuerit demonstratum. qua in re neq; illud etiam difficultate caret, quòd Hippocratem decimestrem tantùm recipere velit; cùm vndecimestrem quoq;, vt suo loco ostendimus, videatur diuinus Senex admisisse.

Cap. 7.

Tres aliæ aduersus dicta graues afferuntur dubitationes.

Cap. 17.

CAEterum ex his omnibus quarta oritur dubitatio, & ea quidem difficillima; atq; aduersus illa, quæ de octomestri partu superioribus disputationibus firmauimus, longè omnium validissima. enimuero si lex, tametsi concedat mulierem vno partu non solùm vnum, duos, vel tres, sed etiam quatuor, & quinq; numero in lucem edere; hos tamen postremos partus reijcit, quia rarò admodum eos fieri in natura contingit; & tres ad summum tantùm eniti posse recipit tanquam id, quod minus rarò, atq; vt Cagnolus explicat, tanquam id quod frequenter in ipsa natura locum habeat; idcircòq; quartam non quintam, aut sextam partem superstiti filio assignat hæreditatis: sic & à simili ipsamet lex, vel saltem Iurisprofessores his ducti coniecturis, quanquam sciunt, ex nonnullorum opinione non solùm septimestres, & nonomestres, & decimestres, sed octomestres etiam, & vndecimestres, & duodecimestres, & vltrà vitales, ac legitimos partus in lucem exire posse; nihilominus septimestres, nonomestres, ac decimestres tantùm recipiunt, quia, vt Cagnolus inquit, sunt frequentiores, medietatem quandam secuti, non secus ac in numero partuum statuendo prudentissimi illi iuris Auctores, & quod fieri non rarò admodum potest intuentes: vndecimestrem, duodecimestrem, ac potissimum octomestrem respuunt, vt iam quod Socinus senior grauiter admonuit, ac post illum Iunior cum vniuersa Iurisprofessorum familia confirmauit, in suo robore permaneat; videlicet leges, nō quę secundum possibiliter accidentia eueniūt, recipere, sed omnino ea tantùm, quæ secundum communiter accidentia contingunt: quò & tendere Cagnoli rationem, ac disputationem totam satis constat; asserentis, etsi hoc possibile sit, videlicet quòd vndecimo, duodecimo, ac decimotertio mense edatur partus, non tamen procedere secundum communiter accidentia; quibus Socinianam distinctionem mirificè cōprobauit. Quintò, esto etiam, vt Iulianus Iurisconsultus Aristotelis auctoritate decreuit, naturaliter quinq; numero nasci posse; certè partum adeò multiplicem rarò admodum in natura locum habere vel ipsa teste experientia dicendum erit. Nam & hoc est quod Paulus verbis illis designauit. Idest quia fieri poterat, vt tergemini » nascerentur, intellexit enim, quia fieri » poterat non rarò admodum; siquidem paulò supra dixerat. Vt quod fieri non rarò » admodum posset intuerentur. quare & vl- » trà tergeminos rarò admodum numero plures oriri existimauit. quod & Caius videtur confirmasse, dicens, quod vltrà tres nascitur, videri portentosum. At hoc posito multiplex apparet ratio dubitandi; primùm enim valde videtur absurdum, quod admodum rarò fit, id & naturale posse dici; cùm in Philosophorū schola quod naturale est, frequenter eueniat, vel certè non rarò admodum, & è contra. secundò quod naturale est, quia rarò admodum contingit, à lege repudiabitur; quod nostrum dogma penitus elidit. si enim lex ea, quæ rarò admodum fiunt, tametsi sint secundum naturam, omnino refellit; igitur octauo genitos reijciet, qui, tametsi secundum naturam sint, & viuere possint, nihilominus rarò admodum euenit vt superuiuant. Sextò & illud dubitationem grauissimam habet (quod à nullo Iurisprofessorum, quòd viderim, animaduersum est) quæ nam causa Iurisconsultos impulerit, vt numerum partuum definirent, & definiendo quinarium eligerent; cùm Iulianus memorata l. SI PATER Aristotelis auctoritate quinq; ad sūmum numero mulierem vno coitu concipere, & vno enixu edere, statuere videatur; quibus maiorem fœtuum numerum videmus omnino esse reiectum. cùm tamē, vt supra vidimus, vno vtero septenos mulieres multas enixas esse memoriæ proditum Paulus Iurisconsultus scribat. Pulcherrimæ quidem dubitationes, & simul obscurissimæ, vt quocunq; te animo & cogitatione conuertas, enodatio ipsa appareat difficillima; sed illarum certè magnitudo excitare nos debet, vt reconditis, atq; abditis è fontibus Peripateticorum veram earum solutionem hauriamus.

Nonnulla ad allatas dubitationes dissoluendas cognitu necessaria præmittuntur. Soluitur prima, & secunda dubitatio.

Cap. 18.

SIt igitur pro omniũ dubitationũ labefactatione cõmune hoc iactũ in primis fũdamẽtũ, à nobis libro tertio iampridẽ positum, & pluribus ex Præceptore explicatum; videlicet res naturales quandam habere latitudinem, vt earum aliquæ vno modo consideratæ præter naturam, ac rarò euenientes dici possint; alio autem modo secundum naturam, & frequenter; aliquæ verò simpliciter, ac propriè præter naturam sint dicendæ: in hocq; postremo genere rerum, quod verè, ac propriæ monstrosum dicimus, portentosum, ac prodigiosum, locum habere. Hoc recepto fundamento iam allatæ dubitationes, quæ tanta in obscuritate rerum, & tàm recondita versantur, facilè corruunt. Ad primam enim respondemus; non quidem nos dixisse, leges ea duntaxat, quæ circa humanos actus fiunt, considerare; atq; in his, quæ rarò, quæ frequenter eueniunt, circumspicere; sed hæc ipsa potissimum: quod verùm esse nemo sanæ mentis inficias ibit. itaq; naturales actus non exclusimus; propterea addidimus, non posse sine distinctione aliqua ex illarum legum verbis de naturæ operibus rectè iudicari. cùm enim in l. NAM AD EA non absolutè, ac simpliciter quæ rarò eueniunt, reijciantur, sed quæ perrarò; quandoquidem inquit Paulus. » Nam » ad ea potius debet aptari ius, quæ & fre- » quenter & facilè, quàm quæ perrarò eue- » niunt. particula verò, per, vt Grammatici docent, in compositione addat; idem hoc loco perrarò valebit, quod & valde rarò; & quod in l. ANTIQVI ab eodem Paulo pulchrè, rarò admodum, appellatur: » siquidẽ ibi sic scriptum legimus. Vt quod » fieri non rarò admodum potest, intueren- » tur. quo loco, vt videmus, Iurisconsultus non absolutè, ac simpliciter quod rarò fieri potest, respuit, sed tantùm quod rarò admodum potest euenire. At his verbis, hisce cautionibus Aristotelicam distinctionem suis coloribus pingi, meridiano Sole clarius apparet; quod enim perrarò fit, & rarò admodum; id & simpliciter, ac propriè præter naturam est, & monstrosũ, prodigiosumq;; quoniam contingit non solùm præter id, quod fit vt plurimum, sed etiam præter solitum, vt iam libro tertio fuit declaratum: quod etiam vt Iuriscõsultus magis, ac magis explicaret, Theophrasti sententiam adhibuit, quę semel, & bis eueniunt, Legislatores contemnere iubentem. neq; enim vna hirundo facit ver, vt primo Nichomachiorum admonitum legimus. qua profectò re nos perspicuè admonuit, per ea, quæ rarò admodum & perrarò eueniunt, ea, quæ semel, aut bis contingunt esse intelligenda: quæ cùm rarissimè fiant, ac præter solitum, & præter naturæ intentionem, propriè sunt præter naturam, ac monstrosa: nunquam enim finis rationem subire possunt, quia illarũ producendarum gratia natura nunquam operatur; vnde per accidens ex naturæ operatione aliud intendente, sed tamen, ne illud assequatur, impedita, oriuntur; proindeq; & errata naturæ, & peccata, & casu genita à Præceptore secundo Naturalis Auscultationis appellãtur, tanquam præter illius intentionem omnino producta: non secus ac nos aliud interim agẽtes præter nostrã intẽtionẽ errore quodam aliud aliquid facimus, quod & meritò tanquã pręter nostram intentionem factum, omnino reijcimus. quod totum præ cæteris Celsus pulchrè aperuit, & perspicuè, dicens, ex ijs, quæ fortè vno aliquo casu accidere possunt, iura non esse constituenda. quibus ea tantùm, quæ casu eueniunt, ac verè & propriè præter naturam sunt, non quidem omnia, quæ rarò contingunt, à lege repudiari, omnino significauit. Hac igitur adhibita distinctione dubitatio prima funditus tollitur; dicimus enim, leges humanos actus primùm respicere, deinde naturales: atq; eorum, quæ in natura fiunt, non rara omnia absolutè repudiare, sed duntaxat quæ perrarò, & rarò admodum contingũt; quo ex genere monstrosos illos esse partus à Paulo, & Iustiniano reiectos, satis constat. Et sanè Socinus iunior cùm sibi ipsi sexagenariæ partus exemplo obijceret, leges, quæ rarò eueniunt & considerare, & recipere; distinctione opus esse vidit ad hunc nodum dissoluendum: verùm an triplici illa, quam attulit, & quam ex eo libro secundo nos retulimus, quod voluit effecerit, aliorum sit iudicium. Ad secundam respondemus, etsi tanta sit legis pietas, vt ferè etiam quæ admodum rara sunt, non videatur excludere; nam Paulus iubet, legem ipsam non quidem absolutè aptari, sed potius aptari ad ea, quæ frequẽter, quàm quæ perrarò eueniunt; satis nihilominus ex superioribus cognitum haberi, quæ ea fine quæ rarò contingentia lex admittat: idcir-

Cap. 7.

cò non sequi, quæ propriè, ac simpliciter monstrosa sunt, ac præter naturam ipsam recipere.

Quædam pro tertia diluenda dubitatione explicantur. Laurentij, Gellij, Plinij, Socini, Budæi loca expenduntur nonnulla.

Cap. 19.

TErtiam vt diluamus, ea, quæ libro tertio de partuum numero ex Aristotele decreuimus, sunt memoria repetenda; quinos enim ad summum vno coitu naturaliter à muliere concipi, ac gigni; vno vtero gestari, & excludi posse, ratione ipsa, & Præceptoris auctoritate ibi demonstrauimus: quod vltrà quinq; nascitur, monstrosum omnino esse iudicandum, vel superfœtatione procreatũ. vt Andreas Laurentius Oper. Anatom. libro secundo minimè videatur recipiendus dum scribit, homini omnium temperatissimo, & viuacissimo vnicum tantùm, aut duos, ad summum gestare ex naturæ præscripto licere; quia vnicus est in muliebri vtero sinus, duç tantùm eius partes dextra, & sinistra nullo septo discretæ; geminæ tantùm mammæ gemellorum nutritioni dicatæ. quòd si numerosior interdum edatur soboles, eam Philosophis παρὰ φύσιν, & quasi portentosam videri debere. quandoquidem neq; sinuum multitudo si adesset, vt infra dicemus, causa est Aristoteli partus multiplicis; neq; quia non adest, vt tertio libro expositum fuit, multiplicem partum impedire potest; neq; à mammarum numero sũpta argumentatio aliquid valet. nam elephas duas habet mammas, & singularẽ nihilominus perpetuò parit, geminos nunquam; est enim sua natura vniparum simpliciter animal. leo binas similiter habet, & plures tamen quàm duos edit, vt pulchrè quarto de Partibus Animalium notat Aristoteles; demum neq; numerosior soboles quàm partus geminorum Philosopho teste homini est præter naturam, dummodo quinq; numero non excedat. cùm enim homo, vt memorato libro planius ex eo explicauimus, multiparum sua natura animal sit, plures numero naturaliter parere potest; sed cùm sit etiam sua natura vniparum, ac longè magis quàm multiparum, naturaliter non plures quàm numero quinq; ob contrariæ causæ admixtionem potest edere. ex quò & Aristoteles, vt nobis vtranq; hanc designaret libro septimo

Quæst. 31. *Cap. 10.* *Cap. 4.*

Historiarũ veritatem, cùm præfatus esset, inter animalia singulos alia parere, alia plures, genus verò humanum esse in ancipiti, dixit primùm. Nam quod plurimũ, » & locis plurimis agitur, mulieres singulos » singulæ pariunt; sed sæpè & locis plerisq; » geminos etiam, vt in terra Aegypto fieri » certum est. pariunt etiam & tres, & quatuor: » & quidem locis nonnullis valdè ita fit, » quod dictum iam est; sed quinq; complurimum » nascuntur. quibus, vt videmus, terminum multiplicis in humano genere partus quinarium numerum esse definiuit; deinde & addidit. Iam enim & hoc pluribus » euenisse conspectum est; & quædam » viginti partubus quatuor edidit; quinos » enim singulis partubus enixa est; maiorq; » eorum pars enutriri, & adolescere potuit. » quibus hoc naturale esse humano generi monstrauit, & tanquam naturale pluribus contigisse. quare rectissimè Iulianus Iurisconsultus Aristoteli consentiens quinq; vno vtero nasci naturaliter posse decreuit. quanquam ratio Iuliani illa à mulierum receptaculis ducta, quæ Recentiorum testimonio, vt infra dicam, in muliebri vtero nulla sunt; problematica est, & popularis, vt ex decima constat Quæstionum; proinde in grauioribus lucubrationibus à Philosopho reiecta, quia non sola sufficiat, tametsi hæc receptacula cõcederetur, vt libro quarto de Animalium Ortu his verbis cõstat. Semen igitur trahi à locis vteri, atq; » ob eam rem multa generari pro numero » locorum, & accetabulorum, quæ vnum nõ » sunt, opinari nihil rationis est: sæpè enim » eodem in loco vteri gemini consistunt. in » genere etiam multiparo, cùm plenus fœtuum » vterus fuerit, deinceps alius ab alio » iacere cernuntur; quod ex dissectionibus » patet. quæ ratio eò certè infirmior est in » Iuliano, quò non omnes etiam mulieres, sed multas tot numero receptacula ex Aristotelis sententia scripsit habere; cùm id tanquam naturale, si esset, omnibus esse commune oporteret. Hinc Aulus Gellius libro decimo Noctium Atticarũ eius mulieris, quæ Augusti ætate quinq; pueros peperit, mentionem faciens, partim Aristotelis mentem videtur assecutus, partim ab ea longè aberrasse, de puerperij numero ex eius sententia ita statuens. Aristoteles » philosophus memoriæ tradidit, mulierem » in Aegypto vno partu quinq; pueros » enixam; eumq; esse finem dixit multijugæ » hominum partionis; neq; plures » vnquam simul genitos compertum; hunc »

Prob. 16. *Cap. 4.* *Cap. 2.*

au-

autem esse numerum ait rarissimum. verùm nanq; est, Aristotelem memorato septimi Historiarũ loco quinos terminum naturalis humanæ partionis constituere, neq; plures simul genitos narrare; sed falsum, ni hallucinor, eum Aegyptiæ mulieris, quæ vno partu quinq; pueros ediderit, facere mentionem; ac longè magis ab eius mente abhorrens, hunc numerum rarissimum esse. cùm è contra pluribus hoc iam euenisse ipse scribat. Hinc Plinius quoq;, cùm septimo Naturalis Historiæ hunc Aristotelis locum attingeret, non videtur planè ipsius mentem assecutus. ita enim scriptum reliquit. Tergeminos nasci certum est Horatiorum, Curiatiorumq; exemplo: supra inter ostenta ducitur, prçterquam in Aegypto; vbi fœtifer potu Nilus. Annis proximis supremis Diui Augusti Fausta quædam è plebe Ostiæ duos mares, totidemq; fœminas enixa famem, quæ consecuta est, portendit haud dubiè. Reperitur & in Peloponesso quinos quater enixa, maioremq; partem ex omni eius vixisse partu. Et in Aegypto septenos vno vtero simul gigni auctor est Trogus. Hæc Plinius; qui longè ab Aristotelis mente aberrat in eo, quod inquit, supra tres si nascantur, inter ostenta duci, præterquam in Aegypto; cùm quinos edere sit mulieri secundum Aristotelem omnino naturale; & quod in Aegypto homini naturale est, vt libro tertio, & quinto ostendimus, vbiq; locorum sit illi naturale. qua in re Budęus quoq;, vt video, lapsus est; qui hunc Pauli locum explicans, quod supra tergeminos nascitur, portentosum putauit. Quoniam igitur (inquit) plures quàm tergeminos nasci portentificum esse solet, vt supra ex Plinio vidimus; ideo Iurisconsulti rationem eius speciei habendam non putauerunt. ita enim quatergemini, & quini reiecti viderētur, tanquam monstrifici partus, ac præter naturam; cùm nil, quod verè monstrosum sit ac præter naturam, lex recipiat; qui tamen Iuliani decreto, cum quo, vt paulò post probabimus, consentit Vlpianus, ad hæreditatem tanquam legitimi, ac naturales partus admittũtur. Quod verò Plinius narrat de mira Aegyptiarum mulierum in edendis conceptibus ob Nili potum fertilitate, id, vt quinto libro monebamus, à Solino quoq; elegãter his verbis legimus explicatum. Quamuis Trogus auctor affirmet, in Aegypto septenos vno vtero simul gigni; quod ibi minus mirum, cùm fœtifero potu Nilus non tantùm terrarum, sed & hominum fœcundet arua. vt mirum omnino sit, quemadmodum loco memorato dicebamus, quo modo in hanc fœtiferam Nili potionem, causam, cur in Aegypto octauo geniti viuant, imperitorũ vulgus non retulerit. quanquam, vt postea vidimus, nonnulli reperti sunt Recentiores, qui eam ipsam non sunt veriti afferre. Plinianam tamen hanc, vt redeam ad rem, disputationem non exiguam verbis Pauli lucem accendere, satis est conspicuum. ex qua illud præsertim habemus, vocem eã, Peloponesiam, non quidem mulieris esse nomen, vt Glossa putat, sed potius regionis; quanquam Paulus quinquies quaternos mulierem hanc enixam narrat, Plinius quinos quater.

Cap. 3.

Tertia dirimitur dubitatio. Vera mens l. ANTIQVI aperitur.
Cap. 20.

His igitur ita cognitis, & constitutis, facilis est ad dubitationem tertiam responsio; primùm enim casus diuersi sũt, vt supra tetigimus: deinde, etsi essent ijdē, leges inter sese nequaquam pugnant; quoniam, tametsi Paulus, & Caius tergeminos potius recipiant, non propterea quatuor geminos, & quinos re vera respuunt; sed tantùm illud contendunt, supponendum esse, tergeminos frequentius nasci, ideoq; quartam hæreditatis partem superstiti filio asignandam: quod etiam Iulianus videtur recepisse, ita scribens. Aut quartã partem, quia tres nasci potuerint, aut sextam, quia quinq;. quibus verbis perspicuum est, Iurisconsultum indeterminatè loqui, & non potius vnam quàm alteram asignari velle portionem; ita vt si quartã potius placeat adscribere, vt Paulo, & Caio placuit, ab hoc decreto Iulianus non abhorreat. quartam autem potius tribuendam illi existimarunt, quia medietatem quandam sequi voluerunt; frequentius nanq; tergeminos in natura gigni quàm quaternos, aut quinos, experientia duce non dubitarunt. sed quid? an quaternos, & quinos rarò admodum putauerunt fieri posse? non certè, nisi fallor; atq; hoc maximè cupio legentes obseruare; ita enim hunc numerum tanquam monstrosum reijciendum esse existimarent, quem monstrosum non esse, supra vidimus. sed, cùm Paulus multa de huiusmodi re incredibilia, & fabulosè tradita esse dixisset; adeò vt non solùm quinos, sed vno vtero etiam septenos

Cap. 3.

nos multas mulieres enixas esse, monimẽtis Auctores mandasse scribat; quod monstrosum omnino censeri debet, ac præter solitum, & præter naturam; idcircò vir prudentissimus duo ponit Iuris Auctores sibi ob oculos in hac re decernenda proposuisse: primum, quod rarò admodum fieri potest non esse inspiciendum; secundum, in ijs etiam, quæ non rarò admodum in natura fiunt, medietatem quandam esse sequendam. quarum certè propositionum altera, senos, ac septenos tanquam rarò admodum contingentes reijciendos esse docuerunt; altera, ex numero etiam naturali, & recepto tergeminos tãquam medios inter duos, & quinos (qui postremus numerus naturalem partum claudit, partusq; numero naturali finem imponit) se exprimere voluisse demonstrarunt. ita enim medietatem verè secutos eos palàm est, quam & se velle sequi dixerunt, & quam (exprimentes in numero naturali medium) se esse secutos indicarunt. quare, quod dictum est, quod rarò admodum fieri potest, non esse intuendum; non quidem propter quinos, sed cùm duo, tres, quatuor, quinq;, sex, & septem enumerati sint, propter senos, ac septenos additum esse, sine vlla dubitatione est credendum. vt iam quinarius numerus, non quia rarò admodum eueniat, sed quia non sit medius, nõ positus hoc loco à lege videatur. Hinc post expositam de tergeminis Pauli sanctionẽ, ne aliquis crederet, si quatuor, aut quinq; numero nascantur, esse reiectos; sic alia statim lege Vlpiani auctoritate, ex libro decimoquinto ad Edictum hac de re sancitur.

ff. si pars hę red. pet. l. et si pauciores

» Et si pauciores fuerint, residuum ei pro
» rata accrescere; si plures, quàm tres, decre-
» scere de ea parte, ex qua hæres factus est.
quod quidem Paulus quoq; faciendum esse significauit, scribens, non quidem absolutè, ac semper ex quarta superstitem filium hæredem esse constituendum, sed interim; interim, inquam, donec ipso euentu, an pauciores, vel plures, quàm tres in lucem veniant, reddamur certiores.

Plenius tertia dubitatio soluitur. Verus sensus l. VTRVM explicatur. Cagnoli repudiatur interpretatio.
Cap. 21.

Diximus autem, legem additam esse, ne quis crederet, quinos esse reiectos; quoniam quod est vltrà, vt infra etiam clarius explicabimus, iam vel omnino monstrosum censeri debet, vel ex iniusto coitu superfœtatione genitum, proindeq; illegitimum; & ideo à lege admitti non potest. quod Iulianus satis apertè docuit quinarium tantùm numerum exprimens, ac longè magis Caius, addens, quod vltrà tres nascitur, ferè videri portentosum: quo loco aduerbio ferè temperasse sententiam propter quinos numero, qui naturalis partus est, ideoq; à lege recipiendus, satis constat. quod acutè Glossa contuens, ac verbum illud, portentosum, ponderans, ita nobis Caij mentem aperuit. Portentosum, non »
tamen est, vt l. Antiqui. id enim Caius »
addidit, vt suam opinionem de quarta tantùm hæreditatis parte asignanda redderet probabiliorem; item vt se medietatem iã supra expositam sequi demonstraret. si enim quod vltrà tres nascitur ferè portentosum videri scribit; igitur quod vltrà tres est, non absolutè existimat esse, ac simpliciter portentosum, sed quodammodo tale. quod & veritati summè est consentaneum; cùm tergemini etiam, & gemini, nõ solùm quod vltrà tres nascitur, quasi portentosũ quoddam dici possint, quia monstrosi aliquid habeant, & præter naturam, vt libro tertio explicauimus; at quaterni, & quini vltrà tres nascuntur; igitur neq; etiam Caio verè ac propriè sunt portentosi. Itaq; ex ipsius quoq; verbis quinarius partuum numerus naturalis quidem, sed tamen postremus terminus esse colligitur. hoc enim sensisse Caium, vel ex hoc altero est etiam manifestum, quòd, cùm tres nasci posse dixisset, videns hinc colligi posse, numerum ab eo maiorem repudiari; statim, vt hanc tolleret dubitationem, historiam de quinq; vno vtero editis, simul cum Aristotelis auctoritate numerum hunc comprobante, subdidit: qua certè narratione, se hunc partuum numerum recipere, omnino demonstrauit. Verùm quia hoc rarum magis est, quàm si tergemini nascantur; non vt quinos refelleret, sed vt redderet rationem, cur tergeminos potius expresisset; addidit, quòd vltrà tres nascitur, ferè videri portentosum. quibus verbis re vera quinos non repudiare voluit, sed tantùm minus esse tergeminis naturales significare. Cur autem, si sex, aut septem vno vtero excludantur, reijciendi sint; & quid dicendum; in sextæ dubitationis solutione infra videbimus. Cæterum hinc ad ea omnia, quæ in tertia dubitatione ponebamus, quid respondendum, latissimè patet; cùm satis modò cuiq; compertum sit,

neq;

neq; leges inter se certare; neq; contraria de hæreditatis portione assignanda decernere; neq; Paulum & Caium quinos reijcere; neq; hunc numerum partuum rarò admodum contingere ab illis dici; neq; appellari propriè, & simpliciter portentosũ: nam aliquo modo talem dici posse, sicuti & aliquo modo est præter naturam, iam supra diximus tertio libro esse demonstratum. nostra enim explicatione recepta lõgè facilius vera harum legum sensa explicari, omnesq; tolli difficultates, quàm si Cagnoli sequamur interpretationem, facilè modò quisq; veritate cognita fatebitur; qui falsò, mea quidem sententia, affirmauit, Iuri non esse consonum, si sexta superstiti filio pars assignetur; cùm vtrunq; consonum iuri esse pateat, tùm si quarta cum Paulo, Caio, & Iuliano, tùm si sexta cum ipso tantùm Iuliano decernatur; eò quòd, cùm parum referat quæq; via eligatur, quia mox rei euentu, ac partuum numero, dummodo quinos non excedat, ex Vlpiani decreto res denuo est ventilanda, & iam assignata hæreditatis portio vel accrescenda, vel decrescenda; leges iurè & meritò vtrunq; modum admiserint, tùm à Paulo & Caio traditum, tùm à Iuliano.

Quarta, & quinta dubitatio diluuntur. Cap. 22.

IAm verò quæ in dubitatione quarta ex eodem Cagnolo ratione à simili ducta aduersus nostrum de octomestribus dogma afferebantur, quæ superficietenus inspecta magnam vim ac probabilitatem videntur habere; eadem facilitate dirimuntur. dicimus enim, egregiè Cagnolum esse hallucinatum, dum credidit, similem esse de vndecimestribus, duodecimestribus, ac decimotertio mense genitis, & de partuum numero rationem; nam lex, tametsi in assignanda hæreditatis parte tergeminos supponit orituros, non quaternos, aut quinos; non tamen hos postremos partus, si in lucem veniant, refellit tanquam monstrosos, vel ex iniusta mulieris cum alio viro coniunctione natos; sed omnino eos tanquam legitimos, ac naturales recipit, atq; admittit ad hæreditatem, vt ex Vlpiani decreto supra ostendimus. at vndecimestres, ac duodecimestres, & vltrà, tanquam illegitimos, ac præter naturam genitos refellit, vel ex iniustis nuptijs procreatos, atq; arcet ab hæreditate. quare longè alia ratio de his esse videtur; quibus cum octomestres si comparaueris, cùm partus dicendi sint naturales, vt tertio libro ex Aristotele probauimus; perspicuũ est de octomestribus quoq; similem non esse rationem. quare ratio in dubitatione quarta aduersus illos fabricata, omnino ruit. Tergeminos autem, ac geminos etiam, non solùm quaternos, & quinos, de illorum esse numero, quæ non vt plurimum in natura eueniunt, libro tertio demõstrauimus; quo loco vidimus, monstrosi aliquid hos partus, ac præter naturam continere: vt mirum omnino sit, quod Cagnolus innuit, & frequenter in natura fieri, & secundum communiter accidentia; cùm vix secundum possibiliter accidentia gigni posse dici debeant; quod & Socinianum dogma penitus infringit; itaq; ad locum illum, in quo hic error eripitur, lectorem ammandamus. Quinta dubitatio quo pacto dissoluatur, facilè ex superioribus est perspicuum; quæ enim rara admodum lex vocat, ea sunt, quæ propriè, ac simpliciter præter naturam fiunt, nec finis rationem subire queunt; è quorum numero in proposito sex, aut septem vno vtero editi fœtus existunt; & è quorum numero nullo modo esse quinos vno enixu genitos, neq; quinquagenariæ partum dicere possumus; eò quòd horum producẽdorum gratia natura operatur. si enim in quadragenaria materiam idoneam maris idoneum semen reperiat, statim natura duce formare incipiet: item si tantam menstruorum copiam tanta maris virtus inueniat, quæ pro quinq; numero formandis fœtibus sit satis, quod naturaliter euenire posse tertio libro ac supra mõstrauimus, quinq; formabit, & perficiet. quare hæc omnia finis subire possunt rationem; neq; in eorum numero debent collocari, quæ absolutè portentosa, & rarò admodum euenientia à lege appellantur; quod Iustinianus de quinquagenariæ & vltrà partu loquens, apertè demonstrauit, cùm dixit, nihil eorum, quæ probabiliter noscuntur à natura esse producta, respui debere. quibus partum hũc à natura produci, proindeq; non esse præter naturam significauit. atq; hoc sensu Pauli, Caijq; verba esse interpretanda, iam supra diximus. quo loco eos non quinos, sed septenos pro raris admodum, ac portentosis intellexisse demonstrauimus. quare verba Pauli illa. Idest quia fieri poterat & c. veniunt non ad altera illa, non rarò admodum, sed ad id, quod de medieta-

te dictum est, omnino referenda; vt sententia sit, quia fieri poterat, vt medietatis habita ratione tergemini nascerentur & c. de qua quidem explicatione iam supra diximus. Itaq; neq; quod rarò admodum fit, est naturale, neq; quod naturale est, à lege reijcitur.

Sexta soluitur dubitatio. De superfœtatione ex Aristotele nonnulla. Item Plinij verba quædam adducuntur.

Cap. 23.

SExtam demum, ac postremam, quę omnium pulcherrima est, ac difficillima, sic puto diluendam; vt quærenti, cur à Iuriscõsultis partuum numerus videatur definitus, isq; sit quinarius; respondeamus, nulla alia ratione ab illis id esse factum, nisi & ea, ob quam partui breuiores longioresq; limites præfigerunt: de qua re plura huius libri initio disseruimus; videlicet, vt vno verbo explicem, vt hominum facinora, quantum in illis erat, euitarent. cùm enim mulier superfœtare possit, vt pulchrè libro septimo de Animalium Historia docet Aristoteles, Hippocrati in Opusculo de Superfœtatione consentiens; cuius rei causam libro quarto de Animalium Ortu explicat; Iuris Auctores prudentissimè considerantes, si quæ mulier à viro mortuo relicta prægnans fuerit, hanc posse, si alio viro coniungatur, nouos fœtus concipere, atq; hoc pacto alienam, adulterinamq; prolem tanquam legitimam, atq; ex iustis nuptijs genitam subijcere; vt, quantum in illis erat, & quoad eius fieri poterat, huic malo resisterent, numerum fœtuum definiendum putauerunt; numero tantùm quinos naturæ lege Aristoteli, & rationi naturali consentientes mulierem vno coitu concipere, vno vtero eniti posse statuentes: vt iam, si aliqua viro mortuo senos, vel septenos, quin etiam & plures edat, compertum habeamus, quod vltrà quinq; est, vel portentosum, vel ex alio superfœtatione post viri mortem esse ab ea conceptum; ideoq; omnino arcendum ab hæreditate. siquidem hoc contingere posse, & facilè contingere, Herculis, & Iphicli exemplo Historiarum septimo docuit Aristoteles; Item illius adulteræ, quæ alterum fœtum viro similem ex viro, alterum ex adulterio superfœtatione conceptum peperit similẽ adultero; cuius hac de re disputationem totam operepræcium est afferre. Mulier (inquit) & equa omnium maximè animalium grauidæ coitum patiuntur: cætera, vbi grauida fuerint, fugiunt mares; ea scilicet quorum natura superfœtare more leporis recusat. Verùm equa nunquam superfœtat, sed magna ex parte vnum tantummodo generat. At verò in muliere rarò quidem euenit, vt superfœtet; sed factum tamen aliquando est. Qui itaq; longo post tempore sint concepti, nihilo perfici possunt, sed præmaturius dolorem, quo ipsi, & primus fœtus intereat, mouent. Iam incidit, vt facta corruptione decem, & duodecim superfœtata puerperia egererẽtur. At verò si proximè à primo conceptu secundus sit factus, absolui ediq; potest, quod superfœtauit, vt quasi gemini nasci videantur: quo modo Herculem, & Iphiclem procreatos esse fabulantur. Nam id etiam constitit adultera quadam, quæ alterum suo marito, alterum adultero similem peperit. Iam & cùm geminos quædã ferret, tertium superfœtauit; & cùm tempus pariendi iustum iam esset, primos vitales peperit, secundum quinto mense elisit, qui statim mortuus est. Hæc ille; ex quibus & superfœtare mulieres, & superfœtatione plures quàm numero quinq; secus quàm supra sine superfœtatione fieri posse decreuerat, manifestè ostendit: cùm & decem, & duodecim numero abortione mulieres quasdam commemoret eiecisse. Notum etiam est ex hac pulcherrima Philosophi disputatione, facilè quod supra dicebamus euenire posse; videlicet mulierem iam grauidam, si ex alio superfœtatione nouos fœtus conceperit, ingenti fraude suum virum, immò & leges ipsas irretire posse. Quòd si quis obijciat, hanc legum sanctionem, quòd vno partu edita soboles, quæ numerum quinarium excedat, præter naturam censeatur, incassum esse positam; quia si, exempli gratia, mulier sex pariat, aut septem, sintq; vnus, aut duo superfœtatione concepti; nulla via, nullo signo ex adultero superfœtati, ab eis, qui ex viri semine orti sunt; cognosci queant; ita respondemus. non deesse signa, & ea quidem valde probabilia, quæ id nos doceant. Primò si non eædem coniecturæ certè similes locum habere possunt, quibus Bartholus vtitur ad eum filium agnoscendum, qui cuilibet viro tribui potest; de qua re libro primo, & septimo diximus, dicemusq; infra. Secundò in diuersis secundis superfœtati necessariò continentur. Tertiò & magnitudine minores apparent, & longius ad maturescendum tempus requirentes,

Cap. 4.

Cap. 5.

Cap. 4.

Cap. 4.

cuius rei illustre habemus apud Aristotelem quarto Historiarum exemplum de muliere illa, quæ, cùm geminos iam concepisset, & gestaret, tertium superfœtatione concepit; & cùm tempus pariendi iustum iam esset; primos vitales peperit, tertium, eò quòd quintus à superfętatione esset mēsis, elisit mox obiturum. quanquam enim gemini quoq;, eodemq; concubitu & tempore geniti diuersis secundis queunt obuolui, diuersisq; temporibus maturescere, vt sequenti disputatione dicturi sumus; in hoc tamen casu hasce coniecturas magni esse momenti arbitrandum est. Quòd si vrgeas rursus; ex viro posse vnum, aut duos mulierem concipere, & eo mortuo ex adultero mox alterum; qui tamen omnes, cùm numerum quinarium non excedant, legitimi habebuntur, si veniant in lucem iusto tempore: respondeo his & similibus nō esse remedium; nam & potest etiam mulier statim viro mortuo, vel etiam eo superstite, ex adultero concipere, & adulterinam alienamq; prolem pro sua viro subijcere; quam tamen, si iusto tempore nascatur, lex recipiet, quia non iudicat de occultis. Sed ad nostra redeamus. Quæ supra ex Aristotele attulimus, pulchrè Plinius & eleganter libro septimo Naturalis Historiæ ex Aristotelico depromens thesauro, ac de suo addens, ita confirmauit.

Cap. 11.

» Præter mulierē (inquit) pauca animalia coitum nouere grauida. vnum quidem omnino, aut alterum superfœtat. Extat in monumentis etiam Medicorum, & quibus talia consectari curæ fuit, vno abortu duodecim puerperia egesta. Sed vbi paululum temporis inter duos conceptus intercessit, vterq; præfertur; vt in Hercule, & Iphiclo fratre eius apparuit; & in ea, quæ gemino partu alterum marito similem, alterum adultero genuit. Item in Proconnesia ancilla, quæ eiusdem diei coitu alterum domino similem, alterum procuratori eius, & in alia, quæ vnum iusto partu, quinq; mēsium alterum edidit. Rursus in alia, quæ septem mensium edito puerperio, insecutis mensibus geminos enixa est.

Allata Plinij verba in quo ab Aristotele dissideant. locus quidam Aristotelis obscurus proponitur explicandus.

Cap. 24.

HAec Plinius; quo loco, vt eruditissimus Budęus libro secundo de Asse admonuit, duodecim puerperia, vt nos fecimus, non duo legere oportet, vt vetustiores codices habebant. Quanquam hęc tota ipsius enarratio duo habet, mea quidem sententia, non parum ab ijs, quæ memorato loco Aristoteles disseruit, aliena; primum est, quòd mulierem eam, quam Plinius vnum iusto partu, quinq; mensiū alterum edidisse scribit; Aristoteles hanc ipsam geminos, non vnum, narrat iusto partu esse enixam; vnum verò superfœtatione quinto mense, qui statim mortuus est. qui enim geminis iustus erat mensis, exempli gratia, nonus; illi, qui longo post tempore superfœtatione conceptus erat, quintus extitit. enimuero, vt perbellè initio Opusculi de Superfœtatione admonet Hippocrates, cùm superfœtarit mulier, si primum puerum in medio vteri habuerit, in eodemq; situ alterum superfœtatione conceptum; superfœtatio elabitur à primo expulsa. quin etiam & si in altero cornu superfœtationem habuerit, ipsum quidem posterius insuper parit, sed tamē non vitalem; nimirum quòd à vitali exoneratus vterus, laxatus, & humectatus fuerit. quanquam septimo Historiarum Aristoteles abortionis causam non in fœtum primò conceptum, vt hoc loco Hippocrates, sed in superfœtatum referens, hunc, si longo post tempore concipiatur, laborē dicit afferre, ac dolorem; sibiq; & primo fœtui interitus, & corruptionis esse causā.

Cap. 4.

Si igitur, vt redeamus ad rem, Plinius Aristotelicam historiam narrare profitetur, plurimùm aberrat. Alterum, in quo valde Plinius ab Aristotele dissidet, est; quòd postrema illa. Rursus in alia, quæ septem mensium edito puerperio & c. ad superfœtationem refert; cùm tamen nulla, vt ad eam illa referamus, sit necessitas; nullumq; apud Aristotelem in huius historiæ enarratione fortasse de superfœtatione sit verbum. siquidem ipse memorato septimi Historiarum loco, cùm ea de superfętatione disputasset, quæ supra attulimus; sic postea sequitur.

Cap. 4.

» Altera cùm primum septimo peperisset, qui mortuus est; mox duos iusto mensium numero edidit, qui vixerunt. Quædam etiam ab abortu conceperant, atq; alterum abegerunt, alterū continuerunt, pertuleruntq; ad partum. Plurimis, si concubuerint mense octauo, infans mucore oppletus exit. Exculentorum etiam, quæ mater comederit, sæpe gerulus venit in lucem. & si sale immodicè vsa sit, ipse sine vnguibus nascitur. Hæc ille; quibus non amplius de superfœtatione lo-

loqui, sed diuersa alia accidentia, quæ prægnantibus, parturientibusq; euenire solent, enarrare, satis constat; vt de illis, quæ post abortum duos conceperunt, alterum abegerunt, alterum non, est manifestum: item de illis, quæ octauo mense coeunt, quæ nullis machinis ad superfœtationem trahi possunt. Voluit autem his duabus historijs Aristoteles de grauissima re, nisi fallor, nos admonere, ad illiusq; memoriam excitare; quam & paulò supra innuit, & clarius libro quarto de Animalium Ortu expresit, & nos tandem libro tertio ex eodem apertè explicauimus: cuius quidem cognitio præsentis disputationis multùm interest; cùm Philosophi hac de re mente percepta quorundam verborũ Pauli in l. ANTIQVI veram sententiam assequi valeamus; in quibus fortasse interpretandis magni alioqui viri hærent implicati. Est autem id, vt memorato libro diximus, vno eodemq; tempore, & coitu conceptos, non tamen necessariò vno eodemq; tempore excludi; quin potius ob materiæ diuersitatem, ex qua formati sũt, alterum citius, alterum serius nasci; alterum ad perfectam maturitatem perueniture; alterum, abigi. quod Aristoteles significasse visus est, cùm dixit de superfœtatione loquens, si proximè à primo conceptu secundus factus sit, absolui ediq; posse superfœtatum, vt quasi gemini nasci videantur. his enim geminos ipsos, quamuis eodem coitu & tempore genitos, quasi superfœtatos non eodem tempore maturitatem adipisci, ac nasci posse, aliquo pacto indicauit: quod libro quarto de Animalium Ortu apertius exposuit de humano partu loquens; cùm dixit, si vno coitu semen amplius fuerit, plures gigni, quorum alter posterius nascitur; de cuius loci vera interpretatione libro tertio nos plura.

Cap. 5.

Cap. 5.

Mens Aristotelis declaratur. nonnulla de superfœtatione afferuntur; Budæi, & quorundam aliorum reprehensio in D. Augustinum recitatur.

Cap. 25.

HOc igitur est, quod adductis verbis, quæ ad superfœtationem Plinius putauit pertinere, Philosophus admonet; inquiens, mulierem quandam (cùm tergeminos scilicet concepisset) primum septimo mense peperisse, vel abegisse potius, qui mortuus est; alios verò duos posterius; videlicet vt Plinius, insecutis mensibus, vel vt Theodorus interpretatur, mox iusto mensium numero, puta nono, perfectos edidisse, qui vixerunt. hoc est, quod altero exemplo subiungit, nonnullas post abortum, vel, vt mihi magis placet, quæ abortire solebant, nec conceptus vnquam cõtinere, simul geminos aliquando concepisse; quorum alterum abegerunt, alterum pertulerunt ad partum. neq; enim sub abortu, vt Theodorus transfert, idest vel in ipso abortiendi actu, vel paulò post concepisse mulieres illas Aristotelem narrare autumo; cùm omnem excedat fidem, per id temporis mulierem vllam vel ipsam venerẽ ob ingentes cruciatus, quos ob abortionẽ paulò antea pertulit, exercere velle, vel posse; vel si exerceat, posse concipere tùm ob dolores, tùm ob ingentem quam patitur menstrui fluxus copiam, quæ ipsam impedit conceptionem. Sic ergo palàm est ex Aristotelica enarratione, eodem coitu, ac tempore procreatos, non tamen eodem tempore & mense, siue ortum spectes, siue abortum, necessariò nasci & excludi; quod & his exemplis docere Philosophum voluisse, verum esse, illi facilè concedent, qui superfœtationem omnino negant; inter quos Ioannem Valuerdem Anathomes libro tertio esse video; eos irridentem, qui post primum conceptum mulierem superfœtare affirmant, denuoq; concipere; volens, quòd mulier, si, vt experientia docet, vno mense vnum, alio alterum fœtum edit, id efficiat, non quia denuo concepit, sed quia materia, ex qua formantur fœtus, tanquam temperatione diuersa, non eodem tempore maturitatem nanciscatur. quam profectò sententiam, quantum est diuersæ in materiæ alia, & alia parte temperationis ratione, illud certè valde probabilem reddit; quòd eodem concubitu geminos disparis sexus ex eadem materia, sed non tamen ex eadẽ illius parte gigni cernimus. quod magnus Medicinæ pater sic in extremo Opusculo de Pueri Natura eleganter explicuit. Quòd autem (inquit) gemelli fœmella, & masculus generantur, hoc causæ esse sentio. In muliere, & in viro, & in omni animali in singulis & debilior, & fortior genitura inest; & non semel, ac simul genitura procedit, sed & bis, & ter ebullit, ac eiaculatur; & non est possibile omnem esse fortem, tùm quæ prius exiuit, tùm quæ posterius. In vtrum autem sinũ crassiorem, ac fortiorem geni-

Cap. 14.

" turam ingredi contigerit, illic masculus gignitur; in vtrum verò rursus humidiorem, ac debiliorem, illic fœmella generatur. Si verò in vtrunq; fortis ingreditur, ambo masculi fient; sin debilis, ambo fœmellæ. Hæc diuinus Hippocrates; quibus illud, quod non semel ex Aristotele in hoc opere admonuimus, mirificè comprobatur; videlicet aliam seminis partem ab alia, eiaculationem posteriorem à priore interdum plurimum differre; vt nil sit mirum, si mas, ac fœmina, si diuersis etiam temporibus maturescentes fœtus ex eodem concubitu generentur. Quanquam, quod ad superfœtationem pertinet Hippocratis & Aristotelis testimonio cōprobatam, item & sensuum fide; qui eam reijciunt, nulla sunt profectò ratione audiendi. qua in re grauius fortasse peccāt, qui tàm insignis mendacij D. Augustinum vel auctorem proferunt, vel certè assertorem; è quorum numero Gulielmum Budæum in Pandectas super l. ANTIQVI ac, referente Sylburgio in sua Aristotelicorum operum editione, Ioannem Baptistam Pium in Annotationibus esse compertio; qui non sunt veriti asserere, tantum hominem aperta in re esse hallucinatum. volunt enim, D. Augustinum libro quinto de Ciuitate Dei, dum in Astrologos inuecheretur, ignorasse, geminos pluribus, quàm vno concubitu fieri posse, & quod idem putant, constanter pernegasse superfœtationem. Budæi autem hæc est censura; nam Pij locum videre nobis non licuit.

In Not. sup l. Histor. Cap. 3.

Cap. 6.

" His Aristotelis verbis apparet, geminos plerosq; vno concubitu concipi, nonnullos tamen pluribus: id quod D. Augustinus ignorasse videtur, qui libro quinto de Ciuitate Dei cap. 6. cōtra Chaldæos loquēs, qui se ex Genesi hominum fata prædicere posse profitentur, sic inquit. At enim plurimum vis horoscopi valet. hoc quàm nihil sit, iam satis disserui. sed qualescunq; sit, in ortu valere dicunt. Nunquid & in conceptu vbi & vnum cōcubitum esse manifestum est? & tanta naturæ vis est, vt, cùm conceperit fœmina, deinde alterum concipere omnino non posit? vnde necesse est eadem esse in geminis momenta conceptus.

Verus sensus verborum D. Augustini explicatur. Cap. 26.

AT nos erga tantum virum pietate ducti, vt eum, postquam datur occasio, in re tàm iusta sine patrocinio non relinquamus, dicimus, præsenti in loco ex D. Augustini verbis, nullo pacto necessariò elici, geminos vno tantùm cōcubitu cōcipi, ipsum existimasse; nihil minus quàm ipsam superfętationem ab eo negari, nihil magis quàm ipsam superfętationē cōprobari; demum dicimus, si ab ipso affirmetur, qui verè gemini sunt, vno tantùm concubitu fieri, rectissimè id affirmari. Sic non rarò aliena iniuria locupletari amantes, ingenti errore irretiti miserè conflictamur, omnino conniuentibus oculis grauissimorum hominum dicta contuentes. Sed priora duo primùm demonstremus. Vult D. Augustinus contra Genethliacos ostendere, eodem momento genitos disparem fortunam experiri; quod vt probet, geminorū exemplum in medio ponit; qui, tametsi simul procreati, instituto tamen & proposito vitæ valde sunt sæpè dispares. verùm quoniam respondebant Aduersarij Nigidianæ rotæ exemplo, hos non eodem momento ex vtero excludi; ideo sub diuersis horoscopis venire in lucem, & propterea vitę instituto esse dispares: vir sāctissimus, vt hāc illis fugā eripiat, ortus tēpore relicto ad cōceptionis tēpus cōfugit, ꝙ vnicū in geminis esse potest. cùm enim conceptio ipsa prima sit hominis generatio, vt Astrologi Philosophis consentientes tradunt; sydereiq; afflatus vel ex eorum sententia tunc maximè imprimantur: qui eodem tēpore concipiūtur, quod euenire posse nemo sanæ mentis negare debet, & fatentur Aduersarij; diuersos suæ conceptionis horoscopos habere non poterint, sed omnino eundem: quare, cùm mox disparem vitæ cursum habeant, argumento sunt, hos sydereos afflatus esse nullos. Hoc igitur est, quod inquit D. Augustinus, nunquid & in conceptu, scilicet geminorum vbi, scilicet quando, vel in quibus & vnum concubitū esse manifestum est, quia nimirum id facilè posit euenire; & subaudiendum, dicere poterint vim diuersi horoscopi valere, sicuti & in ortu dicunt? id enim dicere non posunt, quia sicuti vnus concubitus in his esse supponitur, ita & vnicum etiam conceptionis tempus esse potest. quarè, cùm non contingat in conceptu, quod & in ortu; vt scilicet diuersis temporibus cōceptio illorum fiat, sicuti & ortus; non poterunt diuersos horoscopos in conceptione habere. quoniam autem dicere Aduersarij potuisent, horum geminorum alterum non eodem tempore, sed

post, & sic superfœtatione esse conceptũ; atq; ex consequenti pluribus quàm vno coitu geminos productos; propterea, vt neq; hunc etiam locum, quò se se recipiãt, doctissimus vir illis relinquat; verba subiũgit, quibus eum negare volunt superfętationem; & inquit. » & naturæ tanta vis est » & c. quæ profectò, vt palàm est, non eo cõsilio profert D. Augustinus, vt superfœtationem fieri vniuersaliter in mulieribus neget, sed quia sciebat ipsam fieri posse, vt in geminis illis, de quibus disputabat, mõstret locum non habere; quare & superfętationem ipsam maximè his verbis videtur comprobare. cùm enim mulieribus interdum post primum conceptum vterus aperiatur; aperiatur autem, cùm antea conniueret, & dehiscat, vt pulchrè Pareus lib. 23. adnotauit, (Cap. 32.) siue quia post conceptionẽ certis tẽporum interuallis reserari soleat, vt excremẽtitijs quibusdã materiebus, quę in ipso congerũtur, exitus pateat; siue quia virile denuò semen excipere cupiat (quam postremã causã Laurentio doctissimo viro Oper. Anatom. (Quest. 32.) libro secundo hac de re egregiè disputanti valde probari video, sicut & primam ab eo valde reprobari) tuncq;, si cum viro iungantur mulieres, denuo concipere queant; quod tamen raro contingit, & ferè ob illarum naturæ quandam imbecillitatem: D. Augustinus, vt mõstret id non semper fieri, neq; esse necessarium, sed vno concubitu geminos etiam generari, acutè subdit. » & tanta naturæ vis & c. quorum verborum sententia est. quid Aduersarij de conceptu dicent, in quo vnum concubitum esse supponimus, & tantam in muliere vim esse naturæ, vt, cùm conceperit, deinde alterum concipere omnino non possit? quia scilicet, vt plerisq; euenit, se vterus illi à conceptu exactè comprimat? quod Galenus libro decimoquinto de Vsu Partium, (Cap. 3.) & secundo de Symptomatum Causis (Cap. 7.) confirmat, & tantoperè admiratur. in hoc enim conceptu, & geminos concipi, & eodem concubitu & tempore concipi, fateri eos oportebit.

Confirmantur superiora Aristotelis auctoritate. D. Augustinus defenditur, item qui verè sint gemini existimandi.

Cap. 27.

ITaq; non semper, & mulierem omnem secundarium conceptum habere non posse inquit D. Augustinus, sed mulierem eam negat habere, quæ & geminos vno cõcubitu concipiat, & tanta in ea sit vis naturæ, vt, cùm conceperit, deinde alterum nequeat superconcipere; quod vteri conniuentia illi contingit. ex quò & concludit, necesse esse in geminis, scilicet in quibus vnum concubitum esse manifestum est, & tanta vis & c. eadem esse momenta conceptus. Nam & hoc est, quod Aristoteles libro quarto de Animalium Ortu (Cap. 5.) docet superfœtationis causas diuinè aperiens, quæ inter animalia magnitudine prædita sunt vt homo, si alter coitus proximè ab altero accessit, & superfœtare, scilicet denuo concipere mulierem posse, quia nondũ vterus se compresserit (siquidem hoc ante illum monebat in Opusculo de Superfœtatione Hippocrates, eas mulieres superfœtare dicens, quarum stomachus, idest vteri os, post primum conceptum non clauditur) & posse quod superfœtatum est enutrire; sed si iam aucto conceptu coitus adhibeatur, primùm raro quidem superfœtare; quoniam vterus iam sit compressus, & vt plurimum sic ad partum vsq; maneat (qua de re plura etiam libro tertio diximus) deinde si vel non fuerit compressus, vel rursus adaperiatur (quod raro etiam euenit) superfœtare quidem, sed superfœtatum perficere non posse, conceptusq; propterea abigere similes illis vteri deperditionibus, quas ectrosmos vocamus. cuius rei causam esse inquit, quòd, quemadmodum quæ vnipara tantùm sunt, nunquã superfœtant, quia materia statim illis deest ad nouum fœtum efformandum; vt potè quæ in iam conceptum in eis fœtum omnis ob eius magnitudinem illis absumatur; sic & in muliere euenit, cùm insigni post primum conceptum temporis interuallo rursus concipit: omnis enim materia in prioris conceptus, qui iam grandior est factus, formationem nutritionemq; consumitur; proindeq; vel nulla, vel longè minor copia, quàm opus sit, ad secundarium conceptum efformandum, nutriendumq; relinquitur. siquidem hoc est, quod inquit Aristoteles subobscuris verbis illis. Vt enim in vniparo genere omne excrementum absumitur in id, quod præcesserit, ob corporis magnitudinem; sic in ijs fieri solet. sed in illis statim, in his cùm iam fœtus accreuerit: tunc enim similem vniparis conditionem recipiunt. At enim ita acceptis D. Augustini verbis, neq; superfœtationem ab eo tolli; neq; affirmari, geminos omnes vno tantùm concu-

cubitu concipi, non pluribus, satis arbitror cuiq; esse manifestum. Superest nunc nobis demonstrandum, etiam si dixisset, geminos cunctos vno tantùm concubitu concipi (quod ipsum voluisse mihi persuadeo, cùm id maximè verba videantur indicare) Aristotelis dictis nihilominus mirandum in modum consentanea asseruisse, qua in re pertractanda eò longiores erimus, ac diligentiores, quò huiusmodi error, postquam datur occasio, literatorum animis, in quibus iamdiu insedit, eripiendus est, arbitrantium, non vno tantùm concubitu, sed pluribus geminos posse generari. Enimuero si Aristotelis verba tùm libro septimo Historiarum, tùm quarto de Animalium Ortu ponderemus, videbimus perpetuò ipsum, quos geminos appellauit, vno concubitu genitos non pluribus supposuisse; vt mirum omnino sit, eruditissimum Budæum contrarium ex eo colligi, affirmare, idest geminos non solùm vno concubitu generari, sed etiam pluribus.

Quæ de gemellis dicta sunt Aristotelis probantur auctoritate. Plinius ac Solinus redarguuntur. D. Augustinus rursus defenditur. Item Hippocratis de Gemellis affertur sententia.

Cap. 28.

HVius veritatis testis locupletissimus est (ne longius abeamus) quod Historiarum septimo de Hercule & Iphiclo scriptum legimus; quos tanquam non vno concubitu conceptos, non simpliciter & absolutè geminos esse natos dixit Aristoteles, sed ὥσπερ δίδυμα γόνῳ, idest, vt rectissimè Gaza interpretatus est, quasi geminos; ex quò & à primo conceptu altero concubitu conceptum, quem perfici, & ad partum perferri scribit simul cũ primo, nasci quasi geminos itidem dicit, non absolutè geminos; videlicet quòd non vno eodemq; concubitu fuerunt procreati. Item mox adulteræ duos illos pueros alterum marito similem alterum adultero ab ea editum, non vocat geminos ob eandem causam; vt Plinius audiendus non sit, qui hos gemino partu natos scribere videtur præter fidem græci exemplaris: sed mox geminos dicit in alterius mulieris partu duos fœtus illos, post quorum conceptum tertius superfœtatione cõceptus fuit; quẽ scribit mulierem quinto mense elisisse; nimirum quia priores vno concubitu fuerũt generati; & quod maximè notandum est, tertium ad priorum differentiam appellat superfœtatum; quia scilicet secũdario cõcubitu fuit procreatus; duos priores, quia vno initu, vocat geminos; cùm alioqui tergemini ab eo dicendi fuissent, si diuersus concubitus, geminos, & tergeminos posset constituere. Postremò libro quarto de Animalium Ortu de animalibus, quæ vnipara tantùm sunt, verba faciens, scriptum reliquit, si aliquando (quod rarissimè euenit, ac præter naturam) plus emittant seminis quàm ad vnum producendum sit satis, geminos nasci; quibus pariter eodem concubitu concipi hos partus demõstrauit; idem etiam paulò post docens, cùm de superuacuis partibus disputationem aggrederetur, his verbis. Partium autem superuacanearum præter naturam eadem causa est, quæ geminorum generationis. iam enim in ipso conceptu causa accidit, videlicet si plus materiæ consistit, quàm pro ipsius natura partis sit. qua sanè ratione pulchrè simul, & perspicuè significauit, sicuti superuacua pars ex eadem materia gignitur vno concubitu congesta, quæ tamen amplior sit, quàm pro ipsius partis ortu requiratur; sic & geminos ex vnius concubitus materia generari, quia scilicet plus ipsius constiterit, quàm pro vnius fœtus generatione sit satis: vt omnino vnicum concubitum ad geminorum constituendam rationem duxerit necessarium. Nec aliud libro decimo Historiarũ habemus, licèt alicui aliter ob loci difficultatem videri posset; qui liber si Aristotelis est, ὑπόμνημα esse censeo sine vlla dubitatione, idest commentarium, ac recordationẽ, & vt vulgò dicimus, memoriale: quos quidem libros Veteres solitos fuisse conscribere memoriæ gratia, cùm Antiquorum scripta perlegerent, Ammonius in Præfatione ad Aristotelis Prædicamẽta auctor est; vt si quando illis scribendũ esset, propriorum librorum materiam haberent veluti paratam. sic autem ibi scriptum legimus. χὴ ἡ τῶν διδύμων γένεσις, ὅταν ἀπὸ μιᾶς γένηται. quod quidem non sonat, gemellorum generatio, quando ab vno coitu facta fuerit, quasi ex pluribus gemellos procreari posse velit; sed, vt etiam eruditissimus Scaliger interpretatus est, sentẽtia est, quòd non ex semine vniuerso cõfletur passio, argumento esse tùm animalia aliquot, quæ vnico initu multa concipiunt, tùm gemellorum generationem, quæ vnico coitu effi-

Cap. 4. (margin notes: Cap. 4.; Cap. 2.; Cap. 4.)

efficitur. ex quò & sic verba, mea sententia conuertenda sunt. Et gemellorum generatio; cùm & ipsa ab vno coitu fiat. & in eundem sensum doctissimus Scaliger illa interpretatus est hoc pacto. tùm autem ex gemellorum generatione, quæ coitu vno fit. quod etiam paulò infra idem Auctor affirmat, inquiens, multiplicem fœtum vnico tantùm concipi initu tùm ex suillo genere liquere, tùm ex ijs, quæ gemellos aliquando pariunt. itaq; rectissimè videbitur D. Augustinus asseruisse, qui verè gemini sunt, vnico tantùm concubitu generari; si propriè enim loquamur, ad geminorum partum constituendum duo hæc necessariò concurrunt; quòd scilicet ex eodem parente, quòd vno eodemq; cõcubitu producantur, vt iusta de causa neq; Herculem & Iphiclum, neq; adulteræ partus Aristoteles geminos appellauerit; quia neq; eundem parentem habuerunt, neq; vno concubitu fuerunt concepti; vt non parum Plinius errasse videatur, adulteræ partus illos geminos appellans; non solùm nõ vno concubitu conceptos, sed neq; etiam ex vno eodemq; parente. quem errorem secutus Solinus, Procõnesię ancillę partus, quos ipsa ex duplici genuit adulterio, ex diuersoq; concubitu, geminos appellauit. Et de Procõnesia ancilla (inquit) quæ è duplici adulterio geminos edidit vtrunq; patri suo similem. atq; hanc sententiam iampridem Hippocratem fuisse secutum, quæ paulò supra ex eo verba de gemellis masculo, & fœmina adduximus ex Opusculo de Natura Pueri, faciunt testatissimum; quibus perspicuè admonet, ex eodem cõcubitu eos generari. Sed quid in re clarissima immoramur. audiant isti diuinũ Senem, sic apertè vociferantem eodem Opusculo. Gemelli autem fiunt ab vno coitu & c. audiant rursus eundem non multò post id ipsum sic probantem. Quòd verò ab vno coitu gemelli gignantur, hoc testimonio constat. Est canis, & sus, & alia animalia, quæ ab vno coitu pariunt & duo, & plura; & vnumquodq; animal in vtero in sinu, ac pellicula existit; atq; hæc ipsi fieri videmus; & hæc omnia eadem die vt plurimum pariunt; sic autem & mulieri ab vno coitu gemelli facti, vterq; in sinu, & pellicula est, & eadem die vtrunq; parit, & alter prius foras procedit, & pellicula ipsius, siue secunda. quo ex loco hoc alterum elicimus, non semper ex Hippocratis sententia in eadem secunda geminos inuolui; cùm ipse perspicuè asserat, cùm gemelli concipiuntur, vnumquemq; in suo sinu concipi, & propria secunda circundari; ex quò & alterum prius cum sua secunda foras procedere inquit, quod & etiam de gemellis masculo, & fœmina asseruit; cùm alioqui in eadem cella, in eodem sinu, in eodemq; vteri loco & secunda gemellos fieri posse ipse quoq; cognouerit; veluti qui existimauit, varios ac multiplices sinus, cellasq; vteri muliebris, si modò vllas esse in muliere censuit, non quidem causam esse ortus gemellorum, sed tantùm concausam. Nam & hoc est, quod in Opusculo de Superfœtatione inquit, mulierem gemellos in eadem secunda habere; neq; enim id protulit, quasi semper ita fieri crederet, quia sibi ipsi esset contrarius, sed aliquando; cùm vt plurimum secus euenire in Opusculo de Natura Pueri docuerit. Quare neq; ab Hippocrate Aristoteles diuersus est, multa generari pro numero acetabulorum opinari, nihil esse rationis dicens, tametsi docti huius ætatis viri aliter sentiant; quandoquidem Philosophus libro quarto de Animalium Ortu, vbi sentẽtiam hanc videtur improbare, nil aliud verè vult ostendere, nisi quòd hęc sinuũ multiplicitas nõ est propria, nec primaria causa, vt pleriq; Veterum existimabant, partus multiplicis; sed vera causa est, vt pulchrè ipse docuit, & acutisimè, agentis patientisq; natura præscripta, & definita: qua de re libro tertio disputauimus. quare & in eodẽ vteri loco geminos non semel cõspectos inquit; ꝙ & in Opusculo de Superfœtatione fatetur etiã Hippocrates, & ego sẽsuũ fide expertus sũ; cùm viderim tergeminos à mea vxore per abortum eiectos in eadem cunctos & vnica secunda contineri.

Cap. 4. (margin)

Cap. 4. (margin)

Hippocratis de numero sinuum vteri muliebris adducitur ex Gorræo opinio. Superiora Fernelij auctoritate cõprobantur.

Cap. 29.

IAm verò dixi paulò supra, si modò hos sinus in mulieris vtero Hippocrates agnouit; quoniam quòd nullos habeat vterus muliebris, nullosq; in eo posuerit, tametsi ita scribens libello de Pueri Natura. Porrò gemini vno congressu hunc in modum procreantur. Vteri sinus multos variosq;, alios quidem magis intimos, alios pudendo viciniores habent. contrà alicui videri posit; Gorræus grauissimus auctor in Annotationibus super eodem libello pulchrè, & doctè his verbis aperuit.

Ann. 66. (margin)

Ho-

» Homines quidam ineptissimi, atq; Anato-
» mes prorsus imperiti, plerisq; persuaserũt,
» in vtero muliebri quamplurimos esse si-
» nus, & cauitates, quæ illi alio nomine re-
» ceptacula appellant. statuunt enim septẽ,
» ex quibus tres in parte dextra vteri tres in
» sinistra, & septimam in earum medio ex-
» quisitè sitam, dicatam quidem illam Her-
» maphroditis, sicuti lateris dextri tres ma-
» sculis, alias autem fœminis. Quod sanè
» mendacissimum commẽtum tàm inualuit,
» viresq; , mentes hominum simplices persua-
» dendo, acquisiuit, vt nonnulli postea quã-
» q; cauitatem alias decem continere pari
» impudentia asseruerint, nullam rationem,
» nullum celebrem auctorem, non deniq; sẽ-
» sum ipsum sequuti. Nam quod ad sensum
» spectat, gemini modò sinus in corporum
» dissectionibus visi semper sunt, quorum
» vnus dexter, alter sinister est, & vterq; eti-
» am non admodum altus. Siquidem ambos
» tenuis & parumper in vteri fundo protu-
» berans sutura & facit & separat ab ea non
» dissimilis, quæ virorum scrotum media in-
» terstinguit. Nec verò se vllis defendere
» possunt auctoribus; nam & Aristoteles,
» & Galenus, & reliqui omnes probatissimi
» Medici, diligentes corporis humani spe-
» ctatores, duos tantùm in vtero muliebri si-
» nus posuere. Sed & ratio mirum in modũ
» consentit. Quòd enim duæ duntaxat mã-
» mæ mulieri datæ sint à natura, apertissimè
» testatur, duos tantùm in vtero ipsius sinus
» haberi; quum & in reliquis animantibus,
» singulis mamillis singuli etiam in vtero si-
» nus, & loculamenta respondeant. Sed for-
» tè locus iste Hippocratis malè intellectus
» eos in errorem perpulit. Nam quia Hip-
» pocrates vno coitu geminos nasci proba-
» turus, dixit vteros sinus multos variosq;
» habere, alios quidem penitiores, alios ve-
» rò magis vicinos pudendo: id de vtero mu-
» liebri scriptum esse fortasis existimarunt,
» non cæterorum animantium, quæ plura
» quàm homo pariunt. Verùm multò aliter
» intelligendum est. Siquidem ex illis de
» homine ratiocinatur hunc in modum. Vi-
» demus animalium quędam vuluas, siue vte-
» ros continere multos, totidemq; formandi
» loculamenta; quibus, quoniam impleri per-
» cupiunt, accidit, vt tot etiam pariant, quot
» semine genitali referta loculamẽta habue-
» rint. Itaq; quum in muliebri vtero duo
» sint eiusmodi sinus: si in eos genitura se-
» mel inserta sit, atq; diuisa, geminos quoq;
» parit. Et hanc quidem fuisse Hippocratis
» mentem facile est conijcere, quòd ipse ge-
minorum tantùm faciat mentionem, non »
eos modò, sed etiam tergeminos, & septẽ »
geminos concipi, & edi posse proculdubio »
dicturus, si tàm varios multifidosq; sinus »
in vtero muliebri esse existimasset. Hæc »
Gorræus; cuius tàm putamus veram opi-
nionem, quòd nulli sint in vtero muliebri
sinus, aliorum etiam doctissimorum huius
ætatis hominum, vt infra videbimus, auc-
toritate comprobatam; quàm quod adiun-
git falsum, Hippocratem geminorum tan-
tùm facere mentionem, quia duos putaue-
rit solùm esse in mulieris vtero sinus, ter-
geminos & septem geminos concipi dictu-
rum, si tot numero mulieris vterum exi-
stimasset habere: eò quòd in eodem sinu &
secũda geminos gigni posse ipse cognoue-
rit, vt superiora docuerunt, & post illum
Aristoteles; & plures etiam posse mulierem
concipere, tergeminos scilicet, & ad sum-
mam quinquegeminos, tametsi nullos ha-
beat sinus, credendum sit eum non latuisse,
sicuti non latuit Aristotelem; qui, vt tertio
libro vidimus, præsentiq; probamus dispu-
tatione, quinq; geminos multipari partus
terminum pulcherrimè posuit; vt mirè
Gorræus hallucinetur, cùm scribit, septem
geminos Hippocratem fuisse concessurum,
si septem habere sinus existimasset vterum
muliebrem. Sed ad propositum redeat o-
ratio; dicebamus enim vno concubitu ge-
minos procreari: itaq; insignis, explora-
tusq; error, quòd ex pluribus quàm ex v-
no concubitu gemelli oriantur; qui & nõ-
nullorum fuit etiam Recentiorum asseren-
tium contra Hippocratis, Aristotelisq; pla-
cita gemellos non solùm vno coitu, sed
pluribus concipi. quamobrem Fernelius
summa laude dignus, qui libro septimo de *Cap. 12.*
Naturali Parte Medicinæ ex purissimis
Hippocratis, Aristotelisq; fontibus hanc
hauriens veritatem, sic grauiter & doctè eã
nobis aperuit. Ergo locorum (inquit) in »
quos seorsum semen inciderit, distinctio, »
fœtuum numerum designat; quos (tametsi »
complures erunt) vnus, idemq; concubi- »
tus instituit. Si enim ex diuerso congres- »
su semen vtero concipitur, quod mulieri »
perquàm rarò, canibus autem, & alijs ple- »
risq; animantibus frequenter accidit, ge- »
melli non fiunt, sed ea fit, quę superfœtatio »
dici solet. Non enim vno tempore, sed lõ- »
go plerũq; dierum interiecto numero edũ- »
tur ij fœtus; estq; vt concipiendi, sic & pa- »
riendi tempus varium. Quod etiam inter »
recentiores sentit doctissimus vir Andreas
Laurentius Oper. Anatom. libro secũdo, & *Quæst. 31.*

Am-

Ambrosius Pareus de Hominis Generatione libro vigesimo tertio asserere visus est, [Cap. 32.] ab hac ipsa tamen aberrans veritate, dum credit, gemellos non solùm ex vno, eodẽq; concubitu concipi, sed etiam in eadem secunda perpetuò inuolui. scripsit enim. Si duos, pluresuè fœtus vtero gestet mulier, eosq; suis singulos secundis inuolutos, & disclusos, ea fit, quę superfœtatio dici solet. At qui ijsdem secundis inuoluũtur, vno, eodemq; concubitu ex multo, & copioso semine concepti creduntur, nullo nec concipiendi, nec pariendi dierum interiecto numero. & paulò post. Ergo plurium fœtuum secundis discretorum, idest minimè gemellorum generatio est eiusmodi &c. quem errorem videtur Fernelius memorato loco ex parte secutus, volẽs solùm qui gemelli vnius sunt sexus, ijsdem secundis inuolui, & simplici duntaxat mẽbrana seiungi, suum quemq; tamen vmbilicum, propriasq; tùm venas, tùm arterias obtinere; qui verò diuersi sunt sexus, diuersas quoq; secundas accipere, easq; dirẽptas: cùm tamen, vt superius Hippocratis, Aristotelisq; auctoritate ostendimus, vnus tantùm concubitus gemellos constituat; quòd verò vel in eadem secunda collocentur, vel eodem tempore in lucem veniant, vt isti volunt, nulla sit necessitas. ex quò & Hippocrates in calce Opusculi de Natura Pueri, cùm paulò supra admonuisset, pro sinuum numero fœtus plures gigni, & singulos sua, propriaq; secunda contineri; perspicuè asseruit, si vterq; sinus fortẽ genituram suscipiat, masculos gemellos euadere: vt iam horum singulos (tametsi vnius sexus existant) in suo sinu censuerit, in suaq; secunda inuolui.

Tollitur ex Hippocratis dictis quædam contrarietas. locus quidam ex Opusculo de Superfœtatione obscurus declaratur. D. Augustini sententię demõstratur ueritas. Pulcherrimus D. Pauli locus explicatur.

Cap. 30.

NEc quidquam aduersatur, quòd idem Auctor in Opusculo de Superfœtatione videtur innuere, in gemellis, vt cõcipiendi, sic & pariendi tempus esse idem; scribit enim sic, vt interpretantur. Quæ gemellos gestat eadem die parit, velut cõcepit. Nam primùm his, qui ita dicunt, græci exemplaris fidem oppono; in quo Hippocratica sententia legitur cum negatione. sic enim tùm Venetijs, tùm Basileæ omnes, quos viderim, impressi codices habent. ἡ τὰ δίδυμα κύουσα, οὐ τίκτει τῇ αὐτῇ, ὥσπερ συνέλαβεν. quod est. Quæ gemellos gestat, non eadem die parit, veluti concepit. quod quidem & voluisse Aristotelem supra diximus, & ratio ipsa monet; cùm videatur valdè consentaneum, sicuti vna tùm genituræ, tùm menstruorum pars ab altera temperamento differt, vt Hippocrates & Aristoteles voluerunt (ex quò & Hippocrati mas & fœmella gemelli oriuntur) sic & maturitatis termino differre; vt fortasse, si ea firma maneant, quæ de conceptione libro præcedenti disputauimus, neq; etiam vlla sit necessitas, vt eodem momento gemelli concipiantur, tametsi ex eodem cõcubitu materia illis paratur; quoniam alia menstruorum portio citius ab agente, formatriceq; virtute cogi possit alia, & constitui tanquam magis disposita. Quòd si omnium Interpretum cõsensus, qui in hoc loco conuertendo negationem delent, nos terreat, atq; ad græcum sequendum contextum reddat tardiores; dicere nihilominus possumus, cùm sequatur Hippocrates. Habeat autem vtrosq; pueros in vna secũda. sententiam esse, non quidem gemellos omnes eodem tempore edi, eodemq; concipi, sed eos tantùm, quos habet mulier in eadem secunda; vt de industria, quasi se ipsum explicaret, postrema hæc verba addiderit. quàm sanè interpretationem illud valdè probabilem reddit, quòd vel monente Hippocrate, vt supra vidimus, non omnes gemelli in vna, eademq; secunda inuoluantur. Enimuero, quòd non sit necessarium, quot quot eodem concubitu gignuntur fœtus, eodem tempore maturescere, & excludi, cognouisse diuinum Senem; quod in Opusculo de Natura Pueri scriptum legimus, canem, & suem, & alia animalia, quæ vno coitu plures concipiũt fœtus, eodem die omnes vt plurimum parere, probat euidenter; neq; enim dixisset vir sapientissimus vt plurimum eodem die hos fœtus excludi, nisi & non eodem, sed diuersis interdum venire in lucem posse cognouisset. quod, vt suo loco vidimus, apertè libro quarto de Animalium Ortu [Cap. 5.] admonuit Aristoteles. quod enim adiungit, eadem die gemellos edi, eò refert, vt non sic semper fieri velit, sed vt ostendat, vno concubitu fuisse conceptos; sicuti & ob eandem causam eadem die suos fœtus plerunq; canem, ac suem, similiaq; anima-

lia excludere dicebat. qui enim eadem die in lucem veniunt, eodem tempore, eodemq; concubitu esse genitos, valde rationi est consentaneum. Hæc igitur omnia beatissimus vir simulq; doctissimus (vt ad nostra redeamus) acutè contuens, idcircò dixit loco memorato, geminos parentes diuersos habere non posse; idcircò addidit, manifestum esse, in conceptu geminorum vnũ esse concubitum; insuperq; adiecit, tantã esse vim naturæ, vt, cùm conceperit fœmina, deinde alterum concipere omnino non possit. neq; enim gemini essent, nisi vnus esset pater, vnusq; concubitus; item nisi tanta esset naturæ vis, vt, cùm fœmina cõceperit, deinde alterum nequeat concipere; siquidem hæc verba D. Augustinus nõ de omnibus mulieribus generaliter, sed de concipientibus geminos profert, & superfœtationem respicit, dicere volens in fœmina, quæ geminos est conceptura, tantam vim esse naturæ oportere, vt, cùm conceperit, vterum rursus non aperiat, ideoq; alterum concipere non possit. cæteroqui non gemini procreati, sed superfœtatione geniti, qui nascerentur ex ea partus dici deberent. quare & maximè comprobat ipsam superfœtationem; & si alter post alterum secundario concubitu concipiatur, geminorum non esse partum perspicuè docet; vt meritò tanquam maximè probabile concludat, necesse esse eadem esse in geminis momenta conceptus. At enimuero hac intellecta apud D. Augustinum veritate, videlicet geminos verè illos dicendos esse, qui ex vno concubitu generantur; iam facilè patet qua de causa Paulus Apostolus Esau, & Iacob, qui gemini in sacra Genesi vocantur, sed non tamen dicuntur ex vno eodemq; concubitu procreati; ex vno nihilominus concubitu genitos esse dixerit in Epistola ad Romanos. Geneseos verba hæc sunt. Deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis. qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. & mox. Iam tempus pariẽdi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. quo loco Septuaginta. ϗ τῇ δὲ ἦν δίδυμα ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς. .i. Et illi gemini in vẽtre erãt. At verò Apostolus locũ hũc explicans sic loquitur loco memorato. Sed & Rebecca ex vno cõcubitu habẽs Isaac Patris nostri. vbi græcũ exẽplar. Ἀλλὰ ϗ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν. dixeris, & Rebecca ex vno Isaac Patris nostri concubitu semen conceptũq; in ventre habens. semen enim hîc ex Hebræorum idiotismo κοίτην propriè significare nonnullis placet. Arias interpretatur concubitum habens. At quis docuit Apostolum, Esau & Iacob vno concubitu Isaac, ex vno eodemq; illius semine esse generatos? sanè res ipsa docuit. neq; .n. latebat diuinum virum, geminos illos esse, qui vno concubitu oriuntur. quare cùm vidisset, Mosem geminos illos appellasse, pulchrè scripsit, vno concubitu fuisse procreatos; pro vno eodemq; accipiens & geminos nasci, & ex vno concubitu gigni.

Margin: Cap. 25. — Cap. 9.

Quæ de gemellis sunt allata aliorum Auctorum testimonijs comprobantur. Quæ fuerit Budæi errandi causa, explicatur. Cap. 31.

PORrò hanc de geminorum ortu sententiam (& de tergeminis, & quatuorgeminis eadem est ratio) referente Plutarcho libro quinto de Placitis Philosophorũ Empedocles, Asclepiades, Erasistratus, demum Stoici quoq; habuerunt; miro omnes consensu geminos vno eodemq; initu, ex eodemq; semine nasci arbitrantes. Nam Empedocles eos gigni memoriæ prodidit cùm semen abundat, & diuiditur in matrice. Asclepiades ob seminum differẽtiam, quod ferè in idem redit; quia scilicet fœcundissima sint, perinde ac hordei spicæ existunt duobus, vel tribus granorum ordinibus. Erasistratus, cùm matrix maximè expurgata auidissimè concipere appetit; tunc enim ἐπισύλληψιν efficere; idest superconceptionem, dixeris non vnius tantùm fœtus conceptionem, & geminos gignere. quam vocem Xilander Budæum imitans omnino perperam superfœtationem transtulit, ab Hippocrate & Aristotele græcisq; Auctoribus ἐπικύησιν dictam, non ἐπισύλληψιν. Demum Stoici, cùm in diuersa matricis loca diuersæ seminis partes inciderint. quæ omnes opiniones vno concubitu, ac vno semine, vt videmus, geminos nasci supponunt; vt rectissimè D. Thomas in Opusculo de Fato scripserit de geminis agens; ex vno eodemq; semine diuiso eos generari. Sed vt ad Budæum redeamus, videre videor quid illum in hanc traxit sententiam; Aristotelis enim historiã adducẽs de ea muliere, quæ geminos ferens tertiũ superfœtauit, sic eã affert. Iam & cùm geminos quædam ferret, primum vitalem peperit; secundum quinto mense elisit, qui statim mortuus est. At Theodorus cum græco exemplari penitus consentiens ita habet; à quo tamen sua Budæum mutuatũ sa-

Margin: Cap. 10.

» satis constat. Iam & cùm geminos quædã
» ferret, tertium superfœtauit; & cùm tem-
» pus pariendi iustum iam esset, primos vi-
» tales peperit; secundum quinto mense eli-
» sit, qui statim mortuus est. Hæc ille; à qui-
bus toto, vt aiunt, cœlo differunt, quæ Budæus recenset; cùm Aristoteles mulierem hanc geminos tulisse, tertiumq; superfœtasse dicat; Budæus de tertio nullam faciat mentionem; Aristoteles, geminos illos eã vitales edidisse, ac iusto tempore; tertium superfœtatum (quia scilicet, vt supra notauimus, tanquam superfœtatus, & non genitus eodem coitu, tergeminos constituere non valebat) quinto mense elisisse, qui mortuus est; Budæus, alterum ex geminis (insigni errore superfœtatum pro geminorum altero accipiens) quinto mense elisisse, qui interijt; quod penitus est contrarium. ex quò, vt arbitror, in eam venit postea opinionem, vt crederet, hos partus, quos ab Aristotele recedens geminos appellauit, & quorum adeò dispares fuerunt exitus, & quos non vno concubitu, sed pluribus fuisse conceptos idem tradit Aristoteles; & verè geminos esse, & posse geminos ex diuerso etiam initu procreari; idq; Augustino obiecit: vt certè mirandum sit tàm magnum virum in tantum erratum incidisse; vt alia pro alijs, pro veris falsa ex Aristotele nobis ostentauerit. Sed video quid Budæum perpulit in errorem; putauit enim, Philosophum, cùm de partubus illis ageret, quos tanquàm non superfętatos, ac primo genitos concubitu, geminos idcircò esse dixit; de illis tantùm duobus egisse: nec cognouit de tertio superfętato in eius oratione haberi sermonem; quem nec geminum, nec tergeminum cũ duobus prioribus cõstituere partũ vllo dixit modo Aristoteles. Sed iam pro D. Augustino satis superq; pugnatũ est; satis superq; ostẽsũ, quę ipse verba cõditionaliter protulit; videlicet de geminis, in quibus manifestum est vnum esse concubitum; eius calumniatores absolutè ac simpliciter accepisse: quæ dixit particulariter vel de geminis propriè acceptis, vel de geminis illis, vniuersaliter ad omnes traxisse conceptus. nunc ad propositum redeamus.

Locus quidam obscurus Pauli Iurisconsulti ex l. ANTIQVI *explicatur. alter Vlpiani ex l.* CVM QVIDAM *longè obscurior proponitur expendendus.*

Cap. 32.

His igitur ita cognitis hoc alterũ, quod ad præsentem disputationem pertinet, nec videtur prætereundum, elucet: videlicet qua ratione Paulus Alexandrinæ mulieris partum enarrans dicere potuerit, ex quinq; quos enixa est, liberis, quatuor eodem tempore peperisse, quintum post quadragesimum diem. Pleriq; enim putant, inter quos & Budæus, superfœtationis eum meminisse; ex quò & Glossa ita habet. Qua- »
dragesimum. Hoc est argumentum contra »
quosdam Physicos, qui dicunt, quòd, ex »
quò mulier concepit, non potest iterum »
concipere, antequàm pariat; nam hunc po- »
stea natum concepit, postquam alios con- »
ceperat. & pro hoc ff. de acquir. hæred. l. »
cùm quidam §. suum hæredem. vers. quòd »
si vnum. At ego eorum memor, quæ ex Aristotele supra docui; videlicet si vno coitu seminis plus mittatur quàm ad vnũ concipiendum satis sit, quod emissum est diuidi, diuisumq; plures efficere conceptus, quorum nonnulli tardius nascuntur; Iurisconsultum de superfœtatione memoratis verbis agere, ex illisq; argumentum pro superfœtatione vllũ hauriri, necessariũ nõ existimo; cũ quintus ille puer vel nõ eodẽ tẽpore cõcipi, vel tametsi cõceptus, facilè potuerit nihilominus cunctari, ac per dies 40. serius nasci, aliquanto tardius suam recipiens maturitatem. ex quò & Caius, ac Iulianus, qui eandem historiam retulerunt, mulierem Serapiam nomine fuisse dicentes, hos partus, tanquam scilicet vno coitu conceptos, vno vtero ac fœtu enixam esse ipsam dicunt. illud potius verè affirmassent, in altero illo loco, quem Glossa adducit, & superfœtationis necessariò à Iurisconsultis haberi mentionem, & superfœtationem ipsam recipi, & comprobari. sunt enim Vlpiani verba septimo libro ad Sabinum Pomponij sententiam ex Tertylliano libro quarto Quæstionum referentis, quæ ita habent. Quod & sextum Pompo- »
nium opinatum Tertyllianus libro quarto »
Quæstionum refert. Putasse enim, sicut, »
cùm vacuo vtero suus ex asse hæres est; ita »
& cùm vnum gerit, nec per naturam huma- »
næ conditionis alium partum formare po- »
test (quod quidem post certum tempus e- »
ueniet) ex parte dimidia & ignorantem fo- »
re hæredem; non ex quarta, vt Iulianus »
putat. At hîc, vt reor, Pomponius existimauit, cui & Vlpianus assentitur, cùm vnus vtero geritur, alium partum concipi posse; quod quidem nil aliud est, quàm superfœtari; sed tamen post certum à prima conceptione præteritũ tempus per natu-

ff. de acquired. hæred. l. cũ quidã §. suum hæredem.

turam humanæ conditionis formari non posse: quod quidem quo modo habeat veritatem, nemo vnquàm intelliget, nisi & simul intelligat, quæ ex Aristotele supra docuimus; vt iam palàm sit prudentissimos viros Aristotelicis fundamentis nixos ita scripsisse. neq; enim per certum à conceptione tempus diem quadragesimum intellexerunt, vt Glossa interpretatur; lõgèq; minus intellexerunt, post certum hoc conceptionis tempus iam certum esse in rerum natura, quòd alium mulier concipere non potest, quia clausæ sunt cellulæ, vt eadem Glossa inquit.

Allatus Vlpiani locus enodatur. Item Pauli alia quædam verba enarrantur.

Cap. 33.

HOc veritati esse consentaneum vel inde patet, quòd neq; quadraginta fortasse dierum spatium tantum est, vt eo prę-terito conceptus primus sit adeò auctus, vt secundarij formationem, nutritionemq; possit impedire; ex quò & Aristoteles septimo Historiarum de huiusmodi tempore ita scribens, τὰ μὲν οὖν ὕστερον πολλῷ χρόνῳ συλληφθέντα, οὐδὲν λαμβάνει τέλος. idest, qui itaq; multo, vel vt Theodorus interpretatur, lõgo post tempore concepti sunt, nihilo perfici possunt; quibus, vt videmus, multum longumq; huiusmodi tempus appellat; lõgius fortasse esse interuallum oportere, quàm dierum sit quadraginta spatium, nobis demonstrauit. vt quantum ex eius verbis coniectari valeo libro septimo Historiarum, dum illius mulieris narrat historiam, quæ, cùm geminos ferret, tertiumq; superfœtasset, tempore pariendi iusto adueniente, .i. vt ego autumo, gemellis nono, hos vitales peperit, superfœtatum verò quinto mense elisit; quartus præteritus mensis à primo conceptu, longùm huiusmodi sit tempus, in quo concepit denuò fœtus nihilo perfici possint, antea concepti omnino perficiantur; enimuero fœtus ille, qui perfici non potuit, ideoq; mense quinto eiectus fuit, videtur quarto mense à gemellorum conceptione fuisse superfœtatus: vel si in alterius mulieris historia, quæ, cùm priorem septimo mense peperisset, qui mortuus est, postea duos iusto mẽsium numero edidit, qui vixerunt, de superfœtatione sermonem haberi dicere velimus; quod tamen nos, vt supra est visum, ægrè concedimus; secundum confectum à primo conceptu mensem, idest dies non minus quàm 60. huiusmodi esse longum à Philosopho tempus appellatum dicere debeamus; quo sanè præterito qui denuo cõcipiuntur fœtus perfici non queant. sed vnde digressi sumus, redeamus. Neq; rursus post huiusmodi præteritum tempus, quantumcunq; longum sit, certum esse in rerum natura potest, quòd alium fœtum mulier concipere non queat; cùm, vt supra ex Aristotele docuimus, dummodo vterus adaperiatur, mulier semper, tametsi prægnans sit, concipere denuo potest. neq; tãdem dicit Iurisconsultus, post certum cõceptionis tempus mulierem concipere nõ posse, quia vteri sinus, vel cellulæ claudũtur; quæ primùm, vt Vesalius libro quinto Anatomes, Pareus libro vigesimotertio de Hominis Generatione, vir eruditissimus Laurentius Oper. Anatom. libro secundo adnotarunt (nam de Gorræo supra est dictum) in muliebri vtero nullæ sunt; deinde si sunt, & vbi sunt, non sunt causa multiplicis partus, vt ex Aristotelis sentẽtia superius admonuimus, sed potius cõcausa: verùm quia, vt ex eodem explicauimus, tametsi mulier concipere possit, tamen post certum conceptionis tempus, videlicet multo illo ab Aristotele vocato tẽpore præterito, non potest iam conceptum secundariò fœtum ob allatas causas perficere, ad partumq; perferre; idcircò Pomponius, ac post illum Vlpianus in hanc veritatem animum intendentes, scripserunt ac rectissimè, mulierem post certum conceptionis tempus per naturam humanę cõditionis, non quidem alium partum non posse concipere, vt perperam Glossa interpretatur, quod omnino falsum esset, sed formare non posse: quod est, iam conceptum fœtum delineare, atq; articulare, demumq; perficere, atq; ad iustum vsq; pariendi tempus enutrire; quod ob expositas causas vero summè est consentaneum. nam & Hippocrati secundarius conceptus, ac superfœtatio interdum caro est, ac rudis informisq; moles nondum vllam passa articulationem; ex quò & sic in Opusculo de Superfœtatione scriptum legimus. Si superfœtatio nondum partium discriminationem habeat, sed caro sit; non quidem intumescit &c. primus nanq, conceptus in muliere, quantumuis auctus, & adeptus magnitudinem, nunquam superfœtationẽ & conceptum secundarium potest impedire, sed tantùm eius perfectionem, formationemq; absolutam: ex quò & Aristoteles hos secundos conceptus, si iam aucto fœtu fiant,

Cap. 4.

Cap. 4.

Cap. 6.

Cap. 16.

Cap. 32.

Cap. 3. fiant, abigi quarto de Animalium Ortu memoriæ prodidit similes ijs, quos ectros-mos vocamus, vt supra diximus. Iam verò potuit hac altera de causa Paulus adnotare, mulierem hanc quatuor eodem tempore enixam esse, quintum post quadragesimum diem; videlicet vt significaret, quatuor illos, tametsi successiuè editos, quia l. ARETHVSA natura non permittit simul vno impetu duos infantes de vno vtero matris excedere; non plures, sed vnum partum efficere; alterum die post quadragesimo genitum, secundum partum constituere. quod Sententiarum quarto sic ipse
» clarè explicauit. Quæ semel vno partu
» tres filios edidit, ius liberorum non con-
» sequitur: non enim ter peperisse, sed semel
» partum fudisse videtur, nisi fortè per inter-
» ualla pariat. quo loco sic pulchrè Cuiaci-
» us in Interpretatione. Ter enixa videtur,
» quæ tergeminos peperit per interualla l.
» ter enixa D. de verb. significat. non quæ
» vno partu, idest nullo interiecto interual-
» lo. Vno autem impetu constat duos, plu-
» resuè nasci non posse l. Arethusa D. de stat.
» Hom. Ac rectè quidem addit Cuiacius, per interualla; docens, intelligendum esse, per interualla ter enixam, quæ tergeminos peperit; nam nisi hoc adderetur, Paulus cũ semetipso turpiter pugnaret; qui secundo libro ad l. Iuliam, & Papiam verba illa pro-

l. ter enixa ff. de verb. signific.

» mens. Ter enixa videtur etiam, quæ ter-
» geminos peperit. contra quàm libro Sententiarum quarto decreuerat, statueret eã, quæ semel vno partu tres peperit, tametsi non per interualla, ter peperisse, non semel partum fudisse. quod tamen non video doctissimum Alciatum in legis illius explicatione animaduertisse, cùm scriberet, ostendere Iurisconsultum, ter enixam mulierem dici, etiam quæ vno partu tres edidit: quod quidem vel ipso Paulo interprete verum non est, nisi per interualla intelligamus eam peperisse.

Concluditur ex superioribus, octomestres legitimos esse partus, ac naturales, & à lege receptos.

Cap. 34.

SEd de sexta labefactanda dubitatione nimium diù disputo. Itaq;, cùm explicatum sit, quæ verè ac propriè sint, quæ rarò contingentia lex refellit; cùm dictum sit, ex horum numero neq; quinquagenarię partum esse, neq; quatergeminos, quinosq; vno vtero enixos; cùm ostensum sit, quæ secundum possibiliter accidentia eueniũt, Iura non respuere; cùm Iurisconsultorum verba satis superq; explicata sint; postremò cum sex allatæ dubitationes funditus sublatæ videantur: quæ omnia ad primum, ex duobus initio disputationis huius propositis, caput pertinebant; iam nunc locus est, vt videamus, secundum caput aggredientes, an octauo geniti in eorum numero sint collocandi, quæ tanquam rarò admodum contingentia lex refellit. quod vt breuiter expediamus; cùm superioribus libris sufficienter monstratum sit, hos partus neq; verè monstrosos esse, neq; propriè præter naturam, sed secundum naturam esse appellandos; profectò cognitum, exploratumq; nobis esse debet, ipsos octomestres neq; in his habendos, quæ rarò admodũ lex euenire, perraròq; fieri, & portentosa esse inquit; neq; ex Iurisconsultorum decreto esse refellendos. Itaq; dicamus (quæ sparsim fusèq; à nobis dicta sũt in vnius sententiæ seriem breuiter colligentes) si Iustinianus maioris quinquagenaria partum recipit, quem mirabilem vocat, & rarò contingentem; cùm tamen Aristotele teste naturaliter hæc parere nequeat, quoniam, vt perbellè Solinus expressit, post annos quinquaginta fœcunditas omnium conquiescit: si Paulus tergeminos ad hæreditatem vocat; si Vlpianus plures quàm tres nasci naturaliter posse concedit; demum si Caius, & Iulianus quinos etiam vno vtero editos iubent recipiendos tùm Aristotelis auctoritate, tùm ea de causa, quòd in Aegypto mulieres quinq; vno fœtu pariant; quod ferè portẽtosum appellant; prudentissimè rati, quod humanę speciei in Aegypto naturaliter cõuenit, & naturale illi esse, & vbiq; naturaliter congruere; quoniam, vt sæpè Aristotelis verbis admoniti diximus, quod natura est, immobile est, & vbiq; eandem vim habet, quemadmodum ignis, qui & hîc, & apud Persas vrit; & si non vrit, id per accidens euenit: dicamus, inquam, nullã certè esse rationem, cur Iurisprofessores octomestres partus condemnent; quos mirabiles nunquam lex vlla appellauit, nunquam rarò contingere, ac ferè portentosos esse dixit; & in quibus eædem causæ locum habent, immò & longè probabiliores: cùm, vt suis locis vidimus, longè minus sit naturale homini quinquagenariam, & vltrà parere; item tot numero fœtus præsertim disparis sexus vno vtero edere, quàm octauo mense maturum producere, & vitalem.

vt iam

vt iam cum ipsis legibus aduersus octomestrium hostes exclamare cogamur, eosq; obnixè exorare (quod de quinquagenariæ partu & vltra Iustinianus Imperator prudentissimè dixit) vt amabò omne ius, quod ex quacunq; lege liberis præstitum est, hoc merũ atq; immutilatum octomestribus seruent; & summatim non absimiles alijs faciant, quos similes natura effecit. Sed ad Socinum redarguendum reuertamur.

Senioris Socini explicatio reijcitur. Item Parisius confutatur.
Cap. 35.

SEcundam Socinianæ explicationis partem dicebamus falsò continere, leges ea tantùm recipere, quæ secũdum communiter accidentia eueniunt; idq; , vt arbitror, sufficienter ostendimus superiori disputatione. neq; Bartholi auctoritas illa, iam pridem ab ipso Socino allata, quam nonnulli ad Iunioris sententiam comprobandam afferunt, quã in l. GALLVS in casu illo, in quo natus potest cuilibet viro attribui, videtur Bartholus statuere in huiusmodi re dubia, quod frequentius euenit attendi oportere; rectè intellecta quidquam Socino prodest ad ostendendum, quę rarò eueniunt, à lege repudiari: siquidem ipse, vt primo libro perspicuum est, in casu illo prin ùm conceptionis signa inspicienda esse iubet; secundò iubet, consuetudinem mulieris attendendam esse, quanto scilicet tempore parere soleat (quod & maximè refert, & sententiæ nostræ mirificè fauet) tertiò, si hoc locum non habeat, Medicos & Obstetrices consulendas admonet; postremò, si id fieri non posit, ad id quod frequentius accidit, esse recurrendum statuit: quod quidem infimo loco positum, ostendit primas legis etiam decreto naturæ mulieri dandas esse; ita vt quod alicui est naturale, licèt non ita frequens sit, ei, quod frequentius solet euenire, anteponamus, si id per accidens contingat. si enim indiuiduæ naturæ proprietas attẽdenda est, igitur & multò magis specifica; sed parere gestareq; octauo mense mulierẽ naturaliter tertio libro probatum fuit: atq; hoc est, quod libro primo dicebamus Bartholi sententiam explicantes, disputationem illam ab hanc nostra non esse alienam; nam præterquamquòd de partu agit decimestri, elicimus ex ea, gestationis tẽpus diligenter in muliere esse cõsiderãdũ, idq; maioris quàm reliqua, esse ponderis existimãdũ. Verùm sequi ex his, secũdã Socini conclusionẽ nihil contra octomestres concludere, satis cuiq; arbitror esse manifestum. in qua tamen explicanda parem subit mendacij notam, quod tribuit Aristoteli, duodecimo, ac decimotertio mense genitos ipsum admittere; cùm de vndecimestri tantùm sit locutus, vixq; concedat humanum partum vndecimum attingere posse, vt tertio libro demonstrauimus. De tertia explicationis Socini parte, quæ ad decimestrem partum spectat, inferius agemus suo loco; vbi quid decimestris nomine apud Iurisconsultos intelligendum sit, inuestigabimus; illud interea adnotantes, quàm falsum sit, humanum partum de Hippocratis sententia vltra duos dies decimi mensis gestari non posse, si ab apparitione menstruorum calculum subducamus, vel à seminis eiaculatione, satis ex libro septimo demonstrari. Quid verò ad Parisium respondẽdum, ita est in promptu, vt res disputatione non egeat. ostensum nanq; est libro tertio, & quinto, octomestres naturaliter superuiuere, ac regiones nostras illis, quatenus tales sunt, nihil aduersari; qua de re in Disputatione diximus diligẽter. quibus omnibus palàm est, octauo genitum locis nostris, non minus in eis viuere posse, quàm in Aegypto octomestrem ibi generatum. Quod autem Parisius addit, non solùm octauo genitum, sed etiam si nonum attingat per duos dies, non esse vitalem, hoc, vt octauo libro vidimus, ab Hippocrate omnino dissentit; qui in libello de Septimestri Partu initio noni prodeuntes docuit non secus ac septimestres vitæ fieri compotes. Sed nec illud quoq; recipiendum est, quod inquit, parem esse rationem partus, qui ante septimum prodit, & in octauo, cùm vterq; immaturo tempore oriri dicatur; enimuero satis supra mõstratum est, non esse pa em octaui mensis, & eorum, qui septimum antecedunt, rationem: cùm hi, vt vidimus, verè immaturum partum habeant, octauus nequaquã, quod satis libro tertio expositum fuit. Illud potius ab eo additum & animaduersione dignum censemus, & cum veritate consentire; partum non iusto, neq; legitimo tempore editum, puta antè septimum, tametsi viuum ad orbem deuolutum, robustum, & vocem emittentem, & cum spiritu, haberi pro non nato; quia naturaliter viuere nequeat; ob idq; diutius non sit victurus: qui si viueret, ex iniustis nuptijs multò antea conceptus putaretur, vt superius ad-

mo-

monui. partum verò legitimo tempore in lucem venientem licèt valde imbecillum, & ferè animam agentem, pro nato omnino recipi, neq; huiusmodi accidens considerari; quoniam lex illud attendat, quòd naturaliter viuere potuisset. Sed hactenus de Socino seniore, & Parisio.

Socini Iunioris opinio expenditur. argumentum à multorum auctoritate ductum vel legum ipsarum decreto contra octomestres partus nullius esse roboris ostenditur. Prima Socini aduersus octomestres ratio exploditur. Obiter de vera circa octomestres Auerrois sentẽtia.

Cap. 36.

IVnioris Socini sequitur opinio refellenda, vt quo ordine in medio Aduersariorum posuimus sententias, eodem illas è medio tollamus. Hanc tribus conclusionibus contineri diximus. quarum prima quantum consentiat cum veritate, satis ex superioribus elucet, tùm etiam ex Disceptatione nostra. cùm iam pridem probatum sit, mendacissimum esse, octomestrem partum, qui sua natura per se talis sit, non esse vitalem. quod verò ipse addit, aliquos ex Philosophis in hanc opinionem abijsse, maximam verò partem tenuisse cõtrariam; hoc tùm veritati, tùm ipsimet aduersatur: ac veritati quidem, quoniam, vt in Disceptatione vidimus, nec numero, nec pondere minores pro nostra parte decreuerunt. sibi verò met, quoniam ipse idem Socinus eodem Consilio non aliquos tantùm, sed plerosq; scribit arbitratos esse, octauo genitos nasci vitales; atq; eius hæc est oratio. » Et in tali casu procedit quod pleriq; senti- » unt, octomestrem scilicet posse nasci victu- » rum. Hinc tres illæ rationes, quas pro firmanda conclusione adducit, nullo negotio dissoluuntur. enimuero priori, quæ ab auctoritate sumitur, dupliciter occurrimus. primùm dicimus, legem definire, sententiam illam sequendam esse, quæ plures, illustrioresq; patronos habeat, dummodo hi ratione fulciantur; si enim non habeant rationem, deserendos esse, nemo est qui dubitet. at verò nihil esse à ratione hac ipsa illorum opinione disiunctius, satis in superioribus ostensum. quòd enim non Auctorum conspiratio & numerus, sed ratio ipsa sequenda sit, præter ea, quæ ad id probandum in Disceptatione adduximus, iam ipsarum legum testimonio, Imperatorisq; Iustiniani decreto in præsentia confirmare non pigebit. prudentissimus enim Imperator diuina quadam mẽtis agitatione præsagiens permultos fore, vt antiquioribus temporibus contigisse vidit, qui Veterum errorem ab orco reuocantes interpretatione legum, commentariorumq; applicatione, hînc communem, inde magis communem introducentes, per diuersas contrariasq; sententias totum penè ius conturbarent; & nulli licere commentarios in leges ipsas edere decreuit, & ex multitudine Auctorum quod melius, & æquius est non esse iudicandum. nam in Codice de Veteri Iure enucleando de primo capite ita scripsit. Nostram autem consumationem, quæ à nobis Deo annuente componetur, Digestorum, vel Pandectarum nomen habere sancimus: nullis Iurisperitis in posterum audentibus Commentarios illis applicare, & verbositate sua supradicti Codicis compendium confundere, quemadmodum in antiquioribus temporibus factum est, cùm per contrarias interpretantium sententias totum penè ius cõturbatum est. De secundo autem sic. Sed neq; ex multitudine Auctorum, quod melius est indicatote; cùm possit vnius forsã & deterioris sententia, & multos & maiores aliqua in parte superare. » » » » » » » » » » » » » » [Tit. 17.] quam profectò Imperatoris sanctionem si Iurisperiti considerabunt, ac diligenter, vt speramus, expendent, quanti faciendas esse quas cõmunes appellant opiniones, & Auctorum concursum, facilè videbunt; vt fassuri sint, nullo modo communem opinionem sentẽtiæ nostræ posse officere; cùm palàm sit, ꝙ Imperator Treboniano, ac Socijs faciendum præcipit, id & posteris etiam præcepisse obseruandum; qua in re illud etiam maxima dignum est animaduersione, si ex Iustiniani decreto vnius & deterioris sententia & multos & maiores superare potest, iam & longè facilius vnius & melioris sententiam, qualem omnium testimonio magnum Philosophiæ parentem Aristotelem esse scimus, multos, ac deteriores posse superare. Sed estò communem hanc, quam nobis objiciunt, opinionem, aduersus quam sentire nefas esse pleriq; credunt, attendendam esse; quod tamen vel legum ipsarum decreto non esse faciendum demonstrauimus: secundò negamus, etsi communis sit apud Iurisprofessores, communem esse apud Philosophos, quos tamen hac in re sequendos esse ipsi fatentur; negamus enim plures, at certè illu-

illustriores contra nos sentire; cùm Aristoteles, qui in Philosophia princeps est, ac instar omnium esse debet, octomestribus vitam impartiat; idemq; sentiant Polybus, Diocles, Varro, Plinius, ac alij permulti grauissimæ viri auctoritatis, quorum testimonia in Compendio adduximus. quin etiam & idem ipse Hippocrates quantumlibet alijs reclamantibus ab hac veritate non dissentiat. Prætereo vel vltrò Socinum in nostra serie collocare Auerroem, D. Thomam, & Aegidium; inter quos Aegidium sensisse, aliquando octauo genitos viuere posse, in Disceptatione fuit demõstratum. de D. autem Thoma paulò infra seorsim agemus. demum de ipso Auerroe tertio libro dictum est, omnes ipsum octomestres, qui per se tales sint, superuiuere voluisse, non quidem rarissimos, vt Socinus scribit. Neq; illud, quod de hac ipsa Auerrois sẽtentia memorato libro à nobis definitum est, vel minimum infringit, quod doctè & acutè aliqui fortasse obijcere possent, ipsius auctoritas cùm tota in positione consistat, vt scilicet reddat rationem si in Aegypto octomestres viuant, cur id accidat; negato autem in Aegypto octomestres viuere, rationem nullius momenti euadere: quinimmo paulò post, vbi assertiuè suam videtur proferre sententiam, non autem ex suppositione, talem proferre sententiam, qua videtur vitam octomestribus negasse, cùm dicit. » Quòd si eius complexio fuerit » media inter ista duo; tunc talis partus in » tali hora erit naturalis; & si ita res se ha» buerit, viuet, vt viuunt nati in nono, & in » septimo. & ideo non nascuntur secundum » naturam, nisi nati in septimo, & nono. quę etiam ostendunt, nunquam Auerroem, saltem ex sua opinione, censuisse octomestrẽ dari secundum naturam: nil, inquam, hoc obest; etenim respondemus, quòd Auerrois auctoritas ista tota in positione cõsistat, valde mirum esse, ac nouum, valde esse pręter rationem, si quis affirmet; cùm (vt interim taceamus, neminem posse negare, in Aegypto octomestres esse superstites, nisi etiam & Præceptoris simul velit negare auctoritatem) exploratum illud habere debeamus tanquam Solis luce clarius, Auerrois totam disputationem eò tendere, vt causam afferat, cur Aristoteles libro quarto de Ortu Animaliũ dixerit, octauo genitos viuere, sed minus tamẽ quàm septimo editos, ac decimo, quo loco cùm Aristoteles nullam de Aegypto, seu de vlla altera regione faciat mentionem; sed partus per se, ac simpliciter, & vniuersaliter, & in sua natura, non prout ad loca referuntur, consideret, eodemq; sensu de octomestribus agat; ipseq; etiam Auerroes nullum de regionibus verbum habeat; nõ video qua ratione ipsius orationem ad Aegyptum trahere valeamus, ad ipsosq; octomestres in Aegypto nascentes. Etsi enim paulò supra de mulieribus, quæ in Aegypto quatuor, aut quinq; vno partu edunt, sermonem Auerroes habeat; id tamen nihil ad rem facere, aliudq; omnino esse, satis patet: vt nullo modo inde coniecturam captare valeamus, in sequentibus de octomestribus in Aegypto genitis, cùm de illis agit, ipsũ intelligere. Verba autem Auerrois illa. » Et ideo non nascuntur secũdum naturam, » nisi nati in nono, & in septimo. quæ sicut valde obscura & difficilia sunt, ita & concisa, & manca esse videntur; sic ego, præter eas, quas libro tertio attuli explicationes, ne tota Auerrois secum oratio pugnet, cẽseo etiam posse interpretari. cùm enim dicat Aristotelis verbis admonitus, qui & septimo, & decimo, & intermedijs temporibus, proindeq; octauo fœtum nasci vitalẽ posuit; fœtum, qui mediam habuerit hanc complexionem, si octauo nascatur, naturalem esse partum, ac vitalem, non secus ac qui septimo, & nono veniũt in lucem; proindeq; his verbis non posit, nisi falsò, & sibi ipsi contrarius, affirmare, non nasci secundum naturam nisi eos, qui mense septimo, & nono oriuntur; quoniam sic neq; naturalis, neq; vitalis partus octauo genitus, secus quàm paulò supra asseruerat, vnquam nasci posset; dicendum est, sententiã esse. & ideo non nascuntur secundum na» turam, scilicet octomestres (siquidem de » illis sermonem habere perspicuum est) nisi » nati in septimo, & nono, videlicet simili» ter nascantur secundum naturam. ita enim » supplendam esse ex superioribus orationẽ palàm est. quo loco vox illa, nati, eo sensu accipienda est, ac si sonet, natura septimo & nono maturescentes, ideoq; tales, vt naturæ lege his mensibus nasci debeant. Hoc autem ideo adiungere Auerroem certum est, quia superiori disputatione, vt causam afferret, cur octauo geniti vt plurimum intereant; id propterea contingere dixit, quia natura nonomestris accelerans editum, vel natura septimestris retardans ob aliquod symptoma, octauo nascũtur; proindeq; tanquam tempore non naturali editi, meritò pereunt. quare cùm addidisset, octauo natura maturescentes, &

Cap. 4.

sic

sic mediam nactos complexionem, naturaliter octauo nasci, & viuere; meritò concludit, ideo non nasci hos partus secundũ naturam, nisi & nati septimo ac nono secundum naturam pariter nascantur, suisq; temporibus; tunc enim neq; accelerabunt editum, neq; retardabunt; proptereaq; nõ nascentur octauo præter naturam, sed tantùm septimo, & nono secundum naturam; & ex consequenti qui partus ipso octauo mense in lucem venerint, secundum naturam omnino nascentur; vt potè natura tales existentes, vt solo octauo mense maturescant.

Superiora plenius comprobantur. Secunda aduersus octomestres Socini ratio confutatur. obiter quæ apud Iurisconsultos auctoritas maior, Hippocratis, an Aristotelis. Item Socini tertia reijcitur ratio.

Cap. 37.

SEd quid Auerroem aut alios colligam, cùm habeam Aristotelem, qui fulcire putatur nostram opinionẽ; cui plus quàm alijs credens octomestres partus non dubito vitales pronunciare. cui tamen & reliquis Auctoribus dũ Socinus Gellium opponit, quin etiam & anteponit; an reprehẽsione carere possit, aliorum sit iudicium; cùm necesse sit, vt lanx in libra ponderibus impositis deprimitur, sic Aulum Gellium clarissimis illis viris cedere. quare & hac de causa Quintilianum Mandosium Socinum secutum non parum errasse crediderim in Comment. super Reg. Cancellariæ, vbi Aristotelis adducens sententiã, simulq; Auerrois, ac Diui Thomæ; viuereq; aliquando posse octauo genitos hos Auctores asseruisse dicens: postea veriorem Hippocratis opinionem negatiuam inquit esse; concludens apud primarios Philosophos pro indubitata Auli Gellij testimonio esse receptam: quasi Aristotele, Auerroe, D. Thoma philosophi primarij magis in vniuerso senatu Philosophorum reperiantur. Prætereo neq; etiam Gellium contra nos sentire, quod cùm iam pridem in Disceptatione demonstrassem, mirificè postea lætatus sum, Sfortiam Oddum inter huius ætatis Iurisprofessores præstantissimum in eundem sensum ipsius verba esse interpretatum; siquidem in Responsis de hoc Auctore ita ipse locutus est. Item A. Gellius libro tertio cap. 16. Noctium Atticarum refert, Cęcilium Poetam dicentẽ, quòd solet mulier parere septimo, octauo, nono, & decimo mense: & melius dixisse quàm illos, qui nunquam gigni mense octauo dixerunt, & rarenter septimo; & citat etiam Varronem attestantem, partus editos quoq; fuisse mense octauo, & vndecimo, vt per eum ibi. Hæc ille; at si Gellius Cęcilium laudat, quòd scripserit octauo hominem nasci vitalem; si Cęcilij sententiã summi viri Varronis roborat auctoritate, certè fauet omnino octomestribus, non aduersatur. Sed postquam apud Iurisprofessores tantum potest auctoritas, vt etiam valeat sine ratione; audiamus quid magnus idem vir in eorum familia Oddus de hoc Auctorum consensu scribat, & sentiat. Circa primum, inquit, dico in primis quòd hoc pace eorum, qui aliter deducunt, apud Naturales vel nõ est communiter receptũ, vel saltem in confuso est veritas apud eos. itaq; vel ipsis Iurisprofessoribus concedentibus, qui diligentius veritatem inspexerunt, argumentum à consensione Auctorum sumptum omnino nutabit. Secunda ratio, quæ Hippocratis nititur auctoritate, quam, vt par est, maximi esse ponderis apud Iurisprofessores Paulus facit Iurecõsultus; quantum valeat, qui viderit superiora, facilè confitebitur. primùm enim Hippocrates, nostra sententia, hanc non habuit opinionem, quod octauus liber plenissimè docuit. deinde vide quid docti viri de ea dicendum senserint; sic enim Sfortia citato loco. Ex quibus patet, quòd sententia Hippocratis localis est, & non recepta ab alijs viris maximis præsertim extra Græciæ prouinciam. quiquid aliqui ex nostris Iurisconsultis inconsideratè attestentur de communi opinione Antiquorum Naturaliũ. quæ profectò oratio prioris quoq; rationis vim penitus infringit. quanquam & priorem responsionem tanquam Hippocrati, ac veritati magis consẽtaneam sicut caput & famam suam Hippocratis sectatoribus deffendendam putem; cuius auctoritas tanta (si id etiam testaretur, quod volunt Aduersarij) planè nos mouere deberet, nisi nos opponeremus nõ minorem Aristotelis, qui, vt libro tertio probatum est, octauo mense genitos naturaliter esse superstites, firmissimis rationibus docuit; & cui nihil minus lex concedit; nisi fortasse & magis: cùm Philosophi magis sit quàm Medici de natura humani partus, quis vitæ naturæ lege compos sit, quis verò non, iudicium ferre; ipsa verò lex iubeat Artifici esse credẽdum. Postremò

Reg. 19. quæst. 7. n. 8.

l. sept. mẽse ff. de statu hom.

mò quoniam nonnulli docti viri, ex eo q̄ videant à Paulo Iurisconsulto nominatim Hippocratem exprimi, eiusq; auctoritate septimestrem decerni vitalem, & non Aristotelis, cuius alioqui scripta credendum est ab ipso Paulo lecta fuisse; non sine aliqua probabilitate argumentantur, credendum quoq; esse de octauo etiam mense si egisset Paulus, magis Hippocratis auctoritati, quàm Aristotelis fuisse subscripturũ; respondemus, præterquàmquòd, & si magna, quod pertinet ad partus negotium, sit Hippocratis auctoritas apud Iurisconsultos, & meritò; non tamen apud eosdem minor est Aristotelis, vt ex l. SI PATER est perspicuum, in qua Aristotelis auctoritate mulierem quinq; numero vno enixu gignere posse diffinitur: respondemus, inquam, si nihilominus veram causam, cur Hippocrates nominatim à Paulo in l. SEPTIMO MENSE exprimatur, cognitã habeamus, statim apparere, non propterea fortasse sequi, quod supra objiciebatur. Dici posset, quia commune est & contritũ apud Iurisconsultos axioma, standum esse peritis in arte, Paulum, quoniam fortasse existimauit Medici nõ Philosophi esse prouinciam, definire quo primùm tempore vitalis ac perfectus humanus partus exeat; ideo Hippocratis non Aristotelis auctoritatem attulisse; verùm quia non est credẽdum, doctissimum illum virum ignorasse, hoc Philosophi longè magis esse munus, quàm ipsius Medici; propterea hanc subijcio causam, meo quidem iudicio, multò veriorem. Paulus, vt ex Lampridio cõstat, Alexandri Seueri optimi Principis tempore floruit; qua etiam tempestate magnus Iurisconsultus vixit Vlpianus, apud eundẽ Alexandrum ætate fortasse ipso Paulo prouectior, sed sine vlla dubitatione, sicut in Iuris disciplina nominis excellentia longè præstantior, ita & apud eundem Alexandrum gratia, & dignitate; siquidem Vlpianus ante etiam Seueri tempora Heliogabalo imperante, à quo & expulsus fuit è ciuitate, magni fuit nominis; ac libros scripsit ad Sabinum, vt Lampridij verba in Heliogabali vita testantur. Sabinum (inquit Lampridius) consularem virum ad quem libros Vlpianus scripsit, quòd in Vrbe remansisset, vocato Centurione mollioribus verbis iussit occidi; sed Centurio aure surdior imperari sibi credidit, vt Vrbe pelleretur; itaq; fecit. Sic vitium Centurionis Sabino saluti fuit. Remouit & Vlpianum Iurisconsultum vt bonum virum, & Siluinum Rhetorem, quem magistrum Cæsaris fecerat; & Siluinus quidem occisus est, Vlpianus verò reseruatus. & in Alexandri Seueri vita. Paulum, & Vlpianum in magno honore habuit, quos præfectos ab Heliogabalo alij dicunt factos, alij ab ipso; nã, & Consiliarius Alexandri, & Magister Scrinij Vlpianus fuisse perhibetur. & non multò post. Neq; vnquam solum quenquam nisi præfectum suum vidit, & quidem Vlpianum ex Assessore semper sua causa iustitiæ singularis; cùm autem alterum adhibuit, & Vlpianum rogari iussit. & mox. Cùm inter suos conuiuaretur aut Vlpianum, aut doctos viros adhibebat. tãdemq; post multa. Vlpianum pro tutore habuit primùm repugnante matre, deinde gratias agente. ex quibus omnibus locis non leuem captamus coniecturam, Vlpianum Paulo seniorem extitisse; vt qui Heliogabali tempore iam scripsisset ad Sabinum; in magnaq; fuisset existimatione; q̄ de Paulo videtur Lampridius (an scilicet præfectus ab Heliogabalo factus fuerit) relinquere sub dubio; item Consiliarius, Scrinijq; magister, tutorq; Alexandri fuerit creatus: quæ munera ætate iam adultis, & senioribus tantùm mandari solent; at verò apertè colligimus, longè apud Alexandrum maioris fuisse quàm Paulum auctoritatis. Cęterum Vlpianus iam libro decimoquarto ad Sabinũ Hippocratis auctoritate decreuerat 182. die genitum, iusto tempore videri genitum; quod certè nullius alterius Auctoris testimonio prӕterquàm Hippocratis decernere potuit; cùm & primus, & solus inter Veteres Hippocrates id scripserit, vt initio libelli patet de Partu Septimestri; idq; visus sit Aristoteles recepisse, cùm contrarium non docuerit, neq; hoc reprehenderit agens de septimestri. Quid igitur mirum, si Vlpiani sanctionem hanc iam pridem ab eo in libris ad Sabinum diuulgatam Paulus ob oculos habens, quasi eam explicaret, illudq; adderet, quod Vlpianus tacuit; cùm eum non lateret hoc dierum 182. interuallum, quod Vlpianus iam receperat, ex eiusdem Hippocratis sententia, & primum esse tẽpus pariendi, & spatium septimestre constituere, quod tamen non dixit Vlpianus; libro decimonono Responsorum scripsit ipsi Vlpiano consentiens septimo mense nasci perfectum partum iam receptum esse propter Hippocratis auctoritatem? receptum enim iam esse intellexit præsertim ab Vlpiano in suis libris ad Sabinum (quæ certè

ff. de solut. & liberat.

ff. de stat. hom.

tè verba maximè comprobant sententiam nostram) qui dum loco memorato 182. die genitum iusto tempore esse genitum Hippocratis auctoritate recepit; simul etiam & recepit, septimo mense eiusdem auctoritate perfectum partum nasci. quare ex eo, quòd hæ leges Hippocratis nomen non Aristotelis habeant scriptum, nil mea sentētia Aduersarij ad Aristotelis infirmandam auctoritatem, quod illis proficiat, elicere queunt. Demum quod ad tertiam pertinet rationem, breui res potest tota confici; cùm enim Iurisprofessores Medicis nitantur tanquam fundamento asserentibus octauo mense genitos non esse vitales, si ipsū nutat fundamentum, vt maximè nutare superioribus disputationibus latisimè patuit, sequentiq; plenius patebit libro; totā corruere fabricam necesse erit. itaq; siue Bartholi, siue Baldi, Pauliq; de Castro cōsensus, siue cuiusq; alterius, parui omnino erit faciendus. Atq; hæc de prima Iunioris Socini conclusione.

Reliqua Socini placita refelluntur. rationes aduersus octomestres ab eo allata labefactantur.

Cap. 38.

SEcunda conclusio quam habeat vim cōsideremus. hæc talis est; octauo mēse genitus viuere naturaliter potest, sed tamen rarisimè, & quasi per miraculum; ideo matri non succedit. At primùm conclusio sibi repugnat; si enim naturaliter viuere potest octomestris, quo modo rarisimè & quasi per miraculum? & si rarisimè, quo modo naturaliter? Præceptor enim perpetuò quod rarissimum est, ei, quod est naturale, opponit. Deinde ratio, qua probare cōclusionem Socinus profitetur, nullius est ponderis; cùm falsum sit, legem, ꝙ ad res pertinet naturales, semper his, quæ communiter accidunt, & vt in pluribus aptari; item octomestrem partum rarisimè viuere, & per miraculum. atq; de vtraq; re tùm in superioribus, tùm in Disceptatione dicta sunt, & scripta multa. Nec cōclusio tertia de exsecto octomestri probanda est; si enim septimestrem exsectum, & nonomestrem lex admittit, cur & octomestrem non recipiet? quem in lucem exire vitalem supra ostendimus, idcircò & parem habere rationem. vt prætercam, quod Socinus adiungit, ex illis etiam octomestribus, qui proprijs viribus nascuntur, plures ea naturæ lege oriri, vt statim intereant, magnam habere cautionem; quandoquidem si hos naturaliter emori vult, nil tàm repugnat veritati; si, non secus ac nonomestres, ob aliquod accidens interire posse credit, fortasse hoc ferri potest. quemadmodum & leuisima ea ratio est, plenaq; mendacij, quam ipse ex Philosophis adducere profitetur, mortis octomestrium & infelicitatis. quòd enim moueantur omnes fœtus ad exitum septimo exacto mense octauo ineunte, ideoq; ex hoc motu imbecilles facti & ægroti, si octauo nascantur viribus non redintegratis intereant; id & dici & credi stultisimè, & plenum esse falsitatis, summæq; leuitatis in Disceptatione vberrimè ostendimus, ac libris superioribus; sequentiq; libro aduersus Aponensem ostendemus. quibus in locis probatum est, neq; omnes fœtus per id temporis moueri ad exitum, neq; motū illum causam esse illius ægritudinis, quam vexare fœtum ætatis octomestris memorię tradidit Hippocrates. Sed de Socini sententia hactenus; videamus nunc quomodo rationibus, quas ipse contra se adduxit, faciat satis. ac primùm quid de prima respōsione sentiendum sit, iam ex superioribus est perspicuum; cùm enim octauus mensis inter legitima sit tempora pariendi; & octomestris partus non sit de illorum numero, quæ lex tanquam rarissima refellit; eadem parq; sit ratio de octomestri exsecto, ac de alijs partubus, qui legitimis mensibus veniunt in lucem; satis patet Socini responsione vim non tolli primæ rationis. quo loco & illud maximè pugnat cum eius fundamento, quin etiam & cum ipsa lege, quod ipse adiungit, si octauo genitus infans viueret, non esse respuendum, sed tāquam legitimum recipiendum. enimuero si partus ante septimum genitus, idcircò à Paulo Iurisconsulto reiectus fuit, quoniam naturaliter viuere non potest; & si viueret, nihilominus reijceretur tanquam genitus ex iniustis nuptijs, vel tanquam monstrosus; qua amabò ratione Socinus octauo mense prodeuntem, quem nō vitalem esse partum sumit, recipiendum iubet? quando vel tanquam non vitalis repudiari debeat; vel si non moriatur, tanquam ex alio viro genitus, & illegitimus; vel demum tanquam monstrosum quid ac præter naturam. Quæ verò ad ea pertinent, quæ rarò eueniunt à Socino disputata, iam supra nō semel reiecta fuerunt. De secunda autem responsione nihil est, quod dicamus; cùm & à nobis quoq; vltrò concedatur, partum

quinto, sextoq; mense editum, tametsi nascatur viuus, abortum esse existimandum, idcircòq; non succedere. Demum de responsione tertia quid sentiendum sit, superiores docent disputationes; quin etiam & ipsa nostra Disceptatio: ex quibus clarum est, nil certè rationi eam officere posse, quę maximam adhibet persuadendi necessitatem. argumentum enim à legum illarum auctoritate ductum nostra quidem sententia est efficacissimum; cùm, si partus post septimum & ante vndecimũ genitus perfectus est, ac legitimus, necessariò perfectus & legitimus temporibus intermedijs nascens censeri debeat. nec valet cautio de octauo mense facta; cùm neq; leges illum excipiant, neq; ratio naturalis, neq; auctoritas principis Philosophorum, neq; experientia. cùm autem Socinus addit, & quisquis alius fuerit ipsius adstipulator, contrarium & à Naturalibus, & à Iurisprofessoribus statui; hi certè rumoribus nobiscum pugnat; ego autem ab illis rationem requiro, atq; in philosophica disputatione auctoritates omnes contemno, & ratione pugno. vt prætercam (quod supra notatum fuit) rumores istos neq; esse ita certos, neq; ita concordes, vt illi putant. At rationem à limitibus ductam humano partui à lege præfinitis magni esse ponderis clarissimi Oddi verba huius libri initio posita ostendunt; & satis in Disceptatione, librisq; superioribus monstratum est; & adeò est perspicuum, vt ne egeat quidem probatione. Sed de iuniore Socino satis; superest nunc D. Thomæ testimonium ab eo allatum examinãdum; sic enim clarum erit, an verè ipsius sententiæ adstipuletur.

Proponitur sententia D. Thomę inuestigãda de partu octomestri: tres ab eo positæ dubitationes in Opusculo de Fato afferuntur. Fęmina quare oriatur secundum illũ. quare in partu disparis sexus mas intereat. quòd Saturnus octomestres non interimat secundum D. Thomam. ipsius verba adducuntur de Lunæ in hæc inferiora actione.

Cap. 39.

Expofita igitur Socini sententia, iam locus est, vt D. Thomæ opinionem expendamus; videamusq; an rarissimè viuere octauo genitos censuerit, vt Socinus illi imponit; & an positioni nostræ aduersetur. Sanctissimus itaq; Doctor pariter & doctissimus in Opusculo illo, in quo subtilissimè fati definitionem quærit, & naturam; cùm inuestigasset, an fatum aliquid sit; secundò quid sit: dixissetq;, vt verbis vtamur ipsius, fatum esse formam continẽtem concursum esse, & vitæ mobiliter, & contingenter: cùm enim multipliciter fatum accipi posset, in eam sumitur ab ipso significationem, vt ab eodem declaratum est, quatenus dicit formam ordinis esse, & vitę inferiorum causatam in ipsis ex periodo cœlestis circuli; cùm hæc inquam, omnia subtiliter disputasset; quærens postea an fatum sit scibile; de more pręter alia tria affert ad scientiam fati tollendam argumẽta. è quorum numero vnum est illud, quòd natus octauo mense plerunq; intereat, septimo genitus viuat; huiusq; rei causa sciri nequeat: quam tamen à Cœlo dependere omnes volunt. operępreciumq; est ipsius verba in tanta re afferre, in quibus argumenta proponit; vt ex ijs postea, quæ ad illa dissoluenda dicit, facilius vera ipsius opinio eliciatur. Inquit ergo D. Thomas. Art. 4.

„ Nec etiam videtur ex effectibus. sunt .n. quædam, quorum videtur esse vna periodus, & tamen accidentia eorum per se, sicut est sexus masculinus & fœmininus, non sunt eadem; & causam huius non contingit sciri ex cœlestis circuli effectu. Similiter etiam natus octauo mense moritur vt frequentius, & in septimo viuit. similiter in geminis, quorum vnus est masculus, alter fœmina, rarissimè contingit masculum viuere; fœmina verò aliquando superuiuit. & causam impossibile, aut difficile est assignare ex circulo cęlesti. Hæc ille; quibus ita constitutis mox respondens ad quęstionem, conclusione coniecturali tantùm fatum esse scibile; quoniam ex dissensu causarum particularium effectus astrorum in hæc inferiora prohiberi possint, ac mutari; postea argumentationes propositas tollit; atq; ad primam, & tertiam simul respõdet, fœmineum sexum ratione defectus alicuius principiorum exoriri. cùm enim maris semen efficiendi, ac formandi habeat facultatem; cùm materiæ ac menstruis vnitur, quantum est meritò sui maris generationem semper intendere, nisi materię qualitas aduersetur; proptereaq; fœmineum sexum contingere ex defectu naturæ particularis, quæ nunquam intendit fœminam procreare. cùm verò id quod melius sibi est consequi particularis natura non possit, tunc ex naturæ vniuersalis inten-

tentione fœminam gigni ad speciei conseruationem. ex his autem fieri manifestũ inquit D. Thomas, sexus disparitatem in gemellis ex defectu principiorum naturalium in altera parte seminis prouenire, & non ex periodo cęlesti: quòd verò mas in eis plerunq; intereat, causam esse, quoniam gemelli sexu dispares ex vno semine diuiso generantur, cùm materia formatrici virtuti reluctatur, ac, vt verbis vtar ipsius, malè est terminabilis. si enim formatricis virtutis actionem reciperet, essetq; benè terminabilis, mares ambo orirentur. cùm igitur hac de causa gemini sexu nascantur dispares, effici, vt mas imbecillus gignatur, & valetudinarius; propterea plerunq; intermori. Rationem verò à partus octomestris infelicitate sumptam, vt reijciat, primùm eos redarguit, qui in Saturnum hanc ipsam huius partus infelicitatem referebant. atq; sic scribit. Ad id quod dicitur de octauo mense, dicendum non est, quod quidam dixerunt, quòd vt frequentius octauo mense moritur, quia octauus mensis Saturno attribuitur; cuius frigiditas & siccitas natum interficiunt. Hoc enim falsum probatur, quia multi in Astronomia filij Saturni esse dicuntur, qui diù superuiuunt. Deinde accipit, huius rei causam non à Cœlo petendam esse, neq; à circulo obliquo, sed omnino ex materiæ principijs. quod vt facilius ostendat, sumit, Lunam esse conceptus, ac fœtus de Aristotelis sententia moderatricem; cùm sit veluti Sol minor ab eo lumen recipiens, & mensis domina; atq; quod in anno Sol facit, ipsa in mense efficiat: dicens à nouilunio ad primam vsq; quadraturam calidam esse & humidam, ac veri respondere; inde ad plenilunium calidam & siccam vt æstatem; à plenilunio ad quadraturam secundam frigidam & siccam sicuti autumnum; inde rursus ad interlunium frigidam & humidam sicuti & hyemem. sumit præterea, humoris commouendi penes ipsam imperium residere, quod his verbis explicat. Quòd autẽ nata sit mouere humorem patet; prout est in accessu & recessu maris; qui accessus & recessus maris in media Lunatione, quæ est nouem dierum recedit ad circulum in ascendendo, & descendendo. Si enim minimus sit fluxus maris ad idem punctum paruitatis reuertetur 14. die; licèt enim Luna in media Lunatione non trãseat nisi medietatem circuli sui, tamen motus augis ex opposito occurrẽs, sibi complet aliam circulationem mediam. Luna enim quolibet mense bis est in auge, scilicet in præuentione & coniunctione. Luna enim, cùm in coniunctione viuificũ lumen à Sole accipiat, & cùm Venus nunquam à Sole distet longè, & Venus habeat mouere humorem seminalem; Luna quando Soli coniungitur acquirit Veneris virtutem, & sic ex virtute propria mouet humores, & ex virtute Solis influit humori moto; & ex virtute Veneris mouet seminis genituram ad formas genituræ conuenientes. & quia Mercurius habet commiscibilem virtutem ex multis gyrationibus eius, quas habet super omnes alios Planetas; Luna hanc virtutem lucratur ex coniunctione ad ipsum; & ex illa semen viri & fœminæ mouet ad commistionem. Sic ergo Luna conuersionibus suis commistiones, conceptus, & imprægnationes causat, & regulat.

Quot in formatione fœtus mutationes contingant secundum D. Thomam. Ipsius sententia adducitur, cur septimo, octauo, ac nono mense humanus fœtus maturescat. difficilis quædam mouetur dubitatio.

Cap. 40.

HAec D. Thomas; cuius verba alioqui obscura, quod pertinet ad maris fluxum & refluxum, in priore nostra parte de Maris Aestu secundo libro abundè explicabimus, illius opinionem enarrantes. quod verò pertinet ad præsentem disputationem, satis erit ex illis colligere, à Luna, ac menstruis eius motibus, vt ei placet, conceptionem, ac fœtus formationem dependere, & maturitatem, ac perfectionem omnem ob eas causas, quas ipse attulit; quibus sic constitutis, vt clarius veritatem hanc ostendat, sumit, in fœtus ipsius formatione septem reperiri necessarias mutationes; quarum priorem esse inquit seminis conuersionem, & præcipuè ad formam cordis; secundam, materiæ distinctionem ad formam membrorum principalium, quæ causatiuas habent virtutes: huiusmodi autẽ esse hepar, à quo vis naturalis, cerebrũ, à quo animalis, & vasa seminaria, à quibus virtus fœtus formatrix exoritur. propterea in secunda hac seminis mutatione adhærere puncto cordis tres vesiculas, quas facit spiritus ad locum cerebri, hepatis, & vasorum seminalium indicandum. Tertiã, esse distinctionem materiæ, quando vesicu-

la ce-

la cerebri aſcendit ſurſum, vaſorum ſeminalium deorſum, ac hæpatis ad dexterũ latus. diſtinctionemq; hanc inquit D. Thomas a ſpiritu, qui in corde reſidet, effici exſufflatione quadam, vt ipſe loquitur. Quartam mutationem dicit eſſe materiæ rurſus diſtinctionem quod pertinet ad alia membra, quæ non tenent in corpore principatum; atq; hanc ſimiliter à cordis ſpiritu effici ſtatuit. Quintam mutationem inquit eſſe materię tranſmutationem in figuram membrorum; atq; figurationem hanc materiam recipere quatenus eſt humida; virtutemq; cordis formatiuam in membrorum locum per ſpiritum delatam eam operari; ac membra quidem figurata confœderationis ratione, & colligationis recipere motiuam virtutem, ac operatiuam. Sextam mutationem fieri inquit à calore cordis cum ſpiritu in membris diffuſo, qui exſiccans ſuperfluum humidum conſolidat iuncturas, & ligamenta. Septimam demũ ac poſtremam mutationem ſtatuit eſſe motum ipſum; cùm ſcilicet motiuam virtutem cor in omnia membra influit. quibus mutationibus ita explicatis concludit, oportere ſeptem Lunæ conuerſionibus in homine quod eſt perfectiſſimum ſeminis compleri & perfici; quia motus omnis in fœtus generatione à Luna pendeat, & cauſetur. Addit tamen D. Thomas, licèt ſingulæ mutationes ſingulis conuerſionibus & menſibus non reſpondeant; ita vt in prima conuerſione vna efficiatur; in ſecunda altera; nihilominus perfectionem ſuam haſce omnes mutationes non adipiſci, niſi poſt numerum hunc cõuerſionum expletum ſeptem menſium interuallo; nam hoc credimus verbis illis D. Thomam voluiſſe. Et licèt iſtæ mutationes ſeminis non ſint ſucceſſiuæ ſecundum numerum menſium, tamen perfectio earum non completur niſi completo numero conuerſionum ſecundũ ſeptem menſes. quo rurſus loco animaduerſione dignum eſt, quod ſubdit, in reliquis animalibus hæc non ita regulariter obſeruari propter temperamẽtorum ignobilitatem; cùm alia tempore diuturniore vt elephas, alia breuiore conformentur. quibus omnibus ita diſputatis ſic tandem reſpondet ad quæſtionem, cauſam explicãs, cur alij ſeptimeſtres, octomeſtres alij, demum alij nonomeſtres naſcantur; ſintq; octomeſtres partus reliquis vitales minus. Perfectis etiam conuerſionibus (inquit) habet embryo ea, quæ exiguntur ad neceſſitatem; & ſicut dicit Galenus, virtus formatiua tripliciter ſe habet ad ſemen, ſeu ad materiam. Aliquando enim materia eſt diminuta, & virtus abundans. Aliquando virtus deficiens, & materia ſuperabundans. Aliquando ſunt ſecundum qualitatem proportionata. & quandoquidem virtus eſt abundans & materia diminuta, terminata eſt complexio ſeptimo menſe; & tunc virtus abundans fortem facit motum ad exitum, & naſcitur puer, & conualeſcit, & efficitur paruus corpore, & agilis valde in operationibus. Quando autem adæquata ſunt virtus & materia, & quando eſt ſuperabundans materia, tunc non eſt completa complexio ſeptimo menſe, ſed quieſcit per vnam Lunæ conuerſionem in octauo menſe, & facit motum ad exitum, & naſcitur nono menſe, & conualeſcit; & hoc eſt vt in pluribus ferè omnium natiuitas. Sed quandò virtus eſt deficiens, & inobediens materiæ, ex anguſtia facit motum in ſeptimo menſe, quando virtus motiua data eſt; & ex diſpoſitione nõ comprobat ipſum niſi octauo menſe; & tunc naſcitur, & moritur vt in pluribus: & hoc non conuenit ex periodo, ſed ex diſpoſitione, & corruptione principiorum materialium. Hęc autem quæ dicta ſunt, vt in pluribus ſunt vera. multum enim variationis faciunt complexiones fœminarum, & complexiones climatum. Propter quòd ego vidi vnam, quæ peperit in vndecimo menſe puerum maximę quantitatis; & Auicennas dicit ſe vidiſſe vnam, quæ peperit in decimo quarto menſe ſimiliter. Hæc D. Thomas. Verùm aduerſus hanc totam ipſius diſputationem ingentes ſtatim ſe ſe offerunt dubitationes. Primùm enim quod inquit, mares frequentius intermori in partu geminorũ ſexus diſparis, quia adhuc non ſit formatio ipſius terminata; hoc & valdè dubium videtur, & ab Hippocrate & Ariſtotele maximè diſſentaneum. inquit enim ſic D. Thomas. Quòd autem in talibus mas frequentius moritur, prouenit ex hoc, quòd, cùm tales gemini ex vno ſemine diuiſo generantur, ſit materia malè terminabilis à virtute formatiua; quia ſi fuiſſet benè terminabilis vtrunq; formaſſet in marem. Materia autem maſculi maiori & multiplici indiget terminatione, quàm materia fęminæ; & ideo mas remanet ægrotus, & debilis in terminatione materiæ. cauſam habens mortis; fœminæ autem parua ſufficit terminatio, & propter mollitiem corporis ſuperuiuit. frequentiſsimè tamen ambo moriuntur. Verùm ego ita argumentor;

tor; si materia maris maiori & multiplici indiget terminatione, materia fœminæ minore; iam cùm fœmina formata est ac perfecta, adhuc mas formationis suæ, perfectionis, ac maturitatis finem non est adeptus; maiorem enim & multiplicem terminationem in tempore longiori effici videtur consentaneum: nec aliud apparet posse terminationis nomine hîc D. Thomam intelligere, quàm formationem perfectam & maturitatem; quod satis clarè ipse significat, dicens marem remanere ægrotum, ac debilem in terminatione materiæ, quasi dixerit non benè maturum: vt Henrici dogma libro septimo à nobis reprobatum, diuinus vir sequi hoc loco videatur, arbitrãtis diutius in vtero marem quàm fęminam formari. atqui sententia est Aristotelis quarto de Animalium Ortu iam diù libro tertio à nobis explicata, mares in vtero breuiori tempore conformari, longiori fęminas; qua in re summam esse inter ipsum & Hippocratem consensionem ostensum fuit.

Cap. 6.

Allata confirmatur dubitatio. quinq; aliæ aduersus D. Thomam afferuntur dubitationes.

Cap. 41.

IAm verò huic Hippocratis & Aristotelis sententiæ rationem suffragari satis cõstat; cùm enim fœmina oriatur ob malam materiæ qualitatem, frigiditatem videlicet; nam & hoc est, quod inquit D. Thomas, virtutem formatricem marem gignere, nisi qualitate materiæ impediatur, & ideo sexum fœmineum accidere ex deffectu naturæ particularis; quod etiam in prima parte Summæ confirmauit, inquiens, fœminam generari vel propter virtutis actiuę debilitatem, vel propter aliquam materiæ indispositionem: ex materia verò magis concocta idest calidiori oriatur mas; efficitur necessariò, vt facilius vincatur, & citius terminetur à virtute formatrice materia, ex qua mas gignitur; longè verò difficilius materia, ex qua gignitur fœmina; quia frigidior sit, & concoctionis minus habeat. Vnde Aristoteles citato loco hãc eandem mouens quæstionem de dispari sexu, & dissoluens, inquit, ideo, qui gemini mas & fœmina in genere hominum prodeunt, minus seruari, cùm in cæteris animalibus nihilo referat, quoniam hominibus hic concursus præter naturam est; cùm non pari tempore mas & fœmina discernãtur; sed necesse sit τὸ ἄῤῥεν ὑστερεῖν, ἢ τὸ θῆλυ προτερεῖν. idest marem cunctari, aut fœminam præuenire. at contrarium omnino videtur dicere D. Thomas; inquit enim ipse, cùm gemini oriuntur, fœminæ materiã iam esse terminatam, maris autem nequaquam; quia maiori & multiplici egeat terminatione. itaq; contra Aristotelis sententiam mas præueniret non cunctaretur, fœmina suo tempore in lucem prodeunte. Quin etiam inquit eo loco manifestè Aristoteles, quia in humana specie longè mas à fœmina differt calore naturæ, propterea non similiter fœminas atq; mares perfici in genere hominum; quippè cùm intra parẽtem fœmina tempore longiore conficiatur, quàm mas; & vbi in lucem venerint, celerius fœminæ quàm mares ad finem veniant. Vnde non poterit esse terminata fœminæ materia, nisi & materia quoq; maris antea terminata fuerit; neq; verum erit, maris materiam maiori, ac multiplici in vtero indigere terminatione; quin potius contrarium oportebit affirmare, quod etiã libro septimo de Historia Animalium confirmabat Aristoteles, dicens, vt libro tertio notauimus, hanc ob causam fœminas gigni decimestres magis. Secundò, aduersus ea, quæ statuit D. Thomas de causis partus septimestris, octomestris, & nonomestris ambigi potest, nec quidem leuiter; inquit enim ipse, vt verbis ipsius vtamur, cùm materia est diminuta, ac virtus abundans, fœtum gigni septimestrem. verùm Aristoteles quarto de Animalium Ortu lõgè aliter docet euenire, si virtus materiam valde superet; exsiccare enim inquit humorem, & nihil oriri; quam sententiam repetit eodem libro infra, vbi de causis differit multiplicis partus; scribens, si virtus multa sit à mare emissa non ob id maiorem efficere fœtum, sed potius è contra exsiccando corrumpere. Tertiò, si materia deficit, orietur potius læsus fœtus, atq; in aliqua sui parte mancus, quàm septimestris; materiæ enim defectus in partibus defectũ facit, vt memorato loco docet Aristoteles, & causa est monstrosi potius partus quàm septimestris. Quartò, quod inquit D. Thomas, si virtus deficit, materia abundat, gigni octomestrem; hoc etiam videtur plurimum Aristoteli aduersari. siquidem si redundantiam hanc quantitatis respectu intelligamus; ex materia ista vel nihil orietur, vel monstrosum quoddam, veluti quod partes habeat superuacaneas; quod Aristotelis est quarto de Ortu Animalium: si re-

q.92. art. 1 in respõs. ad primum.

Cap. 3.

Cap. 2.

Cap. 4.

Cap. 4.

spe-

spectu qualitatis, quòd scilicet materia frigiditate redundet, quemadmodũ verba D. Thomæ ostendũt dicentis. Aliquando sunt secundum qualitatem proportionata. quibus apertè significat, ratione qualitatum excessum & defectum esse attendendum; iam tunc non octomestrem, sed fœminam gigni necesse est, dicente quarto de Ortu Animalium Aristotele, cùm ob caloris inopiam materia coqui nequit, fœminã gigni. Quintò, ex ipsamet serie disputationis D. Thomæ videntur hæ causæ plurimum nutare; si enim materiæ inopia, virtutis abũdantia causantur septimestrem, nimirum breuissimo tempore conformatum; æqualitas & proportio nonomestrem; igitur materiæ redundãtia, virtutis imbecillitas debent decimestrem, vel potius vndecimestrẽ causari, & tempus longissimum conformationis sibi exposcere: contrariæ enim contrariorum causæ sunt. Sextò, dubitatio est, quomodo verba illa sint intelligenda. Quando autem adequata sunt virtus & materia, & quando est superabundans materia & c. si enim adæquata sunt, quomodo materia potest superabundare? & si materia superabundat, quomodo possunt esse adæquata? videntur enim hæc inter se mirificè pugnare. Dubitationes quidem maximæ, & quæ diù multùmq; me torserunt. dicam tamen pro illarum solutione quid potero, libentiusq; fatebor me D. Thomã non intelligere, quàm, ipsum aut aliquid sua maiestate indignum protulisse, aut repugnans, aut Aristoteli contrarium, audeam affirmare.

Cap. 1.

Nonnulla præmittuntur ad soluendam primam dubitationem necessaria. Vera mens D. Thomæ enarratur.

Cap. 42.

QVod igitur pertinet ad dubitationem primam, ne cogamur dicere, D. Thomam sequi Henrici de Gandauo iam tertio libro reiectam positionem; considerandum est, aliam esse quæstionem, & vniuersalem magis, quam tangit Aristoteles quarto de Ortu Animalium; aliam, & magis particularem, quam mouet hoc in loco sanctus Doctor. adducebat causam Philosophus ibi generaliter, cur geminorum sexu disparium partus in humana specie sit præter naturam arbitrandus; quærit hic D. Thomas, cur in hoc partu, si non ambo intereãt, quod frequentissimè euenit, mas emoriatur vt plurimum, fœmina possit superuiuere. supponit eo loco Aristoteles, conceptionem esse factam simul eodemq; tempore fœtus vtriusq; ; accipit hîc D. Thomas (nisi hallucinor) marem postea esse cõceptum ob causas quas infra dicam, quorum vtrũq; euenire posse pro materiæ formatricis virtutisq; ratione, & differentia, nemo in dubium vocare debet. enimuero & menstruo diuiso, ac materia potest insigniter pars altera ab altera differre tùm calore tùm frigiditate; & genituræ eiaculatæ pars altera potest esse altera concoctior, facultas altera altera efficacior. quod totũ perbellè Aristoteles libro secundo de Animalium Ortu significauit, scribens (quod non semel in hoc opere diximus) menstruã materiam non æquè esse vtilem, sed inutilis plurimum continere; prioremq; genituræ emissionem minus esse fęcundã quàm posteriorem; quia minus caloris animalis contineat; idcircò quod eodẽ concubitu à mare prouenit, differre. Itaq; si vniuersaliter rem hanc contemplemur, & priorẽ quæstionem; locum habebit causa ab Aristotele allata: est enim concursus maris & fœminæ in vno partu præter naturam; quoniam in enixu illorum alterum illegitimo tempore nasci oporteat, quemadmodũ dicebat Aristoteles; nimirum vel fœminam citius quàm debeat, & ante adeptam maturitatem, vel marem tardius, & iam diù maturum. ob idq; dixit Aristoteles hos partus minus seruari; quia scilicet ambo intereant, vel eorum alter. Quòd si quæramus vlterius, qua de causa seruetur magis fœmina quàm mas (sensuum enim fide, ac longinqui temporis periclitatione perceptum esse, rem ita euenire supponit D. Thomas) iam hæc noua erit quæstio, & lõgè alia à priori; quam vt dirimat, sumit sanctus Doctor, geminos istos ex vno semine diuiso generari; ex qua re sequi videtur, semen totum, antequam diuisum sit, potius ad fœminam producendam esse idoneum; vt hanc ob causam & in tempore maturitati fœminæ potius congruenti edi partum, & materiam malè esse terminabilem ipse dicat; malè, inquam, terminabilem respectu maris productionis. etsi enim ea portio, ex qua formatur mas, calidior sit altera illa, ex qua fœmina gignitur; tamen quia ab ea diuisa est, non parum retinere indispositionis est arbitrandum; licèt non tantum, vt maris prohibeat ortum. quamobrem duplex naturæ actio erit formatricisq; virtutis circa ipsam; primùm enim remouere debet ea, quæ impediunt, ac re-

Cap. 4.

reluctantur; & materiam ipsam idoneam reddere ad maris conformationem: mox ipsum mas conformare; ita vt posterius fiat maris conceptio; quod euenire posse ille facilè concedet, qui ea omnia, quæ de cõceptione ipsa libro septimo; de geminorũ procreatione paulò supra à nobis disputata sunt, animo versabitur.

Prima soluitur dubitatio. verba Aristotelis obscura de geminis disparis sexus explicantur.

Cap. 43.

HOc posito sequitur, verissimè à D. Thoma dictum esse, masculi materiam maiori, ac multiplici terminatione indigere quàm fœminæ materiam; hoc .n. non vniuersaliter pronunciat D. Thomas, nã sic à veritate, ac Pręceptore dissentiret; cùm mas breuiori tempore formetur in vtero quàm fœmina, vt superius vidimus, potissimumq; libro tertio, & sic minori indigeat terminatione: sed particulariter & generationis illius, de qua loquitur, respectu, ac materiæ ratione, quam dixit malè esse terminabilem, ex qua gemini illi formantur; quorum alter tantùm, fœmina videlicet, fit vitæ compos. quoniam enim materia, ex qua mas gignitur, paranda est à virtute formatrice, mox formanda; iure dicitur egere tempore longiori, & maiori, ac multiplici terminatione; quo fit vt partus tempore mas non sit adhuc maturus, & perfectus iam fœmina maturitatem nacta; cuius materiam paratam inueniens agens virtus, ac dispositam, breuiori tempore circa illam operatur. Possumus & aliter verba explicare, supponentes eodem tempore factam esse vtriusq; fœtus conceptionẽ, sed quia materia, ex qua mas formatur, indisposita est; idcircò longiori tẽpore egere, vt ab agente virtute superetur: quo sensu mihi valde probatur dixisse D. Thomam, materiam hanc multiplici egere terminatione. Qua in re videmus duas contrarias propositiones habere veritatem; nempè in hoc partu marem cunctari, quod dicebat Aristoteles contingere; & rursus eundem marem præuenire, quod inquit D. Thomas. enimuero si maris naturam generaliter consideremus, quoniam mas naturaliter citius formari debet; asserendum erit, in hoc geminorum partu mari præter naturam contingere, vt longiori tempore formetur, ob materiæ videlicet indispositionem; idcircò cunctari ipsum suo ortu verè dici poterit: nec propterea vlla erit dissensio, quando cunctatio hæc fortasse Aristotelica non solùm respectu partus iam maturi sumi possit, cùm scilicet iam perfectus exitum retardat; sed etiã conformationis respectu, quia ob materiam malè dispositam, ex qua formatur, lõgiori tempore, quàm natura illius expostulet, configuretur. quem sensum libentissimè Aristotelis verba admittent, si illa, ὑστερεῖν & προτερεῖν, ad τὴν διάκρισιν, scilicet ad formationem, nõ ad partum referamus; vt sententia sit, vel marem cunctari in formatione, quia tardius materiæ indispositæ ratione formatur quàm soleat, ac debeat; vel fœminam præuenire, quia citius, quàm sua natura requirat, conformetur, recipiatq; maturitatem. nam, vt octauo de Historia Animalium admonemur, ob materię indispositionem & marium aliqui θηλυκὰ generantur, & fœminarum ἀρρενωπά, idest & inter mares natura fœminam referentes, & inter fœminas marem. vnde verè in partu hoc, de quo agit D. Thomas, cunctabitur mas tardius conformatus, proindeq; tardius veniens in lucem, quàm sua natura patiatur. Rursus & pręuenire dicendus erit, quoniam materia, ex qua formatur, malè affecta est; ideo fœmina iam matura maturitatem adhuc ipse suam non est adeptus; quamobrẽ & pręuenit hac de causa, .i. antea oritur quàm sit maturus: adeò vt cũctari dicatur formationẽ, maturitatẽ ac partũ pręuenire. Vtrũ autẽ secũdum Aristotelem talis dari possit materia, ex qua mas formatur, quæ longius tempus requirat in formatione quàm ea, ex qua fœmina effingitur, non est hic locus disserendi; qui enim ea, quæ ex octauo de Historia Animalium paulò supra adduximus, considerabit, facilè hunc nodum dissoluet.

Cap. 2.

Alię quinq; labefactantur dubitationes.

Cap. 44.

AD secundam dicimus, materiæ defectũ præsertim qualitatis ratione, non quantitatis esse attendendũ; quod D. Thomas verbis illis supra adductis satis clarè ostendit. Aliquando sunt secundum qualitatem proportionata & c. item addimus, qualitatem hanc, quia duo possit dicere, vel sexus differentiam; vel temperaturam, seu, vt Barbari loquuntur, complexionem, ex qua habet materia, vt ocyore tempore conformetur, vel diuturniore, quemadmodum libro tertio, & septimo vidimus;

sumendam esse hoc loco in posteriori significatione; videlicet prout temperaturam hanc significat maturitatis respectu. quod perspicuè etiam D. Thomas demonstrauit, dicens. Quando quidem virtus est abundans, & materia diminuta, terminata est complexio septimo mense; & mox. quando autem adæquata sunt virtus & materia, & quando est superabundans materia, tunc non est completa complexio septimo mense. ex his enim luce meridiana clarius, defectum, vel superabundantiam huius qualitatis complexionem ipsam respicere, vt varios terminos dicit maturitatis. His positis nullo negocio respondetur; dicimus enim loqui eo loco Aristotelem de' quantitatis defectu; & etiam de caloris excessu in virtute formatrice, quatenus id simpliciter ad generationem conducit; at D. Thomas loquitur de qualitatis defectu, à qua pendet complexio, siue, vt clarius dicam, tempus varium conformationis: itaq; dubitatio nulla. Atq; hinc ad tertiam respõsio patet; defectus enim quantitatis, non qualitatis facit partum aliqua sui parte mancum. ex quò etiam & quartam labefactamus; neq; enim redundantia in quantitate est, neq; in qualitate ea parte, qua dicit sexum, sed ea parte, qua dicit maturitatem. Ad quintam, quæ omnium difficillima videri posset, respondemus, vt illã dissoluamus, ex libro tertio repetẽdum esse (quod ex Aristotele ibi adnotabamus) cùm natura finem consequitur, & quod perfectum est attingit, formam semper ac agentem virtutem materiam superare; idcircò cùm contrarium euenit, vt scilicet materia formam vincat, quod efficitur, aliquid præter naturam in se habere. Item accipiendum, vt idem admonuit Aristoteles, nullum sequi in natura perfectũ opus nisi ratione aliqua, & nisi inter agentem causam & materiam cõgrua intercedat cõmoderatio & proportio; idcircò necesse esse, vt forma ipsa & agens causa in superatione hac modum retineat. His positis dicimus, horum omnium tanquam summum peripateticum benè memorem D. Thomam, rectißime statuisse, si materia abundet, si formam superet & agentem, partum oriri octomestrem; si valde excedat agens, ita vt debita commoderatio non adsit, oriri septimestrem. agens nanq; causa, si materiam respectu temperamenti maturitatis optimè dispositam inuenit, ac proportione illi respondentem (quod acutißimè significauit D. Thomas) imperium obtinens perfectißimum partum producit, nonomestrem scilicet, vel decimestrem; si tamen valde superat, nec proportionem retinet; gignit septimestrem: si è contra superetur, octomestrem, & senescente decimo, vel initio vndecimi nascentem. quanquam in septimestris quoq; ortu alia ratione dici potest, vt alibi à nobis ostensum est, agentem causam ac formam à materia superari. Nec obstat, si dicamus ob allatam rationem verè illud sequi, quod ponit dubitatio; videlicet non octomestrem, sed omnino vndecimestrem nasci oportere, quoniam breuißimo tempori longißimum opponatur, atq; ex consequenti vndecimestre septimestri. quandoquidem hoc habet veritatem, cùm agentem formam materia omnino superat, sine vlla insigni virtutis formatricis resistentia. at cùm superatur quidem agẽs virtus, sed tamen insigniter resistit, quod verbis illis docuit perspicuè D. Thomas. Sed quando virtus est deficiens, & inobediens materiæ. quibus non solùm formatricis defectum respectu materiæ notat, sed etiam insignem resistentiam; octomestrem gigni est necesse. enimuero, si deficiẽs virtus materiæ omnino cederet, tunc vndecimestris oriretur; verùm quia resistit, nec plenè superari patitur, idcircò gignitur octomestris ex D. Thomæ opinione. Ad sextam respondemus, cùm ipse inquit, materiam superabundare, non esse intelligendũ respectu virtutis agentis id esse ab eo de materia pronunciatum; cæteroqui manifesta esset in eius verbis repugnantia; cùm iam dixerit, materiam hãc cum agente virtute habere adæquationem, & proportionem; verùm septimestris materiæ ratione materiam hanc nonomestrem superabundare pronunciauit; quoniam cum illa comparata non solùm quatenus pertinet ad quantitatem, sed etiam qualitatis & temperaturæ ratione sit redundans. ex quò & fœtus non mense septimo, sed nono recipit naturaliter maturitatem. Dicere fortasse aliquis posset, mendum subesse in contextu, & verba esse legenda cum negatione sic. Et quando non est superabundans materia. verùm hasce non nisi ex magna & euidentißima causa recipiendas esse emendationes, non semel admonuimus.

Demonstratur, Socinum veram D. Thomæ mentem non attigisse. ostenditur secundum illum, octomestrem partum esse naturalem, ac viuere posse.

Cap. 45.

HAec igitur tanti viri sententia est de natura partus octomestris, à me quidem diligentissimè, ac fideliter exposita; quam rectè intellectam aliquid continere, quod nobis repugnet, vel quod nostræ sit positioni contrarium, nemo sanæ mentis affirmabit. enimuero, vt ipsa statim verba docent, in quibus proponuntur dubitationes; partui ipse octomestri illas videtur tribuere conditiones, præceptorem sequẽs Aristotelem, quas Hippocrates, ac reliqui Medici septimestribus solent impartire: septimestres verò accipere, ac si omnes, non secus ferè ac nonomestres, superstites
» fiant. inquit enim. Similiter natus octa-
» uo mense moritur vt frequentius, & in sep-
» timo viuit. viuit, inquam, vt frequentius; hos enim partus vicissim opponit. item & in alio loco, vbi huius rei causam addu-
» cit, ita loquitur de septimestribus. Et na-
» scitur puer (videlicet septimestris) & con-
» ualescit. ac paulò post de octomestribus.
» et tunc nascitur, & moritur vt in pluribus. quibus itidem septimestres vt plurimum viuere significat, octomestres vt plurimum interire. At conditio hæc non facit partum illegitimum; etenim Iurisconsulti, ac Medici septimo genitos admittunt, licèt Hippocratis auctoritate admoniti sciant, fateanturq; vt plurimum periclitari. quare non ob id existimauit D. Thomas, octomestrem esse partum præter naturam, tametsi hanc illi tribuat conditionem; sicuti neq; Hippocrates, neq; alij Medici septimestrem hac de causa reiecerunt. Sed ex his vide quid sequatur aduersus Socinum; cùm enim libro tertio probatum à nobis sit ex Aristotelis sententia, item & libro hoc nono, quin etiam & in Disceptatione, magnam esse differentiam inter ea, quæ rarissimè in natura fiunt, & maximè propriè sunt præter naturam; atq; ea, quæ raro quidem fiunt, sed tamen non præter naturæ omnino intentionem, licet præter naturam aliquo modo vocari possint; docemur his omnibus, quoniam D. Thomas hanc versabatur animo his in locis naturæ operum varietatem, ac differentiam, de ipsius quidem mente verè dici posse, octomestres partus raro viuere, falsò cum Socino affirmari, rarissimè viuere: quod totum apertissimè ipse significauit; siquidem mox verba faciens de partu geminorum ita scri-
» psit. Similiter in geminis, quorum vnus
» est masculus alter fœmina, rarissimè con-
» tingit masculum viuere; fœmina verò ali-
» quando superuiuit. At hic non ne masculum fœminæ opponit? non ne fœminam aliquando superuiuere dicens, vt frequentius mori vult? non ne marem non solùm aliquando, sed etiam rarissimè viuere scribit? ita vt longè magis esse velit præter naturam, longèq; rarius, si in hoc partu masculus viuat, quàm ipsa fœmina? Sed & hoc nil esse aliud quàm asserere, fœminam raro viuere, rarissimè verò marem, nil aliud quàm Aristotelicam auream illam indicare diuisionem, quam supra dicebamus, nemo quidem negare poterit, qui non desipiat. quo recepto fundamento sequitur, fœminam in hoc partu, licèt raro viuat, tamen naturaliter viuere: quod quidem clarissimum est, D. Thomam eo loco probare voluisse; marem, si viuat, omnino viuere præter naturam. Itaq; si idem putauit de partu octomestri, si in ea serie illum collocauit, in qua Hippocrates septimestrem; palàm est tanti viri sententiam in nihilo nobis aduersari; falsòq; illi Socinũ imponere, quòd scripserit, octomestres rarissimè superuiuere, & ex consequenti partus esse omnino præter naturam. Qua in re illud certè (proh dolor) maximè mirũ, quòd isti huiusmodi geminos tanquam legitimos, ac naturales partus recipiant, tãetsi nati illicò moriantur; quanquam D. Thomas rarissimè marem viuere, frequentissimè mori scribit; ipsum verò octomestrem, de quo placidius, humaniusq; locutus est, & quem non rarissimè, sed raro tantùm mori asseruit, omnino repudient.

Quędam tollitur ex D. Thomę verbis difficultas. Superiora plenius comprobantur.

Cap. 46.

NEc officit quidquam, quòd D. Thomas dicat, cùm materia agentẽ causam superat, octomestres exoriri; enimuero, vt tertio libro ex Præceptore monuimus, in nonnullis secundum naturam est, cùm natura formæ naturam materiæ non superat; quemadmodum in ortu fœminæ cernimus euenire. & sanè illud maximè est animaduertendum, octomestres secundum D. Thomę opinionem ex dispositione, vt ipse inquit, nasci tales, videlicet quia

illorum temperamentum huiusmodi sit, vt octauo mense maturescere debeat; quod quidem per se octomestrium esse proprium superioribus libris docebamus. ex quò, & cùm mori vt plurimum eos adiũgit; statim subdit, vt doceat per accidens id illis contingere; hoc non conuenire illis ex periodo, videlicet vt moriantur, sed ex dispositione, & corruptione principiorum materialium; nimirum quia quantum est periodi ratione naturaliter vitalis octomestris oriatur; sed per accidens, ob principiorum scilicet materialium corruptionem plerunq; intereat; atq; vt idem addit, ob agentis ad materiam inobedientiã; ita vt ferè potius accidẽtis alicuius, ꝙ hac de causa in formatione superueniat, quàm tẽperamenti proprij ratione censuerit hos partus periclitari. Quæ autem causa sit inobedientiæ huius, neq; innuit D. Thomas, neq; facilè potest assignari alia, præter eam, quam tertio libro ex Aristotele explicuimus; de qua re in præsentia nihil dicam. Illud potius animaduertendum censeo, D. Thomam de octomestribus, qui locis nostris oriuntur, sermonem habere; demumq; in regionibus illis, in quibus non putantur esse vitales; horumq; velle pauciores seruari, plures interire. cùm alioqui in temperatiore Cœlo omnes vitæ fieri compotes videatur indicare, scribens, cõplexiones climatum, vt suo ore loquamur, & fœminarum, hanc octomestrium conditionem cohercere posse, irritámq; reddere: quod Aegypti respectu, similiumq; locorum, in quibus omnes octomestres vitã potiri didicit ex Præceptore, dictum ab ipso mihi persuadeo: vt magnam esse D. Thomæ hac in re cum eo consensionem facilè appareat. ex cuius etiã disputatione duo illa adeò peruagata, ac in Iurisprofessorum, Medicorumq; animis insita, ac penè insculpta refutantur; videlicet Saturni sydus octomestres interimere; & fœtum omnẽm mense septimo exitum affectare, ad eumq; plurimum colluctari, adeò vt hac de causa imbecillus factus octauo si nascatur intereat; cùm & leuissimam illam, vt supra vidimus, rationem ipse reijciat; & fœtum septimo quidem motus aliquos facere validiores velit, sed non quidem ad exitum; verùm, vt nos etiam suo loco declarauimus, quia mẽse septimo perfectionis principium, proindeq; motiuam virtutem plenius perfectiusq; nanciscatur; quod quidẽ nemo est qui non videat, nullam fœtui afferre posse imbecillitatem. quis enim tam cæcus in contemplãdis rebus vnquam erit (dicam enim vt sentio) quem hoc asserere non pudeat? Hinc D. Thomas nonomestrem partum superioribus verbis nõ quidem septimo, sed nono motum ad exitum facere scribit, septimestrem septimo; & cùm octomestrem septimo moueri diceret, non ad exitum esse motum illum declarauit, sed quia tunc fœtui motiua virtus oriatur, vel certè plenius innascatur; apertè pronuncians hunc partum, cùm moritur, non quidem ob imbecillitatem, vel ęgritudinem ex hoc motu septimo contractam, mori, vt communis vulgarisq; credit opinio; sed ob dispositionem corruptionemq; principiorum materialium. quæ omnia rationem hanc à motu ad exitum in septimo edito ductam plenissimè redarguunt. Sed ex D. Thomæ sententia nihil habere Socinum, nihil Aduersarios, quo nostram opinionẽ reddant infirmiorem, satis, arbitror, esse demonstratum; nunc Socino relicto cum fortissimo hoste Alciato manum conseramus.

Ventilatur Alciati opinio. Item senioris Socini circa Hadriani ac Iustiniani de vndecimestri partu dissidium sententia affertur.

Cap. 47.

QVid de Alciato grauissimo viro dicã? is enim, vt primo libro vidimus, nulla adducta ratione, sua solùm legens, sua amans, octomestres causa incognita cõdemnat; ac tantùm communi rumore contentus, & Medicis, & suis receptissimum esse dicit, quòd octauo geniti naturaliter viuere nequeant. quæ res quantum habeat firmitatis, plenissimè (arbitror) superioribus libris demonstratum fuit. Illud potius Alciato dignum in hac nostra disputatione animaduertatur, ac tanquam verissimum recipiatur sine vlla controuersia, partus illos, qui ante septimum oriuntur, quia immaturo sint tempore geniti, ac secundum naturam viuere non possunt, abortiuos esse existimandos, tametsi cum vita & spiritu nascantur: nec Imperatoris Iustiniani verba obstare, nil aliud in partu requirentis, nisi quòd totus viuus ad orbem deuoluatur; quoniam præsuponant in cæteris habilitatem; quòd scilicet maturo, legitimoq; tempore partus ipse in lucem veniat; de qua re supra etiam nonnulla diximus. Quo tamen in loco notandum est, Alciatum verba Imperatoris illa, „Si viuus per-

l. quod certatum est C. de posth. hæred.

» perfectè natus est. & mox. Si viuus to-
» tus ad orbem processerit. ita interpretari,
ac si dicant, perfectum esse partum illum,
qui integrum suis membris nascatur animal,
& cum spiritu; quam profectò interpretationem
sumpsit (nisi fallor) ex Vlpiano. quod tamen nullo modo recipere possumus;
eò quòd apud ipsum Vlpianum libro nono ad Sabinum contrarium potius
statuatur, videlicet censendum esse partum nasci perfectum, tametsi non integrum animal
nascatur, dummodo cum spiritu. vnde si Imperator perfectum partum integrum natum animal intelligeret, & cum
spiritu, maxima esset inter has leges cõtrarietas. vt propterea fateri cogamur, aliud
omnino esse apud Iurisconsultos, quemadmodum suo loco supra docuimus, partum nasci integrum; aliud viuum perfectè
nasci, viuumq; totum ad orbem procedere. quod quidem cùm nonnulli Iurisprofessores non animaduerterent, dum has leges
vellent conciliare, in insignem illas suis interpretationibus contrarietatem adduxerunt: de qua re iam supra satis disseruimus,
atq; etiam in Disceptatione. Iam verò & illud, oblatam occasionem nacti, silentio non prætereamus, quod Alciatus de
summa Imperatorum circa vndecimestrem partum dissensione non præteruolat, sed ita dilatat, vt non mediocrem curam adhibeat,
& diligentiam: qua in re pertractanda de partu quoq; decimestri nonnulla dicemus. cùm enim Imperator Hadrianus Gellio tertio
Noctium Atticarum referente partum vndecimo mense editum tanquam legitimum admisisse inueniatur: Imperator verò Iustinianus
repudiasse, vt scriptum legimus in Nouellis Constitutionibus; cuius & Sceuola, & Vlpianus videntur adstipulatores; qui, vt
superius vidimus, post decem menses natum tanquam illegitimũ partum reijciunt; hanc ego subtilitatem Philosophia quidem
dignissimam iudico; pręsertim cùm hac in re auctoritatem Hippocratis nutare nonnullis Iurisprofessoribus visum fuerit: qui
modò decimestrem tantùm, modò etiam vndecimestrem à se ipso dissẽtaneus videtur recepisse. vt omni ex parte mirę clades
oriantur; cùm & Imperator cum Imperatore; & leges inter se se & cum Hipppocrate; Hippocrates demũ cum semetipso pugnare
videantur, ac mirificè digladiari. Sed primùm Gellij verba in medium adducam, quæ loco nuper
» citato ita habent. Præterea ego de partu
» humano, præterquàm quæ scripta in libris legi, hoc quoq; venisse vsu Romæ comperi; fœminam bonis atq; honestis moribus
» non ambigua pudicitia in vndecimo mense post mariti mortem peperisse; factumq; esse negocium propter rationem temporis,
» quasi marito mortuo postea concepisset; quoniam Decemuiri in decimo mense gigni hominem nõ in vndecimo scripsissent.
» Sed D. Hadrianum causa cognita decreuisse, in vndecimo quoq; mense partum edi posse: idq; ipsum eius rei decretum nos
» legimus. In eo decreto Hadrianus id statuere se dicit, requisitis veterum Philosophorum & Medicorum sententijs. Hæc ille;
quibus latissimè docet, D. Hadrianum veterum Philosophorum, ac Medicorum permotum auctoritate statuisse, vt partus
in vndecimo mense genitus pro legitimo haberetur. At enimuero Iustinianus ita scripsit de hac eadem re in Nouellis
Constitutionibus iuxta vulgatam editionem.
» Mulier enim ad virum veniens hunc extulit; vt appareat etiam superstite eo non castè viuere cogitans; nondum enim
» completo anno vndecimo mense perfecto peperit; vt non esset possibile dicere, quia de defuncto fuisset partus. Neq; enim in tã-
» tum tempus conceptionis extensum est. Hæc Iustinianus; quem locum attingens senior Socinus, vt in enarranda ipsius
opinione primo libro vidimus; primùmq; statuens, partum vltrà dies duos decimi mẽsis editum de Gentilis opinione admittendum
esse; mox verò, leges Hippocratis sequentes auctoritatem, qui noluit vltrà decimum mensem fœturam protolli posse,
partum hunc in materia succesionum non admittere dicens; tandem Bartholo consentiens, Glossamq; reijciens illam, quæ
partum duobus diebus vltrà decimum gestatum tanquam illegitimum refellit; inquit apertissimè, Iustinianum verbis supra
adductis vndecimestrem partum reijcere; ita vt nec etiam post duos dies decimi mẽsis editum recipere videatur. Vnde vt
cõtradictionem tollat, inquit, verba Iustiniani, quæ partum vltrà decimum protolli nolunt, intelligenda esse, vt ipsius
terminis vtamur, secundum communiter accidentia; ac textum loqui per verba significantia legem frequentatam: Bartholi verò
opinionem secundum possibiliter accidentia habere veritatem. quo loco (bona ipsius venia dixerim) insignis in Socino
notatur contrarietas; enimuero si Bartholi opinio & Glossæ, quæ cum ipso consentit; quòd scilicet per duos dies vltrà decimum

l. quod dicitur ff. de liber. et posth hered. inst.

Cap. 16.

Authen. de rest. & ea quę parit in vnd. mense.

§. fin.

ge-

gestari partus posſit, naturalis est, vt paulò ſupra idem Socinus dixit, & partus duobus diebus poſt decem menſes genitus nihilominus decimeſtris partus dicendus eſt; quo pacto ſecundum poſsibiliter accidentia id habere poteſt veritatem? quo pacto non loquitur ipſe Bartholus, ſicut & Iuſtinianus Imperator per verba ſignificantia legem frequentatam? quæ enim eueniunt ſecundum poſsibiliter accidentia, ea Socino ſunt, quæ rarò contingunt, & præter naturam, nec à lege reſpiciuntur; vt ſi octogenarius filium gignat. itaq; vel non erit Bartholi opinio naturalis, vel falſum erit ſecundum poſsibiliter accidentia tantùm illam locum habere. Quòd ſi ea quæ ſecũdum poſsibiliter accidentia eueniunt naturalia eſſe poſſunt; nulla erit ratio cur octomeſtres Socinus hac de cauſa condemnet, quòd ſecundum poſsibiliter accidentia in natura locum habeant. Sed vt redeamus ad rem, eſt igitur Socini opinio Iuſtinianum illa ſanctione partum poſt menſem decimum etiam per duos dies genitum reijcere.

Verborum Iuſtiniani interpretatio iuxta Alciati, Tiraquelli, ac Menochij opinionem.
Cap. 48.

QVoniam magnus hic locus eſt, & variè à multis vexatus, aliorum etiam interpretationes afferendæ nobis ſunt. Alciatus cum Socino conueniens Iuſtiniani verbis partum decimeſtrem tantùm exactum admitti cenſet, vndecimeſtrem penitus refelli: atq; Paradoxorum tertio, vt primo libro vidimus, hoc ſi non iniuſtè, certè ad ſummum rigorem ſtatutum fuiſſe ſcribit; cùm tàm grauiſsimus ex Græcis auctor Ariſtoteles, & Diocles Chariſtius, quàm apud Latinos Varro vndecim menſibus geſtari partum poſſe prodiderint. Quin etiam omnino cõtrarium eſſe inquit decreto, quod ſuper eadem re D. Hadrianus veterum Philoſophorum, ac Medicorum ſententijs requiſitis antea edidit; vt, quemadmodum Alciatus inquit, quàm rectè aduerſus Ariſtotelis, atq; aliorum opinionem, & contra quàm Hadrianus Cæſar decreuerat, Iuſtinianus pronunciauerit, vix cerni poſsit. Tiraquellus, vt eodem primo libro à nobis expoſitum fuit, in eãdem ſententiam videtur conuolaſſe. cùm enim Hippocrati inconſtantiæ maculam & contrarietatis inuſsiſſet; quòd partum modò decimum menſem non pertranſire poſſe ſcripſerit, modò ad vndecimum protolli conceſſerit; priorem ſententiam, quòd ſcilicet non poſsit ad vndecimum differri, Imperatorem Iuſtinianum inquit hoc eſſe in loco ſecutum; ita tamen quòd ſi per duos dies poſt decimum editus fuerit, non videatur ab eo reiectus. Quod verò pertinet ad verba illa, vndecimo menſe perfecto, græca adducens, dicit ſententiam eſſe poſſe, non ſolùm ſub finem vndecimi mẽſis, vt Holoandro placuit, ſed etiam iuxta, vel propè, vel circa vndecimum menſem perfectum, ſiue etiam poſt vndecimum mẽſem perfectum; vt propterea ambiguum ſit in textu Iuſtiniani, vtrum intelligatur poſt menſem, vel propè menſem completum mulierem illam peperiſſe. Neq; ab hac ſẽtentia Iacobus Menochius, vt eodem libro patet, tranſuerſum (vt aiunt) digitum diſcedit; qui diligenter hunc locum, & accuratè videtur expendiſſe. agens enim de partu decimeſtri, ac ſtatuens, partum tot menſibus genitum ex Hippocratis ſententia vitalem eſſe, ac naturalem; atq; Iuriſconſultos opinionem hanc eſſe ſecutos; itẽ & Decemuiros in Legibus Duodecim Tabularum; admonet primùm decimeſtre hoc ſpatium ita eſſe accipiendum, vt non de menſibus decem exactè expletis intelligatur, verùm etiam ſi duobus, vel tribus diebus ante, vel poſt decem menſes ocyus, vel ſerius in lucem partus veniat, decimeſtrem nihilominus eſſe pronunciandum; quod & Gloſſam, & Bartholum, & Socinum de Gẽtilis medici auctoritate ſenſiſſe tradit; quin etiam & Ariſtotelem, qui dum ſeptimo Hiſtoriarum ſcripſit, nonnullas mulieres vndecimum attingere, nil aliud videtur ſignificaſſe, niſi quòd partus nonnullis poſt exactũ decimum diebus naturaliter edi poſſit ac geſtari, ad vndecimiq; initium peruenire. Hoc poſito adiungit, decimeſtre hoc ſpatium ſecundum Hippocratis opinionem à conceptionis die eſſe numerandum; ita vt ab ipſa conceptione ad infantis exitum menſes decem computentur. His de partu decimeſtri definitis; admonet ſecundò, D. Hadrianum alteram ſecutum opinionem, quòd ſcilicet mulier vltra decimum menſem vterum ferre poſsit, duplici de cauſa ab Hippocratis ſentẽtia diſcrepare; tùm quia partum ad vndecimum protolli voluit; tùm quia menſes ipſos non à conceptionis die, ſed à die mortis teſtatoris videtur enumerare. Demum tertiò admonet, D. Iuſtinianum in hoc loco Hippo-

Cap. 7.

Cap. 4.

pocrati consentientem, ab Hadriano toto Cœlo dissentiẽtem, vndecimestrem partum omnino reijcere; adiungens, siue legamus cum Holoãdro sub finem vndecimi mensis, siue cum alijs vndecimo mense perfecto, varietatem hanc nullius esse momenti; cùm siue infans vndecimo mense perfecto, siue ad finem vndecimi nascatur, nihilominus vtroq; modo censeri debeat illegitimus: ac de insigni hoc demum, atrociq; Imperatorum bello, legibus non armis hoc loco digladiantium, ita statuit. operæprecium .n. est ipsius verba, quæ primo libro adduximus, in tanta re hîc rursus recensere. Et
„ dum Iustinianus (inquit) computat vnde-
„ cim menses à die mortis viri, verè ab Ha-
„ driano relato iam dissentit; qui, vt animad-
„ uertit Alciatus libro tertio Paradoxorum
„ cap. 7. vndecim menses à die mortis viri
„ mulierem partum ferre posse sensit: quan-
„ quam Perotus in l. Gallus in principio n.
„ 12. Alciatũ reprehendit & malè: inquit .n.
„ Iustinianum sic statuisse de vndecimo men-
„ se perfecto, Hadrianum de imperfecto; &
„ ob id credendum esse, quòd non aliter sta-
„ tuisset Hadrianus, quàm Iustinianus simi-
„ li causa proposita. Ego credo, quòd ita
„ Hadrianus statuisset; sed vice versa nõ cre-
„ do, quòd Iustinianus idem quòd Hadria-
„ nus de vndecimo mense imperfecto à die
„ mortis viri constituisset; cùm is terminus
„ decem menses & duos dies excedit; nisi ca-
„ sus Hadriani fuisset, quòd decem mẽses es-
„ sent, & duo dies, & vir fuisset incolumis
„ ea die, qua deinde est mortuus.

Peroti interpretatio verborum Iustiniani ex Menochio. Item nonnullorum Recentiorum sententia de eorundem explicatione. Graues quędã mouentur difficultates aduersus allatas interpretationes.

Cap. 49.

HAec ille; ex cuius verbis Peroti quoq; elicimus interpretationem, à Socini, Alciati, Tiraquelli, & Menochij interpretatione penitus diuersã; qui hæc certamina dirimere eo consilio conatus est, vt diceret, inceptum vndecimum Hadrianum recipere, Iustinianum confectum vndecimum respuere, vel etiam affectum; ideoq; nullam inter illos esse dissensionem; cùm ipse Iustinianus vndecimo genitum non reijciat omnino, scilicet sub initium huius mensis editum, quod ad diem vsq; decimũ ipsius extendi posse, rationi videtur consẽtaneum. Nec defuere alij, quos & recenset, & sequitur Spanochius inter principes huius seculi Iurisperitos illustrisimus, atq; in Academia Bononiensi meritò hodie primarius in libro singulari ad l. GALLVS; qui hanc Peroti sequentes opinionem, vndecimestrem partum hoc in loco à Iustiniano admitti tanquam legitimum existimarunt; totum id de vndecimo incipiente non senescente intelligendum esse asserentes. Hæ sunt clarisimorum virorũ interpretationes; quæ tamen non videntur difficultates omnes labefactare. qualiscunq; enim sententia accipiatur, nisi aliud adiungamus aliquid, ingentes oriuntur controuersiæ. quandoquidem si dicamus, Iustinianum vndecimestrem partum omnino repudiare, tàm eum, qui incipiẽte, quàm eum, qui confecto vndecimo in lucem venit; certè & indecorum videtur, & absurdum, hosce Imperatores super eadem re, eodem accepto fundamento, contrarias leges promulgasse; cùm Hadrianus vndecimestrem partum ideo se recipere dicat, quia ex Philosophorum opinione id naturaliter fieri posse audiuit; ipse verò Iustinianus eundem partum idcircò reijciat, quia dicat, naturaliter fieri non posse, vt conceptio, & gestatio sit adeò diuturna. Prætereo Aristotelem, atq; Hippocratem Hadriano fauere, qui partum vndecimestrem videntur admittere; at leges in temporibus partus decernendis horum sequi auctoritatem, non semel superius fuit demonstratum. ex quò & altera grauis oritur dubitatio; ita enim & Sceuola & Vlpianus, qui post decem menses natum tãquam illegitimum repudiarũt, non solùm Hadrianum, sed Hippocratẽ etiam deseruisse videbuntur, & Aristotelem; quo rursus loco ipsius Hippocratis inconstantia à Tiraquello animaduersa modò decimum tantùm, modò etiam vndecimum recipientis, non leuem ingerit legentium animis difficultatem. Quòd si alteram sequamur interpretationem, quòd videlicet Iustinianus Hadriano consentiens vndecimo expleto natum reijciat, ineunte vndecimo genitum recipiat; maximarum dubitationum vndis nihilominus obruimur. ita .n. hæc Imperatorum sanctio cum alijs legibus pugnabit, quod videtur absurdisimũ; cùm Sceuola & Vlpianus, vt visum est, in decem mensibus à morte viri genitum admittendum esse statuant; post decem menses natum respuendum; Hadrianus verò è contra, ac Iustinianus vndecimo à morte viri

viri mense natum ad hæreditatem admittendum tanquam legitimum velint; vt ex diametro vtraq; sanctio pugnare videatur; cùm ab eodem termino, à mariti scilicet morte vtraq; ducens computationē, altera vndecimestrem reijciat, altera recipiat. quę sanè difficultas eò grauior apparet, quò ad variam mensium quantitatem confugere non possumus; cùm rationi consentaneum sit, immò & necessarium, tùm Iurisconsultos, tùm Imperatores eandem mensis quantitatem respexisse: de qua quidem re sequenti capite tractabimus.

Imperatorum sanctiones explicandę proponuntur. ac primùm qua mensis quantitate Iurisconsulti in dimetiendo partu vsi fuerint, aperitur.

Cap. 50.

HAe sunt & interpretationes variæ, & difficultates multæ, quæ Iurisconsultorum, Imperatorumq; circa decimestrem partum, & vndecimestrem placita considerantibus occurrunt. Quæ quidem vt è medio tollantur absurda, & Iustiniani & Gellij verba ad D. Hadrianum pertinentia, accuratissimè veniunt ponderanda. qui enim parum defigunt animos, & intendunt in eam veritatem, quam docent, quanta luce circumfusa sit non possunt agnoscere. Sed in primis illud est, de quo supra dubitabamus, demonstrandum tanquam reliquorum omnium fundamentum, quod septimo quoq; libro attigimus, Iurisconsultos ipsos (atq; de Imperatoribus idem est iudicium) in partus tempore dimetiendo, in gestatione computanda tricenarijs mensibus fuisse vsos: vt nulla ratione audiendi sint, qui, Lunares menses ex Hippocrate eos recepisse, affirmare audent; hoc enim tàm clarum est, quàm quod clarissimum. quod doctissimum virum Iacobum Cuiacium in Interpretatione Sētent. Pauli acutè video animaduertisse, atq; de Græcorum Iurisconsultorum sententia testatum esse: quos quidem Græcos Iurisconsultos, cùm nonnulli dicunt, vt periculum declinent, non correctam, neq; emendatam secutos esse gestationis computandæ rationem, certè, meo quidem iudicio, non videntur audiendi. Cuiacij autē

Li. 4. sent.

» hæc sunt verba. Tamen in hoc proposito » ex sententia Græcorum Iurisconsultorum » ita ineunda est computatio, vt singulis mē» sibus triginta duntaxat dies tribuantur; » qua ratione 182. dies septimum mensem at» tingunt. quo loco id ipsum eruditè probat Hippocratis testimonio ex secundo Epidemicon, & ex libro de Principijs; vt valde me pudeat, Iurisprofessores hac in re acutius, veriusq; eam vidisse veritatem, quam pleriq; Philosophiam profitentes conniuentibus, hebetioribusq; oculis cōspexerunt. hoc idemq; latinos quoq; Iurisconsultos voluisse, ipsa Pauli verba apertè docent, asserentis rationem Pythagorei numeri admittere, vt septimo pleno partus maturior videatur. Nam septimus mēsis secundum rationem Pythagorei numeri plenus nullo alio termino quàm die 210. clauditur, vt omnibus est compertum; siquidem hic dierum numerus tres hebdomadum decadas terminat, vt ad finem libelli de Principijs pulchrè Hippocrates declarauit; qui sanè dierum aceruus septem exactos menses conficit tricenarios: vt hac de causa Paulus septimum eo die finiētem, plenum septimum, scilicet exactum, & perfectum appellauerit. Quod & hac etiam altera probatur ratione; nam quod tempus apud Vlpianum in l. INTESTATO est dierum 182. interuallum, qui apud Seuerum Alexandrum summæ fuit auctoritatis; apud Paulum septimestre est, vt in l. SEPTIMO MENSE patet, qui eadem ætate floruit, licèt fortasse scripserit posterior; vt hi Iurisconsulti, quemadmodum fusius supra monstrauimus, se se mutuo explicare videantur. cùm enim die 182. perfectū partum gigni; item septimo tantùm mense, non antea, nasci similiter partum perfectum, ex Hippocratis sententia leges recipiant; dicendum necessariò videtur, dierum 182. interuallum (nisi turpiter pugnātia leges posuisse, fateri velimus) in septimum mensem incurrere. quòd cùm iuxta menses Iulianos verum esse nequeat, quia dies 182. neq; etiam sextum sic acceptum expletum conficiant, secundum verò mēsium tricenûm quantitatem verum sit; eò quòd dies 182. in secundum mensis tricenarij septimi diem incurrant; restat vt dicamus, iuxta menses tricenarios partus tempus latinos quoq; Iurisconsultos computasse. Quòd enim synodicis Lunaribus non sint vsi, tùm ea, quæ superius ex Paulo adducebamus, septimum plenum secundum rationem numeri Pythagorei accipiente, faciunt testatissimum; tùm ipsæ Glossæ perspicuè monstrant; quarum altera in l. INTESTATO ita scribit. Secundo » die, idest sexto mense, & duobus diebus » de septimo. altera verò in l. SEPTIMO »

» MENSE sic. Septimo scilicet incepto e-
» tiam non completo, ergo in sex mensibus,
» & vno die potest nasci, vt ff. de suis & le-
» git. hæred. l. intestato §. fin. quæ quidem prioris Glossæ sententia supposita tantùm ac recepta tricenarij mensis quantitate habet veritatem; cùm dies 182. iuxta menses tantùm tricenarios in diem septimi mensis secundum incidant. Nam si secundum Iulianos menses calculum ineamus, hæc dierum summa, vt iam diximus, septimum non attingit; si secundum Lunares synodicos, non duos dies de septimo, sed quinq; accipit. cuius quidem Glossæ auctoritate posterioris corrupta verba restituere possumus; cùm non, & vno die, vt perperam habent exemplaria, sed, & duobus diebus, sit legendum; eò quòd falsum sit, dies 182. sex menses tricenarios, & vnum tantùm ex septimo diem capere. quod eò magis verum esse censendum est, quò posterior Glossa priorem adducit, in eaq; positam sententiam explicare profitetur: prætérquàmquòd die 181. nasci partus maturus posset, si sexto expleto, & vno die eum excludi poneremus; quod Vlpiani verbis, Hippocratisq; auctoritati aduersatur. quæ omnia cùm nonnulli non intelligerent, Glossam hanc vtriusq; legis sentẽtiam subuertere literis mandarunt. Hinc Alciatus in Commentarijs de Verborum Significatione hos ipsos tricenarios menses agnoscens, & concedens, ita scribit. Sed hîc

L. cũ bissex. ff. de verb. sign.

» consueuit dubitari. Iudex mihi dilationẽ
» menstruam concedit, de quot diebus intel-
» ligemus? & cùm mensis absolutè fit men-
» tio, traditum est, triginta dies computari.
» tot enim diebus, cùm tardissimè à coitu
» Solis Luna remoratur, ad suas vices redit,
» cursumq; conficit. Menses autem à Luna
» dictos, ex Græcis accepimus; apud quos
» mensis μὴν Luna μήνη dicitur. ex quo quidem Alciati loco, vt in Compẽdio monuimus, satis clarè colligitur, quo sensu idem auctor in l. QVI MORTVI asseruerit, in partus negocio menses ex cursu Lunæ esse considerandos, non autem habito respectu anni, quem Cæsar ordinauit, de quo Hippocrates cæteriq; antiquissimi Medici diuinare non potuerunt. enimuero sine vlla dubitatione per menses ex cursu Lunæ confectos eos intellexit, quos in l. CVM BISSEXTVS tardissimum Lunæ motum & coitum tricenum dierum dixit constituere. Hinc (quod magis fortasse vrget) Imperator Iustinianus libro Codicis sexto triginta dies pro vno mense inbet computãdos, & nonaginta pro tribus; ex quò & Glossa dies sexaginta, adiũctis triginta, tres efficere menses inquit: vt nemini queat esse dubium, in computatione ineunda apud Iurisprofessores tricenarijs mensibus esse vtẽdum. Quòd si ex me causam sciscitèris, cur Iurisconsulti menses tricenarios in partus tempore computando adhibuerunt; ea mihi verissima occurrit, id propterea eos fecisse, quia, sicuti in decernendo partus tempore Hippocratem secuti sunt, ipsius auctoritate ineunte septimo non ante, ac die 182. nasci posse perfectum partum statuentes; ita & in gestatione computanda ea mẽsium quãtitate, qua ille vsus est, vti voluerunt. Ipsum nanq; Hippocratem, secus quàm plerique; etiam ex Recentioribus existimauerunt, iuxta tricenarios menses partus tempus potissimum computasse, iam satis libro septimo aperuimus; quam veritatem vnũ inter tot doctissimos viros Laurentium Oper. Anatom. libro secundo inuenimus tetigisse. quòd si Iulianos menses in dimetienda gestatione leges secutas dicamus, statim nutãt omnia, ac ruũt, dissensionibus omnia, ac rumoribus implentur. Nã, vt alia nunc taceam, menses Iuliani decem à morte viri dies habent 307. at, cùm id spatium apud Sceuolam, & Vlpianum, vt infra videbimus, à conceptione enumerari sit intelligendum; iam à conceptione ad partum contra Hippocratis Aristotelisq; decretum dies plures quàm 300. leges admitterent; quod videtur dictu absurdissimum. Hæc omnia cùm Quintilianus Mãdosius non perciperet, rectamq; hanc Veterum computandi rationem haudquaquã teneret in Commentarijs super Regulis Cancellariæ errore insigni Glossam legis INTESTATO reprehendere est ausus. ita scribens. Sed aduertendum est ad mẽ-

In l. fin. §. 1. C. de Iure deliber.

In Reg. 19. quæst. 7. n. 7. & 8.

» ses ipsos. Astronomi enim à die concep-
» tionis computant secundum cursum Lunę;
» & sic de mensibus Lunaribus loquuntur,
» qui breuiores sunt illis, quibus vulgo vti-
» mur. & ista tutior erit supputatio quàm
» facta per gl. vbi supra. nam secundum hãc
» dies 182. constituunt vltrà sex menses Lu-
» nares integros aliquid; secundum Glos-
» sam non video sex menses venire integros. & paulò supra dixerat, in Iulianum, vt reor, annum mentem intendens, hanc dierũ 182. summam, cùm menses inueniantur, qui habent dies 31. sex menses non excedere. Sed certè animaduertendum huic viro erat (quod satis supra explicauimus)

neq; Hippocratem, neq; Veteres de Iuliano anno, vt rectissimè dixit Alciatus, diuinare potuisse; neq; per alios ferè menses quàm per tricenarios gestationis fecisse computationem; & propterea Glossam rectè sensisse; demumq; iuxta illius computandi rationem, non solùm sex menses venire integros (quod Mandosius negat) sed etiam de septimo dies duos.

Gellij verba ad Diui Hadriani decretum pertinentia explicantur.

***Cap.* 51.**

Hoc igitur recepto fundamento, iam ipsas Imperatorum sanctiones perpendamus. Ac primùm, vt ab Hadriano ordiamur, quis est, qui non videat, vndecimum mensem ab eo non à conceptione, sed à iactu seminis in matricem computari? atq; à mulieris cum viro coniunctione? inquit enim Gellius, factum esse negociū propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepisset. cùm enim à conceptione ad partum, vt nos ex Hippocrate libro septimo ostendimus, non possint naturæ lege plures esse quàm menses decem; illa autem mulier vndecimo à mariti morte mense peperisset; iure de partu ipso ambigebatur, an esset legitimus, quia temporis ratione oporteret conceptionem post mariti mortem factam esse, ac proinde ex alio viro facta videretur: vt qui diuina Hippocratis scripta non legerint, eiusq; sententiam ignorant, & naturæ modum, ac legem in conceptione ab eo explicatam, in communiq; errore versantes arbitrantur, statim ac semen vterum subierit, conceptionem fieri; dicere cogantur, non ex marito mulierem illam, sed ex alio viro concepisse; Hadrianiq; consilium, & quo fundamento partum illum legitimum declarauerit, nullo modo valeant attingere. Hoc igitur est, quod Gellij verba significant acutè introspecta; factum enim negocium fuit totum propter temporis rationē conceptionis causa; quoniam Decemuiri in decimo mense à conceptione ipsa, non in vndecimo gigni hominem scriberent, & rectissimè scriberent; idcircòq; post mariti mortem conceptionem factam concluderent Aduersarij; proindeq; ex alio viro. At verò Hadrianus causa cognita decreuit, in vndecimo quoq; post mariti mortem mense partum edi à muliere posse; idcircò partum illum esse legitimum. decreuit autem id, quoniam veterum Philosophorum, ac Medicorum sententias requisiuit; sed quorum nam aliorū requirere potuit præterquam Hippocratis & Aristotelis? ab his autem edoctus, quid amabò aliud valuit addiscere, nisi quòd & conceptio suos habet dies, quibus iudicetur, & suā periodū, quę illam dimetiatur? ideoq; p aliquot dies semē in vtero manere sit necesse, antequam fiat? hoc enim iam septimo libro expositū abūdè à nobis fuit. At quid ex hoc sequebatur? sequebatur necessariò, secus quàm Aduersarij existimarent, post mariti mortem fieri potuisse conceptionem. cùm enim rari & inopinati casus raras etiam & singulares adnexas habeant conditiones, fatendum necessariò est (quod acutissimè Menochius circumspexit) virum illum, qui prægnantem vxorem reliquit Hadriani tēpore, vel ea die, qua deinde mortuus est, incolumen extitisse, ac rem cum vxore habuisse, & improuisa subitaq; morte postea correptum decessisse; vel certè intra triduum; quod non semel euenire videmus plerisq; in ipso ferè concubitu morientibus, siue ob nimiam intemperantiam, siue aliqua etiam alia de causa. Rectè igitur summus Imperator, cui fœminæ optimi mores comperti erant, ac nota pudicitia, cùm sciret suos dies habere cōceptionem, quibus fiat, ac periodum propriam de Hippocratis & Aristotelis sententia, quam seruet, partum illum, in vndecimo mense post mariti mortem editum, legitimum esse declarauit; quoniam & attingere partum vndecimum posse mensem, si à seminis eiaculatione calculum subducamus, ex Hippocrate didicit & Aristotele; & conceptionem fieri potuisse in muliere illa post mariti mortem propterea cognouit. Atq; hoc loco animaduertendum est, rectè Gellium dicere, in vndecimo mense mulierem illam peperisse, & in vndecimo statuisse Hadrianum, partum edi posse: in vndecimo enim dixit, vt significaret, in vndecimi ingressu & ineunte vndecimo, quasiq; incipiente mulierem illam peperisse, non finiente ipso, vel confecto; vt de partu vndecimi initium, ac tertiam vix partem ipsius attingēte decretum omnino ab Hadriano latum intelligatur: eò quòd, vt Hippocrates docuit, tetigitq; Aristoteles, partus vndecimum tangere, & apprehendere posse videatur, quia ad dimidiatam ipsius partem, si ab apparitione menstruorum computatio fiat, possit peruenire, si ab initu, ad partem ferè tertiam; vltimos verò vndecimi mensis dies, vel mensem totum nequa-

quam

quàm valeat naturaliter attingere. quæ omnia, ex eis, quæ libro septimo disputata sunt, apertissimè colliguntur. Atq; hoc loco neq; etiam hoc alterum prætereundũ est; si Hadrianus in vndecimo mense partũ edi posse statuit, possibiliter accidentia sua lege respexisse; quod tamen nec fieri posse, nec debere Socinus vterq; contendebat.

Superior explicatio plenius comprobatur. Cap. 52.

HAec igitur & sanctio fuit Hadriani, & causam sanctionis; qua ne minimum quidem Decemuirorum auctoritatem labefactauit, vel duodecim Tabularum leges; cùm enim illi à conceptione ad partum decem tantùm esse menses posse statuerent; idcircòq; ex eorum decreto ab illo partu ad conceptionem tot numerare oporteret, secundum quam calculi rationem conceptio facta post mariti mortem inueniebatur; hoc totum Hadrianus cõcedens, ac dies prӕterea cõsiderans, qui à seminis eiaculatione, & viri cum muliere coniunctione ad conceptionem vsq; præterierant, qui septem esse solent, vt septimo libro vidimus; & plures in ea muliere esse potuerunt (animi mærore ob viri mortem & tristitia, quæ plurimum lædit naturales operationes, cõceptionẽ etiam retardantibus) vndecim menses ab ipsa viri morte, & quod in idem redit, ab ipsa seminis eiaculatione computandos esse docuit. non ab ipsa conceptione: ita vt circiter septimam, octauam, vel nonam etiam vndecimi mensis diem partus ille editus legitimus videretur existimandus. quod sanè Hadriani consilium cùm Recentiores nonnulli non attigerint, contra Decemuirorum sententiam vndecimestres omnes ipsum approbasse tradiderunt. Hanc ego verborum Gellij veram interpretationẽ, hoc verum Hadriani consilium fuisse arbitror, quo permotus eum partum approbaret; idq; totum ex verbis illis colligo, quibus negocium factum, & propter rationem temporis, & propter conceptionem Gellius dicit. scribit enim sic, vt su-
» pra vidimus. factumq; esse negocium pro-
» pter rationem temporis, quasi marito mor-
» tuo postea concepisset. ex quibus, si quis aciem intendat, & difficultatem totam cõperiet circa ipsam extitisse conceptionem; an scilicet fieri potuisset, quòd post mariti mortẽ conceptio ipsa facta esset; & quasi ex densissimis tenebris eam veritatis lucem, quam ostendimus, videbit emicare; vt nullum aliud fundamentum & summi Medicorum, & summi Philosophorum auctoritate vel etiam fingentibus occurrat, nisi hoc vnum ab ipsis iactum, & firmatum, quo in vndecimo mense partum edi posse, partumq; mulieris illum legitimum esse, Hadrianus decernere potuerit; & quo Hippocrates & Aristoteles humanum partum ad vndecimum peruenire posse decreuerunt. Qua in re hoc quidem alterum maxima dignum animaduersione considerandum est, haud satis, meo quidem iudicio, à tot grauissimis viris adhuc perspectum, qui in hisce cõtrouersijs componendis laborarunt; videlicet Imperatoris Hadriani huiusmodi decretum de partu vndecimestri non fuisse vniuersale; quasi omnes à viri morte vndecimestres tanquam legitimos admitti voluerit ad bonorum hæreditatem; sed fuisse omnino vel singulare, scilicet de partu illo mulieris, vel certè particulare, nempe de illis vndecimestribus, in quibus similes haberent locum conditiones. quod sanè maximi esse momenti ad tantas conciliandas contrarietates paulò infra ostendemus. atq; hoc Gellij verba haud obscurè significare, facilè quisq; accuratè ea perpendens, sibi persuadebit;
siquidem scribit. Sed D. Hadrianum cau- »
sa cognita decreuisse, in vndecimo quoq; »
mense partum edi posse, idq; ipsum eius »
rei decretum nos legimus. In eo decreto »
Hadrianus id statuere se dicit requisitis »
veterum Philosophorum, & Medicorum »
sententijs. Itaq; edi à morte viri posse in »
vndecimo partum decreuit, non edi simpliciter, quia id non semper verum sit, sed aliquando contingere possit, vt in aliquo vndecimestri particulares quædam conditiones locum habeant, quæ illum legitimũ reddant; quod non omnibus euenit; nam & propterea illum esse legitimum causa cognita definiuit. si enim vniuersaliter omnes à mariti morte partus posse ad vndecimum proferri existimasset, nulla certè cognitione causa eguisset: at quia cognouit causam illam, vt Gellius inquit, sic decreuit Hadrianus. cognouit autem primùm, vt paulò supra ex ipsius verbis collegimus, fœminam illam bonis, atq; honestis esse moribus, neq; ambigua pudicitia. quod quidem tanti momẽti est apud Principem, vt partum alioqui à legibus reiectum, legitimum declaret: quæ tamen declaratio singularis est, & quasi cautio quędam, & exceptio regulæ vniuersalis, neq;

vniuersalem tollit sanctionem. Deinde (quod omnium est maximum) cognouit marito mortuo postea mulierem illam cõcipere potuisse, sic Medicorum, Philosophorumq; sententijs affirmantibus; nempe quia, vt supra dicebamus, maritus eadem die, qua morte deletus est, incolumis existere, vel paulò ante potuit, & cum vxore coniungi; quæ res, vt vidimus, computatione facta à seminis eiaculatione ad vndecimum mensem producere partum potest. Sic igitur Hadriani decretum, mea sententia accipiendum. Quòd si plerisq; mea hęc interpretatio vel subtilior videatur, vel obscurior (aliquos enim futuros suspicor, qui me & vetera relinquere, & noua introducere velle, & ea quidem peregrina fortasse dicant) vnusquisq; vtatur suo iudicio; nihil enim impedio. operam nanq; & oleum me non perdidisse existimabo, si videam doctis viris probatã esse, & ijs, quos ego arbitror posse iudicare. Nec verò arroganter hoc dictum existimari velim; nam philosophandi scientiam concedens omnibus, quod est diligentiæ proprium, obscuriores Hippocratis & Aristotelis locos, & quasi tanquam desperatos aliquos ab alijs relictos, dies noctesq; euoluere; atq; inter se, & cum alijs horum Auctorũ scriptis conferre, nulloq;, vt apertiores fiant, labori parcere; nihil dicere in illis interpretandis, quod eorum aut verbo, aut ratione non nitatur; quale & id esse, quod modò disserui, profiteor; quoniam in hoc studium quantum conniti animo possum incumbo, si id mihi assumo, videor id meo iure quodammodo vendicare. Sed nescio quo modo plerique errare malunt, eamq; sẽtentiam, quam adamauerunt, pugnacissimè defendere, quàm sine pertinacia, quid constantissimè dicatur, exquirere.

Imperatoris Iustiniani verba enarrantur; aliorum confutantur interpretationes.
Cap. 53.

CAeterum verbis Gellij expositis de Hadriani decreto, vt referam me ad ordinem, Iustiniani locus venit expendẽdus; in quo scriptum legimus, cùm mulier quædam post viri mortem vndecimo mense peperisset, & defuncti viri hæreditatem filio tanquam legitimo dari peteret; Iustinianum aduersus partum pronunciasse; quoniam indubitatum existimaret, & impossibile tanto tempore mulierem vterum gerere: atq; hæc sunt græca ipsius verba, quibus id totum explicatur. ea enim adducere cogimur, postquam de vera illorum interpretatione, vt superius vidimus, apud Iurisprofessores non exigua est dissensio.

» Οὔπω γὰρ ἐξήκοντος τοῦ ἔτους κατὰ τὸν ἐνδέκατον μῆνα περαιούμενον ἔτεκεν. ὥστε οὐκ εἶναι δυνατὸν εἰπεῖν, ὡς ἐκ τοῦ τελευτήσαντος γένοιτο τὸ βρέφος. οὐ γὰρ ἂν εἰς τοσοῦτον ἡ κύησις ἐξελάθη χρόνον. At verò horum verborum interpretationem hanc esse, & nullam aliam nemo dubitare potest vel mediocriter græcis literis eruditus.

» Nondum enim confecto anno, vndecimo mense transacto, peperit; vt dicendum sit, non esse possibile, partum ex defuncto viro esse genitum; propterea quòd in tantum tẽpus gestatio non proferatur. Verùm hîc primò elucet, Iustinianum de partu, qui vndecimo mense confecto editus sit, sermonem habere; ita vt expleto vndecimo, duodecimoq; ineunte in lucem venerit; hunc verò ea ipsum reijcere ratione, quia naturæ lege fieri nequeat, vt gestatio in tàm longum tempus proferatur: quæ quidem sententia & verissima est, & satis ex Hippocrate & Aristotele libro tertio & septimo comprobata; cùm, si etiam ab apparitione menstruorum calculum subducamus, nullus partus in vndecimi mensis finem, ac duodecimi principium naturaliter possit incurrere. Quòd si vulgatam sequamur interpretationem, quæ pro gestatione conceptionem habet; ita enim in ea scriptum legimus, vt ex superioribus patuit. » Neq; enim in tantum tempus cõceptionis extensum est. » siue quòd vocem κύησιν placuerit Interpreti in hanc accipere significationem; quod Hippocrati libro primo de Mulierum Morbis est vsitatum, Aphorismorum quinto secto, & in Opusculo de Superfœtatione, vbi verbo κύησκεται passim vtitur pro λαμβάνει, quod est in vtero concipere: qua in re Aristotelem quinto de Historia Animalium de suum conceptione agentem eum secutum video; siue quòd in exemplari gręco habuerit pro κύησις, σύλληψις; si hanc, inquam, sequi velimus interpretationem, pulchrior fortasse, licèt obscurior horũ verborũ enodatio succurret cum superiori consentiens. cùm enim pro conceptionis modo, vt septimo libro ex Hippocrate explicatum est, partus gestatio ocyor fiat, vel diuturnior; Iustinianus pulchrè ex conceptione argumentũ sumens de gestatione, partum ad vndecimum vsq; mensem confectum protolli nõ posse dixit; quia nec ipsius conceptionis tempus in tàm lõgum tempus proferatur,

Aph. 62.

vt gestationem adeò diuturnam reddere valeat, vt vndecimi medium, nedum finē attingat, etiam si à mariti morte, ac seminis eiaculatione calculum subducamus. cuius quidem consequentiæ vim & necessitatem hi facilè omnes cognoscere poterint, quibus ea accuratè legere non pigebit, quæ libro septimo ex Hippocratis mēte hac de re vberrimè disputauimus: hoc enim in loco rem ipsam indicasse satis fuerit. At enimuero his ita cognitis nullam earum interpretationum, quas superius attulimus, sequendam esse, satis constat. prior enim, quæ Socini fuit, præterquàm quòd in terminis decimestris partus præfigendis inconstans est; cùm modò ad exactū vsq; decimum gestari posse, modò per duos insuper post decimum expletum dies statuat: illud etiam habet incommodi, quòd velit, Iustinianum vix decimestrem exactum recipere, omnem verò vndecimestrem repudiare; cùm tamen, vt supra vidimus, apertissimis verbis de partu edito vndecimo confecto mense, & duodecimo ineunte sermonem habeat Imperator; atq; hunc tātùm reijciat: vt nullam hinc valeant Iurisprofessores coniecturam captare, nisi omnino leuem, & nutabundam, quòd partū vndecimo incipiente mense prodeuntem Iustinianus pariter reijciat; cùm insignis sit temporis inter vtrosq; differentia. eademq; ratio Alciati, Tiraquelli, & Menochij redarguit explicationem; qui omnes miro consensu Iustinianum vndecimestrem omnem reijcere, atq; ab Hadriano dissentire pronunciarunt. quorum vtrunq; à veritate alienissimū esse, satis superiora docuerunt; cùm Iustinianus de partu post expletum vndecimum edito loquatur, dicens „ κατὰ τὸν ἑνδέκατον μῆνα περαιδμαινον. quæ verba nedum affecto, sed confecto, præterito, transactoq; mense vndecimo sonāt, & duodecimo ineunte; quod vt significaret Imperator, propterea adiecit verba illa. „ non „ dum anno expleto. quibus, cùm annus mense confecto duodecimo expleatur, perspicuè docuit, se exacto vndecimo, duodecimo verò incipiente, & sic nondum cōfecto anno, sed certè eo mense, in quo cōficitur, puerum fuisse editum intelligere; de eo verò, qui initio vndecimi editur, nullum habeat verbum: vt diuinare id sit, nō constans aliquid proferre, si & ab Hadriano eum discrepare, & initio vndecimi prodeuntem fœtum pariter fuisse reiecturum, dicere velimus. Qua in re eò grauior est Tiraquelli lapsus, quò & Iustiniani verba hunc eundem habere sensum ipse quoq; fateatur: vt scilicet duodecimi mensis initio genitum potius, quàm vndecimo natū videantur reijcere.

Menochij nonnulla peculiariter reijciuntur. Peroti sententia Cuiacij etiam auctoritate comprobatur.

Cap. 54.

NEc verò Menochius audiēdus est, cùm Hippocratem à conceptione (quasi semper ita voluerit) gestationem computare scribit; & cùm Hadrianum ab ipso dissentire Hippocrate adiungit; tùm quia nō enumerat gestationem à conceptione, sed à die mortis viri; tùm quia partum ad vndecimum proferri concedit. Nam & ab apparitione menstruorum non à conceptione tantùm gestationis calculum ineundum Hippocratem præcepisse, septimo libro demonstrauimus; & ad vndecimum vsq; ipsam posse proferri gestationem docuisse. diem verò mortis viri cum conceptionis tempore coincidere, infra demonstrabimus; vt in nulla re Hadrianus ab ipso discrepare videatur. qui si à die mortis viri gestationem putans errauit, atq; desciuit ab Hippocrate, vt vult Menochius; iam & Sceuola, & Vlpianus, & Iustinianus errasse dicendi sunt, gestationis tempus à die mortis viri pariter computantes. qui profectò Menochius dum concludit tàm finem vndecimi, quàm vndecimum confectum partum illegitimum habere; quibus ostendit de hoc partu Iustinianum loqui; quo modo postea vndecimi initio prodeūtem reijci ab ipso Iustiniano potuerit arbitrari, equidem non video; quo fundamento inter ipsum, & Hadrianum esse hac in re certamen pronunciare, non perspicio: vt propterea, contra quàm ipse existimauerit, & Alciatum reprehendendum, & Perotum maximè laudandum censeam; qui summa cum laude veritatem & vidisse acutè, & docuisse alios, mihi videtur, dū scripsit, inter hos Imperatores nullam esse dissensionem; quoniam alter partum vndecimo ineunte genitum recipiat, alter vndecimo confecto genitum condemnet. Hinc eiusdem Menochij illud parum habet, meo quidem iudicio, firmitatis, Iustinianum partum decem menses, & duos dies excedētem non fuisse recepturū; cùm, si à viri cum muliere coniunctione calculum ducamus, septimum, octauumq; etiam

vn-

vndecimi mensis diem partus naturaliter posit attingere. Restat igitur vt Peroti, & eorum, qui ipsum secuti sunt, opinio ad veritatem propensior existimetur; quam Peroti sententiam Cuiacium secutum esse video Interpretationum ad Receptas Pauli sententias libro quarto ita scribentem.

Tit. 9.

» Nono autem, & decimo, & vndecimo à cō- » ceptionis die legitimi partus fiunt. non » tamen vndecimo à morte mariti ex 12. » Tab. sed decreto quodam Hadriani, etiam » vndecimo à morte mariti mense partus le- » gitimus fit. quod defendi potest partu e- » dito sub initium vndecimi mensis. Nam si » sub finem editur, proculdubio illegitimus » est Nouell. 39. Cùm verò summus hic sit » pariendi terminus &c. Hæc ille; qui, vt patet Hadriani decretum de vndecimi initio, Iustiniani sanctionem de eiusdem fine intelligendam censet cum Peroto consentiens; adeò vt nullam putet idcircò inter hos Imperatores esse cōtrarietatem. quod quidē etiā idem Cuiacius in Nouellarum Constitutionum expositione confirmauit

Const. 39.

» his verbis. Secunda pars huius Nouellæ » est de muliere, quæ parit vndecimo mense » post mortem viri, idest quæ ex stupro pa- » rit. partus enim hic iustus non est, si eda- » tur sub finem vndecimi mensis; si sub ini- » tium, iustus est ex decreto quodam Hadria- » ni. Quod de 13. mensibus scriptum est » Plinij 7. cap. 5. est corruptissimum. In » veteribus ita lego. Massurius auctor est, » L. Papyrium Prætorem cohærede lege agē- » te bonorum possessionem contra eum de- » disse, quum mulier partum se decem men- » sibus diceret tulisse. Hæc verò quæ stupro » se polluit intra annum lugubrem, præter » pœnā stupri, eisdem etiam pœnis obstrin- » gitur, quibus illa, quæ immaturas nuptias » contrahit, de quibus Nou. 22. Hæc enim » quæ stupro se polluit intra annum, odio » certè non est indigna minore: liberis enim, » & defuncto iniuriam fecit; illa soli defun- » cto quā nubit luctu non peracto: quā nu- » bit iterum, etiam liberis. Demumq; nec aliud libello de Diuersis Temporum Præscriptionibus & terminis statuere visus

Cap. 19.

» est. Septimo (inquit) mense nasci perfe- » ctum, & legitimum l. septimo mense D. de » stat. hom. quod Pythagoreo numero Pau- » lus adscribit quarto Sentent. tit. 9. & Cen- » sorinus de Die Natali. Septimo (inquit) » partum iam esse maturum, eò quòd in om- » nibus numeris septenarius plurimum pos- » sit. Idem & alij innumeri. Sexto vel oc- » tauo perfectus non nascitur. Vndecimo » mense à morte mariti genitus non est legi- » timus ex Nou. 39. quod pugnat cum re- » scripto quodam Hadriani, de quo Gellius » libro tertio; quod ita potest defendi si eda- » tur sub initium mensis vndecimi, non sub » finem.

Cuiacij nonnulla, & Costani refelluntur. Obiter Hippocratis mēs in Opusculo de Partu octomestri de gestatione vndecimum attingente rursus declaratur.

Cap. 55.

HAec ille; in cuius tamen disputatione (vt verum fatear) duo sunt, quæ mihi displicent vehementer. primum, quòd vndecimo mense à conceptionis die editū partum legitimū putet, non à mariti morte mense vndecimo; cùm tamen constans sit Hippocratis sententia à conceptione ad partum non longius esse naturę lege posse, quàm decem mēsium interuallum. prætorquàmquòd & hoc recepto frustra laborabimus Hadriani decretum vndecimo mense à mariti morte editum legitimum esse partum statuens, cum Sceuolę & Vlpiani sanctione cōciliare, post decem à viri morte menses genitos reijciente: vt nullo modo audiendus Cuiacius videatur, plures quàm menses decem à conceptionis die ad partum enumerans; qui fortasse ea de causa lapsus est, quòd conceptionem necessariò factam esse oportere ante mariti mortē censuit, communi illo irretitus errore, quem septimus liber abundè confutauit, quòd statim ac semen vterum subit, conceptio fiat. ex quò & vndecimo mense à cōceptionis die partum legitimum esse generaliter statuens, vndecimum totum videtur recipere pro legitimo partu constituendo: quasi à conceptionis die toto vndecimo, à morte autem viri initio tantùm vndecimi legitimum prodire partum existimauerit. quod quidem si esset (vt veritatem hanc altero hoc firmissimo comprobem argumēto) nulla vnquam cadere posset de conceptionis die dubitatio. Nam vir animaduertens, qua die cum muliere congressus fuerit, ea ipsa conceptionem esse factam, si postea prægnans reperta sit, certus esset. At non solùm Hippocrati & Aristoteli ob causas iam pridem septimo libro expositas nō omnino certum est conceptionis tempus, sed hoc idem leges & recipiunt, & definiūnt, vt Decret. prima part. scriptum legimus, vbi Glossa sic habet. Quadraginta, »

Dist. 5. c. cū enixa.

quia

» quia tot diebus mortuus est partus ante
» infusionem animæ, sed fœtus fœmineus o-
» ctoginta diebus. secundum hoc videtur,
» quòd tempore, quo concepit, debet absti-
» nere: sed ratione dubitationis secus est:
» quia nescitur quo tempore concepit. Itē
» quia nescit vtrum masculum, an fœminam
» pariat. cùm enim, vt libro memorato o-
stendimus, & supra dicebamus, non statim ac semen in matricem cadit, conceptio fiat, sed rem hanc, sicuti & reliquas, periodo natura metiatur; hæc verò periodus non rarò ob mulierum virorumq; varia temperamenta, ob variam menstruorum ac genituræ dispositionem turbari possit; adeò vt vel aliquanto citius, vel aliquanto tardius fieri conceptio queat; iurè non statim, nec eadem die ac semen in matricem elapsum est, conceptionem fieri affirmamus; vt etiam huius periodi ratione post viri mortē (quod Cuiacium latuit) conceptio fieri possit: iurè conceptionis diem non omnino esse certum, legem statuere dicamus. delirium enim Astrologorum illud quòd ex Hermetis regula conceptionis hora inueniri possit, quam & eandem esse putant cum hora casus seminis in matrice; sequens liber confutabit. Alterum, quod in hoc viro reprehendimus, est, quòd, cùm Hadrianum & Iustinianum putet inter se consentire, & à morte viri vndecimi initio genitum admittere, non tamen dicit quo pacto non sint hi Imperatores à Sceuola & Vlpiano diuersi; qui à morte viri decimo tantùm mense genitum legitimum arbitrātur; quibus etiam parum sui memor ipsemet Cuiacius alio in loco assentitur, videlicet constitutionem 22. explicans; quo loco decem tantùm mensium spatium legitimum esse pariendi tempus videtur asserere; ideoq; olim tot menses luctui peragendo præstitutos. Si enim dicamus, hos Imperatores à conceptione menses vndecim computasse, Iurisconsultos à mariti morte mēses decem; patet responsionem esse nullā, quia ipsi quoq; Imperatores à morte viri, non à conceptione cōputarunt, vt ex Gellij verbis patet Hadriani decretum recitātis, & ex ipsa Iustiniani constitutione satis constat. Quanquam Antonij Giuberti Costani grauior fortasse lapsus, qui in Opusculo de Dotibus Iustinianum ab Hadriano faciens dissentaneum, permirumq; sibi videri scribens, quòd Iustinianus vndecimestrem contra Hippocratis Aristotelisq; auctoritatem, & decretum Hadriani illegitimum filium declarauerit, quid ad l. GALLVS, & l. INTESTATO, in quibus idem partus reijcitur, respondendum sit, nihil dicit; vt si has quoq; leges respuendas esse velit tanquam iniustas, imprudenterq; conditas, iam vniuersam legum vim, atq; auctoritatem, simulq; & dignitatem euerti, ac pessundatum iri sit necesse; in eo etiam non parum inconstās, quòd paulò post definit, mulierem, quæ vndecimo mense peperit, dote non esse multandam, veruntamen, quia de illa malè Iustinianus suspicatur, dicendum esse, nouella illa constitutione rerum à viro datarum amissionem duntaxat contineri: quādoquidem si partus hic legitimus est, ac naturalis, neq; etiam rerum datarum amissione videtur mulier esse multanda; vt prętercam non parum illum ab Hippocratis, Aristotelisq; mente aberrare, quòd sine vlla distinctione loquens, vndecimum totum videatur recipere. Nec altera ea in re Costanus magis recipiendus, quòd ex Hippocratis libello de Octomestri Partu elicere profitetur, partum vndecimum attingere, quoties menstrui fluxus ratione conceptio retardat. scribit enim. Nam ex Hippo- »
crate libello de Octomestri Partu, & Ari- »
stotele libro septimo de Historia Animaliū »
constat, vndecim mensium effici posse par- »
tus, quoties propter menstrua purgamen- »
ta conceptus tardarent. Primùm enim nō »
dixit Hippocrates, quoties propter menstrua purgamenta conceptus tardabunt, vndecim mensium effici partum posse; sed, vt septimo libro expositum est, quoties, mulier vltrà plenilunium concipit, dies 280. vndecimum apprehendere; quod longè est diuersum. quod enim de partu dierum 280. Hippocrates scripsit, Costanus ad partum omnem generaliter transfert, communem sequens errorem: cùm alioqui, vt libro memorato diximus, non sit necesse, omnem partum vltrà plenilunium conceptum vndecimum attingere mensem. quanquam enim quę mulieres diutius purgantur, hæ vltrà plenilunium soleant concipere; easdemq; partu suo vndecimum apprehendere sit consentaneum; nempe quia, vt ibi fusè suis locis explicatum est; quæ mulieres diutius expurgantur, diutius etiam naturę lege concipiunt, & partum gestant, adeò vt ad nonomestres, ac decimestres enitendos natura sint propensæ; vt his de causis de talibus sermonem eo loco habens Hippocrates, deq; talium conceptibus, rectissimè & supponere, & affirmare potuerit, partum concipi post plenilu-

nium

nium & dierum esse 280. & vndecimum apprehendere; tamen quia vidit vir acutissimus, id non in omnibus, quæ vltrà plenilunium concipiunt, habere veritatem: nẽpè quoniam hoc etiam tempore concepti septimestres edi queant; ab illis scilicet mulieribus, quibus plenilunio menstrua commouentur, & quibus breuissima expurgatio est; qua de re libro memorato, & sequenti satis multa: item quia naturalium rerum ea sit inconstantia, vt eæ etiam mulieres, quibus menstrua citantur nouilunio, & quibus longissimus est expurgationis terminus, possint pro menstruorum temperamento, tametsi vltrà plenilunium concipiant, septimestres edere, octomestres, vel nonomestres, non semper partus dierum 280. & decimestres; propterea totum illud de dierum 280. partu potius, quàm generaliter de omni conceptu pronunciare voluit. Deinde tardare semper conceptus, idest conceptionem, propter menstrua purgamenta putauit Hippocrates, non tardare aliquando, vt voluit Costanus; videlicet vt nos explicauimus, à suscepto semine tot dies præterire, antequàm fiat conceptio, quot mulier solet expurgari. quare longè Costanus aberrat ab eius mente, dum hanc illi sententiã imponit. vt interim taceam, hoc dictum, quòd ob menstrua purgamenta conceptus tardet, perperam à Costano Aristoteli tribui; cùm solius sit Hippocratis, septimoq; Historiarum hac de re nullum apud Philosophum verbum habeatur.

Tres priores allatę superius dubitationes labefactantur.
Cap. 56.

IAm verò his ita constitutis quatuor superius allatæ dubitationes nullo negocio labefactantur, quæ ferè videbantur inextricabiles. Erat prima dubitatio, indecorum videri & absurdum, super eadem re Imperatores, eodemq; accepto fundamento leges contrarias promulgasse, Iustinianiq; decretum vndecimestrem partum reijciens præsertim nutabundum apparere; quem Hippocrates & Aristoteles videntur recepisse; quibus tantoperè leges tribuunt. Verùm huiusmodi dubitatio quo modo profliganda, ex superioribus facilè patet. Iam enim ostendimus, Iustinianum non omnem vndecimestrem reiecisse, sed eum tantùm, qui post initium mensis vndecimi, atq; hoc senescente, vel confecto mense in lucem venerit, vt acutè Perotus animaduertit; quem Cuiacius secutus est, ac pleriq; alij, vt ex Spanochio supra colligebamus; quare ipsius sanctio cum Hadriani sanctione vndecimi (vt vidimus) initio editum partum recipiente minimè pugnat, neq; cum Hippocratis, & Aristotelis decretis. Quam profectò solutionem longè esse probabiliorem, quàm si cum nonnullis Recentioribus dicamus, Iustiniani opinionem nimis seueram esse, & ideo minimè recipiendam; idq; etiam sensisse in Paradoxis Alciatum, facilè quisq; confitebitur: præsertim cùm neq; Alciatus ibi asseruerit, huiusmodi decretum iniustum esse, & non sequendum, vt supra vidimus (nam quis tàm audax esse potest, qui non recipiendas leges audeat asserere?) sed tãtùm esse ad summum rigorem statutum. Secunda erat difficultas, & longè grauior, si Hippocratem, & Aristotelem dicamus vndecimestrem partũ recipere; iam statim leges ipsas, Sceuolæ, inquam, & Vlpiani sanctiones horum placitis repugnare, quæ decimestrem tantùm admittunt. at facilè huic quoq; ex superioribus responderi, satis constat; Hippocrates nanq;, vt toties exposuimus, menses decem à conceptione numerat, menses vndecim ab apparitione mẽstruorũ, vel à seminis eiaculatione; à quo non dissentit Aristoteles: qui fortasse septimo Historiarum dicens mulieres septimo, octauo, nono, ac decimo parere; nõnullas verò vndecimum attingere, intellexit, septimo, octauo, nono, ac decimo à conceptione fœminas partum edere: postremum verò illud (quòd scilicet ad vndecimum gestando perueniant) nonnullis tãtùm accidere, quasi rarò dixerit, ac præter naturam; vt si pluribus concedatur euenire, id tantùm si ab apparitione menstruorum, vel à seminis eiaculatione calculum subducamus, existimauerit habere veritatem, non ab ipsa conceptione. Propterea quarto libro de Animalium Ortu in mensibus percensendis partui dedicatis vndecimum prætermisit, quia illos à conceptione numerabat, nec ipsi certò constabat, an verè à conceptione partus vndecimum posset naturaliter attingere. At Sceuola, & Vlpianus, tametsi à morte viri decimestre spatium videantur numerare, re vera simul etiam, vt paulò infra ostẽsuri sumus, ab ipsa conceptione calculum subducunt; quoniam quod vt plurimum fit respicientes, cùm vir moritur, vel esse factam conceptionem supponunt, vel fieri circa eum

Cap. 4.

diem

diem: qua de re paulò post latius disseremus. quare nulla est inter Philosophię magistros, atq; hos Iurisconsultos contrarietas; cùm hi postremam sententiam horum Philosophorum, quæ pro lege condē da illis seruiebat, quòd scilicet à conceptione ad partum tempus non detur longius, quàm decem mensium, in sanctionibus expresserint. Tertia dubitatio Hippocratis nobis circa partum decimestrem, & vndecimestrem obijciebat inconstantiam; sed hanc ex his, quæ modò in secundæ solutione diximus, profligatum iri satis elucet. cùm enim modò à menstruorum apparitione, modò à conceptione ipsa computationis ducat Hippocrates initium; ac primo modo ad vndecimum, secundo, ad decimum tantùm gestationem produci posse velit; in Opusculo de Natura Pueri secūdam hanc computandi rationem ob oculos habens, decimum pertransiri non posse definiuit; in libro de Partu Octomestri primam respiciens, ad vndecimum perueniri dixit. quare cùm à diuersis initijs gestationem in his locis metiatur, nulla est in eius dictis contrarietas.

Pro quarta soluenda dubitatione nonnulla præmittuntur; ac primùm, cur Sceuola & Vlpianus decē menses enumerēt à viri morte, nec plures, nec pauciores.

Cap. 57.

QVarta & postrema, quam & difficillimam esse constat, & omnium grauissimam, opponebat; si Iustinianum dicamus Hadriano consentire, quòd scilicet ipse quoq; vndecimi initio genitum recipiat; maiores adhuc oriri difficultates: cùm hoc modo Imperatorum sanctio cum legibus ipsis, Sceuolæ videlicet, & Vlpiani decretis decimestrem tantùm recipientibus, vndecimestrem omnem repudiantibus, videatur è diametro pugnare. Sed hanc facilè pariter ex superioribus labefactabimus, si antea duo præfati erimus paulò lōgiori oratione: primum, cur Sceuola & Vlpianus decem menses enumerent à viri morte, nec plures, nec pauciores: secundum, hos ipsos Iurisconsultos à conceptione simul decimestre spatium computandum esse intelligere, cùm à morte viri dicunt illud esse auspicandum. Quòd ad primum pertinet, vt breui me expediam, caussam esse autumo, quia, cùm ea, quæ frequētius eueniunt lex potissimum respiciat, Iurisconsulti longiorem, qui naturaliter inueniri posset, partionis limitem præfigere volentes, huncq; cum Hippocrate & Aristotele exactum à conceptione decimum, ac plenum esse statuētes, id tempus à morte viri computandum existimarūt; eò quòd verisimile sit, cùm vir moritur, vel mulierē iam antea concepisse per dies plures, vel iam iam esse concepturam; cùm ea ipsa die, qua vir periclitatur, non sit rationi consētaneum congredi ipsum posse cum muliere; quod quidem nisi rarissimè euenire potest, cùm scilicet incolumi eo existente subita deletur morte, ac repentina, vt in casu ad Auditorium Hadriani delato consonum esse contigisse, supra dicebamus. Si enim iam conceperat mulier per plures dies, clarum est à morte viri, si naturalis partus est, ante menses decem eam esse parituram. si non conceperat, & conceptura est, necessarium est circiter diē mortis viri ipsam cōcipere: quia scilicet in hoc casu necesse sit, nonnullis antea diebus rem maritum cum ea habuisse, videlicet antequam in morbū incideret; qui sanè dies cùm perficiendæ conceptioni tribuantur; nec statim ac semen matricem subit, conceptio fiat, vt libro septimo monstrauimus; iure & meritò circiter diem mortis conceptionem ipsam fieri, videtur consentaneum; vt, quoquo modo res accipiatur, menses à morte viri decem pro computatione sufficiant naturali tanquam ab ipsa ducti conceptione: quod quidem decimestre spatium diebus 300. constare intelligendum esse, iam supra demonstrauimus; nimirū quia Iuriscōsulti cùm Græci tùm Latini per tricenarios mēses Hippocratem & Aristotelē imitati gestationē dimetiantur: cæteroqui, cùm decem Iuliani menses diebus 307. integrentur, plures quàm 300. dies à conceptione ad partum (quod & memorato loco monebamus) Iurisconsulti admitterent, si de mēsibus intelligerent Iulianis, eos duces deserentes, quos in primis sequendos, sibiq; imitandos in hoc statuēdo negocio decreuerunt. Atq; hinc etiam elucet, cur diem mortis viri potius, quàm ipsam conceptionem pro termino, à quo initium ducatur computandi, exprimere voluerint; cùm tamen in idem ambo redeant. quia enim conceptionis dies latet, vt supra diximus, notiorem terminum, & de quo non possit dubitari, scilicet diem mortis viri prudenter expresserunt; videntes vel conceptionē esse factam, vel circa id temporis necessariò fieri.

Quòd Iurisconsulti decimestre tempus à conceptione computandum esse intellexerint.
Cap. 58.

SEd iam alterum caput aggrediamur, quod ex his, quæ modo disseruimus, satis elucet. si enim conceptio coincidit ferè cum die mortis viri, perspicuum est, cùm decimestre spatium à die mortis viri iubet computandum, hoc ipsum & debere computari à conceptione, eos intelligere. quod quidem grauissimos hos viros sensisse alijs etiam coniecturis probatur euidenter. etenim ipsos gestationis tempus à conceptione solitos esse computare, idem ipse Vlpianus testis est locupletissimus, satis apertè indicans libro primo ad l. Iuliam conceptionis tempus spectandum esse, & gestationis, partusq; tempus ab ipsa conceptione esse numerandum. Sic enim scriptum reliquit. Sed eum, qui posteaquàm pater eius de Senatu motus est, concipitur, & nascitur, Proculus & Pegasus opinantur nō esse quasi Senatoris filium. quorum sententia est vera. nec enim propriè Senatoris filius dicitur is, cuius pater Senatu motus est, antequam iste nasceretur. Sed si quis cōceptus quidem sit antequam pater eius à Senatu moueatur, natus autem post patris dignitatem amissam, magis est vt quasi Senatoris filius intelligatur. tempus enim conceptionis spectandum plerisq; placuit. Hæc ille; quibus gestationis tempus ab ipsa conceptione computandum, satis docet. Atq; hoc idem ex eiusdem Vlpiani verbis alijs à Cuiacio restitutis in Interpretationibus ad Pauli sententias liquidò constat, quæ sic habent. Cùm prægnans mulier legata, aut vendita, alioue modo alienata pariet, eius fiet partus, cuius est, cùm eniteretur, nō cuius tunc fuisset, cùm cōciperet. quo loco doctè Cuiacius notat, editioni conceptionē opponi, nimirū quia ab ipsa conceptione gestationis tempus velint esse computandum. Hoc totum cùm acutissimè doctissimus Menochius, ac huius memorię Iurisprofessorum facilè princeps cōsideraret secundo libro de Arbitrarijs Iudicum, vt suo loco vidimus, ipsa Vlpiani, & Sceuolæ verba, quæ à mortis die menses decem computandos dicunt, eo sensu accipienda esse grauissimè admonuit, ac si à conceptionis die iuberent subducendos. atq; eius hæc est oratio. Verùm versatur in hoc magna difficultas, quo modo menses hos Iudex noster cōputabit, an scilicet computari debeant à die mortis viri, vel à die conceptionis. Ego credo decem menses in d. l. Gallus, & in d. l. Intestato, cæterisq; similibus esse numerandos à die cōceptionis secundum opinionem Hippocratis; & ideo in d. l. Gallus decem illi menses de imperfectis intelliguntur: ita vt cōputato tempore conceptionis, quod ante viri mortem est, & tempore natiuitatis filij decem menses perfecti, vel decem menses, & duo dies, vel tres sint. Hæc Menochius; qui tamen audiendus non est, mea sententia, dum scribit, menses in l. GALLVS à partu ad diem obitus viri imperfectos esse accipiendos, dumq; per menses Iulianos calculum instituit; nimirum quia arbitratur, conceptionem oportere semper multò ante mortem viri esse factam; cùm tamē vel eadem die mortis viri, vel paulò post fieri posse, monstratū sit; proindeq; à mortis die decem perfecti menses (si de tricenarijs intelligamus) debeant computari: nec videtur animaduertisse, per tricenarios menses gestationis tempus Iurisconsultos dimetiri. quod sic paulò post clarius significauit. Iudex ergo (inquit) noster vir prudens, & diligens obseruabit in primis diem natiuitatis pueri, deinde decem menses ab illa die præteritos computabit; & si comperiet in vltimo illo mense ex computo, qui erit in ordine primus à conceptione, virum fuisse ad generandum idoneum, iudicare poterit partum legitimum esse; si verò comperiet eo mense virū ita laborasse aliquo morbo, vel in extremis egisse; satis cognoscere poterit partum illegitimum esse. fingamus sic partum fuisse editum die sexta Nouembris; sumpto calculo comperiemus fuisse generatum in mense Ianuario. Iudex ergo videbit an maritus tunc esset incolumis, an modò laboraret, vel quod aliud adesset in causa, vt generare non potuerit. Si comperiet virum incolumen fuisse, vel iudicio Medicorum aptum ad generandum, iudicabit partum legitimum, aliàs non. Hæc ille; at si vera sunt, quæ supra de conceptione diximus, plenius verò disseruimus libro septimo; poterit vir, si menses tricenarios cogitemus, esse die sexta Ianuarij mortuus, nedum non aptus ad procreandum, & tamē partus esse legitimus, dummodo vltimis Decembris diebus incolumis existens cum vxore coiuerit. Verùm Menochius supposuisse videtur, statim ac genitura in matricem emittitur, fieri conceptionem; quod tamen falsum esse libro septimo monstratū est,

ff. de senat. l. emācipatum.

l. vlt. D. de adpur. rer. don.

cent. 1. cas. 89. n. 44.

est, atq; superius etiam Bartholi auctoritate comprobatum, qui ad virum iam mortuum referri posse conceptionem, & filium existimauit. Quod verò sequatur absurdum, si secundum menses Iulianos cum Menochio calculum subducamus, omnibus est conspicuum; nam ipse Menochius totũ Ianuarium videtur admittere, partumq; die 6. Nouembris genitum & decimestrem, & legitimum facit: quod tamen tempus dies amplius quam 310. comprehendit; vt iã à conceptione, quam ipse antea etiam factam supponit, ad partum secundum hanc computationem dies longè plures quàm 300. numerentur; quod Hippocrati & Aristoteli mirificè aduersatur. Sed sentio me transuersum raptum ab incepto discessisse; itaq; iam redeo in viam.

Quarta tollitur dubitatio. concluditur aduersus Recentiores nonnullos, humanum partum ante septimi initiũ, ac post decimi finẽ prodire naturaliter non posse.
Cap. 59.

HIs ita constitutis facile nunc erit quartam tollere dubitationem; dicimus enim, firmiter tenendum omnino esse, Iustinianum cum Hadriano consentire, nec vllum propterea esse horum Imperatorum cum Sceuola & Vlpiano dissidium; de quo quidem Iustiniani dissidio cùm Socinus senior, Alciatus, Tiraquellus, Menochius, & alij ferè omnes non mediocriter pertimescerent, in ea constitutione interpretanda vndecimestrem omnem illum reijcere conati sunt ostendere. Videbant enim longè minus esse absurdum, si Iustinianum ab Hadriano dissentaneum facerent, quàm si ab alijs legibus pronunciarent eum discrepantem. Sed certè, vt vidimus, nimis clara est verborum Iustiniani sententia, vt hanc possit interpretationem admittere. Quòd igitur nostra recepta interpretatione nulla inter Iustinianum, Hadrianumq;, & Sceuolam, ac Vlpianum sit dissensio, hinc facilè colligitur; quod .n. pertinet ad Iustinianum, cùm supra monstratum sit, partum vel vndecimo expleto, vel ad vndecimi finem tantùm prodeuntem ipsum reijcere; de eo, qui vndecimi initio venit in lucem, nullum facere verbum; diuinare potius erit, vt supra dicebamus, quã certum aliquid proferre, si quid ipse de partu decimestri, vel vndecimi principio edito senserit, dicere velimus; si tamen coniecturis vti nobis liceat, dicendũ est, vndecimestrem, qui eas habeat conditiones, quas in enarrãdis Gellij verbis ad Hadriani decretum pertinentibus explicauimus, illum esse recepturum; similiter & decimestres, qui à Sceuola & Vlpiano sunt recepti. quamobrem nulla est inter ipsum & Hadrianum, nulla inter ipsum & Iurisconsultos contrarietas. Quod verò spectat ad Hadrianum, iam vidimus ipsius decretum de vndecimestri recipiendo vel singulare esse, vel certè particulare, non quidem vniuersale, & vndecimi tantùm initio genitum recipere: iam ostendimus, ipsum Hadrianum non à conceptione, sed verè à seminis eiaculatione calculum temporis subducere; vt, quæ rarius contingunt, animo versans, & quod aliquando fieri potest; cum tantùm vndecimestrem, qui iam dictas habuerit conditiones, tanquam legitimum partum decreuerit recipiendum; qui, si à conceptione calculum ineamus, verè tandem decimestris esse comperietur. quare nulla etiam est inter ipsum, & Sceuolam, ac Vlpianum dissensio; qui, quod frequentius euenit respicientes, vniuersale decretum promulgarunt, decimestres à viri morte, &, quod in idem redire ostendimus, ab ipsa conceptione in lucem prodeuntes, in legitimis esse habendos. De quorum sanè consilio in hac ferenda sanctione, cur scilicet spatium tantùm expresserint decimestre, & cur à viri morte potius quàm ab ipsa conceptione gestationis calculum duxerint subducendum, satis supra disputauimus. Itaq; & ipsa obiectio quarta omnino nulla. cùm, vt multa tandem in paucis conferamus, Imperatorum sanctiones in nihilo pugnent cum Vlpiani & Sceuolæ decretis; eò quod, vt satis probatum est, Hadrianus & Iustinianus nõ omnes à morte viri vndecimi etiam initio genitos recipiunt, sed eos tantùm, quos diximus, & quos Vlpianus & Sceuola re vera non reijciunt. Item Hadrianus sic à morte viri calculum ducat, vt non à conceptione, sed à seminis iactu tempus intelligat esse conputandum. Iustinianus verò vndecimestre totum cõfectum spatium ab ipsa viri morte numeret, quod longè est diuersum; de vndecimi initio edito nil dicat: vt nullius sit momenti quod obijciebatur, ab eodem termino, scilicet à mariti morte tùm Imperatores, tùm Iurisconsultos ducere computationem. Postremò omnes eãdem mẽsis supponunt quantitatẽ; quare omnis sublata est difficultas. Nec sanè Vlpianus &

Sceuola decimum admittentes, respuentes vndecimum in mense propterea aberrarût, vt quidam videntur existimare, quasi opinionem Auctoris libri de Principijs, & de Natura Pueri sint secuti; vel, tametsi vndecimestrem partum inter legitimos numerandum noscerent, ipsum tamen noluerunt recipere, ne mulieribus peccandi licentiam largirentur, ac libertatem; quasi ad earum potius terrorem, quàm vt in omnibus obseruari debeat, legem condiderint: nam nulla iubetur lex, nisi ad obtemperandum, nulla instituitur, quæ rationi ac veritati non putetur consentanea; sed Hippocrati, Aristoteli, rationi, experientiæ consentientes decimestre à conceptione spatium receperunt, quia naturaliter in tantum proferri tempus posse humanum partum non vltra tantorum Præceptorum rationibus edocti, longaq; periclitatione cognouere; qua de re satis liber tertius, & septimus disseruit. quod idem de minori septimestri habet veritatem; videlicet de partu diebus 182. genito; quod sanè spatiũ similibus de causis Vlpianus expressit.

Quę de termino tùm ocyore, tùm longiore humani partus dicta sunt, plenius comprobantur.
Cap. 60.

NEc obest quidquàm, quod isti adiungunt, aliquando experientia compertum fuisse, partum ante diem 182. in hanc lucem venisse, vitaq; esse potitum; item & mulieres vndecimo, quin etiam duodecimo, & vltrà si placet, mense à cõceptione fœtum gestasse; quandoquidem primùm dicimus, mulieres illas ad peccandi licentiam liberas adulterio fœtus illos cõcepisse alijs iustisq; temporibus, quibus gestari partus solet, virosq; suos decepisse: deinde dicimus, si id verum est, quemadmodum fusè libro septimo expositum est, hos partus esse monstrosos, ac genitos prę ter naturam, vt quoquo te vertas, à lege videas esse refellendos. vt enim res ipsa docet, libroq; memorato dicebamus, aliud omnino est quærere, ac longè diuersum, an aliquid ꝓducat, an secundũ naturã producatur; quod quidem lex ipsa contuens, ad tollenda facinora sanctius esse iudicauit, aliquem partum, tametsi verè ex proprio viro natus sit (si fortè fortuna id accidat) tanquam monstrosum reijcere, quàm si hunc admittat, cuius nullam habet, quæ sit satis, certitudinem, an verè sit ex proprio viro, peccandi licentiam, ac libertatem mulieribus dare: illud enim ex Casio relatum cogitandum, non semel à nobis hoc in Opere vsurpatum, in omni lege necesse esse, vt aliquibus iniuria fiat, & insontes pro sontibus habeantur. quare iustisimè, ne illis ad stupra, adulteria, & fraudes aditus pateret, Iurisconsulti partus ante diem 182. genitos à viri congressu, & morte; post decem menses, ac dies 300. ab eadem mortis die editos tanquam illegitimos reiecerunt; vt qui aliter persuadent, nil mihi aliud efficere videantur, quàm naturæ leges, Hippocratis, Aristotelisq; dogmata euertere, ac iura ipsa, humanæq; societatis bonum vniuersum conturbare, demum innumeris criminibus, fraudibusq; viam parare. Qua in re & illud certè considerandum, quod septimo libro dicebamus; si citius quàm die 182. partum legitimum, maturum scilicet ac vitalem naturæ lege oriri concedamus, puta die 180. alium statim inueniri, qui adhuc citius maturitatem illum posse adipisci dicat, & contendat, cùm non videatur maior esse ratio de vno quàm de alio; vt iã nostris temporibus eò negotium perductũ sit, vt etiam die 162. & ocyus humanum partum naturaliter nasci posse, ac vitalem nonnulli scripserint; alij vltrà etiam duodecimum proferri. quæ omnia ob dictas causas quauis absurditate mihi videntur absurdiora, atq;, vt plenisimè docuit tertius liber, ac septimus, naturali repugnant rationi, ac Præceptori. quibus locis pluribus ostensum, ante septimum naturaliter humanũ partũ ad maturitatẽ nõ posse peruenire, post decimum non posse protolli. Itaq; vt meam tandem (qualiscunq; sit) lectores hac de re grauisima sẽtentiam habeant; præfinitum ab Hippocrate, Aristotele, ac ipsis legibus tempus tùm in septimestri, tùm in decimestri vel exactè retinendum esse dico, vel si propter sublunaris materiæ inconstantiam, & propter Hippocratis, Aristotelisq; auctoritatem, qui & his diebus, & pluribus, & paucioribus, sed paulò pluribus, & paulò paucioribus maturitatem humanum partum adipisci dicunt, concedere velimus vel paulò ante, vel paulò post iam fixos terminos naturalẽ partũ excludi posse; certè limites à Glossa expressos nõ esse transeũdos; adeò vt die 180. genitũ pro legitimo habeamus septimestri; item 302. editum pro legitimo decimestri; vltrà, citraq; in lucem venientes nullo modo. Sed iam satis pro hac

lite

lite dirimenda laborauimus. itaq; de his hactenus, à quorū disputatione noluimus, vt publicæ vtilitati in tāta re pro virili cōsuleremus, postquam ampla data est occasio, nos abstinere.

Tiraquelli placita expenduntur.
Cap. 61.

SEquitur dubitatio copiosa illa quidem, sed fortasse morosior, Tiraquelli; qui omnia ferè Veterum dicta de humani partus temporibus sic persecutus est, vt nil in præteritis reliquisse videatur. nos cuncta breuissimè percurremus, ea tantùm digito monstrantes, quæ desciscunt à veritate. Ac primùm quod ipse tanquam firmum, ac ratum accipit, eandem esse rationem partus ante septimum geniti, & eius, qui octauo mense in lucem venit, quàm longè à vero absit, iam ex superioribus est manifestum. ex quò & conclusio illa omnino ruit, quam ex eo fundamento ipse deducit; videlicet octomestrem partum intempestiuum esse, & immaturum, proindeq; nullo modo vitæ compotem, & ex consequenti abortum, licèt viuus oriatur. enimuero, tametsi partus, qui iusto tempore natus non sit, abortus dici debeat, ac mereatur; attamen, quoniam octauus mensis ex Aristotelis sententia iustum tempus est, ac legitimum pariendi; si verò legum decreta attendamus, intra limites incidit ab illis humano partui præfinitos, mendacissimè octauo genitus abortio quædam esse dicitur: de qua re iam etiam nimium diù disputo. Quo loco hoc alterum non censeo prætereundum, frustra, meo quidem iudicio, conari Tiraquellum ex Iustiniani verbis illis (quod supra quoq; animaduertimus) si viuus perfectè natus est, elicere, idem esse, partum perfectè nasci temporis ratione, & viuum perfectè nasci; cùm aliud omnino sit, vt superius vidimus, simpliciter perfectè nasci partum, aliud perfectè nasci viuum, totumq; viuum ad orbem deuolui. Veterum autem Scriptorum auctoritates omnes à Tiraquello allatæ, quæ octauo genitum vel abortionem esse quandam dicere videntur, vel reijcere; videlicet Hippocratis, Sabini, Plutarchi, Censorini, Gellij, Plinij, Philonis, Sorani, & aliorum, cùm partim libro octauo, partim in Disceptatione vel expositæ sint, vel reiectæ, nil est quòd de illis in præsentia differere debeamus; sicuti neq; de rationibus, quæ aduersus octomestres partus ex Tiraquelli tota disputatione eliciuntur; quæ omnes in Disceptatione collectæ sunt, earumq; leuitas ostensa: ac præsertim illarū, quæ vel à numerorum vi sumuntur, vel à syderum influxu: cùm nihil tàm irrisum à Philosophis, & Galeno videatur, quàm Pythagoricum illud figmētum, quo ex numerorum natura vel de humano partu, vel de crisimis diebus, vel de Lunæ, ac Solis potestate, vel de quacunq; demum alia re naturali iudicare volunt. Quanquam & quod attinet ad Sydereos afflatus, an secūdum veram Astrologiam, Philosophieq; naturali, ac peripateticis principijs consentaneam, qualem Ptolemæi scripta continere & credimus, & profitemur; octomestris partus refellendus veniat, sequenti libro pluribus agam. quod quidem munus propter illos præsertim susceptum est à nobis, qui dicunt, octauo mense Solem aut nullo aspectu, aut inualido, imbecilloq; conceptionis particulam conspicere. de cuius quidem rationis vi, etsi in Disceptatione dictum sit non indiligenter, attamen vt clarius veritatis lumen eluceat, longè accuratius dicetur. Et sanè, quod pertinet ad Veterum auctoritates, illud maximè mirum, quod apertissimè in Disceptatione demonstrauimus, quæ maioris sunt ponderis, omnes Iurisprofessoribus aduersari; vt suis armis se confodere videantur, cùm illas in medium adducunt ad octomestris partus probandam infelicitatem. quemadmodum de Hippocrate, Aristotele, Platone, Galeno, Auicenna, Auerroe, Aegidio, Plinio, Gellioq; potissimum vidimus: qui omnes octauo mense genitos & naturales, & vitales esse partus, vel apertè pronunciarunt, vel non leuibus coniecturis pronunciandos indicarunt. quod de Auicenna, & Galeno vberius etiam sequenti libro videbimus: vt nemo sit, qui non miretur, Iurisprofessorum aures ad eorum doctissimas voces clausas fuisse. & sanè Cymerijs quidem, quibus aspectum Solis siue Deus, siue natura ademerat, siue eius loci, quem incolebant, situs, ignes tamen aderant, quo tùm illis vti lumine licebat: isti autem tantis offusi tenebris fuisse videntur, vt ne scintillam quidem habuerint vllam ad aspiciendam veritatem.

l. quod cert. est C. de po sth. hæred.

Quæ aduersus octomestres præsertim ex Afflicto, Tiraquello, & alijs Iurisconsultis allata sunt, reijciuntur.

Cap 62.

QVòd si aliqui sunt, vt Afflictus in sua illa Decisione; qui octomestribus pugnacissimè resistant; quanta sit huiusmodi talibus fides adhibenda, satis in Disceptatione demõstrauimus. Nam, vt prętercam, Ferdinandi primi tempore, in quo coactum concilium illud Philosophorum & Medicorum fuisse, scribit Afflictus, qui aduersus partum octomestrem iudicarunt, Rempublicam literariam in Italia ferè nullam extitisse; purioremq; Philosophiam, & græcas potissimum literas conticuisse, à multis seculis Barbarorum immani tyrannide proculcatas; ita vt Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Galeni vmbra tantùm extaret; eorumq; scripta mira barbarie fędata in manibus essent omnium, & corrupta; proindeq; tutum de tanta re iudicium fieri non posset: ea certè ratio, quam attulimus in Disceptatione, & qua probauimus viros illos nonomestrem pro octomestri condemnasse, & quem tandem condemnarent, ignorasse; contra illam decisionem demonstratiua mihi esse videtur: vt omnino cogat Iurisprofessores octomestres partus absoluere, nisi de occulta re iudicare velint; cùm tamen ex Legis decreto occulta & incognita illi sint relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum. vt prętercam, cùm de Hippocratis sententia, vt copiosè libro præcedenti probatum est, octauus mensis sedem mobilem habeat, diesq; plures illi modò ex septimo mense accedant, modò ex nono; idcircòq; non sẽper expleto iuxta integrorum mensium computationem septimo incipiat: non semel obtingere posse, vt verè septimestrem, vel nonomestrem pro octomestri accipiãt; vel è contra verè octomestrem credant septimestrem esse, aut nonomestrem; vt hac in re veritati quidem certè nihil omnino loci relinquatur; proindeq; nec sententiæ iudicioue Iurisprofessorum. quod totum clarissimus vir Sfortia acutissimè contuens, rationem illam, quæ contra octomestres adduci solet, à motu ductam, quem septimo peracto in vtero fœtum ad exitum facere dicunt; atq; ab imbecillitate, quam ex hoc motu contrahit; & ex qua non ante diem quadragesimum recreari volũt; egregiè hac vna via funditus sustulit, ita scribens. In primis (inquit) est aduertendum quòd licèt aliquibus mulieribus prægnantibus hoc accidat, non tamen omnibus accidit; quæ nullam penitus partus sentiunt violentiam, vel motionem partus in septimo mense, prout diligenti inquisitione facta à pluribus honestissimis, & nobilissimis fœminis audiui. Præterea, etiam si illis non sentientibus accideret, quod non est verisimile; tamen est aduertendũ, quòd stante hac ratione sequeretur multoties, quòd partus octomestres essent vitales, & nonomestres secus; nam si puer in principio mensis septimi huiusmodi conatum faceret, prout fieri posse omnes concedunt, & ipsimet Iurisconsulti, & Doctores in d.l. sept. mens.ff. de stat. hom. post Hippocratem lib. de Septimestri Partu; certè si nasceretur circa dimidium octaui mensis, & sic in medio istius mensis infelicis, tunc essent transacti quadraginta dies, & plures, & sic quadragenaria ista infelix; & consequenter puer, qui tunc nasceretur, esset vitalis; & è cõtra si iste primus conatus fieret circa finẽ septimi mensis, puer nõ esset vitalis; quia vires non reasumpsisset. Vnde si lex nostra Ciuilis vult habere omnes octomestres pro abortiuis, & omnes nonomestres pro perfectis partubus, hoc vt plurimum erit falsum, & maxima iniustitia sequetur in dãda, vel deneganda successione actiua, vel passima huiusmodi filijs; vel in rumpendis, vel sustinendis testamentis propter illorum natiuitatem. Hæc ille; quo loco furere Iurisprofessoribus Sfortia videbitur; at mihi, dignissimum rebus ijs, de quibus loquitur, sonum fundere. ex his enim quàm leue, quàm infirmum, quàm nutabundum sit de octauo mense genitis istorum iudicium, luce meridiana clarius elucet; quandoquidem, vt ex libro octauo conspicuum est, mensis ille, in quo fœtus laborat, vndeundecunq; incipiat, seu quò finiatur, octauus de Hippocratis mente dici debet, sequens verò nonus; ex quò &, vt eo loco vidimus, octauum mensem minimè dubium ipse appellabat, & difficilis iudicij. vnde si motus & labores inciperent ineũte septimo, fœtus præteritis quadraginta diebus in lucem veniens, non quidem octauo mense, sed omnino mense nono prodire iuxta Hippocratis decreta diceretur: qui tamen iuxta integrorum mensium acceptionem videretur 13. die octaui mensis nasci; de qua re abundè diximus suo loco.

Cap. Consuluisti caus. 2 q. 5.

Quæ superiori capite dicta sunt, plenius comprobantur.
Cap. 63.

SEd & in hac quæstione illud, mea quidē sententia, maxima dignum est animaduersione; si probatissimi inter Iuris interpretes Auctores ea sola persuasi ratione, quòd conceptionis tempus vt plurimum mulieres lateat, tutum fieri de partu iudicium posse negauerunt, an verè qui nascitur fœtus, septimestris, octomestris sit, vel nonomestris; vt nulla propterea firma ratione partum aliquem, ex eò, quòd vno potius quàm alio mense editus dicatur, reijci posse existimauerint: quod Cagnolus inter cæteros perspicuè his verbis testatus est. Si probari posset, fuisse in septimo mense, nono, vel decimo; partus perfectus & vitalis iudicaretur per auctoritates prædictas; sed secundum communiter accidentia id probare impossibile videtur; quam enim rationem depositionis testes ad hoc probandum inducti allegare possunt? quando quidem nec parentes id sciant? tempus enim conceptionis nescitur gl. in c. cùm enixa dist. 5. immo latet ipsas mulieres conceptus initium, vt inquit Aristoteles loco præall. Noui ego multas mulieres, quæ tumentem habētes ventrem se prægnantes putabant, & pro talibus habebantur pluribus mensibus; postea cūctis euanentibus parturient montes, & nascetur ridiculus mus. & alias, quæ non putabant se pręgnantes, pepererūt:& pridie hic Paduę quędā vicina mea credens se laborare dolore ventris, ac nesciens ventrē plenum esse, filium edidit. Quamuis ergo in rerum natura certum sit, natum ante septimum, & in octauo non esse vitalem; secus si in septimo, nono, & decimo iuribus supra allegatis: cuius rei assignant rationē Hipp. & alij prælleg.; per testes tamen, & signa impossibile videtur id probare, nisi honesta aliqua filia contracto matrimonio duobus primis diebus puta, ex viro prægnās remansisset; postea statim mortuo, si hæc pareret septimo, octauo, nono, vel decimo, cognosci & iudicari tūc posset saltem pręsumptione iuris tempus partus, aliter non. Hæc ille; quibus addere possumus, quæ in eandem sententiam Bertazolus Iunior eleganter disseruit à nobis in Disceptatione recitata: si, inquam, hi viri eruditissimi in Iurisprofessorum familia illustres causa tēporis conceptionis, quod tametsi cognitu est difficillimum, Hippocrate nihilominus Aristoteleq; teste ab expertis mulieribus aliquando cognoscitur, opinati sunt non posse certò sciri, an partus verè octomestris sit, an alio mense genitus: quid credendum est eos fuisse dicturos, si abditissimam ex Hippocrate octaui mensis naturam assecuti essent? si sedem illum stabilem nō habere, nec certos limites, ex eo didicissēt? certè rationi consentaneum est hac validissima ratione permotos, ac penè cōstrictos fassuros fuisse, nulla posse ratione partum ea de causa repudiari, quia octauo mense in lucem venisse existimetur; vt iam de re, quā solus ipse Deus nouit euidenter, humana verò mens nequit attingere, qui aliter sētiunt, audacter, facileq; nimis iudicium faciant. qua in re illud certè libenter ex eis audirem, si volunt omnes, aut nos omnino latere, an verè partus aliquis septimestris sit, vel octomestris, vel nonomestris; aut certè probatu esse difficillimum; cùm nec etiam parentibus dicant esse credendum: quo modo octauo genitum adeò cōstanter condemnare potuerunt; de quo tamen nullum certum esse posse iudicium fatentur, an talis existat: quo modo adeò firmiter asserere, in rerum natura certum esse, natum in octauo non esse vitalem. quamobrem apertissimum est, eos rem, vel de ipsorum sententia incertam pro certa recipientes, nulla iusta ratione eam reiecisse. De Tiraquelli verò sententia (redeundum est enim ad propositum) quod pertinet ad Iustiniani sanctionem de ea, quæ parit in vndecimo mense, iam supra dictum est. Quod verò spectat ad Hippocratis ab eo notatam contrarietatem, & inconstantiam modò vndecimum recipientis, modò respuentis, hanc nullam esse, iam etiam supra ostensum, & septimo præterea libro; & cùm de Poetarum carminibus nihil nobis sit dicendum, qui mensem decimum recipientes Hippocrati & Aristoteli consentiunt; Homeri autem verbis, quibus ad duodecimum vsq; mensem partum diferri dicere videtur, iam Phauorini auctoritate Gellius tertio Noctium Atticarum fecerit satis; illud potius adijciam, in eo altero errasse, nostra quidem sententia, Tiraquellū, quòd locum Hippocratis ex libro de Principijs adducēs, vbi partum nouem mensiū, & decem dierum fieri, & viuere scribitur, & habere ad hebdomadas numerum exactum, & quatuor denarijs hebdomadum constare, quodq; in idem redit, diebus 280. putauerit Hippocratis verba de nono, decimoq; mense nascentibus habere veritatem; scri-

In l. primam ff. si cer. pe. n. 193. 194

Cap. 16.

scripsit enim Tiraquellus, vt libro primo „ patet, memoratum locum explicans. Sed „ nono decimoq; mense si nascatur, & viuit, „ & verum numerum ad septimanas respon- „ dentem habet. At enimuero de nouem mensium, ac dierum decem partu iuxta tricenûm mẽsium rationem supputatione facta Hippocratem solùm loqui; item hoc ipso solùm tempore nascentem numerum exactum ad hebdomadas habere, non quidem nono mense, vel alia decimi mensis parte editum; tàm verùm est, quàm falsum, qui nono nascitur, vel ante, aut post dies decem mensis decimi, verum exactumq; numerum ad septimanas respondentem habere, vt inquit Tiraquellus. Præterea in hoc altero hũc Auctorem condemnamus, quòd scilicet paulò post dicat partum decimestrẽ non nasci vitalem, nisi septem quadragenarijs dierum nascatur, Hippocratem existimasse; siquidem scribit. Idem (Hippo- „ cratem intelligit) in libro de Octomestri „ Partu negat, octomestrem partum posse vi- „ uere; nec decimestrem quoq;, nisi septem „ quadragenarijs dierum nascatur, nam pri- „ ma quadragenaria perfectissimus est, cùm „ verò plures accedunt, pereunt. enimuero satis constat, nusquam Hippocratem dixisse, etiam si nascatur partus non expleto septimo quadragenario, videlicet initio mensis decimi, & si post septimum exactũ quadragenarium, scilicet medio decimo, vel senescente, nasci non vitalem; sed fortasse Tiraquellus hoc loco illorum sententiam secutus est, qui falsò putant, si decimestris septimum quadragenarium exactũ non attingat, & si post hunc quadragenarium oriatur, quia in octauum incurrat quadragenarium, octauus verò numerus infelix sit, nasci non vitalem; de cuius quidem opinionis falsitate tùm libris prędecẽtibus dictum est, tùm sequenti dicetur. sed relicto Tiraquello Menochij, & aliorum, qui sequuntur, placita breuiter attingamus.

Menochij, Bursati, & Mascardi placita expenduntur. dubia rursus fides notatur Iurisprofessorum in Hippocratis, Aristotelisq; dictis recensendis.

Cap. 64.

PAuca quædam remanent de Menochio, Bursato, & Mascardo disserenda; cùm ex superioribus illorum positio sufficienter videatur confutata. quod enim Menochius statuit volens subuenire illorum erroribus, partum octomestrem esse immaturum, & imperfectum, demum abortionem; hoc nullam in se notam continere veritatis, non semel supra probatum fuit; quemadmodum & alterum illud, quod subiũgit, opinionem hanc magis esse receptam, Gellium, Plutarchum, Cœlium Rodiginum, Aristotelem, Plinium in testes adducens; quorum primus, vt vidimus in Disceptatione, contrarium penitus sentit; secundus varias referens opiniones, eorum etiã, qui octomestres vitales agnoscunt, facit mentionem; tertius aliorum itidem recitans sentẽtias nullius est ponderis; quartus, & quintus omnino probant contra illum. quo loco neq; distinctionem etiam putamus illam recipiendam, quam inter imperfectum, immaturumq; partum hic Auctor agnoscere videtur; cùm apud Iurisconsultos, ac Iurisprofessores idem sit immaturus partus, & imperfectus, vt de genitis ante septimum omnes concludunt. Quæ autem de partu decimestri & vndecimestri ab eo disputantur, atq; de Iustiniani circa hos partus sanctione, iam superius ventilata fuerunt. Illud tamen suscipimus sine controuersia, in eoq; admiramur tanti Auctoris eruditionem; quod scilicet ab ipso scriptum est, si fingatur casus, virum iã diù abfuisse, & domum reuersum, ibi per triduum mansisse, postmodum recessisse iterum; si mulier intra octauum mensem pariat, & viuat filius, hunc à marito conceptum, vel genitum non credi; ideoq; ad legitimam successionem non esse admittẽdum. hac enim concessa Iurisprofessorum positione, quòd scilicet octomestris abortiuus sit, ac immaturus partus, & non vitalis, id omnino sequitur, ac necessariò; quemadmodum nos Socino iuniori supra objiciebamus, qui contrarium penitus videtur decreuisse: scribens, si octauo genitus viueret, esse tanquam legitimum recipiendum; quod Alexandrum quoq; sensisse nonnulli notant Recentiores, vt libro septimo admonuimus. ac ratio quidem est, quoniam idem fieri de his sicuti & de illis iudicium debet, qui ante iustum tempus prodeuntes, videlicet ante septimum, vita potirentur; quos non ex iustis nuptijs genitos lex arbitratur. Proinde pulchra Ludouici Molinę in libro de Iustitia, ac prudens adnotatio; purioribus legum fundamentis, ac rationi naturali summè consentanea; de iure Castellę si filius superstes natus in mense, in quo, si esset mariti, non

Tom. I. Tract. 2. Disp. 163.

posset

posset naturaliter viuere, suspectus sit (quod in octauo genitis iuxta Iurisperitorum sententiam maximè locum habet) tũc non censeri filium mariti, sed spurium; eaq; de causa non reputari hæredem. quare Socini & Alexandri opinio & sibi ipsi repugnans, dum ponit octauo genitos naturaliter viuere non posse, si tamen viuant tanquam legitimos partus ad hæreditatem esse admittendos; & ob expositas causas legibus, rationiq; naturali omnino aduersa; cùm sit necesse, vel hunc partum fateri naturalem; vel si hoc non concedatur, eum, tametsi viuat, arcere ab hæreditate, quemadmodum Menochius prudentissimè notatum reliquit. Eadem aduersus Bursatũ, & Mascardum locum habent. quorum prior quàm tutò ratione illa nitatur, quæ ob motum in septimo editum octomestrẽ perire ponit, satis supra, in Disceptationeq; diximus, vberiusq; dicemus sequenti libro aduersus Medicos; qui cùm de octomestri partu disputãt, magnam partem in hoc firmando occupati sunt. Alter verò, qui egregiè de immaturo partu disputauit, rectissimè statuens immaturum partum, licèt viuũ editum, abortionem esse, & pulchrè causã adducẽs; dum tamen octomestres sine vllo discrimine in hac serie collocat, nullo modo est audiendus. quorum rursus omniũ (vt tandem finem faciam, iam enim nimium diù de illis loquor) communis hic est error quòd plerasq; Hippocratis, Aristotelisq; auctoritates, in alium sensum illas extorquẽtes, præter rem adducunt: vt magna diligẽtiq; vtendum sit cautione in ijs recipiẽdis, quæ ipsi profitentur hausisse ex Hippocraticis, Aristotelicisq; fontibus.

Menochij, Mascardi, & Cagnoli exemplo, quę dicta sunt capite precedenti confirmantur.
Cap. 65.

HOc verum esse (vt de alijs nunc taceã) Iacobus Menochius (qui vir & quãtus) satis docet; duas enim Hippocratis affert auctoritates, quas de septimestribus loqui dicit, cùm tamen nulla locis illis de septimestribus ab Hippocrate sit mentio. primam adducit libro sexto de Præsumptionibus, vbi probare nititur, non esse bonam coniecturam ad ostendendum, partum esse immaturum, quòd mulier decesserit in puerperio, vt nos in enarranda ipsius opinione notauimus: atq; hæc sunt Menochij verba. » Constat enim omnium sententia, partus septimestres vitales esse, sicuti » scripsi in Commentarijs de Arbitrarijs Iu» dicum; & tamen scribit Hippocrates de » Septimestri Partu sæpè mulieres parientes » septimo mense perire vnà cum ipso fœtu. » Hippocratis verba hæc sunt. Multæ verò » mulieres etiam febricitant his contingen» tibus; quædam etiam pereunt vnà cum fœ» tibus: verùm omnes in breui ex hoc conta» minantur. Secundam adducit in Responsis ad eandem itidem septimestrium probãdam imbecillitatem; in qua ita scriptum legimus. Neq; enim crassitudinem habẽt, » quam perfectissimi habent; & labores non » diù ante tolerauerunt, vt tenues euaserint. » At verò vterq; locus ex Opusculo de Septimestri Partu excerptus est; quorum alter, vt octauo libro vidimus, non de partu vllo loquitur nedum de septimestri, seu de tẽpore pariendi; sed de laboribus, qui octauo mense percurrente fœtum in vtero existentem inuadunt, quorum tantam vim esse dicit, vt fœtum interdum ac parentem interimant. Alter sermonem habet de partu, qui ineunte nono in lucem venit; de qua re eodem etiam libro nonnulla diximus. quod facilè quisq; vel re ipsa suadente confitebitur, si periodum Hippocratis totam audiuerit: sic enim ipse citato Opusculo loquitur. Quicunq; verò ęgrotans in v» tero ad nonum mensem peruenerit, & in » hoc mense natus fuerit, superstes erit; & » superuiuunt quidem non minus quàm se» ptimestres, verùm pauci etiam ex his edu» cantur. neq; enim crassitudidem habent, » quam perfectissimi habent, & labores in v» tero non diù ante tolerauerunt, vt tenues » euaserint. Hæc ille; quo loco apertissimũ » est, partus initio noni prodeuntes cum septimestribus Hippocratem comparare; atq; dicere, ex illis etiam paucos seruari, quoniam, etsi plenioris sint temporis, attamen, quia labores & ægritudinem mox perpessi sunt, tenues propterea nascentes, & imbecilles, plerunq; coguntur periclitari. nam & hoc est quod paulò infra adiungit, huiusmodi nonomestres tenues nasci, nec veluti septimestres carnosos esse; vt & mirum fit, doctissimum hunc virum hos partus tenues non carnosos & crassos de Hippocratis sententia prædicare, contra quàm ipse manifestè scripserit; & palàm fit, nulla posse ratione verba illa ad septimestrem partũ referri: quem initio Opusculi ideo vitalẽ nasci docuit, quia antea excludatur quàm in labores incidat; cùm alioqui in allata auctoritate partum non diù antea labores to-

Par. 3. cõs. 284.

tolerasse scribat Hippocrates; quem cùm nono nasci dicat apertißimè, quod superioribus disputationibus tam sæpe diximus, perspicuum est hinc mirificè comprobari; videlicet, ægrotationem, quam fœtus octauo currente mense in vtero inuadere voluit Hippocrates; nō omnes inuadere fœtus ipsum censuisse, nō omnium esse propriam existimasse, non per se octomestriū; sed nonomestrium tātùm ac decimestrium. Nec maiori fide Mascardus Aristotelis sententiam nobis aperuit; scripsit enim sic libro tertio de Probationibus; vt primo libro exposuimus. Roboratur auctoritate Aristotelis libro septimo de Natura Animalium capite quarto; vbi inquit, octauo mense nati non viuunt, nisi in Aegypto, & adhuc rarò. At si quis legerit ea, quæ tertio libro de Aristotelis sententia disseruimus; quàm longè Mascardus ab eius mente aberret, facilè cognoscet. quem errorem Cagnolus quoq; secutus est, vt cęcus cęcum duxisse videatur: qui in Commentarijs suis hoc idem falsò Aristoteli imponit, ita scribens. Et Aristoteles in præallegato capite quarto ibi, octauo mense nati non viuunt, nisi in Aegypto, & adhuc rarò. & tamen memorato loco meridiano Sole clarius contrarium prorsus docuit Aristoteles, vt tertius liber abundè demonstrauit; videlicet viuere & seruari octomestres in Græcia, & alijs locis; in Aegyptoq; præsertim vt plurimum esse vitales. quare & ipse, & alij Iurisprofessores vincant animum, atq; vnum Aristotelem, cui assentiātur, deligant, si veritatem cupiunt attingere. Sed mihi videor nimis etiam nunc agere ieiunè; cùm sit enim campus, in quo posit aduersus Medicos exultare oratio, cur eam adhuc in tantas angustias, & in Iurisprofessorum dumeta compellimus? Itaq; de eorum placitis, & de inconstantia totius illorum sententiæ, si vlla sententia esse potest veritatem reprobantium, sit, vt opinor, dictum satis: quibuscum non obtrectandi causa me pugnauisse, sed verum inuenire voluisse, facilè quisq; ex superioribus intelliget. Sequitur aduersus Medicos disputatio, quorū eò grauior culpa est, quò & illorū auctoritas Iurisprofessores in hūc traxit errorem; ac nimirum cum illis omne certamen: qua de re sequenti libro agemus.

FINIS NONI LIBRI.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA

LIBER DECIMVS.

Petri Aponensis opinio proponitur reijcienda.

Cap. I.

IVRISPROFESSORVM placita reiecimus libro superiori, quos, vt vidimus, Medicorum oratio flexit, & auctoritas; quare in præsentia nobis cum ipsis Medicis res est, & omne certamen: quorum idcircò error vt eripiatur, maiore quadam opus est vel arte, vel diligentia; neq; enim aliena tractarunt ipsi, sed propria; cùm non solùm vt Medici, sed vt Philosophi quoq; iudicium de tanta re interposuerint; in quam non tamen ita acrem aciem intenderunt, vt quid in ea verum sit omnino conspexerint. quare omnis ratio contra Medicos suscipitur à nobis, vt retineamus eam veritatem, quam ipsi volunt euertere; aduersus quam ita vehementer disputant, vt nos ad sua rapere videantur. Ordiemur autem à Petro Aponensi, qui palàm primus est ausus appellare octomestres partus & monstrosos, & pestilentes. ante illum enim neutrũ horum magnoperè defensum est; sed quàm bellum erat ei, confiteri potius nescire quod nesciret, quàm ista effutientem nauseare. Huius igitur viri sententia primùm in eo (meo quidem iudicio) à veritate dissentit, quòd Lunares tantùm menses in gestationis computatione velit esse obseruandos; licèt nil referre dicat, vel certè parum, si etiam Solares obseruemus. iampridem .n. septimo libro ostensum est, Hippocratem tricenarijs vsum maximè fuisse; de ijs, quos nunc Solares appellamus, nullam vsquam habuisse mentionem. quod quidem an magni referat, vel nos Gorræi disputatio docet apertissimè; quæ partum iuxta Solariũ mensium rationem nonomestrem, secundũ Lunarium mensium acceptionem decimestrem esse probat. tametsi enim vnius, vel alterius mensis habita ratione exiguus sit inter Solarem, & Lunarem excessus; si tamen septimestre, & quod magis est, nonomestre interuallum metiamur, ac decimestre, insignis assurgit differentia. Quòd verò aduersus octomestres disputationem aggrediens, in prima responsione partum naturalem decimestrem esse accipit; præter naturam octomestrem; medio modo se habentem septimestrem, vndecimestrem, & editum mẽse decimoquarto; partim principium petit, partim falsum ponit. nam & hoc est, de quo dubitatur, vtrum octauo genitus partus sit præter naturam: & vndecimestrem exactum, ac multò magis decimoquarto mense in lucem editum non se medio habere modo, sed verè esse præter naturã, satis libro tertio, & septimo ex Hippocratis, & Aristotelis opinione probatum fuit; quibus locis ostensum, iuxta ipsius Aristotelis decretum tria hæc tempora, septimum, octauum, cum parte noni reliquam noni partem cum decimo homini naturalia esse; & partus his mensibus prodeuntes esse naturales, licèt alius naturalis sit magis, alius minus; vt, si propriè artèq; loquamur, nullus horũ medio modo se habere dici possit. Qua in re illud maximoperè animaduerti cupio, quod testatur Aponensis, Auctores in natura partus octomestris explicanda varios esse, & sibi aduersari; vt alij eum vitalem esse pronunciauerint, alij verò non vitalem. » Propter secundum quidem, inquit, sciendum, » quòd Auctores sibi videntur hîc saltem a- » pertè aduersari. enimuero si hoc vel concedente Aponensi verum est, iam ratio illa ex cõsensu omnium Auctorum à Iurisprofessoribus Medicorum auctoritate vsurpata, nullam habebit firmitatem. Neq; in præsentia locus est, vt Alexandri, Aristotelisq; dicta ab eo relata discutiamus; cùm in Disceptatione, & libris superioribus huic muneri plenissimè satisfactum fuerit. Aristotelis enim mentem in hac perdifficili quæstione neq; etiam procul Aponensem aspexisse, satis docet tertius liber, ex quò, & quod in secunda ponit responsione, penitus refellitur; videlicet partus octomestres vt plurimum quidem, & vniuersaliter, & ferè semper non esse superstites, particulariter verò, & raró viuere posse,

se, tanquam monstrosum quoddam, raròq; in natura locum habens. contrariam enim potius amplectendam esse positionem tertio & quinto libro demonstrauimus; cùm & insitum naturaliter sit homini, vt octauo maturum parere possit; & id per se vbiq; locorum habeat veritatem, vt acutissimè primus docuit Aristoteles. quanquam .n. idem scripserit, perpaucos in Gręcia seruari, plures interire; id nobis nihil officere, & quo modo intelligẽdum, iam explicauimus: & cùm hoc idem & septimestribus, & ijs, qui noni initio oriuntur, sit commune, vt Hippocrati placuit; de quibus omnibus dixit, plures periclitari, pauciores superuiuere: qui omnes sine vlla controuersia recipiuntur, ac legitimi partus iudicantur; nulla fuit ratio, cur octauo geniti hac de causa reijcerentur.

Ostenditur, primam Aponensis rationem aduersus octomestres à motu in septimo ad exitum facto ductam, nullius esse momenti.

Cap. 2.

Hinc & tres illæ rationes, quæ ab Aponensi ad suam hanc probandam conclusionem fabricatæ sunt, fundamento sublato facilè ruunt; prima enim, quæ communiter vsurpata est tùm à Medicis, tùm à Iurisprofessoribus, & reliquis efficacior, cæterarumq; fundamentum existimatur, ac ferè vim habere demonstrationis; à motu sumpta, quem fœtum præsertim fortem, ac robustum in septimo mense exitum affectantem edere dicunt; quàm firma sit, satis superq; in Disceptatione ostendimus: vt iam hos homines fallacibus, & captiosis rationibus circumscriptos, atq; deceptos, cùm eas dissoluere non possent, desciuisse à veritate sit conspicuum. Quid enim tàm comenticium, tàm puerile dici potest, quid tàm aduersum Præceptori (vt eundem locum diutius vrgeam) quàm, si dicamus, fœtus omnes septimo mense exitum affectare? natura enim nihil facit frustra, nihil in perniciem; sed quicquid molitur, finis gratia, boniq; molitur. at cur mense septimo fœtus natura decimestris ex vtero egredi conatur? in idq; colluctatur plurimum? si enim conatu excidit, frustra exitum tentauit; si prodit in lucem, moriturus illicò prodit, tanquam præter tempus ortus suæ maturitatis. itaq; exitus ille esset omnino præter naturam, & ex consequẽti natura præter naturam ageret; quod qui posuerit, desipere videatur. at fœtus decimestres fortissimos esse inter cæteros voluit Hippocrates; vt rationi sit consentaneum, eos maximè hunc exitum affectare; eademq; ratio in nonomestribus locũ habet. Quòd si dixissent, omnes fœtus mense currente septimo motus quosdam efficere apertiores, & efficaciores, quoniã septimi menses, vt pulchrè in libro de Septimestri Partu docuit Hippocrates, fœtibus afferant principium perfectionis, proindeq; vires ad motum aptiores (de qua re libro tertio, sexto, & octauo disputauimus) ij fortasse aliquid dicere viderentur; persuaderi enim facilè quis posset, fœtum motionibus illis validioribus, maioribusq; defatigatum imbecillitatem aliquam contrahere posse; idcircòq; tempore indigere, vt ab ipsa recreetur; ita vt huiusmodi motus non sint quidem ad exitum, vt perperam dixerunt omnes, sed perfectionis principium consequentes. Verùm neq; id dicunt, neq; si dicerent (veritate diligentius perspecta) audiendi essent; cùm enim operatio potestatem, habitumq; perficiat, vt plerisq; in locis docuit Aristoteles; tantùm abest, vt lædi fœtus motionibus illis possit, vt maximè perfici debeat, cùm primùm data est illi à natura mouendi, vel efficacius mouendi potestas, si fortius, crebriusq; tùm moueatur. & quanquam omni, quod natum est moueri, continuè verò & semper cum delectatione moueri nõ potest, necesse sit, quietem esse vtilem, vt in Opusculo de Somno & Vigilia eleganter scriptum legimus; vt fatendum sit, post motum illum quietem fœtui esse vtilem; id tamen non probat, ex motu imbecillitatẽ ab eo vllam esse contractam, vel læsionem; & si aliqua etiam contracta esset, talem esse & tantam, viriumq; tantarum, vt ad eam tollendam quadraginta dierum spatio opus esset. quod vel ipse Aponensis videtur perspexisse, dum soluens eam argumẽtationem, quam aduersus semetipsum fecit; respondet, præter imbecillitatem ex motu illo contractam, ægrotationem superuenire, & malam quandam affectionem; quibus ostendit, imbecillitatem illam sine ægrotatione non sufficere ad octomestrem fœtum enecandum. cuius tamen causa illi reddenda erat, cùm ex motu, imbecillitateq; motum consequenteq; oriri eam nõ posse, rationi sit consentaneum. Præterea, certum esse, hoc sensuum fidei aduersari; cùm nulla sit mulier, quæ currente octauo fœtus & crebros, & validos efficere impetus

Cap. 3.

tus nō sentiat: quo tamē tēpore horū recepto fundamēto vel penitus feriari illos necesse est, & quiescere, vel, si moueātur, quia imbecilli iam sunt & debiles, magis ac magis lædi; ita vt nouam semper contrahant imbecillitatem; idcircò; alijs, pluribusq; semper diebus indigeant, vt ab ea, quæ superuenit, recreentur. Demum perspicuū est, neq; Hippocratem, neq; Aristotelem, neq; Galenum, neq; vllum ferè graué Auctorem motus huius fecisse mentionem, quemadmodum superioribus libris adnotauimus. quòd si ita res est, quàm rectè Aponensis ex motu, conatuq; isto octauo genitos ratiocinetur viuere non posse; quàm rectè concludat, partus istos esse monstrosos & pestilentes, aliorum sit iudicium. audax quidem locutio, dicerem impudens, nisi tot postea habuisset sectatores. Nec quidquam Aponensi opitulatur, quòd Aristoteles, monstrosi aliquid octomestres cōtinere, septimo Historiarū dicere videatur; id .n. verè nō fuisse dictū à Philosopho, & si dictum fuit, quo sensu accipiendum sit, iam satis tertio libro exposuimus. Verùm obiecerit aliquis, cùm ex his, quæ superioribus libris, tùm ex his, quæ in Disceptatione posita sunt, septimo mense fœtui principium perfectionis accedere, ideoq; per id temporis vterum dehiscere, fœtumq; descendere, nonnullasq; propterea in hoc descensu membranas defringere, & huiusmodi omnia nonomestrium, ac decimestrium esse propria; quæ de motu fœtus septimo mense ad exitum facto posita sunt ex sententia Recentiorum, rectè esse posita. cùm enim fœtum nonomestrem descendere, suoq; descensu membranas & ligamenta rumpere, sit fœtum ad exitum moueri, & sibi exitum parare; igitur rectè communis ponit Neotericorum opinio, omnem fœtum septimo mense exitum tentare; vt iniuria id in ea reprehensum supra videatur. Hinc perperam dictum à nobis quis putabit, nullum partum, nisi qui septimestris sit natura, ad exitum septimo naturaliter colluctari; item motum ad exitum septimo mense à nonomestri factum, esse frustra. cùm enim ligamēta in illo motu fętus rumpat, ac descendat, atq; hoc modo se paret ad exitum, non videtur hoc esse frustra. Respondeo, aliud esse, fœtum natura nonomestrem expleto septimo, octauo percurrente se parare ad exitum, quem in nono naturæ lege est facturus; aliud esse, ac longè diuersum, omnem fœtum, etiam octomestrem, nonomestrem ac decimestrē, non solùm septimestrē suo motu exitum ipso mense septimo currente tentare, adeò vt tunc, scilicet ipso mense septimo, quantum in se est, exire velit in lucem: itaq; cùm argumentamur, fœtum nonomestrem descendere, suoq; descensu membranas rumpere, est fœtum moueri, & sibi exitum parare; hoc totum cōcedimus; mouetur enim, sed non ad exitum in septimo, sed vt se paret ad exitum in nono, quod valde est diuersum; cùm adiungimus, hæc fieri secūdum nostram explicationem ex Hippocrate, & Aristotele in fine mensis septimi; respondemus hęc quidem non solùm in septimo, vel eius fine, vt cumulatè octauus liber demonstrauit, sed etiam octauo ex Hippocratis & Aristotelis sententia contingere; ex quò & in Disceptatione diximus, mulierem, cùm septimum mensem prætergressa fuerit, huiusmodi talia experiri; septimus nanq; mensis principium affert perfectionis; cùm verò hi motus incipiunt, ac descensus & labores, octauus quoq; incipit, vt abundè octauo libro demonstrauimus. Hinc palā est, non malè à nobis negatum esse, fœtū communiter exitum tentare in septimo, vt communis vult opinio, quæ fœtum omnem conatum facere ad exeundum hoc ipso mense arbitratur; nam cùm nonomestris ligamenta expleto septimo rumpit, ac descendit, non propterea tunc exitum tentat, exireq; amat; neq; id propterea agit, quia tunc temporis in lucem egredi velit. Hinc rursus rectè dictum, partum, qui tentat exitum in septimo, si naturæ legem seruat, natura esse septimestrem; nonomestris enim, etsi concederetur rumpere septimo mense ligamenta, & descendere (quod tamen dicimus in octauo potius facere) non propterea ipso septimo diceretur exitum tentare, sed parare se ad exitum, quem nono postea tentat, & assequitur, quia est maturus, quod valde differt. Hinc postremò rectè conclusum, frustra esse, quòd fœtus nonomestris septimo exitum tentet; nempe quia, si id ageret, suo fine frustraretur; quare cùm dicimus, nonomestrem exitum tentare, esse ligamēta rumpere, & descendere, hoc non concedimus; cùm ligamenta rumpere, & descendere, sit parare se ad exitum, sed non exitum eo tempore tentare; cùm tentare exitum, sit conatum facere ad exeundum illo ipso tempore, in quo exitus tentatur; & quantum est in se, tunc egredi velle; quod nequaquam intendit nonomestris,

cùm

cùm ligamenta rumpit, ac descendit. ligamentorum autem nomine hîc cum Hippocrate intelligo non cotylidones, sed membranas interiores, quà de re libro octauo dictum fuit. Concludamus igitur nullum ad exeundum motum septimo mẽse fœtum efficere, qui natura septimestris non fuerit; quare nè quæso histiusmodi rationibus leuissimis ab his, quæ clara sunt per se se & vera, quasi præstigijs quibusdam, & captionibus depelli patiamur.

Alię duę Aponensis rationes tolluntur. causę vitę octomestrium in Aegypto ab Aponensi allatę redarguuntur.
Cap. 3.

NEc verò aliæ duæ rationes ad probandam octomestris partus infelicitatẽ ab Aponensi adductæ, maiorem habent firmitudinem; quæ enim ex numerorum natura sumitur, non Philosophorum iudicio niti, sed delirantium potius somnijs, conuenit inter omnes melioris notę; vt nihil fortasse obtusius dici posit: quod & ostẽdimus abundè in Disceptatione,& hîc rursus vel eorum testimonio,qui maximè creduntur numeris fauere, probandum est. Dicunt isti, sextum quadragenariũ ob senarij infelicitatem partui esse infelicem; quia scilicet diei sexto respondeat. At Pythagoras numerorum potestatis auctor, & adstipulator senarium numerum partui nõ esse infelicem, immo illi afferre felicitatẽ, memoriæ prodidit; vt grauissimus auctor Censorinus refert in Opusculo de Die Natali; nam cùm duos partus Pythagoras esse posuisset; maiorem scilicet ac minorem, quem vocant septimestrem; minorem hũc partum maximè senario progredi, & gubernari existimauit; sic enim & Censorinus de Pythagoræ sententia. » Quorum prior, ac minor senario maximè continetur » numero. & paulò post. Nec immeritò » senarius fundamentum gignendi est; nam » cum τέλειον Græci, nos autem perfectum » vocamus; quòd eius partes tres, sexta & » tertia, & dimidia idest vnus, & duo, & » tres eundem ipsum perficiunt. Hæc ille; quibus quanta iuxta Pythagoræ decreta sit senarij perfectio, satis docet; quem tamen Nostrates putant infelicissimum. Sed quid amplius testimonia mendicamus; audiant isti Galenum libro tertio de Diebus Decretorijs nihil magis quàm istorum deliria irridentem his verbis. » Quippè non à nu- » meris, sed à Luna terrenis mutationes adueniunt. & mox. Omnia siquidem quę de » numerorum virtute nugantur, tàm facilè » absurda esse deprehendimus, vt mihi sub- » inde mirari subeat, Pythagoram illum tàm » sapientem virum numeris tantum tribuisse. » demumq; non multò post. Nam stulti » nimirum essemus, si huiusmodi sermonem » vulgo conuenire arbitremur; quoniam illi » vnionem parentis expertem, dualitatem » numerum inaudire suauius est. & alia ra- » tione vnitatem formam esse, dualitatem » materiam infinitam: deinde trinitatem ab- » solutam harmoniam, vel perfectum nume- » rum, & primum, aut solidum, aut planũ. » Quicquid enim ipsis in buccam venerit, ef- » futiunt, & Mineruam aliquem numerum » appellant, alterum Dianam, alium Apolli- » nem. Quemadmodum igitur hoc non i- » gnoramus, ita dicere dedignamur: cùm » nullam demonstrationem scientificam hu- » iusmodi placitis adducere queamus. Et » amicis frequenter ipsa re ostendimus; hu- » iusmodi frigidis sermonibus vtenti, siue » quemcumuis numerum laudare, siue re- » prehendere voluerit, procliue esse. Nam » eò stupiditatis veniunt, qui huiusmodi » nugantur &c. Hæc igitur Galenus; quæ simul cum ijs, quæ sequuntur, si quis accuratè legerit, videbit, quàm facilè sit sextũ & octauum laudare (qua de re Gorræus quoq; eleganter, vt secundo libro vidimus, istorum pariter deliria reijciens) vt nil leuius, ineptiusq; posit adduci ad octomestres profligãdos quã hęc ipsa virtus numerorum ac proprietas. Tertia Aponensis ratio à dominio Planetarum sumpta, quæ me ad Arabes Astrologos vocat, quibus non assentior; potiusq; refellam propter id quod docetur à politioribus Physicis, ac Ptolemæo; quam patiatur reprehensionem in senatu Philosophorum, omnibus est conspicuum: de qua re nonnulla etiam diximus in Disceptatione. certè à vera Astrologia, ab ipsoq; Ptolemæo abhorrere, in huius libri calce demonstrabimus. Quæ verò ab Aponensi disputantur, cur locis calidioribus, ac temperatioribus, vt in Aegypto, octomestres viuant; quod idcircò inquit euenire, quia in huiusmodi regionibus causæ, quæ octauo genitis perniciem afferunt, locum non habeant; maximo omnia in errore veritatis ignoratione versari, facilè quisq; , ijs intellectis quæ tertio libro & quinto diximus, confitebitur. quo loco longè alias ex Aristotele causas adduximus vitæ octomestrium in Aegypto, ac sanè multò ad veri-

Cap. 8. *Cap. 11.*

vitatem propensiores. Nam, vt alia nunc taceam, cur amabò prima causa octauo genitos apud nos interimens, imbecillitas scilicet ex motu septimo mense facto contracta, si vera esset, deberet deficere locis illis? robur, inquit, Aponensis fœtus resistit, ac magnitudo; at si maior est in eo vis in Aegypto, motus etiam faciet vehementiores: vnde, quia proportio eadem est inter causam & effectum, eandem sequi imbecillitatem necesse erit; sicuti enim nostris regionibus minus habet roboris fœtus, ita & motus edit placidiores. Item si numerorum vlla est virtus ac potestas, quare in Aegypto locum non habebit? natura enim eadem ibi est & apud nos, & vbiq; locorum. quin potius quo loco ob optimum regionis temperamentum perfectius agit, ab imperfectiori opere magis abhorrere debet; vnde si octauus tanquam numerus imperfectus naturæ esset infensus, magis in Aegypto ac locis temperatioribus quàm alibi nocere posset. Demum nulla est ratio, vt tertia locis illis causa deficiat; quoniam, si huiusmodi esset vis Saturni, ac proprietas, qualem isti fingunt, longè maiorem in Aegypto haberet potestatem quàm locis nostris; eò quòd Aegyptus sit circulo obliquo proximior, per quem planetæ feruntur; idcircòq; eorum radijs, & virtute longè magis afficiatur: quare, cùm tantum in Saturno augeatur potestas ad agendum, quantum in regione & fœtu ad resistendum aptitudo; si posset locis nostris Saturni sydus octomestres interimere, idem & in Aegypto posse, rationi est consentaneum: vt conclusio ab Aponensi ex sua hac disputatione deducta, nullum habere videatur firmamẽtum; videlicet in alijs regionibus præter Aegyptum octomestres viuere non posse; & si aliqui viuere appareant, dicendum potius, mulieres sui conceptus initium latuisse. cui quidem conclusioni Aristotelem, Auicennam, Plinium, Albertumq;, & alios grauissimos viros aduersari maximè, & repugnare, ostendimus in Disceptatione: qui omnes miro consensu in Græcia, Hispania, ac Italia, & alijs regionibus octomestres viuere compertos esse, memorię tradiderunt. qui enim hanc negant experientiam tantorum testium auctoritate cõprobatam, spoliant nos iudicio, priuãt approbatione, omnibus orbant sensibus; quos si sequamur, ijs vinculis simus adstricti, vt nos commouere nequeamus.

Responsiones Aponensis reijciuntur. Item Gentilis discutitur opinio.
Cap. 4.

NEq; responsiones quinq; illis dubitationibus satisfaciunt, quas aduersus semetipsum Aponensis adduxit. Quòd enim Aristotelis auctoritates, quæ pro prima ratione positæ sunt, de octomestri illo intelligendæ sint, qui rarò viuit; vel de eo, qui in Aegypto nascitur; hoc à vero penitus abhorrere satis docuit liber tertius. quo loco demonstratum est, quarto libro de Animalium Ortu vniuersaliter, ac simpliciter de octomestri partu Philosophum pronunciasse, eum esse vitalem: vt nullo modo ipsius verba vel ad particularem regionem coarctari possint, angusteq; referri, vel ad particulares octomestres. quare Aponensis multa alia peccans, in hac repudianda ratione turpissimè labitur. De Auicenna autem quid sentiendum, inferius patebit. Item responsio ad secundam rationem nullius est momenti; cùm fœtus octauo mense maturescentis mora in vtero & naturalis sit, & debita, ideoq; augmentum illi afferre robur, & perfectionem debeat. quod acutè Auerroes contuens super libro quarto de Animalium Ortu non obscurè innuit, octomestrem huius moræ ratione, nisi aliud esset, quod prohiberet, vitalem esse magis, quàm septimestrem oportere. Tertia responsio nullo modo reprobat octomestres, sicuti nec ratio tertia illos approbauit; cùm alia sit ratio temperamenti sexus, alia maturitatis, vt septimo libro declaratum fuit; vnde transcendit omnino, qui ex altero alterum inferre tentat. Quòd verò in quarta sumitur, errata esse naturæ partus octomestres, ex quò & monstrosi ab eo etiam dicti sunt; satis ex superioribus videtur explosum: & libro tertio ostensum, quid verè Aristoteles intellexerit, cùm Historiarum septimo monstrosi aliquid octauo genitos habere innuit. qui fortasse locus malè ab Aponensi intellectus in hanc opinionem illum perduxit. quanquam, vt paulò supra est monitum, neq; verè eo loco appellasse mõstrosos Aristotelem partus octomestres, memorato libro demonstrauimus. Demum quintam responsionem admittendam non esse, omnibus est conspicuum; quia virtute nitatur occulta, & influxibus: quæ omnia qua ponuntur facilitate, eadem & profligantur. itaq; hîc quàm volet Aponensis iocetur, homo non aptissimus ad iocan-

Cap. 4.

iocandum, atq; vt doctissimus Picus aiebat, congerere plura natus quàm digerere; parum enim aut nihil octomestribus officiet; quem quidem indoctiores vbi nugatur magis, ibi solent impensius admirari. Sed de Aponensi hactenus, nunc cum Gentili in arenam descendamus; qui, vt secundo libro expositum fuit, arbitratus est, Auicenam omnes omnino octomestres reiecisse; idq; triplici de causa: cui opinioni ipse subscribit. Cęterum prima causa quantum vacillet, quæ à motu in septimo facto pendet, superius dictum fuit; vt nihil possit esse indoctius, quàm quod ab istis affirmatur, fœtum omnem septimo mense ad exitum colluctari, vt pleriq; dicunt physicæ rationis ignari. Sed estò illi concedatur; quid de illo dicemus fœtu, cui in septimo nec complemētum aduenit, nec deficit nutrimentum? neq; enim omnibus id fœtibus euenire dicit Gentilis. sequitur autem ex his, si alicui fœtui octauo complementum adueniat, deficiatq; nutrimentum, octauo etiam tutò ad exitum colluctari. Item si aduenit fœtui complementum in septimo, igitur maturus est; igitur tunc tanquam suam adeptus perfectionem, in lucem debet omnino prodire: quo itaq; pacto poterit, si non exit, permanere in vtero vsq; ad nonum? & si permanet, egredi vitalis? hoc enim ab omni abhorret ratione. Adhuc si deficit ei nutrimentum in septimo (nam hæ duæ à Gētili causæ adducuntur, quare fœtus septimo mense ad exitum colluctetur; videlicet quia complementum illi per id temporis aduenit, de quo iam diximus; & quia deficit alimentum) si itaq; tunc deficit illi alimentum, quo modo potest in vtero ad noni vsq; finem permanere? mirū enim omnino est, quo pacto alimenti inopia confectus non moriatur vel intra vterum, vel certè in ipso partu. quàm sit igitur explorata ista ratio ad id quod vult Gentilis cōfirmandum, aliorum sit iudicium. De secunda causa à Saturni imperio ducta satis multa supra dicta sunt, infraq; dicentur; hoc tantùm vnum in Gentilis verbis adnotare placet; non Philosophiæ modò, verùm etiam & Legibus, & Theologiæ aduersari, quod ipse inquit, quarto mense, cuius Sol tenet imperium, fœtum animal fieri rationale; cùm Theologi simul, ac Sacri Canones organizato corpore creari, infundiq; rationalem animam statuant; Aristoteles verò, quemadmodum septimus liber indicauit, fortasse prius; vt fatendum sit, longè ante quartum mensem, quod in vtero est, animal fieri rationale. Ad tertiam rationem negamus, omnes fœtus, qui octauo veniunt in lucem, aut serius, aut maturius prodire quàm eorum requirat temperamentū; cum hoc in octomestribus tantùm per accidens locum habeat. atq; de hac quidem ratione quantum valeat, iam satis libro tertio in explicanda Auerrois sententia dictum fuit: quin etiam & nonnulla in Disceptatione. Quoniam autem Gentilis totus nititur Auicennæ auctoritate; cogit nos occasio, & compellit, vt Auicennæ mentem, ac dicta expendamus. hoc enim si agatur à nobis, fortasse apparebit, non sic Gentili, alijsq; Auicennam fauere, vt communis est opinio.

Vera Auicennę sententia proponitur explicanda; ac primùm locus primus affertur, in quo hic Auctor de octomestri partu egisse videtur. Obiter quę sit vera partus causa secūdum Auicennam.
Cap. 5.

QVanquam difficile omnino sit Auicennæ mentem circa octomestris partus naturam attingere propter mancā, barbaram, tenebricosam tanti viri lucubrationum, quam præ manibus habemus, interpretationem; vt quantò diutius considero, tantò mihi eius oratio videatur obscurior: non est tñ difficile videre, nō esse apud ipsum tàm clarum, quàm Aduersarij profitentur, octauo mense genitos viuere non posse: vt opere precium me facturum existimem, si accuratè ipsius verba discutiam; videamq;, an id verè concludant, ꝙ Gentilis existimauit. Tres igitur apud ipsum locos inuenio maximè ponderādos, ex quibus vera fortasse ipsius mens elici poterit; primus est libro nono de Natura Animalium, vbi de spermatis transmutatione agit Auctor. Secundus, & tertius Fen vigesima prima tertij, vbi de generatione embryonis, & de partu disserit. nos singula loca pro virili nostra parte ponderabimus; & quid verè tandem senserit de octauo mense genitis, conabimur aperire: ita enim perspicuum erit, an Gentilis, alijq; eius auctoritate octomestres cōdemnare potuerint. Auicennas igitur nono de Animalium Natura causam temporis partus inquirens, ita scribit. Sed partus ›› erit tunc, quando nō sufficiet puero, quod ›› ei adducitur à secundina; & illud quod ei ››

Cap. 5. *Tract. 1. Cap. 2.* *Tract. 2. Cap. 1.*

» accidit ab inspiratione. & tunc iam erũt
» membra eius completa. & tunc mouebi-
» tur causa contra septimum ad exitum; &
» tunc, cùm tardabitur, erit debile ex suo
» motu; & non poterit illam virtutem ac-
» quirere vsq; ad vnum mensem. & si exiue-
» rit in octauo, erit fœtus debilis, & non fe-
» stinabit ad exitum propter virtutem inna-
» tam, & potius propter occasionem. Hæc ille; ex quibus, si quis aciem intendat, nihil demum aliud haberi videbit, quàm quòd octomestres illi intereant, qui non per se, sed per accidens octauo mense in lucem eduntur; cùm alioqui aut septimo naturaliter, aut nono prodire debuissent. nam & hoc verba illa apertissimè indicant.
» Et non festinabit ad exitum propter virtu-
» tem innatam, & potius propter occasio-
» nem. Si enim dicamus, octauo mense editum propter virtutem innatam ad exitũ festinare non propter occasionem; iam, quia contrariorum contrariæ causæ sunt, partum hunc vitalem esse oportere de Auicennæ opinione, nemo, arbitror, negabit. Neq; cum his pugnant ea, quæ paulò post in eodem capite scripta leguntur in hanc
» sententiam. Et dixit Aristoteles, quòd
» omnium Animalium partus est determina-
» tus, sed hominis non; quia aliquando pa-
» rit in fine nouem mensium, aliquando in
» fine octo, & parum viuit ille, qui nascitur
» in fine octo mensium. & fortasse non na-
» scitur in octauo mense, sed mulieres dicũt
» hoc, quia eis accidit sanguinis menstrua-
» tio à principio impræegnationis; & hoc nõ
» computant. Enimuero non tàm loquitur hîc Auicennas ex animi sententia, quàm placita refert Aristotelis. qua tamen in re ab eius vera mente plurimum discedit; dũ scribit Philosophum asserere, non edi verè partum octauo mense, sed mulieres deceptas id falsò affirmare. Recitat enim Aristotelis verba ex septimo Historiarum & sententiam; quo loco non Auicennæ tantùm visum est, sed magno quoq; Alberto maiorum gentium peripatetico, hæc Aristotelem asserere; cùm tamen omnino cõtrarium ibi doceat, quemadmodum libro tertio planum fecimus. Quod verò inquit Auicennas, Philosophum octauo mense genitos parum viuere voluisse; an consentiat cum veritate, facilè quisq; poterit ex nuper citato loco iudicare. Illud potius tanquam Aristoteli maximè consentaneum adnotare libet; tantum virum, cùm verbis superioribus tunc oriri partum affirmat, cùm membra completa sunt; maturitatem ipsam partus causam agnoscere, quam & alimenti & euentationis inopia consequã-tur; non quidem velle, vt perperam pleriq; opinantur, alimenti defectum & euẽtationis humani partus esse causas; siquidem inquit quidem, partum tunc fieri, quando non sufficit puero alimentum, & aer, sed non inquit hæc duo partus esse causam; quin potius addens, antequam hęc ipsa eueniant, membra iam esse completa; nam scribit apertè. Et tunc iam erunt mé- »
bra eius completa. quod est, partum iam »
esse adeptum suam maturitatem; manifestè indicat, euentationis alimentiq; inopiam maturitatem sequi, veram scilicet partus causam, vt fusè libro tertio à nobis fuit explicatum. quòd pulchrè his verbis idem Auctor tertio Fen vigesimaprima cõfirmauit, hanc ipsam, quam ex eo docere profitemur, veritatem mirificè comprobans. Partus verò non fit, nisi cùm fœtui »
non sufficit, quod ei mittit secundina ex »
sanguine, & quod peruenit ad ipsum de »
attractione aeris, cùm membra eius iam »
completa sint. his enim, dicens duo illa fœtui non euenire, nisi cùm eius membra completa fuerint; & post maturitatem accedere, & maturitatem consequi, adeò vt ipsa horum duorum sit causa, vt libro tertio vidimus, perspicuè docet; inquit enim perspicuè. cùm iam membra sint comple- »
ta; dicamus clarius, quia sint completa, euentationis & alimenti inopiam accidere. Atq; hæc de primo loco.

Alij duo ex Auicenna loci adducuntur. Item de septimestri partu eiusdem opinio.
Cap. 6.

IN secundò, cùm explicasset proportionem temporis formationis ad tempus motus, temporis motus ad tempus partus (de qua re & primo libro in Vallesij opinione, & sequentibus satis diximus) sic loquitur de partu octomestri. Et na- »
tus in octo mensibus, quamuis sit iam »
completus, tamen plurimum iudicium e- »
ius est, vt non viuat, secundum quòd fa- »
ciam te scire post. & ipse quidem non iam »
integrè completur, nisi secundum pro- »
portionem prædictam; & nascitur apud cõ- »
plementum suum. est enim spatium 40. »
dierum, deinde 80. dierum, deinde 240. »
dierum, & minoratur, & additur secundũ »
quod sciuisti. eodemq; capite ad finem fe- »
rè sic rursus. Partus verò non fit, nisi cùm »
fœtui non sufficit, quod ei mittit secundi- »

Cap. 4.

» na ex sanguine, & quod peruenit ad ipsũ » de attractione aeris, cùm membra eius iam » completa sint. Mouetur ergò tunc apud » septimum ad exeundum, cùm in eo com- » pletur virtus; & cùm deficit, aduenit ei » debilitas quædam; & nõ salit ad ipsum cum » ea virtus vsq; ad nonum. Quòd si egredia- » tur, in octauo egreditur, & est debilis, & » non exprimitur à virtute faciente nasci; » immò ex causa alia exprimente lædente de- » bili. Hæc ille; verùm hinc quid quæso colligent Aduersarij, quod nostram pos- sit labefactare opinionem? inquit enim Auicennas, plurimum esse iudicium ipsi- us, idest multos fuisse, qui arbitrabantur, octauo mense genitos non viuere; quem- admodum infra se dicturum promittit: igi- tur de aliorum potius sententia hoc affir- mat. vel dicit, plurimum esse iudicium e- ius, quòd non viuat, quia plures pericli- tari, pauciores seruari soleant. Deinde illum octauo mense genitum interiturum docet, qui exitum tentauit in septimo, & qui demum non à virtute, vt verbis ipsius vtamur, faciente nasci, exprimatur octa- uo mense, sed à causa alia exprimente læ- dente debili: quæ omnia non solùm ijs, quæ superius statuimus, non aduersantur, sed consentiunt omnino. huiusmodi enim partus erunt octomestres per accidens, nequaquam per se iudicandi; quos interi- turos nos quoq; de Aristotelis sentẽtia af- firmauimus. Quòd si à causa faciente na- sci octauo mense exprimatur partus; idest si non per accidens, sed per se octomestres fuerint, qui nascuntur octauo, quid senti- endum? certè negari non poterit, huius- modi tales de Auicennæ quoq; opinione esse vitales. Sed ad tertium locum expli- candum sermonem conuertamus; in quo ex proposito quæstionem de tempore na- turali partus tractat Auicennas; vt ex eo maximè de sententiæ ipsius veritate co- gnosci possit. Est locus hic, vt dicebamus, Fen vigesima prima tertij, vbi sic primùm de Septimestri loquitur. Et scias id, quòd » mensis septimus est primus mensis, in quo » parit ipsum; & est fœtus fortis creationis, » & complexionis: cuius creatio velox fuit, » & cuius motus festinauit, & cuius petitio » ad exitum fuit velox. & multotiens qui- » dem moritur natus infra hoc spatium, quo- » niam tolerat motus vehementes in debili- » tate creationis huius. natus nanq; licèt » in radice sit fortis, tamen est proximi spa- » tij in creatione. Multa autem sunt in his Auicennæ verbis plurimi momenti consi-

Tract. 2. Cap. 1.

deranda. Primum est, mensem septimum (intelligamus nos tamen non affectũ con- fectumq; tantùm, sed etiam incipientem) primum esse partus mensem; vt ante hoc tempus partus nullus edi vitalis queat, quemadmodum etiam septimo Historiarũ docuit Aristoteles. diximus autem ince- ptum mensem septimum non expletum tã- tùm esse intelligendum; quia dimidio an- no, scilicet 182. diebus potest nasci vitalis infans, vt septimo libro de Hippocratis mente demonstrauimus, Galeno super li- bellum de Partu Septimestri consentiente, ac reliquis omnibus: quod etiam alio lo- co placuit Auicennæ. qui nono de Natura Animalium ex luculento quodam teste re- fert, partum post sex menses genitum su- perstitem fuisse.

Cap. 4.

Cap. 5.

Auicennę de septimestri partu plenius explicatur opinio. Gentilis confutatur expositio.

Cap. 7.

ALterum est, quod secundo loco ex ver- bis Auicennæ elicimus; tres esse con- ditiones, quæ partum efficiant septime- strem; prima est, quòd creatio, vt ipse in- quit, sit velox; secunda, quòd motus festi- net; tertia, quòd petitio ad exitum sit ve- lox. quæ quidem omnia idcircò euenire censuit Auicennas, quia partus fortis sit creationis, & complexionis. quid verò voluerit ipse hisce conditionibus significa- re, hi facilè norunt, qui eorum, quæ in Disceptatione, & alibi de septimo mense genitis ex Alexandro, & alijs attulimus, memoriam habebunt: docuit enim ipse, fœtus illos edi septimestres, quorum vir- tus formatrix fuerit maximè potens, & mẽ- strua materia calida, benèq; concocta. si- quidem in talibus agente causa materiam longè superante, vt aliquando D. Thomas acutè animaduertit (quanquam & alia ra- tione, vt alibi à nobis expositum fuit, in septimestris quoq; ortu materia dicitur formam superare) contingit & creationem velocem esse; idest breuissimo temporis interuallo, in quo possit humanus fœtus perfici, formationem absolui; & celerius in vtero fœtum moueri; & proinde cele- rius excludi. quorum tamen sententiam à vero aberrare tertio libro demonstrauimus Auerrois & Aristotelis auctoritate; eò quòd formatio, creatioq; septimestrium velox dici possit, sed non tamen fortis tẽ- peratio; cùm ab optimo temperamento excidat, quemadmodum ibi longius ex- pli-

plicauimus, atq; assymetria agentis, ac materiæ oriatur. Tertium & maximoperè notandum in Auicennæ verbis est, huiusmodi partus septimestres de illius etiam sententia vt plurimum interire, quod si non Aristoteles, certè ante illum omnium Sapientum Dux Hippocrates testatus est. siquidem hoc est, quod verbis illis docet Auicennas. Et multotiens quidem moritur natus infra hoc spatium. quo loco nulla possumus ratione Gẽtilis admittere interpretationem; qui inquit, Auicennam his verbis ostendere, fœtum infra hoc spatiũ, idest ante menses septem multotiens nasci, atq; , vt nonnullis etiam placet, interire; quorum sententiam septimo libro confutauimus, demonstrantes multoties quidẽ nasci fœtum ante septimum his verbis velle Auicennam, Gentilem existimasse; sed non tamen multoties mori, sed semper. enimuero si hoc scriberet Auicennas, toto cęlo à se ipso dissentiret; dictum nanq; superius ab eo est, primum tempus vitalis partus esse mensem septimum: ac ipse quidem Gentilis minimum huiusmodi tempus appellauit; itaq; ante illud nullus vitalis edi poterit. at hîc de Gentilis (vt isti volunt) sententia diceret Auicennas, genitum ante mensem septimum multotiens, idest vt plurimum interire: ex quibus sequitur, aliquando viuere ipsum posse, ꝗ tamen superius videbatur pernegatum. quamobrem relinquitur, vt verba illa, infra hoc spatium, perinde valeant, ac si dixisset Auicennas septem mensium spatio; quo pacto nil absurdi sentẽtia continebit. enimuero idem significat infra septem mẽses, quod & in septem mensibus; sicuti & nihil interest, si dixeris in calendis, & intra calendas, quemadmodum Gellius libro duodecimo Noctium Atticarum eleganter ostendit. atq; de genitis mense septimo non ante septimum loqui Auicennam, verba, quæ sequuntur, latisimè probant; quibus causam explicat eius, quod dixerat, inquit enim, infra illud spatium eos interire, quoniam tolerant motus vehementes in debilitate creationis huiusmodi, idest vehementius læduntur, quàm eorum natura patiatur. cùm enim humano partui longius tempus sit magis naturale, vt tertio libro demonstrauimus, septimestres tanquam breuisimo temporis interuallo geniti, sunt hac de causa imbecilles: atq; hoc est quod debilitatis creationis nomine intelligit Auicennas; vnde facilè, cùm motus partus vehementes, magnamq; hanc mutationem nequeant sustinere, emoriũtur; tametsi fortis esse creationis hos fœtus paulò supra dixerit de radice intelligẽs creationis; vt sequentibus verbis satis clare indicat. quæ quidem continuata sententiarum series, de nulla alia re præterquàm de ea, quæ initio orationis proposita fuit, perpetuò disputari, satis monstrat; videlicet de genitis mense septimo; non de illis, qui ante hoc tempus oriuntur. Sumpsit autem hoc vir doctisimus ex magno Medicinæ parente; qui libello de Septimestri Partu, septimestres ideo præter alias causas interire scripsit, quia sunt parui; quod quidem eis propter breue formationis tẽpus euenire nemo non videt. quare meritò subdit Auicennas, vt debilitatis creationis causam explicaret. Natus nanq; licèt in radice sit fortis, tamen est proximi spatij in creatione. voluit enim dicere diligens hac in re Hippocratis sectator, septimestres, quia proximi sunt spatij in creatione, idest quia, vt dicebat clarius quarto de Animalium Ortu Auerroes, in minori tempore, in quo posit perfici figura hominis, oriuntur, paruos esse, vt docebat Hippocrates (quod & in Opusculo de Fato D. Thomas confirmauit) ac proinde debiles, ideoq; ad vehementisimos partus sustinendos motus minimè idoneos. Atq; hæc de septimestribus Auicennas.

Cap. 13. (margin)

Enarrantur Auicennę verba de octomestri Partu. **Cap. 8.**

CVm hæc de septimestribus dixisset Auicennas, ita subdit de octomestribus. Verũtamen natus in octauo mẽse est, qui plurimum moritur de natis, & parum viuit. Quòd si aliquis viuat de natis in octo mensibus, tunc illud est parum valde. & parum est quòd viuat natus proueniens hoc tempore. Et in quibusdam regionibus non viuit natus octo mensium omnino, quoniam non euacuatur eius dispositio, quin aut sit retardatus in creatione, & motione, & desiderio ad partum vsq; ad hanc horam. & significat quòd eius virtus non est fortis in radice: aut adueniunt ei motus separationis in principio temporis complementi; quamuis sit fortis in radice virtus eius, sicut nati in septimo. Quòd si non fuerit ita; immo fuerit creatio eius, & motus ipsius, & voluntas desiderans peruenire ad partum, & motus eius completi ante illud: tunc huiusmodi fœtus iam conatur euadere à loco suo, & conuertitur;

» sed quid valet eius conuersio, cum qua non
» sequitur intentionem suam, & remanet sic
» conuersus vsq; quò redit ad ipsum virtus
» sua. & facit ipsum deficere debilitas suæ
» virtutis; & accidit ei procul dubio, quod
» accidit debili intento motibus euasionis,
» cùm procedit absq; directione, scilicet las-
» situdo & defectus. infirmatur ergo pro-
» culdubio, & debilitatur, & resoluitur vir-
» tus eius, & cùm nascitur in huiusmodi
» dispositione, est iudicium eius, iudicium
» nati infirmi, debilis; & de iudicijs eius
» est, quòd non speratur ei vita. Hæc Aui-
cennæ est de octauo genitis disputatio; cu-
ius verba adeò incondita, horridaq; sunt
Interpretis vitio, & penè inquinata; adeò
obscura; vt cogant nos desperare omnem
veritatem. ita enim loqui videtur quasi
nos celet, vt Pythagoras solebat alienos,
consultòq; dicat occultè. conabimur ta-
men pro virili nostra parte veram ipsius
mentem in tàm vasto, ac lutulento gurgi-
te expiscari; quam vt facilius assequamur,
sigillatim erunt nobis verba expendenda.
» Inquit igitur. Veruntamen natus in oc-
» tauo mense est, qui plurimum moritur de
» natis, & parum viuit. dixerat nanq; su-
pra, ex genitis mense septimo plurimos
periclitari, seruari pauciores; itaq; octo-
mestres cum illis comparat, & periculo-
siores esse statuit; ita vt plures etiam ex
illis quàm de septimestribus velit interire.
nam & hoc est, quod subdit, natum in oc-
tauo mense esse, qui plurimum moritur de
natis. Atqui hoc nostræ sententiæ nihil
officit; qui iam pridem libro tertio docui-
mus, octomestres partus & per se & per ac-
cidens minus esse septimestribus vitales:
quo posito sequitur, si ex septimestribus
pauci seruantur, pauciores ex octomestri-
bus fieri superstites oportere; non sequi-
tur, nullos octomestres non superesse.
quare non propterea octomestres sunt re-
fellendi tanquam non vitales, aut illegiti-
mi partus, aut tanquam abortus, ac præter
naturam geniti; nam & septimestres, licèt
ex illis seruentur pauciores, nihilominus
legitimi partus iudicantur à Iurisconsul-
tis, & recipiuntur. Itaq; cùm hoc dicit
Auicennas, cùm plures interire octome-
stres affirmat, seruari pauciores; absq; vl-
la dubitatione aliquos concedit superui-
uere; quod quidem Gentilis in Commen-
tarijs fatetur ab ipsa coactus veritate. scri-
» bit enim. Secundò ostendit, quòd viuat
» natus in octauo mense. itaq; falsum erit,
Auicennam sensisse, nullum octomestrem
viuere posse; quod tamen pleriq; illi im-
ponunt. Notandum est autem, accuratè-
q; animaduertendum, duas propositiones
Auicennæ verba statim nobis ob oculos po-
nere; quarum prima est, octomestrium plu-
res interire, superuiuere pauciores. Se-
cunda, in nonnullis regionibus nullos oc-
tomestres esse vitales. ex quibus contrari-
um sequi illius, quod Gentilis existima-
uit, nemo est qui non videat.

*Gentilis quędam affertur expositio, & reijci-
tur. item Cardanus confutatur.*

Cap. 9.

INquit ipse Gentilis in Commẽtarijs sic.
» Nota quòd iste est textus Aristotelis
» septimo de Historijs cap. 4. qui vult, quòd
» in quibusdam regionibus nascuntur in oc-
» tauo, & viuunt, & sunt regiones calidæ.
» causa est, quia citius fiunt magni, & citi-
» us eis deficit nutrimentum, & consuma-
» tur à calore. Sed in alijs regionibus non
» viuit. Verùm Auicennas non dicit, octa-
uo genitos in quibusdam regionibus vi-
uere, sed è contra in quibusdam regioni-
bus non viuere; itaq; longè magis fauebit
octomestribus quàm Gentili videatur. sic
enim scribens videtur velle, octauo geni-
tos posse viuere vbiq; ferè locorum, cum
illa tñ cõditione, quòd scilicet plures inte-
rire intelligãtur, seruari pauciores: excipi-
endas nihilominus esse nõnullas regiones,
in quibus nullo modo viuere queant; cuius
rei causam statim sequentibus verbis ad-
ducit Auicennas. quod cùm Gentilis nõ
animaduertisset, generaliter illum causam
afferre & simpliciter mortis octomestriũ
arbitratus est. Verba Gentilis hæc sunt.
» Probat quòd natus in octauo non viuit, &
» arguit sic. Natus autem in octauo acce-
» lerat motum ante tempus suę perfectionis;
» aut tardat motum suum post tempus suæ
» perfectionis; ergo natus in octauo non de-
» bet viuere. consequentia tenet, quia an-
» te tempus perfectionis non viuit. Si autẽ
» retardat, signat magnam debilitatem, &
» sic etiam non viuit. antecedens ponitur in
» litera. At verò Auicennæ oratio adeò cõ-
nexa est, & continuata, vt interpretatio-
nem hanc nullatenus recipere queat; cùm
» enim dixisset. Et in quibusdam regioni-
» bus non viuit natus octo mẽsium omnino.
» statim sequitur, rationem adducens. Quo-
» niam non euacuatur eius dispositio, quin
» aut sit retardatus in creatione, & motio-
» ne, & desiderio & c. Itaq; luce meridiana

cla-

clarior sententia erit, in regionibus illis nullum octomestrem viuere, quia in eis octauo prodeuntes vel serius in lucem veniunt præ imbecillitate, cùm alioquin illorum temperamentum esset septimestre; vel maturius, eò quòd, cùm principium tantùm adepti fuerint perfectionis, quod partus omnes septimo mense accipiunt, non cùm plenè maturi sunt, nasci illis contingat. cùm enim maturitatis plenæ tempus illis sit nonus mensis, properant exitum, & octauo veniunt in lucem. siquidem hoc est, quod inquit Auicennas, huiusmodi octomestribus aduenire motus separationis in principio temporis complementi, quamuis sit fortis in radice eorum virtus, sicut & illius partus, qui temperamenti est septimestris. intelligit enim per separationis motum partum ipsum, & ab vtero separationem; nomine verò principij temporis complementi mensem septimum exactum, & currentem octauum; quia mense septimo, vt toties ex Hippocrate aperuimus, perfectionis principium fœtus adipiscantur: quibus positis concludit, quãuis huiusmodi partus, non secus ac septimestris, virtute polleat, euenire tamen vt intereat; quia ante adeptam plenam maturitatem, quam nono mense erat adepturus, in lucem veniat. At enimuero ex his perspicuum esse, nemo dubitare poterit, non de omnibus loqui Auicennam octomestribus, sed de illis tantùm, quos per accidens octomestres vocandos esse tertio libro docuimus; & quos viuere non posse, nos quoq; vltrò concedimus. item non causam reddere vniuersaliter infelicitatis, necisq; octomestrium. tandem non dicere, in quibusdam tantùm regionibus hos partus viuere, vt Gentilis existimauit; sed, cùm præfatus esset generaliter, hos partus esse vitales, sed nonnullis in regionibus non superuiuere; huius posterioris dicti causam adducere, qualem iam exposuimus. quod si verum est, quam falsò Cardanus Contradicentium Medicorum libro primo Auicennæ imponat, quòd hoc loco octomestres tantùm, qui in Aegypto oriuntur, vitales esse dicat; quodq; hos etiam rarò viuere existimet, facilè quisq; iudicabit. Cardani autem hæc est oratio.

Tract. 3. contrad. 8.

» Et similiter est auctoritas eius vigesimaprima Tertij t. 2. cap. 1. quam etiam malè citat Conciliator, & in contrariam illius sententiam: & est quòd natus in octauo mense in quibusdam regionibus nullo modo viuit, & vbi vitalis est, parum vitalis est, ac rarò. Hoc autem dixit, quia Aristoteles in Aegypto affirmat, octauo genitos pueros mense viuere: vult enim hoc Princeps etiam rarum esse. At nullam esse de Aegypto hoc loco mẽtionem, satis constat; item vbiq; locorum nonnullis tantùm exceptis octomestrem vitalem constitui. quare iniuria Cardanus à Philosopho Auicennam facit dissentaneum, quem sibi in hac materia ob oculos sequendum ipsum Auicennam proposuisse, quæ in libris de Animalibus ab eo disputata sunt, latissimè probant. Nec interea taceam, causam à Gentili allatam, quare in calidis locis octauo geniti viuere possint, nullam habere firmitatem, enimuero si voluit, vt verba ipsius sonant, octomestres locis illis prodire vitales, quia loci calore adiuti fœtus citius augentur, & magni fiunt, citiusq; eis deficit idcircò nutrimentum; vt propterea, qui nono alioqui fuisset in frigidioribus locis maturitatem adepturus, octauo eam calidioribus adipiscatur; hoc si verum esset, cur & locis nostris octomestres vitales non prodirent? si enim nostris regionibus septimo mense partus maturescit, & mense septimo fit magnus, eiq; deficit alimentum; quare & octauo non poterit magnus fieri, eiq; alimentum pariter deficere? vt propterea necesse sit ad calidiores confugere regiones? Quòd si voluit Gentilis dicere, octomestres partus in regionibus calidis citius fieri magnos; iam tales ante octauum prodire oporteret: prӕterquàmquòd & causa cur particulariter octomestribus in calidis regionibus id eueniat, alijs verò non, Gentili erat afferenda.

Alia Auicennæ verba enarrantur Gentilisq; reijcitur. *Cap.* 10.

IAm verò quoniam vno inconueniẽti dato multa sequuntur; cùm ab Auicenæ mente in his enarrandis verbis Gentilis aberrauerit, necesse fuit, vt in alijs quoq; interpretandis ab eadem longissimè discederet. postquam enim ad causam aperiendam Auicennas hæc verba attulisset, quare locis quibusdam nulli viuant octomestres, ita statim subdit. Quòd si non fuerit ita, immò fuerit creatio eius, & motus ipsius, & voluntas desiderans peruenire ad partũ; & motus eius completi ante illud & c. Quæ verba in hanc sententiam Gentilis interpretatur. Declarat (inquit) quòd natus

» tus post tẽpus cõplemẽti, moriat; & patet
» quia iam est supra sententiata. Quòd si nõ
» fuerit, idest si non veniat tempus comple-
» menti. Euadere, idest agnoscendi. con-
» uertitur, scilicet ad dextram. & remanet,
» scilicet vsq; ad octauum. & paulò post.
» Nota, vt patet quarto de Generatione Ani-
» malium in fine dat causas partus naturalis,
» & oportet, quare ille, qui debet oriri in
» septimo, si pariatur in octauo, non viuit;
» & dat causas determinatorum periodorũ;
» & dicit, quòd sicut ad necessitatem gene-
» rationis fœtus requiritur lumen Solis, &
» Lunæ, ita est necessarium in complemento
» eius oriri secũdum determinatos aspectus
» corporum supercœlestium. & ideo dicit,
» quòd, sicut quarta, septima, vndecima, &
» huiusmodi sunt dies creticæ secundum de-
» terminatos aspectus, & periodos, ita etiam
» de partu; quia primus terminus ortus nati
» est mensis septimus, & huiusmodi. & di-
» cit quòd in multis animalibus est diuersi-
» tas partus nisi in homine; & hoc propter
» sui perfectionem. Hæc Gentilis; cuius e-
go interpretationem longissimè à scopo aberrare autumo; loquitur enim adhuc Auicennas de octauo genitis, quos in regionibus quibusdam dixerat viuere non posse; & dubitationem quandam tollit, quam videbat occurrere. dicere nanq; aliquis potuisset, esto locis illis eos partus octauo mense genitos viuere non posse, qui vel maturius, vel tardius in lucem veniũt, quàm illorum patiatur temperamentum; quid de eis dicemus, in quibus hæc locum habere nequeunt? sit enim partus aliquis, exempli gratia, temperamẽto octomestris, is igitur octauo si oriatur, in regionibus illis superuiuet. at dixerat Auicennas, nullum locis illis viuere posse; quare & omnem exclusit octomestrem. Hoc igitur est, quod adductis verbis probare conatur, hu-
» iusq; rei causam afferre; atq; inquit. Quòd
» si non fuerit ita; immò fuerit creatio eius,
» & motus ipsius, & voluntas, & c. creatio-
nis nanq;, motus, ac desiderij nomine tres illas insignes, quæ fœtui eueniunt, dum vtero gestatur, intellexit mutationes; scilicet figurationem, motum; & partum: & dicere voluit, vt ego arbitror, quòd si octauo genitus locis illis nec fuerit maturius editus, nec serius, sed suo tempore; ita vt & formatio, & motus, & partus temperamenti sint octomestris; nihilominus non viuet; quoniam, tametsi exitum affectet, ad illumq; paretur facta in vtero conuersione, nihilominus egredi nequit præ imbecillitate; & si in lucem veniat, omnino interit. nam & hoc est, quod sonant verba illa apertissimè. Sed quid valet eius »
conuersio, cum qua non sequitur inten- »
tionem suam, & remanet sic conuersus vs- »
queque redit ad ipsum virtus sua. & facit »
ipsum deficere debilitas suæ virtutis. & »
paulò post. Et quando nascitur in huius- »
modi dispositione, est iudiciũ eius iudici- »
um nati infirmi debilis; & de iudicijs eius »
est, quòd non speratur ei vita. Hæc Aui- »
cennas; quibus (vt conspicuum est omnibus) clarissimè statuit, partus in regionibus illis octauo prodeuntes (siquidem semper de talibus sermonem habet) etiam si nõ veniant in lucem ante, vel post suæ maturitatis tempus, nihilominus viuere non posse; quia debiles sint & imbecilli: vt, si tunc nascantur, illorum vita sit omnino desperanda. cuius sanè imbecillitatis cùm nullam afferat causam Auicennas, nullum indicium; meritò disputationem totam nutabundam reddidit, & summè obscuram. Cæterùm quoniam ipse paulò infra de nonomestribus loquens dicit, si inter huiusmodi partus aliquis sit, qui nono mense, non ante, exitum affectet, ad illumq; colluctetur; hunc maximè esse imbecillum, iudicandum esse; veluti qui præ sua imbecillitate ante tempus plenæ maturitatis se exitum desiderasse, nullum suis motionibus indicium dare potuit; non valde fortasse aberraret, qui diceret, partus illius octomestris imbecillitatem vel inde iudicari, quòd non ante octauum mensem egredi conetur. quod quidem præ imbecillitate contingere censuit Auicennas; veluti qui constanter existimauit, naturæ lege multò antea partum moueri, exitumq; affectare, quàm perfectæ maturitatis tempus illi adueniat. ex quò & de nonomestri, ac decimestri partu ita statuit. Natus autem in »
nono, si completa fuerit eius creatio, & »
desiderat moueri in septimo, & non fuerit »
ei possibile vt euadat; immò remanet in »
matrice, & acciderit ei in octauo quod di- »
ximus; viuet, in spatio mensis ita redeunte »
ad ipsum virtute, & æquabitur à conuer- »
sione sua vsquequo redeat conuersus, & »
confirmetur: cùmq; nascitur saluatur. & »
cùm non sit ita, immò non desiderat nisi »
moueri in illa hora; tunc iudicium eius est »
iudicium hominis debilis omnino. Et plu- »
rimum quidem nascitur in decimo ille, cui »
accidit, vt desideret partum in nono, & nõ »
fuit ei præparatum; & accidit ei illud, quod »
accidit nato in octauo; & parum quidem »

ac-

» accidit, vt sit assiduatio separationis cadẽs » in septimo, deinde extendatur vita vsq; ad » decimum; ita vt eueniat ei integra vita in » decimo: hoc enim rarum est, & cum hoc » est significatio debilitatis virtutis, cùm » currit vicissitudo ex septimo vsq; ad deci- » mum. Hæc ille; quæ verba sequenti capite enodabimus.

De nonomestribus, ac decimestribus quędam ex Auicenna. De noni mensis in decimestri partu infelicitate ex eodem. ostenditur nil sententię nostrę Auicennę obesse opinionem.

Cap. II.

SVperioribus verbis Auicennam apertè decernere, nono prodeuntem exitum in septimo affectasse (quo loco expletum septimum, octauumq; ineuntem oportet intelligere) decimo nascentem ad exitum esse colluctatum in nono, videlicet in octaui fine, noniq; principio; hosq; partus vnius mensis spatio feriari oportere, & quiescere, vt vires redintegrent: si verò exitũ non desiderauerint ante per mensem, id imbecillitatis eximiæ esse in illis argumẽtum, nemo est qui non videat. quo rursus loco maxima dignum est animaduersione, quod inquit de partu decimestri, exitũ ipsum in nono affectare, & accidere ei illud quod accidit nato in octauo: videtur enim velle, nonum mensem huic partui ita esse periculosum, & infelicem, sicuti est octauus nonomestri. nam & ad hoc respiciens propterea dixerat de ipso nonomestri. » Immò remaneat in matrice, & accidit ei in » octauo quod diximus. voluit enim dicere octauo mẽse nonomestrem factum esse imbecillum ob exitum, quem affectauit, & motum quem edidit in fine septimi, octauiq; principio. quo etiam in loco neq; illud pretereundum, quod de eodem adiũgit decimestri; raro omnino contingere, vt decimo in lucem veniens, septimo mense exitum affectauerit, nimirum quia nimis magna sit naturæ transgresio: simile nãq; est, quod nos libro tertio dicebamus; partum, qui septimo mense maturus sit, nec possit (quæq; illa causa fuerit) egredi; octauo vt plurimum non nono, vel decimo prodire; quia natura non nisi mirificè coacta maximas hasce faciat transgresiones. Verùm ad illud, de quo agebamus, nobis reuertendum est. Si igitur Auicennas verbis superioribus loquitur de octomestribus, qui, licèt suo tempore oriantur, nihilominus locis illis pereunt, fortasse quia regionis intemperies imbecillitatem illorũ auget; vt propterea interire illos sit necesse: nullo modo de natis post tempus complementi, vt clarioris doctrinæ gratia horrida ista vtamur oratione, sermonem habet, quemadmodum Gentilis existimauit; quin potius de genitis complementi tempore disputationem instituit. qui, si præterea credidit, de octomestri partu his verbis non esse sermonem, à vero plurimum aberrauit. quod enim de octauo mense genitis disputatio in eis habeatur, verba quæ sequuntur illa. Natus autem in nono & c. » latissimè probant. est enim disputationis ordo, quem seruat Auicennas, vt primo loco de septimestri, secundo de octomestri, tertio de nonomestri, quarto demum ac postremo de partu decimestri verba faciat. qua in re & illud quoq; magna dignum est, mea sententia, admiratione, quòd Aristoteli Gentilis imponit, de crisimis diebus quarto de Animalium Ortu ab eo esse disputatum; vbi nec verbum quidẽ de illis, seu de mensium partus cum diebus istis comparatione. vt præteream, non solùm non dixisse Philosophum, in multis animalibus esse partus diuersitatem, in homine verò non, propter suam perfectionẽ, sed contrarium omnino asseruisse; videlicet reliquis animalibus nullam esse partus uarietatem, homini verò soli perquàm varium tempus pariendi. Nisi in Contex- » tu Gentilis mendum sit, & pro, in multis » animalibus, legendum potius sit, in nullis » animalibus. quod mihi valde probatur; cùm tam crassum, supinumq; erratum tanto homine indignum videatur. Hæc igitur Auicennæ disputatio est de mensibus humani partus; hæc vera mens de octauo mense, & de partu octomestri; in qua nil contineri, quod sententiæ nostræ aduersetur, longèq; aliter eum de octomestribus sentire quàm communis credat opinio, nemo est, qui non videat; vt hinc non meis sed summi huius Philosophi verbis lectores admoniti discant populares opiniones aspernari, & non quæ vulgus, sed quæ ratio ipsa vera putat, diligensq; consideratio, sectari. enimuero si aliqui octomestres vitales oriuntur, idq; vbiq; locorum habet nonnullis exceptis regionibus veritatem; igitur hi partus sunt naturales; igitur non omnes Auicennas octomestres refellit, vt multorum fuit opinio à vero dissentanea. si enim naturaliter fœtus ex Auicennæ opinione vitalis proditurus mensis vnius spa-

spatio ante maturitatis plenæ tempus exitum desiderare debet, ac præterito mense vires penitus recuperat; igitur & fœtus septimi initio exitum affectans, vel circa medium mensis septimi, vitalis & vitæ cōpos initio octaui, aut circa medium eius prodibit in lucem: quia cùm vnius mensis spatio in vtero permanserit, contractam ex motu imbecillitatem iam penitus amiserit. posse enim initio septimi fętum ad exitum colluctari, nemo diffitebitur principijs Auicennæ receptis; qui, cùm initium temporis complementi fœtui aduenit, exitum naturaliter ipsum desiderare, ponit. vt nulli esse dubium queat, octauo genitos, qui per se non per accidens sint tales, de ipsius sententia esse vitales; vt meritò nono de Natura Animalium octomestrem partū videatur idem recipere, & nulla facta de ipsius vel morte, vel imbecillitate mentione vitalem agnoscere, ita scribens. Et aliquando parit mulier in fine octaui mensis, & tunc super caput nati apparent superfluitates spermaticæ.

Cap. 5.

Difficilis quędam ex Auicennę dictis tollitur dubitatio.

Cap. 12.

NEc veritatis huius conturbat cognitionem, quòd Auicennas dicere videtur, illos etiam, qui octauo maturi sint, periclitari, si eo mense oriantur; enimuero non de omnibus octomestribus id affirmauit Auicennas; nec de genitis vbiq; locorum, vt superius vidimus; sed de illis tātùm, qui particularem regionem habentes aduersam, ac repugnantem, si in ea nascātur, viuere non possunt: quod quomodo intelligendum, quauè ratione cœli positus, ac loci, regionisq; situs octomestribus obesse, vel prodesse dicendus sit, vberrimè libro quinto in Aristotelis explicanda opinione expositum fuit. Verùm dicet aliquis, si decimestris partus exitum in octaui fine, & noni initio debet naturaliter affectare; nonomestris in septimi fine, octauiq; initio; octomestris in principio septimi (qua in re an cum Hippocrate, & Aristotele consentiat Auicennas, aliorum sit iudicium) partus septimestris quo nam mense exitum poterit desiderare? huiusmodi nanq; desiderium, vt Auicennæ terminis vtamur, non potest ante principium temporis complementi, vel ipso concedēte Auicenna, fœtui exoriri. at temporis hoc principium septimus est mensis, septimiq; principium, vt apertè docuit Hippocrates libello de Septimestri Partu; ipseq; videtur indicare Auicennas, dicens septimum mensem primum esse, in quo fieri partus possit; itaq; fœtus, vel quo primùm tempore exitum affectat, vitalis prodire poterit; quod tamen non videtur concedere Auicennas ob illam rationem, quia fœtus ante plenam maturitatem exitum non tentans, sit imbecillus: vel ante septimum maturitatis principium adueniet, quod & rationi, & communi Philosophorum sententiæ aduersatur: vel demum affectabit exitum fœtus, antequam maturitatis illi accedat principium, quod pariter est Philosophis, & Medicis contrarium. Huic dubitationi, quam & difficillimam esse, & Auicennæ dogmata maximè vexare video, sic ego putarem satisfaciendum; doctis viris prouinciam relinquens, vt dent ipsi meliora. Dicerem igitur, iuxta Auicennæ placita septimestrem partum in radice reliquis esse fortiorem; nam & propterea fortis creationis ipsum esse dixit; ideoq; solū inter cæteros hanc habere proprietatem, potestatemq;, vt quo tempore exitum affectet, vitalis prodire valeat; quia ob viriū robur non solùm affectare, sed & consequi exitum possit; idcircò non esse necessariū, vt ante septimum principium illi maturitatis oriatur, aut exeundi desideriū. quam profectò sententiam Albertum quoq; secutum esse libro tertio annotauimus; dicente ipso libro decimo de Animal. rarissimè contingere, quòd partus statim exeat, cùm exitum desiderat; idq; in eo tantùm locum habere, cuius creationis principia (vt verbis vtamur ipsius) sunt fortissima; quod quidem perinde est, ac si in septimestri dixisset euenire; cuius fortissimam creationem esse, Auicennam sequens, non semel affirmauit. Verùm hactenus monstratum sit Auicennæ opinionem nihil nobis officere. de cuius mente cùm plenè, vt arbitror, differuerim, vnus superest scrupulus diluendus circa dictum ipsius illud, quòd octauo geniti in Hispania sint vitales. inuenietur enim fortasse aliquis, qui dicat, Auicennam Persam fuisse, & in Perside scripsisse; quæ regio cùm vicinior sit Aegypto, quàm Hispaniæ, facilius illi multò fuisse, scire an in Aegypto octomestres superuiuerent; & tamen hac de re ne verbum quidem fecisse. Itaq; cùm de Hispania illa profert, credendum esse, ex aliorum fide ea protulisse; cùm alioqui & Ferdinādus Mena, & Vallesius, & Mercatus viri doctissimi,

Tract. 2. Cap. 4.

mi, & oculatiſsimi, qui in varijs Hiſpaniæ partibus monumenta ſua conſcripſerunt, negent in Hiſpania octauo menſe natos viuere. Reſpondemus; quòd Auicennas dixerit, in Hiſpania octomeſtres eſſe vitales, nos ex Valeriolæ, aliorumq; fide retuliſſe; non legiſſe apud ipſum: proptereaq; locũ non indicaſſe. quòd autem hic Auctor nõ omnes cenſuerit octauo genitos periclitari, paulò ſupra aduerſus Medicos oſtendiſſe, ac Iuriſperitos; propterea, ſiue hoc aliorum relatione dixerit, ſiue expertus ipſe ſit, ſiue etiam non dixerit, parui eſſe momenti (quod ad ipſius hac in re pertinet auctoritatem) exiſtimandum. Satis enim nobis eſſe, colligere ex eius ſcriptis, contra vniuerſalem Medicorum plurium propoſitionem, & Iuriſperitorum, nullos octomeſtres naturaliter viuere poſſe Auicennæ etiam auctoritate aſſerentium; aliquem octomeſtrem naturæ lege vel ipſo concedente Auicenna viuere poſſe. an autem ipſum latuerit, in Aegypto hos partus eſſe vitales, & cur eorum nullam fecerit mẽtionem, non eſſe noſtrum diuinare. Quod verò ad Ferdinandum, Valleſium, Mercatũ ſpectat (preterquàmquòd eorum nonnulli quinto etiam menſe genitos vitales prædicant) legiſſe quidem nos apud illos, octomeſtres de Hippocratis ſententia non eſſe vitales, cui & ipſi ſubſcripſerunt; arbitrantes verè Hippocratem illam habuiſſe opinionem; quòd verò ſe eſſe expertos teſtificentur, hos partus in Hiſpania non eſſe vitales, nos apud eos nõ legiſſe: vt, quidquid de octomeſtribus ſcripſerunt; communi irretitos errore ex aliorum ſententia ſcripſiſſe potius quàm ex propria periclitatione videantur. vt interim taceamus, Ferdinandum non omnes omnino repudiaſſe octomeſtres, ſicuti ſuo loco à nobis animaduerſum fuit. atq; de Auicenna ſatis. Barbarorum nunc dumeta relinquentes purioris Medicinæ alumnos audiamus; qui, tametſi in reliquis ferè omnibus horum dogmatibus aduerſati ſint, acriterq; repugnauerint; in natura tamen octomeſtris partus iudicanda fortuna neſcio qua præceptorum ſuorum Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni, ſuiq; muneris obliti, horum præſtigijs inuolui paſsi ſunt; ab illiſq; ſeducti, & perſuaſi, ſecuti ſunt illorum opinionem; ad necem octomeſtrium adeò ſimul conſpirantes, vt increpare eorum videantur arrogantiam quaſi irati, qui aliter ſentiunt. hæc enim eorum eſt vna ſententia, vt octauo genitos velint periclitari; quam Peripateticorum nemo probat; eamq; nulla fuit ratio perſequi.

Fracaſtorij, & Muſe opinio ventilatur. Obiter quorundam Recentiorum de formationis ac motus terminis diſcutitur ſententia.

Cap. 13.

INter Galenicæ ſectæ profeſſores primus occurrit Fracaſtorius, quocum manus conſeramus. is (qui vir & quantus) vt ſecundo libro vidimus, ea de cauſa octomeſtres partus refellit, quòd duo tantùm ſint humani ſeminis genera; quorum alterum ſeptem menſibus maturum parit, alterum nouem. At hoc (pace dixerim ipſius) Ariſtoteli mirificè aduerſatur; qui libro quarto de Animalium Ortu triplex eſſe humani ſeminis genus pulcherrimè docuit, triplici proprietati reſpondens illius, videlicet multiparæ, pauciparæ, vniparæq; naturæ, quæ in homine ſimul conſpirarunt: ex quò & tria eſſe pariendi tempora definiuit, tribus his generibus proportione reſpondentia; ſeptimum menſem, decimum, ac tempus intermedium. quamobrem hoc Fracaſtorij fundamentum tanquam voluntarium, ac nutabundum, Ariſtoteliq; repugnans, rationi & experientiæ, venit penitus reijciendum; vt magis ab eo diſputatum, quàm probatum putem, octauo menſe genitos ob hanc rationem non eſſe vitales. Hinc cauſa ab eo allata, cur hi partus viuant in Aegypto, pari vacillat inconſtantia; cùm falſum omnino ſit, vt fuſius libro quinto monſtratum eſt, ab Ariſtoteliſq; mente alienum, idcircò in ea regione viuere octomeſtres, quia bonitate loci defectui immaturitatis ſatisfiat: neq; enim vlla regionis bonitas, vel ſalubritas poteſt immaturum genitum partum reddere vitalem. qua autem de cauſa octomeſtres omnes viuant in Aegypto ex mente Præceptoris, abundè libro tertio, & quinto expoſitum fuit. Notandum tamen interea eſt, hanc Fracaſtorij rationem iam pridem fuiſſe Auicennæ, & Gentilis, vt ſuperiori capite explicauimus; quòd ſcilicet octomeſtris idcircò intereat, quia vel ſerius, vel maturius oriatur, quàm ſuum requirat temperamentum. quanquam, vt verum fatear, tametſi eadem ſit, parq; ratio vtriuſq; Auctoris, non tamen pares apud vtrunq; habet vires; cum apud Auicennam concludens ſit, quia non de omnibus octomeſtribus profetur, ſed de illis

Cap. 4.

tantùm, qui in particularibus quibuſdam locis viuere non poſſunt: apud Fracaſtoriũ verò nullius ſit roboris, quoniam octomeſtres omnes generaliter reſpiciat. Sed de Fracaſtorio ſatis; nunc de Antonio Muſa quædam ſunt dicenda. Ac primùm, quæ de temporibus formationis, motus, ac partus ipſe tradit; à veritate ipſa, & communi ſententia diſſentire, ſatis docuit liber tertius: tùm etiam latiſsimè probant ea, quæ in Mercati, Valleſijq; enarranda opinione diſputauimus de proportione temporis formationis ad tempus motus, ac temporis motus ad tempus partus. Muſa nanq; triplum eſſe formationis tempus ad tempus motus ſtatuit; cùm reliqui omnes duplum tantùm eſſe decreuerint: vt præteream, nullum extitiſſe (quòd viderim) Auctorem, qui dixerit, die 23. atq; ante trigeſimum, partum conformatum apparere: de ea articulatione loquor, cuius tempus bis comprehendit tempus motus; item de ea, quam poſt trigeſimum, quadrageſimo, nonageſimoq; die Hippocrates, & Ariſtoteles terminum habere ſcripſerunt; de qua ipſe Muſa loqui videtur. Hanc Muſæ opinionem vir doctiſsimus Laurentius Operum Anatom. libro ſecundo re ipſa ſequi videtur, tametſi verbis aliter dicat; ſcribit enim. Huius motus primum principium ſtatuit Hippocrates libro de Natura Pueri, & primo περὶ γυναικείων, in maribus tertium menſem, in fœminis quartum, adeò vt conformationis & motus certa ſit, & definita proportio; duplexq; inter conformationem & motum ferè ſemper intercedat tempus. Mares ergo quia trigeſimo die conformantur, nonageſimo mouentur; nonageſimus autem dies tertium menſem complet: fœminæ quia quadrageſimo ſecundo die conformantur, vigeſimo & cẽteſimo mouentur. At enimuerò 30. ad 90. tripli habet non dupli proportionem; itẽ & 42. ad 120. quanquam 126. dicere debuiſſet. 30. enim ad 60. & 42. ad 84. dupli habet proportionem: quare & triplum eſſe formationis tempus ad tempus motus, 30. & 42. formari, 90. & 120. moueri fœtũ ponens, Laurentius agnoſcit, non ſecus ac Muſa. quod & communi Auctorum ſententiæ, & Hippocrati potiſsimum aduerſatur. cuius ſecundo & ſexto Epidemicon hoc legimus oraculum. ὅτι ἐν ἑβδομήκοντα κινέεται, ἐν τριπλασίοις τελειοῦται, καὶ ὅτι ἐν ἐννέα κινεῖται, ἐν τριπλασίῃ τελειοῦται. ideſt. Quod in ſeptuaginta mouetur, in triplicitatibus perficitur, & quicquid in nonaginta mouetur, in triplicitate perficitur. atqui triplicitates hîc ſonant ex communi omnium explicatione ter 70. & ter 90. ideſt. 210. & 270. quare tempus motus ad tempus partus, non tempus formationis ad tempus motus ex Hippocratis decreto tripli habebit proportionem. quandoquidem, vt partũ ſignificaret, vſus eſt verbo τελειοῦται; quo etiam perſpicuè nos docuit, ſe nullam aliam agnoſcere partus cauſam, quàm toties à nobis expoſitam τελείωσιν, ideſt perfectionem, & maturitatem. Atq; huc tẽdunt (vt in re alioqui clariſsima hoc tamẽ alterum teſtimonium Hippocraticæ vocis habeamus) quæ libello de Alimento ſcripta ſunt; ad figurationem ſoles 35. ad motũm 70. ad perfectionem 210. dies eſſe. quibus pariter figurationis tempus ad tẽpus motus dupli, tempus motus ad tempus partus tripli habere proportionem, ex Hippocratis ſententia demonſtratur. Verùm ſi in hoc fœtu, vt ſupponit Hippocrates, dies 70. terminus eſt motus; primùm non ſemper dies 90. etiam in mare hunc terminum dabit, quod tanquam perpetuũ ſupponit Laurentius: deinde qualis nam dies terminum illi afferet formationis? an dies 35? Sed ſi hoc eſt, duplum erit formationis tempus ad tempus motus ex Hippocratis ſententia, non triplum, vt iſti volũt; cæteroqui dies 23. huic formationis ſpeciei terminum afferret, quod Hippocrati omnino aduerſatur; qui libello de Pueri Natura de hac ipſa articulationis ſpecie loquens, ſi ante trigeſimum diem contingat abortus, ἄναρθρον .i. inarticulatũ apparere fœtum, mandauit monimentis; vt ab antiqua celebriq; Philoſophia deficere videantur, qui tempus articulationis ad tẽpus motus triplum eſſe pertinaciter aſſerunt. Sed ad Muſam redeamus. de cuius certè quatuor illis rationibus, quibus octomeſtris partus probat infelicitatem; quid ſentiendum ſit, facilè ex ſuperioribus diſputationibus elucet. de prima nanq; ex Aſtrologis ſumpta, quòd ſcilicet Stella Saturni ad ortum octomeſtrium ſit contraria, dictum ſupra eſt, & in Diſceptatione; diceturq; inferius in Ptolemæi enarranda opinione. De ſecunda à motu conatuq; ad exitum infantis ducta, ſuperius itidem quantum roboris habeat, fuit diſputatum: quare hoc reprehẽſum iam alio loco omittatur. tertia, quæ à quadragenarijs pendet, abundè libro ſexto confutata eſt. quo loco demonſtratum fuit, non omnes humanos partus periodum ſequi exactã quadra-

Cap. 15.

Sect. 3.
Sect. 8.

dragenariorum, vel hebdomadarum. De quarta quid iudicandum, in sententia Fracastorij confutanda supra diximus; eadem enim ratio est, iisdemq; vexatur incommodis; cùm & rationi, & Aristoteli maximè repugnet, & experientiæ, quod Musa sumit tanquam verum, & indubitatum, statutos esse à natura generationis terminos, & maturitatis septimum tantùm, & nonũ: cùm octauus quoq;, quin etiam & decimus Aristotele auctore maturitati à natura sint præfiniti. itaq; Musæ ratio omnino nulla. qui dum Hippocrati imponit, quòd dixerit, decimestres occumbere, cùm septimum excedunt quadragenarium (quæ aliorum etiam fuit opinio) valde aberrat ab eius mente. satis enim libro septimo, octauoq; demonstrauimus, partum post diem 280. à conceptione genitum ad trecentesimum vsq;, & sic post septimum quadragenarium prodeuntem, & decimestrem esse appellandum de Hippocratis sentẽtia, & legitimum, naturalem, vitalemq; partum esse existimandum. Demum si Musæ concedamus, illos octauo genitos interire, qui temperamenti erant septimestris, ac nonomestris, id nil officit nostræ opinioni; esse enim huiusmodi partus per accidens octomestres, satis superiora docuerunt: quos omnino periclitari tanquam genitos prętertempus suę maturitatis, nos quoq; confitebimur.

Gorręi placita expendenda proponuntur; reijcitur eius sententia de causa partus; item de causa multiplicis temporis pariendi, insigne eius testimonium de opinione Aristotelis.

Cap. 14.

ME disputatio Gorræi de hac ipsa re magis mouet, vt docti hominis, & copiosi, & parati, & nihil pretereuntis eorum, quæ aduersus octomestres dici possunt; non tamen vt ei respondere posse diffidam. Ac primùm in partus causa toto Cœlo ab eo dissentio; latissimè nanq; libro tertio probatum est ex Hippocratis, & Aristotelis opinione nõ tàm vteri naturam, vel alimoniæ, refrigerationisq; inopiam, quàm ipsam fœtus maturitatem, veram partionis causam esse existimandam (neq; enim doctissimum Laurentium sequendum puto, qui nuper Oper. Anatomic. libro secundo alimenti aerei & solidi defectum, vteriq; distentionem solas ex Hippocratis mente partus causas esse defendit; addens libro tertio veram partionis causam apud ipsum Hippocratem defectum esse alimẽti) quare & ipsa maturitas vera erit causa, vt ad exitum fœtus concitetur. quod ex Hippocratis decreto statuisse Galenũ quinto secto Aphorismorum satis constat; cùm inquit ipsius Hippocratis adducens orationem, vbi rariora fuerint fœtui & alimẽtum, & auctio, quæ illi à matre aduenit, & ἁδρον ἐν τῷ παιδίον, idest maturusq; fœtus extiterit, calcitrare, ac membranas dirumpere, initiumq; partus matri afferre. quibus & veram partus causam ipsam esse maturitatem, & quod magis est, tametsi illa fuerint rariora, nisi ipsa adsit fętus maturitas, ad exitum fœtum non moueri, illa adijciens, καὶ ἁδρον ἐν τῷ παιδίον, idest, & maturus fœtus extiterit, perspicuè nos docuit; itẽ & partus initium fœtum matri afferre, calcitrando scilicet, cùm est maturus; & (quod alibi etiam diximus) ipsam maturitatem causam esse, vt fœtui alimentum, & auctio sint rariora. alimenti enim, auctionis, & refrigerationis defectus, si modò locum habent, maturitatem ipsam potius consequuntur, vt suo loco declarauimus. neq; vterus, vt visum ex eodem Galeno est, si naturæ ordinem seruat, expultrice vnquã vtitur, nisi cùm fœtus est maturus. Secũdò, in causa tẽporis multiplicis partus insigne mihi cum Gorræo est discrimen; enimuero cur solus inter omnia animalia homo diuersa habeat tempora pariendi, libro tertio exposuimus ex mente Pręceptoris; ibiq; sequentes eas vias, quas didicimus ab eo, pluribus ostendimus, neq; imaginatiuam, neq; motum fœtus varium, variamq; formationem multiplicis huius temporis esse causam; sed quia homo sua natura multiparum sit animal, pauciparũ, & vniparum; hæc verò animalia non vnum eundemq; pariendi terminum habeant; vt homo, in quo reliquorum ferè proprietates, ac naturæ mirabiliter conspirarunt, quia hac in re cum omnibus generibus ambigit, non vnicum, sed diuersa maturescendi partus tempora habere debeat. quam sanè causam tanquam ratione naturali nixam longè esse ad veritatem propẽsiorem, si quis negauerit, desipere videatur. vt prætercam, secundam, & tertiam causam à Gorræo allatam principium petere; nam & hoc est, quod nos quærimus, cur non vnicus sit terminus motus infantis, & formationis, sed varius, & multiplex; cùm tamen in alijs animalibus vnicus, statusq; esse videatur. vt interim taceã,

Quæst. 3.

Aph. 37.

Cap. 16. Quæst. 38

fœtum non tempore bis tanto, à quo moueri cępit auctore Auicenna, vt ipse vult, in lucem venire, sed triplicato; cùm Auicennas, & alij omnes tempus partus triplum esse temporis motus tradiderint, vt supra notauimus. quo loco illud maximè animaduerti cupio, quòd Gorræus menses varios pariendi enumerans, sextum nominatim excludit; scribens, neminem vnquam scripsisse, visum à se infantem, qui in illo natus diù superstes vixerit: idcircò omnes censendos esse abortiuos. nam & hoc est, quod nos septimo libro Hippocratis, Aristotelis, meliorisq; notæ Auctorum testimonio dicebamus ipsa fulti ratione, ante diem 182. partum nullo modo naturaliter esse vitalem. Nec minori diligẽtia notandum est, quod idem Gorræus adiungit, licèt maior Auctorum pars scripserit, octauo mense fœtum vitalem non nasci; ab Aristotele tamen aliter scriptum videri: mirum nanq; est, quomodo Gorræus, cùm viderit vnum omnium Præceptorem hoc sentire, ab alijsq; dissentire, qui flumen orationis aureum fundens, vt aliquando dixit Marcus Tullius, omnes ferè ante illum Philosophos desipere ostendit; cùm ab eo discedere decreuisset, ipsius opinionem, rationesq; non reiecerit, causamq; non adduxerit, cur à magistro discreparet. nam & quis est tàm impudens, qui non fateatur, Veteres omnes Aristoteli concessisse, illiusq; auctoritatem in re philosophica cuiuis auctoritati esse infinitis partibus anteponendam? Pulchra potius illa Gorręi disputatio aduersus Arithmeticos libenter recipienda est, & maximè laudanda; vt potè ex qua rationis illius leuitas mirificè eluceat, quæ à numerorũ ducitur virtute, ac natura: qua de re nos etiam supra diximus: sicuti & alterum illud huius Philosophi magnificum est, ac penè diuinum, quod eam disputationem complectitur, quæ agit de Solis, ac Lunæ viribus in hæc inferiora: ex qua simul quoq; cum eo fatemur (quoad cęlestem periodum attinet) causam humani partus maximè haberi cognitam. qua de re dictũ est libro sexto diligentius; quo loco dierum crisimorum cum mensibus humanum partum iudicantibus cõsensionem ex Hippocratis & Galeni mente explicauimus. quæ omnia cùm ego, antequam in Gorræi scripta incidissem, per me ipsum cogitarẽ, vehementer postea lætatus sum, me eundẽ cum tanto viro genium habuisse.

Reÿcitur Gorręus de causa actionis corporum cęlestium in hęc inferiora. item de mẽsis cum anno consensione.
Cap. 15.

AT enimuero in eo tamen ab ipso Gorræo libenter dissentimus, quòd, cùm magnam Soli ac Lunæ tribuat potestatem in hisce nostris commouendis; magnam inter mensem, & annum agnoscat consensionem; nullo tamen dixerit in loco, qua de causa illam habeant, & quo exerceant modo, ac instrumento: item quæ sit ratio huius consensionis. quin potius Aegyptiorum Astrologorum de Galeni mente laudans sententiam, omnem Solis ac Lunæ actionem in hæc inferiora videatur in occultam proprietatem reiecisse; quo nil turpius dici potest, nil à Philosopho magis fugiendum. nam & hoc indicant sua illa, dum asserit, ob maximam mutationem, quã Sol ac Luna patiuntur, terrena hæc immutari; congressum Lunæ cum Sole maximam esse illi mutationem; mutationem, quam fœtus post tres menses patitur, ab illa mutatione euenire, quam Sol trimestri spatio sustinet; item, cùm simul eodemq; tempore mutatio tàm in Luna quàm in Sole contigerit, hanc quidem esse aliarum omniũ efficacissimam; adhuc septimo mense fœtum exitum affectare, quia eodem ferè tẽpore Sol & Luna mutationem subeant, ac similia: quibus omnibus voluisse videtur, quia Sol & Luna mutationes patiantur, idcircò hæc inferiora immutari. quid autẽ inscitius? siquidem nullam sustinent sydera illa talem mutationem, qualem Gorræus videtur arbitrari, sed potius causantur. est enim Cęlum impassibile, & inalterabile, omnisq; mortalis difficultatis expers, vt secundo de Cœlo probatum fuit. *Tex. 3.* nec si aliquam sustinent, ideo terrena immutant, quia eam sustinent, sed quia causantur; quare omnis talis à Philosophia pellatur error. causantur autem, vt sexto libro ex Aristotelis sententia aperuimus, quatenus varios in aëre caloris, frigorisq; gradus producentes aerem ipsum afficiũt, ac simul cum eo alia cuncta. quo quidem iacto fundamento facilè ratio elucet consensionis omnis mẽstrui spatij cum annuo; in qua consensione explicanda non penitus cum illo consentimus. enimuero, si illud verum est, quod ipse sumit, nosq; vt verissimum concedimus; ex diebus ipsis, dierumq; periodis de mensibus esse ratiocinandum; sicuti ob eam, quam adducit ipse,

ipse, rationem, dies mensis septem tribus anni mensibus respondent; ita & diuisionis habita ratione dies septimus mensi septimo potest respondere; quod Gorræus negare videtur. immo &, quod magis est, dies quartus mensi quarto; quia quartus mensis septimestre spatium æqualiter diuidat, sicuti & dies quartus septem dierum interuallum: quod Galenus perbellè in Commentarijs super quarto Aphorismorũ secto significauit, dicens quadrimestre spatium medium esse gestationis tẽpus; quartum enim mensem respexit, qui inter septem menses medius interiacet, totumq; mensium aceruum secat æqualiter, tres ante, totidemq; post habens. de qua quidem diuidendi ratione plura ex Theophrasti, Hippocratis, Galeniq; mente libro sexto disseruimus. Hinc Gorræi error, quòd quartum mensem criticum esse negat, tertiumq; in crisimorum serie collocat. inquit enim. Rursus quemadmodum alij à septimo ad decimumquartum dies nullam habent ad iudicandos morbos auctoritatẽ, sic quartus quintusq; mensis, qui diebus illis similes sunt, ad fœtum promendum nullas vires possident. cùm tamen constans omnium sententia sit Aristotelis firmata auctoritate in septimo de Animalium Historia, mulieres mense quarto maximè infestari; cùm enim omnes illi, vel dies, vel menses in humano partu crisimi dicendi sint, in quibus non solùm editio fœtus, sed & motus, & formationis finis, vel principium contingit; item vel conceptio efficitur, vel abortionis periculum imminet, vel alius quisq; similis labor impendet: nam & hæc omnia diebus, mensibusuè iudicari scripsit in Opusculo de Septimestri Partu Hippocrates; mensis quartus, qui insigniori motui fœtus dicatus est, & in quo fœtus insignem subit mutationem, inter crisimos menses omnino est collocandus. cui veritati ratio ipsa arridet diuisionis; quia, cùm mensis quartus septimestre spatium, primum videlicet maturitatis tempus, æqualiter bipartiatur; meritò fœtui mutationem affert; vt prætheream, periodi paris ratione mensem quartum criticum esse oportere. qua de re ex Hippocratis etiam mẽte vberrimè libro sexto disseruimus; quare satis in præsentia erit veritatem indicasse.

Aph. 1.

Cap. 4.

Causæ à Gorræo allatæ humani partus expenduntur. reijcitur ipsius sententia de mensium varietate.

Cap. 16.

SEd videamus quid grauissimus hic Auctor hoc accepto fundamento de partus causis disseruerit. Sicuti crisis, inquit, extra crisimos dies erumpens violenta proculdubio censenda est, & symptomatica; ita & partus extra crisimos menses in lucem veniens. & sicuti ad perfectam, & optimam crisim præter diem decretorium accedere etiam oportet humoris iam concocti facilitatem, & virium robur; sic in edendo partu præter legitimum tempus adesse oportet fœtus ipsius dispositionem, firmitatemq;, atq;, vt vno verbo dicamus, maturitatem ipsam. itaq; illud primum erit pariendi tempus, in quo & dies legitima, & fœtus etiam dispositio concurrēt; concurrunt autem duo hæc in mense septimo; igitur septimus mensis vel Hippocrate monente rectissimè ponitur primum tempus pariendi. habet enim tunc fœtus perfectionem, tantumq; roboris, quantum expedit ad tolerandas partionis molestias, & vitam postea salubriter degendam; præsertim si ex valentiore semine procreatus est. Præterea & tempus vehementem obtinet in decernendo facultatem; quippe simile est diei quarto & decimo; quorum hic vt est mensis Lunaris dimidium, ita illud totius anni. Hæc est Gorræi ratiocinatio, cur mensis septimus primus sit terminus maturitatis partus humani. At primùm & cur fœtus maturitatem ac robur mense septimo non antea recipiat, Gorræo dicendum erat; item cur hoc tempus adeò vehementem habeat in decernendo facultatem: neq; enim satis esse videtur, si dicamus hanc idcircò vim habere, quia diei quartodecimo simile sit; nam & cur habeat facultatem hanc quartusdecimus, meritò quæret aliquis. sed scio quid respondeat: Lunam die decimoquarto, solem mense septimo mutationem magnam sustinere. hæc verò an intellectum quietum reddant; aliorum sit iudicium. Deinde quod adiungit, si fœtus ex valentiore semine procreatus fuerit, & maturiorem esse mense septimo, & perfectiorem; hoc & Hippocrati, & Aristoteli, & rationi aduersatur; vt abũdè libro tertio expositum fuit, quin etiam & septimo libro repetitum. Septimestres nanq; fœtus ex imbecilliore semine conformari, idcircòq; esse partus imper-

perfectiores locis illis satis ostendimus. Verùm quoniam septimestre hoc spatium ab Hippocrate Gorręus admonitus dierũ esse 182. cum horis 15. definit; quod quidem semestre potius esse apparet; videamus quo modo hanc ipse tollat difficultatem. Facilis, inquit, responsio est; quoniam enim veteres illi Medici & Astrologi mensem nullum alium, quàm Lunarem nuncupabant, nec ipsum annum vniversum ex alijs mensibus quàm Lunaribus cõstituebant; qui omnes Solaribus sunt minores, atq; triplicem habent differentiam; cùm anni dimidium sex menses Solares cõtineant: si hoc spatium Lunaribus mensibus metiamur, inueniemus in septimum Lunarem mensem incidere; ita vt, qui septimum intra mensem natus sit, iure possit septimestris appellari. Si enim Lunarem synodicum accipiamus, dies 182. in quintum septimi mensis sic accepti incurrunt; si Lunarem periodicum (quem propriè Lunarem appellari Gorræus ait) in decimum octauum diem mensis septimi incidunt; demum si capiamus mensem illuminationis, quæ quidem acceptio tertiam complet mensis Lunaris differentiam, iam dimidium anni septimestre explere spatiũ videbimus; cùm dies 182. mensis septimi vigesimum tertium attingãt. Hæc est Gorræi responsio, multis quidem, mea sententia, nominibus reijcienda. primùm enim, vt septimus liber docuit, Hippocrates alia via anni dimidium, dierumq; hoc interuallum septimestre esse spatium ostendit; vt qui ex primo mense & septimo hoc ipsũ interuallum maiorem accipere partem eleganter demonstrauerit; vnde non erat satis Gorræo ostendisse, iuxta primam Lunaris mensis acceptionem partum in quintam diem septimi mensis incurrere: neq; enim hoc satis est, si Hippocratis placita sequamur, ad partum verè & proprie, saltem si communem sequamur opinionem, septimestrem appellandum; eò quòd omnis denominatio fiat à superabundanti, vt septimo libro demonstrauimus. Secundò, falsum est Lunares tantùm menses veteres Medicos, ac pręsertim Hippocratem agnouisse; cùm ipse tricenarios maximè obseruauerit, atq; ad illorum rationem partus humani tempus, ac gestationem fuerit dimetitus, quemadmodum libro memorato pluribus ostendimus. cuius quidem rei testimonia adeò clara attulimus, rationes adeò firmas, vt vel etiam pertinacissimi id fateri habeant. Tertiò demum, quod Gorræus adducit de triplici Lunaris mẽsis differentia, cùm leue per se, tùm etiam falsũ est; nam & quid amabò leuius potest excogitari, quàm, vt dicamus, horum mensium varietatis habita ratione veteres Auctores partus septimestres, vel nonomestres appellasse? ita enim qui mensium Solariũ respectu septimestris est, erit Lunarium ratione octomestris: & rursus qui septimestris exactus est secundum primam Lunaris mensis differentiam, secundæ & tertiæ ratione erit octomestris. quo quidem nescio an absurdius aliquid, obtusiusuè possit affirmari. hoc enim pacto vel ipsi errassent, vel alios errare voluissent, si de partus mensibus agentes, nomen tàm varium, tàm multiplex, tàm æquiuocum, contra quàm in tradenda doctrina demonstratiua primo de Cœlo faciendum Præceptor docuerit, non distinxissent; & qua vterentur significatione, non declarassent. item nõ leuitatis tantùm hoc idem notam subit, sed etiam falsitatis; quoniam, vt Curtij auctoritate libro septimo admonuimus, nullus veterum Medicorum ante Galenum periodici mensis, vel illuminationis fecit mentionem; vt qui vel solos tricenarios, vel Lunares, à Gorræo hoc loco ciuiles dictos, agnouerint; veluti quisq; Hippocratis, Aristotelisq; monumenta percurrens facilè videbit. *Tex. 110.*

Notatur in Gorręo, quod pertinet ad Lunariũ mẽsium varietatem, contradictio. eadem hęc sua opinio vberius confutatur; eiusq; explicatio verborum quorundam Opusculi de Principijs reijcitur.

Cap. 17.

IAm verò & illud hac in re maximè mirũ, quomodo Gorræus, cùm in eodem opere Medicarum Definitionum de mense agens in naturalem tantùm, ac ciuilem eũ antea diuisisset, ciuilemq; definiuisset esse numerum quendam dierum, quos vna quęq; Ciuitas, vel Regio suo instituto obseruat; naturalem rursus in Solarem, ac Lunarem seiungens, Solarem esse dixisset spatium illud temporis, quo Sol in vnoquoq; signo Zodiaci circumfertur; de Lunari verò ita statuisset. At Medici menses non Solis, sed Lunæ cursu metiuntur, secundum quam mensis definitur spatium, quod ab vno Lunæ coitu cum Sole vsq; ad alterum intercedit. id autem expletur diebus vndetriginta & dimidiato. quibus omnibus

vni-

vnicam tantùm Lunaris mensis speciem se recipere ostendit, & vnicam Veteres recepisse confitetur: hic modò quasi Circeo poculo immutatus multiplicem, & cômenticiam hanc Lunarium mensium rationem amplectatur. Hinc eiusdem insignis error, quòd velit, cùm septimo mense editus in lucem fœtus dicitur, de Lunæ mensibus tantùm, non autem Solis esse intelligendũ, quoniam septimus, atq; octauus Solares ad partum sint infelices. quandoquidem non de omnibus Lunaribus, sed de ciuili solùm, primaq; Lunarium specie, cùm septimestrem dicimus, intelligere oportet; neq; de Lunari tantùm, sed etiam de tricenarijs. vt prætercam; si in illis quidem mutationibus, quæ longiores sunt, ac nõ nisi longo iudicari possunt tempore, negocium omne ad Solem defertur; vt idem rectißimè statuit: nullam esse rationem, cur septimum Solarem mensem ad partum infelicem iudicemus (de octauo enim quædam infra dicentur) cùm præsertim currẽte Solari septimo omnium Veterum testimonio, simulq; experientiæ fide vitales fœtus oriantur. Hinc rursus, cùm tricenarij mensis vsum apud Hippocratem Gorræus non animaduerterit, quem Hippocrates tricenarium vocat Solarem esse putans, frustra eam tollere laborauit difficultatem, quæ ex ipsius verbis in libro de Principijs oriebatur; vbi partum dierum 210. septimestrem Hippocrates nominat, & maximè vitalem. cùm enim videret Gorræus hanc dierum summam non ad Lunarium mensium, sed ad Solarium potius quadrare quantitatem; eo modo, quem in enarranda ipsius sententia vidimus, labefactare conatus est dubitationem. qua profectò responsione ne minimum quidem ipsam conuelli, facilè quisq; confitebitur; qui animaduerterit, tricẽnum mensium rationem loco illo Hippocratem habuisse, cùm septimestre, decimestreq; spatium metiretur. siquidem ducenti ac decem dies septem tricenarios menses exactè concludũt; sicuti & dies ducenti octoginta nouem menses tricenarios ac dies decem: quod dierum spatium ibi dicit Hippocrates nouem efficere menses ac dies decem, alibi verò decimestre interuallum definire. Itaq; Gorræi responsio nulla, cùm dicit Lunares menses septem Hippocratem intelligere: qui licèt ab illa summa dierum trium deficiant spatio cum dimidio; quia id tamen parum refert, Hippocratem exiguam hanc differentiam non curare, quoniam nõ tàm exactè dies, mensesq; numerari ipse præcipiat, quin parum vltrà citràq; partionem fieri posse censeat, vt libro de Alimento testatus est; placuisse tamen illi numerum potius eum dierum adscribere pro spatio septimestri, quoniam eo loco docere vellet, vitam hominis per hebdomadas progredi, dies verò 210. tres decadas compleant hebdomadarum; quo dierum aceruo septem Lunares menses tribus diebus cum dimidio sunt minores. enimuerò si id sensisset Hippocrates, mendacij videretur condemnandus, qui dicit partum septimestrem numerum ad hebdomadas exactum habere; moxq; septimestrem hunc partum tres hebdomadum decadas explere; demum tres decadas hebdomadum dies esse ducentos & decem. Sequitur enim ex his, necessariò oportere, vt septimestre illud spatium ac menses septem exactißimè tres hebdomadum decadibus respondeant; quod recepta Gorræi responsione falsum esset. Item si Lunares intellexit Hippocrates, quo modo partum dierum 280. nouem mensium ac dierum decem potuit appellare? hæc enim dierum summa nouem menses Lunares explet, ac dies præterea quindecim; vt nullo Gorræus modo sit audiendus. Tandem dictum illud Hippocratis libro de Alimento suam habet cautionem. neq; enim in omni partu habet veritatem; potest enim dierum 182. terminum tutò partus pertransire; at si citra illũ etiam per vnum ferè diem in lucem veniat, illegitimus partus, & abortiuus tùm ex Hippocratis sententia, tùm ex legum decreto reputabitur.

Reijcitur causa à Gorræo allata, cur octauo mense vitalis infans prodire nequeat.

Cap. 18.

SEd veniamus nunc, si placet, ad eam rationem expendendam, qua Gorræus & sibi, & alijs persuadet, octauo genitos non esse vitales. Dixerat supra (vt rem hanc occultißimam aperiamus, in lucemq; proferamus) mutationes Lunæ per hebdomadas fieri, Solis per menses; item in mutationibus, quæ paucis aliquot diebus oriuntur, considerandos esse septimanos circuitus; sin autem secundum menses incidant, frustra eos obseruari: idcircò non esse opus mutationes Lunæ, quæ per septimanas fiunt, expectare, si illæ adsint, quæ initio cuiusq; mensis eueniunt; præsertim cùm septimanę ipsę ex numeri ratione nul-

la

la polleant facultate, sed duntaxat quatenus tanto dierum interuallo mutationes magnæ excitantur. dixerat rursus, si simul eodemq; tempore mutatio tàm in Luna quàm in Sole contigerit, hanc quidem esse aliarum omnium efficacissimam. Demum dixerat (quod supra vidimus) septimo mense partum idcircò esse vitalem, ac legitimum, quia per id temporis & dispositio fœtus adest, & Solis Lunæq; mutatio euenit. His positis sequi inquit Gorræus, octauo, nonoq; mense Lunari tantam non contingere mutationem, vt fœtum excludere possit; propterea quòd, & si non desit Lunæ mutatio, quæ singulis mensium initijs fit, non adsit tamen mutatio Solis. nam & hoc est, quod verba illa sonant, ni hallucinor. Contingit autem (& intelligit de Lunæ mutatione) tùm septimo, tùm octauo, tùm nono mense Lunari; sed τόκιμος quidem est in septimo, atq; frugifera; quoniam ab ea non longè absit Solis mutatio, quæ centesimo octogesimo secundo die contingit. Non est autem octauo, nonoq; mense Lunari tanta, vt fœtum deijcere possit, & proferre in lucem; aut si tãta illi commotio accidat, vt prodeat, & nascatur; admodum imbecillum necessariò putare oportet, qui tàm leuem Lunæ mutationem sustinere non potuerit; & idcircò minimè vitalem esse. Est autem illa imbecillitas vel natiua fœtui, vel ex aliquo accidente (quæ multorum fuit opinio) contracta. aiunt enim & rectè quidem, embryon septimo mense ab vteri conceptabulis exitum affectare, ac in id colluctari plurimum (tunc enim, vt ostendimus, eodem ferè tempore Sol & Luna mutationem subeunt) verùm conatu aliquando excidere, atq; interim fatigatum fieri imbecillius. Quòd si necdum refectis viribus octauo rursum eundem petat conatum (nanq; ad hoc mutatio, quæ Lunæ singulis mẽsibus accidit, irritare potest) oblæsum frequentius intermori. Ac de octauo quidẽ mense genitis sic scripsit Hippocrates libello de Alimento. Ad partum ducenti quadraginta dies non est & est. Quibus verbis tàm obscuris, præcisis, atq; aduersis indicat, eum, qui natus est mense octauo (nam 240. dies menses octo conficiunt) aliquo quidem modo esse, atq; natum dici, sed re vera non esse, quoniam paulò post intereat. Hæc sunt Gorræi verba causam explicantia, cur octauus mensis non sit genitalis; neq; enim piguit in re tàm graui ipsa rursus ex libro secundo huc appingere. ex quibus conspicuum est, vt dicebamus, de huius viri opinione, quia octauo mense non contingit Solis mutatio, idcircò mensem hunc non esse tempus pariendi naturale; & cùm imbecillus, defatigatusq; sit hoc currente mense fœtus ob motum in septimo editum; cuius causam esse vult mutationem Solis & Lunæ tunc contingentem; si nascatur octauo mense, id argumento esse, maximè ipsum à motu, ac defatigatione illa imbecillum esse redditum; vt potè qui præ nimia sua imbecillitate tàm leuem Lunæ mutationem non potuerit sustinere: vt meritò emoriturus in lucem veniat. Hæc ille; nec vnquam arbitror contra octomestres dictum esse subtilius; quæ tamen labefactare non reformido. enimuero quid est, quod Gorræus primo loco dicit, mutationes, quæ per septimanas fiunt, non esse expectandas? hoc enim si propterea ab ipso dictum est, vt ostendat, exactum illum septimanarum numerum, ad cuius pensum Hippocrates in libello de Principijs septimestre, ac decimestre spatium metitur, non esse adeò necessarium, vt si exactè non seruetur, partus intereat; certè alia Hippocrati loco illo mens est, cui & ipsa ratio adstipulatur; siquidem ipse ibi non considerat partum, quatenus ad hebdomadicas refertur mutationes, quæ à Luna pendent, sed quatenus refertur ad hebdomadum decadas, exactumq; numerum ad has retinet; quo modo partus, qui hebdomaticam hanc imparemq; periodum sectatur, exactam omnino sequitur per septimanas, earumq; partes factam diuisionem, vel per quadragenarios, vt sexto libro exposuimus. quòd si hebdomadicas, quę à Luna pẽdeat, mutationes intellexit; hasq; dicit non esse expectandas, vereor ne sibi contradicat, neuè aliena proferat à suis fundamentis; veluti qui fœtum non posse nasci vitalem dicat, nisi in mutatione Solis & Lunæ oriri contingat, videlicet in ea mutatione Lunæ, quæ cuiusq; mensis initio euenit; atqui hanc hebdomadicam esse & appellari posse, ac debere, nemo est qui non videat; vt quod maximè negat, videlicet non esse opus mutationes Lunæ, quæ per septimanas fiunt, expectare; maximè ponere videatur, cùm adiungit, illas Lunæ mutationes adesse oportere, quæ initio cuiusq; mensis eueniunt. Deinde quòd septimana ex numeri ratione nulla polleat facultate, nos quoq; concedimus; sed tamen cur tãto dierum interuallo, hebdomadico videlicet

licet, mutationes magnæ excitari soleant in hæc inferiora, non erat Gorræo silentio inuoluendum. Adhuc, si partus ideo vitalis nascitur mense septimo, quia Solis & Lunæ mutatio simul concurrunt; Hippocrates in computando spatio septimestri initio Opusculi de Septimestri Partu toto Cœlo aberrauit. siquidem Gorræus leuioris mutationis nomine nouilunium intelligit; nam & propterea dicit in mensium initijs fieri, quorum apud Græcos à nouilunio fuisse principium, nemo est, qui ignoret; at Hippocrates sumi iussit dies quindecim de mense primo, de septimo viginti; totumq; id spatium dies 182. cum semisse voluit conficere: atq; hoc tempore fœtum prodire censuit vitalem. at tunc quidem Solis mutatio eueniet, quam tot præteritis diebus contingere inquit Gorræus, Lunæ verò nequaquam: quoniam vigesimus dies mensis septimi non incidit in nouilunium, sed parum abest à triquetro aspectu. itaq; tunc vitalis fœtus egredi non posset, quia cum Solis mutatione Lunæ mutatio non concurrat; quod Hippocrati penitus repugnat.

Alia Gorræi nonnulla reijciuntur.
Cap. 19.

PRæterea Gorræo concedatur, hoc dierum 182. cum horis quindecim præterito interuallo in Sole fieri mutationem, (quæ & cur fiat, & quid sit, & quare fœtum posit immutare, præsertim ad exitũ affectandum commouere, omnino ipsi docendum erat, cùm non eadem in his mutationibus appareat ratio, ac in annuis) quòd certè simul cum ista mutatione Lunæ mutatio semper conueniat, hoc nullo modo est necessarium. cur enim & dies ille 182. à conceptione non potest in Lunæ primam quadraturam incidere? vel in quamlibet aliam configurationem præter interlunium? puta in triquetram, quemadmodum paulò supra Hippocratis auctoritate docebamus? siue etiam extra Lunæ cum Sole aspectus? at si hoc eueniat, quod facillimè euenire posse fatendum est, & experientia comperitur; fœtus ille ferè per mẽsem adhuc vitalis oriri non poterit, quia mutatio Lunæ, nouilunium videlicet, hac ipsa Solis mutatione diebus amplius quàm viginti fiat tardior. Sed vrgeo identidem; partus septimestris in fine septimi Lunaris mensis, vt communis omnium sententia est, maturus prodit & vitalis, quin etiam exacto tricenario septimo, vt de partu dierum 210. libello de Principijs docuit Hippocrates; at Solis mutatio diebus 182. facta ab vtroq; hoc termino longè abest; itaq; Gorræi ratio nulla. Rursum falsum est, nono Lunari mense mutationem Solis non posse obtingere; si de Lunari propriè dicto, quo Hippocrates vsus est, sapiensq; illa Vetustas in temporis partu dimetiendo, intelligamus, vt necessariò debemus intelligere; cùm enim hanc singulis tribus mẽsibus in ipso Sole euenire doceat Gorræus; si menses Lunares nouem, non amplius quàm diebus septem Solaribus minores sunt, ab ipsa Solis mutatione non longè aberunt; quod Gorræus fateri cogitur, qui septimum Lunarem mensem frugiferũ totum agnoscit, quia, vt ipse inquit, non longè absit à Solis mutatione, quæ die 182. contingit: cuius tamen extremum longè magis ab hac Solis abest mutatione, quàm Lunaris noni finis ab ea mutatione, quam Solaris nonus affert. itaq; Lunaris nonus, contra quàm ipse decreuerit, partionem naturalem omnino habebit. Demum alienissimum est à veritate, octauum mẽsem, siue Lunarem accipias, siue tricenarium, partui naturali hac de causa non esse idoneum; cùm & in ipso, vt sexto libro ostendimus, ea mutatio eueniat, quam Gorræus appellat Solis mutationem; & hæc ipsa mutatio Solis cum Lunæ mutatione posit in eo conuenire. enimuero, sicut eo loco diximus, trimestre spatium iuxta legem dichotomiarum æqualiter diuisum, si semestri adijciatur, decretorium tempus dat pariendi, quia affert & parenti, & fœtui mutationem. quod etiam exemplo diuisionis annuæ in partes octo comprobauimus. at hoc Gorræum quidem fefellit, quòd putauit, trimestri tantùm spatio Solem his inferioribus mutationem afferre; nec vidit duce ratione, ac Theophrasto, quin etiam & Hippocrate, & Galeno, trimestre spatium æqualiter diuisum, quia in dichotomiam incidat, mutationem adducere. quãobrem cùm per octauum mensem fœtui nõ desit maturitas, & virium robur, legitimumq; tempus adsit, Solis videlicet mutatio, ac simul ipsa mutatio Lunæ concurrere posit; iure & meritò gigni in eo infans vitalis poterit: nec verum erit, quod ipse adiungit, tantam per id temporis non esse mutationem, vt fœtum deijcere valeat, & proferre in lucem. quo loco quod idem inquit, si tunc fœtui tanta accidat commotio, vt prodeat, & nascatur; id argumen-

mento esse, maximè illum esse imbecillum, vt qui tàm leuem Lunæ mutationem sustinere non potuerit, & idcircò minimè vitalem; magnam pati arbitror difficultatem. nam primùm mutationem non leuem esse demonstrauimus, quia Solis simul mutatio concurrat; deinde mutatio huiusmodi siue in Sole fit, siue in Luna, non lædit fœtum, sed illum maximè iuuat, reddit enim maturiorem; itaq; falsò inquit Gorræus, fœtum mutationem illam (quasi graue aliquid patiatur, & noxium) sustinere non posse. Nec obest quidquam, etiam si dicamus mutationem hanc esse ea mutatione leuiorem, quæ septimo contingit; fœtus nanq; octauo mense, quia quodammodo maturior est quàm septimo, vt potè qui longiori tempore in vtero fuerit; à leuiori etiam excitari potest ad exeundum. itaq; si exeat, nullum est id imbecillitatis argumentum, sed maioris maturitatis. quod enim Gorræus Medicis vsitatum, & sæpè repudiatum refert; videlicet hoc mense fetum imbecillũ esse redditum ob motum & colluctationem factam in septimo ad exitũ; leuissimè referri, non semel supra fuit demonstratum. vt taceam, magna dignum esse admiratione, Gorræum in Hippocratis lectione adeò versatum, cùm de hac fœtus per octauum mensem imbecillitate ageret, nihil de ægrotatione octomestrium, de quadragenariorum natura, ac sexti presertim malignitate, nihil de membranarum fractione disputasse. quæ omnia longè erant firmiora, magisq; Hippocratica, quàm motus, colluctatioq; illa, de qua disseruit; vnde certè mirum, quomodo verissima deserens, ista tàm apertè perspicuèq; falsa secutus est. Item neq; illud etiã recipimus, quòd mutatio, quæ Lunæ in singulis mensibus accidit, irritare fœtum ad exitũ possit; sicuti neq; etiam illa, quæ in Sole fit, nisi adsit in fœtu ipsa maturitas; quæ proxima immediataq: causa est, quòd fœtus ab vteri conceptabulis exitum affectet. Quæ autem ex libro de Alimento à Gorræo adducuntur aduersus octauum mensem, iam octauo libro explosa sunt. quo tamen in loco quo modo poterit ipse inconstantiæ notam effugere, dum scribit, dierum 240. interuallum menses octo conficere? si enim hoc verum est, non ergo Lunares menses Hippocrates semper intellexit, quod tamen ipse supra contendebat, sed etiam tricenarios.

Quę de mense Lunari decimo, ac Solari nono à Gorræo dicta sunt, refelluntur.

Cap. 20.

HAec igitur sunt, & similia, quæ Gorræi rationem plenissimè redarguũt, qua probare conatur, octauum mẽsem frugiferam non habere partionem; nunc ad reliqua acri tendamus animo. Superest iam nobis altera ipsius disputationis pars expendenda, quæ de Lunari decimo, ac Solari nono sermonem habet. in qua quidẽ, vt verum fatear, exponit ferè non Philosophorum iudicia, sed delirantium somnia, dum, vt probet Lunarem decimum cum Solari nono conuenire, periodicum, peragratoriumq; Lunarem accipit; quæ secunda est species Lunaris mensis. enimuero iam superius monuimus, neq; Hippocratẽ, neq; aliorum Veterum vllũ (Astrologos excipio) de hoc vnquam mense cogitasse. qui profectò Hippocrates clarissimè initio Opusculi de Septimestri Partu quanta esset mensis quantitas, quo vtebatur, aperuit: vt nullus fugiendi Aduersarijs locus relinquatur, vel aliter ipsius verba interpretãdi. quo fit, vt, cùm Lunares menses decẽ nominamus, nullo modo dierum 273. interuallum, sed omnino dierum 295. intelligere debeamus. qua recepta veritate statim corruit tanquam falso nixa fundamento Solaris noni, ac decimi Lunaris consẽsio à Gorræo excogitata. Sed & illud videtur ab eo partim obscurius, partim falsò pronunciatum; multum Solem immutare, & aerem, & hominum corpora dimensis iam nouem Zodiaci Signis; Lunã verò ipsam eodem illo die, quo Sol tres Zodiaci quartas conficit, & ad reliquam properat, vehementer immutari; & orbe suo iam decies confecto vndecimum aggredi; proptereaq; illo ipso die corpora hęc inferiora, præsertim quæ aliquo modo affecta sunt, à tàm insignibus maiorum istorum, principumq; Planetarum mutationibus vehemẽter commoueri necesse esse; idcircòq; hũc dierum terminum, cùm accedat vnà infãtis robur iam hoc tempore magnum, & naturale quoddam ex vtero prodeundi desiderium, ad hæc vteri muliebris mole & pondere grauati irritamentum; partionem habere felicem & naturalem. enimuero primùm Gorræo explicandum erat (quod superius etiam tetigimus) qua ratione, & qua de causa Sol nouem dimensis Zodiaci signis aerem, & corpora humana immutare possit, præsertim aliquo modo affecta, vt

præ-

prægnãtes sunt, & fœtus ipsi. nec implet animum, si dicamus, vt velle Gorræus videtur, idcircò immutari hęc inferiora, quia Sol & Luna mutationem patiantur; hoc enim est ad influxus confugere, & refugia quærere miserorum. præterquàm quòd falsum est, vllo modo affici beata illa corpora vel immutari, vt supra tetigimus. Quòd si dicat aliquis, ipsum mutationum nomine intelligere in Luna aspectus ipsius ad Solem; in Sole Aequinoctia puncta, & Solstitia, quod apertè disputationis initio & eleganter videtur significasse; iam eadem illum exercet difficultas, quæ & de crisi ipsa, diebusq; crisimis moueri solet. etenim si per Solstitia, & Aequinoctia, ac per Lunares aspectus conceptiones, partusq; fierent, Gorræi ratio locum haberet; sed cùm singulis diebus, dierumq; momentis & cõcipere mulieres, & parere possint; quo modo cum Solis ac Lunę mutationibus cõuenient partus illi, qui extra Solstitia, & Aequinoctia, extra Lunares aspectus cõcipiuntur, & in lucem veniunt? itaq; hac de re grauissima, & in qua tota difficultas posita est, videlicet quo modo Sol nono à conceptione mense, etiam si puncta cardinalia non occupet, vel pati ipse possit mutationem, vel hæc nostra afficere, accuratè ac diligenter erat Gorręo disputandum: de qua re nec verbũ quidem vllum. Sed & alterum illud non minorem habet dubitationem, quod adiungit, Lunam quoq; ipsam vehementer per id temporis immutari, mutationemq; hanc, qualis sit indicans, nouilunium intelligit; inquit enim. Et
» orbe suo iam decies confecto, vndecimum
» aggreditur. nam si de principio periodici motus ipsius intellexit, iam huius virtute nullam habere Lunam potestatem hæc inferiora commouendi, sexto libro diximus; quin etiam apparet nullam perpeti mutationem Lunam huius motus ratione; vt huius mutationis nomine sine vlla dubitatione congressum Lunæ cum Sole videatur Gorræus intellexisse. at mutationem hanc eadem die Lunam habere vult, quo Sol nonomestre spatium cõficit; quod quidem, vt ita fiat, neq; est necessarium, neq; si fieret, commodum forsan esse posset. cùm enim nouem Solares menses à conceptione veniant computandi; nemo est qui non videat, vltimum noni mensis diem, non semper in nouilunium incurrere oportere; ita nanq; dies partus idem esset cum nouilunij die. at non facilè numerabis, quot partus extra hunc aspectum in lucem veniant. certè Hippocrates, vt septimo libro declarauimus, supraq; tetigimus, in partu dierum 182. in quo de mense septimo dies 20. sumi scribit, nouiluniũ non expectat.

Cur nouilunio partus periculosus. quæ à Gorręo de Parcis aduersus octomestres dicta sunt; item quę de alijs mẽsibus allata, cõfutantur.

Cap. 21.

NOn est autem commodum vt interlunij die partus eueniat, si Astrologis credimus; qui si sub hunc aspectum partus immineat, & mulierem maximè in enitendo fœtu laborare, & fœtum ipsum periculum mortis subire scribunt. cui sanè sententiæ ratio naturalis suffragatur; eò quòd mensis illa pars ob Lunaris lucis defectum frigidior sit cæteris, frigiditatis verò sit proprium adstringere, ac intus repellere; cùm alioquin partus sit potius dilatatio quædam & expulsio, motusq; ad exteriora; proptereaq; calore opus habeat. Quæ autem in Hippocratis dictis explicandis de partu decimestri, ac vndecimestri à Gorræo disputantur, iam septimo libro reiecta fuerunt. Quæ verò ex Gellio de Parcis excerpta sunt ad octomestrium probandam infelicitatem, nullius sunt momenti; dicimus enim vocem illam, Morta, comprehendere etiam septimo genitos, non solùm octomestres; quia Nona, & Decima partus vitales, ac tempestiuum tempus significant; & rectè quidem: significare nãq; Veteres voluerunt, à septimo ad octauũ vsq; genitos partus esse imperfectiores, & plerunq; emori. itaq; si hoc quidquam officit, septimestribus pariter officit; quos tamen & Medici admittunt, & Iurisprofessores sine vlla dubitatione. neq; enim credendum est Veteres illos septimum mẽsem prætermisisse Parcas à pariendo, atq; à temporibus partus nominantes; quem cùm indicare nequeant Nona, & Decima, quæ nonum ac decimum mensem nobis ob oculos ponunt; necessariò Mortua significat. Sed nec omnino placent, quæ de alijs mensibus, qui sequuntur, videlicet de vndecimo, ac duodecimo decernuntur à Gorræo. quo loco illud primùm putamus veritati repugnare, quod ipse inquit, ad partum præter legitima pariendi tempora (ac legitima appellat, quæ cum mutationibus Solis ac Lunæ consentiunt) pueri etiam vi-

res, & matris, vteriq; consentire debere: etenim, vt toties diximus, sola pueri maturitas consentiens cœlestium periodo humani partus est causa. vnde nullo modo Gorræus audiendus est, dum scribit, alimenti penuriam ex Hippocratis mēte parturitionis causam esse; de qua re plura libro tertio disputauimus. à quo quidem Hippocrate longissimè mea quidem sententia discedit, volens naturalem humani partus terminum diem esse 273. ita enim scribit. Nam si fœtus debilis est, & ne tētet quidem exitum, nec interim vlla offensione vterus irritetur; etiam in vndecimū, vel duodecimum fortè differri fœtura poterit. Verùm id rarissimum prorsus est; vt qui iam habet 273. dies, tanta laboret imbecillitate, vt egressum non affectet. Hæc ille; qui vndecimi ac duodecimi mensis nomine Lunares menses intelligens, dierumq; 273. interuallo decimum Lunarem designans, quem supra cum Solari nono demonstrauit conuenire, apertè dicit, rarissimum esse, vt fœtus diem hunc 273. & quod in idem redit, mensem Lunarem decimum in gestatione transeat, quin exitum affectet; idcircòq; & rarissimum esse, & monstrificum, si partus in vndecimum ac duodecimum Lunarem mensem incurrat; vt hac de causa Iustiniani Imperatoris decretum de ea, quæ parit in vndecimo mense, consultissimum videri debeat, & æquissimum. At primùm Hippocrates, vt tertio, sexto, & septimo libro pluribus ostendimus, partum dierum 280. mirificè extollit, reliquisq; antepōnit; qui iuxtà Gorræi placita vndecimestris esset, & proinde monstrificus. Deinde dierum trecentorum partus ab eodem Hippocrate receptus in libro de Alimento longè magis esset refellendus, quem tamen tanquam legitimum Iurisprofessores mira omniū consensione admittere præcedenti libro demonstrauimus. Demum vndecimestre spatium alia ratione accipere Iustinianum eodem libro ostendimus, quin etiam & vndecimestrem tantùm exactum illum condemnare; ita vt de ea, quæ parit expleto vndecimo mense agere videatur: vt & Hippocratis, & Iurisconsultorum placita hac in re definienda oblitus omnino hic Auctor videatur. Sed contra Gorræum satis superq; dictum sit, cum alijs mihi vno excepto Mercato breuius agendum. etenim conuictis Gorræi erroribus longa de mea disputatione detracta oratio est.

Ludouici Mercati opinio discutitur.
Cap. 22.

SEquitur Ludouici Mercati sententia discutienda, qui vnus in hac quæstione versatur acutissimè. qua in re tractanda mihi lector admonendus est, de ijs, quæ ipse luculenter de conceptione, & efformatione disserit; itē de causa simpliciter humani partus, nihil esse quòd in præsentia ferè dicamus; cùm partim hæc libris superioribus, ac præsertim tertio, & septimo reiecta sint; partim ex ijs, quæ disputauimus, facilè reijci possint; partim demum tanquam vero consentanea recepta à nobis fuerint. quare nonnulla tantùm breuissimè adnotabimus. Ac primùm in eo plurimùm à Mercato dissentimus, quod inquit, mulieres interlunijs rarissimè cōcipere; atq; eas tantùm hoc tempore cōcipere, quibus accidit vel in ipso mensium fluentium impetu semen masculinum retinere; vtpotè quæ parcissimè purgari soleant. enimuero opposita potius vera esse autumo: videlicet & sæpè fieri in interlunio posse conceptionem; & non eas tantùm mulieres interlunio posse concipere, quæ illud habent peculiare, vt in mensium fluentium impetu concipiant, sed omnes, quibus decrescente mense menstrua commouentur. quorum omnium septimo libro ratio exposita est, vbi conceptionis tempora varia pro mulierum varia natura de Hippocratis mente aperuimus. si enim, vt eo loco plenius à nobis dictum fuit, decrescente Luna, & circa interlunium fluere menstrua maximæ mulierum parti incipiunt; incipientibus verò menstruis cōmodè fit conceptio, vt eodem pariter libro ex Hippocratis, Galeniq; mente demonstrauimus; igitur & interlunio, & decrescēte Luna, videlicet cùm primùm moueantur mulieri menses, & conceptio fieri poterit, & crebrò fieri; nec quidem illis tantùm, quibus accidit vel in ipso fluentium mensium impetu semen retinere; item nec illis, quæ parcissimè purgantur; sed communiter omnibus, vel certè pluribus, quarum ea natura est, vt copiosè expurgentur, commodum erit huiusmodi tempus concipiendi. Secundò, quod Mercatus inquit, decrescente Luna minus fœminas concipere; si hæc verba de tempore, in quo primùm moueri menses mulieribus incipiunt, intelligamus; id falsum esse, satis ex his patet, quæ modò diximus. si verò de toto tempore intelligamus; qua-

tenus scilicet decrescente Luna, & circa interlunium mulieribus menstrua fluunt; quoniam, vt septimo libro ex Aristotele docuimus, tempus id frigidius humidiusq; existens, maiorem menstrui sanguinis gignit in muliebri corpore abundantiam; iam certè, non quia excrementa cocta minus tunc gignantur, conceptio non fiet, sed quoniam ob fluxũ menstruorum cõceptio ipsa impeditur; quia nimirum virile semen eluatur fluentis menstrui copia, vel obruatur. quandoquidem si Mercati ratio vera esset, neq; incipientibus menstruis, neq; desinentibus conceptio fieri posset; quę cùm decrescente Luna fluant, tanquam concocta minus, non essent idonea conceptioni. verùm non semel docuit Præceptor in ipsis menstruis non solùm inutilis, inconcoctæq; portionis, sed concoctæ etiã plurimum contineri; virtutem verò maris genituræ insitam, dum fit conceptio, vtilẽ partem cogere, & ab inutili separare. Hippocratis autem verba illa, quæ, nisi ego labor, memoriæ Lapsu Mercatus ex Opusculo de Pueri Natura citat, cùm libello de Octomestri Partu scripta fuerint, huic nostræ sententiæ non obesse, aliamq; omnino habere interpretationem, ab ea, quã Mercatus attulit, abundè libro septimo demonstrauimus: vbi hæc ipsius omnia, quæ ante illum Ferdinando placuerunt, diligenter expendimus, vt non desiderent amplius nostram confutationem.

Quędam à Mercato de pariendi temporum cum diebus crisimis consensione dicta reijciuntur.

Cap. 23.

POrrò autem quæ doctissimus vir de varijs formationis temporibus eleganter disseruit; item de partus tẽpore ex fœtus motu præsagiendo, Hippocratis dictũ explicans ex sexto Epidemicon, vbi triplicato motus tempore perfectionem fœtui oriri scribit; tanquam vera recipimus; & tanquam subtiliter disputata non parum admiramur. quod libenter nobis fatendũ est, quibus est propositum, veri reperiendi causa & contra omnes Auctores, & pro omnibus dicere. quanquam nec leuia sũt, nec pauca, in quibus cogimur hac etiam in re ab eo dissentire, si desertæ veritatis volumus suscipere patrocinium. enimuerò quòd partum longo morbo similem facit, immò & longissimo; quòd vult, partum non secus ac morbum iudicium subire; id totum veluti Hippocraticum admittimus. quòd verò adiungit, sicuti in morbis quartus dies septimi est index, vndecimus decimiquarti, decimusseptimus vigesimi; sic & in partu quadragesimum diẽ nonagesimi esse indicem; centesimum vigesimum centesimi octuagesimi; ducentesimum ducentesimi septuagesimi (enimuero ducentesimi septuagesimi perpetuò legendum est, non vt contextus mendosissimè Impressorum, reor, culpa habet, ducentesimi quinquagesimi, vel ducentesimi quadragesimi) hoc tanquam falsum repudiamus. nec sanè alia vlla ratione, nisi ea ipsa, qua Mercatus vtitur ad hanc suam roborandam opinionem. inquit enim ipse, hos numeros quandam inter se similitudinis habere analogiam, vt quam rationem habet quartus ad septimum, eandem habeat quadragesimus ad nonagesimum; & de reliquis eodem modo. At certè hoc minimè quadrare, nemo est qui non videat; quartus nanq; dies medium est, ac septimanam bifariam secat, & in æquales partes, ac propterea dichotomia est, vt ex Hippocrate, Galenoq; libro sexto docuimus. at quadragesimus ad nonagesimum non hanc seruat rationem; itaq; Mercati ratio nullum habet firmamentum. vt præteream in partu iudicando non diem indicare diẽ, sed negocium potius omne ad menses, quadragenarios, hebdomadas, hebdomadumq; decadas deferri; ita vt mensis sit, qui mensem indicet, quadragenarius quadragenarium. quo sensu sextum, octauumq; mensem, sextumq; quadragenarium extra iudicatorios in partus negocio Medici passim reijcere solent; atq; hoc Mercato confiteri necesse est, qui partum longissimum esse morbum contendit. iampridem enim in Medicorum schola proclamatum est, morbos longissimos non diebus, sed mensibus iudicari; quod acutè contuens Hippocrates Epidemicon secundo, & sexto, cùm dixisset, labores partus fieri per circuitus, menses non dies enumerauit; scripsit enim. » Labores tertio, quinto, septimo, nono mense, & secundo & quarto. » & si aliquando diebus non mensibus vsus est, illis certè longè alia lege vsus est; numerum dierum duplicans æqualem, & quidem rectissimè ob causas iam pridem allatas libro sexto; qua de re secundo Epidemicon ita scriptum video. » Labores circa » quinquagesimum tertium diem & circa cẽ » tesimum sextum. qua methodo quadragesimus octuagesimi, nequaquam nonagesimi,

Sect. 3.

fimi esset index. ac de reliquis diebus notatis à Mercato eadem ratio est. voluit enim nonagesimum septimo, centesimumuigesimum vndecimo, centesimumoctuagesimum decimoquarto ducentesimum decimoseptimo, tandem ducentesimumseptuagesimum vigesimo respondere; cùm tamen nō eam retineant hi dies inter se proportionem, quam crisimi dies vicissim habent, quibus similes Mercatus eos facit. vt interea taceam, hoc de partu dierum tātùm 270. locum habere; cùm nihilominus proportionem in alijs quoq; temporibus natura seruet: de quibus erat Mercato disserendum. quo etiam loco dum diem 270. quàmlegitimum terminum naturalis partus facit, quasi hunc reliquis videatur anteponere, vereor ne ab Hippocrate dissentiat, qui, vt toties diximus, perfectissimum, naturalissimumq; partionis limitem diem 280. esse voluit.

Mercati opinio de causa partus humani exploditur. Obiter Laurentij nonnulla reijciuntur.
Cap. 24.

IAm verò nec Mercatum sequi possumus in tradēda causa humani partus, quam Gorræum immitatus triplicem ipse affert; ventilationis scilicet, & alimonię inopiam, vteriq; angustiam. etenim non semel superius ex Aristotelis mente diximus, partus causam ipsam esse fœtus maturitatem, nec aliam vllam; quod tertius liber plenissimè docuit. itaq; iam nunc (quod de Iurisprofessoribus supra dicebamus) isti quoq; vincant animum, & Aristotelem, cui assentiantur deligant, si veritatem hac in re cupiunt attingere. quam profectò veritatem Mercatus eò magis fateri cogitur, quòd de tempore partus prænunciando ex motus tempore subtiliter disserens, tanquam ratum firmumq; accepit, naturam nunquam expulsionem aggredi eius, quod conficit, donec ex toto perfecerit. quo quidem iacto fundamento, quoniam partus expulsio est quædam rei à natura confectæ; sequitur non antea ab ea expelli, quàm perfectus fuerit, & quia perfectus fuerit; vt ipsa perfectio ac maturitas expulsionis, partusq; omnino sit causa. Præterea & plurimum à sua mea distat opinio in causa multiplicis temporis humani partus definienda; cur enim inter omnia animalia vnus habeat homo multiplex tempus pariendi, id in quadruplicem causam refert vir doctissimus; videlicet in imaginatiuam hominis, in motum, ac formationem infantis, quæ omnia perquàm varia sunt; item in variam & inordinatam mulierum viuendi rationem: quarū tres priores à Gorræo antea traditæ sunt. id enim totum quàm falsum sit, quàm alienum ab Hippocratis mente, & Aristotelis, & supra aduersus Gorræum disputantes tetigimus, & libro tertio vberrimè ostendimus; vt nil sit opus hæc in præsentia repetere. quamobrem falsum quoq; erit, quod Mercatus adiungit, huiusmodi varietatem, non ideo locum habere, quia homini desit pariendi certa lex & ratio, sed quòd eam anteuertat, aut remoretur quodammodo natura ipsa iuxta varietatem copiæ, aut defectus alimenti, vel roboris, aut imbecillitatis fœtus. ista nanq; varietas, quia humanæ speciei ob causas ex Aristotele libro tertio allatas naturalis est, homini & certa lex pariendi, & in hac ipsa varietate certitudo est, atq; constantia. itaq; non deficit à suo fine natura, non anteuertit, vel remoratur, si aliquando citius, serius aliquando fœtum excludit, dummodo tamen intra terminos naturales septimo videlicet, ac decimo mense, vndecimiq; initio, ac intermedijs temporibus partum emittat: omnes enim hi enumerati menses ex Aristotelis decreto partionem habēt naturalem: qua quidem hominis ignorata proprietate reliqua omnia ignorari necesse est, quæ ad partus negocium spectāt. vt nemini propterea mirum videri debeat, si vir alioqui eruditissimus Laurentius, qui Operum Anatomicorum libro secundo de partu humano plura doctè, ac subtiliter disserens, & quinq; causas Gorræum ex parte & Mercatum secutus, cur gestationis humani partus terminus multiplex sit & varius, adducens; videlicet varietatē victus, animi pathemata, genitalis seminis variam naturam, naturæ ipsius in humanæ speciei conseruatione prouidentiam; demum quòd sola mulier, quamuis grauida, viri amplexus nunquam respuit: in tanti problematis solutione, quoniam veram ab Aristotele traditam causam prætermisit, legentium animos quietos non reddiderit. satis enim constat tùm ex ijs quæ libro tertio, tùm ex ijs quæ aduersus Gorræum & Mercatum paulò supra disputauimus, nullam illarum causarum locum habere posse, nullam naturalis huius proprietatis, quæ humanæ speciei ex intimis ipsius principijs conuenit, posse esse causam. quare valde ab Aristo-

Quest. 38.

sto-

ftotele discrepare crediderim virum hunc eruditissimum, cùm inquit, gestationis humani partus terminum multiplicem esse & varium non ex parte agentis, idest naturæ, cuius eadem in homine & brutis est vis, idem modus, eadem perpetuò lex; sed ex diuersitate materiæ, quæ in homine varias subit alterationes, pluresq; patitur, quàm in brutis mutationes. quemadmodum enim libro tertio Præceptoris auctoritate ostensum est, terminus pariendi homini multiplex quidem & varius est ex parte agētis causæ & naturæ ipsius propriæ, ideoq; in hac ipsa varietate maximè certus & constans; quia scilicet solus vniparum, pauciparum, multiparumq; natura sit animal; ex parte enim materię nil certum Aristoteli, ac definitum, sed inordinatum omne, ac indefinitum. proinde non eadem naturæ vis est in brutis ac in homine, non idem modus, non eadem perpetuò lex secundum illum; cuius diuinum ingenium cùm in hac tractanda quæstione considero; quod doctissimus Laurentius de Hippocrate dixit, non minus verè de Aristotele dicendum esse existimo; videlicet vnicum Græcis eum fuisse oraculum, solumq; de ignorantia triunfasse; hanc ob rem (quidquid fremant Sophistæ) omnem literatorum sapientiam caliginem habere pro Sole, vanitatem pro veritate, orcum pro luce, si ab Aristotelis doctrina in hac præsertim quæstione explicanda recedant. Sed ad Mercatum redeamus; cuius rationes ex Astrologia, & Arithmetica allatas ad probandam mensis octaui infelicitatem, aliorum verò mensium frugiferam partionem, nullius esse roboris apparet: de qua re tùm in Disceptatione, tùm libris superioribus abundè fuit disputatum. itaq; nil erit nobis hoc loco disserendum de Auctorum varijs sententijs circa varios menses pariendi, quæ à Mercato recensentur; cùm satis iam constet, qui menses sint, qui non sint recipiendi; quiduè de Hadriani, Iustinianiq; dissidio pro veritate sit sentiendum. quo tamen loco vtrum Mercatus ex Hippocratis varijs dictis circa partum decimestrem, ac vndecimestrem contradictionem tollat, aliorum sit iudicium. certè dum statuit iustum & maximè secundum naturam grauidationis limitem decimum esse mensem, & ad duos vel tres dies vltrà; & cum Hippocrate pugnat, & cum se ipso, ac Hippocratem facit à se dissentientem. siquidem Mercatus supra diem 270. naturalissimum esse partus terminum definiuit: at Hippocrates diem 280. rursus ipse Hippocrates, vt visum est Mercato, partum ad summum diebus 280. gestari voluit; enimuero sic ipse apertè testatus est. Sed vt vera computatio nouem, » aut decem mensium magis elucescat, expē- » dendum est, constare ex Hippocrate libro » de Alimento, & libro de Carnibus, dies » grauidationis non excedere quatuor decadas, quæ constant ex 280. diebus ad summum; licèt non rarò ante id tempus partū » in lucem edi contingat. At si hoc est, quomodo potuit idem ex Hippocrate affirmare, partum toto decimo, & ad duos, vel tres dies vndecimi gestari, & naturalissimè gestari? differentia nanq; est insignis dierū plus quàm ferè 24. vnde quo modo hęc inter se consentiant, non video.

Alia quędam Mercati confutantur; ac pręsertim nonnulla ad mensem septimum, ac partū septimestrem pertinentia.

Cap. 25.

QVæ autem à Mercato disseruntur de tempore, à quo computationē grauidationis ineundam censet, iam septimo libro confutata fuerunt; veraq; Hippocratis mens hac de re explicata: sicuti & ea omnia, quæ idem eleganter tractat de Solis ac Lunæ periodis, deq; partus cum diebus crisimis consensione; item de Cęlestibus causis partus ex motu, mutationeq; Solis ac Lunæ ductis, quæ ipse omnia à Gorræo sumpsit, silentio nobis inuoluenda sunt; quia & libro sexto, & paulò supra in Gorręi expendenda positione vberrimè ventilata fuerunt. qua quidem in re non secus ac Gorræus ieiunè admodum se gessit Mercatus, nullam adducens rationē, cur ex motu cōsensioneq; Solis & Lunæ partus ad exitum excitetur, & quo instrumēto agant hæc sydera in illum. quare superest nobis vt pauca tantùm quædam circa illa disseramus, quæ ipse de singulis mensibus septimo, octauo, nono, decimo, vndecimoq; seorsim scriptum reliquit. Primùm igitur, quod attinet ad mensem septimum, ac partum septimestrem, illud vehementer improbamus, quod Mercatus inquit, hos partus duplici de causa in lucem prodire; aut ex occasione, quæ debitum tempus anteuertat fœtu existente robusto; aut ex naturæ decreto: qui verò occasione eduntur, horum maximam partem interire, pauciores seruari; qui agente natura oriuntur, omnes reddi vitæ compotes quantum est partus temporisq; ratione. etenim hoc

Hip-

Hippocrati, & Aristoteli repugnat, ac veritati; quot quot enim partus occasione quadam veniunt in lucem, anteuertuntq; tempus suæ maturitatis, periclitantur omnes, siue fuerint natura septimestres, siue nonomestres: sunt enim abortus non partus naturales; & quòd pereant plures, seruentur pauciores, hoc septimestribus illis, vt Hippocrati placuit, conuenit, qui agente natura in lucem veniunt; siquidem de septimestribus vniuersaliter hoc traditum ab illo memoriæ fuit. Item illud etiã repudiamus, quod hic Auctor docet, esse necessarium hos partus, si salubriter degere debent, primi septimiq; mensis plus dimidio capere; hoc enim, vt libro septimo monstratum est, non putauit Hippocrates necessarium ad vitam, sed ad constituendum partum verè septimestrem; vnde vt partus vitalis sit, satis est quòd dimidio anno in vtero gestetur. Quod verò Mercatus ex Plinio sumit, septimestres interlunio concipi, vel plenilunio oportere; hoc certè erat ei vberius declarandum, & causa aperienda, quare in aspectibus illis necesse sit fieri illorum conceptionem. qua in re & illud alterum reprobamus, quod ipse iudicat, robustissimo, vegetoq; calore hos partus esse præditos, quasi ex robustissima perfectissimaq; materia conformatos. tametsi enim id verum sit caloris humorisq; ratione, attamen, quod pertinet ad maturitatis temperamentum, ex imperfectiori materia ipsos esse genitos, iam pridem tertio, & septimo libro demonstrauimus. ex quò & ratio Mercati illa corruit, qua probare nititur, hos partus idcircò tam breui tempore in lucem prodire, quia, cùm potenti, vegetoq; calore, præditi sint, alimentum ocyus deuorantes illius penuria coguntur carceres abrumpere. Satis nanq; liquet ex Hippocrate, & Aristotele, imbecillos admodum esse septimestres, nec adeò viribus, & calore excellere, vt hæc efficere possint. quod sanè alimentum si decimestribus sufficeret, qui tanquam maiores, ac longè robustiores abundantiori egent alimento; mirum est quo modo & septimestribus satis nequeat esse. quæ ratio alteram illam Mercati refellit causam ortus septimestrium ab angustia vteri ductam; si enim caperet idem vterus decimestres, cur & non poterit septimestres continere vel confitente Hippocrate natura μίκρους, idest paruos, vt septimo octauoq; libro vidimus, & decimestribus magnitudine longè minores: vt prætercam (quod tam sæpè dixi) maturitatem ipsam, non angustiam vteri, inopiamq; alimenti partus esse causam naturalem.

Quędam alia de septimestribus à Mercato dicta confutantur.
Cap. 26.

SEd neq; in eo altero concinunt sententiæ nostræ, quod Mercatus adiungit, idcircò septimestres maiores prodire vitales, quia in tempore nonomestribus ęquiparantur, cùm eoq; conueniunt; cùm hebdomadum decade tertia in lucem exeant. siquidem hac in re nõ cum nonomestribus, sed cum decimestribus consentiunt, qui hebdomadum decade quarta oriuntur: vnde vtriq; partus ad hebdomadas exactam seruant rationem, vt pulchrè in libro de Principijs docuit Hippocrates. Quæ autem varia Hippocratis dictá in dubium vocans ipse disserit, non plenè satisfaciunt; nam quòd in libro de Septimestri Partu sextus quadragenarius reiectus fuerit, non est quidem causa, quoniam quinto, & septimo tantùm genitos fœtus Hippocrates receperit; quasi sextum quadragenarium diei sexto tyranni regis æmulo similem fecerit; siquidem diuinus Senex recepit etiam octauo quadragenario editos (quod tamen video nonnullis displicere) vt de trecentorum dierum partu satis liquet: sed quia sexto quadragenario ægrotatio iam octauo libro exposita fœtum adoritur, propterea illum reiecit. quod tamen non in omni fœtu, sed in eo, qui imparem periodum sectatur non parem; demum in nonomestri ac decimestri locum habere sexto, & octauo libro demonstratum fuit. qua recepta veritate fateri cogimur non omnes sexto quadragenario prodeuntes Hippocratem reijcere. Quod verò ipse sumit, maiorem septimestrem vltrà ducentos & quatuor dies gestari non posse, hoc iam fuit libro septimo, & octauo in Galeno, & Vallesio reprehensum. sicuti & alterum illud paulò supra confutatum, quòd septimestres, vt exeant vitales, mensis septimi amplius quàm dimidium capere debeant. id enim hac sibi ratione Mercatus persuadet, quia septimestres non in minori spatio quàm in dimidio anno Solari gigni possunt vitales: at si primi & septimi mensis dimidiam tantùm partem accipiamus, & quinq; intermedios totos, ac integros, assurget summa dierum tantùm 177. cum dimidio; quæ

quidem cùm dimidio Solari anno minor sit, tempus legitimum non constituet: quare de mense septimo plus dimidio in huius tẽporis cõputatione erit necessariò capiendum. rationem hanc Mercatus visus » est mihi indicasse verbis illis. Sed vt cõ» putatio optimè fiat expendendum est ex » Hippocratis & Galeni decreto, in septime» stris partus ratione primi mensis & septi» mi plus dimidio fore computandum, vt » illorum vis queat elucere, & in tàm breui » tempore fœtum consumare. Qua profe» ctò de causa in ea computatione sufficerẽt » quindecim dies primi & septimi mensis, si » dimidium anni Solaris aut septimi mensis, » vt dictum est, attingerent. Sed quia mi» nimè attingunt septem menses, sed intra » sex mansisse intelliguntur; oportuit aut » primi, aut septimi plures quàm quindecim » accipere; aut si primi mensis quindecim » duntaxat dies numerati fuerint, viginti » sint capiendi ipsius septimi, quod minimũ » est, vt dinumeratio ipsa de septimo mense » aliquot dies, quinq; scilicet accipiat. Hęc ille; quibus licèt obscurè hanc affert, vt dicebamus, rationem, cur de septimo mẽse amplius quàm dimidium accipere oporteat, quoniam, si dimidium tantùm caperetur, tota dierum summa anni Solaris dimidium, seu, quod in idem redit, dimidiũ Solaris mensis non attingeret. si enim de primo Lunari mense dies accipiatur quindecim, & de septimo amplius quàm viginti, summa dierum 182. cum horis quindecim dimidium Lunaris mensis superat, ac dimidium attingit Solaris mensis; quam profectò computandi rationem, Ferdinãdo consentiens, in alijs præter minorem septimestrem, locum noluit habere; docens in nonomestri, decimestri, ac vndecimestri satis esse, si aliquantulũ tẽporis ex primo, postremoq; mensibus desumatur: atq; hoc esse quod dixit Hippocrates, genitos post pleniluniũ, necessariò vndecimum mensem attingere. qui enim post pleniluniũ concipiuntur senescente mense concepti videntur; vnde his verbis censet Mercatus Hippocratem docuisse, de primo mense fore capiendos dies perquàmpaucos, si ad vndecimum fœtus debeat peruenire.

Quędam Mercati alia ad tempus gestationis computandum spectantia, refelluntur.
Cap. 27.

HAec igitur tanti viri opinio est; verùm libro septimo abundè ostensum fuit, quæ causa Hippocratem impulit, vt in minori septimestri de primo mense nõ minus quàm dies quindecim, de septimo viginti & amplius numerandos esse decreuerit: quo etiam loco veram ex ipso causam explicauimus, quare circa plenilunium & vltra concepti mensem vndecimum valeant attingere; & qua ratione id veritatem habeat: demum quæ sit ista necessitas, quæ partum ad vndecimum perducit. quam nemo est qui non videat Mercati recepta interpretatione nullam esse: cùm neq; omnes partus, qui vel circa, vel post plenilunium concipiuntur, ad mensem vsq; vndecimum perducantur; septimestres enim minores, dierumq; 182. partus ferè post plenilunium gignuntur, vel circa, & tamen vix ad dimidium mensis septimi perueniunt: item nonomestres, ac decimestres totum primum mensem possint accipere, si circa interlunium, vel paulò post concipiantur. partus enim trecentorum dierum totum primum, ac decimum assumit. quod quidem alienissimum esse ostendit à veritate, quod Mercatus scripsit, in horum computatione de primo & vltimo mense perquàmpaucos necessariò dies esse capiendos. Sed iam pridem hæc omnia plenè libro septimo in Ferdinando cõfutata fuere; quare satis erit in præsentia ea attigisse. Quod verò, vt primam diluat dubitationem, sumit, dies ducentos decem æquiparari diebus 204. qui terminus non putatur in sextum quadragenarium incurrere; hoc plurimum abhorrere à veritate, atq; ab Hippocratis mente libro octauo fuit demonstratum: quo loco vidimus, septimestres partus ad diem vsq; 210. iuxta Hippocratis decretum gestari; qui non solùm id in extremo libro de Principijs voluit, sed Epidemicon sexto, cùm dixit, qui in septuaginta mouentur, in triplicitatibus perfici: item in libro de Alimento, vbi apertè statuit, ad figurationem Soles trigintaquinq;, ad motum septuaginta requiri, ad perfectionem ducentos & decem. Adhuc ostendimus, sextum quadragenarium in hoc partu locum non habere; ita vt, tametsi dies decem sexti quadragenarij attingat, nullam tamen ex eo noxam recipiat. quod etiam Mercati responsionem ad dubitationem tertiam refellit. hoc enim longè esse ad veritatem propensius, quàm si dicamus, dies ducentos decem pro diebus ducẽtis quatuor sumi, dies verò ducentos quatuor, quia minimum capiat sexti quadragenarij, nullam

Sect. 7.

fœtui afferre calamitatem, omnes, vt arbitror, facilè concedent, & fatebũtur. Quæ verò de septimestris spatij potestate eleganter Mercatus disserit, docens vehemẽtè obtinere tempus id in decernẽdo potestatem; dieiq; decimoquarto esse simile (quæ omnia ante illum Gorræus magna cũ laude animaduertit) tanquam veritati cõsentanea recipimus, mirificeq; laudamus. sicuti & alterum illud veluti falsum libro tertio coacti fuimus repudiare, videlicet mares magis quàm fœminas de Aristotelis sententia fieri septimestres, fœminas magis quàm mares decimestres; quod sanè dictum nusquam ego apud Aristotelem inueni.

Mercati opinio de partu octomestri expenditur.
Cap. 28.

SEd Mercati placita de partu septimestri satis expendimus; videamus nũc quàm firma sint, quæ de octomestri idem adduxit. ac primùm audax conclusio illa, octauo mense natos non esse vitales, omnes ferè Auctores mille rationibus probasse; quàm longè serpat, superiores docuerunt disputationes. Quoniam autem Mercatus & rationibus, & auctoritatibus eam firmare nititur; palàm est vtrunq; euerti fundamentum ex his, quæ posuimus. quod pertinet ad rationes, si ea ad memoriam reuocemus, quæ libro sexto, septimo, & octauo de quadragenarijs, eorumq; natura ex Hippocrate disseruimus, statim clarum erit, primam à sexti quadragenarij natura ductam, nullius esse momenti; quoniam, vt vidimus citatis locis, quadragenarius sextus in nonomestri, ac decimestri partu propriè locum habet, non in septimestri, & octomestri. cùm enim multæ res in hac perdifficili de octauo genitis quæstione nequàquam satis adhuc explicatæ essent; certè caput ad quadragenarios pertinens fœtum iudicantes, hoc vnum esse de illorũ numero, quæ lumen desiderarent, qui hæc nostra legerit, facilè confitebitur: quibus, secus quàm alij ad hanc vsq; diem existimauerint, præter alia de illis disputata, plenissimè credimus ostendisse, sextũ hunc quadragenarium non esse omni fœtui infelicem. qua in re magna illud certè dignum est, mea sententia, admiratione, quomodo, cùm adeò perspicuè de huius quadragenarij natura tractauerit Hippocrates, & quibus fœtibus afferat ægritudinem, & qua de causa, quidue sit ægritudo ista, adeò apertè explicauerit; ad clarissimas ipsius voces surdissimæ nihilominus fuerint istorum aures; vt commentitia de motu fœtus in septimo ad exitum facto, vel de Saturni malignitate, numerorumq; virtute, & pleraq; alia ab Hippocratis mente alienissima excogitauerint. atq; hoc vim penitus demolitur secundæ rationis. Si enim quadragenarius sextus octomestri per se nihil obest, nullam affert ægritudinem; non possunt in ortu ipsius augeri calamitates. Ad tertiam quid respondendum, satis liquet ex libro sexto; quo loco ostendimus, octonarium Hippocratis auctoritate in his, quæ parem periodum affectant, vim habere decernendi. quod quidem vel inuitus fateatur Mercatus necesse est, qui partum veluti morbum quendam longissimum esse statuit, vt in ipsius enarranda opinione vidimus: tritissimum nanq; est apud Medicos, morbos longos paribus, acutos imparibus diebus iudicari. quo etiam fundamento quartam reijcimus rationem, si tamen refellit numerum octauum ipsa quarta ratio quatenus ad parem periodum spectat; nam si numerorum proprietate nititur, iam nihil à Galeno tàm esse reiectum, quàm hanc virtutem numerorum tertio libro de Diebus Decretorijs, nõ semel supra animaduertimus. quod & Gorræus vir grauissimus adnotauit, qui octomestrium alioquin hostis acerbissimus hanc ipsam rationem à numerorum proprietate ductam tanquam nullius ponderis reijcit. Quod verò Mercatus inquit, adducens causam, cur in Aegypto, similibusq; regionibus octauo mẽse geniti sint vitales; nihilo magis consentit cum veritate: quandoquidem, vt tertio, & quinto libro ostendimus, atq; etiam in Disceptatione, non est Cœli temperies, neq; mulierum robur, quæ ferè per se octomestribus opitulentur, sed quatenus hæc causæ sunt, vt ipsæ mulieres non abortiant, sed ad exactos menses vterum ferant. Demum alterum illud, quod postremò aduersus octomestres ab eo affertur, quod pro quinta sumi potest ratione, pari facilitate ex superioribus redarguitur. Hippocrates enim nonomestres graciles, tenuesq; oriri ex laboribus in octauo perpessis, & in sexto quadragenario rectissimè scripsit, quoniam ipsis, vt toties diximus sextus quadragenarius & labores affert, & ægritudinem; verùm id nihil aduersus octomestres concludit, vt libro octauo vberrimè monstrauimus; vtpote

qui, si naturalem partus seruent rationem, suæq; naturæ consentaneam, nullis sexto quadragenario laboribus, ægritudine nulla corripiantur. Hinc quod postremo loco Mercatus adiungit, si quando constet contigisse octomestrem viuere, id quidem censendum potius fieri, quòd matrem deceperit computationis principium, quàm quòd verum sit; & rationi, & Aristoteli repugnare, luce meridiana clarius; qui contrarium potius videtur scripsisse; partus videlicet verè octomestres interdum edi, qui ob conceptam de illorum infelicitate opinionem, non creduntur octomestres, vt tertio libro animaduertimus. Sed de Mercati rationibus hactenus. Ad auctoritates verò quid dicendum, non minus ex superioribus est clarum. quæ enim ex Hippocrate ab eo excerptæ sunt aduersus octomestres ex libro de Alimento, item ex Opusculis de Septimestri & Octomestri Partu, & de Principijs iam omnes octauo libro expositæ fuerunt. Verùm quoniam Galeni quoq; adducit testimonium ex Cōmentarijs in librum sextum Epidem. vbi sic legi scriptum inquit. De octauo certū non edi in ipso vitales partus. hunc ego locum cùm diligentißimè perquisiuerim, nunquam tamen in Galeni græcis codicibus inuenire potui; neq; etiam in latinis Venetijs impreßis apud Iuntas; vt facilè iam iam mihi persuaderem vel memoriæ lapsu ab Auctore, vel Impressorum vitio alium pro alio positum fuisse. sed quia illum tandem reperi in Galeni Operibus à Valgrisio diuulgatis; quantum roboris habeat videamus.

Part. 7. Tex. 27.

Quid de loco quodam Galeni à Mercato allato sentiendum. *Cap. 29.*

PRimùm igitur constat locum esse excerptum ex duobus illis Commentarijs; qui in græcis impreßis codicibus non extant; neq; manuscripti in vlla Bibliotheca reperiuntur: eos enim Rasarius inuenisse profitetur, & transtulisse; quare multis doctis viris ansam præbuit dubitandi, an verè inter Galeni genuina scripta recenseri debeant, an potius boni illius viri pium quoddam fuerint inuentum. suspicionem auget, quòd ipse sæpè rogatus nunquam contextum græcum voluit ostendere; cuius rei grauißimum habeo testem Hieronymum Mercurialem virum clarißimum, ac in Medicina propè singularem; cuius hac de re sententiam cùm Ioannes Vincentius Pinellus vir optimus, integerrimus, eruditißimus, literatorum omniū refugium meo nomine sciscitaretur, hoc idē respondit. atq; quòd Galenū nō habuerint auctorem, doctißimum virum atq; de bonis artibus optimè meritum Ludouicum Septalium in Cōmētarijs suis super Hippocratis libello de Aere, Aquis, & Locis sentire video. quamobrem parum firmū, ac tutum inde excerptum testimonium apparet ad Galeni sententiam ostendendam. Secundò, si locum ipsum expendamus, videbimus ea continere, quæ summo Galeni ingenio, doctrina, & diligentia penitus videntur indigna; è quo genere cùm non pauca in duobus illis Commentarijs inueniantur, id certè non solùm eos in suspicionem vocat falsitatis, sed rem sic esse, planè demonstrat. Nos autem in præsentia contenti erimus hoc ipsum, quod dicimus, vero esse consentaneum, huius loci, quem præ manibus habemus, exemplo demonstrare; alij, qui plus ocij nacti erunt, reliqua ad examen reuocabunt. Galenus igitur verba Hippocratis illa expendens. Quibus intra constitutum tempus nihil accidit ijs, quæ ipsæ pariunt, vitalia. scribit in hanc sententiam. Cœterum quod ait intra tempus constitutum hoc vel septimū mensem, vt in Commentario libelli de Septimestri Partu docuimus, vel nonum significat. De octauo enim certum est non esse in ipso vitales partus. In decimum verò, & in vndecimum quandoq; mensem, vt Aristoteles auctor est, fœtus differuntur, sed rarò. Hæc ille; at enimuero si lanx ipsa veritatis inuaserit in hanc interpretationem, nimias ruinas edet: quot enim in ea verba sunt, tot ferè mea sententia difficultates; tot insignes ab Hippocrate, & Aristotele dissensiones. Primùm quis erit, qui in Hippocratis interprete ferat, qui ferat in Galeno, quòd per tempus constitutum septimum, & nonum intelligendum esse dicat, decimum verò vel respuat, vel prætermittat? nam quod amabò constitutum magis Hippocrati tempus ad pariendum quàm mensis decimus, & quod ipse solet spatium decimestre appellare? hoc enim iam satis superiores libri docuerunt; quibus ostensum est, ex Hippocratis sententia, Aristotele etiam consentiente, decimestre hoc spatium & naturale magis, & frequens magis pariendi tempus existere. at huius interpretationis Auctor hoc maximè contendit, vt doceat, constituti tē-

poris nomine septimum tantùm, ac nonũ esse audiendum, decimum nequaquam; quem non secus ac octauum, & vndecimũ putat esse de ipso constituto tempore auferendum; cùm alioqui Hippocrati, quemadmodum supra dicebamus, & maximè legitimum & maximè frequens sit tempus pariendi. vt propterea doctissimus vir Laurentius Oper. Anatom. libro secundo non videatur audiendus, præsertim cùm Hippocratis sensa profiteatur aperire, dum scribit, nonomestrem partum maximè esse legitimum, & naturæ valde familiarem; decimum verò satis frequentem; quibus contra Hippocratis mentem decimo nonũ anteponit. Secundò, quis æquo animo patiatur in eo, qui se interpretem Hippocratis facit, quòd mensem decimum ac spatium decimestre infinitis partibus apud Hippocratem vndecimestri perfectius cum ipso vndecimo coniungat? quòd quandoq; & raró in decimum partum differri, sicut & in vndecimum asserat. Tertiò, si Galenus est, qui octauum refellit; quo pacto id ipse adeò constanter hoc loco asserere potuit, qui hunc eundem librum exponens, vt sequenti capite videbimus, longè aliter non leui coniectura indicare visus est? qui locus, cùm ex genuinis libris à nobis afferatur, de quibus nulla est, aut fuit vnquam dubitatio, quin ex Galeni officina prodierint, certè pluris ille quàm hic æstimandus erit. Quartò, quo modo non dormitasse virum hunc dicemus, cùm Aristotelem audet illius sententiæ efficere auctorem? in qua quidem ea omnia, quæ explicantur, Aristotelis dictis ex diametro sunt contraria. tria autem explicantur, nisi fallor; primùm, quòd in decimum mensem quandoq; & raró partus differuntur. secundum, quòd idem fit de mense decimo hac in re, ac de vndecimo iudiciũ. tertium, quòd Aristoteles huius sententię auctor extiterit. At certè si mensis decimi nomine initium ipsius intelligamus, ac dierum 280. interuallum; huiusmodi tempus non solùm Hippocratis, sed etiam Aristotelis testimonio esse longè in partu frequentissimum, & perfectissimum, iam supra demonstrauimus: quod si etiam decimum totum intelligamus, quatenus ipsũ cum vndecimo comparamus; nihilominus Aristotelis etiam testimonio hoc est falsum; qui vt plurimum decimo partum edi septimo Historiarum memoriæ prodidit. itaq; prima propositio omnino falsa. Quòd autem secunda insignis mendacij notam subeat, cùm longè aliter ex Aristotelis sententia de vndecimo mense sit iudicandum, iam liber tertius plenissimè docuit; quare & secunda propositio non minus aberrat à scopo veritatis. verùm & tertiam quoq; necessariò falsam esse, ac omnino ruere, duabus prioribus confutatis satis constat; vt enim ex libro tertio patet, Aristoteles de vndecimo tantùm mense dixit, quòd raró, & quandoq; in eum partus differantur; at quòd idem de decimo eueniat, quòd de hoc mense idem sit iudiciũ, nusquam hoc asseruit; quin potius contrarium prorsus apertissimis verbis pronunciauit.

Cap. 16.

Cap. 4.

Quod superiori capite dictum est, plenius comprobatur.
Cap. 30.

NEc interpretationem hanc tuentur, vel Galeni esse docent, qui dicunt, decimi mensis hoc loco nomine non illius initium, sed medium, ac finem esse intelligendum; in quam quidem ipsius partem verum est raró & quandoq; differri humanum partum; nam hoc modo initium decimi, & sic tempus longè omnium naturalissimum ac frequentissimum, quod cõstituti temporis apud Hippocratem nomine in primis venit intelligendum, prætermissum in hac esset interpretatione, quod Galeni in explicando Hippocrate diligentia est indignum. Nec dicere possumus, sub nono mense huiusmodi tempus esse comprehensum; quod, vt tertio libro etiã tetigimus, non semel fecisse Galenum suspicamur; eò quòd eius ætate Iulianus annus receptus esset, cuius nouem menses decimestre ferè Hippocratis spatium adæquant; tùm quia, si id volebat Auctor, clarè nobis debebat explicare, nec contra loquendi vsum decimum mensem nonum appellare; atq; sic miris ambagibus omnia confundere: quod eò magis dignum est reprehensione, quò magis sigillatim menses enumerans nonum à decimo, decimumq; rursus à nono videtur distinxisse; vt quicunq; dies decimi sint, dicendum omninò sit decimi nomine comprehendi: tùm quia in hoc ipso Auctore interpretatio hæc locum non habet; qui in eodem Commentario paulò infra Aphorismum vigesimũ nonum explicans, in quo Hippocrates sic loquitur. » Dolores per circuitus fiunt; qui » autem in 70. mouetur, is triplicato nume- » ro perficitur & c. & mensis quantitatem

quo

quo modo capiat, aperit, & persistens in sententia, septimum tantùm ac nonum tanquam vitales menses recipere videtur, alios omnino refutare; atq; eius hæc est oratio. Videtur hîc innuere numerum dierũ, in quibus partus absoluuntur, & in lucem eduntur. quia verò & septimo, & nono mense vitales eduntur; ideo ex duplici eorum motu vtrunq; tempus designat; qui enim in septuaginta diebus mouentur, ij triplicato horum dierum numero perfecti, & absoluti redduntur, & foras erumpunt: facilè enim subducere quiuis rationẽ potest, ex tot diebus, quot sunt ex triplicato eò numero, septem menses confici: præsertim cùm iam probauerimus in hoc partu intelligi mensem, qui triginta dies capiat; septuaginta enim ter ducta numerum dierum ducentorum ac decem conficiunt: sicuti nonaginta ter ducta numerum dierũ ducentorum ac septuaginta, ex quibus nouem menses constant, absoluunt. Hæc ille; quibus qui non videt septimum tantùm, ac nonum mensem tanquam vitales recipi, non secus ac in superiori commentatione factum cernimus; octauum, decimum, vndecimum tanquam vel non vitales, vel longè minus respui; diciq; ideo ab Hippocrate illorum solùm terminos esse positos; periodos explicatas; demum & mensis quantitatem diebus triginta constitui; nihil videt. quibus quidem receptis necessariò sequitur in superiori loco mensis noni nomine dierum 270. interuallum esse intelligendum, proindeq;, quod Hippocrati spatium est decimestre, scilicet dies 280. nullo modo ipsum nonum posse complecti. quo posito necessariò etiam hoc alterum fateri cogimur, de toto decimo, videlicet tàm de ipsius initio quàm de fine; atq; sic de Hippocratico quoq; interuallo ab eo Auctore dictum esse, quòd rarò in illud partus differantur; quod insignẽ mẽdacij notã continere superius diximus, & mirificè Hippocrati esse aduersum. Sed & hoc alterum interpretationi huic puto obijciendum; cùm enim hîc mensis decimus reijciatur, ac ferè præter naturam indicetur (nam qui mensis rarò partum habet, hic partui certè est vel simpliciter, vel aliquo modo præter naturam; quoniam, vt perpetuò Præceptor clamat, quod rarò fit, præter naturam fieri dicendum est) hoc certè Galeno videtur contrarium, qui, vt sequenti capite ostendam, decimum mensem partionem habere naturalem existimauit. Demum & illud arguit Auctoris huius diligentiam, & suam hanc indignam Galeno prolem esse ostendit; quia si dicere etiam velimus, mensis decimi nomine non initium ipsius, sed medium, ac finem esse intelligẽdum; falsum de media ipsius parte esse comperitur, quòd in eam partus rarò differantur; eò quòd Hippocrates mẽses Lunares synodicos recepit, idemq; Galenus eos libro tertio de diebus decretorijs confirmauit. at verò iuxta Lunares menses dies 280. in medium Lunaris mensis incurrant: explent enim nouem Lunares menses dies 265. cum dimidio; itaq; ex summa dierum 280. dies supersunt 14. cum dimidio, qui dimidium Lunaris decimi conficiunt. quare iuxta Hippocratis, & Galeni placita non solùm mensis decimi initio, sed in medio & maximè, & crebrò partus humanos edi contra huius Auctoris sententiam dicendum erit. Sed tantum huic loco auctoritatis esse tribuendum, quantum alijs, qui ex spurijs Galeni libris desumuntur, satis superq; ostensum esse arbitror. Verùm quia non solùm Mercatus hîc, sed alij pleriq; existimarunt, Galenum octomestres partus cõdemnasse; necessarium profectò est, vt, oblatam tenentes occasionem, hoc loco pro virili parte Galeni sententiam vestigemus. quæ quidem res & magna, & diligenti contemplatione dignissima est.

Vera Galeni sententia de partus octomestris natura inuestigatur.

Cap. 31.

QVid senserit Galenus de hac perdifficili quæstione non est facile videre; cùm non solùm difficultatem hanc ab eo proposito argumento alicubi non habeamus pertractatam; sed neq; etiam in tàm multis, quæ ipse congessit, vel digito etiam ferè demonstratam videamus. etenim ijs, quæ afferuntur ex Isagogicis, tãquam desumptis ex libris spurijs, nulla fides videtur habenda. quod etiam eò magis mihi probatur, quia libro tertio de Criticis Diebus causas à numerorum natura ductas vehementer ipsum video improbare; quod etiam supra adnotaui ipsius verba adducens. Vnde cùm in Medicis Definitionibus scriptum legimus, septimestres viuere, octomestres non viuere, quoniam numerus octo par & coniunctus, nec decretorius est; septem autem impar est numerus, non coniunctus, atq; idcircò decretorius; hæc omnia & similia Galeni

Cap. 8.

Cap. 11.

leni placitis mirificè aduersari constanter oportet affirmare; quoniam ipse scripserit citato loco, nullam vim esse numeris, quatenus numeri sunt, ad res naturæ commutandas impartitam; verùm quia motus adest mutans, tempus verò motui coniunctus, idcircò & numerum necessariò esse coniunctum: digna certè tanto viro sentẽtia, & Peripateticis dogmatibus mirè consona. ex quò & Pythagoram plurimũ Galenus miratur virum alioqui sapiẽtissimũ, quòd tantum numeris tribuere videatur; qua de re tota abundè supra. In Commẽtarijs verò, seu potius in fragmentis super libro Hippocratis de Septimestri Partu Galeno adscriptis, nihil de natura partus octomestris tractatum video. Quòd autem locus à Mercato allatus inter spurios sit collocandus, cumulatè superius est demõstratum. itaq; ferè vnde ipsius sententiam colligamus, non habemus. Tria ego nihilominus loca inueni, ex quibus firmissima, ni hallucinor, captari potest coniectura, Galenum octauo mense genitos facere superstites; eaq; libenter indicabo. Hippocrates libro sexto Epidemicon in libri statim initio scribit, quibuscunq; ex corruptione, vel abortu circa vterum & tumoribus ad capitis grauitatem conuertitur, & iuxta sinciput maximè dolores, & quicunq; alij ab vteris: his in octo, aut decem mensibus ad coxam morbum finiri; Galenus verba enarrans post multa causam quærit propter quam octo, aut decem mẽsibus mulieribus ita malè habitis in coxẽdicem finit, hoc est irruit morbus; sed præfatur primùm ob lectionis varietatem Hippocratis verba duplicem sensum recipere posse. cùm enim nonnulli non octo, aut decem mensibus, sed octauo, aut decimo scribendum censeant; perspicuum esse inquit, si legamus octo, aut decem mẽsibus in coxendicem finire; ab ipso abortu, non à conceptu menses esse numerandos: si verò octauo mense, aut decimo, sic à conceptu tempus significari. His ita constitutis narrat postea, eos, qui à tempore abortus vsq; ad octo, aut decem menses numerare dignum putarunt; id propterea cõtingere asseruisse, quoniam vterus duobus his temporibus, octauo scilicet mense, & decimo malis tolerandis assueuerit; ita enim iusta de causa euenire, vt ijsdem statis temporibus contristantes humores excernantur, qui in locum vicinum irruerint, & qui transmissa vim habeat suscipiendi, & facultatem. qui verò à conceptionis tempore numerandum esse voluerunt; hos, rationi magis consentaneum esse dixisse, vt, quemadmodum, etsi interim fœtus nullo vitio tentatus sit, nonum tamen aliquem motum vterus circa ipsum duobus illis mensibus, dum aut conuertitur, aut partu editur, habet; ita &, si morbus adsit, habere. quas profectò interpretationes tanquam plurimum à vero aberrantes Galenus vnica refellit argumentatione, ac ea quidem potentissima; quòd scilicet motiones, quæ fœtus sunt propriæ, ab ipsoq; veniunt, vtero tribuunt. quando enim octauo mense fœtus conuertitur, hunc sanè motum ex se ipso ciet nõ vteri virtute; atq; tunc paritur, cùm vehementius commotus aliquam ex continentibus membranis effregerit: quod etiã libro de Natura Pueri ab Hippocrate dictum esse testatur Galenus; quem pariter motum à se ipso habet fœtus non ab vtero. quod cùm Galenus scribit, partum & maximè, & primò fœtus effici non vteri virtute ostendit se putare, & ante illum Hippocratem putasse. quòd si per abortum eiectus fuerit; cùm non amplius vtero contineatur, luce meridiana clarius est, fieri non posse, vt motus ipsius incolumes seruentur; quod priorem elidit præsertim opinionem. Quæ cùm disseruisset Galenus, statim arrepta occasione aliorum quorũdam refellit errorem, qui arbitrabantur septimo, ac nono mense tantùm naturaliter partum edi; octauo autem, ac decimo excludi præter naturam: quibus manifestè ostendit, illius se fuisse sententiæ, vt omnino opinaretur, octauo mense editum, & decimo naturaliter in lucem prodire, ac proinde viuere non minus ferè debere, quàm qui septimo mense, aut nono oriuntur. neq; in tanta re græcam appingere seriem grauabor; ita igitur ipse scribit.

Com. 1. Aph. 2.

" ὁμοίως δὲ τούτοις εἰσὶν ἀπίθανοι, καὶ ὅσοι φασὶ τὸν ἕβδομον μῆνα, καὶ τὸν ἔννατον τὰς ἀποκυήσεις τῶν ἐμβρύων ἔχειν. τὸν δὲ ὄγδοον καὶ δέκατον, τὰς παρὰ φύσιν ἀποστάσεις, ὑστεριζούσας ἑνὶ μηνὶ τῶν κατὰ φύσιν. ὅπερ κατὰ τὸ δεύτερον τῶν ἐπιδημιῶν εἰρῆσθαί φασι, κατ᾽ ἐκείνην τὴν λέξιν ἐν ᾗ φησι, τῇ ὑστεραίῃ, ὡσανεὶ τῷ ὑστερῷ χρόνῳ ᾗ μηνί. προεξηγησάμεθα δὲ τοῦτο κατ᾽ ἐκεῖνο τὸ βιβλίον. idest vt ego interpretor. Similiter autem & illi dissentanea pronunciant, qui dicunt, septimum, ac nonum mensem habere partum fœtus naturalem; octauũ verò ac decimum egressiones præter naturam vno mense tardiores partu naturali. quod quidem secundo Epidemicõ affirmari inquiunt verbis illis, vbi dicit, po-

» postero; ac si dixisset, posteriori tempore,
» vel mense. Hoc autem nos in eo libro ex-
» plicauimus. Hæc ille; ex quibus qui non videt, Galenum octauo genitis vitam impartire, nihil videt; enimuero, cùm eos reprehendat, qui octauum mensem partionem naturalem non habere existimabant, necessariò mensem hunc naturale pariendi tempus ipse constituit. quo præterea in loco duo ex Galeni oratione colligere possumus maximè animaduertenda; primùm in Commentarijs suis super secũdo Epidemicon ipsum sententiam suam de octomestris partus natura exposuisse; vt nil sit mirum, si in alijs postmodum libris huic quæstioni manus non admouerit. secundum & maximi momenti, Hippocratis verba, licèt fortasse videantur aduersari, ab eo tamen sic fuisse explicata, vt probatum fuerit, nullatenus ab hac opinione dissentire. Siquidem scribens se verba enarasse, manifestè significat, contra quàm illi fecerint, ea fuisse interpretatum. at dicebant illi, verba continere octauum mensem non habere partionem naturalem.

Hippocratis obscura verba adducuntur ex secundo Epidemicon & enarrantur.
Cap. 32.

VErba autem Hippocratis, quæ Galenus citat ex secũdo Epidemion, puto esse in prima sectione. quo loco sic scri-
» ptum ipse reliquit. ἐξ ὑςέρης ὀκλαμήνῳ τὰ τῶν
» κρίσεων, τῇ ὑςεραίῃ. neq; enim vel diligentissimè totum illum librum perlegentibus alius, opinor, præter hunc vnum locus occurret, qui cum eo, quem Galenus affert, similitudinem aliquam habere videatur. Verùm tamen est ob sententiæ Hippocraticæ difficultatem, maximamq; orationis breuitatem, & obscuritatem variè locum ab Interpretibus esse translatum; diuersis diuersa coniectantibus, & variè proinde mutantibus dictionem. Caluus nanq;, vt
» ab eo ordiamur, ita conuertit. Sicuti fe-
» tum octimestrem gestanti de vulua cecidit.
» illa verò, quæ sequũtur. τὰ τῶν κρίσεων & c. aliam inchoare sententiam arbitratus est; nilq; ad verba priora pertinere. Verùm hæc Calui interpretatio duplici nomine venit refellenda; primùm enim longè nimis recedit à fide græci exemplaris, multa continens, quæ Hippocrates non scripsit, neq; quadrare possunt. enimuero Caluus dicit, sicuti fœtum octomestrem de vulua cecidisse; at Hippocrates nullam instituit comparationem, quasi quod cecidit, simile esse voluerit fœtui octomestri, sed absolutè de octomestri sermonem habet; inquit enim. ex vtero octomestris. deinde quòd »
ceciderit ex vtero fœtus, non solùm non affirmat, sed nullis machinis sensus hic erui posse ex eius videtur oratione. Secũdò, à Galeni ac Veterum sententia interpretatio hæc plurimum discedit; qui altera illa. τὰ τῶν κρίσεων τῇ ὑςεραίῃ. ad priora pertinere arbitrati sunt. Cornarius sic est interpretatus, ex vtero menses. putans »
hæc cum superiori sententia esse coniungenda; altera verò illa. τὰ τῶν κρίσεων cum inferiori: siquidem transtulit. Iudicatio- »
nes postridie fiunt, velut ad lumbos, aut »
ad femur, & ad testes. Sed & magis etiam »
quàm Caluus aberrat à scopo. enimuero nõ solùm recedit à veterum Interpretum, & Galeni mente, dum ita seiungit verba aut diuellit; sed omnino præter græci exemplaris fidem pro eo, quod est, octomestres, habet, menses. cùm enim se nesciret ex tantis tenebris bonus vir explicare, καλαμήνια pro ὀκλαμήνῳ legisse videtur. potuit tamen eum de suę interpretationis falsitate gręcorum exemplarium omnium cõsensus facilè docere; tùm quæ calamo exarata sunt, tùm impressorum; quæ omnia habent ὀκλαμήνῳ. Nec magnus homo, & in primis eruditus Franciscus Vallesius, qui fortasse postremus huius libri enarrandi prouinciam suscepit (Foesium enim videre mihi non licuit) veram sententiam est assecutus: vt omnes Interpretes sacramentum dixisse hoc in loco videantur, vt falsa pro veris approbarent. siquidem hic vir ita conuertit Hippocratis orationem. Ex »
vtero menses, quæ iudicationum postridie, »
vt in lumbos, aut femur. at primùm ipse »
perperam cum Cornario legit menses; secundò, illa altera, vt in lumbos, aut femur, coniungit cum superioribus, quibuscum nihil commune habent. agnoscit nihilominus in Commentarijs lectionem ὀκλαμήνῳ, ac eam refellit ita scribens. Alij »
proinde ita legunt, ex vtero octomestri »
postridie iudicia facta sunt; quasi in lum- »
bos ad coxas malum reperet. dicunt hi »
esse narrationem historiæ, sed malè. Mi- »
rum est igitur quo modo tot eruditi homines locum nuper Galeni ex Commentarijs in sextum Epidemion adductum in memoriam non habuerint; qui tantis tenebris facem præfert.

Idem Hippocratis locus fusius ex Galeno explicatur. item colligitur, octauo genitos de ipsius Galeni sẽtentia esse vitales.

Cap. 33.

DIcamus igitur nos Galeni permoti aũctoritate, primùm, quòd pertinet ad scripturam, legendum esse ὀκταμήνῳ, vt græca demonstrant exemplaria, Veterũq; auctoritas fidem facit: nam & Antiquos ita legisse, & de octomestri partu loqui hîc Hippocratem, Veterum interpretatio à Galeno relata satis monstrat; qui ex hoc loco colligere profitebantur de Hippocratis sententia, partum octomestrem fieri vno mense tardiorem partu naturali, septimestri videlicet. Secundò dicamus, vocem illam τῇ ὑστεραίῃ, non esse ad dies referendam, vt postridie significet; quemadmodum Cornarius, Caluus, & Vallesius crediderunt, sed omnino ad menses monente Galeno de Veterum etiam opinione. qui, ὑστερίζουσαν ἑνὶ μηνὶ, idest, vno mense posteriorem, eam sunt interpretati. cùm enim vox ὀκταμήνῳ menses dicat, non poterit quidẽ altera τῇ ὑστεραίῃ nisi menses significare, & ad menses referri. Nec turbet nos, quòd fœminino genere ea vtatur Hippocrates, quasi ἡμέρα subaudiendum videatur; etenim Ionismus hîc est, cuius est proprium non solùm masculina accipere pro fœmininis, sed è contra fœminina pro masculinis, vt hîc videmus. Vnde τῇ ὑστεραίῃ significabit secundum Veterum explicationem, vt Galenus refert, τῷ ὑστέρῳ χρόνῳ, ἢ μηνὶ, idest posteriore tempore, vel mense. His ita constitutis dupliciter verba enarrari possunt; primò de Interpretum illorum sẽtentia, quos commemorat Galenus; quo sensu dicet Hippocrates, ex vtero octomestri, scilicet partui exeunti, indicationes posteriore, scilicet mense contingunt: posteriore inquam mense post naturalem mensem, quia post septimum in lucem venit; quomodo iudicationum nomine infãtis exitum ex vtero oportet intelligere. partum enim, exitumq; fœtus iudicationẽ quandam esse totius gestationis quasi cuiusdam morbi, Hippocratem, Galenum, aliosq; Medicos existimasse, non semel supra admonuimus. ex quò & grauidationem morbum quendam longum solent appellare, qui infantis exitu, & partu quasi iudicatione, & crisi quadam finiatur. loqui verò Hippocratem hoc loco de fœtus exitu ex vtero propositio, ἐξ, quæ motũ rei in vtero existentis ad extra factum significat, addita voci ὑστέρης latissimè probat. Verùm quia Galenus interpretationem hanc reijcit, velleq; videtur, nil hoc loco ab Hippocrate scribi, quod octomestrem partum præter naturam esse ostendat; ideo experiendum nobis est, si aliter, ac fortasse ad Galeni mentem verba interpretari possumus. Dicendum igitur diuinum Senem de partu, qui per se ac sua natura octomestris fit, vt in Disceptatione monebamus, hoc in loco sermonem habere; ac docere velle, quo tempore iudicationes illi contingere debeant, vt superuiuat; demumq; causam afferre, quare partus hi sint vitales. cùm enim iudicationum nomine soleat Hippocrates intelligere, quæcunq; fœtui in vtero existenti eueniunt, & in partu ipso, diebusq; à partu quadraginta; ac præsertim mutationes, labores, & ægritudines, quæ ipsum fœtũ sexto quadragenario vexant; item quadragenario illo, qui à partu computatur; hoc in loco, arbitror ego, labores, malasq; affectiones, quæ fœtum à partu adoriuntur, eum iudicationes potissimum appellare. cùm enim octauo geniti, vt octauo libro docuimus, qui vitales prodituri sunt, nullam in vtero experiantur ægritudinem; quia, cùm per se sint octomestres, ac sua natura, eo momento, quo illis partus instat, omnes membranas defringunt, quemadmodum etiam & septimestres; de qua re citato libro vberrimè disseruimus; verùm ijs tantùm laboribus afficiantur, qui à partu fœtum vexant; rectissimè Hippocrates id totum his verbis significare volens scriptum reliquit, quæ iudicationum sunt, ipsas videlicet iudicationes octomestri ex vtero iam egresso (atq; intelligas, qui propriè, ac per se octomestris fit) posterioreq; tantùm tempore, idest post partum superuenire. quibus apertissimè significauit, ante partum nullas iudicationes eum perpeti; proindeq; neq; ægritudinem vllam & afflictionem. At quid ex hoc sequatur, facilè quisq; videbit, ijs, quæ libro octauo exposita sunt, ad memoriam reuocatis; qui enim octauo geniti periclitantur, vt ibi diximus, idcircò periclitari Hippocrates existimauit, quia, cùm ægrotent in vtero, & sic ante partum, non possunt nouos partus labores sustinere: itaq; propterea pereunt, quia iudicationes priore tempore habent, atq; ante partum, & cùm adhuc sunt in vtero: si igitur aliqui sint, qui tempore posteriore tã-

tùm,

tùm, quæ iudicationum sunt, habeant; & cùm egressi ex vtero fuerint, hos vitales esse oportebit; vt potè in quibus nulla mortis causa locum habeat. Verùm de huiusmodi talibus his verbis Hippocrates sermonem habet; itaq; octomestres aliquos scribens inueniri, qui iudicationes post partum, non antea, patiantur, necessariò & aliquos octomestres scribit inueniri, qui superuiuant. Hanc igitur arbitror ego veram esse huius loci obscurissimi interpretationem, à Galeno etiam non leuibus coniecturis indicatam: qua recepta verba ipsa, quæ sic iuxta fidem græci exemplaris conuertenda sunt. » Ex vtero octomestri » partui, quæ iudicationum sunt, posterio- » re. & quæ tanquam summè præcisa in obscuro maximè delitescunt, ita planè erunt & apertè explicanda. octomestri partui, qui per se octomestris est, ac vitæ compos venit in lucem; ex vtero egresso, posterioreq; tempore, ac post partum, non cùm in vtero existit, & tempore priore, & ante partum, quemadmodum octomestribus per accidens, iudicationes ipsas, labores scilicet & afflictiones superuenire. quem locum si ita accipiamus, conspicuum est, quàm rectè Galenus scripserit, nihil in eo haberi, quod Veterum sententiæ faueret, quæ octauum mensem respuebat; quin potius, si rectè explicetur, contrariũ in ipso doceri. quæ quidem conclusio, tãetsi non expressè à Galeno posita, quia tamen non leui coniectura significatur, tãquam ex grauissimis germanisq; eius monimentis excerpta, omnes ipsius cogere sectatores debet, vt fateantur, libentius ipsum in nostram quàm in oppositam sententiam inclinare.

Superior interpretatio vocatur in dubium. Galeni mens fusè explicatur, omnisq; tollitur difficultas.

Cap. 34.

SEd obiecerit aliquis aduersus superiora, falsò nos asserere, hanc lectionem quæ vocem, ὀκταμήνῳ, in Hippocratis oratione agnoscit, à Galeno esse approbatam; præterquàmquòd certissimum est, locum illum in Græcis codicibus vario modo legi; vnde etiam diuersissimi sensus colligi possunt. Galenum enim, dum istum Hippocratis locum proponit cum verbo, octomestri, ex propria sententia id non facere, sed ex aliorum opinione, quam minimè existimat recipiendam; dicit enim, vt doctissimi nonnulli viri interpretãtur. » Simili quoq; modo absurdi sunt, qui aiunt, » septimum, & nonum mensem partus af- » ferre, octauum verò & decimum abscessus » prater naturam; quòd vno mense partus » naturales excedant. Quod in secundo de » Morbis Vulgar. libro dictum volunt in illo » loco, vbi ait, postero, quasi dixerit, poste- » riori tempore, aut mense. quibus verbis non censuit Galenus, octauum mensem terminum esse naturalis partus, & vitalis, sed octauum mensem abscessus non afferre, quòd septimum mensem excederet, quemadmodũ volebant antiqui illi Expositores ex verbo illo, postero, secundo Epidemicon posito colligi. quod totum magis cõfirmant viri vndequaq; doctissimi, qui in librum illum Commentaria edidere; Galliæ alter nobilissimum ornamentum Anutius Foesius, & Hispaniæ alter Franciscus Vallesius, qui & variam hanc hoc in loco lectionem obseruauere, & ita explicauere locum illum, vt pro octomestri partu protegendo, nihil omnino facere videatur. Respondemus primò, quod ad veram attinet Hippocraticæ orationis lectionem; vocem eam, ὀκταμήνῳ, Galenum approbasse, illud apertè demonstrare, quòd adducto etiam Veterum testimonio, de octauo mense eo loco ab Hippocrate agi scribit, mentionemq; illius haberi; quod ea voce deleta, falsum omnino erit affirmare. vt præteream, Calui conuersionem reliquis vetustiorem eandem vocem in contextu agnouisse, eandemq; tùm impressa, tùm manuscripta omnia, quæ viderim, exemplaria retinere; vt mihi omnino nouũ sit, si aliquem videam affirmare, diuini Senis verba in Græcis Codicibus vario modo legi. quòd enim Cornarius, Vallesius, Anutius, ac alij à Græci exemplaris fide discesserint, hoc non quia vllum inuenerint, quod aliter habeat, autumo contigisse; sed quia sententiæ breuitas, maximaq; obscuritas eos coegit ad varias confugere explicationes. & sanè longè plus esse credendum Græcorum Codicũ consensioni, quàm istorum interpretationibus; vulgaramq; lectionem, si modò fieri possit, omnino esse retinendam iam libro octauo admonuimus. Secundò, quod ad Galeni pertinet mentem, respondemus, verè ipsum, dum istum Hippocratis locum proponit cum verbo, octomestri, id facere ex propria opinione; verè existimare, vt supra dictum à nobis fuit, Veteres illos vehementer errasse, qui putabant, ex hoc ipso loco colligi;

ligi, octauum mensem, & decimum partionem habere præter naturam vno mense, naturali partione, tardiorem; siquidem
» scribit Crasso interprete. Perinde verò at-
» q; isti neq; illi fide digni sunt, qui septimũ
» mensem, ac nonum fœtuum partus effice-
» re; octauum verò ac decimum egresſiones
» pręter naturam vno mense naturalibus tar-
» diores efficere asserunt. quod secundo Po-
» pularium Morborum libro dictum esse vo-
» lunt in illis verbis. Postero. ac si dixis-
» set, posteriore tempore, aut mense: sed
» hoc prius in eo libro declarauimus. At enimuero si fide dignos non esse istos dicit; certè eos reijcit; si verò illorum reijcit opiniones his verbis; ergo ex propria sententia omnino loquitur. Sed quid est, in quo non esse fide dignos istos dicit? profectò hoc est, nec aliud aliquid, quòd asserebant, septimum, ac nonum mensem fœtuum partus efficere, octauum autem ac decimum egresſiones fœtuum præter naturam vno mense naturalibus partubus, & egresſionibus secundum naturam tardiores; &, quod in idem redit, quòd arbitrabantur, septimum tantùm ac nonum naturalia esse tempora pariendi, octauum ac decimum tempora præter naturam vno mense naturalibus temporibus tardiora, octauum septimo, decimum nono; idq; totum secundo Epidemicon dictum esse volebant. Sed non potuit Galenus velle, non esse fide dignos istos, quòd septimum & nonum dicerent habere partus naturales; hoc enim communi omnium conceditur opinione. item non potuit velle, non esse fide dignos, quòd dicerent; in allata ex secundo Epidemicon auctoritate de octomestri haberi mentionem; si enim id voluisset Galenus, non addidisset, se dictum Hippocratis illud in eo libro, idest in Commentarijs super eo libro declarasse; quibus non ipsam sententiam reijcit, sed sententiæ explicationem à Veteribus illis adductam: vt prętercam, nullam esse probabilitatem, si vox, octomestri, non adesset in contextu, si nulla fieret de octauo mense, vel de octomestribus in eo mentio; vt ea vterentur auctoritate, ad suam explicationem approbandam. ergo relinquitur necessariò, vt & istum Hippocratis locum Galenus proponens cum verbo octomestri, id faciat ex propria opinione, & in hoc tantùm altero velit Veteres illos non esse fide dignos, quòd octauum ac decimum afferrent, partus non habere naturales; quòdq; ex Hippocratis ea auctoritate, quæ licèt de octomestribus habeat mẽtionem, alium tamen habet sensum, id colligere profiterentur. quo posito ac recepto sequitur necessariò, ex Galeni sententia octauum ac decimum tempora esse pariendi naturalia. Tertiò dicimus, quod pertinet ad Galeni verborum interpretationem supra positã, qua parte à Crassi, vel nostra interpretatione diuersa est, non esse recipiendam; quòd enim vocem Galeni illam, ἀποςάσεις, diligenter in ea ponderari video, quasi abscessum significet; vt maximè propria solet significatione, vtq; Galenus paulò supra ea vti videtur; hoc certè nihil habet virium ad nostram infirmandam opinionẽ; enimuero, cùm Galeni hoc loco disputationem diligenter mecum ipse considero, rectiſsimè à Crasso interprete conuersam esse, egresſiones, mihi persuadeo; vt necessariò significet hoc loco apud Galenum (quod tamẽ nec Gorræus in Medicis Definitionibus, nec Anutius in Oeconomia vocis huius significata afferentes animaduerterunt) fœtus exitum ex vtero, & separationem; non quidem abscessum, qui humorum, morborumq; proprius esse videtur; nec vllo pacto fœtui, de quo sermonẽ Galenus habet, potest conuenire. siquidẽ ipse Veterum illorum recitans sententiam, mensem septimum ac nonum octauo ac decimo opponit. Item τὰς ἀποκυήσεις τῶν ἐμβρύων opponit ταῖς παρὰ φύσιν ἀποςάσεσι. At ἀποκυήσις partum, egresſionemq; fœtus dicit naturalem; igitur & ἀπόςασις egresſionem necessariò significabit pręter naturã. quod vt Galenus perspicuè demonstraret, illa adiecit, παρὰ φύσιν. Præterea addo, verbis Galeni illis, τῶν κατὰ φύσιν, vt ex serie patet orationis, subaudiendum esse ἀποςάσεων. neq; enim fortasse, ἀποκυήσεων, possumus subintelligere; quia ἀποκυήσις naturalem tantùm egresſionem fœtus ex vtero sonare videatur. quare hoc loco duplicem facit Galenus ἀπόςασιν; & præter naturam, & secundum naturam, quam paulò supra ἀποκύησιν appellauit. at abscessus nullus secundum naturam esse quit; itaq; huiusmodi vox non abscessum hoc loco, sed fœtus ex vtero egressum Galeno significabit. quod si fateamur, iam perspicuum est, necessariò sequi ex eius opinione, octauum mensem contra Veterum illorum sententiam fœtus habere egresſionem ex vtero naturalem; quod omnino sensisse Galenum supra dicebamus; proindeq; vitale, ac naturale esse tempus pariendi. Postremò si ἀπόςασις significat abscessum, ad quid

ver-

verba illa παρὰ φύσιν addita sunt? frustra certè videntur adiecta, quod tamen valde est Galeni indignum maiestate, cùm omnis abscessus, vt paulò supra dicebamus, præter naturam esse videatur. Sed & hoc mihi alterum in ea interpretatione affert difficultatem ea parte, qua sic habet. » Quòd vno mense partus naturales exce- » dunt. At verò quantum ego iuxta ingenij mei imbecillitatem coniectari queo, non dicit Galenus, Veteres illos esse opinatos, octauum ac decimum abscessus afferre, quòd vno mense partus naturales excedant; quasi hunc, vt ita loquar, excessum, quòd abscessum octauus ac decimus afferant, causam esse existimauerint. habet » enim Græcum exemplar. ἀποςάσεις ὑςε- » ριζοῦσας ἑνὶ μηνὶ τῶν κατὰ φύσιν. quare sententia esse videbitur, quoquo modo vocem dicamus significare, octauum ac decimum abscessus, seu egresfiones habere præter naturam vno mense posteriores egresfionibus, siue abscessibus naturalibus. quod non parum à sensu, quem allata sequitur interpretatio, videtur differre. Sed hactenus de primo Galeni loco; nunc secundũ expendamus.

Ex altero quodam Galeni loco probatur, ipsum octauo genitos recipere; insignisq; notatur omnium Interpretũ in eo cõuertendo oscitantia.

Cap. 35.

Cap. 8.

ALter igitur Galeni locus est decimoquarto de Vsu Partium, vbi de vasorum vteri, & mammarum societate agens, curq; mammæ tantum habeant cum matricibus consensum pulchrè explicans, inquit, cùm natura vtrasq; has partes ad vnũ opus obeundum comparasset, nempè ad fœtus ortum, perfectionem, nutritionem, ipsas per vasa coniunxisse; nimirum vt mẽstruus sanguis pro fœtus statu, & indigentia modò ex vteri loco ad mammas, modò ex mammis ad vterum ferri posset. Nam & hoc est, quod subdit, quando in matricibus fœtus augetur, & conformatur, illi soli venas communes ex vtrisq; alimentum effundere; quando verò natus fuerit, mammis rursum alimentum totum affluere; quæ causa Galeno est. cur eodem tempore menstrua bellè procedere nequeant, & fœmina lactare. altera enim pars, dum sanguis ad alteram transfertur, sicca semper relinquitur, vt ipse inquit: quod vt magis explicet, adiungit, ante conceptum in muliere ætate florente quidquid sanguinis superflui colligitur, naturam singulis mensibus per venas ad vterum pertinentes id excernere; cùm autem iam conceperit mulier, ex iisdem vasis fœtum trahere alimentum; at verò venas, quę illic sunt, latitudine, & longitudine esse tantas, vt fœtum non modò affluenter nutriant, verùm etiam superfluum quidpiam semper congerant; hoc verò congestum, collectumq; in his communibus vasis, seu promptuarijs quibusdã alimenti toto tempore gestationis, ipsa vasa attollere, ac omnino distendere, & quasi exundare, locumq; propterea, in quem transferat sese, requirere, quem reperire non potest alium, nisi mammas; in quem locum simul venæ distentæ, & grauatæ id immittunt, simul etiam & ventris totius mole, quæ propter conceptum ipsis accidit, ac premit, ad locũ cedentẽ propellẽte. quę cùm eleganter Galenus disseruisset, vt magis explicaret vteri, & mammarum consensionem, causamq; consensionis aperiret; item vt monstraret menstruorum, & lactis eandem esse naturam, atq; , vt pulchrè dicebat Hippocrates, lac menstruo esse germanum, ita subdit, vt in Isingrini grępo Codice Basileæ impresso ego reperio. οὕτω μὲν δὴ τὰ γάλακτα τῶν ἐπιμηνίων ἀδελ- » φὰ φήσι Ἱπποκράτης, τῆς μὲν ὀκταμηνίου ἀπαρτιζού- » σης, τῆς δὲ τροφῆς ὑπερβαλλούσης· οὕτω δὲ κἄπειδὰν » ἤδη κατὰ τὸ κυούμενον αὐτὸ γενήται τὶ πάθος. & c. » eandemq; retinet ad vnguem lectionem vetustissimum græcum exemplar, quod in Feltria Bibliotheca reperitur. Quæ verba vel mediocriter græcis literis eruditus videt sic esse transferenda. Ita quidem igi- » tur lac mẽstruo germanum inquit esse Hip- » pocrates, octomestri quidem perficiente, » alimento verò redundante. Sic autem, cùm » iam illi, quod gestatur, aliqua contingat » affectio & c. quem tamen locum si cum » Galeni latina interpretatione conferamus, magnam videbimus esse differentiam; cùm omnia illa. octomestri quidem perficiente, » alimento verò redundante. siue Nicolaus » fuerit Calaber, qui primus libros illos cõuertit, siue castigator Gadaldinus reliquerint tanquam ociosa, alienoq; loco posita, delendaq; censuerint; quod miror Lacunam, ac Iulium Alexandrinum in Annotationibus non animaduertisse; ex quò & sic locum interpretati sunt. Ita igitur lac » menstruo germanum esse ait Hippocrates; » proinde cùm vitium aliquod fœtui ipsi ac- » ciderit eiusmodi & c. quos tamen longis- » simè à veritatis via aberrasse existimo, mi-

rificèq; vulneraſſe Galeni ſententiam; cùm ipſa oratio græca, contra quàm ipſi ſenſerint, maximè integra, & emendata censẽda videatur; vt eorum ſententiã, qui nuper Galeni emẽdandi prouinciam ſuſceperũt, nullo ſit pacto recipienda, aſſerentium huiuſmodi verba ad hunc locum non pertinere. Sed hi (niſi valde fallor) cùm non viderent, quo conſilio Galenus illa addiderit, tanquam ocioſa putarunt expungenda; cùm alioqui & magno artificio, & optima ratione à Galeno adiecta videantur, ex eodẽq; Hippocratis loco ab eo excerpta ſint, ex quo priorem accepit ipſe ſententiam, videlicet lac eſſe menſtruis germanum; quod nobis quoad eius fieri breuius poterit, eſt demonſtrandum: quanquam paulò aliter legiſſe Galenum conſtet Hippocratis orationem, quàm nunc in vulgatis codicibus habemus; quod in pleriſq; alijs auctoritatibus, quas ipſe ex Hippocrate affert, euenire obſeruaui. Hippocrates igitur ſecũdo Epidemicon ita loquitur. » τῶν ἐπιμηνίων » περίοδος, τὰ πρὸ τούτων βαρέα ἀδελφὰ τῶν ὀκταμήνων » πόνων προτοτόκων. τὰ γάλακτα τῆς μὲν τροφῆς μεταβαλούσης τῆς δὲ ὀκταμήνου ἀπαρτιζούσης. poſt quæ verba ſtatim altera illa collocãda ſunt, quæ » paulò poſt leguntur poſita. διὸ τὰ ἐπιμήνια » ἀδελφὰ τῶν ὀκταμήνων πρὸς δεκάμηνον τεινόντων γενό» μενα, κακόν: quod doctiſsimo Valleſio in Commentarijs placuiſſe video: At enimuero nemo mentis compos (vt arbitror) negabit, hinc Galenum deſumpſiſſe Hippocratis dictum illud, quod memorato loco ex eo recenſet, tametſi verba ita legiſſe vi» deatur, vt ſupra animaduertimus. τὰ γάλα» κτα τῶν ἐπιμηνίων ἀδελφὰ, τῆς μὲν ὀκταμήνου ἀπαρτι» ζούσης, τῆς δὲ τροφῆς ὑπερβαλλούσης. ſiue quòd Hippocratis exẽplar, quo ille vſus eſt, ita haberet; ſiue quòd viſum illi ſit ſenſum potius quàm verba referenti ita verba ipſa interpretari, & ordinare; cùm re verà nil aliud ſit alimẽtum mutationem recipere in propoſito, quàm redundare, vt infra planum faciam: atq; hæc ipſa redundatio, & tranſmutatio ideo fiat, quia octomeſtris periodus, octauuſq; menſis perficiat, quod etiã mox explicabimus; vt rectè id primo loco tanquam alterius cauſam Galenus duxerit eſſe legendum. ex qua etiam Galeni auctoritate hoc alterum apertè colligimus, vocem illam, προτοτόκων, de eius ſententia, non quidem cum ſequentibus verbis, τὰ γάλακτα & c. vt Caluum, Cornarium, Antiutium, Valleſiumq; putaſſe libro octauo adnotauimus; ſed omnino cum præcedentibus eſſe coniungendam. cùm perſpicuè affirmet, ſententiam eſſe Hippocratis, non προτοτόκων τὰ γάλακτα, ſed τὰ γάλακτα ἀδελφὰ eſſe τῶν ἐπιμηνίων. quod libro octauo nobis eſſe hoc loco demonſtrandum dicebamus. Verba autem illa, τῶν ἐπιμηνίων ἀδελφὰ, quæ poſt vocem, τὰ γάλακτα, in impreſsis codicibus non habentur, potuit facilè Galenus ex paulò ſuperioribus intelligere. Vt igitur obſcuriſsimi huius loci ſententiam aſſequamur, ſimulq; percipiamus Galeni cõſilium in adducenda Hippocratis auctoritate; ex ijs, quæ ſupra ex eo collegimus libro decimoquarto de Vſu Partium, illud principiò ſupponendum, vterum, ac mammas per vaſa coniungi; adeò vt facile ſit ex vtero ad mammas, ex mammis ad vterum ſanguinem menſtruum fluere, ac transfundi. de qua quidem vteri cum mammis cõiunctione, conſenſioneq; luculenter Gorræus in Annotationibus ſuper libello de Pueri Natura; item & doctiſsimus vir Andreas Laurentius Oper. Anatom. libro ſecundo, pulchrum ex Hippocratis libello περὶ ἀδένων adducens teſtimonium; quo etiã loco narrat ſe vidiſſe puerperas quàmplurimas per vterum & veſicam maximã lactis copiam excreuiſſe: quod & Gorræus in Annotationibus ſuper libello de Pueri Natura, vt libro octauo notabamus, aliquo pacto confirmare viſus eſt; dicens lac in mammis genitum in vterum relabi. quãquam & dum libro tertio ſtatuit Laurentius ex Hippocratis decreto, tertio quartouè menſe lac in mammis generari; non propterea diuinum Senem facit Ariſtoteli contrarium, qui non ante ſeptimum menſem lac oriri notatum reliquit; quandoquidem Ariſtoteles de lactis vtilis, Hippocrates de inutilis generatione intellexit. Secundò, ſupponendum eſt, alimentum, quod fœtum, dum in vtero eſt, format, ac nutrit, totum, cùm natus eſt puer, mammis affluere. Tertiò, alimentum, ac ſanguinem qui in venis vteri toto geſtationis tempore colligitur, cùm oppletis venis redundat, transfundi ad mammas, ibiq; lac vtile fieri. Quartò, hoc euenire naturæ decreto, cùm partus iam perficitur, ac maturitatem recipit, tempuſq; imminet pariendi. quod eodem opere ſic Galenus explicauit. » Apparet autem perſpicuè quotidie mammarũ » cum matricibus communio, nõ modò cùm » fœtus intereunt, de quibus Hippocrates » nos docuit; verùm etiam ante id, cùm ad» huc animal ſe habet ſecundum naturam. » exiguæ porrò, dum fœtus augentur, ſunt » mammæ, quo modo & matrices: cùm autem

Sect. 3.

Ca. 4. et 8.

Annot. 43. & 44.

Quest. 10.

Ann. 41.

Quest. 3.

Cap. 4.

» tem perfecti fuerint, & pariendi tempus
» institerit, simul cum matricibus quod sa-
» tis est intumescunt. cuius rei causam iam libro tertio nos ex Præceptore explicauimus, demonstrantes cùm primùm homini tempus aduenit pariendi, scilicet mēse septimo ineunte (idemq; de octauo est iudicium) lac vtile generari, vt placuit Aristoteli, quia tunc fœtus est perfectus; cùm verò perfectionem adeptus est absoluta articulatione, minus alimenti absumit, idcircò plus superest, quod necessariò ad mammas fertur, ibiq; lac efficitur. antea enim & ad formationem, & ad nutritionem, & ad plenius augmentum egebat fœtus alimento, vt nil posset superesse: at post septimū ad nutritionem tantùm eo indiget, & ad exiguum augmentum, vt diuinè inquit Aristoteles; nempè quia fœtus vt fœtus propria, suaq; sit perfectio, & augmenti terminus; quæ cùm receperit, permutare generationem, in lucemq; prodire amat. quare necessariò redundat per id temporis sāguis & alimentum, quod ad mammas transmitti possit; non secus ac mulieribus, vbi in corporis incrementum amplius sanguis non cedit, eius redundantia mēstrua commouentur: quæ quidem vera Aristoteli causa est, ne puellis menstrua fluant: quam Galenus libro decimoquarto de Vsu Partium & recepit his verbis, & mirificè commendauit. In eis autem, quę augentur, va-
» lentes quidem sunt vires, ob eamq; causam
» alimentum benignum coquunt plurimum,
» quod cùm duabus actionibus, nutritioni
» scilicet, & auctioni sufficere oporteat, su-
» perfluum nihil relinquit. vt Vallesius audiendus non videatur in secundum Epidemicon, non quidem eò quòd corpora mulierum augeri desinant, sed quia iam minor euacuatio insensilis fiat, atq; per corpus totum dissipatio, menstrua illis commoueri affirmans. Censuit tamen Galenus octauo mense, & nono maximè partum perfici, & lac vtile his temporibus propterea maximè generari. quod apertè quinto Aphorismorum secto sic explicauit. Sunt
» autem (inquit) & quidam in mammis ade-
» nes vim habentes id, quod ad eos influat,
» sibi ipsis assimilandi. cùm ergo hi sint ex-
» angues, & albi, proprium efficiunt humo-
» rem talem, quale est lac, eiusq; maiorem
» copiam, quò plus alimenti defertur ad ip-
» sos. Plus autem defertur octauo & nono
» mense conceptionis, quando abundanter
» oppletæ sunt communes venę mammarum,
» & vteri, sicuti in animalium prægnantium

Cap. 4.

Sect. 4.

Com. 39.

dissectionibus manifestè conspicitur. op-
pletas enim tunc esse abundanter communes venas, quia partus tanquam iam perfectior minus trahat alimenti, & supra ex Galeno ostendimus, & clarius infra ostendemus.

Quo sensu Hippocratis verba interpretatus sit Galenus, aperitur. Vallesius reijcitur.
Cap. 36.

AT enimuero his positis, quo sensu loco memorato (vt ad nostra redeamus) Hippocratis sententiam Galenus attulerit, de vteri ac mammarum, lactis & menstrui sanguinis consensione agens, satis est conspicuum; videbat enim eo oraculo maximè horum affinitatem explicari. quandoquidem quę maior naturæ consensio quàm fratrum? at Hippocrates lac ἀδελφὸν, idest fratrem, ac germanum alimenti, & sanguinis esse inquit, idipsumq; Galenus recipit, & rectè; est enim lac pars, quæ superest ipsius sanguinis, qui fœtum format, nutrit, ac auget; igitur verè germanus. quod cùm ex Hippocrate Galenus attulisset, opportunè, vt tempus & causam ortus lactis doceret, illa ex eodem verba subiecit, quæ perperam expungenda Interpretes existimarunt, idest. Octomestri
quidem perficiente, alimento verò redun- »
dante. cùm enim lac maximè generetur o- »
ctauo mense (vt interim nonum prætermittam) quemadmodum paulò supra ex Galeno docebamus, quia octauo plus sanguinis ad mammas defertur; necesse est & octauo plus abundare; quoniam enim abundat, ideo defertur ad mammarum locū. at abundat, quia vteri venæ magis sunt oppletæ; magis autem sunt oppletæ, quia minus alimenti tunc fœtus trahit; minus demum trahit, quia perfectus est, vt superius ex Aristotele diximus, ex eoq; libro tertio abundè probauimus. quod & Galenum quoq; demonstrauimus sensisse asserentem, cùm fœtus perfectus est, tunc mammas maximè attolli, & intumescere. Neq; enim ita fieret, nisi maximè alimentum ad illas ferretur, ac flueret; non flueret autem, nisi in vteri venis abundaret; neq; rursus abundaret, nisi minus traheretur; demum non traheretur minus, nisi fœtus perfectus existens minore alimenti copia egeret. quod & hac etiam probatur ratione, ex Galeni verbis pariter ducta; si enim fœtus alimentum non trahens perfectus

fectus non esset; ergo vel imbecillus, vel matrix & parens malè affecta, proindeq; statim abortu eijciendus; siquidem hæ sanè causæ Galeno alimentum libro decimoquarto de Vsu Partium fœtui adimunt. Proinde (inquit) cùm vitium aliquod fœtui ipsi acciderit eiusmodi, vt non amplius alimentum, quod satis est, attrahere queat; aùt cùm in mulieris corpore delictum huiusmodi contigerit, vt non satis sanguinis suppeditare ei amplius possit; eò casu operum naturę ordo quidem confunditur, ac perturbatur; contrarijs autem affectibus mammæ præhendantur est necesse; impleantur quidem lacte ante tempus, cùm fœtus est imbecillus; gracilescant autem postea, cùm matrices alimenti penuria laborant. Vnde Hippocrates dicebat. Mulieri in vtero habenti si lac ex mammis fluxerit copiosum, fœtus reddetur imbecillus; nempe quia superfluum omne sursum ad mammas ascendat, quod fœtus in venis reliquit, cùm ipse præ imbecillitate quantum sibi ad moderatam nutritionem satis esset, attrahere nequiret. Quando verò rursus inquit. Mulieri in vtero habenti si mammæ graciles repentè fiant, abortiet; tunc fœtum fortem quidem esse est putandum, sed copiosum ei alimentum deesse. Nam primùm quidem ex venis matrici cōmunibus sanguinem trahit, atq; interim mammæ graciles sunt; non ita autem multò post fit abortus, cùm scilicet nutrimētum omnino ei deficit. Elegans quidem, & docta oratio, Galeniq; digna ingenio. At enimuero si non trahit octauo, ac nono mense fœtus alimentum, huius causa non est muliebris corporis mala affectio, quia sic graciles mammæ essent, & lac deesset; quas tunc maximè esse tumentes, maximèq; lactè abundare ponimus. igitur quia imbecillus: sed quid absurdius dici potest, quàm fœtum octauo, & nono, quo tempore pariendi tempus imminet, imbecillum esse? sic enim natura in necessarijs deficeret. quare si non trahit, quia non est imbecillus, neq; quia parenti deest alimentum; ergo non trahit, quia est perfectus, vt pulchrè Aristoteles, & Galenus indicarūt, minusq; idcircò eget alimenti ob causas iā expositas. Quare octauo mense docente Galeno partus perfectus erit. quid ergo mirum, si addit, octomestri quidem perficiente? voluit enim dicere, periodum octimestrem (nam vox περίοδος in Hippocratis oratione ex superioribus est subaudienda) atq; vt idem secto quinto Aphorismorum innuit, octauum mensem fœtum perficere, ideoq; & lac eo tempore gigni; quia scilicet alimentum, & sanguis iam perfecto fœtu redundet. ex quò & subdit ex Hippocrate, alimento verò redundante. at cùm redundat, necessariò fertur ad mammas, & lac efficitur, itaq; & necessariò octauo mense lac generatur. Hinc autem (vt id maximi momenti silentio non prætermittam) illorum commentum penitus explodi, qui alimenti defectum causam partus faciunt naturalem, nemo est, qui non videat; cùm octauo, & nono id maximè abundare, & quia abundet, in lac conuerti Galenus edoctus à præceptore Hippocrate existimauerit; vt propterea Vallesius omnino reijciendus videatur, qui locum hunc explicans, cùm videret, Hippocratem perspicuè asserere, octauo mense lac perfici mulieribus; simulq; & acutè cerneret animo, hinc colligi necessariò, si hoc ita est, per hæc tempora non posse alimentum fœtui deesse, quæ Vallesio partus causa est præcipua; nimirum quia, vt ex Galeno ostendimus, tunc lac perficiatur in mammis, cùm fœtu iam iam recipiēte perfectionem abundat propterea in vteri venis alimentum; vt hosce scopulos declinaret, huius rei causam hanc attulit. Huius autem rei (inquit) causam esse puto, quòd vltimis mensibus, octauo, inquam, & nono, multum iam crassioris sanguinis congestū est in venis & arterijs vteri, per quas fœtus alimentum trahit; quod influenti sanguini impedimēto est. Fœtus verò magnus iam multo indiget, & multum trahit. multus ergo tractus, & penetrare non potens, recurrit per communes venas ad mā-mas, qui recursus & ad lactis, cuius vsus iam imminet, præparationem vtilis est, & vt fœtus alimenti penuriam magis sentiens calcitret, dirumpat acettabula, & in lucē prodeat. hæc ille; at primùm quæ ratio est & necessitas, vt crassior hic sanguis per ea tempora in venis vteri colligatur? cùm enim ipsius semper fiat attractio, potuit, quin etiam & debuit antea attrahi quàm tantus coaceruaretur in mammis, vt venas obstrueret; deinde si alimentum fœtu attrahente penetrare non potest, quia crassior sanguis iam venas obstruat; igitur & causa statim vel Galeno teste adest abortionis. & sanè mirùm quo pacto à mense septimo, quo primùm tempore lac perfici incipit, & ad mammas sanguis recurrere, proindeq; & venæ incipiunt esse obstructę, ad decimum vsq; alimēti penuria fœtum in vte-

Cap. 8.

Aph. 39.

Cap. 4.

vtero laborare posse isti velint; ita enim natura in necessarijs deficeret, quod videtur absurdissimum. Postremò hæc venarũ à crassiore sanguine facta per id temporis obstructio neq; apud Hippocratem, neq; apud Aristotelem, & Galenum (quod viderim) habetur; quòd verò si causa lactis esse ponatur, id penitus illorum sententiæ aduersetur; satis superior docuit disputatio; ex qua palàm est, tantos viros sanguinem & alimentum recurrere tunc ad mammas existimasse, non quia penetrare non possit attractus, sed quia à fœtu longè minori copia attrahatur. Sed ad nostra reuertamur.

Demonstratur de Hippocratis & Galeni sententia octauo genitos esse vitales. Obiter de eadem re Aristotelis mens explicatur. Enarrantur Hippocratis verba.

Cap. 37.

CAeterùm si octauo mense fœtus Galeno, & Hippocrati perfectus est, si hic mensis perficiendi fętus habet potestatem, quare dicendus erit non vitalis? quo modo ab oscitantia Galenum defendemus, si hæc ipsa de octauo mense disserens, nos de ipsius infelicitate, si veram illam putauit, non admonuit? Sic enim ego argumentor. Lac gignitur, cùm fœtus perfectus est, tẽpusq; instat pariendi; at gignitur octauo mense, igitur fœtus octauo mense perfectus est, imminetq; ei tempus pariendi. Vtraq; propositio ex Galeni ore emittitur; igitur & conclusio in eius doctrina necessaria. cùm autem fœtus perfectus est, tempusq; instat pariendi, vitalem prodire illum in lucem posse, ac debere, nemo sanæ mentis negare poterit. quare & octauo mense editus partus sua natura vitalis erit: quæ quidem ratio, nisi valde fallor, magnam vim habet ad probandum, octauum mensem ex Galeni sententia partui esse naturalem; nec solùm de earum numero est rationum, quæ in Scholis appellari solent conuenientiæ, seu congruentiæ, sed in hac materia, quæ, vt præclarè doctissimus vir Eugenius in suis libris de Partu admonuit, veras demonstrationes non admittit, demonstrationis ipsius vmbram gerit quandam: adeò vt neq; efficacior, neq; probabilior ad hanc docendã veritatẽ, meo quidem iudicio, adduci possit. vt rectè libro octauo à nobis dictum videatur, etiam si auctoritas hæc Hippocratis à Galeno exposita ad lac ipsum referatur, nõ simpliciter ad ipsos octomestres, vt libro octauo, & in Disceptatione à nobis factum est; magnum nihilominus ex ea ius octomestribus acquiri. Ex qua etiam hoc alterum facilè patet; quàm rectè superioribus disputationibus ex hoc eodem fundamento non semel cõclusum à nobis fuerit, Aristotelem octauo genitos putasse vitales. scripsit enim ipse, vt suis locis admonuimus, libro septimo Historiarum, lac ante mẽsem septimum genitum inutile esse; sed simul τά τε παιδία γόνιμα effici, & lac vtile: ex quò & quarto de Animalium Ortu conclusit, vtile lac εἰς τὸν χρόνον τὸν τοῦ τόκου dari, idest in tempus partus; & quia homo plura habet partus tempora, primo tempore illi dari, scilicet mense septimo. Atqui octauo mense lac datur vtile; quod & hîc affirmat Hippocrates receptus à Galeno, & ipsa docet experientia. si enim septimo, ergo & longè magis octauo; quare Aristoteles vtile fieri septimo primùm dicens, sequentibus quoq; mensibus ad vltimum vsq; pariendi tempus tale fieri intelligit. Sed vtile lac non datur à natura, nisi & infans simul γόνιμος fit, idest vitalis, natalisq;, & nonnisi partus tempore; itaq; & octauo mense fœtus necessariò sua natura vitalis; & octauus mensis necessariò tempus pariendi. Atqui fœtum naturæ decreto vno & eodem mense maximè reddi vitalem ac perfectum, & è contra non vitalem & imperfectum; vnum & eundem mensem per se ac sua natura tempus esse partus, & non esse tempus partus; naturæ prouidentiæ valde repugnat. quare & hoc ipso fũdamento vel natura vtilis lactis generatione admonente octauum mensem fœtui per se ac sua natura esse inimicum, adeò vt vitalis nullo modo in eo oriri queat, figmentũ omnino esse demõstratur. Sed dices, igitur & semper octauo fœtus nasci deberet, quia tũc fit perfectus, cùm verò pfectus est, naturę decreto exeat in lucẽ; quæ quidem dubitatio in septimo quoq; mẽse locũ habet. respondemus perfectionem hanc, quam per id temporis fœtus acquirit, habere latitudinem quandam, ita vt septimo initium accipiat, in diesq; magis perficiatur, ac pro fœtus temperamento absoluta, ac perfecta fiat hora partus; vt libro octauo abundè fuit explicatum. ideo cùm pro temperamenti ratione septimo, octauo, nono, aut decimo terminum queat habere, nõ esse necesse, vt septimo, vel octauo omnes fœtus oriantur. Verùm enimuero ita ex-

Cap. 3.

Cap. 8.

posi-

positis Galeni verbis eius sententiam quasi lancem ponderibus impositis pro nostra opinione inclinare, octauum scilicet mensem ex sua natura perfectionem fœtui afferre, ideoq; illum excludere vitalem posse, qui deposito sectæ amore hunc Galeni locum considerabunt, simulq; & Hippocratis orationem, facilè concedent: vt nō leue hinc etiam capiamus argumentum, Hippocratem ipsum, quemadmodum libro octauo notabamus, non omnes octauo genitos non vitales existimasse, quia octauo mensi perficiendi fœtus tribuat potestatē, cuius Galenus & recipit, & approbat sententiam. vt iam figmentum illud Iurisprofessorum, seu, vt verius dicam, Medicorum Arabum commentum planè iacere videamus, octauo scilicet mense partum esse immaturum, & abortiuum; ideoq; nullo pacto nasci vitalem. Hippocratis autem verba sic mea sententia admonēte Galeno veniunt transferenda. Menstruorum periodus. Quæ ante hæc grauia germana octomestrium laborum primipararum. lac mēstruorum germanum octomestri quidem perficiente, alimento verò redundante. Idcircò menstrua germana si aduenia nt octomestribus ad decimum mensem tendentibus, malum. vt, si (quemadmodum libro octauo dicebamus) hic locus Galeni auctoritate restituendus esset; hinc palàm fit, lōgè aliter fore restituendum, ac Anutius, Vallesius, ante hosq; Caluus, & Cornarius crediderunt. Quorum tandem verborum sensus est, menstruorum periodum esse cōsiderandam: quæ autem grauia ante hæc fiant, germana esse octomestrium laborum primipararum. item lac germanum esse menstrui, quia scilicet ex eius parte oriatur, fiatq; octauo mense, octomestri periodo fœtum perficiente, & propterea alimēto redundante ad lactis generationem; quæ omnia supra iam abundè sunt exposita. Idcircò adiungit, si huiusmodi menstrua lactis germana appareant octauo mēse in octomestribus, qui ad decimum mensem tendunt, videlicet qui nono, & decimo sua natura maturitatem plenam recepturi tunc temporis oriri debent, malum esse; nempe quia, si tunc erumpant menstrua, lac gigni non possit, ideoq; ordo naturalium operationum perturbetur, fitq; id argumentum futuri abortus eodem ipso mense octauo; quia scilicet ille partus tanquam natura decimestris octauo vitalis oriri nequeat. quod quidem etiam ostendit non omnes octomestres (vt sæpè inter disputandum admonuimus) Hippocratem reijcere, sed eos tantùm, qui alijs mensibus periodi ratione prodire amantes octauo errore naturæ eijciuntur. Propterea dixit octomestribus ad decimum tēdentibus; si enim id octomestribus contingeret, qui eodem octauo oriri natura amant, id fortasse non esset malum, vel minus malum, quia nascens fœtus viuere posset. Dixit autem signatè, octomestribus ad decimum mensem tendentibus mēstrua aduenire, quoniam talibus octauo mense, grauia illa contingunt, quæ ex Aristotele libro tertio, ex Hippocrate libro octauo declarauimus; nempe dehiscit vterus, fœtusq; descendit ad locos inferiores; vt in tot tantisq; mutationibus non sit difficile menstrua commoueri: quanquam quòd se fœtus transferre in aliam vteri partem possit, Realdus Columbus Anatomes libro duodecimo negare videatur innuens, fieri non posse, vt in tantillo vteri spatio, fœtus in alterutram partem se dimoueat; quòd ex eo nonnulli etiam Recētiores, inter hosq; Ronseus libello de Humanæ Vitæ Primordijs, adnotarunt. Sed certè Columbus id statuit non solum contra Hippocraticæ, & Aristotelicæ vocis testimonium, sed etiā contra experientiam; quemadmodum octauus liber abundè docuit: vt non possim eorum temeritatem non valde mirari, qui quod falsum est, cuius oppositum sensu deprehendi potest, posteris scriptum relinquere non erubescant. Hæc nostra explicatio est huius loci abstrusissimi, qua exposita, an illum Interpretes lacerent potius quàm aperiant, facilè quisq; ex se cognoscet. satis enim perspicuum est illorum vnumquemq; suo arbitratu multa verba transponere, aut alia cum alijs coniungere, quæ coniungenda non sunt, aut alia ab alijs disiungere, quæ non sunt disiungenda.

Noua quędam laborum octomestrium causa explicatur. duo Hippocratis obscuri loci alter ex Opusculo de Natura Pueri, alter ex secundo Epidemicon illustrantur.

Cap. 38.

VErùm dum hæc meditor, & scribo, in mentem venit, hinc aliam causam laborum octomestrium elici posse; cùm .n. octauo mense ingens fiat fluxus sanguinis ad mammas toto corpore ac natura conuersa ad eum illuc expellendum ex vteri

venis, in quibus toto gestationis tempore, vt Galenus admonuit, sensim collectus erat; adeò vt iam fœtu minus attrahente, illisq; magis exundantibus natura magno conatu ad mammas illum pellere laboret, vt grauedinem illarum partium tollat; non videtur valde dissonũ à ratione, in eo motu sic venas vteri interdum exhauriri, cuncto sanguine ad mammas confluente, vt tunc fœtui parcius, quàm sit opus, præbeāt alimentum; non secus ac quò fluentis humoris caput erumpit, reliquus libenter eò labitur & confluit humor: qua de causa redditus fœtus imbecillius, si tunc fortè oriatur, labores partus nequeat sustinere. quod tamen quia magis & minus recipere potest, adeò vt non semper tantus fiat fluxus ad mammas, vt necessarium fœtui desit alimentum, non ob id sunt octomestres reijciendi tanquam non vitales. his addo, breui tempore hunc alimenti defectum durare posse, quia fœtus, cùm nõ adest in venis vteri alimentum, ex mammis illud trahit. ex quò, vt supra ex Hippocrate docebamus & Galeno, in prægnantibus, quæ sanguinis inopia laborāt, mammæ gracilescunt; quia scilicet inde ad sui nutritionem fœtus illud trahat. quod etiam in Opusculo de Natura Pueri significauit nobis præclarè Hippocrates ita scribens. ” ἕλκει γὰρ ἀπὸ τοῦ αἵματος ἐς ἑωυτὸ τὸ γλυκύτατον, αἷμα δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ γάλακτος ἐπαυρίσκεται ὀλίγον. ” cuius loci sententia est, fœtum, quod dulcissimum est trahere ex sanguine ad sui nutritionem, ex sanguine, inquam, qui in venas vteri descendit; & si hic non sufficiat, ex lacte etiam, quod est in mammis, quod dulcissimum est attrahere; siue vt Cornarius transtulit, atq; ante illum Caluus, lactè modicè frui, vel lactis aliquantulum haurire. ex ea enim materia, quæ ad mammas fertur, in ipsisq; iam est ad lactis generationem, quod dulcissimum est trahit, quod in abortionibus, vt supra dicebamus, gracilescere mammas facit. quare sic verba sunt interpretanda. ” Trahit enim ex ipso sanguine, quòd est dulcissimum ad se se, simul autem ex ipso lacte quod dulcissimum est aliquantulum attrahit. ” quod & paulò supra eodem Opusculo his verbis video confirmatum, quibus, & quod in vterum descendit speciem aliquando lactis præseferre, & vteri mammarumq; cõsensio, egregiè explicatur. ” Similiter autẽ (inquit) & mulier; à pinguedine enim calefacta & alba existente, quod edulcatum est à caliditate, quæ ab vteris accessit, expressum venit in mammas, & in vteros quoq; parum venit per easdem venas. tẽdunt enim & in mammas, & in vteros venulæ hæ, & consimiles aliæ. & vbi peruenerit in vtero, lactis habet speciem; & puer ex ipso aliquantulum attrahit. ” Quanquam autem hæc ita sint, intelligendũ nihilominus esse, non quidem ore in vtero fœtum nutriri, sed & sanguinem, & quidquid lactis speciem habeat, per vmbilicum trahi ad eius nutritionem, iam diximus octauo libro. Itaq; (vt redeamus ad nostra) non poterit fœtus octauo mense diutius alimẽti inopia affligi, cùm non desit in mammis materia, quam trahere possit; proindeq; hæc causa, si modò locum habeat, non poterit illum facere non vitalem. Quod dicimus, menstruorum ad mammas confluxum causare interdũ labores octomestres posse, videtur hoc loco Hippocrates verbis licèt obscurissimis nobis fortasse designare, si mentis aciem in ea intendamus, cùm dicit. ” Menstruorum periodus; quæ ante hæc grauia germana octomestrium laborum primiparatum. ” cùm enim de lacte, & eius ortu, ortusq; causa ageret, vt quæ sequuntur verba admonent, Galeniq; docet explicatio; dicere voluit, menstruorũ periodum, & circuitum, scilicet ex venis vteri ad mammas esse considerandum pro lactis generatione: quæ autem ante hæc fiunt grauia, germana esse laborum octomestrium primiparatum; videlicet quæ fiunt grauia, antequam menstrua in lac cõuertantur, & dum fit ipsorum circuitus, ad mammasq; confluxus. sunt autem hæc mutatio, quæ euenit in corpore ob menstruorum fluxum ad mammas, item & grauedo, qua oppletis venis ob menstruorum redundantiam vterus vexatur, demum parcior nutritio, quæ hanc ob causam exsiccatis vteri venis fœtum affligit; nam, vt supra ex Galeno docebamus, altera pars, dum sanguis ad alteram transfertur, sicca semper relinquitur; præterquàmquòd natura ad lac gignendum occupata non parũ laborat; cùm febres mulieribus, dum lac conficitur, sæpè oriantur: hæc, inquam, omnia germana esse laborum octomestriũ, quia scilicet & octauo mense percurrente fiunt, quod sequentibus verbis Hippocrates docet, dicens, octomestrem periodum perficere, & laborum octomestrium videtur pars esse quædam; cùm non secus ac labores, qui octauo mense fœtum corripiunt, quos potissimum, vt libro octauo explicauimus, pellicularum diruptione ori-

oriri censuit Hippocrates, fœtum illo tēpore affligant. Addit autem primipararum, vt moneat huiusmodi grauia valde affligere; primiparæ enim, vt in partu primo maximè laborant, quia nondum assueuerunt; sic & laboribus octomestribus magis affliguntur. quare dicens Hippocrates grauia illa germana esse laborum octomestrium primipararum, magis ponit affligere, quàm si diceret germana esse laborum octomestrium non primipararum. laborare enim maximè, & dolere in partu, & partus purgationibus mulieres primiparas, iā ipse libello de Natura Pueri perspicuè admonuit. Item addit, primipararum, vt doceat grauia illa præsertim ob alimoniæ defectum contingere; eò quod in primiparis, vt idem eodem libello docuit, potissimum inopia alimenti fœtus laborent, quod explicationem hanc nostrā mirificè comprobat. cùm enim primiparæ vt plurimum adolescentulæ sint (de quarum partu pulchrè Arist. 7. Polit.) corpus, quod incrementum adhuc desiderat, minus sanguinis suppeditat ad fœtus nutritionem; ex quò & hac de causa, cùm labores subeunt octomestres, difficilius fœtus ipsi degunt. Sed ad Galenum redeamus,

Cap. 16.

Tertius Galeni locus affertur; in quò octauo genitos videtur recepisse tanquam vitales. *Cap.* 39.

TErtius locus, in quo non leui coniectura Galenus nobis innuit, non omnes omnino octomestres se reijcere, habetur Commentario quarto in Hippocratis librum de Alimento; de quo etiam octauo libro nonnulla diximus. tametsi (verè vt loquar) valde dubito, an fragmenta illa ex ipsius prodierint officina. Sic ergo loquitur Hippocratis verba explicans tempora formationis, motus, & partus aperientia. Non est in fœtibus definitum tempus neq; manifestæ formationis, neq; motus, neq; exortus. Hippocrates primus de ipsorum formatione verè scripsit: sicuti in libro de fœtuum formatione, itemq; in libris de semine demonstratum est. Idē quoq; in libro de natura puerili & accuratè, & perspicuè scriptum legimus. Quo circa non est magis producenda oratio. Omnino autem non est vnus terminus, sed formationis tempus est dierum 35. aut 40. aut 45. tempus motionis duplum est eius, in quo formatur; quod ipse τύπωσιν nominat. Tempus deniq; egressus in lucem, est triplum eius, in quo mouetur. quod vt plurimum esse verum videtur. Hæc ille; qui die 40. formari fœtum accipiens sine vlla contradictione; hoc verò dierum numero formatū duplo moueri, scilicet diebus 80. triplo egredi, scilicet diebus 240. idq; vt plurimum veritatem habere affirmans; certè octomestrem partum, qui diebus 240. gignitur, vitalem ac naturalem videtur agnoscere. si enim id non sensisset, cur vir grauissimus, veritatisq; amantissimus, lectorem de tanta re non admonuisset? quo tamen in loco interim notabis, Galenum tertiam articulationis speciem, cuius duplum motum indicat, & cuius terminum non esse certum ac definitum, sed pro fœtuum temperamento diuersum, nūquam tamen ante diem 31. terminum habere, libro septimo monebamus; hîc manifestam formationem appellare; perspicuèq; asserere, non habere tempus definitum. quę quidem sententia ea omnia, quæ libro memorato diximus, mirificè comprobat. Accedit quòd sequenti particula Hippocratis illa. Non est, & est. exponens; quę à Veteribus tanquam in octomestrium perniciem prolata accipiebantur; ipse libentius aliò trahit. quin potius Glauciæ & Sabini, qui ita senserunt, adducens explicationes; etsi verbis ac nomine eas non reijcit, re tamen verè refellit, quia tāquam à sua explicatione diuersas eas adducit. Galeni autem hæc est oratio. Fœtus sunt, quoniam geniti iam sunt, & formationem quandam habent. Non sunt autē, quia nondum perfecti sunt. Rursus autē veluti sumpto initio ait; in his diebus, quos ante præscripsit, & plures, & pauciores infantes oriri: quasi nos docet non vnū esse eis definitum tempus, sed diuersum, pro natura seminis, vteri, temporis anni, regionis, ac præterea multarum aliarum rerum. Veteres autem Interpretes hunc locum aliter intelligunt. hoc enim de partu, qui octauo mense edatur, dictum arbitrantur. Etenim Glaucias sic legit. Nō est, & est infans octauo mēse natus. & huc transfert ea omnia, quæ in libro de octaui mensis partu scripta sunt, quo in libro habetur, neminem eo mense natum esse superstitem. Sabinus autem ait, hos fœtus post partum apparere quidem, & ita tanquam animalia esse: at non esse, vt mox moritura: ita vt in lucem quidem edantur, nō viuant tamen. Hæc ille; qui dicens, Veteres locum hunc aliter intelligere; aliter, inquam, atq; ipse intellexit; satis apertè in-

indicat, se eorum hanc explicationem nō recipere. vtinam reliqua superesset oratio, quæ iniuria temporum perijt. siue enim Galeni, siue alterius sint Commentarij; fortasse & Glauciæ & Sabini allatam explicationem reiectam legeremus. Prætereo dicere Galenum, huc Glauciā transferre omnia, quæ in libro de Octomestri Partu scripta sunt; quasi innuat, transferre quidem, sed certè falsò & extra propositum. Prætereo hos illos esse Veteres, de quibus Galenus Commētario primo in sextum Epidemicon conqueritur; vtpotè qui corrumpere, & adulterare Hippocratis scripta consueuerint. qua de re libro octauo nonnulla diximus; vt certum sit horum sententiæ Galenum non suffragari. Nec vllius momenti est, quòd dicat, in libro de Octomestri Partu haberi, neminem eo mense natum esse superstitem; nam primùm, hoc, vt notum est, de Glauciæ sententia recitat; deinde id non tollit, quin dictum hoc Galenus interpretans, si octauo genitos recepisset, facilè potuisset ostendere, quo modo habeat veritatem, quo vè modo sit intelligendum. Si igitur partum dierum 240. Galenus hoc loco approbat; si Veterum placita, & explicationes aduersus octomestres recitans nō comprobat; longè probabilius mihi videtur, vt existimemus, eum potius octomestrem partum recepisse, quàm, vt pleriq; volunt, reiecisse. qui etiam in quartum sectum Aphorismorum, dum quadrimestre tempus medium esse gestationis tempus scribit, octauum mensem naturalem pariendi terminum facere videtur; vt vix ab oscitatione defendi possit, si ipsum præter naturā putans non excepit. vt prętercam in libro de Anatomia viuorum, quem, & si Galeni nō sit, ipsius tamen dogmata continere Medici fatentur; octomestre spatium dies, scilicet 240. vt in Disceptatione dictum fuit, tanquam naturale pariendi tempus omnino recipi, formationi ac motui fœtus respondens. Sic igitur de Galeni sententia inducta & constituta hac veritate, & ea quidem soluta, libera, nulla re implicata; videmus profectò iacere iam illud Mercati, aliorumq; infelicitatis octomestrium, ꝙ ex ipso petebant, patrocinium.

Aph. 1.

Mercati alia quędam expenduntur. Lalamantij sententia confutatur.

Cap. 40.

PLeraq; Mercati dicta ad examen reuocauimus, præsertim ea, quæ ad septimestrem partum pertinebant, ac octomestrem; testimonium Galeni ab ipso allatum contra sentētiam nostram nullum esse demonstrauimus; atq; datam accipientes occasionem diligenter ipsius Galeni mentem inuestigauimus de hac difficili quæstione; superest nunc vt pauca quædam de reliqua Mercati disputatione dicamus, in qua nonomestris, decimestrisq; partus naturam nobis aperire profitetur; quo facto sermonem conuertemus ad Lalamantij expendēdam opinionem. Dicimus igitur quod Mercatus sumit de Hippocratis mēte, grauidationis dies non excedere quatuor decadas, hoc iam supra esse reprehensum. quod verò adiungit, duas esse causas, quæ legitimum partum constituant, & iudicatorium mensem, & integram fœtus maturitatem, tanquam vero consentaneum maximè esse amplectendum. quo recepto fūdamento, an postea ipse à se ipso dissentiat, tertiam legitimi partus causam adijciens, vterum scilicet ipsum, eiusq; virtutē expultricem, aliorū sit iudicium; eo quòd potius hæc concausa videatur existimanda; cùm non solùm legitimum partum, sed abortum etiam efficiat irritata; ipsa verò maturitas legitimi tantùm partus possit esse causa. quo loco dum statuit, fœtum nonomestrem, ac decimestrem membranas omnes dirumpere, cùm partus instat, nemo est qui non videat, quàm longè dissētiat ab Hippocrate; qui, vt octauo libro ostensum fuit, fœtum, qui nono mense, aut decimo maturitatem sit adepturus, septimum agentem mensem membranas interiores defringere existimauit. Rursus quæ à Mercato disputantur de multiplici, ac varia mensium acceptione, vt pugnantia Hippocratis dicta conciliet, qui partū modò vndecimum attingere videtur asseruisse, modò decimum transire non posse; item dies 280. mensem vndecimum apprehendere; hæc omnia, quæ ex Gorræo excerpta sunt, iam septimo libro diligenter fuerunt confutata, quin etiam & superiori disputatione; iam his locis plenissimè ostensum, nil potuisse magis alienum à veritate, atq; ab Hippocratis mente excogitari, quàm hanc variam mensium acceptionem: qua recepta magnam oriri confusionem totius Hippocraticæ disciplinæ, immò & veterum omnium Scriptorum, nemo est qui non videat. vt nullo modo audiēdus Mercatus sit, cùm inquit, Hippocratē, Aristotelem, Plinium, quando dicunt ad vn-

vndecimum vsq; mensem partum peruenire, de tertia Lunarium mensium specie intelligere; quando dicunt, vix decimum attingere posse, vel hunc mensem non pertransire; Solares menses, vel primam Lunarium speciem respicere; vt omnis difficultas, errādiq; occasio apud veteres Scriptores ex diuersa mensium computatione orta esse videatur. hæc enim omnia quantum habeant firmitatis, superiora satis docuerunt. Demum illud etiam impugnamus, quod Mercatus inquit de mense duodecimo agens & sequentibus, partum ex alimenti vbertate (vt nunc alias causas silentio præteream) posse, licèt rarò, ad aliquem horum mensium perduci; cùm perspicuum sit, quantacunq; sit alimoniæ vbertas, si maturus sit fœtus, ad exitum ipsum colluctari; maturum verò esse naturæ lege oportere longè prius, quàm in mensem duodecimum incurrat. Sed de Mercato satis. ad Lalamantium modò veniamus; aduersus quem nihil ferè mihi, quod non alijs supra obiecerim, occurrit dicendum; cùm & rationes ab Astrologis, Arithmeticisq; sumptæ, & à natura dierum crisimorum; item à motione septimo mense facta, (quas ipse in medio ponit) vberrimè iam pridem fuerint explosæ. Quod enim peculiare est in Lalamantij positione, videlicet nonum Solarem mensem statum, & præfixum pariendi mulieribus tempus esse existimandum; & qui partus ante hunc nascantur, abortiuos esse censendos, qui post hunc, monstrosos; quod se rationibus auctoritatibusq; probasse scribit in Commētarijs in Galeni libros de Diebus Decretorijs: hoc ab ipsa veritate, ab Aristotele pariter, & Hippocrate alienum esse, qui partum diebus trecentis gestari, vndecimumq; attingere mensem posse docuerūt; nemo, vt arbitror, in dubium vocabit, qui superiores nostras legerit disputationes. Nec alia in præsentia nobis hac de re addenda videntur, cùm eius Commentarij ad nostras manus non peruenerint. Illud potius ex eo libenter accipimus (Aduersariorum nanq; testes magis probant apud Iurisprofessores) quod ipse ingenuè confitetur, Aristotelem inter menses τοκιμους, idest frugiferos, & qui partionem habent naturalem, octauum mensem recensere. quod quidē cùm ipse animaduerterit, mirum est quo modo grauissimis de octomestrium vita, verissimisq; ipsius rationibus claudens aures, aliorum præstigijs, & captionibus circumscribi, ac decipi passus sit. quanquam, vt hoc telum declinet, locum apud Aristotelem, in quo octauus mensis recipitur, sanum non esse, dicere videtur; quod quàm leue sit, quàm falsum, aliorū sit iudicium. Nec nos turbet veterum Poetarum Lalamantium auctoritate octomestres condemnare, cùm Palladæ distichon adducat aduersus illos; qui oriundus ex Chalcide Insula Eubœæ (vt doctis viris placuisse video) facilè inter eos poetas, qui Epigrammata conscripserunt, principatum obtinet; tantumq; adhibet in scribendo argutiæ, leporis, salis, festiuitatis, & gratiæ, vt iure optimo Martiali præ cæteris comparetur. enimuero si ipsum Epigramma accuratè perpendamus, nil cōtinere inueniemus, quod verè octomestribus aduersetur. Epigramma nanq; à Poeta conscriptum est, vt primo Epigrammatum libro patet, de filia Grammatici, quæ gemellos peperit, qui statim mortui sunt; nec vlla in eo de octauo genitis mentio habetur. itaq; dicere illos fuisse octomestres, hoc diuinare potius est mea sentētia, quàm aliquid docere; cùm satis constet, Palladam οὐδέτερον, idest neutrum gemellos eos appellasse, non quia octauo mense geniti essent, sed quia, cùm in partu ferè mortui sint, neutri verè & esse, & dici merebantur, idest nulli tanquam non existentes; qui enim mortui nascuntur, vt lege definitum est, nec procreati, nec nati existimantur. Sed iam omittamus vrgere Lalamantium; nolo enim in eo confutando multus videri.

Francisci Valeriolæ opinio proponitur ventilanda. Obiter quę de causa numerosioris partus & parcioris ex Aristotele iam tradita sunt, Theophrasti auctoritate vocantur in dubium.

Cap. 41.

NEc aduersus Valeriolam occurrunt vberiora; cùm omnia ferè ipsius placita in superioribus fuerint confutata; cūcta enim ferè ex eodem fonte fluxerunt. Nam quæ ipse adduxit de causa partus simpliciter; item de causis multiplicis partus, multiplicisq; temporis pariendi, sunt iisdē in erratis, quibus ea, quæ ex Aponensi, Gentili, Gorræo, & alijs de eadem quæstione dicebamus; iamq; tertio libro explosa fuerunt, superioriq; disputatione. qua in re magna certè dignum est admiratione ex tot clarissimis Medicis, qui his dispu-

disputationibus manus admouerunt, causas ab Aristotele allatas tetigisse neminem: quanquam & hoc loco non putamus prætereundum, si Valeriola eo sensu dixit, soli homini varium esse tempus pariẽdi, quia nõ certo anni tempore pariat, secus quàm reliquis animalibus soleat euenire, quæ vel autumo exempli gratia tantùm, vel certo aliquo anni præfinito tempore partum edũt; quò & pertinere ratio videtur illa ab eo al-« lata, id propterea fieri, quòd varijs tempo-« ribus concũbendi desiderio capiatur: certè « hunc virum ingenti æquiuocatione irreti-« tum à verò quæstionis huius sensu longis-« simè aberrasse; cùm neq; Aristoteles, neq; « veteres Sapientes hoc sensu solum hominẽ incertum, varium, & inæquale asserant habere tempus pariendi; sed eo tãtùm, quòd modò longius, modò breuius nanciscatur solus gestationis interuallum; cuius quidẽ proprietatis veram causam iam tertio libro ex Aristotele adduximus: videlicet quia suæ naturæ, & substantiæ ratione, cùm humore & calore abundet, multiparum sit animal; cùm magnitudine polleat, pauciparum & vniparum; quæ verò multipara, paucipara, & vnipara existũt, diuersa necessariò habeant tempora pariendi; quãquam non me latet (vt hoc alterum tacitus hoc loco nõ prætercam) Alexandrũ Aphrodisiensem Problematum libro secundo finalem causam animo versantem, in vitæ animalium breuiorem longioremq; terminũ, nimirum vt vitæ breuitas partus copia cõpensaretur, numerosioris paucioris q; partus causam referre. quod tamen vel ex hoc vno patet parum habere firmitatis; quòd nonnulla vitæ diuturnioris animalia, partu esse comperiuntur numerosiori, vt de ceruo satis liquet; quod animal non perpetuò vniparum esse constat. Sed aduersus ea quæ ex Aristotele de multiplicis & singularis partus ratione & iampridem tertio libro diximus, & hoc loco rursus aduersus Valeriolam disputantes confirmamus, pulchra oritur dubitatio, quæ nullo pacto videtur dissimulanda; Theophrastus enim quarto libro de Plantarũ Causis quęrens cur fertilissima sint, quæ exiguum fructum pariunt, ita scribit. Cùm verò ex » toto propemodum quæ fructum exiguũ fe-» runt, fertiliora sint ista, quæ modò enu-» merauimus, & lens, & reliqua generis e-» iusdem: atq; etiam illa, quæ fertilissima » vocitantur, vt cuminum, atq; papauer: » deniq; omne olerum genus, & quæ in va-» sculis fructificant: quærendum, quæ nam

Prob. 69.

Cap. 16.

eorum causa sit; vtrum quia minora sunt, » confici possunt facilius. Nam & animalia » quædam talia esse videmus, præcipuè quæ » oua, vermesq; gignunt. At ratio hæc ex-» trinsecus; aliquam verò interiorem peten-» dum. Nam ea quoq; re ab animalibus dif-» ferunt, quòd illorum oua ab aere circum-» fuso aluntur, perficiunturq;, omnino gra-» uida fœtu redduntur, vt inter priores ra-» tiones retulimus: at fructuum educatio, » atq; perfectio in ipsis plantis peragitur, vt » viribus assiduè melioribus opus sit. Hæc » ille; quem locum explicans doctissimus Scaliger in Commentarijs, sic inquit. Re-» ctè omittit causam hanc perinde atq; ex-» ternam: non enim manat à principijs inti-» mis. Nam esse paruum, aut magnum non » est essentia. At essentia est causa efficiens » formationis. Quæritur ergo quæ, quanta-» nè est vis in semine Papaueris, vt se ipsam » sufficere queat ad tot efformationes. Sanè, » vt accuratius agamus, animalia quædam » maiora pariunt plura quàm alia minora: vt » sus plura, quàm ouis. Magis propria quę-» renda ratio. At hæc è diametro Aristoteli » aduersantur; qui, vt libro tertio vidimus, perspicuè in magnitudinem paruitudinẽq; corporis fęcunditatem sterilitatemq; retulit animalium, ampliorem q; illorum partum, & parciorem. siquidem dixit libro quarto de Animalium Ortu. Facit enim » eorum magnitudo ne multa pariant. cibus » enim in ijs absumitur in corporis incremẽ-» tum. minoribus verò natura demendo de » magnitudine auget in excremento semina-» li exuperantiam. & non multò post. Ma-» gnitudo enim & paruitudo corporis causã » habent partus amplioris, & paucioris. » quam tamen causam hîc Theophrastus externam videtur appellare, Scaliger suuium oniumq; exemplo falsam monstrat. qui hoc fortasse altero longè magis vrgeret huiusmodi dogma Præceptoris, si diceret, inter canes, maiores semper multò plures parere, quàm minores. cùm, vt docet experientia, catelli vnum ferè semper, aut ad summum duos pariant; maiores, vt in Serenissimi Ducis nostri Aula de Britãnico cane euenit anno superiore, vsq; ad decem & octo. quod & in eo altero Aristotelis fidem dubiam reddit; quòd sexto Historiarum canes ad summum duodecim parere notatum reliquit.

Cap. 19.

Cap. 4.

Cap. 20.

Difficultates superiori capite allatę tolluntur. Scaliger reijcitur.

Cap. 42.

RESpondemus, verè discipulum cum suo Doctore consentire; Scaligerum hac in re plurimum errare. Theophrastus enim secundo libro de Plantarum Causis (Cap. 14.) manifestè arborum fœcunditatem & sterilitatem in earũ retulit magnitudinem maiorem, vel minorem, eandem, quam & Aristoteles, causam adducens; ex quò & omnes ferè arbores, quæ ampliore magnitudine se attollunt, minorem concludit fructum generare, idq; ficus Indicæ probat exemplo. & secundo libro Historiarũ (Cap. 8.) iam dixerat. » Non enim magnæ excelsæq;, » sed breues, fœcundiores quàm cæteræ, tri» mæ protinus fructificantes. Quod autem eo loco quærit, idem est cum illo, quod iam pridem vocauerat in dubium secundo libro de Plantarum Causis (Cap. 17.), rationem adducens, cur semina quò minora, eò & feraciora inueniuntur. quæ loca si quis vicissim conferat, facilè tollet dubitationem. quam enim causam externam vocat Theophrastus, ea quidem est, quæ ponit, minora facilius fieri, copiam autem facilitati ad iudicari. quod tametsi Aristotelis fuit loco » memorato sic scribẽtis. Item plus seminis » genitalis esse, ꝙ maioris est animalis, mi» nus autem quod minoris, necesse est. at » multa effici parua in eodem possunt; multa » magna effici difficile est. certè nihil officit; cùm & hoc etiam Aristoteles adducat tanquam causam externam; vt exponere quidem Theophrastus videatur Præceptorem non confutare; qui in alimenti & seminis maiorem in animali magnitudinis ratione redundantiam, in præscriptam certamq; in natura agentis & patientis virtutem, numerosiorem omnem partum retulit tanquam in causam proximam & internam. ex quò & semina exigua feraciora esse dicens Theophrastus (Lib. 2. de Plãt. Caus. ca. 17.), quia ἀβλαςότερα, idest quia minus germinent (cuius vocis vim neq; Theodorus, eam emendans εὐβλαςότερα, cõuertensq;, quod facilius augescat; neq; Scaliger eam interpretans (Cap. 16.), quia non luxuriant frondibus, perceperunt) causã, quæ in minoribus plantis & animalibus de Aristotelis sententia locum habet, videtur tetigisse; nimirum quòd minus propterea alimenti absumũt in nutritionem & incrementum, eorum quæ emittunt; quia scilicet minus germinent, seseq; attollant; ex quò & redundans alimentum efficit fęcunditatem. vt præteream similia quidem esse inter se, animal & arborem minoris magnitudinis esse fęcundiora; semina minoris magnitudinis feraciora; sed fortasse rationem non esse omnino eandem; vt causam hanc externam esse in plantis non in animalibus intelligere potuerit Theophrastus; ex quò & memorato ex quarto de Plãtarum Causis loco (Cap. 16.) subdit, vt paulò supra vidimus. » Nam ea quoq; re ab animalibus » differunt, quòd illorum oua ab aere cir» cumfuso aluntur, perficiunturq;, omnino » grauida fœtu redduntur, vt inter priores » rationes retulimus; at fructuum educatio, » & perfectio, in ipsis plantis peragitur; vt » viribus assiduè melioribus opus sit. quibus non eandem esse hac in re inter animalia & plantas rationem significauit. Itaq; insignis Scaligeri error, cùm inquit, magnitudinem, & paruitatem non esse causas numerosioris partus, & parcioris. etsi enim esse paruum & magnum non est essẽtia, manant tamen ab essentia; itaq; causa ab hoc ducta manat à principijs intrinsecis. quod enim de sue adiungit, nullius est momenti; cùm, vt ex quarto de Animalium Ortu (Ca. 4. et 6.) constat, peculiarem hoc animal, quod ad hanc rem attinet, naturam habeat; vt meritò Aristoteles solum hoc ἐπαλλάττειν, & ἀμφισβητοῦν, idest variare dixerit, & ambigere; vnde & inter bisulca solum multiparũ est animal, & inter multipara solũ parit perfectos; quare etsi oue aliquanto maius, oue nihilominus fęcundius; oues enim in pauciparis habendæ, vt docuit Aristoteles. Quod verò de canibus obijciebatur, est certè, nisi rectè intelligatur, difficillimum. nam si corporis magnitudo parcioris partus Aristoteli causa est, paruitudo numerosioris, cur canes quò existunt grandiores, eò & fertiliores? quò corpore minores, eò & steriliores? vt catelli, quos Philosophus Problematum (Prob. 14.) decima sectione Melitenses videtur appellasse, quosq; nobiles mulieres maximo studio alere cernimus, & in magna habere existimatione, qui omnium sunt minimi, vnum vt plurimum edant, veluti supra innuebamus? cuius tamen rei contrariũ videtur scripsisse quarto de Animalium Ortu (Cap. 4.) Aristoteles his verbis, vt ego interpretor. » Canis verò & lupus, & multifida omnia » multipara ferè. & parua talium, vt mures. quo loco & canes inter multipara ponit, & adijciens, parua talium multipara esse, paruos canes prolem edere numerosiorem oportere, satis monstrat.

De

De canum partu superius allata dubitatio labefactatur.
Cap. 43.

PVlchram igitur hanc obiectionem sic putamus diluendam. Cùm enim in caninæ speciei ambitu, vt docet experientia, nosq; libro tertio Scaligeri doctissimi viri auctoritate notabamus, multæ diuersissimæ ideæ comprehendantur, adeò vt sexto Historiarũ scripserit Aristoteles, canum genera multa reperiri; nil erit mirũ, si aliqua inueniantur canum genera, quæ ab alijs insigni quadam seiungãtur differẽtia. Canis ab Aristotele, vt superior allata probat auctoritas, inter multipara animalia recẽsetur; recensetur autem, quia inter minora animalia locum habet. siquidem, vt ipse scribit, minoribus natura demendo de magnitudine auget in excremẽto seminali exuperantiam; quæ verò semine abundant multo animalia, necessariò multipara existunt. At enimuero semen natura sua calidum & humidum, proindeq; animalia, quæ hoc temperamento excellunt, semine sunt abundantissima; vt hac de causa paulò post Aristoteles diuinè hominem calore humoreq; corporis multiparũ esse decreuerit animal, rationem addens, quia seminis natura sit talis. & tertio libro dixerat apertè. τὸ δὲ σπερματικὸν ζῶον δεῖ θερμὸν καὶ ὑγρὸν εἶναι, idest, vt ego interpretor. Animal semine abundans, calidum & humidum esse oportet. Præterea seminis productio perfectioq; opus est perfecti animalis: quandoquidem naturalissimum viuentium est opus, sed eorum tamen quæ perfecta sunt, & non læsa, vel spontaneam habentia generationem, tale alterum procreare, quale & ipsum est; animal, animal, planta, plantam; vt secundo de Anima scriptum legimus. quod sanè opus semine sit medio tanquam instrumento: vt non nisi perfecti sit officium, semen producere. Sequitur autem ex his necessariò; animalia imperfectiora, tùm etiam naturæ ficcioris, minus semine abundare. At enimuero catelli naturæ sunt ficcioris; cùm enim humidi sit dilatare; canina autem species vniuersa ficca sit; minores canes necessariò ficciores existunt; quare & minimi valde ficci. Item huiusmodi catelli imperfecti sunt; sunt enim in canina specie perinde ac in humana homines, qui nana proueniunt statura, & pomiliones. nam & hoc decima Problematum sectione perspicuè docet Aristoteles, & eleganter, causam quærens, cur homines nana statura proueniant; & in vniuersum cur in vnaquaq; specie animantium, alia paruo, alia magno consistunt corpore. quo loco sic differit. Causa duplex sanè reddi potest: aut enim locus, aut alimentum id facit. locus, si angustus est: alimentum, si exiguum: quod etiam partu iam edito nonnulli efficere conantur, vt qui catellos in caueolis occlusos educant. & paulò post de ijsdem catellis. At verò qui ob alimenti inopiam perfici non potuerint, hos membris quoq; puerilibus constare videmus. fitq; vt aliqui, quamuis breues admodum sint, modicè tamen coagmentatas omnes sui corporis partes habeant, vt Melitenses catelli. Ratio.n. quòd non vt locus, sic natura suum efficere opus soleat. Hæc ille; ex cuius elicimus oratione, & huiusmodi catellos imperfectos natura esse; & (quod non videtur prætermittendum) hominum fortasse magis arte in canina specie quàm natura introductos; non secus ac in macrocephalis gignendis ab hominum instituto quodam principium naturæ datum fuit, quæ ex se postea sine vllo auxilio capita illa producebat; vt pulchrè libello de Aere, Aquis, & Locis refert Hippocrates; cuius hæc est oratio. Ac primùm omnium de Macrocephalis, cùm nulla omnino alia gens sit, quæ similia capita habeat. A principio quidem consuetudo in causa fuit, vt tàm longis capitibus essent; postea autem natura ipsa cum consuetudine conspirauit. Siquidẽ generosissimum apud eos putatur, caput habere quàmmaximè longũ. consuetudinis autem hoc initium fuit. Quũ recẽs infans natus est, caput eius adhuc tenerum & molle existens, quàmcelerrimè constringunt manibus, coaptantesq; cogunt in lõgitudinem augeri: quin & vinculis connectunt, ac aptis instrumentis colligant, quo rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur. ea consuetudo tantùm effecit, vt eiusmodi natura caput existeret. temporis verò progressu natura quoq; tales produxit, vt non esset necesse consuetudine priore cogere. Cæterum his ita cognitis dubitationem omnem tolli palàm est; animalia enim quòd multipara sint, id habent à corporis mensura, si cætera consentiant; quare canes, qui tamen hãc proprietatem participare possunt, hanc ob causam multos pariunt; at enimuero grãdiores inter eos fertiliores sunt, quia sunt humidiores: quod præcipuè in canina specie locum habet, quia est valde ficca; in

qua

Cap. 20. Cap. 1. Tex. 34. Prob. 14.

qua quidem catelli, qui oriuntur, tùm ob naturæ imperfectionem, tùm ob maiorem ficcitatem, quam corporis paruitudo comitatur, necessariò euadunt steriliores. corporis enim paruitudo si habeat causam siccitatem, sterilitatem auget, tantum abest, vt fœcunditatis causa esse queat. quod Aristotelis est tertio libro de Animalium Ortu asserentis, consistere vel sponte conceptus in auium genere, quos subuentaneos & zephyrios quidam appellant, non tamen in omnibus auibus, sed in illis tãtùm, quæ non volaces sunt, neq; vncæ, & multo abundant semine, quia multo abundãt excremento. quod cùm dixisset, ita subdit.

Cap. 1.

» τοῖς δὲ γαμψώνυξιν ἐπὶ τὰς πτέρυγας, καὶ τὰ πτερὰ
» τρέπεσθαι τὴν τοιαύτην ἀπόκρισιν· τὸ δὲ σῶμα μικρὸν
» ἔχειν, καὶ ξηρόν τε καὶ θερμόν. idest ex Theodoro.
» Vncis in alas & pennas id vertitur, corpusq; exiguum, siccum & calidum habetur.

quo loco, vt videmus, paruitudinem, siccitatem, caliditatemq; corporis huiusmodi auium tanquam sterilioris earum naturæ causam, affert Aristoteles; quod in catellis maximè locum habere, nemo est qui nõ videat. Nulla igitur, vt vnde digressimus eò redeamus, in Aristotele est cõtradictio. quod enim scribit, minora esse fęcundiora, intelligit, modò sint perfecta; nilq; habeant, quod ad hanc participãdam proprietatem illis obsit; ex quò & solitam addit cautionem aduerbio σχεδὸν, idest ferè, temperans sententiam; canis enim ferè multiparæ naturæ, quia omnes præter catellos; item multiparorum parua ferè multipara magis, quia omnia, præter catellos. Demum quod sexto tradit Historiarum, canes duodecim ad summum gignere; intelligit vno initu, & fine superfœtatione. qui enim plures pariunt, superfętatione superconcipiunt; quod in ea, quæ decem & octo peperit, non dubito contigisse.

Cap. 20.

Valeriolę opinio reijcitur.
Cap. 44.

SEd ad Valeriolam redeamus, cuius omnia, quæ de septimestribus disputauit, Hippocratis sententiam de causa maturitatis illorum explicans, libro septimo fuerunt repudiata. in qua sanè re pertractanda, dum ob locellorum angustiam, vel ob fœtus celerem, violentumq; motum septimo partum prodire statuit, vereor ne potius abortum septimo exeuntem fateri cogatur, quàm partũ naturalem; qua de re superioribus disputationibus satis est dictũ. Quod verò addit, septimo prodire vitalem partũ ob septenarij numeri in natura præcellentem virtutem, ac dignitatem, id & à Galeno reiectum esse, & falsum, tùm libro sexto, tùm supra demonstrauimus; quemadmodum & libro septimo Plinij sententiam, quòd septimestres plenilunio, vel interlunio concipiantur, omnes in se numeros continere veritatis, ad Hippocratisq; dogmata mirificè quadrare: vt iniuria ab ipso videatur reprehensa: cui certè nihil officit, quod fœtus consumatio, perfectioq; septimo mense illi adueniens causa sit, vt septimo nascatur; quasi frustra illorũ ortus in Lunares aspectus referamus. simul nanq; hæc duo naturę lege conspirare, Solisq; ac Lunæ periodos maturitatem ac perfectionem partui afferre, sexto libro & septimo explicauimus; vt hac de re nihil sit nobis in præsentia disserendum. Illud potius in Valeriola laudamus & admiramur, quòd de laboribus partus agens, sententiamq; Hippocratis illam adducens, in qua duplex mensium series recensetur; in hac enumeratione imparem, paremq; periodum agnoscere videtur. Nec minus reiecta inueniuntur in superioribus, quæ hic Auctor de octomestri partu in mediũ profert; cuius cùm easdem causas adducat, nempè ipsam maturitatem, vuluæq; expletionem; eandemq; de ipso, ac de septimestri esse dicat rationem; leui admodum postea de causa reiectus hic partus ab eo videbitur, quòd dicat, ob septenarij vim septimo fœtum vitalem nasci, octauo non vitalem ob octonarij imbecillitatem; & quod magis est, Hippocratem quoq; huius rei euẽtum in hãc numerorum naturam retulisse. horum enim vtrunq; falsum esse, abundè superiora docuerunt. cuius sanè partus infelicitatis dum alteram affert ex Hippocrate causam, quòd videlicet duos labores nequeat sustinere; quantum in ea recensẽda ad veritatem accedit, tantum postea recedit ab ipsa, cùm laboris ægrotationisq; causam, quæ fœtum affligit octauo mense, communem sequens errorem, in motũ fœtus refert ad exitum factum mẽse septimo; cuius rationis leuitatem non semel in superioribus ostendimus. ex quò & ea cuncta, quæ disserit de octomestris partus per octauum mensem imbecillitate, atq; de huius mensis natura, pari errore omnia nutant. cùm neq; verum sit, omnem octaui mensis gestationem de Hippocratis sententia onerosam esse, molestam, ac difficilem; neq; verum sit, quæ has infelices habet cõdi-

ditiones, propter istos fœtus perturbatos motus habere, demum neq; verum, malã parentis vteriq; affectionem ab hisce motibus causari; de qua re libro octauo abundè disseruimus. Hinc audax conclusio illa, ne dicam impudens, de octomestribus censeri debet. Vnde ipsum graui imbecillitate vrgeri consequens quidem est; tandemq; consecutione fermè necessaria inferire. quando id omnibus octauo genitis nullo modo conueniat. quorum sanè, cur in Aegypto viuant, similibusq; regionibus, dum causas affert, robur videlicet matris, succulentumq; habitum, vel regionis fertilitatem, facile est videre quàm lõgè aberret ab Aristotelis consilio. Demũ ijs, quæ differit de proprio filio, necis ipsius adducens rationem, nihilo magis assentimur; quem cùm die 225. à conceptu editum dicat, idcircò interijsse scribit, quia numerum non haberet ad Hippocratis hebdomadas probè respondentem. iampridem enim libro sexto ostensum est, hũc numerum octauo genitis non conuenire; vt potè qui sua natura imparem periodum non affectent: quanquam & eo modo, quo ibi declarauimus, octomestrem partum hunc seruare numerum dicere possumus. prætereo (quod & alibi non semel diximus) neq; minorem septimestrem, neq; ante dies 210. genitum, neq; nonomestrem exactum hunc ad hebdomadas numerum retinere, & nihilominus esse vitales. Quæ autem sequuntur de seminis genitalis duplici differentia, quibus probare nititur Valeriola, octauo genitos viuere non posse; silentio sunt nobis prætereunda, vt pote in Fracastorio antea confutata. Sed ab hoc credulo, qui nullos viuere octomestres putat, discedamus; veniamusq; ad Vallesium, qui etiam à nobis totus diuersus est; eiusq; dicta discutiamus.

Francisci Vallesij opinio examinatur, at primùm priores duę illius rationes confutantur.

Cap. 45.

VAllesius vir magnus, & in Hippocratis, Galeniq; scriptis diligentissimè versatus, tres adducit rationes, vt secundo libro vidimus, mortis octomestrium; quas tamen nullius esse ponderis, facilè quisq; superioribus ad memoriam reuocatis confitebitur. Prima enim ratio à proportione temporum inter se formationis, motus, & partus ducta; in qua Barbari tã-tum ponunt, videat ne contra eum tota nata sit; vt enim monuimus in Disceptatione, nihil hæc concludit, vel si concludit, aliquid etiam pro octomestribus concludit: vnde ipsemet Vallesius fassus est, rationem hanc plurimum claudicare. in qua quidem explicanda dum ex termino formationis dierum 35. partum die 210. excludi posse scribit, mirum est quomodo alibi velit, partum septimestrem diẽ 204. vix attingere posse. Sed & illud quoq; redarguendum, quod dicit, qui configuratur diebus quinquaginta, in vndecimo edi; qui formatur quadraginta, quatuor dies de nono assumere; quadragesimo tamen paucissimos figurari. etenim in hac computatione tricenûm mensium ratio omnino habenda est; ita vt dicamus triginta soles (quod satis apertè in libro de Alimento Hippocrates significauit, nosq; septimo libro pluribus ostendimus) mensem constituere; quo modo die quinquagesimo conformatus decimo exacto mense dicendus erit in lucem venire; die quadragesimo figuratus, octauo confecto exoriri; quod citato nuper loco Hippocrates memoriæ tradidit. qua in re illud certè ab omnium abhorret opinione, quod Vallesius scribit, paucissimos die quadragesimo formari; cùm & hic communissimus formationis terminus habeatur; & dictum hic numerus in fœtus accidentibus iudicandis ab Hippocrate potentissimus, ac præ cęteris aptissimus existimetur. quod quidem ostendit, octauo mense genitos naturalissimos esse partus, cùm eorum exitus pendeat ex maximè naturali termino conformationis. Prætereo, si concedamus Vallesio, partum eum, qui die quadragesimo figuratur, quarto noni mensis die in lucem prodire; non tamen id tollere, quin sexto quadragenario oriatur: de qua re nullum Auctor facit verbum. Ad secundam rationem à consensione sumptã temporis partus cum diebus decretorijs, quid dicendum, satis etiam elucet ex superioribus; iam enim ipsius vires libro sexto labefactauimus. qua quidem in re illud certè dignum est animaduersione, quòd hi de mensibus differentes, septimum dicũt recipiendum, octauum refellendum, quia septimus diei septimæ respondeat, qui maximam habet in iudicando potestatem; octauus mensis cum octauo die proportionẽ habeat, qui extra iudicatorios reijcitur: cùm verò de mẽse decimo loquuntur, quoniam hoc supposito fundamento videt esse re-

refellendum, quia dies decimus inter crisimos non adnumeratur; hic relicta dierũ crisimorum natura & ratione ad quadragenarios confugiunt, atq; ad virtutem numerorum, septimum mẽsem, quia in quintum quadragenarium incurrat, tanquam legitimum admittendum esse statuentes; octauum tanquam illegitimum, quoniam à sexto quadragenario, qui diei sexto similis est, comprehendatur; nonum ac decimi principium tanquam legitimos, quia in septimo quadragenario includantur. quæ ratio cùm in maiori decimestri locum habere nequeat, qui post septimum quadragenarium gestatur; iam hoc loco decenarij numeri perfectionem necesse fuit illos comminisci, vt mensem decimum esse legitimum pariendi terminum demonstrarent. quæ omnia & nutabunda, & vicissim pugnantia, & somnia videntur esse hominum non docentium, sed opinantium. In qua etiam explicanda ratione, quod Vallesius tanquam firmum, ratumq; sumit, sextum quadragenarium omnibus fœtibus esse infelicissimum; item ægrotationem, ac imbecillitatem, quæ fœtum eo currente corripit, ex motu ad exitum mense septimo facto ortum ducere; tandem illos, qui firmiores sunt, vno impetu exire; qui verò id assequi non possunt, laborare morbo ex defatigatione: hoc totum in superioribus confutatum fuit, vberrimeq; ostensum, sextum quadragenarium non omnibus obesse; ægrotationem, quæ octomestres vexat sexto quadragenario, ex motu illo non oriri; septimo mense prodeuntes, non quia firmiores sint, in lucem tunc venire, sed quia propriam adepti sint maturitatem; eos verò, qui per id temporis non nascuntur, id illis non præ imbecillitate contingere, sed quia nondum sint maturi. itaq; videndum, nè ista nos asciscamus, nè vè commentitijs rebus assentiamur: nihil enim sentire est melius, quàm tàm praua sentire.

Tertia Vallesij ratio reijcitur. item alia ipsius quędam dicta expenduntur.

Cap. 46.

Tandem ratio Vallesij tertia, cui maximè ille tribuit, in Disceptatione explosa est; ita enim oporteret, septimestres ex robustiori perfectioriq; materia esse conformatos: quod quidem Hippocratis, Aristotelis, Auerrois assensu non esse comprobandum, sed dissensu potius illorum penitus reprobandum, libro tertio demonstrauimus. Quæ autem Vallesius testimonia ex Hippocrate adducit aduersus octomestres, iam suo loco exposita fuerunt. Atq; hæc Vallesius de octomestribus. Quæ verò de septimestribus ab eo disputata sunt, cur scilicet hoc tempore nascantur humani fœtus; quòd de Aristotelis sententia mares gignantur septimestres, fœminæ decimestres; item quòd septimestres vltrà diem 204. gestari nequeant; hæc partim libro tertio, partim libro septimo, & octauo reiecta fuerunt. Superest nunc expendenda ipsius disputatio ad nonomestres pertinens, ac decimestres; quam nemo est, qui non videat, ea parte ex superioribus penitus labefactatum iri, qua ponit, habita tricenûm mensium, ac Lunarium ratione partum modò nonomestrem, modò decimestrem ab Hippocrate, alijsq; Veteribus fuisse appellatum. tametsi enim hæc mensium differentia à Vallesio excogitata tolerabilior videatur, quàm commentitia Gorræi, Mercatiq; diuisio; firmiter tamen tenendum arbitramur, doctissimos illos viros, ac reliquos omnes, qui illorum placita secuti sunt, cùm partum vel nonomestrem, vel decimestrem nominarunt, vel vndecimestrem, non (turpissimam cõmitẽtes ęquiuocationem) diuersorum mensium habuisse rationem, sed vnius eiusdemq; mensis speciei; vt prætercam Vallesij sententiam in partu quidem dierũ 270. locum habere; sed in eo, qui hunc terminum pertransit, nullo modo: cùm die 280. genitus nonomestris partus nulla ratione possit appellari. Sed & alterum illud reprehensione carere non videtur, quod Vallesius inquit, finem gestationis diem esse 270. item hunc dierum terminum nullam habere cælestem causam, nisi in Solis tetragonum id fortasse referamus. etenim postremum hoc tùm nostra disputatione libro sexto, tùm Gorræi auctoritate facilè reijcitur; qui primus magna cum laude temporis huius cum cęlestium periodo cõsensionem explicauit. qua cognita veritate, qui ad aspectum Solis tetragonum leuissimè confugiat, inueniẽs neminem. Alterum verò idem ipse Hippocrates passim refellit; statuens die 280. & vsq; ad 300. fœtum gestari; quod quidem cùm traditũ videret Vallesius apertissimè ab Hippocrate libro quinto Epidemicon in historia mulieris Larissæ, quam & decimo mense fuisse prægnantem, & decimaquarta eiusdem mensis die puerum mortuum eiecisse notat

Hippocrates; locum Vallesius enarrans, scribere non est veritus, verba corrupta esse; partumq; illum temporis ratione fuisse præter naturam. quanquam & resipiscens, ex libro de Principijs nouem mensibus græcis & diebus decem (græcos mẽses intelligens tricenarios) legitimum fieri partum fateatur: quin & paulò infra (ꝙ magis est) decem perfectis mensibus editum partum tanquam legitimum videatur admittere; & quod longè magis est, partus ad finem decimi mensis nascentes, & initio vndecimi existimare perfectiores. quæ an vicissim consentiant, & cum veritate, aliorum sit iudicium. Rursus quæ à Vallesio de tempore gestationis computando dicta sunt, an scilicet à menstruis, vel à conceptione ineunda sit ratio, libro septimo ventilauimus: sicuti & quæ de causis maturitatis partus idem attulit; item de fœminæ marisq; conformatione aduersus Aristotelem, libro tertio. satis enim fuerit loca indicare, in quibus hæc plenius habentur pertractata. vt præteream pleraq; Vallesij dicta iam pridem in Gorræo, Mercato, Valeriola, Lalamantio, & alijs esse confutata. Sed de Vallesio quidem diximus; consideremus Capiuacceum, & Mercurialem.

Capiuaccei exquiritur opinio.
Cap. 47.

IAm verò aliorum sententijs exterminatis sequitur opinio Capiuaccei discutienda; quam eo primùm nomine ducimus refellendam, quòd tam præclari effectus speciem humanam consequentis; multiplicis videlicet temporis fœtus maturescendi, cuius pulcherrimam, & maximè probabilem causam attulit Præceptor, fusè à nobis tertio libro explicatam: nutabundã omnino ipse adducat rationem, videlicet victus varietatem: qua de re & libro tertio, & supra aduersus alios abũdè disseruimus; id enim qui verum putat, is ipse mentis expers habendus videatur. Secundò, neq; illud admittimus, quod hic Autor inquit, vt pugnantes Hippocratis, Aristotelisq; sententias concilier, quorum alter respuere octomestres partus, alter verò recipere videtur; Aristotelem non dixisse vniuersaliter octauo genitos superuiuere, sed eos tantùm, qui in Aegypto nascuntur; Hippocratem generaliter nõ vitales ipsos pronunciasse; idcircò nullam esse inter illos dissensionem. etenim libro quarto de Animalium Ortu Aristotelem vniuersaliter enunciasse de octomestribus ipsos esse vitales, tertio libro aperuimus: vt hæc Capiuaccei interpretatio nullo modo quadrare videatur. dixit enim. Octomestres „ viuunt, minus autem. nec loci vllius fecit „ mentionem. At mentiri Aristotelem, an delirare dicemus? Tertiò, illud etiam repudiamus, quod idem docet, Aristotelem censuisse, octauo genitos propterea in Aegypto esse vitales, quia, cùm ibi mulieres fertiles sint, robustissimos infantes pariãt; quorum robur potest secundi, & tertij quadragenarij malignitati facilè resistere; quãdo neq; secundum, seu quod idem est, sextum quadragenarium octomestribus per se officere demonstratum sit libro octauo; neq; fertilitatem mulierum ea ratione vitæ octomestrium in Aegypto conducere, quia robustos fœtus faciat, probatum sit libro tertio, & quinto; ex quo, & cùm adiungit, posse etiam locis nostris fœtum ob mulieris fertilitatem robustum editum, etiam si octauo nascatur, vitæ fieri compotem; hoc pariter veritati repugnare, & rationi arbitramur; quoniam omnis fœtus, qui noxam sentit sexti quadragenarij, octomestris per accidens est; hic verò non solùm locis nostris non est vitalis; sed neq; etiam in Aegypto, tanquam extra tempus editus suæ maturitatis. atq; hinc facilè obseruare lectores possunt, nos quidem pro veritate aliquando mirus etiam dare octomestribus quàm Aduersarios; cùm, quos illi vitales prædicant, nos interituros asseramus. Sed quãquam in Capiuaccei disputatione hęc redarguenda arbitramur; ea tamen omnia illa, quæ ipse de tribus quadragenarijs fœtui periculosis doctè disserit, & grauiter, atq; de causa illorum infelicitatis, tanquã verum Hippocratis genium habentia, vehementer admiramur; quòd enim tres sint quadragenarij maximè periculosi, nos quoq; libro octauo explicuimus. Nec verò Capiuacceus non laudandus in eo, quod scribit in primi & tertij quadragenarij infelicitatis causa adducenda; qua in re in nihilo ferè ab illo dissentientes, in aperiẽda tamen sexti natura cogimur ab ipso discrepare; quæ latere videtur, adeò crassis occultata, & circũfusa tenebris, vt nulla acies humani ingenij tanta sit, quæ penetrare in eam possit, nisi Hippocratis nixa auxilio. inquit enim Capiuacceus sextum quadragenarium fœtui esse maximè periculosum, quia fœtus in eo roboratur; quo in munere natura occupata quadragenariũ hunc periculosum reddit: ita vt nullo mo-

Cap. 4.

do feliciter in eo partus prodire posit. At quid est, fœtum hoc tempore roborari? hoc enim nullibi inuenio ab Hippocrate explicatum. si est accipere perfectionis principium; hoc recipit mense septimo fętus ex Hippocratis decreto. si est fœtui vires augeri; ergo tunc maximè incolumis egredi deberet, cùm maximè est robustus, & viribus pollens. si est omnimodam, plenamq; recipere perfectionem, & maturitatis finem; quare vitalis tunc non exit? quare in sequentem mēsem differt editionem? itaq; quid apud Hippocratem quadragenarium hunc reddit infelicem, hoc (vt liber octauus ostendit) fortasse quid sit intelligo; Capiuaccei verò illud quid sit, nullo prorsus modo intelligo. Hinc ratio ab eo allata contra octomestres omnino ruit; qua in re illud antea notare oportet, iniuria illos ab ipso reprehendi, qui octomestrium mortis causam esse asseruerunt, quòd duos labores nequeant sustinere; hanc .n. vidimus libro octauo perpetuò ab Hippocrate fuisse adductam, nec aliam vllam. vnde & cùm infra concludit Auctor, octauo genitos periclitari, quia, cùm sint sexto quadragenario debiles, labores partus ferre nequeunt præ imbecillitate; certè nulla alia de causa dicit eos interire, nisi quia duos labores sustinere non valeant. Sed iure & meritò in eo positionis illius assertores reprehendit, quòd laborum causam, qui octauo fœtum adoriuntur, motum illum in septimo ad exitum factum comminiscuntur: vt tanti viri auctoritate videas, amice lector, rationis illius ostendi leuitatem, quam supra millies redarguimus. Quòd si octomestres per se nullus labor inuadit sexto percurrente quadragenario ob causas ex Hippocrate à nobis octauo libro allatas; iam, si hoc ponamus, quadragenarium hunc opere magno liberabimus, octomestres morte, & nos timore; vt nulla Capiuacceo causa relinquatur, vt propterea octomestres condemnet, interiturosq; arbitretur. qui si ex receptis Hippocratis fundamentis sequi vidisset, sextum quadragenarium neq; septimestribus, neq; octomestribus per se esse infensum, illud alterum non asseruisset, quod Auicennæ potius sapit eruditionem; septimestri sextum hunc quadragenarium sextū esse mensem, decimestri nonum.

Enarrata Capiuaccei opinio de octomestribus ex alijs quibusdam diuulgatis ipsius scriptis confirmatur; fususq; aperitur. Alia quędam ipsius placita circa humanum partum afferuntur.

Cap. 48.

Haec igitur ex Capiuaccei lectionibus, quæ manuscriptæ circumferūtur. quoniam autem, postquam secundus huius operis liber impressus fuit, clarissimi huius viri nonnulla edita sunt, in quibus de octomestri partu quædam leguntur disputata; iam hæc altera ipsius verba expendamus. Sic igitur libro quarto de Affectibus Vteri, postquam partus definitionem attulisset, cum video tùm de ipsis partus temporibus, tùm præsertim de octauo mense ac partu octomestri statuisse. Diximus tempestiuè; tempus enim partus est vt plurimum à septimo mense ad vndecimum, vt habetur capite septimo libro septimo de Historia Animalium. Sæpè autem decipiuntur mulieres (ait Aristoteles) quia fieri potest, vt vterus repleatur flatu, & supprimantur menses tantùm, nec tamen mulier sit prægnans: & post hoc tempus euenire potest, vt erumpant menses, & mulier cum viro coniungatur, & concipiat: vt tempus conceptionis sit hoc postremū non prius. licèt autem opportunum tempus sit à septimo ad vndecimum; sępius tamen fœminæ pariunt nono mense, minus frequenter septimo, rarius decimo, rarissimè vndecimo. Excluditur octauus mensis, quia fœtus octimestris non viuit; quāuis secundum Aristotelem cap. 4. lib. 7. de Natura Animalium fętus octimestris quādoq; sit vitalis, præsertim in Aethiopia, & potissimum in fœminis fęcundis. Explicandum autem cur fęmina diuersis temporibus pariat. & primùm videtur contradictio esse in verbis Aristotelis; nam cap. 10. lib. 4. de Generatione Animalium equę fœminæ non idem esse tempus pariēdi, sed interdum citius, interdum serius parere. At libro septimo de Historia Animalium statuit soli fœminæ humanæ contingere, vt diuerso tempore pariat, non autem brutis. Ita est intelligendus Philosophus, vt si sermo sit de eadem vnaq; fœmina, equa semper eodem mense pariat. at si de pluribus equabus loquamur, vna equa vno mense parit, alia alio. Cur autem bruta vno mēse pariunt, homo diuersis? Statuendum cum Philosopho cap. 10. lib. 4. de Natura Ani-

Cap. 8.

» Animalium debitam magnitudinem esse in
» causa, vt fiat parturitio ; quæ debita ma-
» gnitudo citius producitur in fœtu mascu-
» lino, quàm fœminino, beneficio caloris :
» quod habetur etiam cap. 4. lib. 7. de Na-
» tura Animalium. Magnitudinem autem
» statutam esse causam parturitionis, inde
» colligitur, quia dum fœtus est adeptus de-
» centem magnitudinem, vt illius beneficio
» posit propria munera obire, non amplius
» vtero includi debet ; & proinde egreditur.
» Præterea cum Hippocrate in libro de Na-
» tura Pueri, cùm fœtus est assecutus debi-
» tam magnitudinem, eget copioso alimen-
» to, vt conseruetur. at cùm deficit alimẽ-
» tum, calcitrat, & disruptis inuolucris e-
» greditur. Quia ergo determinata hæc ma-
» gnitudo fœtus in brutis eodem tempore
» producitur; in homine non eodem tempo-
» re ; fit, vt sola bruta eodem tempore pari-
» ant. Cur autem decens illa magnitudo in
» brutis solis eodem tempore acquiratur, in
» causa est similis viuendi ratio. homo enim
» maximam in viuendi ratione dissimilitudi-
» nem committit ; ideo mulieres diuerso tẽ-
» pore pariunt. Quæritur etiam cur octime-
» stris fętus non sit vitalis. Non potest cau-
» sa transferri in solum motum, quòd fœtus
» mense octauo moueatur ; nam si septimo
» est parturitio, sexto est motus ; si decimo,
» mense nono est motus. Quare potius cum
» Hippocrate lib. de Septimest. Part. statu-
» endum causam esse, quia octauus mensis
» efficit vnum è quadragenarijs. tria enim
» sunt quadragenaria, in quibus vitæ pericu-
» lum subit fœtus. Primum est in primo
» mense ; vnde tunc facilè fit abortus : alte-
» rum in octauo mense : tertium post partũ.
» Cùm igitur in octauo mense secundum sit
» quadragenarium, & proinde sit tempus,
» quod discrimen fœtui afferre potest, & eo
» tempore fœtus laboret ; si tunc fœtus e-
» grediatur, vitalis esse non potest, quia nõ
» potest pati periculum secundi quadrage-
» narij, & etiam tertij. Nec Aristoteles
» Medicis repugnat: non enim dicit octime-
» strem partum simpliciter esse vitalem, sed
» tantùm in fęcundis, quæ concipiunt fœtus
» robustissimos, qui possunt perferre vio-
» lentiam vtriusq; quadragenarij.

Quæ ex Capiuacceo superiori capite adducta sunt, & discutiuntur, & reijciuntur. Obiter Cardani opinio, cur solus homo diuersa habeat tempora pariendi.

Cap. 49.

HAec doctissimus Capiuacceus; cuius certè ea, quæ ad causam spectant multiplicis in homine temporis pariendi; satis ex his reiecta videntur, quæ & libro tertio, & superius aduersus alios fuerunt disputata. quod enim ipse inquit, debitam fœtus magnitudinem esse in causa, vt fiat parturitio, in hoc haud parum (verè vt loquar) aberrat; tùm quia perfectio & maturitas, vt libro tertio monstratum est, causa est partus, nõ fœtus magnitudo maior, vel minor; tùm quia, totum illud, quod de magnitudine ipsi speciei congruente non solùm fœtus, sed generantis dixit Aristoteles, respectu vel termini partus longioris, vel multiplicis in homine temporis pariendi; volens maiora animalia diutius gestari; quia verò magnitudo hęc in homine concurrit cum ea causa, quæ partum reddit celeriorem, ideo hominẽ multiplex habere tempus pariendi: ipse Capiuacceus ad fœtus tantùm, idq; indiuiduorum non speciei ratione, refert magnitudinem; & generaliter dictum intelligit de magnitudine tanquam de partus omnis causa: quo nihil magis à Philosophi mente, ac veritate est alienum, vt ex libro tertio satis elucet. Hinc omnia illa penitus ruunt, quæ addit Capiuacceus, statutam magnitudinem causam esse parturitionis inde colligi, quia, cùm fœtus est adeptus decentem magnitudinem, vt illius beneficio posit propria munera obire, non amplius vtero includitur, sed exit; item quia deficiat illi ob adeptam hanc magnitudinẽ alimentum: adhuc quia determinata hæc magnitudo fœtus in brutis eodem tempore producitur, in homine non eodem tempore, ideo sola bruta eodem tempore fœtum edere, hominem vario ac multiplici: postremò brutis eodem tempore hanc magnitudinem accedere, homini vario, quia huic varia viuendi ratio, illis similis. Enimuero & fœtus, cùm est adeptus propriam maturitatem, quæ verè illi præbet propria obeundi munera potestatem; tunc tutò egreditur vtero; & decens fœtus magnitudo ab ipsa pendet maturitate; & ipsi Aristoteli alia omnino causa multiplicis in homine temporis pariendi; & viuendi ipsa dissimilitudo neq; causa multiplicis huius

tempo-

temporis; neq; causa cur fœtui vario tempore vel maturitas, vel decens illi (quatenus est fœtus) accedat magnitudo, vt liber tertius abundè ex veris Philosophi principijs demonstrauit. Quam verò Capiuacceus & afferre conatur ex Aristotelis dictis, & delere contradictionem de multiplici equæ tempore pariendi, longè facilius tollemus, si dicamus, quod Capiuacceus Aristoteli imponit, Aristotelem nusquam dixisse. Siquidem Philosophus libro quarto de Animalium Ortu sic scribit ex Theodori Conuersione. Quamobrē equi & quæ his cognata sunt animalia, quamquam minus temporis viuunt, tamen diutius vterum ferunt; alia enim annum, alia, quod plurimum, menses denos grauida exigunt. Atqui hoc loco non inquit, equam non habere idem tempus pariendi, quasi modò annuū partum, modò decimestrem habere velit, vt Capiuacceus videtur accepisse; siquidem tempus pariendi equo annum esse, & hîc, & libro sexto de Animalium Historia affirmat; sed quod de spatio adiungit decimestri, propter cognata vel magnitudinis, vel quauis alia ratione equo animalia adiungit; quæ decimo mense partum edunt. quod de boue præsertim habere veritatem, libro sexto Historiarum scriptum legimus; quare & conciliatio Capiuaccei nulla. Prætereo, Aristotelem, cùm dicit, hominem brutorum respectu multiplex habere tempus pariendi, de speciebus intelligere, ac de specierum proprietatibus; adeò vt nihilominus falsus dicendus esset, si diuersis speciei equinæ indiuiduis conueniret, vt diuersis mensibus partum ederent. Sed fortasse virum doctissimum Cardani auctoritas induxit in errorem; qui in Commentarijs super libro de Alimento, Aristotelis illud expendens, an solus homo diuersa habeat tempora pariendi, id ipsum Philosopho imponit; atq; eius hæc est oratio. Ideo dico quòd cætera animalia habent diuersa pariendi tempora quo ad numerum dierum, sed non mensium, vt homo. Canes enim pariunt sexagesimo die inquit Aristoteles 61. 62. & rarò 63. ante 60. minimè: ecce quod tertius mensis earum gestationi dicatus est, non tamen dies certa præfinita. Quibus etiam assignat quintum mensem non certum diem. ita nulli animali certū pariendi tempus, quod ad dies attinet, præfixum est: sed in homine neq; quoad menses. Et ita intelligi debet dictum illud Philosophi; nam se explicat dicens; quòd homini & septimo, & nono, & decimo parere contingit. cùm ergo in cæteris animalibus iam apertus sit vterus, omnes eadem die prodeunt catuli, quoniam contineri nequeunt alimento defluente; & etiam ob nixum vteri. Quia verò tempus gestationis vteri breue est plerisq;, vt canibus, felibus, cuniculis, leporibus; non potest esse discrimen mensium in tempore partus. In magnis autem animalibus, quæq; pluribus mensibus ferunt, elephanto, camelo, equo, asino, & boue; etenim de equo fatetur quarto de Generat. Animalium, quòd nonnunquam decimo, nonnunquam duodecimo mense parit. De elephanto quidem biennio fert, ideo numerum mensium non determinat, sed annorum solùm: in mensibus variare potest. atq; ibidem causas docet termini quidem, & finis ex astrorum circuitu: varietatis autem propter materiam, quæ indefinita est, & impedit principij actionem. Itaq; camelus fert vt equus, sed certius transit ad duodecimum mensem. Causam autem veram maioris varietatis in homine, cùm gerat solùm nouem menses ex ordine; alias diximus. .s. quòd non species verè sit, sed genus; recipiatq; omnes differentias, licèt occultius, vt etiam animal sanguineum, & exangue, & planta, & lapis, & huiusmodi. cohibetur tamen naturæ legibus arctius, vt non possit in viginti diebus procreari, vt gallina: neq; in sexaginta vt canis; sed tamen magnam varietatem suscipit. Hæc ille; qui etiam paulò post alterum Aristotelis illud reprehendit; quòd dixerit septimo Historiarum die 40. si mas exierit, & in aquam frigidam missus, cogatur, magnitudine formicæ maiusculæ apparere. Dicendum ergo (inquit) quòd Hippocrates veriora refert, cùm dicat genituram in sex diebus fuisse oui interiori similem, & iam pulsantem; & strepitum edidisse, dum in terram cecidisset; & nos viderimus fœtum ex abortu trimestri exacto habentem omnia membra, vt infans, nisi quòd esset totus ruber, & magnitudine palmi maioris, sed exilis: similem quippè his statuis paruis, quæ venduntur in foro pro pueris. quo modo ergo potest esse similis formicæ maiori: cùm semen viri solum sit maius decem formicis? & ideo credendum est, esse errorem in litera; cùm etiam alibi sententię Hippocratis ipse subscribat. & mox. Quomodo etiam potest moueri tùm, si maior non est formica maiore? nam etsi moueatur, incertum erit? Respondeo quòd, vt dixi, illud de formica

Cap. 10. *Cap. 22.* *Cap. 21.*

non rectè se habet.

Cardani nonnulla redarguuntur. Aristotelis locus ex quarto de Generatione Animalium explicatur. Item de magnitudine fœtus in vtero idem defenditur Aristoteles aduersus Cardanum.

Cap. 50.

HAec ille; quę certe tàm vera sunt, quàm illud verum, quod de diuerso equi tempore pariendi scribit. quod enim ad canes attinet; iam libro tertio diximus, idem genus canum, puta Laconicum, iisdem perpetuò diebus Aristoteli vterum gestare; vt varietas ipsa dierum à generum varietate ortum habeat; quare distinctio Cardani nulla, quòd cætera animalia diuersa habeant pariendi tempora quòad numerum dierum non mensium. quæ mox se ipsa destruit, cùm in minoribus tantùm animalibus hoc ponat habere veritatem, quia gestationis tempus breue habeant; in maioribus verò vt equo, camelo, elephante, diuersa, etiam quòad numerum mensium, agnoscat tempora pariendi. quod si verum est; quo modo & non illud falsum, quod tamen ipse pro vero recipit; solum hominem incertum pariendi tempus esse nactum? Itaq; nemo non videt hæc omnia à Præceptoris mente, ac veritate ipsa longissimè distare; nam de equo iam est dictum. Camelum autem duodecim ferre mensibus vterum, quinto Historiarũ Philosophum asseruisse, palàm est. quod enim de gestatione eius decimestri libro sexto est repetitum, mendum esse, & ex priori dicto emendandum communis omnium est sententia. Vtrum autem causa multiplicis in homine temporis pariendi veritati, Aristotelisq; dogmatibus sit consentanea, facilè quisq; ex iis, quæ libro tertio disputata sunt, colligere poterit. Adhuc quod inquit, Aristotelem quarto de Animalium Ortu docuisse causas termini & finis ex astrorum circuitu; varietatis autem causas duxisse ex materia; quia, scilicet indefinita sit, & principij impediat actionem; an verum sit, tùm ex iis quæ libro sexto de illius loci sententia disputata sunt, tùm ex ipsismet Aristotelis verbis, si quis acrem in ea aciem intenderit, facilè videbit. neq; enim ibi causas termini & finis (gestationis scilicet ac partus animalium, vt intelligere Cardanus videtur) docuit Aristoteles ex astrorum circuitu; sed hunc ipsum circuitum terminum principij & finis caloris & frigiditatis dixit habere; calorem, verò & frigiditatem, si debitam pro rei tẽperamento seruent moderationem, causas esse generationis, perfectionisq; animalium; nam & propterea τῇ γένεσει τελείωσιν adiecit, idest generationi perfectionem; propterea ad ipsas perfectiones Lunam dixit concurrere; partus enim maturitatem & perfectionẽ voluit significare; cuius Luna ob Solaris lucis participationẽ nõ exigua esset causa; quatenus scilicet lucis alia & alia mensura calorem gignit & frigiditatem; quibus duabus qualitatibus in gignendis fœtus partibus, in ipso fœtu conformando, perficiendoq; vtitur natura tanquam instrumentis, vt eiusdem operis secundo idem admonet; est enim articulatio concoctio quædam, vt non semel in hoc opere ex Philosopho docuimus; concoctio verò omnis calore efficitur. at absoluta articulatione, iam maturitas adest fœtus, ac perfectio; nam tempus adest pariendi, vt tertio libro ostensum fuit; quare & à calore perfectio, & maturitas; quæ si varia est pro fœtus temperamento & in humana specie, & in aliis speciebus; ipsa quoq; varietas temporis pariendi, gestationisq; animalium ab iisdem causis ortum habebũt, à caliditate scilicet & frigiditate, & ab astrorum periodis (Solis videlicet & Lunæ) tanquam causis illarum qualitatum. quod enim de materiæ indefinitione adiungit Aristoteles, id facit, vt causam eius, quod præter naturam euenit, de more explicet; non vt varietatis temporis pariendi causas aperiat in animalium speciebus. quę sanè varietas cùm ordinem suum in illis seruet; à materiæ indefinitione nullo modo in Aristotelis schola ortum ducere potest. quare tolerabilior Ioannis Grammatici interpretatio, qui putat, esse sententiam, quãtum est Solis ac Lunę ratione viuendi tempora cunctarum specierum æqualiter esse determinata; adeò vt tanto tempore omnes homines, tanto omnes equi viuere debeant; quod verò vnus homo vitæ sit diuturnioris altero (& de aliis indiuiduis aliarum specierum idem iudicium) id totum à materiæ indefinitione prouenire, ab aliisq; particularibus causis, quæ cęlesti ordini aduersantur. quod tamen ob multas rationes non recipimus, tùm etiam ob Platonis auctoritatem, qui vt, vidimus sexto libro, scripsit in Timæo, non solùm genus vniuersum, sed & animal etiam vnũquodq; ab ortu fatale viuendi spatium in se ipso continere. Postremò quæ ex Hippocrate

Carda-

Margin notes: Cap. 14. — Cap. 26. — Cap. 10. — Cap. 4.

Cardanus adducit de ſex dierum genitura ad Ariſtotelis illa refellenda, quæ de magnitudine fœtus cum maiuſcula formica comparati dicuntur ſeptimo Hiſtoriarum; certè nullius ſunt ponderis; cùm Hippocrates in ea genitura humoré tantùm pellucidum ſanguineumq; ſe vidiſſe teſtificetur; fœtum vlla ex parte formatum, vel illius partes, nullo modo. de cuius quidem Hippocraticæ ſententiæ explicatione, qui plura deſiderat, librum ſextum, ac ſeptimum legat.

Cardani rationes aduerſus Ariſtotelis poſitionem de fœtus in vtero magnitudine diſſoluuntur. reliqua Capiuaccei redarguuntur.

Cap. 51.

IAm verò nec rationes aduerſus hanc poſitionem ab eo allatę magis vrgent; cur enim, tametſi ipſe vidit in trimeſtri abortu fœtum magnitudinis palmi maioris, non potuit Ariſtoteles in abortu dierum 40. fętum magnitudine formicæ maiuſculæ videre? vidimus nos hoc anno 1598. ex abortu dierum 60. vel paulò plurium; maſculum fœtum membris omnibus formatum, qui pollicis duas tertias partes longitudine non æquabat; vt ſi quis animaduertat, fœtus intra vterum incrementum nouem menſiũ ſpatio longè maius eſſe data proportione, quàm quod efficit extra vterum multorum annorum decurſu; facilè concedat, & Ariſtotelem vera ſcripſiſſe, & fętum die 40. maiuſculæ formicæ magnitudini, tertio exacto menſe Cardani menſuræ ſe æquare poſſe. de motuq; idem eſt iudicium. quid enim eſt, quod impediat fœtum magnitudine maiuſculæ formicæ die 40. intra vterum moueri poſſe? cùm & nutritiuam tunc, ſenſitiuam, & motiuam animæ facultatem actu habeat? quid eſt quod, prohibeat, ſi moueatur, huiuſmodi motum parentem non percipere? cùm præſertim vterus ob neruoſam ipſius naturam pars ſit maximè ſenſitiua? falsò igitur Cardanus Præceptorem redarguit. ſed nos ad Capiuacceum redeamus. Quæ igitur ipſe de menſibus partui humano præfinitis ex Ariſtotele affert, volens ab eo octauum excludi; quàm vera ſint, iam pridem liber tertius demonſtrauit. primùm enim ſtatuit contra Hippocratis & Ariſtotelis ſententiam, rarius decimo partum edi quàm nono, ac ſeptimo; hi enim, vt memorato libro vidimus, decimo vt plurimum partum excludi exiſtimarunt; decimumq; nonó, ſaltem eius initium prætulerunt; mox nono, deinde ſeptimo primas tribuerunt. de octauo autem menſe Ariſtoteles, vt ibi oſtendimus, perſpicuè affirmauit, naturale eſſe tempus pariendi; quod & libro octauo cõfirmauimus. hinc cùm dixiſſet, alia cuncta animalia μοναχῶς, ideſt vno tãtũ modo efficere τοῦ τόκου τελείωσιν, ideſt partus perfectionem; ſolum hominem multipliciter; vt citatis locis abundè expoſuimus; rectiſſimè, cùm poſuiſſet τελείωσιν, ideſt perfectionem, ſubiecit ὥρισαι, ideſt definitum eſt: quandoquidem ſi definitur tempus & ad perfectionem, igitur, vt memoratis locis diximus, & à natura; neque enim poteſt eſſe perfectio, neq; definita, niſi à natura; quoniam & perfectionis & definitionis natura auctrix; indefinitio enim & imperfectio præter naturã. at ſi id, & neceſſariò octauus mẽſis tẽpus naturale pariendi, ac vitale. neq; enim tempus eſſe præfinitum ad partum poſſet, neq; poſſet in ipſo partus effici perfectio, ſi tempus eſſet præter naturam. cùm magna ſit contradictio, octauum menſem ad partum eſſe definitũ, octauum menſem partus efficere perfectionem, & octauum menſem partum dare nõ vitalem. Sed de hoc nimis multa. iam enim libro tertio & octauo Ariſtotelis mẽs vberrimè explicata eſt, iam abundè oſtẽſum eis locis, qui nos hac laceſſunt argumentatione, nihil proficere; cùm Philoſophus octomeſtrem partum per ſe ſumptum non quandoq; vitalem eſſe ponat, ſed ſemper vitalem ſua natura, licèt ob aliquod extrinſecus impedimẽtum, .ſ. per accidens nonnullis in locis aliquando viuere aſſerat, vt plurimũ mori; at enimuerò, quemadmodum libro octauo dicebamus, id tribui naturæ non decet, primo de Plantarũ Cauſis illuſtriſsima ſententia admonente Theophraſto, quod aliquo extrinſecus impedimento ſequatur, ſed quæ impetu naturali aguntur, hæc ſolùm naturæ imputari par eſt; quare & octomeſtris partus, quia τῇ ὁρμῇ naturæ efficitur (habet enim octauus menſis docente Ariſtotele τοῦ τόκου τελείωσιν, vt ſupra vidimus) naturalis omnino ac vitalis ex Pręceptoris decreto exiſtimandus. Quæ autem à Capiuacceo allata cauſam continent, cur nòn viuant octomeſtres, à ſuperioribus non diſsident: illud tantùm diuerſum eſt, quod ipſe adiungit, cum Medicis hac in re Ariſtotelem conſentire; nam in illis, quas vidi, lectionibus, ea parte non eſſe à Medicis diuerſum Ariſtote-

Cap. 13.

stotelem scripsit, qua in Aegypto tantùm hos partus facit vitales (siquidem hîc pro Aethiopia Aegyptum legendum puto) hoc autem loco in octomestres clementior, vniuersaliter, & vbiq; eos gigni vitales fatetur, dummodo tamen à fęcundis ac robustis mulieribus concipiantur. quod quàm nihil sit, iam satis tertius, & quintus liber demonstrarunt.

Mercurialis sententia expenditur. Monstratur ipsum potius octomestribus fauere.
Cap. 52.

SEd hactenus de Capiuacceo; ad Mercurialem veniamus, virum eruditissimum, de Medicina, ac Philosophia optimè meritum, ætatis nostræ ornamentum, demum maiorem omni nostra laude. Hic certè dū scribit, solum hominem plura habere tempora pariendi; huius verò rei causam se à nullo inuenisse explicatam; cogeret ferè nos, vt vereremur, temerè fuisse opinatos, cùm libro tertio diximus, hanc quęstionem ex professo ab Aristotele tractari, nisi clarissima ipsius Philosophi verba id probarent; quod hominem in ipsius lectione adeò versatum non est credibile latuisse. Verùm quia tandem animaduerti, Mercurialem finalem causam attulisse, Aristotelem verò efficientem; & rectissimè ab eo dictum fuisse vidi, à nemine eam causam allatam esse; & à nobis scriptum, à Philosopho quæstionem hanc ex proposito doceri. Sed & cùm de Hippocratis mente octomestrem partum illegitimum esse definit; cùm secutus Auicennam, & Albertum, laboris, ægrotationisq; causam motum in septimo editum agnoscit; cùm Picum reprehendit arbitrantem, Auicennam cum Hippocrate in causa ægrotationis octomestrium non consentire; cùm Auicennam, & Albertum existimat Hippocratis mentem attigisse; rursus cùm fertilitatem mulierū, ac naturæ robur, facilitatemq; pariendi, Aegyptiaciq; aeris caliditatem, tanquā fœtum, qui ex vtero egreditur, consensionis ratione minus lędentem, vitę eo loco octomestrium arbitratur esse causam; demum cùm decimestre spatium fęmineo fœtui, nulla adhibita distinctione, statuit maximè conuenire; nonnè his omnibus plurimum ijs aduersatur, quæ iam superioribus disputationibus sanciuimus? vt tanti hominis auctorite oppugnati, nobis dare manus & deditionem significare sit necesse? certè hæc omnia longè esse diuersa ab ijs, quæ libris superioribus docuimus, negare nec volumus, nec possumus; & si Mercurialis essent, nec quidem auderemus in præsentia ea reprehendere, ac reijcere (tametsi satis ex superioribus remaneant confutata) propter summam Viri auctoritatem, & maximam eruditionem, tùm etiam propter eam, quam cum tanto homine amicitiæ cōtraximus societatem; sed potius nos errasse, facilius nobis persuaderemus. verùm quoniam, dum illius disputationem totam diligentius expendo, hęc de aliorum magis opinione ab eo tanquam Auctorū aliorum placita enarrante, ac receptam, vulgatamq; sententiam explicante, prolata esse video; vbi etiam tanquam in transcursu, & per accidens huic quæstioni manus admouit; & quidquid de suo adiecit, huic, quam docere profiteor, veritati calculum adijcere percipio: cuncta illa à me rectè reprehensa esse, ex tantiq; viri auctoritate nil Aduersarios habere, quod nobis obijciant, lętor vehementer. Primùm ipse ex densissimis veritatem hanc tenebris eruens, octauum mensem non solùm de Aristotelis sententia, sed, quod caput est, ex Hippocratis quoq; decreto tempus à natura homini ad pariendum definitum esse statuit; inquit enim. » Vt verò sciatis, quæ nam » sint non debita partus tempora, sciendum, » quod nam sit tempus à natura mulieri con» stitutum. Aristoteles septimo de Historia » Animalium c.4. sed ante ipsum Hippocra» tes lib. de Septim. & Octom. Partu fuerunt » in hac sententia, quòd tempus pariendi sit » septimus mensis, octauus, nonus, & deci» mus. Hæc ille; quibus non minus rectè, quàm perspicuè ponit, debita partus tempora ea esse, quæ à natura sunt mulieri cōstituta; mulieri verò à natura constituta ex Hippocratis sententia non solùm Aristotelis, septimum, octauum, nonum, ac decimum. quare grauissimam hinc recipere plagam Aduersarios palàm est; cùm inter pariendi tempora naturalia octauus mensis à Mercuriali recenseatur: si enim tempus est octauus mensis à natura ad pariēdum homini constitutum; si tempus est naturale; ergo & necessariò naturalem partum dabit, vt toties diximus, ac vitalem; cæteroqui magna in naturæ operibus esset repugnantia. Secundò definit, nullum partum post septimum abortum dici posse; siquidem inquit in calce disputationis. » Itaq; abortus propriè dicitur partus om» nis, qui exit ante septimum mensem. quo posito tertium decernit, quod Iurisperi-

ſſ. de stat. hom.

torum fundamenta penitus elidit, videlicet octomestrem partum non esse abortum. atq; doctissimi huius viri hæc est oratio. » Pro solutione sum huius sententiæ, quòd » octimestris nequaquā debet dici abortus. At Iurisperiti in eo toti positi sunt, vt doceant, partum hunc naturam sapere abortionis: qui si ab illis eripiatur error, vniuersam ruere illorum machinam est necesse aduersus hunc partum innocentissimum fabricatam. Sed & quartum à Mercuriali definitum audiamus, quod omnem tollit ex hac, quam docemus, veritatis luce nubem dubitationis. Sic ipse paulò post lo- » quitur. Non est dicendus (scilicet octo- » mestris) abortus, quia hic est propriè im- » perfectus fœtus. iam verò octomestris est » totus consumatus. Itàq; hic partus non erit etiam imperfectus de tanti viri opinione, quia est totus consumatus, ideoq; non est abortus. Sed firmissima Iurisprofessorum conclusio est legum clarissima auctoritate fulta, vt ex l. SEPTIMO MENSE patet euidenter, perfectum partum omnino esse recipiendum. Quòd si eundem hunc partum non esse legitimum idem statuit mox Mercurialis, id nobis nihil officit. nam ipsum hoc eo sensu asseruisse certum est, quia octomestrem non solùm minus vitalem decimestri, & nonomestri, sed etiam septimestri esse velit; cùm longè plures eorum, videlicet illorum maxima pars, periclitari in nostris præsertim regionibus animaduertantur; vt ob id tanquam cæteris imperfectiores cū alijs partubus comparati non legitimi nomen aliquo modo mereantur. quod & voluisse Aristotelem iā libro tertio pluribus docuimus, nec facere propterea partum præter naturam tùm Philosopho, tùm Hippocrati, tùm Iurisconsultis demonstrauimus; adeò vt ob id videatur reijciendus. Quod & Iurisprofessores fateri omnino habent, qui, non quia plures pereant, ideo partū aliquem reijciunt; nam sic septimestrem non admitterent: sed quia partus sint imperfecti, & abortus; nēpè sua natura tales, vt ipsi dicunt, qui viuere nequeant; ideoq; eorum nullus vnquam viuat; quod de octomestri omnino negat Mercurialis, & iustis- » simè negat; sic enim scribit. Non est eti- » am legitimus partus, quia ex centum qui » ita nascuntur, vix vnus, aut alter superstes » viuit, præsertim in nostris regionibus; » est itaq; partus non legitimus. Hæc ille; quibus eo sensu, quem diximus, octomestrem partum non legitimum facere Mercurialem; idest non quia naturaliter non possit viuere, vt contendunt Iurisprofessores (siquidem & aliquos posse viuere fatetur, & octauum mensem tempus esse à natura ad pariendum homini definitum, & octomestrē partū perfectum esse, & consūmatum, non abortum docuit; quæ omnia necessariò partum sua natura vitalem faciunt) sed quia rarius viuat, quàm reliqui partus, satis est perspicuum. quo etiam loco palàm est, illegitimum hunc partum eum appellare, non quia extra limites nascatur à lege constitutos (quod maximè propriè illegitimum facere partum alibi notauimus) sed quia imperfectior sit reliquis, crebriusq; moriatur. Similiter quæ idem addit, causam explicans, cur vt plurimum hic partus non viuat, de aliorum sentētia posita ab eo esse, iā supra diximus. Quare Hieronymum Mercurialē veritatem maximè attigisse, nobisq; modis omnibus fauere rectè ipsius intellecta disputatione est perspicuū. Verùm satis Medicorū placita discussa videatur. Restat nunc, vt huic operi fastigiū imponentes illud exequamur, quod superius tractandum proposuimus, atq; in hoc tempus putauimus differendū; videlicet an ratio illa à Saturni sidere ducta non solùm à Iurisprofessoribus, sed ab omnibus ferè Medicis aduersus octomestres vsurpata, verioribus, purioribusq; Astrologiæ principijs consentiat, Ptolemæiq; præceptis nitatur; sic enim clarum erit, vtrum isti octomestrium necem hac ipsa ratione persuadere nobis voluerint opinione solùm, vel etiam ad veritatem.

ff. de stat. hom.

Refellitur ratio ex Astrologię dogmatibus sumpta, quòd octaui mensis infelicitas à Saturni dominio causetur. obiter Ioannis Pici, & Eugenij opinio de octauo genitis.

Cap. 53.

RAtio nunc igitur illa perpendenda nobis est, quam ad necandos octomestres Iurisprofessores, ac omnes ferè Medici è cęlo ducunt, ab Astrologisq; petunt; qui primum conceptus mensem in Saturni dominio, septimum in Lunæ potestate collocant, quæ viuentibus omnibus vitam atq; vires impartit; octauum rursus ad Saturni imperium redire dicunt, proindeq; septimestres ob Lunę vim salutarem vitales esse, octomestres ob infestissimas vitæ animantium Saturni qualitates minimè superstites. Dicimus igitur (vt omnes mouere machi-

machinas videamur, nihilq; intentatum relinquere, quod veritatem posſit oſtendere) ſi rationem hanc non ſolùm ad veritatis, ſed etiam ſi ad grauioris Aſtrologiæ normam reuocemus; ſtatim conſpicuum fieri, nullam habere firmitatem. Primùm enim quantum eã fecerint magnam docti viri, ſatis cuiq; cùm ex D. Thoma in Opuſculo de Fato, tùm ex Ioanne Pico tertio libro in Aſtrologiam conſtare poteſt. Scribit enim Angelicus Doctor citato loco, vt nono libro vidimus, octaui menſis infelicitatem nullatenus in Saturnum eſſe referendam, cùm multi in Aſtrologia filij Saturni eſſe dicantur, qui diù ſuperuiuunt. Ioannes verò Picus totam hanc rationem contemnens & irridens falli plurimum Aſtrologos duplici de cauſa tradit, ſi credũt, ideo natos octauo menſe non viuere, quia ſingulis vteri gerendi mẽſibus ſinguli planetæ præſint; & propterea qui primo, idem octauo menſi Saturnus dominetur, planeta frigidus & ſiccus, hoc eſt qualitatibus vitę contrarius; nimirum quia illę per manus traditæ planetarum dominandi vices rationem non habent, vt alibi ſuo loco ſe oſtenſurum promittit; quòd verò octomeſtris partus non viuat, omnino rationem aliam habeat. quo in loco quantum rurſus Picus, mea quidem ſententia, ſcopum attingit, dum rationem illam non recipit arbitrantium fœtum ſeptimo menſe conari, vt egrediatur, & in conatu lędi; qui ſi octauo exit, vtpotè nondum reſtitutus ſuæ incolumitati, viuere non ſoleat: ita & ab eo tantum aberrat, dum referens Hippocratis opinionem, inquit, cauſam hanc ipſum attuliſſe, quòd eo menſe difficilis ſit vteri geſtatio, & grauius ſe habeant prægnantes, & in matrice neſcio quę patiantur grauia, & incommoda; vt ſi pariant, duplici labore oppreſſæ, & partus, & ægritudinis, infirmiſsimæ fiant; vnde neceſſariò ipſe quoq; fœtus imbecillior factus rarò diù viuat. neq; enim primò mater eſt de Hippocratis ſententia, quæ illos patitur labores, & grauia illa; ſed fœtus primùm, vt libro octauo explicauimus, ac per illum matri ea incommoda communicantur: ac fœtus quidem eſt non ipſa parens, qui duplici labore oppreſſus, ægritudine ſcilicet, & partus mutatione, ſi octauo menſe naſcatur, periclitari ſolet. nec tandẽ pati neſcio quæ fœtum eo tempore ſcripſit Hippocrates, quaſi quid eſſet illud, quod tunc fœtus patitur, ignoraret, & ſe ſcire profiteretur, quòd neſciret; ſed manifeſtè, quæ nam eſſent illa grauia, explicauit, de qua re tota à nobis abundè eſt octauo libro diſputatum; vnde hac in re Hippocratis mentem vir doctiſsimus non attingit. Iãuerò nec Vetuſtioribus tãtùm ratio hęc Aſtrologorũ infirmiſsima viſa eſt, ſed etiã Recentioribus; Hieronymus enim Mercurialis Princeps huius memoriæ Medicorũ, vt ſuo loco vidimus (quod & antea ſcripſit Ferdinãdus Mena) cõmentitiam, & imaginariam illam appellauit, atq; poſt illum Horatius Eugenius Medicus ætate noſtra præſtantiſsimus, & de bonis artibus optimè meritus libro octauo Epiſtolarũ, & ſecundo libro de Hominis Partu multis nominibus eam conuellit, ac planè elidit; apud quem cùm inuenerim octomeſtrẽ partum poſſe aliquando vitæ ſuperſtitem euadere, eiuſq; iudicio rationes Hippocratis nihil contra hanc opinionem concludere, mirificè ſum lętatus; videns diſputationẽ hanc meam Medicum inſignem, ac virum literatiſsimum patronum eſſe habituram; de cuius quidem opinione ſatis diximus in Compendio. Cenſuit autem Eugenius, Aſtrologorum rationem hanc in Epiſtolis elidens, eo præſertim nomine falſam eſſe iudicandam, quòd Aſtrologi Saturni aſpectum cauſam faciant ſolitariam necis octomeſtrium ſine concurſu cauſarum particularium, propius alioquin acceſſuri ad veritatem, ſi Saturni tanquam cauſæ vniuerſalis actionem cum particulari cõnecterent; ita vt concederent particularem poſſe vim vniuerſalis vel obtundere, vel adiuuare: ex quibus patet ipſum à Saturno efficientiam hanc non tollere, ſed tantùm ſufficientiam.

Art. 4.
Cap. 18.
Epiſt. 2.
Cap. 11.

Eadem ratio à Saturno ducta fuſius redarguitur. Cap. 54.

DIcimus autem nos, etiam ſi Aſtrologorum gratia, vt cùm illis liberaliter agatur, admittamus, Saturnum frigidas, & ſiccas habere vires; nihilominus hoc eſſe cõmentitium, & portentum non differentium Aſtrologorum, ſed ſomniantiũ, quòd eius hoſtili influxu partus octomeſtris interimatur. Primùm enim arbitramur, rationem illam (quod vidit quoq; acutè Eugenius) in ſuo robore perſiſtere; nempè data veritate opinionis Aſtrologorum ſequi, quòd intereant omnes fœtus antè maturitatem; quin etiam quòd nullus concipiatur. aſſerunt enim ipſi primo menſe dominari Saturnum; itaq, & conceptum ad-

uersis illius viribus tunc prohiberi necessum erit; vel, si iam conceperit mulier, accidere abortum: neq; enim vlla suadet ratio, Saturnum posse suis qualitatibus octomestrem perdere fętũ auctum viribus plurimum, & magnitudine insignem, vt rectissime secundo libro de Partu doctissimus Eugenius argumentatur; valde autem imbecillum, & paruum, qualis est in sui ortus initio, ac primo mense incolumen dimittere: cùm tamen scripserit Hippocrates, primis quadraginta diebus vel leuissima occasione fœtum prę sua imbecillitate abortioni esse obnoxium. nec satisfacerēt huic rationi (vt reor) Astrologi, si dicerent, quia semen plurimum caloris habet & humoris, ideo primo mense à dominio Saturni non solùm generationem non tolli, & conceptum, verùm potius adiuuari; temperantibus quidem Saturni qualitatibus aduersis, & cohercentibus excedentes, redundantesq; seminis ac menstruorũ qualitates; in octauo autem mense Saturnum sua frigiditate & siccitate fœtum perdere posse, quia tunc imbecillis sit, & valetudinarius; ita vt non solùm ex parte Saturni, sed etiam ex parte secundarum causarum sequatur hic effectus. enimuero cùm infantilis ætas plurimo tota calore & humore abundet, vt omnibus est notum, ac Medicorum, & Philosophorum auctoritate celebratissimum; præsertimq; fœtus tales sint qui in vtero existunt; non videntur hostiles Saturni qualitates nisi posse semper excessum humoris & caloris temperare, superare nunquam, aut in fœtu vincere quantumuis imbecillo, ac valetudinario. interrogamus enim nos Astrologorum amicos, cur Saturnus fœtum in vtero existentem valde imbecillum non interimat, sed nascentem tantùm, vel iam potius ortum hostilissimis eius radijs apprehendat; nisi enim veniat octauo mense in lucem, in nullo esse fœtum vitæ discrimine, omnes consentiunt. Si enim dicant ob labores partus fœtum duplici imbecillitate afflictatum, Saturni tùm inimico influxu, tùm ægritudine propria, cùm nascitur octauo mense, interire; iam labor, quem in partu patitur fœtus, & mutatio ipsum perdet, non Saturni vlla hostilis qualitas, vel certè simul concurret. Secundo sciscitamur ex ipsis, qua de causa posit Saturnus fœtus octomestres calidissimos & humidissimos sua frigiditate & siccitate interimere, in quibus vnius tantum mensis spatio dominatur; senes verò, quorum imperium tenet per multos annos, viuere permittat; quorum frigida maxmè & sicca natura, ac imbecilla facilè posset à Saturni influxu duci ad excessum: annuum enim dominium Planetis adscribi in schola Arabum, Astrologis est receptissimum; itaq; si senes non interimit, longè minus necabit octomestres. Item ex Astrologiæ principe Ptolemęo isti PseudoAstrologi discere potuissent, Saturnum maximè quidem frigidum esse, sed non tamen siccitate excedere; Saturnus, inquit ipse primo libro, Stella est maximè frigidifica, sed ἠρέμα ξηραίνει; quod Proclus in Paraphrasi interpretatur τὸ ξηρὸν μετριώτερον, idest siccitatem moderatiorem efficit; itaq; non poterit redundantẽ, potentissimamq; fœtus octomestris vincere humiditatem, qua permanente vitam etiã ipsius permanere incolumen necesse erit. & sanè mirũ est quomodo velint Astrologi, Saturnum præesse plantis, vt in eorum schola tritum est, illarumq; ortui & incremento opitulari, quæ animalium, hominisq; præsertim respectu calorem tamen habent longè imbecilliorem & humorem; & ex consequenti iuuare potius, quàm lædere illas suis qualitatibus; fętui verò octomestri ijsdem validissimè nocere. quòd si præter omnem rationem peculiari quadam, & cæca proprietate id Saturnum efficere posse vltrò etiam concedamus Astrologis; non poterint ipsi vel inuiti non fateri, nisi impudẽter relinquere velint Pręceptorem, non tamen semper id Saturnum operari; quoniam citato nuper libro doceat Ptolemæus illustrissima sententia, Saturni vires, & reliquorum omnium Erronum exquiri etiam oportere de obseruatione configurationum, quas cum Sole & Luna faciunt; ita vt secundum illas & remittere plurimum, & intendere possint proprias vires. quod si concedãt Astrologi, iam & confestim fatebuntur, non omnes octauo mense genitos inimicis Saturni radijs apprehendi; quoniam contingere posit, vt partus tempore Saturni vires ob Solis, & Lunæ configurationem plurimum remittantur, ac redigantur ad temperiem.

Cap. 11. Cap. 4. Cap. 8.

Vera Ptolemæi opinio de causa cęlesti partus proponitur explicãda. De duplici partus principio ex eodem.

Cap. 55.

QVin etiã & si Ptolemæi placita exploremus, cuius auctoritas tanquam Principis Astrologorum nobis instar omnium

nium esse debet; videbimus generaliter de partus vita multò aliter quàm ex Saturni influxu, vel quouis alio solitario sydere esse iudicādum: octomestris verò mortē, si modò contingere aliquando debeat, nullatenus ex Saturno ortum ducere. fuit enim id merum Arabum Astrologorum figmentum, quòd Saturnus octomestres partus suo dominio interimat; qui, vt dicebat de nonnullis Veteribus Aristoteles, ad pauca respicientes de facili enunciant; vnde vehementer plerunq; errant. neq; apud Ptolemæum vestigium quidem vllum huius opinionis inuenies. quin potius cùm libro quarto de Chronochratoribus agens, & dominium planetarum per annos, ætatesq; exponens, hanc per menses in vtero dominationem non attingat; libro tertio de conceptione tractans, & gestatione, eam pariter silentio inuoluat; euidens quidem argumentum est, hanc Veterum opinionē, sicuti & plerasq; alias, tanquam rationi, ac Philosophiæ aduersam ipsum repudiasse. Certè libro tertio viam aliam monstrat ab hac longè diuersam, ex qua de vita partus ac morte coniecturam non leuem captare valeamus, quæ tantò est Arabum somnio probabilior, quantò Ptolemæus in Astrologia præstantior. Scribit diuinus hic vir, cùm humanæ generationis temporale sit aliquod exordium, duplex principium hoc accuratè considerantibus sese offerre; nam & fętus ipsius conceptusq; principium datur, ac tempus sationis; & datur etiam tēpus partus; cùm scilicet fœtus enitendo in lucem venit. qua quidem in re ne transuersum, vt aiunt, digitum ab Aristotele discedit; qui, vt libro septimo vidimus, duplicem hominis generationem hanc, duplexq; principium cognouit; alterum vocans ἀνθρώπου πρώτην γένεσιν ἐν τῷ θήλει, alterum τὴν ὕςερον γένεσιν, initio septimi Historiarum; quod sanè postremum principium in calce quarti de Animalium Ortu pulchrè τὴν θύραζε γένεσιν, idest exteriorem generationem, vt rectè Trapezuntius interpretatur, ad interioris differentiam appellauit. Exordium primum, principium generationis humanæ φύσει, id est natura vocat Ptolemæus; alterum, principium δυνάμει, idest potestate appellat, & per accidens; nempè quoniam à primo, vt mox de illius mente planum faciemus, secundum pendet; & principium primum vocat τὸ ποιητικὸν, idest efficiens, quia per id tēporis pro ratione circumfusi cœli suam qualitatem semen induit, quam ab Astrorum constitutione, & configuratione habere potest, & quam, semel ea indutum, retinet ad finem vsq;: vnde, vt acutè subdit Ptolemæus, licèt succedentibus temporibus corporatura diuersa fiat, quia tamen propriam tantùm materiam naturaliter fœtus augescendo sibi conciliat, cùm iam sit generatus (nimirum quia cor iam est productum, in quo omnis animæ residet principatus; cunctaq; proinde influentium astrorū semina in eo sicut primò imprimuntur, ita & seruantur, suisq;, ac pręfinitis temporibus in dies erumpunt) magis imitatur primum illum statum suum, & peculiarem prius impressam qualitatem; quo fit, vt nunquam oriri posſit (addamus nos) vitalis infans, nisi in familiari cœli ac simili cum principio primo configuratione. Vnde Ptolemæus. κᾂν μηδὲν αὐτῷ δοκῇ τὸ κατὰ τὴν ἔκτεξιν περιέχον εἰς τὸ τοιόνδε εἶναι συμβαλλεσθαι, αὐτῷ γοῦν τὸ κατὰ τὸν οἰκεῖον τοῦ περιέχοντος σχηματισμὸν εἰς φῶς ἐλθεῖν συμβαλλεται, .i. vt ego interpretor verbū è verbo exprimens. Etsi enim nil ipsi fœtui videatur ambiens in partu nouæ qualitatis conferre; certè illi confert, quòd in simili & familiari ambientis configuratione in lucem venit. cuius rei causam talem recenset Ptolemæus ita subdens; grecā enim seriem in tàm difficili & abstrusa re libenter appono. τῆς φύσεως μετὰ τὴν τελείωσιν, πρὸς τὸ ὁμοιότυπον κατάςημα τῷ καταρχὰς διαμορφώσαντι, μερικῶς τὴν ὁρμὴν τῆς ἐξόδου ποιουμένης. idest. Natura, postquam fœtus maturus ac perfectus fuerit, in simili situ & constitutione, quam habuit constitutio, quæ à principio conformauit, peculiater impetum exeundi tribuente. Vnde meritò, vt idem subdit, Astrorum partus tempore positus, & configuratio earundem rerum censetur esse significatrix; non quidem, quemadmodum diuinè idem docet, ὡς ποιητικὸν, idest vt efficiens omnino; sed tanquam habens ἐξ ἀνάγκης καὶ κατὰ φύσιν ὁμοιότατον τῇ δυνάμει τὸ ποιητικὸν .i. quia configurationem illam, quæ satus tempore viguit, & conceptum conformauit, & quam ipsum efficiens vocat Ptolemæus, necessariò & naturaliter potestate contineat; potestate inquam, quoniam omne illud potest significare, ac vim habet significandi, quod prior illa significabat, ob consensionem, quam cum ipsa habet.

Cap. II.

Cap. I.

Cap. I.

Ptolemæi mens vberius aperitur. Cardani reijcitur interpretatio quædam. Obiter quid vox σπορὰ significet apud Ptolemæum.

Cap. 56.

VErùm hîc habemus primùm, quâ ratione principium hoc secundum à priori pendeat; est enim principium primum τὸ ποιητικὸν, idest efficiens; nam constitutio illa cœli est, quæ imprimit qualitates: secunda enim eas tantùm sua similitudine representat; itaq; & ab illa priori pendet. Secundò habemus, naturam nunquam ante fœtus perfectionem, & maturitatem exitum tentare; quod Ptolemæus clarè expressit verbis illis. μετὰ τὴν τελείωσιν. idest. post perfectionem ac maturitatem. Etsi enim ante maturitatis tempus similis configuratio cœli cum priori illa eueniat, non tamen naturaliter exire poterit in lucem infans, quia nondum sit maturus. atq; hinc quàm egregiè philosophatus hac in re sit Ptolemæus, & quàm firmis naturalis Philosophię fundamentis nitatur sua disputatio, facilè quisq; percipere potest. prima enim & vera causa temporis partus est maturitas ipsa, quemadmodum nos tertio libro, & supra de magni Hippocratis, & Aristotelis mente docebamus; maturitas verò ipsa non solùm pendet à cęlo, sed à propria speciei natura, & temperatione. diuersę enim animantium species longè magis à naturis proprijs, quàm à cœli positu habent, vt varium maturitatis, & nascendi tempus nanciscantur. vnde cęli configuratio, nisi fœtus maturitas antecedat, parum plerunq; poterit, quantumuis efficax, & similis priori contingat: quod in hoc eodem libro ex Gorręo etiam supra monebamus, præter legitimum tempus ac mutationem Solis, fœtus etiam robur ac maturitatem requirente ad partum. dixi plerunq;, quoniam interdum alijs etiam particularibus causis cōcurrentibus, aut saltem non reluctantibus poterit similitudo magna ante tempus exitum fœtui causari; quæ res non exigua fortasse causa esse potest abortiendi, à nullo tamen, quòd viderim, ante nos ad hanc vsq; diem considerata, vel ex monimentis Astrologicis eruta. Tertiò habemus, tempus partus esse naturaliter post maturitatem quando hæc intercesserit inter vtrasq; configurationes consensio; natura enim emittit fœtum, illiq; impetum tribuit exeundi, vt pulchè inquit Ptolemæus, in ea constitutione cœli, quæ simillima est constitutioni generationis; quam consensionem acutissimè D. Thomas in Opusculo de Fato circuli adæquationem videtur appellare. quamobrem Cardani opinio super hunc Ptolomæi locum ab eo explicata non parum difficultatis videtur habere; arbitratur enim ipse, tempus partus esse, de quo hoc loco sermonem habet Ptolemæus, cùm fœtus conuertit caput, non cùm prodit in lucē; vnde configurationis similitudinem cum generatione dicit iuxta id tempus esse sumendam; ita enim scribit. Quòd si vel iam dies partus sit constituta; idest quando fętus conuertitur cum capite inferius (illud enim est tempus propriè, quod cum generationis tempore concordat; & non natiuitas) vnde multi Astrologi decepti sunt quærentes nodum in scirpo, dum quærunt concordiam natiuitatis cum generatione. Ptolemęus nāq; videtur potius de exitu infantis ex vtero intelligere, cùm tempus id ἐκτροπὴν κατὰ τὴν ἀποκύησιν, ἐκτεξὴν, & ἐξόδον vocet; quæ verba fœtus omnino egressionem ex vtero significant, & partum ipsum. & mox clarius tunc fœtum εἰς φῶς ἐλθεῖν dicat, quod est, in lucem hanc prodire. quod tamen, cùm caput conuertit, dici non potest habere veritatem: quam sanè motionem Hippocrates libello de Septimestri Partu, Aristoteles septimo de Historia Animalium στρέφειν, & στρέφεσθαι vocauerunt. Præterquàmquòd, cùm dicat Ptolemæus, multa in hoc principio ac tempore infanti accrescere, quæ prius, cùm in vterò materno esset, illi non aderant, atq; ea quidem naturæ humanæ peculiaria: Cardanus verò in Commentarijs, quæ nam ea sint declarans, esse dicat respirationem cerebri per nares & palatum; respirationē per pulmones & asperam arteriam, & os; item assumptionem nutrimenti per os, ac alia huius generis multa; luce meridiana clarius est, secundi temporis, ac principij nomine capitis conuersionem intelligi nō posse, quia tunc fœtus nullius horum fit particeps. Illud potius Cardano & quærendum erat, & explicandum, tanquam magis in obscuro delitescens, an prioris principij nomine, ac temporis intelligat Ptolemæus, tempus ipsum sationis; cùm scilicet mas eiaculatur in vterum semen; an verò potius tempus, in quo mulier concipit. declaratum enim iam pridem est libro septimo, semen in vtero pluribus etiā diebus naturaliter manere posse, quin & debere, antequam mulier concipiat. ego quidem de conceptionis tempore disputationem

Art. 4. Com. 3.

Cap. 4.

nem Ptolemæi intelligendam esse arbitror, in qua plerunq; ob insigne, ꝙ à satu intercedere potest, temporis interuallũ, cęli cõfiguratio lõgè alia ab ea, quę viget tẽpore emissionis seminis in matricem, esse potest; quę causa erroris fuit illius, & varietatis Astrologorũ, cuius Cardan⁹ facit mẽtionẽ. posseq; id aliquãdo tempus mulieribus, sed tamen expertis tantùm esse compertum, libello de Genitura, & de Principijs memoriæ tradidit Hippocrates: vt iusta de causa hoc ipsum tempus vt plurimum latere dicat hoc loco Ptolemęus. Scribit enim sic manifestè, cùm dixisset huiusmodi tempus ignorari, ὅπερ ὡς ἐπίπαν συμβαίνει. legit Ioannes Picus libro nono in Astrologiam, locum hunc expendens ὡς ἐπίπλεον, quod tamen in idem redit; ac sententia est, vt plurimum, dixeris ferè semper & in totum secundum aduerbij ἐπίπαν significationem, tempus id τῆς σπόρας, idest, vt nos interpretamur, conceptionis latere. si enim tempus satus, atq;, vt loquuntur Barbari Astrologi, tempus casus seminis in matricẽ intelligeret; cur ferè semper latere tanquã cognitu difficillimum scriberet? cùm nil videatur esse facilius viro, quàm tempus notare posse, ac momentum, si voluerit, in quo cum muliere coniungitur.

Cap. 4.

Clarius quid hoc loco σπορὰ Ptolemæo. Vulgarium Astrologorum de tempore conceptionis inueniendo confutatur opinio. Mens Ptolemæi vera declaratur, Proclus, Picus, Cardanus, Ptolemæiq; Interpres reijciuntur.

Cap. 57.

POrrò autem nec obstat quòd τῆς σπόρας, idest sationis tempus hoc appellet Ptolemæus, quasi tempus cùm genitura in vterũ spargitur, non secus ac cùm semen terræ mandatur, non tempus, in quo semen iam pullulat, intellexerit; & in quo factam esse conceptionem, formationemq; incipere nos dicimus; quandoquidem primùm σπορὰ Græcis non solùm sationem, sed fœtum interdum, & conceptionem significat; deinde Ptolemæus, si quis accuratè consideret, non tàm loquitur de tempore τῆς σπόρας, idest satus, quàm de tempore τῆς ἀρχῆς κατὰ τὴν σπορὰν, idest de tẽpore principij generationis hominis, quod per sationem habetur, quemadmodum pulchrè ipse dixit primis verbis; licèt postea in orationis cursu tẽpus id sationis tẽpus generaliter appellet. atqui tempus principij generationis hominis, quod per sationem habetur, nullum esse aliud quàm, cùm conceptione facta quasi pullulans semen ac germinans, quasiq; radicem emittens articulari incipit, & formari, corq; actu erumpit, nemo est qui non videat; vt meritò vir acutissimus ad hoc animum intendens cœli configurationem huius principij tempore existentem, τὸ κατάστημα καταρχὰς διαμορφῶσαν, appellauerit, dixeris cęli constitutionem, quæ à principio semen, ac materiam format, & in qua semen articulatur; quæ certè verba perspicuè monstrant, de nullo alio quàm de conceptionis tempore, eius sententiam posse intelligi. cùm nisi conceptio facta sit, & articulatio, ac formatio inceperit; nullo modo cęli cõstitutio à principio formans dici possit. quod quidem tempus vt plurimum ignotum esse inquit Ptolemæus; quare septimo ac nono libro rectissimè à nobis dictũ est, tametsi conceptioni tempus definitum, ac periodum natura dederit; quia tamen ob plures causas alterari naturæ hic ordo possit, ipsius etiam conceptionis diem non solùm horam vel ipso quoq; legum decreto esse incertam. Sed dum hoc dico, dum conceptionis tempus, horamq; cum ipso Ptolemæo hoc loco ignorari statuo, video permultos fore, qui mihi obijciant decreta Astrologorum, qui per Hermetis, vt appellant, Trutinam, horam conceptionis docent inueniri; adijcientes quod magis est, ex Enunciato quadragesimoprimo Cẽtiloquij id ipsum, & Ptolemæum voluisse. At certè postquam cum talibus, qui veram adulterant Astrologiam nobis in præsentia est certamen, facere non possumus, quin liberè dicamus, huiusmodi esse Pseudastrologorum inuentum, ac somnium, nullo modo, vt hic locus apertissimè docet, à Ptolemæo receptum; cuius auctoritate facilè Centiloquium tanquam spurium, & in quo pleraq; leuia, omnino ijs, quæ quatuor his docentur libris, contraria contineantur, reijcere possumus; è quorum numero hoc vnum esse planè constat. si enim Centiloquium fructus est ex his libris excerptus, vt *prima illius libelli verba* profitentur; quo pacto de conceptionis hora inuenienda docere ex ipsis potest, in quibus hanc ipsam latere horam perspicuè, vt vidimus, est definitum? Prætereo, viam ac rationem, quam in hac Trutina monstrant, ab ipsa naturali via, ac ratione longissimè aberrare. supponunt enim, cùm semen cadit in matricem, statim fieri conceptio-

ceptionem; quòd falsum esse & experimẽto, & Hippocratis, Aristotelisq; auctoritate septimus liber demonstrauit. Item supponunt, triplicem tantùm fœtus in vtero esse moram, maiorem dierum 288. mediam dierum 273. minorem dierum 258. At longè diutius in vtero fętũ cõmorari posse, longè ocyus posse nasci, satis tertius liber, ac septimus Hippocrate duce & Aristotele docuerunt; quare & septimestres omnes, & octomestres, & noni initio, & senescente, expletoq; decimo nascentes (quod & ipsi coacti fatentur Astrologi) omnino excluduntur, vtpotè quorum ex hac regula conceptionis hora non queat inueniri; quod quidem huiusmodi inuentum merum esse delirium ac figmentum apertè indicat; cur enim, si verum esset, non etiam alijs partubus commune esset? vt propterea rectissimè à Ioanne Pico & libro septimo, & libro nono de Ptolemæi sententia (quantumuis Lucio Bellantio reclamante nono libro contra illum) reiectũ putem. nimirum quia, vt idem Ptolemæus hoc loco inquit, satus, idest conceptionis tempus vtplurimum lateat, & non nisi diligentissima obseruatione, vt idem indicat, comprehendi queat; quod sanè tempus rectissimè diuinus Vir, atq; elegantissimè hoc loco appellat σπέρματος ἀνθρωπίνην γένεσιν, vt vulgati habent Codices, idest humanam seminis generationem, non vt interpretati sunt Ioachimus & Cardanus, atq; ante illos Ioannes Picus libro septimo aduersus Astrologos, seminis humani ortũ & generationem qui simul cum Proclo legisse videntur σπέρματος ἀνθρωπίνου. quæ lectio ea de causa mihi non probatur, quia multò antea semen in parente ipso, & mare ortum erat; vt potius, quia generatio vnius corruptio alterius est, debeat seminis humani corruptio hæc vocitari, ac interitus, non ortus, vel generatio, cùm semen corrumpatur, ac esse desinat. pulchrè autem humana generatio seminis vocari debet (qui sanè loquendi modus sententiam nostram, quòd de conceptione verba intelligenda sint, mirificè comprobat) idest hominis, & corporis humani ex semine ortus, & conformatio; quia ex ipso semine oritur homo, & mutatur in hominem semen, & formatur. quod quidem Aristoteles initio septimi Historiarum, vt supra vidimus, primam hominis generationem in fęmina vocauit; posteriorem appellans generationem, cùm ex vtero in lucem fœtus prodit, quam simpliciter hominis generationem hoc loco vocat Ptolemæus: vt rectissimè supra à nobis dictum sit, magnam hac in re esse inter Aristotelem, ac Ptolemæum consensionem. Quòd verò penes tempus conceptionis non penes casum seminis in matrice, vt cum Barbaris loquamur, sit configurationum cœli consensio attendenda, perbellè D. Thomas in Opusculo de Fato ad finem docet; ostendens cum centro cordis, vt ipse loquitur, à quo incipit conceptus formatio, cœli constitutionem consentire; ita vt conceptionis tempore, & cùm iam actu cor excernitur, quod primò in generatione de Aristotelis, & Peripateticorum sententia conformatur, cœlum suas imprimat secundum mentẽ D. Thomæ qualitates; nam & conceptionem tunc verè fieri, cùm actu cor excernitur, nos quoq; libro septimo demonstrauimus.

Cap. 3.
Cap. 4.

Art. 4.

Quæ, & quotuplex consensio, & familiaritas inter configurationes conceptionis, & partus ex Ptolemæi mente intercedere debet.

Cap. 58.

SEd, vt redeamus ad rem, hoc etiam alterum, quod quarto loco notare possumus, habemus ex superius allatis Ptolemęi verbis; vt nascatur fœtus (intellige) vitalis, consensionem hanc & necessariò, & naturaliter concurrere; siquidem dicit Ptolemæus ἐξ ἀναγκῆς, καὶ κατὰ φύσιν. ex quibus omnibus concludi poterit de Ptolemæi mente, si octauo mense consensio hæc non desit & familiaritas, frustra laborare Barbaros Astrologos, vt Saturni inimico influxu perimi partum octomestrem ostendant: si dissensio locum habuerit, ab hac tanquam à causa potentissima hunc partũ habere posse, vt intereat. Verùm enimuerò nisi planum fiat quo modo, & in quibus familiaritas hæc harum configurationum sit accipienda, non poterit Ptolemæi sententia plenè intelligi; hoc enim exposito, alterum etiam illud erit manifestũ, an partus octomestris huius consensionis ratione de ipsius mente possit edi vitalis. Dicamus igitur, cùm voce vtatur hoc loco consueta Ptolemæus; nempè οἰκιώσει, dum loquitur de hac familiaritate & similitudine; siquidem vocat similitudinem hanc οἰκεῖον σχηματισμὸν. & mox ὁμοιότυπον κατάστημα; quia οἰκείωσις, idest familiaritas hæc duplex sit apud ipsum, vt ego ex libro primo colligo, cõueniens scilicet, & inconueniens; dubitationem quidem non leuem primò oriri, an de familiaritate generaliter sint

Cap. 12. & 14.

ter sint

ter sint verba Ptolemæi intelligenda, ita vt tàm conueniens, quàm inconueniens in hisce constitutionibus attendenda sit; an conueniens tantùm. sed prius quid sit familiaritas hæc declarandum videtur. Est igitur familiaritas in Signis quidem generaliter aspectus ipsi; nempè oppositio, trinus, quadratus radius, & sextilis; quibus etiam in præsentia coniunctionem adijciā: item imperantia & obedientia Signa, ac intuentia se, & potentiā habentia eandē, dicuntur inter se familiaritatē exercere; atq; horum, quæ trigono & sextili se aspiciunt, dicuntur conuenienti familiaritate esse cōiuncta; quæ verò tetragono, & oppositione, inconuenienti. quæ autem Signa nullam habent enumeratarum societatum rationem, dicuntur à Ptolemæo ἀσυνδετα, & ἀπηλλοτριωμένα, idest inconiuncta, atq; aliena. atq; inconiunctio, vt ita loquar, opponitur familiaritati generaliter sūptæ. Verùm nec in Signis tantùm, sed in Planetis quoq; Signiferi respectu familiaritas hæc obseruatur; atq;, vt declaratur à Ptolemæo, accipitur penes domos, triangula, altitudines, & fines. Rursus & in ipsis Cęli domibus consideranda est, vt tertio libro in disputatione de locis Apheticis patet. nam horoscopo dicitur esse familiaris domus vndecima, quę dexteris hexagonis radijs illum aspicit; & decima, quæ tetragonis; & nona, quæ trigonis; & demū septima, quæ oppositis eundem intuetur. Porrò autem modis expositis familiaritatis, superest declarandum, in quibus familiaritas hæc in partus negocio sit attendenda. quod totum, vt breuiter explicē, dico familiaritatem hanc, quia de vita & morte agitur, penes loca Aphetica, & ipsos Aphetas, idest vitæ moderandæ principes, & præcipua genituræ loca esse considerandam. Apheticos autem locos Ptolemæus domos illas quinq; enarratas dicit esse; ipsos autem Aphetas, idest vitæ moderatores vel Solem, vel Lunam, vel Horoscopum, vel Fortunæ partem, vel horum gubernatores; atq; hæc quidem omnia satis erit nostro proposito indicasse, breuiterq; attigisse; candidioris enim Astrologiæ professoribus scribimus, ac in Ptolemæi scriptis plurimum versatis; non ijs, qui Auctorem hunc nec etiam è limine salutarunt. Postremò familiaritatem hanc κατὰ τὴν αἵρεσιν, idest secundum conditionem, vt loquitur Ptolemæus, attendendam esse, adeò vt in diurna cōceptione ac genitura primas Soli tribuere debeamus, & Signis, ac Planetis

Cap. 16.

Cap. 11

Cap. 11.

eiusdem conditionis; in noturna, Lunæ satis ex eodem libro colligitur. His positis, dico primò, similitudinem constitutionum Cęli inter duo hæc tempora ortus videlicet infantis & cōceptionis, debere secundū familiaritatē generaliter sumptam considerari; ita vt inconueniens etiā familiaritas satis esse videatur, ad hoc vt vitalis edatur infans. atq; id totum tùm Ptolemæi verba mihi persuadent, quæ simpliciter & absolutè οἰκείωσιν, idest familiaritatem videntur requirere, quasi dixerit, & familiaritatem omnem tàm conuenietē, quàm inconuenientem; tùm ipsamet docet experientia; cùm partus septimo mense expleto editi Solem vitę fontem, ac parentem habeant ortus tempore in loco opposito, & sic in familiaritate inconuenienti, vt infra clarius explicabimus; & nihilominus vitales sint, ac superstites, & iudicentur. atq; familiaritatem hanc in plurimis obseruasse Ptolemæum, longius probarem, nisi ab instituta disputatione nimium aberrarem. Secundò dico, familiaritatem conuenientem, si in vtrisq; his constitutionibus locum habeat, ad partus vitales edendos maximè conferre. Tertiò dico, si inconiunctæ fuerint ambæ constitutiones, nullū fœtum, quantum est ex parte Cęli, & meritò sui vitalem posse in lucem prodire. Quartò dico, pręter hæc omnia configurationes illas esse contēplādas, de quibus libro tertio agit Ptolemæus, & quarum causa partus vel mortuus oritur, vel breui interiturus. enimuerò etiam si non desit conueniens familiaritas, si tamen partus tempore vna illarum configurationum in constitutione locum habeat, poterit partui interitū afferre: ita vt non solùm vnius anni spatio vita potiri nequeat infans, sed, vt Ptolemæus ait, discrimen vitæ ad menses, dies, & horas redigatur. quo loco vides egregium virum periodos omnes, quibus rei alicuius duratio mensurari solet, enumerasse; atq; horas quoq; in periodorum numerum asciuisse. si enim Luminaria, Sol inquam, & Luna, quorum aspectu spiritus & vita ingeneratur animātibus, ac tēperatur, vt ad finem quarti de Animal. Ortu docet Aristoteles, ex quò & tritum est dictum illud, ac vulgatissimū, Solē & hominē hominē generare; si, inquam, lumina ipsa partus tempore in angulis maleficarū cōgressu, vel oppositione partili obsessa inueniātur; vel si aliæ similes eueniant tunc configurationes, quæ loco illo narrantur à Ptolemæo; iusta de causa vis cœlestis & qualitas illa

Cap. 2.

tas illa salutaris à luminibus manans, quæ viuentibus omnibus vitam impartit, hostilibus radijs maleficarum prępedita,& penè constricta, vel nullam poterit, vel imbecillam fœtui vitam communicare. vnde plerunq; eueniet, septimestres, octomestres, vel nonomestres (qui ex parte cõsensionis cõstitutionum alioqui vitales prodirent) hostilissimis illarum configurationum radijs apprehensos intermori; quod tamen, si octomestri contingat, statim vulgares homines in mensis id referunt infelicitatem. Quinetiam & hoc alterum addo, si configurationes illæ, quæ nutritionem impediunt, in prima constitutione reperiantur, conceptionis videlicet tempore; posse quidem ipsas conceptionem prohibere, quod à nullo video animaduersum. enimuerò si partus tempore iam genitum ac perfectum fœtum possunt interimere, facilius ne cõcipiatur, vel cõformetur efficere poterint; cùm semen & conceptus primis conceptionis temporibus, vt toties ex Hippocrate monuimus, sit valde imbecillus, & omnibus periculis obnoxius.

Cardani verba de familiaritate cœlestium corporum inter constitutiones temporum partus, & cõceptionis afferuntur. Cap. 59.

VErùm his ita explicatis reliquũ est modò, vt videamus, quæ nam familiaritas inter constitutiones temporum partus, & conceptionis cùm septimestris, tùm octomestris, tùm aliorum intercedat. qua de re Cardanum in tertium Ptolemæi librum differentem audire oportet. Dicit deinde (inquit Cardanus) quia aliquis posset dubitare, quomodo natiuitas possit significare super corpus, cùm non sit causa illius (quippè iam iam perfectum est) quòd natiuitas est similis generationi; quia natura emittit fętum in ea constitutione cœli, quę simillima est constitutioni generationis. Porrò quę similitudo sit hęc, Ptolemæus nõ dixit. Haly dixit, quòd prima similitudo est, quia Sol est in septimo Signo, vel in nono, vel in decimo, vel in vndecimo, in tempore natiuitatis, ab eo, in quo erat tempore generationis. veluti si in generatione fuit in Aquario Sol, nascetur necessariò infans, si viuere debet, postquàm Sol fuerit in Leone, vel Libra, vel Scorpione, vel Sagittario: & quia Leonem Aquarius respicit de opposito, ideo natus septimestris cum difficultate viuere potest; viuit tamen. Si verò post Sol sit in Scorpione, erit in quadrato sui loci prioris, & ita natus decimo mense etiam poterit viuere, sed aliqua cum difficultate. Si verò Sol sit post in Sagittario, respiciet locũ de sextili, & nascetur vndecimo mense ideo poterit viuere, sed cum difficultate, quia radius sextilis est debilis. Verùm si nascatur Sole Libram inspirante, nascetur validus quòad rationem signorũ, & nascetur in nono mense, quia Libra respicit Aquarium trigono radio. Si verò nascatur dũ Sol est in Virgine, nascetur octauo mense. cùm igitur Virgo non respiciat Aquarium, non poterit natus eo mense viuere. Contingit tamen aliquos viuere natos in octauo mense, quando Sol fuerit à principio in Piscibus, vel Virgine, vel Geminis, vel Sagittario hora generationis; deinde tẽpore natiuitatis sit in octauo signo, quod respicit, aut imperat, vel obedit iuxta numerum graduum. Exemplum, aliquis nascitur cùm Sol est in vigesima parte Libræ; dico quòd oportuit, si generatus fuit dum Sol erat in Piscibus, quòd esset in vndecima parte Pisciũ: quia vndecima pars Piscium intuetur vigesimam Libræ. Breuiter igitur concludendo, in aspicientibus signis intelligitur, quòd transierit Sol talem aspectum, & durat per vnum mensem post. Exemplum, si Sol sit in vigesima parte Capricorni, septimus mensis incipit dum Sol est in vigesima parte Cancri, & durat donec Sol peruenerit ad vigesimam partem Leonis; à vigesima parte Leonis vsq; ad vigesimam Virginis est octauus mẽsis, in quo non potest nasci quòd viuat, quia nullus est aspectus, qui præcesserit per triginta gradus, nisi contingat, quòd duo illi gradus se intueantur, quemadmodũ in exẽplo iam dato. Cùm verò Sol fuerit in vigesima parte Virginis, incipiet nonus mensis, quia iam peruenit ad trigonum suum, & durat vsq; quò Sol perueniat ad vigesimam partẽ Libræ: tunc verò peruenit ad quadratum suum, & ita incipit decimus mensis: & eodẽ modo de vndecimo, qui finitur cùm Sol est in vigesima parte Sagittarij. Et quia vigesima pars Sagittarij nõ aspicit vigesimã Capricorni, non poterit nasci infans duodecimo mense, vt viuat, nisi in vna sola die, quando Sol esset in Signo, & gradu aspiciẽte; veluti hora genituræ in vndecimo gradu Capricorni, hora natiuitatis in vigesimo Sagittarij. Viuacissimi igitur secundũ hanc rationem sunt nati nono mense, inde decimo, inde vndecimo, inde septimo, minimè nati octauo, & etiã lõgè minus duodecimo. quæ ratio Astronomica cùm concordet

Cap. 1. Com. 3.

» cordet experimento, manifestum est, quòd
» est vera. Secunda concordia est à Luna, &
» est Hermetis, vt etiam recitat Haly hîc in
» Cõmento; ex qua patet, quòd etiã iudicio
» Haly Cẽtiloquium sit Hermetis, & nõ Pto-
» lemæi; etsi postmodum illud exponendo
» Haly mutauerit sententiã. Dicit ergo Her-
» mes, Luna tẽpore natiuitatis est in Signo,
» quod ascendebat tempore generationis; &
» ascendens tempore natiuitatis, est idem Si-
» gnum, vel eius oppositum, in quo Luna e-
» rat tẽpore generationis. Dixit Haly se hoc
» frequentius expertum esse, verùm licẽt nõ
» semper. Sed animaduerte quòd aliter Haly
» interpretatur verba Hermetis, quia habuit
» falsam conuersionem. Tertia concordia est
» nostra, & est quòd sufficit post Solis con-
» cordiam, vt Luna, vel aliquis alius planeta
» dominus coniunctionis, vel oppositionis
» præcedẽtis generationem perficiat circui-
» tum, vel commutetur cum altero luminari-
» um, vel per directionem perueniat ad locũ
» luminaris, vel, quod frequenter contingit,
» quòd Mars perueniat ad locum oppositũ,
» in quo erat genitura, quia Mars propriè si-
» gnificet partum, quia partus fit cum maxi-
» mo dolore & acerbissimo, & multa effusio-
» ne sanguinis, & periculo mortis matris,
» quę omnia sunt opera Martis. Et tales par-
» tus plerunq; sunt laboriosi, sicut quando
» ego natus fui. Hæc Cardanus; cuius dispu-
tationem totam in mediũ duximus profe-
rendam, cùm de re agatur difficillima, & in
qua cùm non omnino cũ eo consentiamus,
necesse nobis sit sigillatim ipsius dicta exa-
minare. Sed prius ex quibus cœlestis con-
stitutionis locis familiaritas hęc nostra sẽ-
tentia petenda sit, & quo modo, planius
rursus aperiamus.

Rursus ex quibus locis familiaritas, & consensio inter Cęli configurationes accipiatur ad partum excludendum. Cur partus septimestris die 182. vitalis egrediatur. Cardani nonnulla examinantur. Cap. 60.

Dicimus igitur nos cõsensionem primã penes αἵρεσιν, idest condicionem, vt Ptolemęi more loquamur, esse accipiendã; vt scilicet si conceptio interdiù fuit, partus quoq; interdiù contingat; secundã à Sole, si diurna fuerit genitura, esse petendã; tertiam à Luna; quartam à planeta illo, qui plura obtinet ad dominandum suffragia & Solis loco, & proximè elapsę coniunctioni, & horoscopo; quintam ab horoscopo ipso. Quòd si nocturna fuerit conceptio, prima consensio erit, vt noctu quoq; partus edatur; secunda à Luna; tertia à Sole; quarta à loci Lunę, pręcedentis oppositionis, ac partis fortunæ domino; quinta, si coniunctio Luminarium præcesserit, ab horoscopo, si oppositio, à fortunæ parte requirenda: atq; ex his causa enitescit, cur partus aliqui noctu, aliqui verò interdiù contingant; cẽsendum nanq; est, in eiusmodi talibus conceptionis tempori partus tempus respondere. Hæc autem omnia loca partus tempore secundũ iam expositos familiaritatis modos cum constitutione, quę conceptionis tempore vigebat, consentire oportere, vt partus vitalis prodeat, adeò vt illorum modorum aliquis pro cœlestis periodi & maturitatis termini ratione locum habeat, siue partus sit septimestris, siue octomestris, siue nonomestris, siue decimestris, satis ex superioribus elucet; vt hæc res longiorem in pręsentia nõ requirat orationẽ; præsertim cùm in expẽdendis Cardani dictis plura de hoc argumento nobis sint dicẽda; quare ad ipsius Cardani dogmata exquirenda sermonem conuertamus. Itaq; dicimus primùm, quod pertinet ad Solis consensionem; cautè admodum accipiendum esse, quod Cardanus inquit, cùm septimestris editur partus, Solem oppositum Signum peragrare; nam, vt ab eius exemplo non discedamus, si Sol in conceptione fuerit in Aquarij prima parte, quod ætate nostra circiter diem 20. & 21. Ianuarij euenit; oppositum locum, scilicet partem primam Leonis die 24. & 25. Iulij lustrabit; igitur & per id temporis fętus, si natura septimestris est, exibit in lucem. atqui à die 20. Ianuarij ad 24. Iulij numerant dies ferè 185. itaq; de septimo mense incipiente nõ confecto, & expleto consensio hęc intelligenda erit. Hinc verò elucet, qua ratione dixerit Hippocrates Astrologicorum dogmatum scientissimus, & qui Astrologiam verã Medico necessariam esse voluit, & scripsit, partum septimestrem dimidio anno vitalẽ edi; qua ratione Vulpianus Iurisconsultus prodiderit, centũ & octoginta duobus diebus exactis in lucem emissum ad legittimã hæreditatem esse admittendum; quoniã enim per id temporis Sol locũ signiferi familiarẽ constitutioni cõceptionis ingreditur, partusq; iam suam potuit adipisci maturitatẽ, vitalis fœtus emittetur. dixi partum suam iam maturitatem nancisci potuisse; quoniam, quòd hic sit septimestris, octomestris ille, vel nonomestris, non habet fœtus ab Astris, sed à proprio seminis ac menstrui

temperamento, atq; à virtutis formatricis & agentis, materiæq; & patientis proportione. quod cùm Ptolemæum optimũ Philosophum nõ latuisset, idcircò scripsit, maturitatem hanc necessario vnà cum constitutionum familiaritate cõcurrere oportere. Præterea ex his alterum hoc elicitur, fętus septimestris, quantum est meritò Cęli, tempus opportunũ, vt in hanc lucẽ exeat, initiũ esse potius mensis septimi quàm finem; ac ratio quidem in promptu est, quia in mensis principio Sol partiliter reperitur in loco signiferi simili, & familiari; senescente verò mense vel nullo modo illum aspicit, vel omnino platicè, iam ad loca proficiscens incõiuncta; vnde partui minus opitulatur: quanquam & ob causam, quã infra dicã, septimestris maior, qui diebus 210 in lucem venit, maximè vitalis partus censeri debeat. quam sanè difficultatẽ cùm videret Cardanus; accepit aspectũ hunc sicuti & alios per mensem durare; cuius tamẽ dicti ratio illi aliqua erat adducenda. Hinc verò perspicuum est, quòd cœlestẽ etiam causam considerans non solùm naturalem à periodo pari, & impari ductam, dixit sexto Epidemicô diuinus Hippocrates. Labores tertio, quinto, septimo, nono mense; itẽ secundo, quarto, sexto, octauo. hæc nanq; omnia in Solarẽ cõsensionem referri possunt. labores enim incumbunt tertio mẽse fętui, quia Sol ad exagonum, & tetragonum Signiferi locum vadit; vnde si causæ particulares, quæ abortum possunt inducere, adfuerint, facilius eijcietur fœtus Cęlo consentiente, cuius cõstitutio stimulat naturam ad fętum emittendum. quinto mense saltem ineũte ad trigonum, septimò ad oppositum, vt vidimus, nono rursus ad trigonum; quibus vltimis temporibus fœtui labores partus incũbunt, prout fuerit natura septimestris, vel nonomestris. Item secundo mẽse finiente vadit Sol ad hexagonum, quarto ineunte ad tetragonum, senescente ad trigonũ, sexto finiente ad oppositum, item senescente octauo ad trigonũ: vt hinc facilè pateat Cęlestẽ consensionem tùm periodo pari fauere, tùm impari.

Adhuc alia Cardani quædã expenduntur. Cap. 61.

PORrò autem dicimus rursus, & animaduersione egere & declaratione, quod Cardanus profert in medium de consensione Solis in partu decimestri (de alijs enim infra commodius agemus) quem oriri statuit Sole ad Scorpionem deiecto, & in tetragono sui loci prioris; ideoq; viuere hũc quidem partum posse scribit, sed tamen aliqua cũ difficultate. hoc enim videtur Hippocratis & Aristotelis auctoritati plurimũ aduersari, qui miro consensu prodiderunt, decimestre tempus inter cætera esse humano partui magis familiare, sępissimèq; hos partus edi, & maximè esse vitales. augeturq; difficultas, quoniã Sol partiliter ad quadratum proficiscitur prioris loci non decimo mense exacto, sed ineunte; quo tempore, quia exactè viget aspectus, ipsiusq; proinde potestas; difficilius partus, si Cardani ratio vera esset, nasci deberet; diebus enim 280. præteritis, qui sunt à die 20. Ianuarij vsq; ad 27. octobris, reperitur Sol in Scorpionis initio, diesq; 280. cõplent quadragenarios septem, & exactos menses tricenarios nouem continent cum diebus decem decimi: quod tempus constituere decimestrem partum, ac familiarissimum esse homini, & perfectissimum non semel Hippocrates affirmauit: vt mirum sit, ac longè à veritate alienum, quod hoc loco affirmat Cardanus, difficulter posse decimo mense genitum esse superstitem, præsertim si de initio decimi verba intelligamus. Dicendum igitur hac in re Cardanum nequaquã scopum attigisse; quod vt clarius demonstremus, ex verbis superioribus Ptolemæi veritas hæc & ad memoriam reuocanda, & tanquam vero summè consentanea firmiter sancienda est; videlicet Cœlum, & Cœlestia corpora operari quidẽ in hæc inferiora, ac multùm posse, si causa particularis naturalis consentiat, si verò hæc dissentiat & reluctetur, parum posse, aut nihil. Veritatẽ hanc, ne aliunde testimonia mendicemus, satis clarè illud comprobat, quod superius de mente Ptolemęi dicebamus, perfectionẽ fętus & maturitatem anteire oportere Cęlestem similem configurationem, vel certè simul tempore locum habere; & nisi hęc adsit, quantacunq; sit cœli consensio, partũ nullo modo excludi posse, vel certè non vitalem; si adsit, vel minimam sufficere consensionem; quam si dicamus maturitatem ipsam suo aduentu iuuare, non repugno. siquidem affirmans Ptolemæus tunc naturã fœtui parare exitum, cùm post maturitatẽ similis conceptioni Cęli constitutio intercesserit, satis clarè ostendit, maturitatem hanc causam esse primariã, & proximã exitus infantis, & partus; Cœlestem verò consensionem vniuersalem, & remotam; ac sine illa hanc nil posse, aut parum ad fœtus exclusionem. ex quò & septimestris maior, qui die-

qui diebus 210. venit in lucem, atq; inter septimestres Hippocrate in libro de Principijs teste perfectissimus est; quia temperamenti sui ratione periodum hanc, huiusmodiq; tempus exposcit; quamuis in valde platica Solis consensione editus, vitalis magis nascitur quàm minor septimestris, qui partili consensione in lucem prodit: vt in hac partus materia, cùm particularis causa viget, crediderim satis esse, si in signo, vel in signi vnius spatio, gradibus scilicet triginta (quod & Cardanus visus est cõcedere) consensio fuerit, & familiaritas. ex quò & cùm Sol incipiente septimo in allato exemplo ad partilem aspectum eat, primas videlicet Leonis partes ingrediatur; dum totum Leonis signum perreptat, poterit quantum est Cęlestis consensionis ratione tutò partus in lucem prodire; proindeq; totus mensis septimus cũ Cęlesti causa consentiet; quod idem in decimo quoq; mense locum habet. ac si Sol conceptionis tempore medium Aquarij possideret; eodẽ Leonis medium percurrente consensio inciperet. atq; donec ad medium perueniet Virginis, perduraret; videlicet spatio graduum triginta. atq; hoc est quod Cardanus dicebat, aspectum durare per vnũ mensem. cuius quidem durationis causa ipsa hominis est natura partus respectu, & temperamentum. hanc rem si percepissent pleriq; Astrologorum, artem alioqui nobilem, ac illustrem ridiculã fallacissimis prædictionibus non reddidissent, Cœloq; non magis tribuissent quàm schola Peripatetica, & cũ ea consentiens princeps Astrologorũ Ptolemæus impartiuit. Concludendum ergo si particularis causa concurrat, quamlibet debilem Cęli consensionem mirabiliter naturæ opus adiuuare; si illa aduersetur, Cęlestem causam quantumuis efficacem, plerunq; irritam reddi. qua posita conclusione perspicuum est partum, decimestrẽ, præsertim genitum huius mensis initio, vitalẽ esse oportere, & non solùm aliqua cum difficultate, editum in hanc lucem, viuere, sed omnino contra Cardani sententiam felicissimè; quia periodus hæc dierũ 280. de Hippocratis & Aristotelis mente ob allatas libro tertio causas sit tempus maximè cõueniens pariendi humanæ speciei, ac naturæ: vnde quælibet cęli familiaritas etiam incõueniẽs potest hoc naturę cõuenientissimũ opus adiuuare; ac propterea profectio Solis ad quadratum satis esse videtur; nec ob id partum hũc in aliquo esse vitæ discrimine dicere cogimur. Accedit quòd quadratus hic potest cadere in signis breuiũ ascẽsionum, quomodo vim habere videtur hexagoni; item in signis imperantibus, ac obedientibus, ac intuentibus se; vt tot cõcurrentibus familiaritatibus, & consensionibus partui facilitati Sol magis opituleť.

Cardani sententia de consensione Solis in editione partus vndecimestris, nonomestris, & octomestris discutitur, & reijcitur. Cap. 62.

IAm verò quod inquit Cardanus de consensione Solis in partu vndecimestri, nõ cùm minori cautione videtur accipiendũ; dictum enim est à nobis præsertim libro septimo, à conceptione ad partũ non plures quàm dies trecẽtos posse de Hippocratis sententia numerari: tametsi enim ipse dixerit, partum vndecimũ mensem attingere, id quomodo intelligendum sit, ne cum alijs Hippocratis dictis pugnet, iam libro memorato expositum fuit. atq; huic opinioni suffragatur plurimũ naturalis ratio, quæ non suadet tantùm, sed cogit ferè nos, vt fateamur, non longiori tẽpore, quàm decem mensibus expletis gestari posse humanum partum; quia lõgius tempus sit naturę humanæ ad suam adipiscendã perfectionem & maturitatem omnino inconueniẽs. quamobrem nõ erit verum de Hippocratis sententia Sole hexagono radio locũ, in quo tempore conceptionis fuit, respiciẽte, partum humanum edi posse, quia tàm longũ tempus inter conceptionẽ, ac maturitatẽ, partũq; nequeat intercedere; etiã si ferè de vndecimo ineunte mẽse locũ habeat, quòd Sol ad sextilem prioris loci proficiscatur. quod longè minus verum est de vndecimo expleto, quemadmodum Cardanus videtur intelligere; tametsi non video quomodo quantum est meritò cœli possit Cardanus affirmare, vndecimestrem partum viuere cũ difficultate, quoniam sextilis radius sit debilis. enimuerò cùm non solùm hoc radio intercedente familiaritas, verùm etiam & conuenientia inter vtraq; loca eueniat, deberet hac ratione vndecimestris magis esse vitalis quàm decimestris, nisi resisteret causa particularis, humanæ scilicet naturæ tẽperatura; quæ decimestrem periodũ naturaliter, non vndecimestrem affectat. quam sanè particularem causam, cùm hic Auctor non considerauerit, in hoc altero plurimũ aberrauit, quòd vndecimestrẽ septimestri antepo suit, quinetiam & senescẽte decimo nascentẽ; hosq; partus vitales magis, quàm septimestrem, nasci existimauit; cùm tamẽ,

vt libro

vt librò tertio ostendimus, septimestribus naturæ lege secundus in perfectione locus tribuatur ex sententia Præceptoris. Item quod idem Auctor profert de consensione Solis in partu nonomestri, nõ minus negocium facessit, si de partili aspectu consensionẽ intelligamus; enimuerò cùm Sol Libram ingreditur, atq; sic ad trigonũ vadit prioris loci, noni mensis tùm est initium, nequaquam finis; itaq; sequeretur partum iam iam nono mense ineunte editum cæteris esse magis vitalem, ac tempus id gestãdi vteri naturæ humanæ magis esse consentaneum. inquit enim Cardanus, partũ hũc validum nasci, & viuacissi mum quoad rationem signorum, & nasci nono mense. Verùm primùm ipse videtur perpetuò intellexisse de mensibus expletis, & confectis, quando de septimo, decimo, & vndecimo, supra fecit mentionem; vnde & de exacto quoq; nono par est ipsum intelligere; quo tamen modo falsum erit ad trigonum prioris loci Solem proficisci; cùm ad quadratũ signiferi locum progrediatur. Secundò si de huius mensis principio intellexit, tantum abest, vt partus noni mensis initio editus de Hippocratis sententia debeat censeri validus, & vitalis, &, vt Cardanus inquit, viuacissimus, vt minus quàm cæteri, plerũq; vitalis dici debeat; iam pridẽ enim libro octauo demonstrauimus de eius auctoritate ex libello de Septimestri Partu, quicunq; fœtus in vtero ægrotantes ad nonum mensem peruenerint, & in huius mẽsis initio nati fuerint; eos quidem superstites esse, verùm rarò educari, & adolescere; quoniam crassitudinem non habeant, quam perfectissimi habent, & labores in vtero non diù ante tolerauerunt; vt tenues propterea euaserint: quò fit, vt dicat Hippocrates, hosce partus in exitu noni mensis nasci oportere, vt seruentur. quæ quidẽ omnes vt tollantur difficultates, restat, vt superiora recipientes dicamus, in familiaritate nõ partilem tantùm aspectum, sed omnino etiam platicum, & ex vnius signi spatio esse accipiendum. Itẽ in hoc negocio particularem causam immediatam, scilicet humanam partus respectu temperaturam maximè esse attendendam. quibus receptis planum erit & nonũ totum mensem partionem habere naturalem, quia eo toto vis duret aspectus, & præsertim ipsius finẽ; quia cum eo particularis causa, & propria magis conueniat, hominis scilicet tẽperatura, quæ plus potest, quàm Celestis, & remota. Postremò, accuratè pẽsandum est, quod Cardanus inquit de Cœlesti consensione in partu octomestri; siquidem huius rei gratia totus disputationis labor susceptus est. Dicit ergo, si nascatur fœtus Sole Virginem tenente, partum hunc octauo mense in lucem prodire; & cùm Virgo non respiciat Aquarium, viuere non posse. Verùm nos ipsum prius interrogamus, vtrum intelligat, mensem octauum iam esse expletum, cùm Sol Virginem ingreditur, vel inceptum tantùm; si primum respondeat, nõ poterit falsitatis notã nõ subire; cùm à die 20. Ianuarij, in quo Sol tenet Aquarij principium, ad tempus, in quo Virginis occupat initium, quod est circiter diem 23. Augusti, dies tantùm sint 215. quod sanè spatium in quintam octaui mensis diem cadit, si menses triceenarios, quibus Hippocratẽ vsum esse septimo libro ostendimus, accipiamus. At partui huic, si secunda, tertia, vel quarta mensis octaui die nascatur, Celestis consensio certè non deest; cùm Sol adhuc Leonem non reliquerit, quod signum cum conceptionis loco habere familiaritatem supra diximus, ipseq; Cardanus confitetur; quare nõ vniuersus omnino octauus erit exclusus, quia hoc modo ipsius saltem principium non incurrit extra familiaritatem. præterquàmquòd neq; etiam omnes octomestres ab eo excluduntur; cùm velit, eos octauo nascentes superuiuere, quorum Sol partus tẽpore in octauo Signo extiterit, quod iuxta se intuentium, ac imperãtium, obedientiũq; familiaritatem cum Signo conceptionis respõdeat. quod vel hoc Auctore teste illorum redarguit errorem, qui ob Saturni dominiũ nullũ octauo genitum viuere posse volunt. Si secũdũ Cardanus intellexit; nẽpè octauo finiente Virginis Signũ & Solis locum nulla cum priori familiaritate coniunctum esse; hoc certè longè aberrare à veritate facilè quisq; videbit, qui ea, quę sequenti capite dicturi sumus, considerabit; quibus ostendemus, si sequamur Ptolemæum, dicendũ esse, circa finem octaui mensis Solem ad Libræ initiũ se applicare; nempè ad locum, qui trigono radio priorem aspicit; proindeq; suam esse huic tempori cum priori familiaritatem: vt quantum est ex parte signiferi maximè vitalis tùm debeat in lucem prodire infans. Atq; hoc est quod superius dicebamus nos, multò aliter iuxta dogmata Ptolemæi Astrologica, quæ cum naturali cõsentiũt ratione, de octomestri partu esse statuẽdum, quàm ex leui, & futili Arabũ periclitatione. quod vt magis eluceat, operepręcium

erit

Cap. 7. eri ipsius Ptolemæi verba in medium afferre; ex quibus quomodo familiaritatẽ duarum Cœli constitutionum cognoscere oporteat, latissimè habetur.

Vera Ptolemæi mens enarratur. consensio Cęlestis, quæ verè sit, & quibus ex locis petenda, fusius aperitur. ex eodem ostenditur, octomestrẽ partum Cęlesti consensione nõ carere.

Cap. 63.

Cap. 7. PTolemęus igitur aliud tamẽ agens quarto libro ita scriptũ reliquit. Quando » igitur quæ ex his præcipua sunt, & maxima » inquirimus, obseruare oportet in vtraq; » genitura præcipua loca, Solis videlicet, & » Lunæ, & horoscopum, partemq; fortunæ. » Nam si in eadem signa inciderint, aut loca » mutuò permutauerint, aut omnia, aut plu- » ra; maximè quando vtriusq; horoscopi 17. » partibus inuicem distiterint; amicitias cõ- » stituunt sinceras, & insolubiles, nec vllis » offensionibus expositas. si inconiũcta sint, » aut mutuò opposita, inimicitias maximas, » & diuturnas. si neutrum accidat, sed tan- » tùm in locis configuratis extiterint; si he- » xagonis, aut trigonis minores amicitias; si » quadratis minores conciliant inimicitias. Hæc Ptolemæus; ex cuius oratione colligimus maximam esse consensionem inter duas illas Cęli constitutiones iudicandam, in quibus Sol, Luna, horoscopus, & fortunę pars, vel in ijsdẽ Signis fuerint, vel loca pmutauerint, vel non amplius quàm partibus 17. inuicem distiterint; etenim quod de distantia horoscoporum ait Ptolemęus, in reliquis, Sole scilicet, & Luna locũ quoq; habere vel Cardano teste intelligendum » est; qui sic in Cõmentarijs scribit. Si lu- » minaria, vel horoscopi, aut fortunæ pars in » eisdem Signis fuerint, & maximè 17. parti- » bus haud magis distantes, qui terminus est » radiorum Solis, & etiã crepusculi matuti- » ni, &c. item colligimus magnã esse familiaritatem inter duas illas Cœli configurationes, quæ eadẽ hæc loca in hexagonis & trigonis habuerint partilibus, vel saltẽ nõ amplius quàm partes 17. distantibus. hoc enim idẽ nos in his quoq; aspectibus iuxta legem applicationũ, & defluxuum intelligendum esse non dubitamus; adeò vt in eis quoq; non solùm partiliter, sed platicè sese hæc loca aspicere queant; quæ causa meo quidẽ iudicio Cardano fuit, vt quod de distantia horoscoporum in partibus 17. scripsit Ptolemæus, ad Solem, & Lunam, ac fortunæ partem trahendum ipse putauerit; iam enim in calce primi libri sic de applicationibus & defluxibus docuerat Ptolemæus. In vniuersum autẽ intelligimus ap- » plicare præcedentes sequentibus, defluere » autem à præcedentibus sequentes; sed non » oportet longum esse interuallum; idq; in- » telligitur & in corporeis cõgressionibus, » & in configurationibus illarum. quẽ locũ explicãs Cardanus, applicationis defluxusq; distantias in Planetis iuxta orbium suorum radios accipiendas esse definit cũ cõmuni Astrologorũ schola cõsentiens; adeò vt in Sole partium 17. in Luna partium 12. 30. huiusmodi distantia vltrà citràq; capienda videatur. Quòd si cõsiderabimus Ptolemæum loco memorato quarti libri de amicitijs & inimicitijs agentem, probabiliter familiaritates inconuenientes respuere; scilicet quæ quadratis oppositisq; radijs nituntur: nobis verò in partus negocio, vt superiora satis docuerunt, etiam familiaritates inconuenientes recipiendas esse; concludendum erit, eas constitutiones (quantùm est partus ratione) magnam inter se familiaritatem habere, in quibus Solis, Lunæ, horoscopi, ac partis fortunæ loca vel in eadem Signa inciderint, vel loca mutuò permutauerint, vel in locis fuerint configuratis, idest in hexagonis, trigonis, oppositis iuxta applicationis & defluxus rationẽ; item in aspicientibus, ac sese imperantibus; adeò vt, dũmmodo inconiũcta loca non possideant, familiaritas quædam intersit. At enimuero his ita explicatis, quod supra dicebamus, ad octaui finẽ Solem ad trigonum prioris loci se applicare, facilè elucet; si enim Sol conceptionis tempore Aquarij principium teneat, nono mense incipiente, vt Cardanus inquit, ad Libræ initium perueniet; proindeq; ad trigonam partilẽ cum priori loco configurationem; sed cùm per partes 17. abest à Libræ principio iuxta applicationis & defluxus regulam supra ex Ptolemęo expositam, dicitur sese ad Librę principiũ applicare; itaq; cùm partes 13. Virginis occupabit, iam sese ad trigonũ prioris loci applicabit, nempe ad primã Libræ partem; verùm Solem Virginis partem 13. hac nostra ætate circiter diem sextum Septembris ingredi palàm est; itaq; fœtus, qui die 20. Ianuarij sit conceptus, vitalis poterit ex Ptolemæi sententia die sexta & septima Septembris in lucem venire, videlicet die 229. à cõceptione. qui dies secundum mensium tricenũm rationem septem conficiunt menses exactos, atq; de octauo præterea dies 19. capiunt.

capiunt. Quòd si partus ad finem vsq; mẽsis octaui proferatur, iam patet Sole trigonum partilem cum conceptionis loco conficiente fœtum in lucem edi, atq; ex consequenti in maxima, quod ad Solẽ pertinet, ambarum constitutionum consensione. ex quò & sequitur (quod multis sentio mirabile videri) octauo finiente genitum, quantum est ex parte Cœli, magis etiam vitalem edi quàm septimestrem; quia septimestris quidem in familiaritate, sed inconuenienti configurationum Solis cum priore loco oriatur; octomestris verò in familiaritate conuenienti. dictũ enim est ad octaui mẽsis finem Solem trigonum facere cùm loco priori, ad initium septimi facere oppositionem; atqui oppositionem hostilem esse radium, & inconuenientem Astrologis, ac Ptolemęo, omnes sciunt, trigonum conuenientem & amicũ. Hinc pernotescit quid in Disceptatione voluerimus, cùm diximus breuitati studentes subobscurè, magnã esse ex Ptolemæi sententia inter duas illas Cœli constitutiones consensionem, in quibus Solis loca non amplius quàm part. 17. inuicem destiterint; intelleximus enim ea loca Solis familiaritate coniungi esse iudicanda, quæ quocunq; se aspiciant aspectu, non magis partibus 17. distabunt. Sed hactenus monstratum sit octomestri non deesse Solis familiaritatem, atq; hanc esse cõuenientem, quia trigono radio Sol tunc priorem locum aspiciat; nunc huic partui alias non deesse aliorum locorũ consensiones, Lunæ scilicet, horoscopi; & fortunæ partis, breuiter ostendendum. Quod igitur spectat ad Lunam, cùm ipsa singulis mensibus Zodiacum totũ perambulet, certum est octauo à conceptione mense vel eundem locum eam facile posse tenere, vel permutare, vel aspicere quocunq; radio priorem; quod in horoscopo quoq;, & facilius, locum habet; cùm diei vnius naturalis spatio Signa omnia conscendãt super Horizontem; ideoq; partus tempore vel conceptionis horoscopus euehi queat supra finitorem, vel aliud aliquod Signũ illi familiare; vt tutò infanti per id temporis exitus paretur. Contingere autem posse, vt pars fortunæ hac familiaritate non careat, satis est perspicuum; quare octomestrem partum Cœlestis causæ ratione maximè vitalẽ oriri posse iuxta grauioris Astrologiæ, ac Ptolomæi dogmata, sufficienter arbitror esse demonstratum; vt hæc ipsa qui non sentiat veritatis vim habere, nihil omnino sẽsurus esse videatur. Quòd si ex superioribus memoria repetamus, particularem, & immediatam causam longè amplius posse quàm Cœlestem; certè perspicuum erit, etiam si Cœlestis deesset, vel aduersaretur (quam tamẽ maximè suffragari demonstrauimus) nihilominus octomestrem partum vitalem esse pronunciandum; veluti qui temperamenti hominis ratione, videlicet particularis & proximę causæ, vt liber tertius ostendit, naturalis partus ac vitalis oriatur; vt nulla possit ratione ab Aduersarijs repudiari. Verùm hactenus quàm longè receptis verę Astrologiæ principijs à Saturni malignitate tracta ratio serpat, monstratum sit; hactenus de Iurisprofessorum, Medicorumq; ferè omniũ communi aduersus octomestres partus conspiratione sit à nobis disputatum: quę res, vt vidimus, genuit falsas opiniones, erroresq; turbulentos, & superstitiones penè aniles; demum hactenus desertæ, ac relictæ veritatis patrocinium susceptum videatur; probatumq;, & rectissimè conclusum, quid, his fabulis spretis, ac repudiatis, sit pro veritate de hoc partu sentiendum. quod si cognitum comprehensumq; animis habeamus, non dubitamus in posterum contrariam opinionẽ non tàm stabilem permanere, neq; amplius cõfirmari longinquitate temporis, vel vnà cum seculis, ætatibusq; gentium inueterare. neq; enim semel visum est, cætera dogmata à Peripateticis fundamentis dissentanea, quæ in maxima erant hominum existimatione, veritate cognita diuturnitate extabuisse; opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.

LAVS DEO OPTIMO MAXIMO.

FINIS.

FEDERICI BONAVENTVRAE VRBINATIS

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA

ADVERSVS VVLGATAM OPINIONEM


PERIPATETICA DISPVTATIO.

Eorum continens Compendium, quæ ab eodem Auctore fusè libris decem de eadem quæstione disputantur.



AD SERENISSIMVM FRANCISCVM MARIAM

SECVNDVM VRBINI DVCEM SEXTVM.



VRBINI Apud Bartholomęum, & Simonem Ragusios fratres.

M. D. C.

EX SVPERIORVM PERMISSV.

FEDERICI BONAVENTVRAE VRBINATIS

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA

ADVERSVS VVLGATAM OPINIONEM

PERIPATETICA DISPVTATIO.

Eorum continens Compendium, quæ ab eodem Auctore suis libris decem de eadem quæstione disputantur.



AD SERENISSIMVM FRANCISCVM MARIAM SECVNDVM VRBINI DVCEM SEXTVM.



VRBINI Apud Bartholomæum, & Simonem Ragusios fratres.
M. D. C.
EX SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISSIMO PRINCIPI FRANCISCO MARIAE SECVNDO VRBINI DVCI SEXTO DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



FEDERICVS BONAVENTVRA FELICITATEM.

QVEMADMODVM illi, qui è longa, difficiliq; nauigatione vbi in litus euasere, itineris periculiq; memoria vehementius commouentur; & cum animo suo rei asperitatem reputantes, exiguas tabellas totius euentus imagines Numini suspendunt, cuius auxilio vim tempestatis effugerunt: Ita nos quoq;, Princeps Serenissime, postquã ex vastissimo tantarum disputationum mari tuę benignitatis aura elapsi sumus, in portumq; salutis peruenimus; breue hoc Compendium, veluti tàm diutini Certaminis contractum quoddam simulacrum, ac tabellam tibi nostro in terris NVMINI vouemus, & consecramus. Nec (vt spero) pro tua singulari humanitate muneris contemnes exilitatem; enimuero humilibus etiam, exiguisq; rebus, vt Heraclitus aliquando dixit, Dij non desunt immortales. Vale, nostrisq; laboribus feliciter vtere, felicissimeq; viue.

SERENISSIMO
PRINCIPI
FRANCISCO MARIAE
SECVNDO VRBINI DVCI SEXTO
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



FEDERICVS BONAVENTVRA FELICITATEM.

QVEMADMODVM illi, qui è longa, difficiliq; nauigatione vbi in litus euasere, itineris periculiq; memoria vehementius commouentur; & cum animo suo rei asperitatem reputantes, exiguas tabellas totius euentus imagines Numini suspendunt, cuius auxilio vim tempestatis effugerunt: ita nos quoq;, Princeps Serenissime, postquã ex vastissimo tantarum disputationum mari tuę benignitatis aura elapsi sumus, in portumq; salutis peruenimus; breue hoc Compendium, veluti tãm diuini Certaminis contractum quoddam simulacrum, ac tabellam tibi nostro in terris NVMINI vouemus, & consecramus. Nec (vt spero) pro tua singulari humanitate muneris contemnes exilitatem; enimuero humilibus etiam, exiguisq; rebus, vt Heraclitus aliquando dixit, Dij non desunt immortales. Vale, nostrisq; laboribus feliciter vtere, felicissimeq; viue.

DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA ADVERSVS VVLGATAM OPINIONEM COMPENDIARIA DISPVTATIO.

Ad litteratos viros, ac veritatis studiosos,

PRÆFATIO.

CVM superioribus annis veritatis ardenti desiderio inflammatus, atq; admirabili quodam concitatus philosophandi studio, totum me dedissem ad octomestris partus naturam ex Hippocratis, Aristotelisq; scriptis cognoscendam; adeò obscuræ, ac penè inextricabiles quæstiones occurrerũt, vt perpetuis decem libris vix satis commodè explicari posse ea perspicerem, quæ ad illarum dissolutionem cognitu erant necessaria. Quare scriptionis tantæ molem iam procul aspiciens, operepræcium me facturum duxi, si inter scribendum; in eorum gratiam, qui publicorum commodorum rationibus, seu quouis alio modo præpediti, tumultuario ferè studio bonas litteras excolunt (quorum multi inter vos extant) ea etiam compendio simul colligerem, quasiq; sub vno ponerem aspectu, quæ longiori oratione necesse erat pertractare; ne prouinciam omnium difficillimam aggressus, nimia breuitate in perpetuæ obscuritatis latebram præcipitem me deuoluerem, & quasi luce mentis erepta densam noctem, ac tenebras ob oculos respergerem. Quanquam ad id me etiam impulerunt aliæ graues causæ. Primùm enim videbam, vt ex paucis multa, ex minimis maxima æstimamus, atq; conijcimus; & sicuti ex membro vel minimo totius corporis modus colligitur; ita & ex compendiaria quadam disputatione maius hoc mearum vigiliarum Opus me æstimandum vobis proponere; vt facilè ea perlecta, quantum illud valeat, possetis iudicare. satis habens exploratum, exiguum factum, vel dictum, vt præclarè aliquando Plutarchus scripsit, vitium, vel virtutem repræsentare; atq; ex facie ac vultu præsertim mores elucere. Deinde non solum commodum, sed ferè etiam necessarium mihi videbatur; vt rationes & auctoritates, tàm quæ aduersus octomestres, quã quæ pro octomestribus faciunt; item & responsiones meas, ac solutiones, locorumq; interpretationes, quas in Opere vniuerso sparsim, prout occasio postulabat, inter disputandum adduxi; ac ieiunè interdum, ne in immènsum moles excresceret, attingere coactus fui; simul omnes colligerem, ordineq; in vnum digestas & auctas, sic vobis facilius expendendas offerrem & iudicandas: adeò vt hic etiam locus pro dignitate, atq; vt res ipsa postulabat, à nobis pertractaretur. Ex quo factum est, ut neq; Opus vniuersum sine huius Disceptationis perlectione plenè, perfectèq; intelligi possit, neq; hæc ipsa Disceptatio sine Operis vniuersi cognitione suam sit lucem habitura: vt propterea in ipsius calce illam curauerimus excudendam. Suscipite igitur

viri

uiri litterati, atq; veritatis amantissimi hoc Opusculum perlegendum: qua in re à vobis præcibus omnibus peto, oro vos, obsecro, obtestor, vt publico bono consulentes, remotis cæteris studijs, quamuis ea sint ampla, atq; præclara, in hoc vno, vt ita dicam, noctes & dies labor vester vrgeatur; adeò vt si hæc nostra vobis probabuntur, conatibus nostris fauentes, scriptis, disputationibus, auctoritate, demum ingenij vestri præsidio innocentiam iudiciorum pœna liberare, labentemq; hac in parte iustitiam excitare velitis; & iam in hos ipsos partus nimium incitatam mitigare, ab erroreq; deducere. si uerò à scopo nos aberrare iudicabitis; quàmprimum quæ scribimus emendare, uel etiam si placebit, penitus reijcere: hoc unum interim obnixè à benignitate uestra, & integritate postulantes, ut disputatiunculam hanc meam prima fronte paradoxa tractantem, idest contra communem opinionem probantem octomestris partus felicitatem; in qua commonstrare tantum uiam, & ut fieri solet, digitum ad fontes intendere, unde hauriri possit ueritas, propositum est mihi: non antea putetis aspernendam, quàm auctoritates ac rationes, quibus permotus desertam hanc iamdiù ueritatem è media peripatetica philosophia excitaui, pro acerrimo uestro in omni scientiarum genere iudicio diligenter expendatis. Quod & uos facturos habeo pro comperto; & cùm feceritis, hos partus iniustè è uitalium sede expulsos, planè mihi persuadeo esse iudicaturos; & posthac posse, Aristotelis patrocinio armatos, incolumes uel inter hostium tela uersari. Quorum causam iam ueritate cognita in dies reddi meliorem illud est argumento; quòd hac tempestate, immò hoc eodem tempore, quo nos ista scribimus; ac nobis uitam octomestrium tàm esse defendendam, quàm mœnia cogitamus, duo clarissimi ex uestra serie uiri, alter ex Iurisprofessorum numero (secum illa fortasse reputans apud suos Proceres recepta, quin etiam & ipsa lege definita, rationem magis quàm legem attendi oportere; proinde rationabile dictum debere iudicem magis mouere, quàm legem; & ubi naturaliter sentimus, legē quærere nil esse aliud, quàm infirmitatē intellectus) alter ex Medicorum schola, uterq; aduersus suos deposito sectæ amore strenuè pugnans, Sfortia F. Oddus, & Horatius Eugenius, quasi diuino numine afflati, libris diuulgatis octomestrium defensionem susceperunt: ut si in tanta scriptorum auctoritate mea fama in obscuro sit, quemadmodum aliquando de sè pulchrè Liuius scripsit, nobilitate ac magitudine eorum, qui nomini officient meo, me consoler. Valete.

Bal. Instit. Quibus alie. lic. vel non. in princ. n. 3. Iason. in l. cum filiofa: n. 56. ff. de Leg. 1. & in l. dedi. §. si liber ff. de cond. cau. da. n. 6.

CATHALOGVS AVCTORVM, QVI IN HOC COMPENDIO CITANTVR.

A

Abrahamus.
Adrianus Imperat.
Afflictus.
Albertus Magnus.
Alciatus.
Alexander Aphrodisiensis.
Alexander Iurisperit.
D. Ambrosius.
D. Antoninus.
Antonius Musa Brasauolus
Antonius Fracanzianus.
Aristoteles.
Asclepiades.
Auerroes.
Auicennas.
Aulus Gellius.

B

Baldus.
Bartholus.
Benedictus Varchius.
Bertazolus Senior.
Bertazolus Iunior.
Boerius.

C

Capiuacceus.
Cęcilius Poeta.
Cęlius Rodiginus.
Censorinus.
Cepolla.
Cornarius damnat. auct.

D

Decius.
Diocles.
Dominicus Sotus.

E

Egidius Romanus.
Epicarmus.
Euriphon Gnidus.

F

Ferdinandus Mena.
Fracastorius.

G

Galenus.
Gentilis.
Glossa.
Gorręus.
Gulielmns Budæus.

H

Haly Abas.
Herodotus.
Hieronymus Cardanus.
Hippocrates.
Hippon Metapontinus.

I

Iacobus Cuiacius.
Ioannes Gramat.
Ioannes Manard.
Ioannes Picus.
Iustinianus Imperat.

L

Lalamantius.
Ludouicus Mercat.

M

Marsilius Ficinus.
Mascardus.
Menochius.
Mercurialis.
Michael Scotus.

N

Nicolans Florentinus.
Nicolaus Massa.
Nicontius.

P

Parisius.
Paulus de Castro.
Paulus Iurisconsult.
D. Paulus Apost.
Petrus Aponensis.
Petrus Aquilanus.
Philo Iudeus.
Plato.
Plebartus.
Plinius
Plutarchus.
Polybus.
Ptolemęus.

R

Ropertus Olkot.

S

Sabinus.
Sceuola.
Sfortia Oddus.
Sigismundus Gellenius.
Socinus Senior.
Socinus Iunior.
Soranus Ephesius.

T

Theodorus Gaza.
Theophrastus.
D. Thomas.
Tiraquellus.

V

Valleriola.
Vallesius.
Varro.
Victor Trincauellius.
Vlpianus.
Volaterranus.
Vrsillus.

Compendium Librorum decem peripateticę disputationis de Octomestris Partus Natura, nihil contrarium Sanctę Matri Ecclesię, aut quid aduersus bonos mores, vel contra Principé aliqué continere fateor, ac me illud vidisse, & legisse, quapropter pro fidei veritate me ipsum subscripsi.

Dat. Vrbini die 10. Martij, 1600.

Frater Augustinus de Romano Lector Ord. Prędic.

Vt supradictum Compendium imprimatur attenta supradicta attestatione, & aliàs à nobis probata religione, & eximia scientia perillustris D. Auctoris, licentiam damuus, & impartimur, &c.

Dat. ex Ædibus nostris die 10. Martij. 1600.

Marcellus Padoanus Generalis Vicarius Vrbini, &c.

INDEX CAPITVM HVIVS DISPVTATIONIS.

FINIS.

INDEX
ALPHABETICVS RERVM ET VERBORVM MAGIS INSIGNIVM, QVÆ IN HOC COMPENDIO CONTINENTVR.

Numerus prior paginam; secundus columnam indicat.

agrota-

Tiraquelli

FINIS.

CORRIGENDA IN COMPENDIO ET ADDENDA.

Pag.	Col.	Lin.			
1.	1.	1.	aperitnr	Leg.	aperitur
2.	1.	10.	maioriq;		maiorq;
4.	2.	17.	Annotationionibus		annotationibus
11.	2.	1.	Post vocem illam, Aristoteles, hæc omnia addenda. *nuper adducto ex quarto de Animalium Ortu loco, octauo genitos viuere, tametsi minus quàm septimestres, nonomestres, ac decimestres. quod est, hos partus naturaliter esse vitales. Item*		
15.	1.	41.	proprius		propius
26.	1.	57.	cnm		cum
31.	2.	43.	nituntur		nituntur
36.	1.	33.	portionem		partionem
37.	2.	49.	in marg. Cap. 18.		deleatur totum
37.	1.	48,	esse locutum		non esse locutum
38.	1.	48.	asserat		afferat

Numeri Capitum Operis, quę in marginibus citantur, sic corrigendi.

Pag. 3. col. 2. cap. 62. & sequent. l. cap. 1. & 2.] cap. 56. & sequent. l. cap. 74. & sequent. vsq; ad 89.] pag. 9. col. 1. cap. 37. l. cap. 38.] pag. 9. col. 2. cap. 33. l. cap. 34.] pag. 13. col 2. cap. 14. vsq; ad 38. l. cap. 34. vsq; ad 39.] pag. 14. col. 1. cap. 13. l. cap. 16.] pag. 14. col. 1. cap. 40. 54. l. cap. 38. 55. 56.] pag. 16. col. 1. cap. 53. 54. adde 57. 58. 59.] pag. 16. col. 2. cap. 34. vsq. ad 38. l. cap. 35. vsq; ad 38.] pag 18. col. 1. cap. 58. vsq; ad 60 l. cap. 79. vsq; ad 82.] pag. 21. col. 2. cap. 64. l. cap. 65.] pag. 26. col. 1 cap. 11. 12. 13. 65. l. cap. 11. 69. vsq; ad 72.] pag. 30. col. 1. cap. 58. l. cap. 59.] pag. 30. col. 2. cap. 45. vsq; ad 54 l. cap. 55. vsq; ad 63] pag. 30. col. 2. cap. 51. 52. 53. l. cap. 59. 60. 61. 62.] pag. 34. col. 1. cap. 62. 63. 64. l. cap. 65. 66. & mox cap. 33. 34. l. cap. 38. 39.] pag. 34. col. 2. cap. 56. 57. l. cap. 74. vsq; ad 78.] pag. 36. col. 1. cap. 60. l. cap. 80. 82.] pag. 39. col. 1. cap. 60. l. cap. 69.] pag. 40. col. 1. cap. 14. vsq; ad 38. l. cap. 19. vsq; ad 43.]

FINIS.

FEDERICI BONAVENTVRAE VRBINATIS DE OCTOMESTRIS PARTVS NATVRA ADVERSVS VVLGATAM OPINIONEM

Compendiaria Dispvtatio.

Disputationis ordo aperitur. Cap. 1.

a is P. Disp. Pars.

COgitanti mihi summatim, compendioq. ea scribere, quæ decem libris, octomestris partus naturã quærens ex Hippocratis, Aristotelisq; scriptis, fuse disserere coactus fui; contra communem opinionem non dubitans pugnare ratione; totius primum operis quasi imago quędam ad legentium memoriam videtur reuocanda. Omnino diuisa est tractatio vniuersa in partes decem, totidem libris compræhensas: quarum prima (vide amice Lector quantũ ausus fuerim, vt in alienam messem amore ductus veritatis falcem mittere non sim veritus) Bartholi, Baldi, Pauli de Castro, vtriusq; Socini, Alciati, Tiraquelli, Menochij, aliorumq; placita continet, & rationes, quibus hi permoti, octauo mense genitos, tanquam illegitimos partus repudiarunt. Secunda Medicorum dogmata explicat, Petri scilicet Apponensis, Gentilis, Fracastorij, Gorrei, Valesij, Valeriolæ, Ludouici Mercati, Lalamantij, Capiuaccei, & Mercurialis; qui in eandem opinionem videntur abijsse. Tertia, Quarta, & Quinta de Aristotelicæ sententiæ veritate cognoscũt. Sexta, Septima, & Octaua Hipp. expẽdunt opinionem. Nona Iurisprofessorum. Decima demum Medicorũ rationes diluit, euellit fundaměta; maximamq; auctoritatũ partem, quas ipsi attulère, refragari potius illis, quàm suffragari ostendit. Hoc autem in loco tanquam breuitatis amantissimus, tria mihi agenda propono. Primum Iurisprofessorum opinionem explicabo, quam & Medicorum esse ipsi profitentur; rationes insuper omnes enumerans, & auctoritates, quin etiam augens, & amplificans, tàm à Iurisprofessoribus, quàm à Medicis aduersus octomestres partus adductas, & excogitatas. Post eam aperiam, quam verã arbitror Iurisconsultorum fuisse mentem: & cum philosophi munus magis sit, quàm medici octomestris partus naturam, & causas indagare; Aristotelis, Auerroisq; de hoc partu sententiam enarrabo; quos hac in re in foribus stetisse veritatis teneo sine vlla dubitatione: eas præterea adducens rationes, & testimonia, quæ pro nobis sunt, octauoq; mense editum naturalem esse partum ostendunt, ac vitalem. extrema autem oratione argumentationibus, auctoritatibusq; aduersariorum satisfaciens, quæ pro illis sunt, & contra dicuntur, infirmanda, atq; frangenda, demum refellenda mihi erunt.

Quo fundamẽto Iurisprofessores octomestrem partũ reijciant. Item rationes eorum 17. aduersus illum. Cap. 2.

PRimum igitur caput vt aggrediamur, dicimus, tametsi nulla lex inueniatur, quę de octomestri partu sermonẽ habeat, eumq; reijciat; eos tamen omnes, quos recensui Iurisprofessores, ac cæteros postea, qui illorum auctoritatem secuti sunt, octauo mense genitos hac potissimum ratione repudiasse, quia de communi Medicorum sentẽtia nõ sint vitales; qui autẽ vitales nõ sunt, abortus omnino censendi videantur; quo fit, cum abortus nõ soluat testamẽtum l. Vxoris Abortv, atq; habeatur, ac si natus non fuisset, vt octomestris nec testamentum soluat, vt ipsi inquiunt, nec deficere faciat fideicomissi conditionem. Hinc pro comperto habent, immaturum, imperfectumq; partum, & abortiuum, ex consequentiq; illegitimum esse octauo mense editum pronunciandum. Illegitimumq; hîc intelligo quacũq; de causa à lege reiectum, prout abortiuum, & imperfecto tempore ortum comprehendit; non solum partum eum, qui ex illegitima viri, & mulieris coniunctione oritur: demum prout tempore non legitimo genitum dicit. Quòd si quis vrgeat, partum hunc viuum nasci, idcirco abortum non posse vocari; respondet, ac Tiraquellus pręsertim in l. Si Vnqvam, leges tàm partum illum abortum appellasse, qui mortuus in lucem prodeat, quàm eum, qui viuus promitur, tempore tamen immaturo, ideoq; mox è vita migraturus: paria nanq, esse non nasci, aut nasci mortuũ, vel

C. de posth. hęred. inst.

C. de reuoc. donat. verb. suscepit liberos.

viuum nasci, & viuere non posse. Hoc iacto fundamento rationes, auctoritatesq; multas afferũt ad necem octomestribus infligendam: quarum prima hęc est. Partus, qui tempore imperfecto, immaturoq; edũtur, non sunt vitales: Sed octomestres tempore imperfecto, immaturoq; eduntur; ergo non sunt vitales. Hoc fuit ex nonnullorum sententia Bartholi telum, vt ex primò capite patet primi libri: maioriq; probatione non eget. Minor eo nititur fundamẽto, quòd perfecta tempora sint septimus, & nonus ex communi opinione. Secunda. Octomestribus naturale est, vt statim nati intereant, ergo non possunt esse superstites. Probatur, quoniam id est alicui naturale, quod vt plurimum ei euenit; atqui octomestres vt plurimum moriuntur statim nati. Vulnus hoc Baldus octomestribus imposuit; qui propterea dixit non minus esse secundum naturam octomestres intermori, quàm omnes homines diem suũ esse obituros; vt impossibile sit octauo mẽse genitum superuiuere. Tertia. Partus abortiuus non est vitalis. Octomestris est abortiuus, ergo non est vitalis. Maior clara est, & legum autoritate sancita. Minor patet, quia abortiuus est, vt isti definiunt, ac modo dicebamus, qui tempore imperfecto, licèt viuus, in lucem venit; & in quo secundum naturam viuere non potest. Sed octomestris imperfecto, immaturo, minimèq; vitali tempore oritur. Quarta. Octomestres non esse superstites plures, ac probatiores Autores statuunt, immò, & ferè omnes. At Lex definit à pluribus, & probatioribus non esse discedendum: ex quo, & argumẽtum ab auctoritate sumptũ apud Iuris professores est efficacissimum. Quinta. Lex in partus natura decernenda Hippocratis sequitur autoritatem l. SEPTIMO MENSE. Verum Hippocrates octauo mẽse genitos vitales non esse inquit. Sexta. Partus qui eo mense oriuntur, in quo sunt imbecillissimi, vt plurimũ statim intereunt. Sed octauo mense partus sunt imbecillissimi. igitur, si tũc in lucẽ veniũt, moriuntur. Maior nulla eget probatione. Minor ex eo probatur, quòd fetus ex cõmuni sententia in septimo mẽse exitum tẽtant: vnde ob motum, conatumq; in eo editum octauo laborant maximè. Septima. Experientia, vt lex inquit, rerum est magistra; ac sensus omnino est sequẽdus: adeo quòd si aliter doceat ratio, vt scripsit Aristoteles, ratio ipsa relinquenda videatur. At sensuum fide quotidie experimur octomestres non superuiuere. Octaua. Si formatrix valida est, & materiam idoneam reperit, celeriter opus perficit; igitur mense septimo. Si imbecilla est, & materia nõ disposita, tardè; ergo nono, & decimo. Itaq; octauus mensis non est partui naturalis. Nona, & est ratio Hippocratica. Partus vitalis esse nequit, nisi rationem habeat exactam ad septimanam: Sed octomestris hanc non habet rationem, ergo non est vitalis. Decima ex proportione temporis configurationis, motus, & partus sumitur: tempus enim motus duplum est temporis figurationis; & tempus partus est triplum temporis motus. at termini figurationis sunt nũc dies 30. nũc 35. nũc 40. nũc 45. ex quibus colligitur octauũ mensem terminũ non esse naturalem; sed tantùm septimum, nonum, & decimum. Vndecima. Nostri Climatis temperamentum vitę octomestriũ obseruatur esse aduersum. At partus viuere nequit, si cœlum aduersatur, regionisq; temperies. Duodecima Astrologica est. Cum octomestres edũtur in lucem, Sol dissociata, disiunctaq; signa percurrit; & cõceptionis particulam, aut inualido lumine, imbecilloq; conspectu videt, aut etiam non aspicit: igitur hi partus non possunt esse vitales. Decimatertia item Astrologica. Octauo mensi præest Saturnus, stella frigida, & sicca; quæ aduersantibus vitæ qualitatibus eo mense nascentes interimit. Decimaquarta Arithmetica est ex natura, & proprietate numerorũ sumpta. septenarius, & denarius sunt perfecti, naturales, & decretorij; octauus imperfectus, minimèq; naturalis; igitur septimestres, & decimestres vitales, octomestres nequaquam. Decimaquinta legum nixa fundamentis. Partus abortiuus non succedit, nec rumpit testamentum, neq; deficere facit fideicõmissi conditionem, quia habetur pro non nato. Sed octomestris est abortiuus; igitur, & c. Quòd si vrgeas, non semper octauo mense editum esse abortiuum, quia aliquãdo superuiuat; tũc decimasexta ratio maximè feriens oritur; quia lex ea respicit, quę frequenter eueniunt l. NAM AD EA; quæ raro fiunt, omnino reijcit; idest, vt Socinus acutissimè dixit, non quæ secundum possibiliter accidentia contingunt, sed quę fiunt secundum communiter accidẽtia attendit. Decimaseptima. Partus, qui non sunt vitales lex non admittit. Sed octomestres non sunt vitales; nam intereũt naturaliter, vt illi inquiunt: igitur, & c.

ff. De lib. & posth. l. Gallus.

L. ea quidẽ.

ff. de stat. hom.

ff. de leg.

Sex ponuntur Medicorum rationes aduersus octomestres. Cap. 3.

De Anthip. & Symp. cap. 11.

HIs omnibus rationibus addere possumus ex Medicis alias à Iurisprofessoribus relictas, quæ fusius secundo libro explicatæ fuerũt. Prima. Fracastorij talis est. Humanum semen septem mensibus tãtum, vel nouem maturitatem adipiscitur; sicuti, & tritici semen, aliud trimestre, aliud nouẽ mensibus gignit: cum igitur partus octomestris non possit ex eo esse semine, quod septem mensibus perficitur; idcirco ex eo erit, quod ex nouem solet maturum prodire: itaq; octauo editus, seu potius eiectus tanquam immaturus, & præcox nascitur emoriturus. Secunda Medicorum omnium communis est, à Mercato, Valesio, & reliquis vsurpata. octauus mẽsis in sextũ quadragenarium incidit, quo tempore fœtum ægrotare scripsit Hipp. itaq; fit, cum duos labores ferre nequeat; videlicet quos tunc patitur, & partus superuenientis, vt miserè intereat. Tertia eodem fundamento nititur. Sextus enim quadragenarius dici sexto respondet, qui Tyranno Regi similis est; & crisis in eo incidens semper mortem affert: at conceptio, & gestatio morbus quidam esse dicitur, partus vero crisis: ex quo, & si octauo mense contingat, sexto videlicet quadragenario, mortẽ fœtui portendit. Quarta ratio. Octonarius numerus par est, ideoq; neq; index est, neq; decretorius; itaq; non potest octauo mense fœliciter partus in lucem prodire: iudicari enim partum, ac gestationem mensibus, sicut, & acutos morbos diebus, axioma est Medicorum. Quinta, quæ Valesij fuit, & quam maximè omniũ carere calumnia ipse dixit, ex proportione efficientis oritur ad materiam. Cum enim omnibus tàm animantibus, quàm arbustis, cęterisq; satis cõstitutus sit quidam ortus terminus à natura, atq; hic non perpetuo idem; sed aliquãdo breuior pro cœli, terræq; benignitate, aliquando tardior, quoniam hęc desunt; ita & hominibus ad ortum cõstituti hi termini sunt, vltra neq; citra quos eduntur; nonus scilicet mensis naturalis, ac fræquens terminus; septimus ijs, qui quasi benigniori cęlo, & terra generãtur: itaq; octauus mẽsis terminus pręter naturã. Sexta, qua Capiuacceus vsus est, ex penitioribus Hipp. fontibus hausta; quia sũt tres quadragenarij fætui infæstissimi: primus à conceptu; sextus, qui voluitur circa octauum mẽsem, & in quo fętus maximè ægrotat; tertius

Contra. lib. 3. cap. 10.

quadragenarius ille, qui à die partus computatur, in quo fœtũ etiam plurimũ laborare Hipp. memoriæ prodidit. Itaq; si octauo mense nascatur puer, ægrotus existens sequẽtis quadragenarij malignitatem nequit sustinere; vnde moriatur necesse est. Hæ igitur sunt rationes omnes, aut certè efficaciores, quas Iurisprofessores, & Medici aduersus octomestres partus excogitauere. nunc auctoritates ab ijsdem allatæ adijciendæ sunt, quas Tiraquellus L. SI VNQVAM in vnum congessit.

Aduersariorum ponuntur auctoritates. Cap. 4.

PRima auctoritas Hippoc. est libello de Carnibus, vbi ita inquit. Mense autem octauo genitus nullus vnquam vixit. item in opusculo de Alimento. est autem, & non est octomestris partus, vt Gellius refert tertio Noctium Atticarum: quibus innuit esse, quia viuus interdum oritur; non esse, quia viuere non potest. Demum libello de Septimestri, & Octomestri Partu, vbi non semel octauo mense genitos non superuiuere affirmauit. quæ omnia loca in sexto, octauoq; operis nostri libro abundè ventillauimus. Secunda Platonis, qui, vt Tiraquellus testatur, quinto de Rep. nullũ aliud legitimum pariendi tempus agnoscit, præter decimum, & septimum. Tertia Arist. est septimo de Historia Anim. ita scribẽtis. Qui autem mense octauo nascũtur viuere, atq; adolescere in terra Aegypto possunt; & quibusdam alijs in locis, vbi mulieres fertiliores sunt; multosq; simul, & ferunt facilè, & parturiunt, etiã si monstrosi sint. Sed locis Gręciæ multi intereunt, nec nisi perpauci seruãtur: vnde fit, vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem initium sui conceptus latuisse. Hæc ille; quibus perspicuè ponit, in Aegypto octauo genitos non quidem viuere absolutè, sed viuere posse; quasi difficulter etiã in ea regione vita potiantur: item mõstrosi aliquid habere: in Gręciaq; valde paucos seruari; & qui seruantur, non existimari natos in octauo mense. quæ omnia partum hunc non vitalem vidẽtur statuere. Item eiusdem philosophi verba ex decima Quæstionum, & ex quarto libro de Anim. ortu adducunt; quibus, quoniam à nobis infra adducenda sunt, impræsentia supersedendum duximus. Quarta Sabini est, qui verba illa Hipp. ex libro de Alimẽto enarrans, ita scripsit Gellio referente 3. libro Noctium Atticarum, atq; Tiraquello in-

Cap. 16. Cap. 62. et seq. Cap. 56. et seq. Cap. 4. Prob. 43. Cap. 4. Cap. 16.

terprete. Apparent quidem (scilicet partus octomestres) veluti animalia post abortum, sed nequaquam sunt; quippè quæ statim vita excedant. itaq; esse quidem tantisper imaginantur, sed potentia non sunt. Quinta Varronis, qui, vt Cēsorinus de Die Natali testatur, in libro cui tit. est Tubero, seu de Origine humana octauum mensē à legitimo partus tempore penitus excludere videtur. Sexta Alexandri Aphrodisiēsis secundo libro Problematū octomestres partus omnino refellentis, octonarij numeri ratione. Septima Gellij libro tertio Noctium Att. vbi de Veterum sententia octomestrem partum abortionem quādam esse statuit. Octaua ex Galeno est libello de Medicis Finitionibus; vbi inquit, octauo mense genitos non viuere, quia numerus octo par est, atq; coniunctus, & non decretorius. Nona Auicennæ ex Fen vigesima prima, & ex nono de Animalibus: quibus in locis hos eosdem partus videtur putare non vitales. Decima Alberti Magni ex libro decimo de Animalibus, qui hoc idem confirmauit. Vndecima Asclepiadis, qui solas Naxias mulieres octauo mense vitales edidisse asserit Iunonis munere. Duodecima Sorani Ephesij in Isagog. sic loquentis. Ita ergo septimo, vel decimo mense qui nati fuerint, vitales erunt: qui autem nō impleuerit numerum, legitimus partus non est. Decimatertia Philonis Iudei libello de Mundo, in hanc sententiam scribentis Sigismundo Gelenio interprete. Fiunt .n. septimestres partus vitales, cum octomestres omnino impossibile sit viuere. Decimaquarta Abrahami. Decimaquinta Haly Abatis; q. hoc idē cōfirmarūt. Decimasexta Apponensis in Comment. super decima sect. Problematum, & Diff. 49. asserētis octauo mēse editos ea maximè de causa interire, quia fœtus in septimo ad egressum plurimum colluctatur, ob idq; fatigatus redditur imbecillus; vt si nondum refectis viribus octauo rursus eundem conatum petat, oblæsus fræquentius moriatur. Decima septima Gentilis idem eadem de causa in Comment. super Fen vigesima prima Tertij confirmantis. Decimamoctauam addit Menochius ex Cælio Rodigino libro vigesimosecūdo Variarum Lectionū. Decimamnonam Mascardus ex Michaele quodam Scoto in libro Physionom. asserente octauo mēse genitum vltra octauum diē viuere non posse. Quibus omnibus autoritatibus (vt cum aduersarijs quàmliberaliter agamus) addere vigesimo loco possumus D. Ambrosium trigesimanona epistola ad Horontianum hac de re ita disserentem. Quantum istud miraculi quòd septimo mēse in plerisque origo legitima formatur, & qui fuerit editus vitalis generationis curricula sortitur: octauo autem mense interdicta naturali lege pariendi cernimus tempora. ac si fortè lætalis necessitas partus claustra laxauerit, periculum pariter generantis properetur, & pignoris. Vigesimo primo Volateranum libro quarto supra vigesimum Phylologie; vbi sic habet. Ferunt decem non amplius menses; quædam septem; nullæ octo. quanto minus habet infans nutrimenti, eò citius exit. Vigesimosecundo grauissimum Virum Gulielmum Budeum in Annotationionibus super Pandectas: cuius hæc sunt verba. A quadragesimo igitur die partus immaturi dicuntur. eorum partim vitales, idest ζώσιμοι καὶ βιώσιμοι, partim non vitales, vt quinto, sexto, octauoq; mense. Tandem vigesimotertio Cuiacium, qui semel, & iterum octauo genitos videtur reiecisse. Nam sententias Pauli explicans ita scriptum reliquit. Partus ἑπτάμηνος matri prodest in S. C. Tertulliano; est enim pleni tēporis l. septimo mēse ff. de stat. hom. qui ante septimum, vel octauo mēse prodeunt, imperfecti sūt, nec vitales. Nono autem, decimo, & vndecimo à conceptionis die legitimi partus fiunt. & non multò post. sed ad ἑπτάμηνον redeamus, quem maturum partum esse diximus; cum tamen ὀκτάμηνος sit immaturus. si quæratur differentiæ ratio, tribuendum id erit occultæ rationi, & virtuti septenarij numeri. hæc ille; quod idem in opusculo de Diuersis temporum terminis his verbis confirmauit. Septimo (inquit) mense nasci partum perfectum, & legitimum l. septimo mense ff. de stat. hom. Quod Pythagoreo numero Paulus adscribit quarto senten. tit. 9. & Censorinus de Die Natali septimo inquit partum iam esse maturum, eò quòd in omnibus numeris septenarius plurimum possit. idem, & alij innumeri. Sexto, vel octauo perfectus nō nascitur, & c. Demumq; si quæ aliæ auctoritates sunt, vt Petri Aquilani, Plebarti super sententias, & similium, ad has ipsas referri posse satis constat; cum ijsdem nixæ rationibus octomestres partus non vitales decernere videantur. Verùm hactenus de primo capite, nunc secundum aggrediamur.

Prob. 48. Cap. 16. Tract. 2. cap. 1. Cap. 5. Tract. 2. cap. 4. Cap. 17. Cap. 14. Cap. 10. lib. 4.

Quod fuerit Iuriscõsultorũ consilium in cõdendis legibus, quæ ad partus humani tempora spectant. quis terminus partus breuior secundum illos. Cap. 5.

a is 2. DISP. PARS.

QVi non parce, nec leuiter in vera philosophia versati, quo fine humanæ leges conditæ sint, considerabunt; cum in sacris litteris habeamus, legem propter transgressionem positam esse; ex quo, & Apostolus p. ad Thimot. Iusto non est lex posita, & alibi. Peccatum non cognoui nisi per legem; probè cognitum habebunt, quęnã fuerit Iurisconsultorũ mens, quodue cõsilium, cum leges illas circa tempora humani partus, & ferendi vteri, tulerunt. item qua de causa nonnullos partus tanquam illegitimos reijciendos esse prudẽtissimi illi viri existimauerint; qualesq; demum fuerint ab ipsis recepti partus, vel reiecti: de qua re libro nono copiosè disputauimus. Cum enim tanquam sapientissimi, ac rerũ naturæ scientissimi animaduerterent, humanam speciem hac proprietate à conditore Deo fuisse donatam, vt *diuersis*, incertisq; mensibus partus suos promeret; viderentq; experientia edocti, tantam esse hominum malitiam, vt hoc insigni, & peculiari naturæ dono de more plerũq; abuterentur ad quæstum, atq; ad libidinẽ: spatiosam quandam, ad hæc tollenda facinora, humani partus latitudinem duobus terminis conclusam nobis insinuare voluerunt; intra quos, partus omnes, qui prodirẽt, legitimi haberentur; citra quos, vltraq; in lucem editi, arcerentur cuncti tanquam illegitimi. Quoniam autem axioma est apud illos, stãdum esse peritis in arte; propterea veterum Medicorum, & Philosophorum sententijs requisitis, ac præsertim Hippocratis, latis legibus sanxerunt primũ, breuissimum limitem statuentes, septimo mẽse perfectum partum, ac vitalem naturaliter edi posse: ita vt ex iustis nuptijs tanto præterito tempore a viri cum muliere coniunctione natus, iustus ac legitimus filius censeri debeat. Secundo, longissimum limitem definientes, decem mensium spatio à morte viri in lucem editum, itidem tanquam legitimum esse recipiendum, atq; admittendũ ad hæreditatem. quibus legibus duobus maximis facinoribus, luce meridiana clarius est, viros illos prudẽtissimos occurrisse. Si .n. mulier aliqua nubat, atq; inde ad quinq; menses, vel sex pariat perfectum filium, ac vitalem; hæc malè consuluisse suæ pudicitiæ creditur; & partus ex damnato coitu ortus iuxta legum decreta censetur, atq; ex alio viro antea cõceptus; quoniam vt Hipp. in Opusculo de Septimestri Partu, ac post illum septimo de Hist. Animalium tradidit Aristoteles, fætus, qui maturius septimo mense prodeat, nullo pacto, nec vllo in loco est vitalis: quod satis libro tertio, & septimo probatum fuit. Quo loco animaduertendum est, septimestre spatium, vt l. INTESTATO habetur, Iureconsultis ad minimum 182. dierum esse interuallum: nimirũ quia Hippocrates, cuius autoritatem lex sequitur, memorato libro centum & octuaginta duobus diebus natum cum semisse, & non antea, vt aduersus nonnullos abundè libro septimo demonstrauimus, fœtũ, & septimestrem esse docuit, & primò vitalem; vt quod minimum est tot dierũ interuallo gestari oporteat septimestrem, vt perfectionis principium nanciscatur; cuius rei causas nos tertio, sexto, & septimo libro latè explicauimus. atq; dies tot dimidium annum cõficiunt; nempe si annum solarem accipiamus, ac Iulianum, menses sex & in septimi tricenarij, lunarisq; mensis initium cadunt: quorum mensium ratione, sed tricenũm præsertim, fœtus septimestres Hippocrates appellauit, atq; illorum tempus cõputauit; quod liber septimus plenissimè docuit. Quo fit, vt perperam omnino nonnulli Iurisprofessores partum dierum 171. legitimum, & naturalem esse defendant; corruptumq; locum Hippocratis vanè prędicent: de qua re vberrimè nos loco memorato. longeq; magis aberrent à scopo veritatis, qui etiam ante diem 171. naturalem partum nasci posse contendunt, ac vitalem: vt si duorum scalmorum nauiculam in portu euertunt, quemadmodum pulchre aliquando dicebat M. Tullius, in Euxino Ponto Argonautarum nauem longè minus sint gubernaturi.

Margin notes: „ „ (at Peccatum ... legem); Cap. 1. et 2.; Cap. 4.; Cap. 2. 33. Cap. 24. vsq; ad 41.; ff. de suis, et legit.; Cap. 10. vsq; ad 15.; Cap. 33. et 35.; Cap. 62. & 63.; Cap. 34.; Cap. 54. vsq; ad 61.; Cap. 24. vsq. ad 26.

Quis terminus partus longior secundum Iureconsultos, & qua de causa. Cap. 6.

RVrsus si mulier aliqua post viri mortem vndecimo mense pariat, nimirum post menses decem; defuncti viri hæreditatem filio non dari tãquam illegitimo lex decernit; quoniã, quod maximũ est, nũquam vltra menses decem fœtum gestari posse credat. Vnde mulierem illam post viri mortem violata castitate, & pudicitia ex alio partum illum concepisse arbitratur. quod & illorum alterum redarguit errorem,

rem, qui naturalem ac legitimum partum post expletum decimum oriri posse volunt: in quo quidem errore refellendo diù multumq; nostra libro tertio, & septimo versata oratio est. Priorem casum l. SEPTIMO MENSE, & l. INTESTATO respiciunt; posteriorem l. GALLVS, & eadem l. INTESTATO, & Autentica de Restitutione & ea, quæ parit in vndecimo mense, compræhendunt. Quo autem modo intelligendum sit, Imperatorem Iustinianum, Vlpianum, & Sceuolam ab Hipp. non desciuisse, qui, vt Tiraquellus quoq; animaduertit, partum ad vndecimum vsq; mensem proferri posse vnà cum Arist. aliquando affirmare visus est; atq; à D. Hadriani decreto, qui, tertio Noctium Attic. referente Gellio, vndecimestres partus tanquam legitimos, & naturales recipiendos esse constituit (quod tantopere Alciatum tertio Paradoxorum torsit) id etiam nono libro diligenter à nobis fuit explicatum. Porrò autem non satis fuit viris illis prudentissimis, quod pertinet ad humani partus rationem, hominum vitijs obstitisse, nisi etiam, & naturæ peccatis quodammodo obuiam fierent; enimuero cum sępè mulieres etiam iusto tẽpore mortuos fœtus pariant, vel viuos quidem, sed ad monstrum quoddam declinantes; proinde ab eis lege cautũ fuit, vt partus legitimis mensibus mortuus editus, vel viuus, sed monstrosus, testamentum non solueret, illegitimusq; partus censeretur. De priori euentu l. VXORIS ABORTV, & l. QVOD CERTATVM EST loquuntur. De posteriori eadẽ l. QVOD CERTATVM EST sermonem habet, & l. NON SVNT LIBERI. Qua in re quid monstrosi partus nomine leges intelligant, & quo modo tollatur contradictio, quæ inter has leges apparet, & l. OSTENTVM, & l. QVAERET ALIQVIS, cum alio loco monstrosi partus recipi videantur, alio vero repudiari, latè in libris nostris de Monstrifici fœtus formatione annuente Deo disputabitur. Qua autem ratione altera illa lex QVOD DICITVR, in qua statuitur filium natum, etsi nõ integrũ animal editum sit, sed cum spiritu tamen, adhuc rumpere testamentum, concilietur cum l. QVOD CERTATVM EST, quę viuum non totum, & ex cõsequẽti, vt multis placet, non integrum ad orbem deuolutum respuit, dictum est fusius libro nono, infraq; attingetur. Quod vero ad abortum pertinet, quid eius nomenclatura veniat apud Iureconsultos intelligẽdum, hoc loco breuiter tamen tractandum est, & decernendum, tanquam ad hanc dissoluẽdam quæstionem maximè necessarium.

Cap. 33. et 61. vsq; ad 63. — *Cap. 42.* — *ff. de stat. hom.* — *ff. de suis, et legit. §. fin.* — *Cap. 16.* — *Cap. 48. vsque ad 59.* — *C. de posth. hæred. inst.* — *Eodem tit.* — *ff. de statu hom.* — *De verb. signif.* — *ff. de liber. & posth.* — *Cap. 8. 11. 12.*

Quid abortus, & quotuplex secundum Medicos, & Philosophos. Cap. 7.

TRes voces apud Hippocratem, Aristotelem, atq; Galenum inuenio, malam hanc fœtus affectionem significantes, ἀποφθοράν, ἀμβλώσιν, & ἔκτρωσιν. priorem ἀπόφθοραν Latini nostri corruptionem interpretati sunt, & abortum, sed magis propriè corruptionem; significatq; propriè fœtus immaturam, siue alio nomine infœlicem editionem, ex qua corruptio, & mors illius sequatur. Secundam, & tertiam passim abortum dixerunt. peculiariter tamen ego, vt ex Arist. septimo de Hist. Anim. & quarto de Animalium ortu elicio, vocem hanc ἔκτρωσιν puto fœtus inarticulati editionem significare, præsertim ante diem à conceptu quadragesimum. Vnde Hippocrates libello de Septimestri Partu, & citato loco septimi Hist. Aristoteles fœtus abortum intra dies quadraginta, quo tẽpore adhuc inarticulatus est, propriè ἔκτρωσιν vocari scripserunt. Tertiam ἀμβλώσιν, vt quisq; benè oculatus ex Aristotelis verbis quarto de Anim. ortu colliget, fœtus extenuati, ob inopiamq; alimenti eiecti egressum videbit significare. ex quo, & septimo Politic. Aristoteles fœtus deperditionem, quam fieri iubet ad filiorum euitandam multitudinem, ἀμβλώσιν vocat; dixeris inopia alimenti causatam abortionem. Vniuersaliter tamen his vocibus vicissim vtuntur prædicti Autores ad abortum quemlibet, & quamuis fætus corruptionem explicandam; sed præsertim voce ἐκτρώσει, vt ex tertio Aphorism. secto constat, atq; ex Galeni Commentarijs super illud, item ex Aristotele prima Quæstionum, Hippocrates vsus est ad fœtus emortui, licét maturo ac iusto tempore, editionem significandam. Nam, vt fusius nos tertio, & nono libro probauimus, Hippocrates eo in Aphorismo partus verno tempore maturescentes & perfectionem adeptos, ob cœli tamen inclementiam mortuos editos, ἐκτρώσεις nominauit; atq; τῷ ζῶκῳ, idest partui viuo edito ἐκτρώσιν, scilicet mortuum natum fœtum opposuit. Sic latini abortus nomine propriè fœtus ante tempus in lucem exitũ intellexerunt; generaliter vero omnem illius corruptionem, & maximè cum mortuus, quanquam iusto tempore, oritur.

Cap. 4. — *Cap. 5.* — *Cap. 4.* — *Aphor. 12.* — *Prob. 19.* — *Cap. 71.* — *Cap. 6.*

Quid

Quid abortus secundum Iureconsultos. Cap. 8.

C. de posth. hered. inst.

HOc postremo significatu l. VXORIS ABORTV vocem hanc sumptam esse, qui non videt, nihil videt; ita vt dicat in ea abortus fœtum iusto, ac legitimo tempore mortuum editum: quod vt magis probem, legis ipsius verba in medium proferam. Ita igitur eo loco scriptum legimus. „Vxoris abortu testamentum mariti non solui; „posthumò vero præterito, quamuis natus „illico decesserit, non restitui ruptum, iuris „euidentissimi est. Cæterum quid quæso hîc abortus nomine intelligi potest, nisi fœtus mortuus in lucem veniens tempore legitimo, scilicet septimo mẽse, vel decimo? vel intra septimum, & decimum? Nam si abortum vocat fœtum ante septimum natum, frustra addit eius ortu non solui testamentum; cum l. SEPTIMO MENSE iam sit definitum partum hunc illegitimum esse, & respuendum. „Vnde is siue viuus nascatur, siue mortuus; siue incolumis permaneat, siue non; „testamentum nullatenus soluere potest. Quod si dicas post decem menses natum designari, eędem vrgẽt nos difficultates. Nam primum is abortus propriè vocari nequit; deinde tanquam illegitimus ab alia l. INTESTATO repudiatur: quare aut mortuus in lucem veniat, aut vitæ compos, testamentum itidem non soluit. Licèt enim Socinus senior de Alexandri mente dicat, has leges loqui quoad effectum cognoscendi, vt verbis ipsius vtamur, an quis sit natus ex iniustis nuptijs; non quoad effectum rumpendi testamentum: tamen hoc secũdũ necessariò ex priori sequi, satis l. GALLVS, & l. INTESTATO, fidem faciunt. Relinquitur igitur (nisi frustra legem latam esse dicere velimus, inutiliterq; repetitam) abortum in ea, vt dicebamus, significare partum legitimo tempore mortuum editum: quod etiã satis euidẽter legis eiusdem verba probãt, dum in eis abortus opponitur partui illi, qui natus illico decesserit, ac prior, abortus .s. dicitur non soluere testamẽtum; posterior omnino rumpere; idest viuus ad orbem deuolutus: quod tamen facere nõ posset, nisi legitimis mensibus ortus supponeretur. Atq; hoc est, quod Paulus Iurecõsultus in partu aliquando requirebat, scribens viuum, & pleni tẽporis eum esse oportere; quo fit vt ibi necessariò abortus significet mortuũ fętũ ad orbem iusto tẽpore procedẽtem. Nam qui mortui nascũtur l. QVI MORTVI, neq; nati, neq; procreati videntur.

ff. de stat. hom.

ff. de suis, et legitt.

ff. de lib. & posth.

ff. de suis, et legit.

ff. de verb. signif.

Expenditur sententia l. QVOD CERTATVM. Nonnulli Iurisprofessores confutantur. Cap. 9.

C. de posth. hered. inst.

QVòd si obtrudat aliquis ex sequenti l. QVOD CERTATVM EST, abortũ posse viuum partum, sed imperfectè emissum significare; quoniam ibi sancitur, viuum perfectè natum rumpere testamentum: vt à contrario sensu viuus, sed imperfectè natus illud nequaquã tollere videatur; ac proinde abortus appellari talis partus debeat: quoniam lege præcedenti abortus ille propriè est, diciq; meretur, qui non soluit testamentum: respondemus, si verba ipsa accuratè ponderentur, non solum legem hanc sententiæ nostræ non officere, sed eam modis omnibus confirmare. Ita enim scripsit eo loco Iustinianus Imperator. „Cumq; „Sabiniani æstimabant, si viuus natus est, & „si vocem non emiserit, rumpit testamentũ, „appareret; quòd, & si mutus fuerat, hoc „ipsum faciebat. Eorum etiam nos lauda„mus sententiam, & sancimus; si viuus per„fectè natus est, licèt illicò, postquam in ter„ram ceciderit, vel in manibus obstetricis „decesserit, nihilominus testamentum rum„pi: Hoc tantummodo requirendo; si viuus „ad orbem totus processit ad nullum decli„nans monstrum, vel prodigium. Hæc ille; sed quid amabò est aliud viuum perfectè nasci, quàm quod ipse idem Imperator se ipsum sequentibus verbis explicans docet, totum viuum ad orbem procedere? ita vt non statim, vbi aliquod membrum emiserit, perfectè & totus natus dici possit. Vnde si tunc intereat, is tanquam non totus, neq; perfectè viuus natus, ab Imperatore repudiatur, nec rumpere dicitur testamentum (quanquam de capite non exiguam dubitationem esse, non me præterit) sed cũ totus vtero egressus in manibus obstetricis viuus extiterit, vel in terram viuus ceciderit; tunc perfectè, & totus natus viuus dici meretur: quo modo partum rumpere testamentum decernit Imperator. quare viuum imperfectè nasci idem erit, quod in ipso ortu mori; & ex consequenti idem, quod mortuum fœtum in lucem venire: vt nulla sit inter vtranq; legẽ, quod ad abortus spectat significationem, differentia. Quanquam & hîc viuus perfectè natus ab eo dicitur non solũ ille, qui totus viuus oritur, non in ipso ortu interit; sed qui præterea ad monstrum nullum declinauerit. „Nam „& hoc est, quod ipse subdit, hoc tantum„modo requirendo, & c. explicãs quid verbis

„ bis illis, si viuus perfectè natus est, intellexerit, cum se obscurè locutum animaduerteret. Quamobrem voces illæ, totus, ac perfectè, hoc in loco non vllum membrorum defectũ excludunt; quo sensu l. QVOD DICITVR non integer nasci partus asseritur, licet aliter nonnulli videantur opinari. Item vox, perfectè, non tam partus maturitatem, temporisq; ac mẽsium respectu perfectionem dicit, vt Socinus, Tiraquellus, & Alciatus in l. QVI MORTVI, alijq; credidere; quàm corporis totius viui ex vtero significat egressum. Quandoquidem quantum ex lege est, perfectè nascitur mẽsium ratione partus, tametsi mortuus oriatur, vel in ortu intereat, si intra terminos à lege receptos in lucẽ prodeat; sed non tamen perfectè viuus nasci dicitur. Deinde vox illa, perfectè, ad alteram illã, viuus, relationem habet; ita vt non duo; scilicet & perfectum temporis ratione, & viuum perfectè nasci partum dicant; sed vnum tantùm enunciant: cum non in diuiso, sed in composito sensu sint accipiendę; nempè partum perfectè viuum, idest totum oriri oportere. Atq; hinc colligimus, dupliciter perfectum nasci partum apud Iureconsultos intelligi; vel quia iam maturus, & perfectus iusto tempore in lucem editur: atq; hoc sensu l. SEPTIMO MENSE nasci per id temporis perfectũ partum statuit. quod quidem τελείωσιν Hippocrates, & Aristoteles vocauerunt. quo modo omnis fœtus, qui ante septimum prodierit, imperfectè natus dici debet, vt libro tertio, & septimo ex Aristotelis, Hippocratisq; sententia contra multorum opinionem demonstrauimus. vel quia non solum maturus, sed totus viuus, nec ad vllum monstrum declinans ad orbem processit: quo sensu l. QVOD CERTATVM loquitur. atq; hæ duæ res adeo necessariæ sunt ad partum legitimum constituendum, vt altera sine altera non sufficiat. Enimuero, si partus iusto tempore edatur, sed vel mortuus, vel monstrosus, à lege reijcitur; si tempore nõ legitimo, putà sexto mense, vel vndecimo, licèt totus nascatur viuus, neq; contra figuram humani generis, à lege pariter repudiatur. & sanè quòd vox illa, perfectè, nil aliud in dicta lege significare possit, quàm id, quod ipsemet Imperator se ipsum explicans superioribus verbis aperuit; aduerbium illud, tantummodo, cogit nos „ vt fateamur. Inquit enim Iustinianus, hoc „ tantummodo requirendo, & c. Itaq; si nil requirit aliud; vel quod supra dictum est, perfectè viuum nasci partum, idem erit quod viuum ad orbem totum procedere, ad nullumq; monstrum declinare; vel frustra appositum fuit: cum non primum illud, sed postremum hoc tantummodo requiri statuat Imperator. Vt iam conspicuum sit quicunq; in alium sensum vocem, perfectè, trahunt, legem ipsam in maximam præci- „ pitare contradictionem.

ff. de lib. & posth. hæred.

ff. de verb. signif.

ff. de stat. hom.

Cap. 33. et 35.

Cap. 24. vsque ad 41.

C. de posth. hered. inst.

Quomodo ex superioribus sequatur octomestrem partum iuxta sententiam Iurisconsultorum esse vitalem. Cap. 10.

CAeterùm, vt ad nostra redeamus, his ita explicatis, atq; ad rationem reuocatis, satis constare arbitror, abortum apud Iureconsultos illum appellari, qui mẽsibus partui à lege præfinitis, antequam totus vtero egrediatur, mortuus nascitur: quod Glosæ auctoritate probari potest, quæ vo- „ cem, abortu, explicans inquit, Abortus; „ puta mortuum fecit. Præterea illud etiam „ ex superiori disputatione omnibus compertissimum esse autumo, veteres illos Iureconsultos, septimo mense editos, quod minimũ est; quod vero maximum, decimo, ac medijs inter hos mensibus, tãquam partus legitimos recepisse: ante septimum, ac post decimum natos tanquam illegitimos repudiasse. Qua recepta veritate statim sequitur necessariò octomestrem partum à Iurisprofessoribus vt perfectum, ac legitimum esse recipiendum, nisi à Iurisconsultorum mente turpiter recedere velint; tùm quia nulla lex illum respuit, ipsi vero erubescunt loqui sine lege; tùm quia intra terminos legitimi partus, ac intra limites mẽsium, qui à lege præfiniti sunt, hic partus incidit: vt hac de causa si non nominatim saltem generali sua dispositione (quod acutè in Respõsis clarissimus Sfortia vidit) recipere lex illum videatur: tùm quia intra hos terminos perfectè viuus, ac totus ad orbem procedit, ad nullum declinans mõstrum; tùm demum quia non solum viuus, sed vitalis etiam natura egreditur, vt infra planius elucebit. Qua in re illud quidem plurimum me mouet, ferèq; demonstrationis vim habere mihi videtur; quòd, cum apud Veteres certatum fuerit Gellio tertio Noctium Attic. referente, an octauo mẽse genitus abortio esset; vt non semel partus hic temporibus illis editus digladiãdi materiam, ac inter se litigandi hominibus dederit; nusquam tamen lex cõdita, lataq; aduersus illum habeatur: quod quidem argumento

Cons. 28.

Cap. 16.

mento est prudētissimos illos viros noluisse suis legibus naturæ leges violare. Quāquam enim fortasse cernerent maiorem octomestrium partem interire; tamen, quoniam hoc idem septimestribus teste etiam Hippocrate contingit, qui libello de Septimestri Partu de eis loquens, ita apertè scripsit, „ & plurimi ex his pereunt. & mox; „ sunt autem ex his septimestribus, qui etiā „ superstites manent, ex multis pauci; in fauorem naturæ, vt par erat, pronunciantes, atq; in obscuris, ac naturæ arcanis, quæ solus Deus nouit euidenter, quod vero simile magis est, sequentes; non solum partum hunc illegitimum esse decernere noluerūt, sed è contra septimum ac decimum mensem, & tempora intermedia partui legitimo dedicantes, illum potius tanquam inter septimum, & decimum interiectum videntur omnino recepisse: hoc tantummodo requirentes ad legitimum partum constituendum, & aliud præterea nihil, vt iusto tempore totus viuus, ad nullum declinans monstrum, in lucem exeat. Quam quidem rationem cum Socinus Iunior aduersus semetipsum attulisset, vt primo libro à me longius fuit explicatum, frustra eam postea labefactare mea sententia conatus est, vt liber nonus demonstrauit. Quamobrem, vt libere dicam quod sentio, videri nonnullis posset, Iurisprofessores Iureconsultis prudentiores esse voluisse, nisi fortasse verius dicamus audaciores; vt qui eam rem ausi sint decernere, de qua ipsi leges condere noluerunt: quod quidem verum esse luce meridiana clarius erit, vbi Aristotelis sententiam de octomestris partus natura explicauerimus, quod impræsentia facere aggredimur.

Cap. 4.

Cap. 37.

Quid senserit Aristoteles de Partu octomestri. Cap. 11.

PHilosophus igitur de re hac obscura, & perdifficili disputaturus septimo de Historia Animalium, notat, ac veluti clarū accipit, vt mox causam suo loco exquirat, humanam speciem, quod pertinet ad partus rationem, præ cæteris id habere peculiare, vt multiplex partus, atq; tempus pariendi multiplex ei sit à natura præfinitū. Cum enim inter animalia quędam vnum edant, ex quo & vnipara vocantur; quædam duo, vnde paucipara; alia plura, proindeq; multipara dicuntur; solus homo, & vnum, & duo, & plura in lucem promens (vnde Aristoteles, & tres, & quatuor, & quinq; simul, mulieres edidisse eodem loco notatum reliquit) vniparum, pauciparum, multiparumq; animal esse dicitur. Item cū reliqua animalia certo mensium spatio fœtus maturos edant (nam Canes exempli gratia duobus mensibus, Equæ decem, siue duodecim pariunt, idq; spatium nunquam variant) solus homo incerta fœtus maturescendi, edendiq; tempora nactus esse videtur; & septimo, octauo, nono, decimo, vndecimiq; initio vitales parere creditur. proinde Aristoteles non ante septimum vitalem nasci humanum partum ibi definit; diutiusq; quàm in mēsis vndecimi initium non posse gestari; reliquis vero mensibus intermedijs omnino maturum edi: vt iam, si hāc temporis spectes latitudinem, incertum, ac multiplex pariendi tempus hominem habere ex Aristotelis sententia cogaris asserere; si breuiorem, longioremq; limitem, vltra & citra quos nequit partus naturaliter edi; secus quàm nonnulli philosopho imponunt, certum omnino ac definitum: de qua re tertio, & septimo libro abundè disputauimus. Aristotelis autem hæc est oratio. „ Sed cum cætera animalia „ omnia singulari, ac simplici modo partum „ suum perficiant (vnum enim pariendi tē„ pus omnibus statutum est) homini vni mul„ tiplex datum est. „ Nam & septimo mense, „ & octauo, & nono parere potest, & quod „ plurimum decimo, nonnullæq; etiam vn„ decimum attingunt. „ Fœtus, qui matu„ rius quam septimo mense prodeat, nullo „ pacto vitalis est. qui septimo, vitalis quidē „ hic primus exit, sed magna ex parte infir„ mior, & paulò post. „ Et cum alia singulos „ pariant, alia plures, genus humanum in ancipiti est, &c. At enimuero quoniam eum non latebat, de octauo mense dubitationē esse, vtrum vitalis partus in illo promeretur; idcirco verbis illis, quæ supra pro tertio aduersariorum testimonio posita sunt, subdit, vt vitæ compotes fieri hoc mense editos ostenderet, in Aegypto viuere omnes, in Græcia aliquos: ita vt quanquam magna eorum pars in ipsa Græcia intereat, aliqui tamen seruentur (hunc enim verum esse huius loci sensum tertius liber contra Theodorum satis explicuit) quos, paucos eorum respectu, qui moriuntur, vocat philosophus; licèt alioqui per se considerati, non adeo fortasse pauci debeant existimari, quin octauum mensem vitalem esse probent apud Iureconsultos, & legitimum; qui septimum nominatim receperunt; in quo, vt superius

Cap. 4.

Cap. 33.

Cap. 42.

Cap. 11.

ex Hippocrate vidimus, ipsiq; fatetur, plures itidem pereunt, pauciores superstites fiunt.

Cur homo multiplicem partum, & tempus multiplex habeat pariendi secundum Aristotelem Cap. 12.

His positis, horum omnium causas proprio in loco inuestigaturus, nempe libro quarto de Anim. ortu, duo sibi proponit ibi inquirenda; cur scilicet varium, & multiplicem homo partũ habeat; & cur varium itidem, ac multiplex tempus pariẽdi sit sortitus. atq; ita respondet ad quæ-»stionem. Homo cum omnibus generibus » ambigit. Nam & vniparum, & pauciparum, & multiparum interdum est: sed maximè sua natura vniparum est: humore profecto, caloreq; corporis multiparum. seminis enim natura humida, & calida est; sed suæ magnitudinis ratione pauciparũ, atq; vniparũ est. Hinc tempus etiã vteri ferendi enorme vnum hoc animal sortitum est. Cæteris enim vnum est tempus, homini vero plura sunt; quippe cum, & septimo mense, & decimo nascatur, atq; etiam inter septimum, & decimum positis. Qui enim mense octauo nascuntur, viuunt quidem, minus autẽ: cuius rei causa accipi ex ijs, quæ modo explicauimus, potest. Dixi de his in Problematibus. Hæc Aristoteles; quę verba si quis cõferat cũ Theodori conuersione, ex qua hæc omnia attulimus; nullã quæso afficiatur admiratione, si pro eo, quod ipse habet, etsi minus, tamen viuere possunt; reposuimus nos, viuunt quidem, minus autẽ: quandoquidem id græci exemplaris fidem secuti omnino egimus; in quo ita scriptum inuenitur; » καὶ γὰρ τὰ ὀκτάμηνα ζῇ μὲν, ἧττον δέ. quod est » ad verbum. octomestres enim viuunt quidem, minus autem. Hæc igitur Aristoteles; ex quibus satis perspicuum est de ipsius sententia hominem seminis ratione multiparum esse animal (vnde plus seminis sui corporis proportione, quàm reliqua animalia ipsum emittere, idẽ septimo Hist. & alibi notauit) ob suam verò magnitudinem pauciparum, & vniparum; ideoq; naturaliter varia fœtus maturescendi tempora necessariò habere: quia vt multiparum, breuius spatium, vt vniparum, longius ei conuenit naturaliter, vt pauciparum, mediocre. Multipara nanq; animalia tempore ocyore fœtum perficere, tanquam corpore minora, vnipara longiore, tanquam maiora, paucipara medio modo, pluribus ipse supra declarauit. cuius tamen rei causam dum recẽtiores Medici Mercatus, Valeriola, Valesius, Trincauelius cæteriq; demum omnes adducere conati sunt, mirum est, quàm longè ab Aristotelis mente, ac veritate ipsa aberrarint (alijs naturæ solicitudinem erga humanum genus; alijs phantasiam, quæ in homine potissimũ varia est; alijs alimoniæ varietatem, qua cæterorum animalium respectu plurimũ homines vtuntur; alijs vteri capacitatem, variamq; temperationem; alijs quantitatem alimenti; alijs demum temperamẽtorum in indiuiduis differentiam; tanquam veram, cur homo multiplex à natura pariendi tẽpus nactus sit, causam agnoscentibus) parum, mea quidem sententia, memores, vt liber tertius plenissimè docuit, affectiones illas, quæ omnibus vnius speciei indiuiduis conueniunt, & semper; non à re quapiam externa & accidentali, sed ab intrinsecis proprijsq; speciei principijs, materia nimirum & forma ortum ducere, à materiæq; ac formæ temperamento; vt inter cęteros D. Thomas acutissimè Libello de occultis Naturæ proprietatibus explicauit: quod diuinè fecisse Aristotelem in hac tractanda quæstione, satis docent superiora; qui ex alia re nulla, quàm ex hominis natura, illius causas putauit esse afferendas. & tamen vera huius rei causa ignorata, quam isti ne primoribus quidem labris attigerunt, certè penitus in media peripatetica philosophia retrusa, atq; abdita, reliqua omnia ignoremus necesse est, quæ ad partus humani, & ad temporum pariendi naturam pertinent, ac proprietatem. Enimuero sequitur ex his, quæ supra ex Aristotele decreuimus, homini, quatenus multiparum est, septimum mensem tanquam terminum breuiorem à natura ad maturandũ fœtum esse impartitum; quatenus vniparum, mensem decimum tanquam longiorẽ, ac ad summum vndecimi initium, Quo loco decimi mensis nomine nonum quoq; Hippocratis, & Aristotelis more intelligere oportet, & potissimum dierum 280. interuallum, vt tertio, & septimo libro pluribus ostendimus; nimirum finem noni mensis, ac decimi initium, & circiter. Demum, quatenus pauciparum animal est, tempus intermedium, scilicet octauum, ac noni quoq; initium; quorum omnium causas libro tertio ex peripateticis fontibus afferre philosophię studiosis conati sumus. quod quidẽ acutissimè cõtuens Aristoteles,

Cap. 4. *Cap. 2.* *Cap. 29. usque ad 32.* *Cap. 43. usque ad 48.* *Cap. 43. 111.* *Cap. 33. usque ad 63.*

les, vt dubitationem de octauo mense tolleret, subdidit octomestres viuere, licèt minus; causamq; cur viuant, & minus viuant, ex ijs, quæ supra disputauerat, facilè colligi. Siquidem inquit; τὸ δ' αἴτιον ἐκ τῶν νῦν λεχθέντων σαφὲς τις ἄν. quod est, non quidem iam expositam aliquam causam accipere, sed ex dictis nouam elicere non explicatam: quamobrem qui hæc verba contra vsitatum Aristotelis loquendi modum ad quæstionem superius pertractatam, cur enorme habeat homo pariendi tempus, referunt; contendentes causam hanc accipiendam esse Aristotelem iubere; ne cogantur fateri philosophum hoc loco, vt clarissima ipsius sententia est, lectores admonere, vt causam, cur octauo geniti viuant, ac minus viuant, ex superiori sua colligant disputatione; eò nos adducunt, vt credere debeamus Aristotelem non solum Logicam, & Philosophiam, sed neque etiam Grammaticam tenuisse; seu, vt verius dicam, se in eius lectione ostendũt omnino esse rudes. Causa igitur, cur viuant, (vt redeamus ad rem) cùm nullam aliam ipse attulerit; nulla alia colligi potest, nisi hæc quòd homo insitum habeat naturaliter, vt diuersis temporibus ac mensibus pariat, partumq; perficiat (videlicet, vt inquit Philosophus, septimo, & decimo, atq; inter septimum, & decimum positis, proindeq; octauo) quia vniparum, pauciparum, ac multiparum animal est natura: quæ autem ex Philosophi disputatione, cur minus viuant, causa colligatur, tertio libro explicatum fuit, infraq; attingetur.

Cap. 61.

Cap. 27. 28.

Cap. 56. vsque ad 60. ite 79. 80.

Cap. 55. 56.

Quòd octauo geniti ex Aristotelis sententia sint vitales. Cap. 13.

CAeterum hic quis tàm rudis est ingenij, vt non cognoscat octauo mense genitos de Aristotelis sententia esse vitales? quis tàm proiectæ audaciæ, vt non dubitet aduersus naturam & rationem, aduersusq; tantum virum, quem in decernendis naturæ rebus doctiores omnes sine vlla cõtrouersia sequuntur, atq; tanquam vnum omnium Præceptorem agnoscunt, partus hos non vitales esse pronunciare? quod tãdem os est illius autoris, qui ad condemnandos octomestres sine vlla horum scientia audeat accedere? hos certè, si qui in posterum inuenientur, non dubitabo primum inertiæ condemnare sententia mea, post etiam insignis impudentiæ. Inquit enim Aristoteles citatis verbis septimi Hist. cætera animalia vno, & singulari tempore partum suum perficere, hominem vero multiplici: & multiplex tempus hoc enumerans, non septimum tantùm, vel nonum, sed octauum quoq; recenset. Siquidem subdit, Nam & septimo mense, octauo, & nono parere potest; atq; tempora hæc pariendi statuta homini esse inquit, statuta inquam à natura: quamobrem necessario octauo quoq; mense perfici humanum partum, tempusq; id à natura homini esse præfinitum statuit. Verùm contraria hæc sunt, maximèq; inter se pugnant, octauo mense humanum partum perfici, & maturescere; mensem hunc à natura partui esse dedicatum: & mense octauo partũ non nasci superstitem, neq; vitalem. Nulla enim alia causa est partus naturalis, ac vitalis, quàm ipsius maturitas, & perfectio de Hippocratis mente, & Aristotelis, vt aduersus multorum opinionem libro tertio demõstrauimus: in qua quidem causa afferenda omnes ferè recentiores Medici à scopo aberrarunt; alijs ad alimenti defectum, alijs ad caloris euentationem, alijs ad vteri angustiam, molem, pondus, demũ læsionem eam referentibus. Quamobrem si octauo maturescit humanus partus, ac perficitur, vt verbis apertissimis hoc loco testatur Aristoteles; & octauo in lucem perfectus necessariò exit, & vitalis. quam profecto sententiam decima Quæstionum, vt se fecisse quarto de ortu Anim. dixit, clarissimè etiam repetit; quærens, cur homo omnium maximè animãtium esse claudus potest. ita nanq; scripsit loco illo. An quòd solus ex omnium animantium genere varia generationis tempora obtinet? nam, & septimo, & octauo, & decimo mẽse in lucem venit; cæteris tempus vnum perficiendi sine mora statutum est, & c. Hæc ille; vbi rursus videmus eum asserere, cæteris animantibus vnum perficiendi tẽpus datum esse, homini plura, & inter hęc octauum; vt mensem hunc generationis hominis tempus esse velit, & perficiendi tempus: in quo scilicet fœtus τελειωσιν, perfectionem videlicet, ac maturitatem nanciscatur. cuius rei ratio naturalis, & summè efficax ea est; quam supra attulimus; nempe quia insitum est homini à natura, vt diuersa tempora habeat pariendi, septimum videlicet, ac decimum, & menses intermedios; proindeq; octauum, quẽ nulla ratio potest repudiare. Quòd si ita res est, quàm verè non nasci perfecte hominem

Cap. 4.

Cap. 16. vsque ad 45.

Schol. 20.

Prob. 40.

Cap. 56. vsque ad 60.

Cap. 70. vsq. ad 81.

minem octauo mense Tiraquellus, & cęteri Iurisprofessores asseruerint, aliorum sit iudicium; quàm verè Mascardus ita scri-
» bere. Idem roboratur Aristotelis aucto-
» ritate libro septimo de Historia Animalium,
» cap. 4. vbi inquit, octauo mense nati non
» viuunt, nisi in Aegypto, & adhuc rarò; cum contrarium omnino dicat ibi Aristoteles: nempè in Aegypto octomestres omnes esse vitales, in Græcia, & locis nostris multo pauciores; naturaliter tamen, & simpliciter hos partus vbiq; esse viuaces, & naturales: vt hinc quantum ijs sit fidendũ, quæ isti afferunt, facilè colligamus. Quanquam, & hi culpam facilè deprecari possunt, cum in eodem errore non pauci versati fuerint eorum, qui peripateticam doctrinam profitentur; inter quos Benedictũ Varchium reperio, virum alioqui ætate nostra non obscurum, qui in lectionibus de Corporis Humani generatione asserere non est veritus, Aristotelem nullum octomestrem fieri superstitem, vel omnino paucos, atq; hos quidem in Aegypto, scriptum reliquisse: quam tamen veritatem Lalamantius octomestribus infestissimus Gorreum sequens fassus est, scribens in Commentarijs super libellum Hippocratis de Hominis ætate, Philosophum non septimũ tantùm, & decimũ, sed octauum quoq; τοκιμον, idest tẽpus pariẽdi naturale agnouisse; & qui aliter sentiat, puto inueniri neminem, nisi insaniat.

Cap. 4.

Schol. 20.

Nonnullæ tolluntur obiectiones. cur octauo geniti minus viuant. Cap. 14.

QVòd si addit Aristoteles, vt ad nostra redeamus, octauo mense genitos vitales esse minus; id, vt libro tertio ostensum est, nequaquam officit. Nam primum partus illi, qui viuunt, etsi minus, viuunt tamen, & naturaliter viuunt, viuendiq; habent potestatem; atq;, vt peripateticum docet axioma, magis & minus non variant speciem: quare in vitalium partuum serie sunt omnino collocandi. Secundo, vt memorato loco ostendimus abundè, id octauo mensi non solùm per se, sed per accidens etiam euenit; vt scilicet minus vitæ compotes in eo geniti partus fiant, nimirum situs ratione; quia inter septimum, & decimum interiacet: qua de re plura disseruimus temporibus nostris inaudita; vt non ob id absolutè non vitales sint iudicandi, quia minus eos viuere quàm septimestres, & decimestres, & dixerit Aristoteles, & sensuum fide experiamur. Sunt autem per se vitales minus octauo geniti, quoniam, vt pręceptor licet obscure iudicauit, sunt imperfectiores temperamenti ratione, minusq; homini secũdum naturam; eò quòd, si eas causas respicias, quæ efficiunt, vt varium, multiplexq; habeat homo tempus pariendi, videlicet ipsius naturam ac temperationem; caloris scilicet & humoris temperamentum, & ipsam magnitudinem; nonomestre, ac decimestre spatium magnitudinis ratione maximè illi conuenit; vt pulchrè videtur idem significasse; qui hac permotus ratione vndecimi initium aliquãdo excludit, vt libro tertio dictum fuit: ratione verò temperamenti caloris, & humoris, quod ob nobilissimam formam, cuius est particeps, vt tertius liber abunde docuit, valde est illi proprium, immo & necessarium, spatium septimestre maximè ei videtur esse secundum naturam. quo fit, vt octauo genitus, tanquam à perfectione septimestrium, ac decimestrium deficiens, imperfectior naturæ lege omnino existat: in quam sanè imperfectionem, octaui mensis infęlicitatem philosophum libentius referre, quàm in causam Hippocraticam, quę mox à nobis explicabitur, iam pridem libro tertio notauimus; quo loco hæc omnia longius sumus persecuti: demonstrantes ex Aristotelis sententia non propterea octomestrem partum esse non vitalem, tametsi reliquis minus habeat perfectionis. item in hanc ipsam imperfectionem omnem, si qua est, huius partus infęlicitatem, tanquam in veram causam esse reducendam; non in Saturni dominium, non in virtutem numerorum, in similesq; alias res vanas, & aniles. vt qui tam lautam supellectilem in Aristotelis disputatione nunquã viderunt, veram octomestris partus naturam nullo modo potuerint attingere. Quanquam nil est mirum, si plerosq; hæc fugerint, qui aciem mentis paulò negligentius intenderunt in eius orationem: in ipsa enim ob affectatam obscuritatem diuitias, atq; ornamẽta tanti ingenij per quædam inuolucra, atq; integumenta perspicimus; sed ea cum contemplari volumus, & cupimus, vix adspiciendi potestas est; vt neq; hoc possimus dicere nos omnino ignorare, quid doceat; neq; plane nosse, ac vidisse, nisi magna adhibeatur diligentia. Verùm quod dictum est, octauum mensem per accidens quoque minus quàm reliquos esse naturalem, modo explicemus. Cum tria tempora pariendi naturalia de Aristotelis sententia humana species habeat; septimum scilicet,

Cap. 56. vsque ad 60.

Cap. 70. vsq; ad 81.

Cap. 61.

Cap. 27. 28.

Cap. 56. vsque ad 60. itẽ 79. 80.

octauum ac noni partem, item decimum cum altera parte noni; si partus, qui his mensibus sua natura maturescunt, idest ex materia tali geniti sunt, quæ tunc maturitatem recipere, & perfectionem debeat, in illis edantur, exeunt omnino vitales; & sine vlla dubitatione, quantum est mensium ac temporis ratione, nisi aliud aduersetur, adolescũt. Exempli gratia, si fœtus natura septimestris septimo mẽse in lucem veniat, octomestris natura octauo, nonomestris natura, & decimestris nono & decimo; hi quidem omnes tanquam proprijs, & eorũ temperaturæ cõsentaneis temporibus editi, viuunt. Verùm quoniam vbiq; locorum, sed præsertim nostris regionibus ob cęli inclementiam, & alias causas euenit, vt plerunq; mulieres abortiant; ac fœtum ocyorem, vel tardiorem promant, quàm eius natura requirat; propterea sæpè contingit, vt mulier fœtum natura septimestrem ob aliquod accidens octauo mense edat; fœtum natura octomestrem septimo, vel nono; item nonomestrem natura octauo mense: quod enim natura septimestrem nono pariat, vel è contra; id rarius omnino contingit: quoniam magis hoc est pręter naturam; natura vero ipsa, non nisi mirificè coacta, magnas facit transgresiones. Hinc igitur etiam fit, vt octauo mense editi minus viuant; quia, scilicet ob situs rationem noni mensis, & septimi incommoda octauus participat. Verum hi, vt latè libro tertio probauimus, octomestres per accidens dici debent, & merentur; ideoq; mẽsem hunc nullo modo illegitimum reddunt, & nõ vitalem; quoniam vnumquodq; ab eo, quod ei per se conuenit, non per accidens denominatur.

Cap. 70. 71.

Alia causa infælicitatis octomestrium, & quæ sit illorum ægrotatio secundum Hippocratem. Cap. 15.

Est præterea aliud incommodum, de quo etiam memorato libro vberrimè locuti sumus, quod octauo mensi imminet noni ratione. cum enim partus natura nonomestris, ac decimestris; quemadmodum Hippocrates in opusculo de septimestri Partu, & Aristoteles septimo Historiarum docuere, ita procedat; vt, cum mulier septimũ mensem prętergressa fuerit, vterus ei dehiscat, fœtusq; descendat, quasi parãs se ad exitum in nono; & nonnullas in hoc descensu membranas mira naturę prouidẽtia rumpat, vt facilius nono egredi possit

Cap. 71. vsque ad 81.

Cap. 4.

(quia cum hora partus instat, si integræ omnes essent, rumpi duriores effectæ non valerent) euenit quidem, vt fœtus in hoc descensu non parùm laboret; item, vt inflammationem quandam ex hac membranarum diruptione contrahat, quæ diebus quadraginta iudicatur; proindeq; ægrotet circa octauum mensem, & sextum quadragenarium: pelliculis quidem disruptis, partim tensis, & vmbilico conuulso (ex quo & dolores parentem maximè diuexãt) fœtuq; tanquam ex antiquo vinculo exsoluto, reddito grauiore: vt si hoc tempore in lucem veniat, omnino prodeat interiturus. quanquam, vt libro tertio monstratum est, si hæ mutationes, & labores, quos fœtus octauo mense inneunte patitur, dum dehiscit vterus, & ipse descendit, modum, quæq; illa causa fuerit, excedant; octomestrem etiam per se natura, vt diximus, imbecilliorem, & minus perfectum possunt ex philosophi fortasse opinione, etiam si nullę defringantur membranę, interimere. Hippocratis oratio, ea, quæ paulò supra de ægrotatione octomestrium dicebamus, ac pellicularum diruptione, explicans citato opusculo verbis licèt satis obscuris ita habet. Cæterum (inquit) multi fœtus septimestris ætatis, quum pelliculæ laxantur, secedunt in id, quod cedit, & hìc alimentum sumunt; primos quidem quadraginta dies laborantes, alij plus, alij minus. & nõ multò post. Quum autem septimo mense pelliculæ dirumpantur, & fætus secesserit; labores, qui circa octauum mensem, & sextum quadragenarium in partu fieri traduntur, corripiunt. Hoc autem tempore pręterito, quibus bene futurum est, inflammationes tùm fœtus, tùm matris exsoluuntur & c. Hæc ille; quo loco septimum mensem exactum, siue is mutilus, siue integer sit accipiendus, oportet intelligere (de qua re difficillima octauo libro fuit disputatum) quoniam octauo inneunte, vt inquit Hippocrates, & septimo Hist. declarat Aristoteles, labores subeunt. Atq; hæc ægrotatio illa quidem est, cuius tàm sępè meminit Hippocrates; hęc causa ęgrotationis, à nullo, quod viderim, ad hanc vsq; diem ex suis scriptis explicata: alijs motum, conatumq; infantis ad exitum septimo factum; alijs, vt supra dicebamus, Saturni malignitatẽ; alijs superstitiosas, ineptasq; alias res comminiscentibus philosophica grauitate prorsus indignas; omnibus tãdem, quos ego viderim, diuini senis verba hæc, non quidem ad ęgrotationem, quę octa-

Cap. 79.

Cap. 14. vsque ad 38.

octauo percurrente fœtum natura nonomeſtrem adoritur in vtero existentem, ſed ad ipſos ſeptimeſtres,referentibus. vt per mihi mirũ viſum ſit, tot clariſsimos viros, quorũ in his opuſculis explicandis,in hiſq; tractandis quæſtionibus totas ferè ætates videmus eſſe contritas, quemadmodum octauo libro à nobis animaduerſum eſt, non vidiſſe, quidquid de pellicularum circa tempus ſeptimeſtre diruptione, de vmbilici conuulſione,de fœtus in extimam membranam migratione diſputatur;totum ab Hippocrate diſputari, non vt aliquod accidens, quod Septimeſtribus cæco caſu contingat ab eo apperiatur; ſed vt explicetur egrotatio,& cauſa ægrotationis,quę octauo menſe fœtum vexat illum, qui tandem nono,vel decimo,ſi naturæ legem ſeruat, incolumis, ac vitalis eſt oriturus. vt propterea de iiſdem dixerit Hippocrates, ſeptimo quadragenario eos exiſtere intra parentem,& ad huius quadragenarij finem in lucem venire omni ſolutos ægrotatione. quæ quidem ægrotatio idcirco non omnibus fętibus communis eſt,ſed illis tantum, qui, vt diximus, natura nonomeſtres ſunt, & decimeſtres; cuius rei cauſam tertio, & octauo libro aperuimus. Enimuerò ob id citato loco dixit Hippocrates multos fœtus, cum fuerint ſeptimeſtris ætatis, id pati, non omnes; quia ſcilicet plures ſint, qui nono menſe eduntur, quàm reliqui; eò quòd tempus id natura ſit perfectius. Atq; Ariſtoteles ſeptimo Hiſt., vbi hunc Hippocratis locum attingit vt opinor, mulieribus multis, non omnibus eadem de cauſa poſt ſeptimum menſem, octauo ſcilicet inneunte, vterum dehiſcere, ac fœtum deſcendere memoriæ prodidit: vt Auerroes ſuper 4. de Animal. Generatione, acutè hæc omnia contuens,delirantium eſſe ſomnium rectiſsimè affirmauerit, ac figmẽtum Aſtrologorum, fœtus omnes octauo menſe ægrotare: cuius hæc eſt oratio. Id autem, quod ſunt opinati Aſtronomi, quòd contingit natum proculdubio ægrotare in octauo, eſt quid vanum; cum ipſa ægritudo non ſit quid naturale,quòd accidat cuilibet nato. Hæc ille; quo loco dicens errare Aſtronomos, qui cenſent proculdubio fœtus octauo menſe ægrotare; ſatis perſpicuè oſtendit, ſe non eſſe illius opinionis, vt credat fœtum neceſſariò per id temporis in ægrotationem incidere: item adiungens non accidere cuilibet nato hanc ægritudinem,admonet non omnibus eſſe communem: de cuius quidem ſententiæ explicatione libro tertio abundè dictum fuit. Conſtat igitur ex his, ſi dum hi contingũt labores, & mutationes, partum hunc natura nonomeſtrem mulier (quæq; illa cauſa fuerit) octauo edat; eam certè abortum facere; ac fœtum illum,tanquam præ ægritudine imbecilliſsimum, & tanquam immaturum,& pręcocem,vel mortuum naſci,vel cito moriturum. Maximum autem abortiendi periculum tunc mulierem ſubire, vel inde colligitur; quòd matrix ob pelliculalarum fracturam phlegmonem,inflammationem videlicet patiatur, vt docet Hippocrates; per phlegmonem vero matrix,cum fętum intra ſe habet, excitetur maximè ad expulſionem, vt perbellè decimo de Hiſt. Animalium Scaligero interprete ſcriptum legimus. Sed & partum quoq; hunc per accidens, non per ſe octomeſtrem eſſe ſatis patet.

Cap. 13. — Cap. 77. — Cap. 40. 54. — Cap. 4. — Cap. 4. — Cap. 104. vſq; ad 107.

Iuriſconſultorum in temporibus partus decernendis prudentia laudatur. Quæ ſupra de partu octomeſtri poſita ſunt, Auerrois auctoritate confirmantur. Cap. 16.

AT enimuero hîc Iuriſconſultorum in his condendis legibus, quæ de humani partus temporibus decernunt, prudentia animaduertenda eſt; cum enim lex de occultis non iudicet,atq; in obſcuris quod veriſimilius eſt ſequatur; videntes maximi illi viri nullo modo humana cōiectura poſſe attingi,vtrũ partus ſeptimo editus menſe, natura fuerit octomeſtris, vel nonomeſtris, & è contra; item vtrum fœtus proprijs etiam menſibus editi, propria aliqua de cauſa intereant; nimirum ſua, vel parentis imbecillitate, aut cęli intemperie; propterea totam temporis latitudinem receperunt, intra quam partum viuum editum, licèt illico decedat, nec ad monſtrum vllum declinantem, tanquam legitimum admittendum eſſe decreuerunt: ita vt quot quot fœtus à ſeptimo inneunte ad decimũ vſq; exactum menſem in lucem venerint,legitimi, ac naturales partus ex illorum ſententia habeantur. cum alioqui adeo fræquenter menſibus naturalibus, ſeptimo videlicet, octauo, & potiſsimum nono, ac decimo editi partus illico nati moriantur, vel naſcantur mortui; vt ſi quis diligenter examinet, facilè inueniat plures ferè eſſe in eis vteri deperditiones, ſeu abortus, quàm legitimos partus. Iam vero his ità explicatis, quod ſuperius dictum eſt, partum ſcilicet per ſe octomeſtrem de Ariſtote-

Cap. 7.

stotelis sententia esse naturalem, nec minus fere quàm septimo editum, vel nono, superuiuere, Auerrois ipsius auctoritate cõprobandum est, qui ita de præceptoris mẽte quarto de Anim. ortu hâc dissoluit quęstionem. Quia natus in octauo est de necessitate vnius trium dispositionum; scilicet, vel est complexionis nati in septimo, aut nati in nono, aut complexionis mediæ inter septimum, & nonum, vt iam euidenter id apparet. Si igitur eius complexio est septimi, contingit ipsum tardare vsq; ad octauum propter aliquod accidentale; & non est natus secundum naturalem vsum. Similiter si eius complexio est noni, festinauit exitum propter rem accidentalem. quòd si eius complexio fuerit media inter ista duo, tunc talis partus in tali hora erit naturalis; & si ita res se habuerit, viuet, vt viuunt nati in nono, & in septimo. Hęc Auerroes maximus Aristotelis alumnus, in peripateticaq; familia illustrissimus; qui etiam paulò supra inter eos, qui octauo mense nascuntur, illos tantùm interire clarè itidem testatus est, qui aut septimestres quidem natura erant, aut nonomestres; sed octauo tamen ob aliquod accidens, & quodam naturæ errore prodiere: atq; hęc sunt illius verba. Nato tamen in octauo tempus id non est sibi naturale, sed naturale tẽpus eius est nonus mẽsis; accelerauit tamen exitum propter aliquod accidens: aut eius tempus erat septimus, & tardauit exitum propter aliquod accidens, & ideo in pluribus non viuit. Quòd si ita res est, satis clarum esse arbitror, si quis ratione duce, ac naturali lumine propositam quæstionẽ soluere, si ex proximis, primisq; causis de illius veritate cognoscere velit (ad quas accedendum semper esse in re aliqua iudicanda quoad maximè fieri potest proprius monuit grauiter quarto de Anim. ortu Aristoteles, hoc idemq; leges iubere fatentur Iurisprofessores) nil aliud posse eum de octauo mense affirmare, quàm ipsum esse mensem pariendi naturalem; partumq; in eo editum vitalem esse, & naturalem, nisi castissimam hanc voluerit philosophiæ peripateticæ partem violare.

Cap. 4.

Cap. 1.

Septem ponuntur ex philosophia rationes, octauo genitos naturales partus esse probantes. Cap. 17.

POrrò autem his ita cõstitutis, reliquum est, vt rationes & auctoritates afferamus, quæ id ipsum notum faciunt, ac testatissimum; ac primum ex vera, Aristotelicaq; philosophia adducendæ sunt, deinde ex Iurisprofessorum oraculis accipiendæ erunt. Prima ratio. Homo insitum habet naturaliter, vt septimo mense, & decimo pariat, & temporibus intermedijs: sed octauus mensis inter decimum, & septimum positus est, igitur tempus est pariendi naturale. Vtraq; propositio Aristotelis est quarto de Anim. ortu; igitur, & ex illis quę sequitur conclusio necessaria. maiorq; ex eo probatur, quòd homo suæ naturæ ratione multiplex habet tempus pariendi; id verò quoniam multiparum animal est natura, pauciparum, ac vniparum; atq; hoc demũ, quoniam humore, caloreq; corporis abundat, ac seminis plurimum propterea habet; item corpore magnus est, vt rem totam in suas causas resolutam habeamus. Minor sensu nota est. Secunda. Natura nihil facit frustra: sed ipsa mensem hunc humano partui præfiniuit, & octauo mense partus quotidie producit. igitur octauus mensis naturalis. Maior per se nota est, & in scholis omnibus recepta. Minor sensu manifesta est, auctoritateq; Aristotelis firmata. Nam octauo edi partus humanos viuos experimur; & philosophus hunc mensem ad pariendum homini esse à natura præfinitũ non semel testatus est. at frustra hoc mense natura eos in lucẽ exire permitteret, quin etiam & statueret, quos necessario mox interituros sciret; quæ tamen semper quod melius est, ac perfectius, nisi prohibeatur, attingit. Tertia. Homo mense octauo nascitur secundum Aristotelem, ergo naturaliter: cæteroqui philosophus mancus fuisset id non dicens, aut nos deciperet; quem tamẽ nullibi asseruisse comperimus, octauum mensem non esse naturalem. Quarta. Menses naturales, ac vitales à partu ipso appellantur; nimirum quia partus in eis editi vitales sunt, ac naturales. sed octauo per se nati huiusmodi sunt. igitur & c. Maior nota est. Minor ex eo probatur euidẽter, quòd materia per se octomestris vitalis octauo mense tantùm egredi queat, vt supra Auerrois ostendimus auctoritate. Quinta. Vnũquodq; denominatur ab eo, quod per se ei conuenit, non per accidens. sed octauo conuenit per se esse vitale, quia partus per se editus in eo vitalis est, cum hoc tãtum mense maturitatem possit accipere: igitur, & c. Sexta valde efficax ab Aristotele, licèt obscurissimè, prolata; ac ferè in hac materia mea sententia demonstrationis vim habens; prout tamen in ea

Cap. 4.

demon-

demonstratio locum habere potest: octomestres in Aegypto omnes sunt vitales, nõ secus ac nonomestres apud nos, ac decimestres; igitur per se, ac simpliciter vitales pronunciari debent; igitur octauus mensis vitalis omnino, ac naturalis. Probatur id, quoniam, vt primo de Anima dictum est, rectum est sui iudex, & obliqui; & in vnoquoq; genere optimum est, quod mensura est reliquorum illius generis: vnde ait Aristoteles decimo Ethicorum vniuscuiusq; mensuram esse virtutem, & virum bonum. Itaq; homo maximè temperatus, erit optimus iudex, & mensura eorum omniũ, quę naturaliter homini & per se congruũt, ac simpliciter; & quæ sunt homini huic naturalia, simpliciter hnmanæ speciei esse naturalia censenda erunt. Neq; enim eadem febricitanti, & sano esse huiusmodi videntur; neq; calidum quippiam imbecillo, & ei, qui bono habitu præditus est, vt citato loco idem docet. Nam quod simpliciter salubre est, vt tertio, & decimo eiusdẽ operis Aristoteles notatum reliquit, illud profectò est, quod non ægrotantibus, sed benè affectis salubre est. Quamobrem illud erit simpliciter naturale arbitrandum, quòd homini benè temperato est naturale: atqui bene temperatus homo nõ potest reperiri, nisi in benè temperata regione, cœloq; benè temperato; vel certè ibi maximè reperitur: sed inter omnes regiones Aegyptum temperatissimam esse, Aristoctles, & ante illum Hippocrates memoriæ prodidit (qua de re libro quarto, & quinto abundè disputatum fuit) igitur & eo in loco homo temperatissimus: proindeq; iudex, mensuraq;, qua omnia humano generi cõgruentia iudicentur. Itaq; quæcunq; hominibus eo loco naturalia sunt, simpliciter naturalia esse, non erit dubitandum. Sed ibi octomestris partus, hominibusq; illis maximè est naturalis; igitur, & simpliciter naturalis. Quapropter rectissimè Aristoteles hæc cogitans absolutè pronunciauit, octauo mense genitos esse vitales; & in Historijs tanquam maximum, idq; probãs euidenter, obijcit aliter opinãtibus, in Aegypto hos partus esse superstites. Sciebat enim diuinus vir, inde colligi necessariò naturali ratione, mensem octauum simpliciter, & per se esse vitalem. Quòd si locis nostris minus viuunt, id nihil est. Primum enim viuunt aliqui, vt testatur Aristoteles, & naturaliter viuunt. quod ad euertendã aduersariorum positionem opinãtium nullum octomestrem naturæ lege viuere posse, satis est. Deinde optimè temperatorum hominum ratione, sumus nos ęgrotantium instar, si ad sanos homines, ac benè affectos eos comparauerimus: quamobrem quid simpliciter ac verè sit humanæ speciei naturale, non ex nobis quidem, sed omnino ex illis est iudicandum. Oportet enim considerare naturam non in corruptis, vt illustrissima sententia primo Polit. scriptũ legimus, sed in perfectis; & in his, quæ magis se habent secundum naturam: ideoq; ille homo, qui corpore optimè dispositus sit, inspiciendus. quod Galenus acutissimè continens libro quinto de Simplicium Medicamentorum Facultatibus, notatum reliquit optimè temperatum hominem in affectionibus diudicandis pro mensura, & regula esse accipiendum. Septima, & meo quidem iudicio valde potens. Mensis ille naturalis est, in quo partus perfectionem accipit, ac maturitatem. sed octauo mense partus perficitur, vt septimo de Historia Animalium, & Problematum decima sectione affirmat Aristoteles, censuitq; vel Galeno interprete Hippocrates ante illum, vt libro decimo docuimus. Igitur octauus mensis partui naturalis. Atq; hæ rationes, licèt non deessent aliæ, satis probant mea sententia, octauo mense genitos partus esse naturales; vt qui peripateticam philosophiam profitentur, id necessariò fateri debeant.

[Marginal notes: Tex. 85. — Cap. 5. — Cap. 4. — Cap. 3. — Cap. 2.6.7. — Cap. 53. 54. — Cap. 3. — Cap. 4. — Cap. 4. — Prob. 40. — Cap. 34. vsque ad 38.]

Decem ponuntur ex Iureconsultorum thesauris rationes, octomestres partus legitimos esse statuentes. Cap. 18.

RAtionibus modo philosophicis alias ex Iureconsultorum oraculis excerptas adiungamus: quarum prima hæc sit. Ante septimum mensem editus imperfectus partus l. SEPTIMO MENSE, & illegitimus censetur; ergo à contrario sensu post septimũ, ac proinde octauo partus in lucem veniens perfectus, & legitimus dici debet. Secunda. Partus post decimum est illegitimus. ergo à contrario sensu ante decimum, & proinde octauo genitus legitimus est. Tertia. Partus intra terminos à lege præfinitos, intra septimum, ac decimum scilicet prodeuntes, legitimi ac vitales debent existimari. Sed octomestris intra hos terminos incidit. igitur, & c. Neq; rationem hanc vel minimum quidem Socinus Iunior labefactauit, dicens octauum esse excipiẽdum, quia à Medicis, & Naturalibus mẽsis hic censeatur non vitalis; quoniam cõtra-

[Marginal note: ff. de stat. hom.]

trarium, vt reor, ex dictis iam satis elucet. Quarta. Partus abortiuus est illegitimus; ergo à contrario sensu non abortiuus est legitimus. Sed octomestris non est abortiuus. ergo & c. Quod postremum ex eo patet, quòd abortus apud Iureconsultos, vt supra diximus, est fœtus mortuus editus mensibus à lege præfinitis; è contra non abortus, ac proinde legitimus, viuus iisdẽ mensibus prodiens totus; ac propterea octomestris, qui totus viuus ad orbem procedit, nequaquam abortus dici potest, sed legitimus omnino partus. Quinta. Quod fauorabilius est videtur sequendum: ideo in fauorem naturę de mensibus partus pręsumendum, ac pronunciandum. Igitur octomestris vitalis censeri debet. Maior clara est. Minor probatur; quia iniquè cum natura ille agit, qui opus suum refellit; & naturæ fauet, qui maturum, ac vitalem octauo quoq; eam parere decernit. In dubio enim benignior, & fauorabilior præsumptio sumenda est. Sexta. In obscuris verisimilius iudicandum. Sed estò obscurum sit, ac delitescens, an octauo genitus naturaliter sit superstes; verisimilius tamen est, ipsum viuere posse; quia natura ad hoc fęum edit, vt vita potiatur; ex quo & octomestris vitalis est potius iudicandus. Septima. Vbicunq; aliquid potest esse verũ, nunquam præsumitur esse falsum; Baldus in l. SEPTIMO MENSE. Sed octomestres esse vitales potest esse verũ, cum apud nos aliqui, in Aegypto omnes viuant; ergo id nunquam pręsumi debet esse falsum. Octaua: quia lex decernit l. SI MAIOR, quæ probabiliter noscuntur à natura esse producta, non refelli. Sed octomestres partus probabiliter noscuntur à natura esse producti. igitur non sunt respuendi. Maior perspicua est. Minor satis patet ex superioribus; & ex eo etiam probatur, quòd maius est quinquagenariam parere, quàm octauo nasci vitalem. & ratio est, quoniã quinquagenaria per accidens partum format, ac gignit, & indiuiduali potius quàm specifica proprietate; cum per se, & sua natura id non posit; eò quòd ex communi naturæ humanæ speciei lege, vbi quinquagesimum annum ingrediuntur mulieres ob menstruorum inopiam steriles euadunt, vt septimo Hist. docet Aristoteles: at è contra naturale humanę speciei est, vt octauo pariat, partumq; perficiat; vnde per se id ei conuenit, vt superius vidimus. Nona. Partum perfectum lex tanquam legitimum agnoscit. Sed octauo mense Aristotele teste partus perfectus est. ergo & c. Decima demum, ac postrema; quia experientia rerum magistra id probat euidenter: à qua non esse recedendum lex definit. Nam testificatur septimo Historiarum Aristoteles in Aegypto omnes, in Græcia nonnullos fieri superstites. Polybus, ac Diocles, Plutarco libro quinto de Placit. Philosoph. referente, multos: Euriphon Gnidus, Censorino de die Natali teste, omnes, iidipsũq; Auicenna in Hispania, Plinius libro septimo in Italia contingere, Albertus Magnus in terra Adekil confirmant: vt nulla ætas sit, in qua octomestres aliquos vixisse, non fuerit à receptis, ac fide dignis auctoribus obseruatum. Et sanè arbitror ego his temporibus multos octauo mense ẽdi, ac in viros euadere, & adolescere; qui tamen vel septimestres, vel nonomestres esse putantur: quia mulieres sui conceptus initium vt plurimum latet: quanquam non desunt summæ auctoritatis viri, qui hac nostra tempestate octauo fętum gigni, & adolescere obseruarunt. Hieronymus enim Confortus vir clarissimus, atq; in arte Medica ob insignem doctrinam, & experientiam maximi nominis, præteritis annis, cũ in Aula esset Serenissimi Ducis nostri, retulit mihi, in Brixiana Ciuitate nobilem quandam matronam partus expertissimam (vtpotè quæ multos filios habuerit) octomestrem edidisse, qui viuus, & incolumis hodie existit; idemq; alibi ab eo fuisse obseruatum; qui etiam opinionem hanc nostram rationi maximè consentaneam esse dixit. Cuius rei, pręter alios multos, Nicolaum Salandrum eruditum virum & integerrimum, locupletissimum ac certissimum testem habeo, qui inter cęteros sermonibus nostris interfuit.

C. de legit. hæred.

Cap. 5.

Cap. 4.

Cap. 18.

Cap. 5.

Testimonia pro nostra sententia afferuntur; ac primum Hippocratis. Cap. 19.

VErùm de rationibus hactenus; nunc auctoritatibus manus admoueamus. ac primum Hippocrates sese nobis offert libello de Alimento verbis illis, quæ communiter aduersarij afferunt aduersus octomestres. Recenset enim eo loco diuinus senex partus naturalis tempora, atq; inter illa octauum mensem enumerat, ita scribẽs. » Ad elapsum ducentos quadraginta, non » est, & est. At primùm hic, vt dicebamus, tempora percenset naturalia pariendi: nam supra septimestrium, & decimestrium tempora recitauit; igitur si inter hæc octauum

adnumerat, certè eum tanquam tempus pariendi naturale agnoscit. Quòd si addit, ,, non est, & est, hoc nihil officit. Nam, si Valesio credimus, dicit his verbis, vt ipsemet Hippocrates statim subdit, tempora enarrata non esse, & esse, quia & in illis,& paulò citius, & paulò tardius partus edi vitales possint. Deinde, ne Veteribus fidem derogemus, si, vt refert Gellius tertio ,, Noctium Atticarum, legi debet non est, & ,, est octomestris generatio; non statim Sabini interpretatio sequēda est: vt scilicet dicat Hippocrates non esse eam, quia fœtus non sit vitalis; esse, quia viuus aliquando oriatur: enimuero hoc pacto potius illum non esse simpliciter, pronunciandum Hippocrati fuisset. sed verus sensus verborum diuini senis clarissimè ex superioribus elucet, veritate non intellecta satis antea obscurus: non esse scilicet octomestrem generationem; quia plerunq;, & per accidens hi fœtus in Græcia, vbi scribebat Hippocrates, non sunt vitales;esse autem, quia & aliquando ibi viuant, & per se octauus mensis tempus sit pariendi naturale,& partus in eo editus naturaliter vitalis. quod quidē satis ostēdit Hippocrates, inter reliqua naturalia tempora illum enumerans. sed fusius octauo libro hunc esse verum huius loci sensum demōstratum est. Secundo hoc idem ex Hippocrate ostenditur secundo & sexto Epidemicon nil aliud requirente ad hoc, vt fœtus vitalis exeat, nisi vt nil intra constitutum tempus incommodi parenti accidat: ita enim scribit vtroq; in loco. ,, Quibus nil intra constitu- ,, tum tempus accidit, singulis partus vita- ,, les fiunt. quamobrem cum octauus mensis inter tempora pariendi naturalia ab eo libello de Alimento recenseatur; si mulieribus intra tempus id nil mali eueniat, vtiq; octauo genitus vitalis erit. Tertio extat oraculum secundo Epidemicon, à nullo recentiorū animaduersum, à Cornario perperam translatum; de quo Galenus Commentario primo in sextum Epidem. habet mencionem: ita autem sonat Hippocratis ,, oratio, vt ego interpretor ad verbum. Ex ,, vtero octomestri, quæ iudicationum sunt ,, posteriore. Enimuero grecum exemplar ,, ita habet. ἐξ ὑστέρης ὀκταμήνω, τὰ τῶν κρίσεων τῇ ,, ὑστεραίῃ. atq; sententia est, octomestri, qui per se talis est (de talibus enim indicante Galeno sermonem habet) ex vtero iam edito, & tempore posteriore, quæ iudicationum sunt contingere; labores videlicet,& ægritudinem: quæ omnia iudicationum

Cap. 16. — Cap. 58. usque ad 60. — Sect. 3. — Sect. 8. — Sect. 1. — Part. 2.

nomine Hippocrates intelligit. quibus nos admonet, in vtero fœtus per se, ac natura sua octomestres non ægrotare, ac proinde vitales egredi, cum secundi quadragenarij malignitatem non sentiant, sed tertij tantum; ideoq; duos non perpetiantur labores consequenter; quæ sola & vera Hippocrati est causa mortis octomestrium, vt libro octauo fuit expositum. Habent aliam commodissimam interpretationē hęc verba; atq;, vt nos abundè decimo libro Galeni mentem explicantes mōstrauimus, octomestres partus omnino naturales esse pronunciant. Quarto in eandem sententiam videtur locutus diuinus Senex secundo Epidem. verbis illis. Alimento quidem ,, transmutationem accipiente, octomestri ,, vero perficiente. Alimenti enim nomine ,, materiam intelligit Hippocrates, ex qua fœtus conformatur, vt ex primo de Diæta patet; vbi scriptum est, fœtus non æquali tempore exornari, sed vel citius, vel tardius, prout singuli ignem, & alimentum nacti fuerint. Itaq; inquit superiore loco, alimentum mutationem accipere, scilicet conformari; octomestre vero tēpus perficere; nimirū qua materia sua natura possit esse octomestris: ita vt perfectionē, & maturitatem octauo mense partum adipisci sentiat. Non me tamen præterit, posse Hippocratis verba in alium sensum extorqueri; sed non dubito eos nobiscum non esse consensuros, qui sectæ, aut opinionis deposito amore, ingenuè illa ad veritatis lancem appendere voluerint. Est præterea alius huius loci sensus à Galeno allatus nostræ sententiæ plurimum fauens, vt liber decimus aperuit: ac de Hippocratis autoritatibus satis dictum. Aristotelis mox, & Auerrois loca pro secundo, & tertio testimonio sequerentur, quæ cum superius allata sint, non sunt hîc inutiliter repetenda.

Cap. 6. — Cap. 31. 32. 33. — Sect. 3. — Cap. 35.

Decem alia recitantur testimonia. Cap. 20.

Extat quartum testimonium ex Ioanne Grammatico, insigni Aristotelis interprete, qui ita scribit in Commentarijs super quartum librum de Anim. ortu, mensem octauum omnino naturale tempus agnoscens. Quod vero dicitur, solutio est ,, cuiusdam dubitationis. Dubitauerat enim ,, cur fœminæ, & mares in vtero existentes ,, non similiter perficiuntur; sed mares qui- ,, dem septimo, & nono mense: fœminę au- ,, tem octauo, & decimo in lucem veniant, ,, & c. Quintum Galeni est in Commentario ,,

Part. 2. p. super sext. Epidem. eos ridentis, qui octauum mensem præter naturam esse asseuerabant. Perinde vero (inquit) atq; isti, neq; illi fide digni sunt, qui septimum mensem, ac nonum fœtuum partus efficere; octauum verò, ac decimū egressiones præter naturam vno mense naturalibus tardiores efficere asserunt. Item libro decimoquarto de Vsu Partium, & 5. secto Aphorism. (Cap. 8. Aphor. 39.) vbi perspicuè octauum mensem affirmat fœtui afferre maturitatem, ideoq; per id temporis lac potissimum abundare; quę duo loca copiosè à nobis libro decimo (Cap. 31. vsque ad 38.) fuerunt exposita: quibus & ea, quæ in libro de Anatomia Viuorum habentur, calculum adijciunt; in quo plura ad Galeni mentem contineri Medici fatentur. Sic autem ibi scriptum legimus. Et propter istas diuersitates temporum formationis, etiam variantur tempora partus; & ideo quidam nascuntur in septimo mense, quidam in octauo, quidam in nono. Sextum Auicennę est, asserentis de communi sententia octomestres in Hispania esse vitales; cuius opinionem latè nos libro decimo explicuimus (Cap. 5. vsque ad 12.), demonstrantes, licèt barbaris Medicis aliter videatur, ab Aristotelis, Auerroisq; sententia illum non dissentire: quod vnico testimonio, ex nono libro de Animalibus excerpto (Cap. 5.), satis hìc erit nobis indicasse; vbi ita scribit. Et si exiuerit in octauo, erit fœtus debilis; & non festinabit ad exitum propter virtutem innatam, sed potius propter occasionem: quibus patet de octomestribus per accidens Auicennam loqui; vt si dicamus octauo mense edi non propter virtutem innatam ad exitum festinare, iam huiusmodi talem, quia contrariorum contrariæ causæ sunt, de illius sententia vitæ compotem esse oporteat. Septimum Polybi est, ac Dioclis; quorum placita sic Plutarcus libro quinto de Placitis Philosophorum refert (Cap. 18.). Polybus, inquit, & Diocles empirici vel octauum mensem agnouere genitalem; etsi languidiorem quodammodo; quia permulti ex infirmitate pereunt: ferè tamen octomestres non pauci in viros euaserunt. qui locus abundè libro tertio explicatus fuit (Cap. 80.). Octauum est Hipponis Metapontini à Censorino de die Natali his verbis allatum; quo loco Aristotelem, & Dioclem idem sensisse affirmat. Hippon Metapontinus, inquit, à septimo ad decimum mensem nasci posse existimauit. & non multò post. Contra eum ferè omnes Epicarmum secuti, octauo mēse nasci negauerunt. Diocles tamen Caristus, & Aristoteles Stagirites aliter senserunt. nimirum aliter quàm Epicarmus, quoniā ipse octauo edi posse vitalem partum negauit; hi verò posse affirmarunt. Nonum, & maximè notandum, quod mirificè pugnat aduersus Iurisprofessores, ex Plinio est; qui libro septimo de Historia Naturali (Cap. 5.) contra veterum sententiā testificatur in Italia octomestres fieri vitæ compotes. Verba hęc sunt. Homo toto anno, & incerto gignitur spatio: alius septimo mense, alius octauo, & vsq; ad initia decimi, vndecimiq; & mox. Translatitium in Aegypto est octauo gigni; iam quidem & in Italia tales partus esse vitales contra Priscorum opiniones. Decimum ex Alberto Magno libro nono de Animalibus sumitur (Tract. 4. cap. 1.); qui non solum in Aegypto, sed in alia quoq; regione nomine Adekil, vitales esse octomestres scribit. Vndecimum. D. Thomæ est, asserentis in opusculo de Fato, ex octauo mēse genitis nonnullos fieri superstites, licèt pars maior intereat; cuius opinionem nos vberrimè libro nono contra Socinum explicantes (Cap. 38. vsque ad 46.), de octomestribus per accidēs illum intellexisse ostendimus; ideoq; nostræ sententiæ non officere. Duodecimum fundatissimi cognomento Aegidij Romani est, plus etiam quàm nos petimus, concedentis; nempe octomestres per accidens posse etiam esse vitales, atq; Saturni infęlicem influxum, debilitatemq; ex motu in septimo edito contractam posse superare. Ita .n. scribit in opusculo de Formatione fœtus (Cap. 16.). Sed quicquid sit de alijs causis, dato quòd puer petat exitum in septimo, & non valens exire, exeat postea in octauo; si sit mulier benè complexionata, & robusta; & generet filium viuacem, & fortem; non sic lædetur ex eo, quòd petit exitum, & non obtinuit, sicuti si esset debilis; ita quòd in octauo mēse exiens, licèt rarò hoc contingat, poterit viuere. & paulò post. Ideo si mulieres robustæ, & quæ viragines generent puerum, propter viuacitatem, quam habent ex bona complexione matrum, nati in octauo mense poterunt superare vtrunq; impedimētum superius positum. Decimumtertium Roperti Olkot magni D. Thomæ sectatoris in Commentarijs super librum Sapientiæ (Lect. 88.), octauum mensem de Aristotelis sententia genitalem agnoscentis: cuius hæc est oratio. Notādum (inquit) est secundum Aristotelem nono de Animalibus capite primo, quòd omnia animalia habent vnum certum terminum pariendi præter hominem. Sola autem

„ autem mulier habet diuersos terminos pa-
„ riendi. Nam quædam pariunt mense septi-
„ mo, & quædam vt communiter mense no-
„ no, & quædam intrant in decimum. quæ-
„ dam autem mense octauo.

Septem alia adhuc afferuntur testimonia. Cap. 21.

DEcimum quartum Apponensis est, à quo vel inuito testimonium aliquando extorsit veritas. Vbi enim octomestres maximè refellit, quasi palinodiam canens, id non esse firmiter asserendum videtur cõfiteri; sic enim scribit Differentia quadragesima nona. „ Nosse quoq; nõ esse proteruiendum in huiusmodi terminationibus „ mensium præcisis; & vniuersaliter cuiuslibet artis materiam sensibilem concernẽtis, „ propter ipsius vagam, & indeterminatam „ naturam. Quid enim est, quod inquit non esse proteruiendum in huiusmodi terminationibus mensium præcisis? sanè nil aliud, nisi quòd octauo mense partus naturaliter vitalis nasci non posit, non esse proteruiendum. si enim concedamus, nasci eum & viuere posse præter naturam, à proteruitate non recedemus. Decimumquintum ex Nicolao Florentino sumitur; qui sermone sexto de Membris generationis in hanc eãdem sententiam videtur inclinare, ita scribens. (*Tract. 3. Cap. 9.*) „ Et fortasse considerata benè varietate formationis fętus, & ipsius motionis, „ possibile est videre, quòd non solum in „ vndecimo mense possibile sit fœtum gigni, „ sed in duodecimo, & decimotertio, & in „ decimoquarto, vt scilicet dixit Auicenna; immò & in octauo mense. & mox. Cũ „ enim omnis fœtus, vt apparebit, moueatur ad exitum in septimo mẽse; si non exit, „ in motu illo debilitatur; & oportet quòd „ resumatur eius virtus, antequam vlterius „ moueatur. Potest autem eadem diuersitas „ multa in debilitate acquisita per motum in „ septimo; & secundum quam aliqui plus debilitantur, aliqui minus. similiter & in re„ sumptione ab illa debilitate, secũdum quã „ aliqui resumuntur citius, aliqui tardius; & „ sic possibile est aliquem resumi in quadra„ ginta diebus, aliquem in paucioribus, ali„ quem in pluribus; secundum quam varie„ tatem contingit aliquem partũ fieri citius, „ & aliquem tardius. Hæc ille; qui multò citius quàm die quadragesimo fœtum vires ex imbecillitate contracta recuperare posse dicens, octauo mense posse eum vitalem nasci omnino fatetur. Decimum sextũ Marsilij Ficini est attestantis se octomestrem seruasse, vt non sit impossibile eos viuere, quemadmodum Baldus audacissimè decernere non est veritus. Eius verba sunt in præfatione ad libellum de Vita cęlitus cõparanda. Ego enim fræquenti (inquit) „ iamdiù experientia compertum habeo, tã„ tum interesse inter medicinas eiusmodi, „ atq; alias absq; delectu astrologico factas, „ quantum inter merum, & aquam: vt etiam „ infans octauo à conceptione mense natus „ Florentiæ mense Martio, nocte, ascendente „ Saturno retrogrado semiuiuus, eiusmodi „ diligentia videatur à nobis, immò à Deo „ quasi vitæ redditus potius, quàm seruatus. „ qua de re in Commentarijs in Plotinum sic etiam scripsit. (*Argum. in lib. 3. Aenead. 2. cap. 8.*) „ Quantum vero ad hæc medicinæ diligentia valeat, compertum habeo „ & sæpè alias, & in puero, qui natus octauo „ conceptionis mense, nocte sub Saturno stationario, statione prima, in Sagittario ascẽ„ dẽte, semiuiuus profectò, & vix, vt videba„ tur, victurus ad triduum, tamen diligen„ tissimè curatus à nobis, paulatim recepit „ vires; & iam plures annos impleuit. Decimum septimum Victoris Trincauelij est Medici eruditissimi primo libro Consiliorum sic aientis. (*Cons. 34.*) „ Nam primum omnes ferè „ consentiunt, quòd cætera animalia omnia „ certos magis pariendi terminos habent, „ quàm homo. A septimo enim vsq; ad vnde„ cimum parere fęliciter potest: quod satis „ aperte testatur Aristoteles septimo de Hi„ storia Animalium cap. 4. Et quamuis in „ his regionibus, in Græcia, & Italia raro „ in octauo mense fœtus editus diù viuat; „ aliquando tamen, vt ille idem asserit, vixisse „ depræhensus est. Decimum octauum Ioannis Manardi est sua ætate in arte medica primarij, libro decimosexto Epistolarum (*Epist. 1.*) illud Hippocratis dictum declarantis ex libello de Alimento, Non est, & est & c. vbi sic scribit. „ Rursus ambigis circa alia quę„ dam verba, quæ in hunc modum legis. Alij „ ad discretionem quadraginta, ad transmu„ tationẽ octoginta, ad excisionem quadra„ ginta & ducentis, non est, & est: quæ cer„ tè verba non difficile est intelligere, intel„ lectis his, quæ paulò ante scripsit; vbi ait, „ quinq; & triginta soles & reliq. quattuor „ enim opiniones recitat de tempore, quo fę„ tus in vtero completur: quas vbi recitauit, „ addit, est & non; volens videlicet osten„ dere dies formationis, motus, & partus nõ „ esse certos, & præscriptos; sed varietatem „ tantam recipere, vt quæuis opinionũ quã„ doq; vera esse posit. cui sententiæ non so„ lum Philosophi, & Medici, sed Iureconsulti

» quoq; subscribunt. Hæc Manardus; ex quibus satis manifestum est, eum arbitrari, quadraginta & ducentos dies partum ex Hippocratis mente perficere: ita vt verum esse posit, maturum tanto emenso tempore, & vitalem partum edi. at tempus id octomestre spatium est iuxta tricenum mēsium rationem, quos Hippocratem, Galenum, Auicennam, probatosq; omnes Veteres autores secutos esse liber septimus abundè demonstrauit. ex quo & Auicenna huiusmodi dierum aceruum Fen vigesimaprima tertij octomestre spatium appellat.

Cap. 54. usque ad 61. *Tract. 1. Cap. 2.*

» Et ipse quidem (scilicet natus in octo mēsibus) inquit, non iam integrè completur, nisi secundum proportionem prædictam, & nascitur apud complementum suum. Est enim spatium 40. dierum, deinde 80. dierum, deinde & 240. dierum. Decimumnonum Antonij Musæ Brasauoli Medici itidē doctissimi in Comment. super quartum sectum Aphorismorum, aduersus etiam Hippocratis sententiam octauum mensem genitalem esse affirmantis. Nos, inquit, hoc tantùm addemus, simpliciter non esse verū octomestres occumbere, & decimestres, vt dicit Hippocrates, licèt excedant septimā quadragenariam. Nam Illustrissimi Ducis nostri Herculis secundi primogenitus decimestris in lucem erupit, tamen non obijt. Sed de his aliàs vbertim agemus, simul & Plinij verba de octomestri partu adducentes. Vigesimum Cardani super lib. de Septimestri, & octomestri Partu scribentis in hanc sententiam. Ex his primum, inquit, manifestum est tùm antecedentibus, tùm etiam verbis illis, ægrotanti enim adhuc, loqui illum (scilicet Hippocratem) non de omnibus, qui nascuntur in octauo mense, neq; in sexta quadragenaria, sed solum de ægrotantibus. Et ideo ex hoc liquet, quòd multi possunt superuiuere, qui non ægrotant, si eo tempore nascantur. Nam duo filij Cardinalis Sfondrati, & ipse Cardinalis Sfondratus, omnes nati sunt octauo mēse, & superuixere. & in Aegypto nati octauo mense generaliter viuunt.

Aphoris. 1.

Aliud pulcherrimum ex Cardano adducitur testimonium, & expenditur. Cap. 22.

HAec Cardanus; cuius profectò tanti viri auctoritas experiētia nixa, cum tres octauo mense genitos vitales, ac superstites fuisse testificetur; cogit nos omnino, vt octomestrem partum vitalem fateamur. cuius etiam verba non videntur hoc loco prætermittenda Contradicentium Medicorum libro primo; vt quæ idipsum experientia probent, doceant ratione. Octomestres igitur (inquit) quanquam careant & ratione mensium, & quadragenarum, moram tamen diuturnam traxerunt in vtero; & ob id plerunq; etiam viuunt. & quidam nobilis habens duos filios, eos habet ambos octomestres; & ambo in infantia vsq; ad extremum vitæ discrimen peruenere. Si igitur sit lex (vt apud Armenios) quòd maritus possit dimittere vxorem impudicam: & aliquis reuertens ex longinqua regione, cū vxore concūbat per duos, aut tres dies; post iterum abeat; & reuertatur inueniens vxorem peperisse filium sub certo tempore octaui mensis sospitem, & iam temporū validiorem factum, vxorem non potest vocare in ius ob hoc. Et similiter si (vt contigit Romæ Gellio autore) priuilegium sit trium natorum (quod nunc solum in duodecim obseruatur) habeat autem aliquis vndecim filios, & ex certa computatione oriatur illi octomestris; duodecimus gaudebit hoc priuilegio, etsi protinus moriatur. Eodem modo mater enixa posthumum octimestrem viuum, illo paulò post mortuo excludet agnatos ab hæreditate mariti; vbi seruatur lex, vt mater filio succedat. & causa in his est, quòd ratio naturalis præponi debet causis sumptis ex syderibus, & numerorum obseruatione. Hæc ille; quibus nescio an alia, quæ octomestribus magis faueant, inueniri possint; cum & hos partus vitales esse, & naturales, & legitimos, & testamentum soluere perspicuè affirment; & quod magis est, plerunq; viuere. Quòd si liber sextus docuit neq; etiam causas à syderibus, ac numerorum obseruatione sumptas, secus quàm Cardanus existimauerit, octauo genitis deesse; iam tres illæ causæ, quæ ex huiusmodi viri sententia partum vitalem reddunt, in octomestri omnino locum habebunt. Nec turbat veritatem hanc, quòd hic autor post allatas difficultates in medio disputationis cursu, antequam illas tollat, se nōnulla miracula testificetur recensere; quasi & quòd octauo geniti viuant, inter huiusmodi miracula censeat adscribendum. Nam, & sic ibi notatum reliquit. His tot tantisq; difficultatibus expositis, si quis cupiat euadere, primum illud statuat, ne miracula in exemplum, aut rationem adducat. Vt enim rectè dicebat Auerroes, in omnibus artibus solent monstra quædam accidere. cui sententiæ & illud paulò post videtur adsti-

Tract. 3. contrad. 8.

Cap. 64.

adstipulari, quòd his verbis innuit, aliud tamen agens. Vel dic, quòd verius est, legem semper esse de his, quæ fræquentius accidunt. Quandoquidem primum ipse Cardanus dixit octomestres plerunq; viuere; moxq; legem illis aptari; cum & mulierem vocari in ius non posse, & posthumū octomestrem soluere testamentum, & excludere agnatos affirmauerit: quæ omnia nec miraculis, nec raris partubus conueniunt. Deinde, quæ in miraculis habenda sint, eodem loco perspicuè docuit, ita subijciens. Nam quòd aliquis superuixerit natus sexto, vel decimoquarto mense, illud in experimentum adduci non debet, & c. quæ autem rara existimanda, illa esse dicit, quęcunq; narrat exēpla ad eos pertinētia, qui post diē 163. ante 183. in lucē veniunt. nam, vt libro septimo vidimus, ante diem 182. Septimestrem nasci vitalem posse Cardanus arbitratur; nec vllum inueniemus de octauo genitis verbum. hæc enim exempla, etsi rara paulò post esse fatetur, miracula tamen esse negat, ita scribens. Quę tamen, vt ostendam, non miracula sunt, sed quanquam rara, naturæ tamen legibus continētur. quòd enim post decimumquartum mensem fœtus oriatur, miraculum Cardanus omnino putat; quemadmodum in disputationis calce his verbis innuit. Verum in his non miracula, sed regulæ pro legibus habendæ sunt. Neq; enim (etsi contingere posit) quisquam filium post 14. à discessu suo natum mensē pro suo habebit. Vnde rectè dixit Euangelista, quòd Ioseph voluit dimittere Mariam, cum esset prægnans absq; suo congressu. Stultum enim fuisset miraculum præsupponere. Sed retinuit, quia occultum miraculum apertissimum ex Angeli monitu cōfirmauit. idemq; de sexto mense genitis apud ipsum est iudicium. Quare, vt videmus, octomestres Cardano non solum miracula non sunt, sed neq; etiam rara; cum plerunq; in natura secundum illum locum habeant. ex quo & illis septimestribus hos partus videtur anteponere, qui post diem 163. ante tamen diem 182. oriuntur, atq; eius hæc est oratio. Et si quis dicat, quis magis vitalis est, septimestris, an octomestris? Dico quòd septimestris: quia habet rationem numeri, & moræ, etsi in mora vincatur ab octomestri. Natus autem intra 182. diem, & supra 163. parum differt ab octomestri. Intelligit enim, vt patet, differre hos septimestres parum, quia aliquanto sint imperfectiores, cum rarius in natura, vt ipse docuit, locum habeant.

Cap. 28.

Tria alia afferuntur testimonia. Cap. 23.

VIgesimum primū Horatij Eugenij est, publicè hac tempestate in Academia Patauina Medicinam in primario loco profitentis, viri eruditissimi; qui libro octauo epistolarum non veretur, etiam contra Hippocratem si opus sit, pro veritate stare. Scribit enim sic. Quod vero attinet ad secundam disputationem, declaraui octimestrem partum posse aliquādo vitæ superstitem euadere; rationes Hippocratis nihil contra nostram opinionem concludere; opinionem Astrologorum merum esse figmentum. Et infra non multò post. Alterū vero est, quòd nulla subest necessaria causa, qua statuere debeamus, omnem octomestrem fœtum esse imbecillum, atq; valetudinarium; vt contra sententiam Hippocratis libro secundo de Partu demonstratum est à nobis. quamobrem si fuerit validus, ita vt posit causæ vniuersali resistere, viuet ille quidem, quamuis rarò; in qua re conuenit cum partu septimestri. Nam hic etiam rarò viuit dicente Hippocrate; ex multis enim pauci sunt vitæ superstites. Hæc ille; qui dum hoc Compendium, decē libris iam absolutis, ad exitū perducimus, suos de Partu Humano libros diuulgauit, doctè quidem, ac subtiliter conscriptos; in quibus, vt in epistolis se facturum promiserat, octauo genitos etiam contra Hippocratis sententiam, vt fidem suam liberaret, non semel statuit esse vitales. Nam primo libro sic legimus. Tertio Aristotelem in hac materia fuisse diligentiorem Hippocrate. Nam hic septimestrem partum esse vitalem nouit, & obseruauit primus; octomestrem nullum vitalem esse voluit: ille autem nouit octomestrem vitalem in Græcia, in Aegypto, ac in alijs regionibus, in quibus fęcundæ sunt mulieres. Alij nouerunt Romæ, & in Hispania viuere; alij in alijs prouincijs. quòd sæpè eodem libro confirmauit. Et secundo libro longè clarius. Constans (inquit) ęst ferè omnium opinio, natos octauo mense non esse vitales: ab his ego dissentio; an benè, aliorum sit iudicium. Et paulò post. Videtur mihi consonum rationi statuere, validiorem esse fœtum octauo mense quàm septimo; tùm quia grandior, ac robustior, tùm quia rumpit eo tempore membranas, quas septimo rumpere non potuit mense. Nemo vnquam inficiabitur validiorem esse fętum,

Epist. 3.

Cap. 16.

Cap. 10.

Cap. 13.

qui

Cap. 16.

» qui rumpere posſit, quàm qui non posſit.
item & paulò infra, cum eorum teſtimonia
in medio poſuiſſet, qui octomeſtres partus
» vitales exiſtimarunt. Iis ego manus ad-
» hibeo, vt puta qui hactenus diligenti facta
» computatione bis in hanc vſq; diem partũ
» octomeſtrem vitalem obſeruauerim: certè
» magna poſteris fides adhibenda eſt. Quod
ſanè tanti viri teſtimonium, non quidem è
plebe, ſed periti in arte, ſed Philoſophi, ſed
Medici inſignis; non oſcitanter quicquid
caſu contigerit, vel à mulierculis vanè di-
ctum ſit recipientis, ſed rem ex propoſito,
& magna cum diligentia obſeruantis; effi-
cit profectò, vt nulla ratione de mea opi-
nione neq; pelli, neq; moueri posſim; &
efficere certè debet, vt illi, quibus præter
verum nihil eſt in bonis, quanquam acerri-
mi octomeſtrium hoſtes, ad Ariſtotelis ſen-
tentiam reuoluantur; hoſq; partus natura-
les fateantur ac vitales. quam veritatem &
eodem loco idem auctor paucis interiectis
» verbis ſic rurſus confirmauit. Poſtremò
» (inquit) ſi admittatur illorum opinio, qui
» menſibus ſolaribus computationes effici-
» unt ex plenis integriſq; ; atq; propterea
» volunt ſeptimo mẽſe pleno natum vitalem
» eſſe, vt de Paulo Iuriſconſulto ſupra dice-
» bamus; quis dubitabit octauo menſe natũ
» eſſe vitæ ſuperſtitem. Pleni menſes ſeptem
» conſtituunt dies 210. in quibus adſunt dies
» tres, aut quatuor de octauo lunari, vt cõ-
» putatione facta conſtat. Neq; putandum
» eſt in eam opinionem temerè antiquos, il-
» luſtreſq; autores perueniſſe; ſed cõtra ideo
» ſcripſiſſe pleno menſe parere mulierem,
» quia aliquando ſic contigiſſe ab illis fuerit
» obſeruatum. Cum Ariſtotele igitur con-
» cludo, nullum certũ, determinatumq; ho-
» mini ſoli datum eſſe pariendi tempus, poſt
» abſolutam omnium partium conformatio-
» nem; atq; octomeſtrem aliquando vitalem
» naſci; quia ſi ſpectemus formationem, me-
» lior eſt dubio procul ipſo ſeptimeſtri.
» euaſit enim maior, ac ideo etiam robuſti-
» or. ſi parentes ipſos, poteſt æquè genera-
» ri ex optimo ſemine parentum. ſi fæcun-
» ditatem mulierum, ſunt vbiq; fæcundiſsi-
» mæ. ſi aeris temperiem, habet Italia, Hiſ-
» pania, Aegyptus, aliæq; ſubinde regiones
» quàmplures aeris temperiem ad hunc effe-
» ctum producendum idoneam. ſi cœlum
» contempleris, hoc nihil poteſt imprimere
» in particulari ſine diſpoſitione parientis.
» ſi obſeruationes clariſsimorum auctorum
» conſideres, iam quidem manifeſtum feci-
» mus Ariſtotelem, Auicennam, Plinium,
Marcum Varronem, Cæcilium, Dioclem, »
Polybum, Plutarcum, atq; ex recentiori- »
bus Nicolaum Florentinum, Braſauolam, »
Ferdinandum Menam, Antonium Fracan- »
zianum Vicentinum, Nicolaum Maſſam, »
Terellium, & alios pleroſq; docuiſſe, octo- »
meſtrem aliquando vitalem prodijſſe. Atq; »
ſi poſtremò rationes Hippocratis animad- »
uertemus, illas non concludere cognoſce- »
mus; ac ex eiuſdem doctrina longe potio- »
res deduci poſſe rationes contrariam opi- »
nionem perſuadentes. Vigeſimum ſecun- »
dum Bertazzolij eſt iunioris in Additioni-
bus ad Conſilia Excellentiſsimi Bertazzo- *Conſ. 452.*
lij ſenioris; qui vnus inter Iuriſprofeſſores *Lib. 2.*
videtur propius ad veritatem acceſsiſſe, ita
ſcribens, præfatus antea, naturæ opera om-
nia eſſe admiranda, & imperſcrutabilia;
ſed admirabiliora, & imperſcrutabiliora,
quæ hominis procreationem reſpiciunt; vt
nec Medici posſint, nec obſtetrices ali-
quid, niſi malè tutum, de conceptione par-
tuſq; temporibus obtrudere. Noſtri de- »
inde Doctores (inquit) ita intemperanter »
pronunciabant quaſi ex tripode ſuas illas »
aſſertiones de nato in octauo, vel ſexto mẽ- »
ſe, de partu vitali, de ſignis conceptionis; »
de quibus in l. centurio .ff. de vulgar. & »
pupill. & in l. Gallus .ff. de liber. & poſth. »
& ſcribunt Dec. Caſtr. Marſ. Alciat. & alij »
relati fuſiſsimè à Tiraquello in l. ſi vnquam »
in verb. ſuſcepit liber. num. 205. & 206. C. »
de reuocand. donat. & poſt eum à Crauet. »
conſ. 210. Cepol. conſ. 221. Rol. conſ. 56. »
in 3. Burſat. conſ. 63. Menoc. conſ. 284. »
& Ludou. conſ. 37. Non auderem ego pro- »
nunciare natum in ſexto, vel octauo menſe »
vitalem eſſe, licèt contrarium nulla fortaſ- »
ſe certa ratione probari posſit; vt elegan- »
tiſsimè docet doctiſsimus Speronius in »
Dialogo ſuo de Partu mulierum: ſed illud »
affirmo procedere debere, quando certi ſu- »
mus de inſtanti conceptionis. ſed ſi à con- »
iecturis ſumenda eſt certitudo, video om- »
nia incertiſsima; hincq; mordicus inhære- »
rem præſumptioni, editum eſſe puerum ſuo »
tempore, & viuere poſſe: de qua præſum- »
ptione loquitur Socinus Iunior conſ. 35. »
num. 24. in 2. Burſat. conſ. 63. num. 21. & »
alij, quos adducit Menoc. d. conſ. 284. n. »
6. Vigeſimumtertium tandem ac poſtre-
mum clariſsimi viri, atq; hac ætate inter
Iuriſprofeſſores facilè principis Sfortiæ *Conſ. 28.*
Oddi; qui in Reſponſis nil tàm irridet,
quàm hoc ſuæ familiæ aduerſus octome-
ſtres ſine ratione, ſine experientia, ſine le-
gum auctoritate decretũ. Et profectò mi- »
rum

» rum (inquit) semper mihi visum fuit, quòd
» Iuris nostri interpretes attentauerint hoc
» de puero nato viuo, & suis membris omni-
» bus composito in octauo mense, & dubita-
» uerint illud admittendum ad sucesionem,
» & transmissionem illius; quando leges præ-
» dictæ expressè dicunt, quòd septimo men-
» se dicitur etiam perfectus partus; & quòd
» in vtero potest gestari vsq; ad vndecimum
» mensem. Et infra longè clarius. Videtur
» penè ridiculum quòd nostri iuris interpre-
» tes ita temerè concurrant in illam opinio-
» nem, quòd isti partus octomestres nullo
» pacto sint vitales, & propterea dici debeāt
» abortiui; & tales, vt in iure pro non na-
» tis haberi debeant: quando lex nihil de hoc
» dicit, & contrarium expressè vult sub sua
» generali dispositione. Et non multò post.
» Ex quibus constat, quòd hoc primum as-
» sumptum ex naturalibus (videlicet quòd
» octauo genitus non sit vitalis) non solum
» auctoritatibus est ambiguum, & in confu-
» so positum, sed etiam rationibus omnibus
» concludentibus destitutum: & propterea
» vt varium, & fallax, præsertim in regioni-
» bus nostris, non admittendum pro veritate
» comprobata, & infallibili, prout Doctores
» nostri supra allegati faciunt; quando præ-
» sertim leges nihil de hac re dicunt, immò
» & contrarium sub earum generali disposi-
» tione sanxerunt, vt supra est ostensum.
Hæc vir eruditissimus; cuius auctoritatem obiurgatores nostros facilè conuincere, opinionisq; huius aduersus octomestres cōmentum penitus delere, satis constat. Verum hactenus de secundo capite disputationis huius; nunc tertium aggrediendum superest, in quo & aduersariorum labefactandæ rationes sunt, & auctoritates ponderandæ. Itaq; in mediam aciem rationum irruamus. Sed antequam in hanc arenam pugnaturus ingrediar, hæc primum præfari oportet.

Nonnulla præmittuntur ad labefactandas aduersariorum rationes cognitu necessaria. Cap. 24.

a is 3. DISP. PARS.

DIcimus igitur, vt tota Iurisprofessorū machina, supra obseruatam ab eis de Medicorum etiam sententia octaui mensis infœlicitatem fabricata, cum ipso corruat fundamento; iam satis ex ijs, quæ de Aristotelis mente supra disputata sunt, secundum veram philosophiam esse manifestum, mēsem octauum per se, ac simpliciter sumptum & sua natura naturale esse pariendi tempus, ac genitale; proindeq; illos omnes, qui de eo aliter pronunciarunt, aut de octauo mense per accidens intellexisse; aut à vero longè aberrasse; idipsumq; non solum Iureconsultis non aduersari, sed eis summè esse consentaneum probatum est. quamobrem & nutabunda cætera omnia sunt, quæ de partu octauo mense edito addunt; immaturum, imperfectum, abortū, & illegitimum illum appellantes. Cum enim cuncta hæc partui mensis octaui ratione euenire credant; cum ostensum sit, mēsem ipsum sua natura esse vitalem; consequens omnino est, vt partus in eo genitus vitalis sit; ac proinde neq; immaturus, neq; abortus, neq; illegitimus dici possit. Non potest quidem immaturus & imperfectus appellari, quoniam Hippocrate, Aristotele, Galeno teste perfectionem, & maturitatē partus in octauo recipit; idq; clarissimè supra ex Aristotelis verbis, rationibusq; pluribus probatum est. Non potest dici abortus, quoniam abortus in proposito formaliter apud Iureconsultos significat partum mortuum editum iusto tempore, vt abundè superius exposuimus; partus vero octomestris viuus iustis mensibus in lucem venit. nec Tiraquellus audiendus est, dum statuit partum immaturum prodeuntem, tametsi viuum editum, nihilominus abortum dici: ita vt iura non distinguant l. SI MVLIER, & l. DIVVS. siue viuus nascatur, siue mortuus; dummodo pleni temporis non sit, nec viuere possit. ex quo & sic de octauo genitis inquit. Si nascatur octauo
» mense, is certè non rumpit testamentum
» per t. in l. quod certatum est illis in ver-
» bis, si viuus perfectè natus est. Nam per-
» fectè natus non dicitur, qui intempestiuè,
» atq; immaturus natus est, vt viuere non
» possit d. l. septimo mense in verb. perfe-
» ctum partum. Nam primum in l. SI MVLIER, & in l. SI DIVVS nulla mentio de abortu est; sed tantum de abigendo partu. quare etsi id abortus dici posset, videntur tamen l. VXORIS ABORTV aliud abortus nomine, & peculiare quidem Iura designasse. Deinde nihil etiam ibi habetur, quòd viui partus illi eijciantur; quin ratio docet, mortuos omnino eos mulieres abigere; quoniam verisimile sit de perdendo fętu multò ante statum pariēdi tempus eas excogitasse. Tertio aliud omnino est partum generaliter accipere, prout potest in abortum degenerare; alius verò sub hac ratione formali considerare, quatenus veniens in lucem soluere potest, vel non potest,

ff. ad leg. cor.
ff. de extra-ord. crim.

test testamentum: quomodo l. VXORIS ABORTV acceptus partus, nisi mortuus exeat, abortus nequit appellari. Vnde strictè admodum ibi vox, abortus, sumitur. quamobrem octauo editus viuus infans, abortus nullo modo dici potest; neq; octauus mensis immaturus. & l. QVOD CERTATVM alio omnino sensu vox illa, perfectè, intelligenda est, quòd satis supra est monstratum. Item nec debet vocari illegitimus, quoniam intra septimum & decimum oritur: illegitimi verò sunt, qui extra hos limites prodeunt.

Quinq; priores rationes dissoluuntur. Cap. 25.

HIs ita constitutis, ad primam rationem respondeo, negans octauo mense genitos, imperfecto tempore esse genitos; cũ supra contrarium sit probatum. Ad auctoritatem autem Bartholi dico, cum ipse nominatim octauum non exprimat, vt nono libro animaduertimus, difficile esse de illius mente diuinare. Fortasse enim septimum, & nonum tempora magis naturalia pariendi esse credidit, idcircoq; eos posuit. quod tamẽ nihil officeret nobis, cum octauum minus septimo naturalem fateamur. Ad secundam respondemus, præter omnem esse rationem, quod Baldus inquit (valeat quęso potius ipsa veritas, quàm viri auctoritas) naturale esse octomestribus, vt statim nati intereant. idq; tàm ex superioribus est clarum, quàm quod clarissimum: atq; aduersus Baldũ naturalis ratio, principis philosophorum auctoritas, experimẽtumq; ipsum pugnant vehemẽter; vt ex rationibus à nobis supra allatis, & auctoritatibus latissimè patet. Ad probationem verò, in qua ponebatur, octomestres vt plurimum interire (quæ profectò difficultas induxit & vulgo imperitos, & similes philosophos imperitorum, vt nihil possent, nisi in octomestrium perniciem cogitare) dicimus primum, non esse absolutè verum octomestres omnes, & vbiq; terrarum editos vt plurimum mori. cui rei puto me libro quinto affatim satisfecisse. nam in Aegypto, in Hispaniaq; cuncti Aristotele teste, & Auicenna, adolescunt; vt si denominatio à superabundanti facienda est, quemadmodum scholæ clamant, etiam si in nostro tractu vitales octauo geniti non essent, quia tamen plura sint loca, in quibus vitales prodeant, naturales simpliciter ac vitales sint dicendi. Deinde addimus, nec etiã locis nostris id habere veritatem, vt supra in afferendis pro nostra parte testimonijs probatum fuit. Neq; enim ex paucis sensui expositis euidentijs, & cum semel, aut bis aliquid conspectum est, ea de re in vniuersum pronunciari debet, vt perbellè Galenus initio opusculi de Formatione Fętus admonuit. Postremò dicimus, si etiam id Baldo verum esse concedamus, non statim sequi octomestribus essentiale esse, ac naturale, vt moriantur (quod quidẽ si esset, septimestribus pariter officeret, illisq; naturale esse mori demonstraret; cum eorum plures Hippocrate teste similiter morte deleantur) nam id est alicui naturale, quod vt plurimum per se ei euenit, & sua natura; secus si ob aliquod impedimentum, ac per accidens ipsi id contingit. quin potius cum illud, quod per accidens rei euenit, id etiam sit ei præter naturam; vt multis in locis, sed potissimum secundo Naturalis Auscultationis docemur; asserendum erit iuxta decreta peripatetica, præter naturã esse octomestribus, quatenus tales sũt, vt per id temporis editi plures intereant. Quòd vero per accidens eueniat octomestribus, vt plures moriantur, vel ex eo patet; quoniam multò plures sunt partus natura nonomestres, ac decimestres, quàm alijs mensibus maturescentes; qui ob causas supra allatas (quas etiam infra vberius explicabimus) nostris locis vel propter cęli intemperiem, maximasq; aeris mutationes; vel ob alias causas in abortum sępissimè degenerant; ideoq; non semel octauo eduntur: proinde tanquam immaturo tẽpore nati temperaturæ illius ratione, quam ab initio nacti erant, moriuntur. Itaq; non sunt per se octomestres, qui plures intereunt, ac vt plurimum; sed nonomestres sunt, vel etiã septimestres natura, ocyore partu, vel tardiore, vt acutè dicebat Auerroes, ob aliquod accidens octauo editi. cum alioqui partus illi, qui per se octauo mense perfectionem nanciscuntur, plures sine vlla dubitatione superstites fiant, & adolescant; atq;, vt idem perclarè dixit, non secus viuant ac septimestres, & nonomestres. Quamobrem etiam si plures essent, qui octauo mense editi interirent; id propterea euenire dicendum esset; quia plures sint, qui per accidens octomestres nascuntur, quàm qui per se: id verò, quoniam plures temperamenti ratione nonomestres sunt, ac decimestres. nam & hoc est, quod dicebat Auerroes verbis supra memoratis, quæ maxime animaduerti cupio; propterea, qui octauo nascuntur, in pluribus non viuere,

Cap. 4. — Cap. 62. 63. 64. — Tex. 50.

quia ob aliquod accidens accelerarunt exitum, vel retardarunt; ideoq; octauus mensis non est illis naturalis. dicens enim in pluribus clarissime docuit causam, cur vt plurimum hi partus intereant, hanc esse, quam supra exposuimus, nec aliam vllam: nepe quia vt plurimũ abortus sunt, ac per accidés octomestres: scilicet natura septimestres, vel decimestres, qui octauo oriuntur. verùm ars quod ex accidenti est, nil curat, vt sub extremo quinto Moralium Nichomachiorum notatum reliquit Aristoteles. Ad tertiam, satis ex ijs, quæ modo diximus, responsio patet; cum octauo mense genitus nullatenus dici queat abortus. Ad quartam, maior negatur propositio; cum fortasse plures, sed certè probatiores auctores, atq; inter hos Aristoteles, qui reliquorum omnium instar hac in re esse debet, octauo mense genitos vitales esse sentiant; & quod magis est, ipsa doceat ratio naturalis. Neq; enim tantum opinio præiudicata posse debet, vt etiam sine ratione valeat auctoritas: quæ profectò sequenda non est, nisi quantum rationem adnexam habet. atqui rationem ipsam, Aristotelem, Auerroem, aliosq; grauissimos viros aduersus peruagatam hanc de octomestrium nece opinionem pugnare vehementer, supra ostensum est. Ad quintam dissoluendam longiore fortasse oratione opus esset; sufficienter tamen labefactatum iri arbitramur, ex ijs, quæ supra tetigimus, Hippocratem octauo genitos non omnino respuere; quod octauus liber copiosè demonstrauit. item ex ijs, quæ in responsione ad nonam rationem, ad primamq; auctoritatem adducemus.

Tex. 50.

Cap. 11. 12. 13. 65.

Tres aliæ rationes labefactantur. Cap. 26.

AD sextam dicimus, plurimum nos demiratos esse viros illos alioqui magnos, qui barbarorum illud figmentum tãquam axioma quoddam receperunt, fœtum omnem septimo mense motu conatuq; maximo exitum tentare. Enimuerò pluribus ostendimus nos tertio libro, sed decimo præsertim, id primum à nullo ferè bono auctore proditum fuisse; non quidem ab Hippocrate, non ab Aristotele, non à Galeno; deinde rationi naturali, ac sensui plurimum aduersari. quãdoquidem natura nihil facit frustra, ac vt plurimum finem attingit suum, ob quem agit: at si fœtus omnes egredi septimo tentarent, conatus hic plerunq; irritus esset; cum maxima fœtuũ pars nono mense, vel decimo in lucem prodeat: quæ tamen incassum septimo exire tentauit; proindeq; vt plurimum natura finem suum non consequeretur; quod absurdissimum est, atq; ab eius operibus alienissimum. Demum si mulieres ipsas interrogemus, non maiores fortasse motus mẽse septimo fœtum in vtero habere audiemus, quàm sexto, vel octauo. Itaq; naturæ decreto ille tantùm fœtus septimo exire conatur, qui natura septimestris, propriam adeptus iam maturitatem, eo mense in lucem venit, aut saltem venire tentat, ac tentare debet: octomestris autem natura, & nonomestris, ac decimestris nulla ratione; quod isti tamẽ constanter asseuerarunt: vt molestè feram tanta ingenia (bona venia me audient) in tàm leuem, ne dicam in tàm ineptam sententiam incidisse; qua tamen aduersariorum fundamentum maximè nititur, asserentium ob motum hunc septimo editum, fœtum imbecillissimum factum, si octauo exeat, intermori. Ad septimam dicimus primò plurimum latere in ea æquiuocationis. Nam primum sensus sequendus est, in quibus non fallitur; atq; ita Aristotelis dictum venit intelligendum. Vbi enim verum non attingit, vt in remo in aqua refracto; qui visui inflexus apparet, omnino deserendus est. at sensus videt octomestres mori; non videt, an hi, qui intereunt, sint per se octomestres. quamobrem ad rationem est confugiendũ. Et profectò in hac quæstione nihil est difficilius, quàm à consuetudine oculorũ mentis aciem abducere. Deinde negamus aduersarijs experimento esse comprobatum, plures octomestres interire (quod satis in responsione ad secundam fuit enucleatum) quoniam vt perbellè primo Metaphy. docet Aristoteles, experientia ex memoria fit hominibus; & multæ vnius, eiusdemq; rei memoriæ, vnius experientiæ vim efficiunt. Atqui memoriæ multæ, quòd octomestres non sint vitales, nequeunt reperiri; cum omni ferè ætate id fuerit controuersum, atq; à fide dignis auctoribus contrarium affirmatũ. quod cum clarissimus vir Sfortia contueretur, vt in postremo nostro patuit testimonio, suorum neglecta auctoritate, neq; illorum præstigijs inuolui passus; ingenuè & candidè confessus est, huiusmodi de morte octomestriũ dogma, non solum rationibus concludentibus esse destitutum, sed esse etiam auctoritatibus ambiguum; ideoq; tanquam varium, & fallax, præsertim in regionibus nostris, non esse admit-

Cap. 108. 109.

Cap. 2.

Cap. 1.

admittendum. Demum isti, quod magis est, experientiam cum arte confundunt; cum omnibus secundum vnam speciem determinatis, cunctis videlicet hominibus, proprium esse asseuerent, vt, si octauo gignantur, intereant: quæ res artis omnino est propria: vnde ad pauca respicientes facilè enunciant. Non enim ex ijs, quæ vno tantum in loco, aut semel, & bis hac de re contingunt, sed ex ijs, quæ vbiq; locorum traduntur euenire, & obseruantur, experientiæ multę, deinde ars ipsa colligenda est, vniuersalis videlicet propositio. Fit enim ars, vt acutissimè citato loco docet Aristoteles, cum è multis experimentalibus conceptibus vna de similibus vniuersalis oritur opinio. Atqui in præsenti negocio neq; vna etiam experientia locū habere potest, quæ ex multis memorijs ortum ducit; ne dum ars ipsa, quæ ex multis colligitur experimentis: quoniam, si, quæ in Aegypto, alibiq; octomestribus contingūt, animaduertamus, absolutè multo plures vitæ compotes fieri apparet. Nec dicendum inductionem eam, quam Auerroes ad dialecticæ inductionis differentiam solet demonstratiuam appellare, hîc posse locum habere: qua quibusdam inspectis singularibus, statim reliquis spretis colligimus vniuersale. Etenim hæc in materia tantum necessaria, & in rebus, quæ essentialem inter se connexionem habent, inuenitur. quin potius, cum in mutabili materia versemur, qualis ea est, quæ naturæ operibus subijcitur; nil roboris inductio habere poterit, nisi omnia sumantur singularia nullo prætermisso, aut certè nisi pars eorum maxima. Sed quæ experientia probet apud Præceptorem, & quantum hęc ratio valeat, copiosè libro quinto fuit disputatum. qua in re bellissimū certè subsidium illud, quod sibi nonnulli parant, nisi verius dixerim deliramētum, veritatis amatores maximè cupio animaduertere. Cum enim octomestrium exaggerant infælicitatem, experimentum plurimi faciendum dicunt, mulieribusq; hac in re Hippocratis auctoritate credendum asserunt, ac penè minantur. At è contra cum experientias de vita octomestrium, tùm ex veteribus, tùm ex recentioribus eis obijcimus, experimentum si non impossibile, saltem admodum difficile esse inquiunt; mulieribusq; Hippocrate, Aristotele, & Auicenna teste conceptionis diem ignotam esse dicunt: vt mihi planè etiam nimis duras leges imponere videantur octomestrium defensoribus. Octauam ex eo tollimus, quod falsum omnino sit, formatricem virtutem, si valida sit, & materia rectè disposita, septimestrem gignere (qua in re pleriq; valdè aberrarunt) tunc enim producet nonomestrem; vel si Hippocrati, Aristoteliq; fidem adhibemus, decimestrem, ac dierum 280. partum: quod tempus perfectissimum est, ac longè magis humanæ speciei (quod pertinet ad maturitatem partus) consentaneū. quin potius septimestris ex calidiori virtute, calidioribusq;, & humidioribus menstruis conformatur, quàm humana natura, si collineet, patiatur; vt nos tertio libro latè aduersus Valesium, Auerrois obscurissimam hac de re sententiam explicantes, à nullo ad hanc vsq; diem animaduersam, demonstrauimus. Quamobrem fit, cum in omnibus naturæ operibus propria moderatione opus sit, extra quam aut nullum opus, aut imperfectius natura producit, vt septimestres imperfectione quadam donati sint, quia longius ab hac moderatione in illis producēdis natura recedit; quam exactè in gignendis decimestribus assequitur, quod (nisi me fallit) copiosè liber tertius ostendit. Proinde imbecilli omnes sunt, & perfectionis tantùm principium dicuntur obtinere: ita vt cum nati sunt, cunabulis lanæ eos obuolui oporteat præ nimia imbecillitate, quemadmodum septimo Hist. Aristoteles notatum reliquit. ex quo & nōnulli meatibus aurium, & narium non absolutis generantur. calor enim, si valde superat, exsiccat humorem; si multum deficit, non concernit; vt quarto de Anim. ortu docemur: sed medij rationem ad rem condendam seruari requiritur. Itaq; dicēdum, vt libro tertio expositum fuit, materiam pro sui temperamenti ratione non solum septimo, vel nono, sed etiam octauo maturescere: quod & voluisse Aristotelem, & Auerroem perspicuè pronunciasse ibi ostendimus.

Cap. 63. 64.

Cap. 38. vsque ad 40.

Cap. 43.

Cap. 4.

Cap. 2.

Cap. 49. vsq; ad 54. et 104. vsq; ad 107.

Duæ aliæ soluuntur rationes, nona, scilicet, & decima. Cap. 27.

NOnam ex eo labefactamus (atq; hoc maximè interest ad veram Hippocratis mentem assequendam) quòd duplex sit rerum naturalium periodus, par, & impar; vt diuinus senex primo Epidem. his verbis admonuit. » Quæ vero paribus diebus exacerbantur, paribus iudicantur. Quorum » autem exacerbationes in imparibus fiunt, » ea imparibus iudicantur. Ex quo & Theophra-

Sect. 3.

Schol. 45. phrastus libello de Ventorum Signis memoriæ prodidit (de qua re nos plura in Annotat. super illud opusculum) Austros pari dictum numero, Aquilones impari finē habere. Sequitur autem ex his pares alioqui dies à Medicis passim reiectos, in rebus illis, quæ pari periodo potiuntur, non esse respuendos: quod quidem eleganter Galenus in Comment. super citatum Hippocratis locum animaduertit, & paulo infra; Aphor. 18. item primo libro de Diebus Decretorijs. Cap. 11. Quòd si eandem rem vtranq; interdum periodum admittere agnoscamus, vt acutorum exemplo ex quarto Epidem. satis demonstrasse sexto libro credimus, dierum Cap. 4. 5. 65. 66. crisimorum causam explicantes: quo loco Part. 11. " Valesius vir in arte Medica magnus ita " scribit. Nam, vt acutissimi, qui per im" pares mouentur, finiuntur septima; ita qui " per pares, finiuntur sexta, aut octaua; iam satis claret, quo modo huic rationi sit occurrendum. Quoniam enim humanus partus vtranq; periodum admittit, parem, scilicet, & imparem; ex quo & non solum septimo, sed octauo quoq;; non solum nono, sed etiam decimo vitalis egreditur; propterea, tametsi non habeat ad septimanas exactam rationem, vitæ compos prodire potest. Nec tamen Hippocrates mendacij videtur condemnandus: aduersariorum enim ratio hæc ex libello de Carnibus, seu de Principijs sumpta est, quo in loco imparis, & septenariæ periodi vim in natura totus est Hippocrates, vt ostendat. Vnde & septimestrem partum, scilicet qui diebus 210. oritur; & quem vocat decimestrem, scilicet diebus 280. genitum, ad hebdomadas exactam habere rationem scribit. Est enim hebdomadûm decas dierum 70. spatium apud ipsum: quare & septimestris tres hebdomadûm decadas exactè explet, decimestris quatuor. Erit igitur vero maximè consentaneum, partum eum, qui ex temperamento periodum imparem expostulat, vitalem egredi non posse, nisi hanc septenarij rationem retineat: atq; hoc sensu eo in loco Hippocratis verba intelligenda sunt, hîc putandum nonam rationem vim habere. Quòd si alio modo partum consideremus; quatenus scilicet illum periodus par metitur; aliter dicendum est. Nam & septimestris minor, qui diebus 182. gignitur; & noni initio editus, hanc ad septimanas exactam non seruant rationem; & nihilominus vitales esse de eiusdem Hippocratis decreto existimantur. Quandoquidem Lalamantius audiendus non est, qui in Commentarijs super librum de Septimestri partu, hosce minores septimes[tr]es septenariorum rationem seruare inquit exactam, quia dies 20. tres septenarios Galeno teste lib. tertio Progn. circunscribāt; Schol. 1. Cap. 4. ideoq; dies 180. Septenarijs 27. claudautur: siquidem partus dierum 180. de Hippocratis mente, vt Galenus in lib. de Septim. partu docet, non est vitalis, vel certè difficillimè; cum minorum septimestrium terminus non sit breuior dierum 182. cum dimidio, vt libro septimo monstratum fuit: Cap. 10. usq; ad 15. qui numerus, vt diximus, septenarij exactam illam, quam supponit Hippocrates, non seruat rationem. Atq; hæc notanda diligenter sunt: his enim ignoratis, in Hippocrate interpretando in maximos labi errores necesse est. Ad decimam respondemus, adeo varios esse conformationis humani partus terminos, vt nil, nisi male tutum, ex ea possimus argumentari. Hippocrates nanq; opusculo de Alimento, cum dies 35. 40. 45. 50. tanquam articulationis limites expressisset, ita subdit. Gene" rantur autem in his, & in pluribus, & in " paucioribus & totum & partes: non valde " autem pluribus, aut paucioribus. quod " etiam septimo de Historia Anim. confirCap. 3. mauit Aristoteles; scribens, postquam diē quadragesimum, ac nonagesimum tanquam motus, & conformationis limites posuit; nil certi, exactiq; in his affirmari licere, sed hæc, & reliqua huiusmodi omnia secundum magis, & minus differre. Vt præterea m proportionem hanc dupli temporis formationis ad motum, non perpetuo exactè seruari Hippocratem loco memorato innuisse; quemadmodum septimo libro adCap. 36. notauimus. Quanquam si quadragesimum diem vt communissimum terminum admittamus; quia tempus motus duplum est figurationis; fœtus quadragesimo conformatus, 80. mouebitur; & quoniam tempus partus triplum est temporis motus; egredietur die 240. nimirum ad finem octaui mensis: quod tamen aduersarij omnino negant. quòd si diebus paucioribus fœtus articulari potest, vt Hippocrates, & Aristoteles affirmant; iam 38. die conformatus, 76. mouebitur, & 228. in lucem veniet, ac proinde circiter 18. diem octaui mē sis tricenarij. Quamobrem ratio hęc refragatur potius aduersarijs, quàm suffragatur. quod Valesius contuens plurimum 2. Contron. Cap. 10. eam claudicare affirmauit.

Vndecima ratio è medio tollitur. de temperamentis locorum nonnulla disputantur. Cap. 28.

AD vndecimam dicimus, si rem accuratè perpendamus, haudquaquam fortasse esse verum, nostrum clima octomestribus, quatenus octomestres sunt, esse aduersum; & si verum est, non propterea sequi eos esse non vitales. Sed quoniam id ob illud Aristotelis dictum positum est, quòd in Aegypto longè facilius, quàm in Græcia viuant octomestres, paulo vberius res tota explicanda est. Illa regio, quod ad corporeas attinet operationes, vt abundè libro quarto ostensum est, temperatior de Hippocratis mente dici debet, vt ex libello de Aëre, Aquis, & Locis clarissimè elicitur, quæ minoribus aëris, ventorumq; mutationibus est obnoxia, & æquabiliori cœlo fruitur: ex quo & sic ipse eo loco rem hanc definit. Causa vero horum est temporum anni temperies. Siquidem in medio Solis exortu sita est ad auroram, à frigiditate, ac caliditate omni remotior. Incrementũ autem, & benignitatem inde proficisci, omnibus in confesso est; quum nihil sit præcellens, & cogens violenter, sed per omnia æqualitas vigeat. Aegyptum autem locorum nostrorum respectu, & Græciæ quoq; talem esse Aristoteles, Theophrastus, & ante illos Hippocrates, Herodotusq; affirmarunt, quod memoratus liber demonstrauit: proinde senex sapientissimus ita non multò post disputationem concludit. Atq; sic quidem de Aegyptijs, ac Libycis mihi habere videtur. Qui vero ad dexteram hyberni ortus solis vsq; ad Meotidem Paludẽ habitant (hic est enim Europæ, & Asiæ terminus) sic habent. Multò maior diuersitas est inter illas ipsas gentes, quàm de quibus iam dixi, cum propter varias temporum mutationes, tùm ob regionis naturam. Habet autem eodem planè modo, quemadmodum, & circa aliorum hominum terras accidit. Vbi enim tempora magnas mutationes faciunt, & fræquentissimas, illic & regio agrestis, & maximè inæqualis existit; inueniasq; & montes plurimos, & densos, itemq; campos, & prata. Vbi autẽ non valde variant tẽpora, illic æqualissima regio est: quod idem, & de hominibus ipsis est intelligendum. Verùm sequitur ex his, vt libro quarto, & quinto expositum fuit, in Aegypto, locisq; similibus ob cœli clementiam, & temperationem mulieres longè esse fæcundiores; item fętus quoad principia vitalia illas gignere robustiores; adhuc vel nunquam, vel multò minus abortire, quàm locis nostris; gestareq; vterum multò facilius, ac parere: quod quidẽ perbellè Hippocrates citato opusculo illustrissima sententia explicauit. Tempora (inquit) cum sint inter se similia, nullas corruptiones, neq; malignitates inferunt in seminis genitalis mixturam, ac compactionem: quæ omnia cum suis causis habet lector libro quinto explicata. Atq; hoc est, quod eleganter septimo Hist. significabat Aristoteles, scribens in Aegypto octomestres viuere, quoniam ibi mulieres ad exactos menses vterum ferunt, idest minus abortiunt; & fertiliores insuper sunt; idest ad octomestres, & septimestres gignendos, tanquam multiparæ, ac pauciparæ, propẽsiores, vt memorato libro declarauimus; ac si quid ediderint, quod imperfectionis aliquid habeat, viuere nihilominus potest ob naturæ robur, ac cœli benignitatem. Siquidem hanc esse Aristotelicorum verborũ veram sententiam, aduersus Theodorũ Gazam tertio libro pluribus ostendimus; qui in loci illius conuersione aliquo modo videtur dormitasse. Quamobrem regionibus nostris, quoniam ob maximas temporum mutationes, & varietates corruptio multa & malignitas in seminis genitalis mixturã, & compactionem infertur, contrariæ causę locum habent; videlicet, & fræquenter mulieres abortiunt, vt ferè plures esse fœtuũ deperditiones videantur, quàm legitimi partus: item minus fertiles sunt, vt propterea octomestres, & septimestres natura minus pariant: & demum si quid promant à perfectissimo aberrans, minus vitæ compos fieri potest. At enimuero his positis palam est, temperiem nostri climatis octomestribus per se, & quatenus octomestres sunt, nequaquã esse aduersam; cũ nõ secus ferè quàm in Aegypto viuere locis nostris huiusmodi partus possint, vt paulò infra dicturi sumus. quod enim est natura, immobile est, & vbiq; eandem vim habet, quẽadmodum ignis, qui & hìc, & apud Persas vrit, vt eleganter quinto Ethicorum scripsit Aristoteles. sed eatenus illis aduersabitur, quatenus causa erit abortiendi; item quatenus fœtus principiorum vitalium ratione gignit imbecilliores; & gestationem, ac partum reddit laboriosiores. ex quo & tertio secto Aphorism. hyems austrina, & ver aquilonium abortus plurimos Hippocrati in vere causant. Vnde natura nonomestrem mulier abortiens, octauo ob cœli inclementiam eijciet; qui tanquam immaturus,

Marginalia: Cap. 17. 18. 20. 21. — Cap. 21. — Cap. 20. — Cap. 56. 57. 58. — Cap. 56. 57. 58. — Cap. 4. — Cap. 56. 57. 58. — Cap. 8. 9. 10. — Cap. 7. — Aphor. 12.

turus, & præcox moriturus enatus, vitæ compos fieri non poterit. quod tamen lex non considerat, cui satis est, vt iusto tempore partus viuus totus in lucem veniat, vt ,, eum legitimi nomine dignetur. ex quo, & Baldus, Decius, Cepol. Parisius, Boerius relati ab Vrsillo in Afflicti Decisionibus dixerunt, speciatim de octomestri agentes, sa,, tis esse partum natum esse viuum, & istud non considerari, quòd non possit viuere. Quanquam, vt ego arbitror, id veritatem duntaxat habet in his, qui mensibus partui à lege præfinitis oriuntur: vnde horum opinio, qui fœtui quoquo tempore nascatur, id competere putant, non leuem pati (nisi me fallo) videtur difficultatem. Verùm quia libro quinto monstratum est, mulieres in Aegypto ad producendos octomestres natura esse propensiores. item ibi hos partus minus gigni imperfectos; adeo vt hac de causa nostrũ clima vel aliquo modo contrarium octomestribus, vel certè minus aptum ad illorum ortum esse videatur; idcirco considerandum est, hoc quidem etiam si concedatur, vt libro quinto abundè probatum fuit, illud tantum efficere, vt in Aegypto octauo geniti magis, quàm locis nostris sint vitales, non tamen hos partus reddere non vitales. Quare, si vrgeas, facilius octomestres in Aegypto viuere: hoc nobis nihil officiet. Nam primum id vltrò concedimus, quibus satis est, vt ostẽdamus in Italia, & Græcia viuere octomestres, licèt minus, quàm in Aegypto. Deinde hac altera via resistimus. Tametsi enim absolutè, ac simpliciter homo exactè temperatus, salubrius, meliusq; ibi degeret, tanquam in optimè temperata regione collocatus; datur tamen in homine temperamentum regionis, quin etiam, & in reliquis animalibus, quod pulchrè κρᾶσιν ab Aristotele libro octauo de Historia Anim. appellatum video; idest proportione regioni respondens, in qua homo natus est, de quo acutè libro duodecimo de Animalibus Auicenna sermonem habet; cuius ratione homines nostri climatis commodius hìc viuunt, quàm in Aegypto, & vnusquisq; in propria regione: quo modo nullum est inconueniens affirmare, octauo mense editum in Aegypto, ibi salubrius viuere, octomestrem locis nostris genitum hìc melius degere. Atq; hoc est, quod paulò supra dicebamus, octauo genitos non secus viuere locis nostris, quàm in Aegypto. ex quo & ibi Auicenna ita de hac quæstione ,, statuit. Et hæc est complexio, quæ est secundum regiones: quoniam Indi habent ,, complexionem suam, quam viuunt: & ,, Franci aliam: & vnus non posset viuere in ,, regione alterius. quo loco intelligendum ,, est, viuere vnum in alterius regione non posse; idest commodè non posse, sed difficulter; quo sensu quod facilè fieri nequit, impossibile fieri dicitur, vt primo de Cœlo docet Aristoteles; & quo etiam sensu eundem scripsisse alio loco à nobis probatum fuit, sub Zona torrida impossibile esse vllam dari habitationem. Sed de vndecima ratione hactenus. quantum enim valeat, & quo modo nostrum clima octomestribus sit contrarium, vniuersaliterq; fœtus generationi, ac vitæ; quo modo Aegyptium consentiens; & quòd non propterea sequatur, octauo genitos locis nostris non esse vitales; plenissimè libro quarto, & quinto monstratum fuit: quibus in libris hac de causa de climatum temperamentis abundè disputauimus.

Decis. 236. — Cap. 58. — Cap. 61. 62. — Cap. 28. — Cap. 1. — Tex. 111.

Quatuor aliæ sequentes rationes dirimuntur. Cap. 29.

DVodecima ratio vberrimè à nobis Ptolemæi hac de re opinionem enarrantibus decimo libro ventillata est; vbi ostẽdimus falsum esse secundum veram Astrologiam, atq; ex Ptolemæi mente, Solem omnino, octauo mẽse toto percurrẽte, dissociata, disiunctaq; signa peragrare. Enimuerò ne ab exemplo à Cardano in Commentarijs allato discedamus (cuius opinio pluribus rationibus eo loco à nobis reiecta est) si sol in conceptione fuerit in Aquarij prima parte (quod ætate nostra circiter diẽ 20. & 21. Ianuarij euenit) iam satis patet, falsum esse, quod subdit Cardanus, partum hunc, si octauo mense edatur, quantum est cœli ratione, viuere non posse; quia sol Virginem per id temporis teneat; ipsa vero Virgo Aquarium non respiciat. quãdoquidẽ nos Cardani amicos interrogamus, an intelligant mẽsem octauum iam esse expletum, cum Sol Virginem ingreditur, vel inceptum tantum, si primum respondeant, non poterint falsitatis notam non subire; cum à die 20. Ianuarij, in quo Sol tenet Aquarij principium, ad tempus in quo Virginis occupat initium, quod est circiter diem 23. Augusti, dies tantùm sint 215. quòd sanè spatium in quintũ octaui mensis diem cadit, si menses diebus 30. constare, vt Hippocratem voluisse credimus, accipiamus: quare secundo modo, scilicet de incepto

Cap. 45. vsq; ad 54. — Cap. 51. 52. 53.

pto

pro octauo tantum verum erit, Solem dissociatum signum possidere: præterquamquòd hic partus, si tunc nasceretur, licèt dici posset octomestris, tanquam octauo mense inneunte editus; non incongruè tamen Iurisperitorum iudicio ad septimestrem diceretur etiam pertinere: quia natura in suis operibus obeundis, non adeo collineet, vt non interdum eorum aliqua paulò serius, vel maturius exequatur; quod, vt Menochius adnotauit aliquando, Iurisprofessores libenter admittunt. Si secundum Cardanum velint intellexisse; nempe octauo finiente Solem locum nulla cum priori familiaritate coniũctum possidere; hoc certè longè abhorrere à veritate facilè ostendi poterit; cum satis constet circa finem octaui mensis Solem ad Libræ initium proficisci; nempè ad locum, qui trigono radio priorem aspicit: vt quantũ est ex parte Signiferi, maximè vitalis tùm debeat in lucem prodire infans. Atq; hoc est, quod superius dicebamus nos, multò aliter iuxta dogmata Ptolemæi astrologica, quæ cum naturali consentiunt ratione, de octomestri partu esse statuendum, quàm ex leui, & futili Arabum periclitatione. Quòd si, vt Ptolemæus quarto Prædictionũ libro docet, inter illas cœli constitutiones maximam esse consensionem dicendum est, in quibus Solis loca non amplius quàm part. 17. inuicem distiterint; iam satis elucet, Solem part. 13. Virginis percurrentem sese ad trigonum prioris loci applicare, nempe ad primá partem Libræ. At Sol circiter diem sextá Septembris in decimatertia Virginis parte vehitur; quare partus die 20. Ianuarij conceptus, poterit iuxta Ptolemęi decreta die 6. & 7. Septembris vitalis prodire, nempe die 229. à conceptu; qui dies, si more Hippocratico mensem diebus 30. integrari dicamus, in decimum nonum octaui mensis incidit: proindeq; falsũ erit, toto octauo percurrente disiunctum Solem signum obtinere. Verùm hæc vberrimè citato locó: impræsentia satis fuerit veritatem indicasse. Decima tertia, quàm isti pariter à cœlo, astrisq; ducunt, quàm longè serpat, facile est videre. Respondemus enim figmentum esse Arabum, has per manus traditas Planetarum dominandi vices in singulis mensibus; neq; à Ptolemæo, neq; ab vllo alio veram Astrologiam profitente receptas. Vnde Ioannes Picus libro tertio in Astrologos rationem hanc plurimum ridet, & post illum Hieronymus Mercurialis libro secundo de Morbis Mulierũ, Eugeniusq; libro octauo Epistol., sed potissimum secundo libro de Partu, quo in loco funditus eam pulchrè, & doctè explodit: vt ipsius leuitas à tantis viris confutata non desideret orationem meam. Nam & cur quæso, vt alia nunc omittamus, si dominatur mense conceptionis Saturnus, tenerrimum tunc fętum non interimit? octauo, cum auctior factus magis, ac magis potest maligno influxui resistere, omnino necat? Nugæ quidem hæ sunt, ac tanquam perniciosa lues, imposturæq; reijciendæ. Prætereo in peripatetica philosophia Astrologorum influxus magnas pati difficultates. Ad decimam quartam Galenus respondet libro tertio de Diebus Decretorijs, dum ita scribit. Omnia siquidem, quæ de numerorum virtute nugantur, tàm facilè absurda esse deprehendimus; vt mihi subinde mirari subeat, Pythagoram illum tàm sapientem virum numeris tantum tribuisse. Quamobrem falluntur omnino, qui putant ex virtute numerorum, & proprietate, mali aliquid, vel boni, imperfectionis quidquam, aut perfectionis rebus naturalibus contingere. Præterquam quòd octonarius numerus in periodo pari decretorius est; atq; in se consideratus, vt ex Gorreo libro secundo vidimus, perfectus in natura existimandus est, ac valde potens. De qua re D. Ambrosium quisq; legere potest in epistola trigesimanona ad Horōtianum. Interim enim satis est Plutarchi testimonio octonarij præstantiam demonstrare; qui in vita Thesei sic de eo loquitur. Etenim Neptunum octauis celebrant. Numerus enim octonarius, qui tessara ex pari primus est, & primi quadrati geminus, propriam repræsentat stabilitatem, & soliditatem virtutis illius dei, quem Ἀσφάλιον, idest stabilientem, & Γαιήοχον, quòd terram coerceat, cognomine dicunt. Pari facilitate rationes aliæ, quæ nituntur legum fundamentis, refelli possunt. Nam ad decimamquintam satis ex superioribus patet responsio; cum euidenter probatum sit, octomestrem partum non esse abortionem; non solum si sequamur Aristotelem, sed etiam iuxta placita Iurisconsultorum.

Cap. 18. Cap. 1. Epist. 2. Cap. 11. Cap. 8. Cap. 4.

Duæ postremæ soluuntur rationes. Cap. 30.

AD decimamsextam, quæ Achilles aduersariorum est, respondeo primum, etiam quæ raro contingunt, leges considerare; quod inter cæteros Nicontius in Opusculo quòd filius natus, &c. multorũ

auctoritate adnotauit. Deinde dico omnino latere æquiuocationem. Lex enim circa humanos actus versatur, qui fræquēter eueniunt, vt in Politicis à Platone, atq; Aristotele iamdiù fuit definitum: vnde ad humanos actus vt plurimum contingentes aptari debet; eos, qui rarò eueniunt repudiare. Atq; hoc est quod l. IVRA CONSTITVI, l. EX HIS l. NAM AD EA potissimum respiciunt. Secus autem dicendum si naturales actus animo versemur; quos quidem dum lex sibi ob oculos ponit, nullatenus eos videtur refellere, qui rarò fiūt. Nam & minores septimestres, & maiores decimestres recipit, qui rarò in natura generantur: quin, & quod adhuc rarius est, l. SI MAIOR partum quinquagenariæ & vltra admittit; quem tamen propter raritatē appellat mirabilem. Vnde ita loquitur Imperator Iustinianus. Et scimus, licèt mirabilis partus huiusmodi inueniatur, & rarò contingit: nihil tamen eorum, quæ probabiliter à natura noscūtur esse producta, respui. Hæc ille; ex quibus patet, ea, quæ raro etiam à natura fiunt, leges non repudiare; & quæ probabiliter noscuntur ab ipsa produci, idest in illius sunt potestate, rationemq; habent naturalem, licèt rarò eueniant, omnino recipere. Quòd si multo minus naturale est, vt superius etiam fuit explicatum, quinquagenariam mulierem, atq; etiam ætate prouectiorem parere, quàm vitalem partum octauo mense edi; quoniam postremum hoc homini naturaliter insit, primū nequaquā: profectò octomestrem partum lex necessariò tanquam naturalem recipiet. Nec obstat quod septimo Polit. scriptum est, finem gignendi mulieribus annum esse quinquagesimum. Enimuerò septimo Hist. docemur plurimis menstrua circa quadragesimum deficere, quod tempus quæ excesserint, ijs ad quinquagesimum seruari; nonnullasq; propterea eo tempore peperisse. Vnde in Politicis quinquagesimus annus tanquam vltimus terminus ab Aristotele ponitur; tametsi rarissimè ad illum vsq;, mulieribusq; paucis menstrua fluant; vel tanta fluant copia, quanta ad procreandos fœtus est illis necessaria. quadragesimus verò communissimus limes est, & idcirco à Platone quinto de Repub. expressus: vnde inter illos nulla est dissensio. Itaq; falsum est (vt redeamus ad rem) quatenus spectat ad naturalia opera, quod Socinus inquit, leges ea duntaxat, quæ secundum communiter accidentia eueniunt, considerare; quæ secundum possibiliter accidentia fiunt, omnino reijcere. Nam quinquagenariam parere, ferè vix secundum possibiliter accidentia euenire certum est; cum quadragesimo anno maxima mulierum pars ob menstruorum inopiam sterilis fiat. probaturq; hoc idem si verba l. ANTIQVI consideremus; quo loco primum Paulus ita scribit. Antiqui libero ventri ita prospexerunt, vt in tempus nascendi omnia ei iura integra seruarent. At hic primum elucet, quàm cautè, & quàm benignè negocium partus Iureconsulti tractauerint; vt, cum lex postea habeat, ideo quia non poterant scire quot nasci possunt, & c. satis clarum sit in illis naturæ operibus, quæ obscura videntur, maxima adhibita consideratione iuxta Iureconsultorum oracula esse progrediendum: vt octomestrem partum tanta facilitate nullatenus Iurisprofessores refellere debuerint. Deinde cum circa quæstionē multiplicis partus ita lex infra statuat. Quidam ergo prudentissimi iuris auctores medietatem quandam secuti sunt, vt quod fieri non rarò admodum potest, intuerentur; idest quia fieri poterat, vt tergemini nascantur, quartam partem superstiti filio assignauerunt; & hoc dicunt, vt ait Theophrastus, & c. euidentissimum est, quo sensu intelligendum sit etiam circa actus naturales, ea, quæ rarò eueniunt, leges repudiare. Nam primum perspicuum est, legem, ea, quæ rarò in natura contingunt, omninò recipere; cum rarum id sit, vt mulier tres vno partu ferat, ac pariat; & ferè minus homini secundum naturam, quàm si octauo partum edat: quoniam homo, vt inquit quarto de Anim. ortu Aristoteles, sua natura maximè est animal vniparum: ex quo & maximè ei est secundum naturam, vt vnum pariat. Deinde patet etiam quasnam raritates lex respuat: enimuero dicens, vt quod fieri nō rarò admodum potest, intuerentur, satis nos docet, alia rarò admodum in natura contingere, idest rarissimè, & huiusmodi talia esse refellenda: alia rarò tantum; quæ recipi queant. quo fit, cum l. NAM AD EA, quæ perrarò eueniunt, reijciat ita habens. Nam ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequēter & facile, quàm quæ perrarò eueniunt: vt eam (quod pertinet ad actus naturales) de raris admodū interpretari cogamur; quemadmodum & particula, per, ostendit; quæ, vt Grammatici docent, addit in compositione, vnde idem est perrarò, quod valde rarò, atq; quòd perbellè l. ANTIQVI interpretatur, rarò

ff. de leg. et senatus consult.

C. de legit. hæred.

Cap. 16.

Cap. 5.

ff. si pars hered. pet.

Cap. 4.

Cap. 4.

rarò admodū. Cæterū quid hac distinctione lex moliatur, satis declarat quarto de Anim. ortu Aristoteles, docens, quod præter naturam est, rarò euenire, & è contrà; quod verò secundum naturam est, vt plurimum fieri, & è contrà. insuper quæ præter naturam sunt, in duplici esse differentia; aliaq; omnino esse præter naturam, alia verò in quibus, quod præter naturam est, secundum naturam euadit: Aristotelisq; oratio ita habet. Verùm in rebus ijs, quæ magna quidem ex parte ita fiunt, sed aliter etiam possunt fieri, euenit quod præter naturam consistat. Nam & inter eas ipsas, quibus accidit quidem pręter hunc ordinē, sed nunquam quolibet modo, minus monstrum esse videtur: quoniam quod præter naturam fit, idem etiam secundum naturā quodammodo est, cum naturam materiæ natura formæ non superat. Hæc ille; ex quibus patet, quæ lex rarò admodum vocat, philosophum præter naturam propriè ac simpliciter, vt ita loquar, appellare; nimirum, vt vno verbo explicem, præter naturæ intentionem, & quorum gratia nunquam natura agit: quæ rara tantùm; ea, quæ præter naturam sunt, alterius rei respectu, quæ magis est secundum naturam; sed tamen secundum naturam dici debent; quoniam in eius potestate sunt, ac intentione, & eorum gratia natura operatur: quod Capneæ Vitis exemplo declarat Aristoteles; quæ cùm vuam albam soleat ferre, si nigram tulit, minus præter naturam esse putatur; quoniam natura inter albam, & nigram est, licèt ad albam magis declinet; vnde rarius nigram profert: quod præter naturam ei est, si cum alba eam comparaueris; absolutè verò secundum naturam, quia ad id habet potestatem, & illius producendæ gratia agit. De qua quidem re libro tertio abundè actum est, & philosophi locus diligenter explicatus. Atq; hinc rursum interpretatio patet l. NAM AD EA, si de naturalibus actibus eam loqui dicamus. Intelligit enim de ijs, quæ præter naturam omnino sunt, nec finis rationem subire possunt: Et huiusmodi hæc perrarò contingentia appellat; quæ l. ANTIQVI rara admodum perbellè appellauit; quemadmodum si Vitis Capnea exempli gratia virides vuas produceret, è quorum genere octomestres partus non sunt, cum in potestate naturæ hominis sit, ac humanæ speciei proprium, & finis, vt octauo maturus partus in ea edatur. Tertio demum ex d. l. ANTIQVI patet contra Socinum, iura, ea

Cap. 64. usq; ad 69.

quæ secundum possibiliter accidentia eueniunt, amplexari; non illa tantum, quæ fiunt secundum communiter accidentia. Nam inquit Paulus, vt quod fieri non rarò admodum potest, intuerentur; quo loco verbum, potest, latissimè probat, quæ fieri possunt à natura etiam rarò; & ex consequenti quæ secundum possibiliter accidētia ab ea producuntur, legem recipere. Quòd si, vt ex d. l. ANTIQVI, & ex l. IVRA CONSTITVI, & ex l. NAM AD EA constat, tantum Iureconsulti philosophis tribuunt, ac Theophrasto; quid præceptori Aristoteli de illarum sententia tribuendum dicemus? sanè cùm ex eius mente supra probatū sit, homini naturaliter insitum esse, vt octauo maturum partum edat; ex quo & in naturæ potestate est, vt huiusmodi partum producat, & probabiliter producat; atq; illius producendi gratia agat; proindeq; hoc non est de eorum numero, quæ rarò admodum in ea eueniunt, & simpliciter ac propriè pręter naturam dici debent; concludendum est sine vlla dubitatione hos partus de Iurisconsultorum mente naturales omnino esse, ac vitales; idcircoq; decimamsextam hanc rationem sententiæ nostræ nihil officere. Verùm de hac ratione, deq; harum legum vero intellectu plura libro nono disseruimus. Ad decimamseptimam respondemus, minorem esse falsam; cùm per se octomestres vitales esse, sufficienter supra sit monstratum. Præterea, & maior quoq; videtur nutabūda, cùm Baldus, Decius, Parisius, Boerius teneant, relati ab Vrsillo loco memorato, partū viuum editum, licèt non vitalem, esse recipiēdum; ita vt fideicomissum deficere faciat.

Cap. 13. usq; ad 35.

Rationes ex Medicis allatæ dissoluuntur. Cap. 31.

His ita constitutis, rationibusq; Iurisprofessorum labefactatis; quæ etiam ex intimis Medicorum arcanis depromptæ sunt, pari facilitate respuuntur. Nam ad primam Fracastorij dicimus id voluntariè ab eo dictum esse; cùm humanum semen Aristotele teste non septimo tantùm, & nono, sed octauo quoq; maturitatem recipiat. Ad secundam, non omnes fœtus sexto quadragenario, & octauo mense ægrotare, sed nonomestres tātum de Hippocratis, Aristotelis, Auerroisq; mente; quod tertius liber, & octauus satis docuerunt; propterea id non tollere, quin vitalis octomestris egrediatur; cùm octauo natura maturescens, in vtero per id temporis non sit ægro-

Cap. 71. 79. 107.
Cap. 11. 12.

grotus: de qua re nos plura locis memoratis. Ad tertiam, diem sextam, ac simili modo sextum quadragenarium illis esse rebus naturalibus infęlicem, quæ imparem periodum sectantur: propterea, & septimestri, & nonomestri noxam afferre; secus autem in illis, quæ parem affectant. Vnde talibus sextus quadragenarius, sicuti & octauus mensis, obesse non possunt; cùm paribus mẽsibus crisis naturaliter sit in eis expectanda: de qua re sexto, & octauo libro abundè à nobis fuit disputatum; dierumq; crisimorum cum quadragenarijs, ac mensibus partus consensio explicata; & fusè ostensum, quando, & quo modo sextus quadragenarius partui noxam afferat.

Cap. 62. 63. 64.
Cap. 33. 34.

Quartam eadem responsio funditus tollit; quod ex ipsamet propositione Medicorum confirmatur; qui partum longum morbum esse statuunt, longum verò morbum paribus diebus Hippocrate, & Galeno teste iudicari: quo fit, vt numerus par non possit esse humano partui inimicus; atq; de octonarij præstantia dictum est supra ex Plutarco, libro secundo ex Gorreo. Ad quintã, quæ Valesij est, dicimus, vt suis armis eum iugulemus; ex proportione efficientis ad materiam omnino haberi, octauo mense partum maturum, ac perfectum edi posse; vt ex Aristotele fuit demonstratum. Quod verò ipse addit, septimi mensis terminum illis partubus congruere, qui quasi benigniori cœlo, ac terra generantur; id omnino à ratione est dissentaneum. nam sic septimestris esset nonomestri, ac decimestri perfectior; atq; in Aegypto plures septimestres nasci deberent; cùm tamen contrarium sensuum fide experiamur, & vbiq; locorum nonomestres partus, ac decimestres tanquam perfectiores, atq; humanæ naturæ magis consentanei, sint fręquẽtiores: quare hęc Valesij sententia non fugit repræhẽsionem. Ad sextam demum ex secunda respõsio elucet; sextus enim quadragenarius, siue dicas secundus ex tribus illis, in quibus fętus maximum periculum subire creduntur, non omnibus est infestus, sed tantùm illis, qui labuntur in ægrotationem, idest nonomestribus: quare octomestris per se, tanquã non ægrotus, facilè poterit tertij quadragenarij, qui à partus die computatur, noxã perferre. cur autem quadragenarij simpliciter in partu vim habeãt iudicãdi, libro sexto expositũ fuit; cur tres sint periculosi, libro octauo. Verùm hactenus de rationibus, quibus plenisimè satisfecisse credimus. Nunc superest, vt auctoritates põderemus.

Cap. 4.

Cap. 60. 61.
Cap. 1. vsq; ad 13.

Priora duo testimonia expenduntur. Cap. 32.

PRima igitur Hippocratis auctoritas quomodo intelligẽda sit, satis ex superioribus cõstat; consilium nanq; illius libello de Carnibus est probare, vitam hominis septendiariam esse; idest septenario, impariq; periodo potisimum gubernari: ita vt plures, maioresq; mutationes septenis diebus faciat, mensibus, & annis; quod Lalamantius etiam fatetur in Commentarijs. propterea septima die conceptum conformatum apparere; septimo mense dentes enasci; si diebus septem sine cibo permaneat homo, intermori; aliaq; huius generis plurima commemorat, vt septenarij vim ostendat. ad quorum probationem addit, septimo mense partum edi vitalem, octauo verò nequaquam; idest partum illum, qui septimestris est natura, ac septenarij numeri ratione progreditur. Nam sic ego diuini senis verba interpretor; & sic esse interpretanda octauus liber plenius docuit. quos quidem omnes octomestres, tanquam per accidens tales, perire necesse est: atq; hic quæ in solutione nonæ rationis, attulimus, omnino locum habent, nec ea repetere impræsentia est opus. Quòd si vniuersaliter, ac simpliciter verba intelligamus, vt multi faciunt; falsus statim Hippocrates apparebit, atq; à se ipso non parũ dissentiens, nullum vnquam octomestrem vixisse affirmans: cum in Græcia aliquos vitæ compotes fieri indubitatæ fidei græci pariter auctores, quorum aliqui eadem ętate floruerunt, Polybus scilicet ipsius discipulus, Aristoteles, & Diocles, alijq; permulti constanter asseruerint; in Aegypto omnes. Atq; hoc quidem maximè comprobat opinionem nostram; videlicet Hippocratem de octomestribus per accidens, ac de illis, quorum materia imparem periodum requirit, pronunciasse, huiusmodi tales octauo prodeuntes nullatenus superuiuere: quod nos etiam tanquam vero summè consentaneum libentisimè fatemur; non tamen omnes octomestres esse non vitales existimasse: cùm non sit credibile, quod discipulus Polybus experientia didicit, docuit ratione; videlicet octauo genitos non omnes interire, Præceptorem latuisse. Eodem sensu auctoritates omnes interpætandæ sunt, quæ libello de Septimestri, & Octomestri Partu octauo mense genitos interimunt. quæ verò ex libello de Alimento allata est, iam supèrius à nobis explicata fuit. Secunda Platonis nil profectò

Schol. 20.

Cap. 56. 57.

profectò nobis aduersatur. Enimuero diuinus Plato tanquam legislator quinto de Republica, non secus ac Iureconsultos fecisse cernimus, breuissimum limitem, & longissimum statuit, vltra neq; citra quos editum partum nutriri velit; atq; ita, si verbum verbo reddamus, scribit. » Sed ex ea die, qua quis nuptijs initiatus liberis operam dederit, post illam mense decimo, & septimo qui nascuntur, masculi filij, fœminæ filiæ vocabuntur. quo loco, vt notum est, exprimit Plato terminos partus naturales, vt intra hos genitum legitimum partum esse velit; ante septimum verò, ac post decimum, spurium, incestum, ac profanũ; vt qui principe non copulante, vt ipse inquit, ac præter illius ordinem genitus sit; vel etiam præter communes naturæ leges. Plato nanq;, qui mulieres communes eo loco facit; & robustissimos viros cum mulieribus robustissimis congredi iubet, insuper tempora decernit, ac ætates, in quibus iungi simul velit; & seniorem istis, siue iuniorem generationem in communi attingere prohibet; profanum, & impium scelus hoc esse censendum dicens: dies præterea coniunctionis, & reliqua omnia ad rem hanc pertinentia à Magistratu obseruari statuit: vt ijdẽ hi magistratus agnoscere possẽt, qui partus legitimi essẽt, & principe copulante geniti; simili de causa, qua & Iureconsulti permoti sunt, adductus, septimum mensem tanquam terminum breuiorem ponit, decimum tanquam longiorem: vt si Magistratus à die congressus ante septimum, vel post decimum mensem partum egredi videant, statim sciant, vel præter naturam, vel ex iniusto senioris, aut iunioris congressu (quasi ex iniustis nuptijs, & in quo Magistratus mandatũ non intercesserit) esse genitum; & propterea tanquam spurium, ac profanum, incestumq; neq; sub sacrificijs ortum, & votis, quæ singulis in nuptijs peragere iussit sacerdotes, arcendum esse. Quamobrem non ob id octauum respuit, quia non exprimit illum nominatim; quin potius videtur eum admittere, veluti qui intra terminos ab eo legitimo partui præfinitos interiaceat: siquidem hoc modo nonum quoq; reijceret, quem non nominat; qui omnium philosophorum, medicorumq; consensu communissimus est pariendi terminus, & naturalis. Atq; hîc notandum est à die coniunctionis viri cum muliere, non à menstruis, neq; à conceptione, tempus partus Platonem computare.

Tertium, quartum, quintum, sextum testimonium explicatur. Cap. 33.

AD tertiam, quæ Aristotelis est septimo Historiarum, iam abundè tertio libro respondimus; ibiq; monstrauimus in Philosophi oratione interpretanda, Theodorũ non parum à fide græci exemplaris recessisse: cum Aristoteles non dicat, octauo mense natos in Aegypto viuere posse, quasi difficulter viuere eos ibi censeat; sed absolutè, ac simpliciter viuere, quoniam omnes eo loco velit esse vitales. Vnde diximus tres ponere eum causas (quę tamen in conuersione Theodori non apparẽt) ob quas censuerit, octomestres in Aegypto & vbiq; locorum reddi vitæ compotes; quòd scilicet mulieres ad exactos menses facilè vterum gerant, minimè videlicet abortiãt, vel incommodã, laboriosaq; infestentur gestatione: quòd fertiles sint, facilèq; pariãt: tertio quòd fętus, tametsi aliquid imperfecti habeant, viuere nihilominus possint. Euenit enim ex his octauo mense editũ per se esse octomestrem, idcircoq; esse superstitem. Verùm de his plura tertio libro, & quinto; satis modo est probare nihil, quod nobis officiat, verba philosophi continere. Nam quod in illis dicitur, monstrosi aliquid hos fętus habere; iam libro tertio probatum fuit, id nil aliud quàm minorem perfectioné in eo dicere, quàm in reliquis partubus; proindeq; imperfectionem quãdam, non verè monstrosum significare: quo sensu fęminam monstrum Præceptor interdum appellare consueuit. Quod verò adijcitur, in Græcia seruari pauciores; hoc supra nihil positioni nostræ aduersari ostensum est, & quam ob causam contingat, explicatum. Demũ quòd nõ dicat Aristoteles, si quis seruetur, non existimari natum octauo mense, quasi censeat, qui vitę compotes fiunt, octauo mẽse non venisse in lucem; sed quòd vulgarem his verbis arguat opinionem, volens verè illos octauo nasci, sed vulgi errore alio mense editos putari, iam libro tertio aduersus Theodorum abũdè aperuimus: vt hæc philosophi auctoritas rectè intellecta, octomestriũ potius causã defendere videatur contra Iurisperitorum, ac Medicorum pertinaciam. Reliquæ verò auctoritates ex Problematibus, & ex quarto de ortu Anim. excerptę, tantum abest vt pro aduersarijs faciant, vt aduersus illos maximè pugnent. Ad quartam Sabini, dicimus nil tutum posse de ea affirmari; cum disputatio illius tota temporum iniuria

Cap. 8.

Cap. 8. 9. 10.

Cap. 56. 57. 58.

Cap. 67.

Cap. 11.

amissa sit; si tamen id sentit, deserendum esse eum arbitramur; veluti qui præceptoris Hippocratis mentem minimè hac in re sit assecutus: à qua in alijs quoq; non semel eũ aberrasse, plerisq; in locis Galenus in suis Commentarijs ostendit. Nec fortasse falleretur, qui crederet, de octomestribus per accidens Sabinum Hippocratis verba esse interpretatum; ita vt non de omnibus octauo genitis simpliciter verba illa tàm obscura, atq; præcisa, tàmq; aduersè dicta protulisse existimauerit diuinum Senē; sed de illis tantùm, qui per accidens sunt octomestres, qui verè abortus sunt, diciq; merentur, & omnes intereunt. Hoc vt credã faciunt verba illa, μετὰ τὴν ἐκτρῶσιν, idest post abortum; quæ ostẽdunt de octomestri partu Sabinum loqui, quatenus abortus est; quasi sententia sit, octomestres per accidẽs non esse, quia tanquã abortus statim moriuntur: esse verò, quia viui nascuntur, vt potius esse videantur, quam verè sint. Sed de hoc Sabini loco plura libro octauo. Ad quintam, quæ Varronis est, facilè Gellij auctoritate respondetur. Ipse enim, vt idẽ Gellius testificatur, libro decimoquarto Rerũ Diuinarum octauo mense edi partum affirmat; edi inquam vitalem; cęteroqui, vt paulò infra videbimus, in nulla re Cęcilio faueret. Quòd verò Varro inquit veteres Romanos huiusmodi monstrosas raritates non recepisse; sed tantum mensem decimum, & nonum, tanquam portionem naturalem habẽtes, agnouisse; hoc nihil nobis officit. Nam septimus quoq; non octauus tantùm ab illis prætermissus fuit; quem nõ solum leges recipiunt, sed legum quoq; professores. Ad sextam Alexandri Aphrodisei; dicimus satis esse clarum apud probatos auctores, problemata illa falsò Alexandro attribui. vnde ex tanti viri auctoritate nil contra nos aduersarij habent, quod afferre possint. Quantum autem valeat ratio ab octonarij numeri imperfectione sũpta ad probandam octomestrium infælicitatem, satis superiora docuerunt. quàm leue sit, quàm falsum, quod de septimestrium dicitur, ac decimestrium temperamento, tertius liber plenè demonstrauit: vt tota illa disputatio Alexandri ingenio videatur prorsus indigna.

Cap. 60.

Cap. 52. 53. 106.

Septimum testimonium ventillatur. Cap. 34.

SEptima, quæ ex Gellio adducitur, & qua plurimum nituntur, paulò vberius explicanda est: totam tamen verborum seriẽ non apponam, cum liber hic vulgò habeatur; sed tantùm in disputationis cursu ea afferam, quæ ad Gellij mentem assequendã videntur necessaria. Inquit ergo politissimus hic auctor capitis initio & medicos, & philosophos illustres de tempore humani partus quæsiuisse; quibus nempè mensibus edi posset: & licèt multa disputata sint, opinionem tamẽ pro vero receptã esse hanc, gigni scilicet, vt ipsius ore loquamur, hominem septimo rarenter, nunquam octauo, sæpè nono, sæpenumero decimo. quo loco notare est verbum, gigni, dicere vitalem partum nasci; quemadmodum & verbum γίνεσθαι apud Aristotelem, vt libro tertio admonuimus; cęteroqui falsum esset, quod ipse de illorum opinione affirmat, octauo nũquam hominem gigni; cum mense illo gigni non vitalem omnes fateantur. Itaq; opinio passim tunc recepta, teste Gellio, erat, humanum partum octauo nũquam edi vitalem, septimo rarò, sæpè nono, sępè decimo. Quibus positis, quod de octauo mẽse dictum est, statim Gellius infirmare aggreditur Cęcilij Poetę auctoritate; qui in mensibus genitalibus numerandis, in comedia quadam octauũ non pretermisit, ita canens.

Cap. 6.

Insolet ne mulier decimo mense parere?
Pol nono, etiam septimo, atq; octauo.

Vt mirum admodum sit, hoc Gellij consiliũ animaduertisse neminem. Hæc cum ita dixisset, vt probaret Cęcilium non inconsideratè ea scripsisse de octauo mense, ita subdit. » Eam rem Cęcilium non inconsideratè » dixisse; neq; temerè à Menandro, atq; à » multorum opinionibus desciuisse M. Var- » ro vti credamus facit. Nam mẽse nonnun- » quam octauo editum esse partum in libro » decimoquarto Rerum Diuinarum scriptũ » reliquit. Quo in libro etiam vndecimo mẽ- » se aliquando nasci posse hominem dicit; e- » iusq; sententię tàm de octauo, quàm de vn- » decimo Aristotelem laudat auctorem. Hæc ille; cuius testimonio satis constat, Varronem Cęcilio fauentem, atq; quod plurimũ refert, de Varronis sententia Aristotelem octauum mensem agnouisse genitalem: vt meritò Cęcilius illum inter partus tempora recensuerit. Post hæc Gellius, vt doceret quæstionem hanc non ab re esse controuersam; subdit dissensionis huius de octauo mense causam ex verbis Hippocratis libello de Alimento cognosci; quibus ait, octomestrem generationem esse, & non esse: ac Sabini recenset interpretationem. quasi dicat Gellius, ita locutũ diuinũ Senem satis ostendere hac præcisa, obscura, ambigua, &

contraria locutione, octaui mensis naturā difficillimam esse cognitu, & iure controuersam. ad hæcq; confirmanda Veterum Romanorum addit testimonium Varrone referente; qui nonum & decimum mensem tantùm receperunt, octauum, ac septimum reiecerunt. Quibus in hunc modum explicatis, multa eleganter de mense decimo, vndecimoq; disputans; ad dubitationem mox reuertit de octauo mense, & ita loquitur. Memini ego Romæ accuratè hoc atq; solicitè quęsitum; negocio non rei tunc paruæ postulante; an octauo mense infans ex vtero viuus editus, & statim mortuus, ius trium liberorum suppleuisset; cū abortio quibusdam, non partus videretur mensis octaui intempestiuitas. Hæc Gellius; qui dum quæstionem refert, sed solutionē tacet; dum quibusdam, non omnibus octauo genitum abortionem visam fuisse scribit; satis apertè ostendit, eos, qui tunc Romæ decernendi habebant potestatem, nullo pacto definire voluisse, octauo mense viuū editum, statim etiam mortuum, esse abortionem: ita vt libentissimè in contrariam opinionem inclinauerint. Quòd si hęc omnia animo versemur, luce meridiana clarius erit, præcipuum Gellij consilium in eo capite fuisse, vt pro vero receptam illam opinionem, octauo scilicet partum humanū nunquam edi vitalem, falsam esse & grauissimorum auctorum testimonio, & rei ipsius euentu demonstraret. Quamobrem locus hic non oscitanter, & tanquam in transcursu acceptus, sed accuratè consideratus mirificè aduersarijs videtur infensus.

Alia, quæ supersunt, testimonia enodantur. Cap. 35.

Octaua ex Galeno adducta nullius est momenti, cum liber ille spurius ab omnibus habeatur; supraq; monstratum sit contrarium potius Galenum sentire. Ad nonam quid dicendum sit, ex ijs, quæ sextum pro nostra sententia testimonium adducentes diximus, satis elucet. Ad decimam, quæ Alberti est, respondemus aut illum de octomestribus per se esse locutum; aut à præceptore Aristotele, ac veritate ipsa desciuisse: quod libro tertio abundè monstratum à nobis fuit. *Cap. 108. 109.* Vndecima Asclepiadis, quia fabulam continet, silentio est prætereunda. Ad duodecimā dicimus, quemadmodū ex verbis Sorani à Tiraquello relatis patet, numerum, periodumq; imparem per septenarium progredientem ipsum supponere, scilicet dies 210. & 280. vt non mirum sit, si partus natura periodum hanc requirentes, vitales non esse dicat, si hunc numerū non impleuerint. Decimamtertiam, quæ Philonis est, facilè tollemus, si auctoris ipsius verba græca perpēdamus. Scribit Philo libro de Mundi Opificio in hanc sententiam. γίνεται γὰρ τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα, τῶν ὀκταμηνιαίων ὡς ἐπίπαν ζωογονεῖσθαι μὴ δυναμένων. atqui aduerbium ὡς ἐπίπαν non semper in totum, ac omnino significat, sed etiam vt plurimum; quemadmodum ex libello Theophrasti de Ventis apertè colligitur, nosq; in Annotationibus animaduertimus. *Tex. 44. Annotat. 19.* Quamobrem ita docente ratione verba erunt interpretanda. Septimestres enim vitales oriuntur, cum octomestres vt plurimum non vitales egrediantur. Ac totus quidem eo loco Philo est, quod animaduersione dignum videtur, ob ea, quæ superius de Hippocrate diximus, vt septenarij numeri vim esse in natura maximam ostendat: quare siue de impari periodo sermonem habeat, cuius ratione octauo genitos non vitales prodire dicat; siue absolutè magnam octomestrium partem perire affirmet, nil sententiæ nostræ officit. Decimaquarta, ac decimaquinta tanquā, ex obscurissimi nominis auctoribus excerptę, prætermittendę à nobis hoc loco sunt; vbi nil, quod non maximè vrgeat, magnosq; patronos non habeat, considerandum proposuimus. Ad decimamsextam Apponensis, dicimus primū ipsum ferè palinodiam cecinisse, vt ex decimoquarto nostro testimonio patet: deinde respondemus rationē hanc, ob quam ipse, & post illum Gentilis octomestres reiecerunt, nullius esse ponderis: vt propterea Ioannes Picus vir doctissimus tertio contra Astrologos libēter eā relinquens, aliam ex Hippocrate ad probandam octomestris partus infęlicitatem attulerit. *Cap. 18.* Alienissimum enim est à naturæ operibus, quemadmodū supra tetigimus, vt fœtus, qui septimo mense maturus non est, septimo conatum illum faciat, exitūq; petat; quoniā hoc pacto semper à fine suo natura aberraret. Eodem modo decimæseptimæ, quæ Gentilis est, occurrendum videtur. *Cap. 18.* Decimaoctaua, tanquam hominis humaniores litteras profitentis, & eius, qui placita quorumcunq; recitet, non ex professo rem discutiat, nulla eget responsione. Decimamnonam pudet me Mascardum magni nominis virum inter Iuris interpretes attulisse; classicos quidem, non leuissimos quosq; auctores adducere oportet, Hippocratem, Aristotelem, Galenum, Auicen-

Auicennam, Auerroem, atq; huius notæ alios in hac perdifficili de octomestris partus natura quæstione decernēda; qui vt rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent: atq; rationum robur attendendum est, magis etiam quàm cuiusq; auctoritas; reliqui omnes obscurissimi nominis, qui vanas, futiles, anilesq; fabellas scripsere, omnino posthabendi. Verùm neq; mirum hoc est, cum Socinus in hac materia pertractanda Auli Gellij auctoritatem (quam tamen contra illum esse ostensum est) Auerroi, D. Thomę, ac Aegidio maximis in theologia, ac philosophia viris anteponat. Ad vigesimā dicimus primum D. Ambrosium de aliorum loqui eo loco opinione, aliorumq; dicta referre de septenarij potestate, ac fęlicitate; è contra de infęlicitate octonarij. Deinde respōdemus, si quis accuratè cōsideret, nō oēs octomestres eū reijcere: quod vox illa, plerisq;, satis docet; quæ nonnullos etiam octauo mense vitales nasci posse monstrat tantum virum credidisse. Postremò adijcimus, cum D. Ambrosius octonarij præstantiam supra septenarium ibi ostendere profiteatur: ex quo, & subdit. Sed tamen ille septimanus, etsi benè nascatur, ad labores nascitur; qui autem octaua die regenerationis sortitur misteria, conseruatur per gratiam, & ad hæreditatem regni cęlestis vocatur: & rationem ab octonarij infęlicitate ductam nihil esse, & octauo mense nasci posse vitalem partū, satis ipsum indicare. Ad vigesimamprimam respondemus Volateranum parum firmiter ea scripsisse; cum & ferre non amplius quàm menses decem mulieres vterum affirmet; quod superficie tenus sumptum Hippocrati, & Aristoteli aduersatur: item adijciat, partus causā alimenti agnoscens inopiam, quanto minus habet infans in vtero alimenti, tantò citius exire, quod nequaquam partus, sed abortionis causam esse, libro tertio ostēdimus: vt pari leuitate, quæ de octomestribus adiungit, nutare videantur. Postremò ad vigesimam secundam, & vigesimamtertiam dicimus, cum Budeus nullā afferat, cur ita sentiat, rationem; Cuiacius numerorum virtutem octomestribus obijciat; sine vlla probabili causa hos grauissimos viros in communem errorem toto ferri assensu.

Cap. 22. 23.

Expenditur quænam testimonia magis probent, an nostra, an aduersariorum. Cap. 36.

Verùm hęc ad labefactādas aduersariorū rationes, ac testimonia satis esse videantur. qua in re, quod ad testes attinet, tùm pro nostra, tùm pro contraria parte allatos; postquam non cum medicis tantum, sed cum Iurisprofessoribus quoq; nobis est certamen; videndum breuiter superest etiā iuxta illorum præcepta, qui magis probēt. Ac primò testes à nobis adducti deponunt affirmatiua, aduersariorum verò testes negatiua. Sed magis creditur duobus proponentibus affirmatiua, vt multorum auctoritate Eugenius inter cęteros docuit in Responsis, quàm negatiua mille. Vt enim pulchrè Cardanus Contradicētium Medicorū libro primo notatum reliquit; ad veritatem ostēdendam vnum sufficit exemplum affirmatiuum; in negatiua autem non est possibile ostendere, nisi assumptis omnibus exēplis. sicuti (inquit ipse) sufficeret ostendere vnam animam mortui ad probādū, quòd anima supersit, nec negatiuā probare possumus ex hoc, quòd nullam ostendere posse nobis liceat. At exemplum quòd octomestres superuixerint, non quidem vnum, sed ex grauissimis auctoribus plura in medio posuimus. Secundò testes deponentes de vita octomestrium, de visu probant. dicunt enim pro maiori parte se esse expertos, & obseruasse, octauo genitos fuisse superstites. At aduersariorum testes pro maxima parte probant de auditu; nempe ex aliorū relatione, & q̃a sic legerint apud auctores. Sed commune est, contritumq; apud Iurisperitos præceptum, testes de auditu nil probare. Tertio inter testes deponētes de vita octomestrium adest Aristoteles (vt nūc Auerroem taceam) cui credendum est magis, etiam si solus esset, quàm cęteris omnibus; tùm quia tanquam solertissimus, diligentissimusq; rerum naturæ rimator, & ob illud, quod habuit à Magno Alexādro auxilium, verius, certiusq; naturales effectus explorare potuit; ideoq; magis iuris præsumptione illi creditur (nam & talibus magis iuris præsumptione credēdū, loco memorato Eugenius multorum testimonio probauit) tum quia in arte peritus, immò peritorū in arte magister, omnium consēsu: quo casu præualet eius testimonium etiam pluribus in contrarium asserentibus; quia testimoniū periti in arte pręualet testimonio non peritorum; & ex consequēti magis periti testimonium, minus peritorū testimonio. ex quo, vt inquiunt Iurisprofessores, si communiter imperiti vnius professionis firmant vnam sententiam, peritus verò eius professionis aliam, eius opinio præfertur opinioni illorum. vt latè citato

Lib. prim. Cōsiliorum. Consil. 28.

Tract. 3. contr. 8.

loco Eugenius ostendit. Verùm ex his si determinanda, diffinieda, iudicandaq; proposita nobis quæstio est; declarandum, pronunciandumq; esse, qui asserunt octauo genitos partus esse vitales, benè asserere; qui verò negant huiusmodi propositionem, nõ rectè, nec iustè negare, atq; impugnare, nemo mentis compos ibit inficias.

Afflicti decisio quædam expenditur. Cap. 37.

SEd dùm sermonem concludimus, fastigiumq; huic Compendio imponimus; venit in mẽtẽ, solere Iurisprofessores Afflicti illã vulgatissimam decisionem passim obijcere; in qua octauo mense editum viuum, paucis postea diebus mortuum, reiectum fuisse scribitur, tanquam abortum, ac partũ illegitimum: de qua dicendũ postremo hoc loco, sed breuiter; ne non redarguta, videatur nos cogere, vt vel inuiti cõcedamus octomestris partus infælicitatem. Dicimus igitur, tametsi ob allatas rationes satis cõstet, Medicos illos, qui octauo mense editũ abortum esse, nec viuere posse asseruerunt, plurimum fuisse deceptos; vt à Neapolitano Consilio communẽ iuris interpretũ sẽtentiam sectante id sine vlla legum auctoritate, & contra veram philosophiam statutũ videatur; vt tamen Medicorum illorũ mira sapientia pernotescat, paucis impræsentia demonstrandum esse partum illum, quẽ reiecerunt, iuxta Hippocratis doctrinã non fuisse verè octomestrẽ. Supponit Afflictus mulierem illam concepisse die vndecima Nouembris, & peperisse die duodecima Iulij: verùm à die vndecima Nouembris ad diẽ duodecimam Iulij dies sunt 244. in anno communi, in bissextili 245. quamobrem nulla ratione partus hic octomestris vocari potest, sed omnino nonomestris. Siue .n. menses lunares accipias, vt in partus computatione accipiendos esse Alciatus in l. QVI MORTVI his verbis affirmat. Hoc autem in tractatu ex cursu lunæ considerãdi videntur menses, non autẽ habito respectu anni, quem Cęsar ordinauit. Non enim de eo Hippocrates, cęteriq; antiquissimi Medici diuinare potuerunt (qua tamen in re haudquaquã dubito à recto computãdi vsu illũ recessisse; qui, vt liber septimus, ac nonus plenissimè docuit, etiam apud Iurecõsultos menses recepit tricenarios; si lunariũ mensiũ nomine dierum 29. cum semisse intellexit interuallum) siue tricenarijs vtaris, quod Hippocrati, Aristoteli, ac Iurecõsultis tùm græcis, tùm latinis in computanda gestatione maximè fuisse vsitatũ, ijdem adducti libri demõstrarunt: ac mensis nomine dies triginta apud Iurisprofessores intelligendos esse idem ipse Alciatus in l. CVM BISSEXTVS his verbis docuit. Sed hîc (inquit) consueuit dubitari; Iudex mihi delationem menstruã concedit, de quot diebus intelligemus? & cùm mẽsis absolutè fit mẽtio, traditum est. 30 dies computari. Tot .n. diebus cùm tardissimè à coitu Solis luna remoratur, ad suas vices redit, cursumq; conficit. Menses autẽ à luna dictos ex Gręcis accepimus, apud quos mensis μὴν, luna μήνη dicitur (quo ex loco fortasse elicimus superioribus verbis Alciatũ in l. QVI MORTVI mensiũ nomine, quos ex lunę coitu effici dixit, tricenarios, vt hîc perspicuè declarat, intellexisse: quo pacto cum Veterũ computandi ratione omnino consentiret) quocunq; inquam modo menses accipias; partus nihilominus, de quo apud Afflictũ mentio est, dici debet nonomestris. Nam menses octo lunares diebus integrantur 236. Itaq; partus ille in noni mensis lunaris diem octauum editus est, ac proinde nonomestris debet appellari. Enimuero si diebus 182. nascẽs, septimestris à Medicis dicitur, quia die quinta promitur septimi lunaris mensis; multò magis hic nonomestris debet appellari, qui octauam circiter noni venit in lucem. Quòd si mẽses dierum triginta cogites, claret die quarta noni mẽsis fętum illum editum fuisse, & sexto quadragenario iam expleto, quod maximi refert; qui die ducẽtesimo quadragesimo terminatur. Atqui Hippocrates libello de Septimestri Partu apertè testificatur, eos, qui noni mensis initio nascuntur, & quadragenario sexto præterito esse vitales; idemq; de illis, ac de septimestribus esse iudicium. Verba hæc sunt. Quicunq; autem natus fuerit in his quadraginta diebus, eũ impossibile est superstitẽ manere. ægrotanti .n. adhuc ipsi in vtero, trãsmutationes, & afflictiones post partum accedunt. Quicunq; verò ægrotãs in vtero ad nonum mẽsem peruenerit, & in hoc mense natus fuerit, superstes erit; & superuiuunt quidẽ non minus hi, quàm septimestres; verùm pauci etiam ex his educantur. Hæc ille; ex cuius verbis latissimè patet, partum sexto quadragenario expleto prodeuntem & in nonum incidere mẽsem, & non secus ac septimestres esse vitalem, quos passim Iurisprofessores recipiunt. Quòd si aliquando octauus mensis incipit antequam septimus finem habeat; quod sic Hippocrates, licèt verbis obscurissimis, signifi-

Decis. 236.

ff. de verb. signif.

Cap. 60.
Cap. 50.

ff. de uer. signif.

» gnificauit. Eſt autem octauus menſis non » ſolum hoc tempus, ſed & dies accedunt ei » à ſeptimo menſe, & à nono, & ab ipſo anno: de qua re tota, & perrecōdita, & valdè difficili, & his temporibus inaudita, ac noua copiosè octauus liber diſputauit; iam patet, partum illum, quantum eſt octaui mēſis, & ſexti quadragenarij ratione, maximè vitalem prodire potuiſſe. Quamobrem luce meridiana clarius eſt, Medicos illos & partus octomeſtris naturā ignoraſſe, & vnà Hippocratis ſententiam. Sed cùm ſatis ad id, quod erat propoſitum dictum videatur; cùm abundè ad octomeſtris partus naturā, ſummis antea tenebris incluſam, in veritatis lucem proferendam diſputatum ſit pro præſenti inſtituto; iam nobis eſt perorandum. De quo cùm probatum ſit ſufficienter ſecundum naturales rationes, veramq; philoſophiam, ac ſecundum Iureconſultos, Hippocrate, Galeno, Auicennaq; non reclamantibus, ipſum eſſe vitalem, ac naturalem partum; cùm oſtenſum ſit, rationes contrarias nil habere virium; auctoritates aut omnes, aut partem illarum maximam nobis fauere (quæ omnia plenius, vberiuſq; in noſtro Opere decem libris habes amice lector explicata) adeo vt, ſi rationes, ſi auctoritates, ſi experientias maximorum hominum ſpectes; has omnes palàm ſit lōgè eſſe pro noſtra parte grauiores; mirū eſt quomodo iſti octomeſtrium oſores innocentiſſimū capitis cōdemnare potuerunt: cùm tamen lege cautum ſit, niſi teſtes, probationeſq; fuerint luce meridiana clariores, de alicuius morte non eſſe decernēdū. Nec obſtat communis opinio (quanquam ſi auctorum numerum, qui contra ſenſerunt, inſpiciamus, communis fortaſſe nomen non merebit) quoniam inter Iuriſperitos probatiſſimi docuerunt, non auctorum numerū, ſed opinionem eam, quę fulcitur melioribus, & validioribus rationibus, licèt ſit contra communem, eſſe ſequēdam; præſertim ſi communis ſit rigoroſa, illa verò contra communem æqua, & benigna; & ſi illi, qui communem conſtituerunt, non ſint in ea ſcientia, vel arte periti; quemadmodum eleganter ſcripſit Menochius libro ſecūdo de Prçſumptionibus. & ante illū Diuus Antoninus in tertia Parte Summæ notatum reliquit; qui & hāc veritatem grauiſsimo comprobauit Sacrorum Canonum teſtimonio. Cum enim in C. CAPELLANVS poſterior ſententia, quia meliori, & ſubtiliori nitatur ratione, recipiatur; deſeratur prior, licèt communior; hoc idem in omnibus faciendum nobis eſſe controuerſijs illorum doceri auctoritate vir doctiſsimus arbitratus eſt: vt ſine dubio ſubtilior, rationi cōgruentior, mitior, humaniorq; opinio cōmuniori ſit præferenda: quæ omnia in caſu noſtro locum habere, nemo nō videt. Et ſanè ſicuti cùm agitur de matrimonio ſuſtinēdo (quod inter cæteros Nicontius in Opuſculo, quod filius natus & c. multorum teſtimonio prçclarè adnotauit) ſingularis opinio præfertur communi; niſi communis habeat quaſi textum pro ſe; ita & cùm agitur de ſuſtinēdo octomeſtri, ob ſimilem cauſam ſingularem opinionem cōmuni anteponere debemus. Qua in re & illud etiam conſiderandum, quod libro quinto de Iuſtitia, & Iure doctiſsimus vir Dominicus Soto grauiter admonuit, nullius doctoris aſſertionem haberi poſſe pro lege: vt mirādum certè videatur, quo modo Iuris interpretum dicta contra leges ipſas, quarum nulla octauo genitis vitam adimit, in eorum tamen perniciem vim legis acquiſiuerint. quæ omnia tanti eſſe momenti palàm eſt; vt qui ea cōſiderauerit, non indoctè ſolū, verùm etiam impiè facere videatur, & impudēter, ſi incognita cauſa octomeſtres condemnet; quem verò non pudeat (id quod in pleriſq; video) hunc ego non reprçhenſione ſolum, ſed etiam pęna dignum puto.

Cap. 14. vſq; ad 38.

Præſump. 71.

Tit. 5. cap. 2. §. 9.

Decretal. lib. 2. De ferijs tit. 9, c. 4.

n. 327.

Quæſt. 3. art. 3.

LAVS DEO. FINIS.



